







[illegible]

THESAURI
MORELLIANI
TOMUS SECUNDUS,
SIVE
SIGEBERTI HAVERCAMPI
COMMENTARIUS
IN
FAMILIARUM ROMANARUM
NUMISMATA OMNIA;
NUMMOS MISCELLANEOS, URBIS ROMÆ, HISPANICOS,
ET
GOLTZIANOS DUBIAE FIDEI OMNES,

Diligentissime undique conquisita, ad ipsorum nummorum fidem accuratissime delineata & disposita a Celeberrimo Antiquario

ANDREA MORELLIO.



AMSTELAEDAMI,
Apud J. WETSTENIUM ET G. SMITH.
MDCCXXXIV.



THESAURI MORELLIANI

PARS PRIMA,

CONTINENS NUMISMATA FAMILIARUM ROMANARUM.

ABVRIA.



BVRIA Gens, plebeja, tres Aburios, Geminos dictos, in nummis reliquit, M. & C. Aburios, fratres, & Marci filium Marcum itidem dictum. Reipublicæ operam suam navarunt in tribunatu plebis gerendo, Sardiniæ administratione, & ad Carthaginenses, tempore belli Macedonici secundi, legatione.

I.

GEM*inus*, Aburiorum cognomen a nascendi sorte, cernitur post Romæ caput galeatum. Ab altera parte est Sol, capite radiato, in quadrigis, dextra flagrum; subtus *Marcus* ABVRI*us* ROMA.

Marcum Aburium patrem, ad quem denarius hic spectat, notant scriptores tribunum plebis fuisse anno V. C. DLXI. Prætorem inter cives & peregrinos jurisdictionem sortitum A. V. C. DLXXVII. putantque Pighius & Vaillantius Solis typum adludere ad rationem cognominis; ab *amburendo* enim illud arcessunt; verum quo jure id fiat, cognosci poterit ex Epistolis mutuis Morellii & Perizonii p. 152. & 192.

II.

Caput Herculis in leonis exuviis, cum clava ad collum, retro tres sunt notæ, sive tria puncta; quæ indicant, ex illo monetæ genere esse æreum hunc nummum, quod *quadrantis* veniebat nomine; tertia autem erat pars assis.

Marcus Aburius Marci Filius Geminus. Prora navis, subtus ROMA.

De hoc M. Aburio, filio Marci superioris, nihil amplius notum nobis, nisi quod tribunus plebis fuerit, sicut pater & patruus, A. V. C. DXCVIII. in Sardinia autem post annum V. C. DCIV. propr. eam provinciam prorogato imperio obtinuisse. Typus utriusque partis passim in Romanorum nummis æreis, etiam qui nomina familiarum non habent adscripta, observatur. Placuit tamen cl. Begero ad historiam hæc trahere, de quo ad sequentem sumus visuri.

III.

Caput idem Herculis cum tribus itidem quadrantis notis.

Caius ABVRI*us* GEM*inus*. Prora navis, ad latus tres notæ, inferius ROMA.

Pertinet hic nummus ad Cajum Aburium, Marci majoris fratrem, minoris patruum. Fuit is tribunus plebis A. V. C. DLXVIII. anno autem V. C. DLXXXVIII. numeratur inter tres legatos, qui Carthaginem sunt profecti, ut ab urbe tunc amica, & a Masanissa rege, Numidas equites, & elephantos impetrarent; quod & fa-

ctum teſtatur Livius XLII. 35. Perſen enim, ſubacturi Macedoniam, bello adoriri decreverant Romani. Itaque quatuor hisce nummis, ſcilicet II. III. IV. V. opinatur cl. Begerus innui hanc legationem, in quibus Cajus Aburius ſe quaſi Mercurium, a concilio deorum, ſenatu Romano, miſſum indigitarit in Africam, ut Martiæ genti ad proferenda tropæa ſua, *Tyrii*, ſive *Africani Herculis*, robur adquireret. Quæ ille fuſius perſequitur in Conjecturis ad Num. Antiq. p. 38. & Tom. II. Theſ. Brand. p. 529. Poſſet forte conjectura hæc admitti ad reliquos nummos, quamvis capita Herculis & Mercurii, deorum antiquiſſimorum, quos ab Albanis & Arcadibus recepiſſe Romulum teſtatur Dionyſ. Halicarnaſſeus libro I. in infinitis varii ponderis cernantur nummis; ſed in ſuperiori, qui num. II. venit, locum habere non poteſt. Neque enim Marcus Aburius iſti legationi interfuit, ſed patruus ejusdem Cajus Aburius. Hujus tamen quadrantem æreum exhibet Begerus in Conjecturis, ubi de Caji legatione loquitur, & de nummo Marci, tanquam non Marci eſſet, ſed Caji. Debuerat itaque ibi pingi nummus hic III. qui Caji eſt, quemque repoſuit in Theſ. Brand. Tom. II. p. 529. hoc omiſſo, quod in illa gaza non inveniretur.

Supereſt, tuendæ ſententiæ Begerianæ, ut dicamus Marcum, Marci filium, honorem, patruo ſuo habitum, voluiſſe repetere in ſuis nummis, ideoque ſignaſſe Herculem & navem, in Africanæ ejusdem patrui ſui legationis monumentum, quod mihi non eſt veroſimile; uti enim recte teſtatur Vaillantius, non Jani tantum, ſed & cujuscunque Numinis Romani caput monetæ pro arbitrio imprimere licebat.

IV.

Caput Romæ galeatum, retro GEM*inus*.

Mars, dextra tropæum, læva haſtam, in quadrigis, inf. *Caius* ABVRI*us* ROMA.

Denarius hic ad Cajum Aburium eundem pertinet, quem Martis typum ſignaſſe ſuſpicatur Pighius Lib. X. Annal. p. 308. adludentem ad cognomen ſuum, dictum ab amburendo, quod ſignum Martis ardens atque ignitum deſcribant Aſtrologi, & adfirmet Appulejus; quaſi non idem typus in nummis multarum Familiarum inveniatur, quæ, quum præ cæteris nihil inſigne haberent vel ex ſe vel ex proavis, conſuetum aliquem Romanæ reip. typum nummis inprimebant, ut hic eſt bigatus Martis tropæophori; qui denarii hinc bigati, ſicut alii a quadrigis quadrigati, dicti ſunt.

V.

Caput Mercurii ornatum petaſo, ſeu galero alis inſtructo, cum caduceo ad collum; retro notæ ſunt duæ, quæ duas ſignificant uncias, adeoque monetæ genus efficiunt, quod ſextans vocabatur, eratque ſexta pars aſſis.

Roſtrum navis; deſuper *Caius* ABVRI*us* GEM*inus*. inf. ROMA. ad latus tres itidem notæ.

Tertius hic Caji Aburii eſt nummus, qui, ſi Begeri admittimus conjecturam, legationibus præſidem Deum Mercurium, adeoque tacite ipſum Aburium, adumbrat, maritimamque legatorum profectionem. Hunc nummum male Vaillantius ſextantis inſignivit notis, qui idem Vaillantius quo conſilio novum Gentis Aburiæ nummum cum capite Solis primo loco collocaverit, poſtea tamen, cognito errore, tacite explicationem ejus omiſerit, cognoſci poterit ex amiciſſimo mihi Theſ. Fredericiani editore pag. ejus operis laudatiſſimi 387.

ACCOLEIA.

Publius ACCOLEIUS LARISCOLUS. Caput muliebre ſimplici tegumento ornatum.

Ab altera parte nulla adeſt inſcriptio, ſed tres Nymphæ viſuntur, quæ in larices arbores mutantur.

Denarius hic ex eorum genere eſt, quibus ad nominis ſui originem majorumque adludebant illi, quorum operâ cudebantur. P. Accolejus ad agnomen ſuum adluſit, quod a larice arbore fuit deſumtum. Ex Palladii vero Lib. XII. cap. 15. docuit cl. Vaillantius, Phaëtontis ſorores a quibusdam dici in larices arbores mutatas fuiſſe; erant autem plurimæ circa Padum. Exhibentur itaque hic Phaëtontis ſorores, materque earumdem Clymene, cujus caput in priore parte cernitur. Ipſe Lariſcolus creditur a Julio Cæſare civitate donatus fuiſſe, & conſtitutus ab eodem triumvir monetalis.

ACILIA.

TAB. I.

Caput Æſculapii laureatum; in altera parte baculo involutus ſerpens, cum inſcriptione hac *Manius* ACILI*us*.

Acilios antiquiſſimis temporibus reſp. Rom. novit; & ante Punica bella, quibus pondera nummorum imminuta ſunt, æreum hunc cuſum fuiſſe judicant eruditi, quia antiquum ſervat pondus. Sed ad quem Acilium, qui ex inſcriptione Manii habuiſſe prænomen cognoſcitur, pertineat, incertum eſt. Typus utriusque partis ad nominis etymologiam ſpectat.

II.

Caput Jani bifrontis laureatum.

Manius ACILI*us* *Quæſtor*. in laurea.

Æreum hunc nummum adſignant Manio Acilio, Lucii filio, Glabrioni, qui in quæſtura ſua hunc cudit anno V. C. DXL. quum poſt Cannenſem cladem argenti magna eſſet penuria. Fuit idem Acilius triennio poſt inter legatos Alexandriam ad Ptolemæum regem miſſos. Typum utriusque partis ad communem iſtis temporibus monetam refero; Janus ſolitus in vulgari moneta typus eſt, in cujus poſteriori parte quidem paſſim navis cernitur, ſed interdum quoque corona, quæ hic eſt laurea, ut in familia Axſia, Bæbia aliisque, cujus apud antiquos illi quoque inventum tribuitur; niſi velimus dicere ſignatam lauream, quod jam ſub conſulis Fabii auſpiciis reſpirans reſp. de triumphis haud deſperaret, recepta Arpi colonia, Annibale deſide in Tarentino agro; atque Conſentinis & Terinæis, qui in Bruttiis erant, ad fidem pop. Rom. redeuntibus. Putat tamen Vaillantius, ut peculiare numen in hoc nummo Janum ſignatum fuiſſe, his verbis: *Sed Manius Aburius illum tamquam peculiare numen ſignare videtur.* Ubi reponi debet *Manius Acilius*, qualia innumera ſunt in contaminatiſſima editione, ad cujus opem largam erratorum meſſem auctor transmiſerat, ſed cujus tamen nullam rationem habendam cenſuerunt editores. Peculiare vero numen Aciliorum *Æſculapius* fuit.

III.

SALVTIS. Caput Deæ Salutis, laurea ornatum.

Ma-

FAMILIA ACILIA.

Manius ACILIVS III. VIR. VALETV*do*. Statua Hygeiæ, five mulier ftolata, ftans, dextra ferpentem ori admovens, læva columnæ innixa.

Licet patris avique nullum in hoc denario nomen appareat, ut neque cognomen aliquod, ftatuunt tamen viri docti, ad Glabriones pertinere, & ex illis ad Manii filium, Caji nepotem, cujus pater de Antiocho, Rege Syriæ, triumphavit. Quod ut credi poteft, ita literæ VALETV. merentur diligentiorem inquifitionem. Onuphrius, in Libro de Civitate Romana, novum hinc & apud fcriptores antiquos & marmora incognitum magiftratum exfculpfit, quafi *triumvir valetudinis tuendæ* hic Acilius fuerit; quem deinde plures alii funt fecuti, prout & in hac interpretatione quievit ipfe Vaillantius. At vero notari debet, in omnibus, quos habui, vidive, denariis hisce fcribi VALETV. literis indifcretis, nifi quod duæ ultimæ invicem connectantur; fi vero *valetudinis tuendæ* fignificarent, cerneretur punctum intermedium, ita, VALE. TV. uti fit in vocabulis parte fui tantum expreffis. Hinc opinor eft, quod Patinus legat III. VIR. VALETV*dinarius*, cui fcilicet (inquit) *valetudinariorum cura commiffa fit*. Explicat deinde ex fuæ regionis fuique temporis more Onuphrius, quod & tales apud *Italos* tempore peftis creari foleant, & *Domini Sanitatis* appellari. Verum ficuti inde non tutum eft ad priora longe tempora argumentari, ita placere Begero non potuit, qui caput Salutis deæ & fimulacrum Valetudinis hic rectius agnofcit Thef. Brand. II. p. 530. notatque ad nominis originem adludi. *Neque enim* (addit) *placet, quod Ill. Patinus de IIIviris Valetudinariis excogitavit*. Excogitavit vero *Onuphrius*, probavit *Patinus*. Supereft itaque ut III. VIR. agnofcatur Acilius ædibus facris reficiendis, quæ dignitas antiquis reip. temporibus jam floruit, uti docuit Ill. Spanh. Tom. II. p. 14. & 15. atque illuftravit ex denario gentis Alfiniæ, qui infra inter Goltzianos cernitur, aliisque fimilibus. Valetudinis vero & Salutis ædium curam ad Acilios pertinuiffe colligit etiam ex Plinii loco, fuppeditato fibi ab ipfo noftro Morellio. Scribit vero Plinius lib. XXIX. cap. 1. Archagatho medico quondam & jus Quiritium fuiffe datum, *& tabernam in compito Acilio emtam ob id publice*. Quod compitum Acilium non longe ab his ædibus abfuiffe videtur.

IV.

BALBVS. ROMA. Caput Romæ galea alata ornatum, in corona laurea.

Manius ACILI*us*. Jupiter in citis quadrigis, dextra fulmen, læva fceptrum, aurigante Victoria, fub equorum pedibus rota vifitur.

Convenit denarii hujus pictura Morelliana cum ipfis nummis, quales fatis multi vifuntur. Longius vero abeunt delineationes Vaillantii, Patini, Urfini, Goltzii, qui alienam ab ipfo denario faciem dederunt. In iis enim Martis eft pictura pro Jove, isque retrofpiciens dextram elevat; quod clarum eft proveniffe ex nummi quo ufi funt detritione, vel oculorum errore. Rotam quoque illi a prioribus equorum pedibus ad ipfum currum retrahunt, qui tamen in meo & aliis ftudiofe ibi, ubi depinxit Morellius, locatur.

Ex Balborum in Acilia gente familia hic occurrit Manius Acilius, qui, fecundum vulgarem antiquariorum fententiam, Manii fuit filius, nepos Lucii. Patris exemplo ad honores & confulatum quoque pervenit, cudit vero hunc nummum in quæftura, quæ illi obtigit anno V. C. DCXXIII. confulibus C. Claudio Pulchro, & M. Perperna, in ipfa urbe Roma, ut infcriptio indicat. Patris fui triumphum aliquem repræfentare credidit Vaillantius, & figuram de Marte vel ipfo Balbo interpretatur; fed fallitur. Jovis enim Capitolini honos celebratur, in cujus videlicet gremio lauream, qualis Romæ in anteriori parte caput ambit, triumphantes reponebant; quo allufit Statius Sylvar. IV. 1, 40.

Reftat Bactra novis, reftat Babylona tributis
Frenari; nondum gremio Jovis Indica laurus,
Non.'um Arabes, Seresque rogant.

Qui ibi Lucanum fuum habuit ante oculos, lib. I. 10.

Cumque fuperba foret Babylon fpolianda tropæis
Aufoniis, umbraque erraret Craffus inulta,
Bella geri placuit nullos habitura triumphos.

Supereft rota fub equorum pedibus; quæ quidem nullo modo ad currum pertinere poteft, neque retrahi debet; fi tamen rota eft: accuratius enim contemplanti, quem ipfe fervo, denarium, clypeus (ut ex appicta nummo figura patet) effe videtur; qui quidem temere ab interpretibus neglectus, veram forte fignandi denarii occafionem aperire poterit. Fuit clypeus Macedoniæ folitum infigne, quod ex gentis ejus argenteis æreisque nummis abunde patet; unde Cæcilii Metelli, a devicta ifta provincia Macedonici dicti, denarii, clypeum quoque laureæ inclufum exhibent; ut in familia Cæcilia videri poteft. Legitur quidem A. V. C. DCIII. quo conful fuit Manius Acilius, hujus pater, fugiffe ex urbe Andrifcus quidam, qui a Macedonibus receptus Philippum fe nominavit, & grave bellum Romanis movit; verum ifte Pfeudophilippus biennio demum poft a Metello eft victus, neque Acilio quidquam cum illo vel cum Macedonia fuit. Itaque fufpicor Acilium illum A. V. C. DLXXXV. quæftura fuiffe functum fub confule Paullo Æmilio, qui eodem anno, debellato ultimo Macedoniæ rege Perfeo, provinciam fecit Macedoniam. Unde jam triumphum Macedonicum agnofco, & debellati Perfei monumentum, fubjecta Romanorum violentiæ Macedonia, ficuti in hoc denario a quadriga Jovis Triumphatoris, aurigante Victoria, proteritur clypeus Macedonicus.

Quæ omnia inferunt, non ad Manii Acilii filium, fed ad patrem Manium Acilium Balbum, qui tredecim annis poft Paulli Æmilii victoriam Macedonicam & ipfe ad Confulatum pervenit, referri debere hunc ipfum denarium, ut ab illo, tum quæftore, percuffum; unde fimpliciter Manius dicitur, quum fi filius foret, infcriberetur *Manius* ACILI*us Manii Filius*.

V.

Manius ACILIVS *Manii Filius* In circulo. Romæ caput galea alata decorum.

ROMA. Quadrigæ lente procedentes, in quibus Jupiter Feretrius, nudus, dextra tenens clavam vel fceptrum, læva tropæum. Notandum eft, quod, neglecta lineola, M. legatur in Denariis, i. e. *Marcus*, pro M'. *Manius*, Ex Aciliis enim nullus Marci nomine infignitus invenitur, fed Manios paffim fe vocarunt.

Pertinet hic denarius ad Manium Acilium Glabrionem, cujus alter denarius inter Goltzianos invenitur infra in calce libri Tab. I. Num. I. Hic fuit filius Manii Acilii Glabrionis, qui Antiochum, regem Syriæ, devicit, atque inde magni-

gnificum triumphum meruit, descriptum a Livio lib. XXXVII. cap. 46. ubi cum inter alia pompæ fercula vestem magnificam quoque enumeret, eandem tanquam opimum spolium Jovi Feretrio dicatam hic considerat Vaillantius.

VI.

Caput Herculis in leonis exuviis, inberbe, retro tres notæ sunt.

Manius ACILI*us*. ROMA. Prora navis.

A quo Acilio nummus hic æreus signatus sit, non liquet. Ante Punica bella Romæ cusum pondus ejusdem indicat. Quadrantem esse denotant tria illa utrimque puncta.

VII.

Caput Æsculapii laureatum.

Manius ACILI*us*. Serpens Epidaurius baculo involutus.

Similis inscriptione & typo est illi, quem habuimus superius num. I. verum pondere & magnitudine superat, nec alibi quam in Morellianis hisce schedis invenitur.

Litera A.

(*Hæc signatura per literas ubi invenitur, semper indicat, Nummos istos additos Operi suo esse a Morellio, quod in Patinianis & Ursinianis non invenirentur.*)

Manius ACILIVS GLABRIO PRO CO*n*S*ule*. Capita adversa, Tiberii sine laurea, & Liviæ.

IMP*erator* CAESAR DIVI F*ilius*, AVGVST*us*, CO*n*S*ul* IX. Caput Augusti nudum, cui a fronte Victoria volitans dextra corollam inponit, læva palmam tenens. Numisma hoc nusquam nisi in schedis hisce Morellianis observavi.

Patet ex inscriptione tempus, quo cusus est nummus, ex Acilii nomine etiam locus. Tempus refertur ad IX. consulatum Augusti, qui incidit in annum ab V. C. DCCXXIX. vel DCCXXVIII. ut alii numerant, ante natum Servatorem XXIV. vel XXIII. quo una cum M. Junio Silano consul IX. fuit Augustus. Manius Acilius vero in insigni hoc numismate gratulatur Augusto victorias, quas hoc anno per Varronem de Salassis, per Antistium de Asturibus & Cantabris, atque de Germanis per M. Vinicium adeptus erat; ac simul Liviæ atque Tiberii provide gratiam captat. Cognoscitur autem ex nummo hoc Manius Acilius, isto anno magistratum habuisse proconsularem, & quidem (ut opinor) in Sicilia; ibi enim cum proconsulari imperio fuerat duobus de viginti annis ante, Legatus item Julii Cæsaris, Orico in Epiro præfuerat, dum Cæsar Pompejum Dyrrachii obsidebat; ejusque mentionem ipse Cæsar facit lib. III. de Bello Civili §. XIII. ubi de Orici per Pompejanos obsidione loquitur. *Loquuntur ambo* (Libo & Bibulus) *ex navibus cum M'. Acilio & Statio Murco Legatis; quorum alter oppidi muris, alter præsidiis terrestribus præerat.* & §. XIV. *Ibi* (Cæsar) *ab Acilio certior & Murco per literas factus de postulatis Libonis & Bibuli.* Exstant quoque Ciceronis ad eundem epistolæ.

Vaillantius ex Patino profert hujus itidem Acilii Glabrionis in Hispania cusum nummum, qui ibi PROPR. sive Proprætore dicitur; in quo ab altera parte Julii Cæsaris est caput, ab altera, Liviæ & Augusti adversæ cernuntur facies; ita Acilius noster Cæsari Augusto & per patrem & per filii adoptivi uxorisque facies & honores adulari voluit. Citat insuper ibidem visum hunc a se nummum, quem tamen in ære non expressit.

Litera B.

Caput Æsculapii cum litera S. quæ erat ponderis nota, videlicet semissis; dicitur vero semis quasi semias, id est dimidium assis, teste Varrone de L. L. IV. 36. neque tamen tantundem æreus hic nummus pendet, quod sæpius pro ratione ærarii imminuta fuerint pondera; est enim unciali tantum pondere, qua forma, pressi inopia, Annibalis tempore cudere Romani semisses cœperunt, Q. Fabio Maximo dictatore A. V. C. DXXXVI. quum jam ante per gradus aliquot pondus usque ad duas uncias imminutum fuisset.

Ab altera parte repetitur eadem nota S. & depingitur prora navis, cum inscriptione *Manius* ACILI*us*.

Revocat hunc nummum, qui primus edidit, Vaillantius, ad Manium Acilium, Lucii filium, qui una cum M. Attilio legationem obiit ad Ægypti reges Ptolemæum IV. sive Philopatorem, & Cleopatram, A. V. C. DXLIII. postquam tribus ante annis quæstura functus fuisset, in qua hunc nummum una cum illo qui II. ordine est, cudisse videtur.

Litera C.

Manius ACILIVS II. VIR QVI . . . . Instrumenta Pontificalia; patera, guttus, & lituus.

Lucius IVNIVS II. VIR QVI . . . . Aquila respiciens, expansis alis fulmini insistit. In utraque nummi parte (nunc primum a Morellio vulgati) deficit postrema pars ultimæ vocis, quæ mihi ita supplenda videtur QVINQV*ennalis* ITER*um*. nisi pro ITER. exstiterit Urbis nomen.

Manius hic Acilius una cum Lucio Junio in aliqua Romanorum colonia hunc nummum cudit, dum una duumviri quinquennales essent. Apud illum enim magistratum jus erat in coloniis cudendæ monetæ, templorum, viarum &c. ut docuit Vaillantius in libro præstantiss. de Coloniis Tom. I. p. 39, 40, & 53.

Incertum est, quinam sint illi duumviri quinquennales Manius Acilius & Lucius Junius; nec magis de colonia, in qua signatus sit nummus, constat. Verum si conjecturæ locus, Carthagini Novæ vel Illici in Hispania adsignandus mihi videtur. Utriusque enim coloniæ nummos cum duobus duumvirorum quinquennalium aliorum nominibus invenias apud Vaillantium in laudato opere p. 39. & 53. inque ipso nummo superest satis amplum spatium, ut conjicere possimus illic exstitisse V. I. N. K. quæ integre leguntur *Victrix Julia Nova Karthago*; vel C. I. IL. A. quæ integre sunt *Colonia Immunis Illice Augusta*. Lubentius autem *Illici* adjudico, quæ fuit Hispaniæ Tarraconensis urbs, cognita per sinum suum, qui inde Illicitani nomen juxta Melam II. 6. & Plinium III. 3. accepit: atque per deductam sub Augusto coloniam, a quo & immunitatem accepit, & inde nomen Augustæ adsumsit. Et ita hic Acilius agnoscitur esse ex Glabrionum familia, idemque qui proprætore pariter in Hispania cudit nummum cum capitibus Julii Cæsaris hinc, inde Augusti & Liviæ, apud Patinum & Vaillantium, & pro-

con-

consule in Sicilia illum, qui exstat superius modo lit. A.

Invento forsan Acilio, quæramus alterum duumvirum, L. Junium. Is, ut coævus Acilii, optime potest esse Lucius ille Junius Patietus, qui Julio Cæsari in bello Hispaniensi adhæsit, cujusque mentio fit in Cæsaris sive Hirtii libro de Bello Hispaniensi cap. III. *Cæsar eam civitatem* (Uliam) *omni tempore optime de populo Romano meritam esse sciens*, XI. *cohortes secunda vigilia jubet proficisci, parique equites numero; quibus præfecit hominem ejus provinciæ notum, & non parum scientem, L. Julium Patiecum.* Ubi duo observari debent, primo scribendum esse ex Nummo hoc *L. Junium Patietum*, nam & Codices quidam Cæsaris pro *Julio* appellant quoque *Junium*, sicuti *Patietus* non *Patiecus* quoque hoc nomen scribitur apud Ciceronem lib. XII. ad Atticum ep. II. *Pompejum non comparere, nec in Balearibus omnino fuisse, ut Patietus adfirmat.* Secundo confirmari opinionem nostram, qua Hispanæ coloniæ hunc nummum adsignamus; quoniam in illis Hirtii verbis dicitur Cæsar auxiliaribus illis copiis præfecisse hunc Patietum, ut *hominem ejus provinciæ notum, & non parum scientem.* Ut mirum videri non debeat, si ab Augusto postea, cujus partibus porro adhæsisse videtur, una cum Acilio Glabrione in terram jam ante sibi perspectissimam missus fuerit. Memoratur & Ciceroni quidam Patiscus, qui non videtur cum hoc debere confundi, lib. XII. ep. 9. & XII. Epist. 15. ille enim Pompejanorum adhæsit factioni, & de cæde Cæsaris etiam gloriabatur; quare ut diversus ab illo rursus Patietus memoratur lib. Ep. VI. ep. 18. *De Hispanis novi nihil; magnum tamen exercitum Pompejum habere constat. Nam Cæsar ipse ad nos misit exemplum Patieci* (scribe *Patieti*) *literarum, in quo erat, illi undecim esse legiones.* Ubi iterum Hispaniæ fit mentio, & Hispanum hominem fuisse conjicit Paullus Manutius civitate a Cæsare donatum, quum etiam hodieque *Pacieco* sive *Patieco* inter nobilia Hispanorum sit nomina.

Typum ita interpretor. Aquilam fulmini insistentem, Romanam coloniam, populique potentiam designare; sacrorum instrumenta declarare penes hos duumviros quinquennales sacrorum quoque fuisse curam.

TAB. II. Num. I.

ΓΑΙΟΝ ΚΑΙΣΑΡΑ ΓΕΡΜΑΝΙΚΟΝ ΕΠΙ ΑΟΥΙΟΛΑ. *i. e. Cajum Germanicum Cæsarem sub Aviola.* Caji Cæsaris caput laureatum.

ΓΕΡΜΑΝΙΚΟΝ ΑΓΡΙΠΠΕΙΝΑΝ ΣΜΥΡΝΑΙΩΝ ΜΗΝΟΦΑΝΗΣ. i. e. *Germanicum, Agrippinam, Smyrnæorum Menophanes* scil. Prætor colit. Ut integer sensus sit, *Germanicum & Agrippinam, atque Cajum Germanicum colit prætor Menophanes, sub proconsule Smyrneorum Aviola.* Capita Germanici & Agrippinæ conjugis adversa.

Præstantissimi hujus Nummi mentio fit apud Vaillantium inter Impp. Numismata Græca p. 11. ut tum temporis exstantis in thesauro D. Foucault. Cujus quidem gaza quum ad serenissimi ducis Parmensis opulentissimum museum pervenerit, uti ex cl. ejusdem nunc editore Pioveno accepi, tamen inter Parmenses Nummos non vulgavit primus editor Paullus Pedrusius. Transierat forte tum ad Museum Regium, sicut inde depictum a Morellio invenies Tom. II. inter Germanici & Agrippinæ numismata num. 23. & 24. Morellii cura certe hic primus ejus conspectus datur. Et nos duos possidemus; prior huic plane similis est, & secundi quoque moduli; alter minor est paullo, Smyrnæque urbis nomen, non per Σ. vel C. sed per Z. scribit, uti sæpius in scriptura harum literarum hæc urbs variare solet.

Smyrnæi, pluribus in populum Romanum beneficiis noti, mactati inde & templi, quod Tiberio & Senatui a Communi Asiæ erat destinatum, apud Tacitum Annal. IV. 55. 56. honore, in quo reliquis Asiæ, quæ idem ambierant, civitatibus erant prælati, Tiberium, ejusque stirpem enixe coluerunt. Accedebat Germanici gratissima in Orientis hac parte memoria. Evecto itaque ad imperium Caligula, ipsum parentesque ejus expresserunt in hoc nummo, qui cura Prætoris Menophanis cujusdam, proconsulatum gerente Aviola, prodiit.

Aviola hic, ratione temporum potest esse filius Acilii Aviolæ, viri clarissimi & consularis, cujus miserum fatum a Plinio & Valerio Maximo commemoratur, quod videlicet vivus in rogo fuerit exustus, quum ibidem pro mortuo compositus, revixisset; adeoque frater forsitan fuit natu major, vel pater potius istius Acilii Aviolæ, quo consule postea mortuus narratur Claudius apud Sueton. cap. XLV. quique & ipse in paullo post sequentibus nummis Asiæ proconsulatum obtinuisse dicitur.

II.

ΓΑΙΟΝ ΚΑΙΣΑΡΑ ΓΕΡΜΑΝΙΚΟΝ ΕΠΙ ΑΟΥΙΟΛΑ. *Cajum Cæsarem Germanicum, sub Aviola* Proconsule. Caput Caji laureatum.

ΔΡΟΥΣΙΛΛΑ (scribendum esse ΔΡΟΥΣΙΛΛΑΝ patet ex nummo *Haymiano* Thes. Brit. Tab. III. Num. 2.) ΣΜΥΡΝΑΙΩΝ ΜΗΝΟΦΑΝΗΣ. *Drusillam Smyrnensium* Prætor *Menophanes* colit. Ceres sedens, dextra spicas cum papavere, læva hastam tenet.

Habemus hic Acilium proconsulem Romanum & Menophanem Smyrnensem Prætorem. Drusillam illi, Cajo, ex sororibus maxime dilectam, hoc typo tanquam alteram Cererem honorarunt. Si de tempore proconsulatus Aviolæ constaret, sciremus, utrum blanditi fuerint Smyrnæi imperatori Romano per typum hunc, qui frequens est in principum fœminarum nummis; an vero, ut belluæ jam & furenti adulantes, divinas in Drusillam contulerint honores: id quod ex sequenti nummo colligi posse videtur.

III.

ΓΑΙΟΝ ΚΑΙΣΑΡΑ ΕΠΙ ΑΟΥΙΟΛΑ. *Cajum Cæsarem sub Aviola* proconsule. Caput *Caji* laureatum.

ΣΜΥΡΝΑΙΩΝ ΜΗΝΟΦΑΝΗΣ. Victoria gradiens, dextra lauream, læva palmam super humeros tenens.

Nummulus hic, quem & ipse ex ære admodum minuto plus semel possideo, docet gratulatos sub Aviola fuisse Smyrnenses imperatori victoriam Britannicam; unde colligere licet, præfuisse Smyrnæis atque Asiæ nostrum Aviolam A. V. C. DCCXCIII. A. N. C. XL. Quando vero in urbe Roma honores gesserit, non constat.

IV.

ΝΕΡΩΝ ΚΑΙΣΑΡ. *Nero Cæsar.* Caput Neronis laureatum.

Εφεσίων ΝΕΩΚΟΡΩΝ ΑΙΧΜΟΚΛΗ ΑΟΥΙΟΛΑ ΑΝΘΥΠΑΤΩ. Templum Dianæ Ephesiæ, quod quatuor a fronte, & totidem a latere habet columnas. Inscriptionem sic Latine reddidit Vaill. p. 16. in Neronis Nummis. *Æchmocli Aviolæ Proconsuli Ephe-*

Ephesiorum; sed rectius Haymius, qui inf. sextum nummum habet Thes. Brit. II. Tab. IV. Num. 7. *Aviolæ Proconsuli Æchmocles*, ut ita videlicet prætor indicetur Ephesiorum, qui ex nomine cognoscitur Græcus fuisse, Æchmocles, sicuti superius Menophanes Smyrnæorum. Omnes enim Aviolæ ex gente Acilia fuerunt. Et hic quidem diversus est a superiore, ut qui Poppææ amoribus implicato Nerone, proconsulatum Asiæ obtinuit, circiter annum V. C. DCCCXV. a N. C. LXII. vel paullo post, adeoque plus viginti annis post superiorem Aviolam. Unde credo hunc esse M. seu potius Manium Acilium Aviolam, qui consul fuit cum Q. Asinio Marcello A. V. C. DCCCVII. N. Ch. LIV. qui decennio circiter post cum proconsulari imperio in Asiam missus videtur; & ad quem duos sequentes quoque nummos refero. Filius forte superioris Aviolæ, atque ejus qui vivus in rogo combustus fuit nepos. Propagavit autem Aciliorum ex gente familia Aviola suos honores ad Gordianum usque in posteritate sua.

V.

ΝΕΡΩΝ. ΠΟΠΠΑΙΑ. *Nero. Poppæa.* Capita adversa Neronis, laureatum, & Poppææ, juxta temporis istius morem comtum.

ΑΙΧΜΟΚΛΗ. . . . . . ΑΟΥΙΟΛΑ ΑΝΘΥΠΑΤΩ. ΡΩΜΗ. *Aichmocles Aviolæ proconsuli. Roma.* Caput muliebre turritum. Puncta quæ detritas aliquot literas significant suppleri possunt per ΕΦΕ. sive nomen civium *Ephesi*, atque literam Σ. quæ ultima est nominis proprii, quod habuit Prætor Ephesius.

Neroni hic nuptias Poppææ gratulantur *Ephesii*, & simul Romæ cultum ostentant, cujus Urbis imaginem, solito typo, capite muliebri turrito, effinxerunt, adscripto Romæ nomine, quæ videlicet, una cum Epheso largam Cæsarum progeniem ex hisce nuptiis fatebatur se exspectare.

VI.

ΝΕΡΩΝ. ΠΟΠΠΑΙΑ. *Nero. Poppæa.* Capita eadem sed conjuncta.

ΑΟΥΙΟΛΑ ΑΝΘΥΠΑΤΟΣ ΑΙΧΜΟΚΛΗΣ ΕΦΕ. *Aviola Proconsul*, *Aichmocles* Prætor *Ephesiorum.* Cervus stans.

Nummus hic solitum Ephesiis typum cervum habet, animal sacratum deæ, cujus eximium apud eosdem erat templum. Scribitur autem hic in primo casu utriusque magistratus nomen.

AEBVTIA.

Gens Æbutia, quæ perperam per *e* simplex, *Ebutia*, scribitur apud Glandorpium & alios, reip. temporibus in patricios & plebejos divisa fuit. Patricia familia *Helvæ* cognomen habuit, ex qua cognoscuntur T. Æbutius Helva T. F. consul A. V. C. CCLV. & L. Æbutius Helva, consul A. V. C. CCXCI. item alia cognomen Cornicinis. Agnoscitur enim Postumius Æbutius Cornicen, consul A. V. C. CCCXIII. qui post etiam dictatori Q. Servilio, in bello Fidenate magister equitum fuit. Plebeja autem familia *Cari* cognomen habet, ut docet tribunatus plebis, quem bis gessit quidam C. Æbutius Carus. Ad quam familiam plebejam hi nummi spectare videntur, nisi ad libertinos referre placet.

I.

AVGVSTVS. CORINT*hus* Caput Augusti nudum.

Publio AEBVTIO *Caio* IVLIO HERAC*lide* II. VIR*is* QVI*nquennalibus* ITER*um.* in corona ex lauro.

Corinthus colonia Romana facta, ut reliquæ coloniæ magistratus suos habuit, qui dicebantur *duumviri*, quique annuum, ut *Romæ* consules, habebant magistratum, & *duumviri quinquennales*, qui singulis quinque annis censoria potestate creabantur; quique, si secundo illum honorem adipiscerentur, dicebantur *quinquennales iterum.* posterioresque, ubi magistratu exiissent, *quinquennalitii*, ut scribit Vaillantius de Coloniis I. p. 9. Idem pag. 44. ita scriptum reliquit: *Similem* (huic) *nummum sub iisdem duumviris quinquennalibus iterum in M. Antonii honorem percussum vulgavimus*; *unde Corinthii Augusto simul & Antonio, concordi animo agentibus, nummos suos dedicasse videntur, sub Æbutio, & Julio Heraclide iterum creatis.* Quibus verbis patet respici ad illos nummos, qui hic occurrunt num. I. & II. Sed quæso, quomodo Augusto simul & Antonio nummos hos dedicare potuerunt Corinthii? Fuit quidem tempus, quum concordi animo viderentur esse Cæsar & Antonius, verum is Cæsar, qui Augusti tunc nondum nomen adsumserat; quod demum delatum illi fuit, quum solus adeptus plenam potestatem esset, post necem Antonii A. V. C. DCCXXVII. occiso Antonio A. V. C. DCCXXIV. jamque anno DCCXXII. palam rupta fuerat eorundem amicitia. Ex quibus colligo A. V. C. DCCXXIII. Æbutium hunc atque Julium Heraclium, vel Heraclidem, vel forte Heracleonem, creatos fuisse duumviros quinquennales iterum, quo videlicet anno in honorem Antonii, nummum sequentem num. II. cuderunt, inque honorem potius Antonii quam Cæsaris tum nummos cudisse, quod Græciæ iste tractus cum universa Asia obtigisset Antonio, pactione inter illum atque Cæsarem inita. At vero quum afflictæ Antonii res essent, ipse e medio sublatus, & solus rerum potiretur Cæsar, quid mirum, quod captare ejus gratiam quoque voluerint hi duumviri quinquennales, atque, antequam magistratu suo abirent, anno V. C. DCCXXVII. gratulatos fuisse Cæsari urbis Corinthi nomine novum amplumque Augusti cognomen?

II.

CORINT*hus.* Caput Marci Antonii nudum.

Publio AEBVTIO *Caio* IVLIO HERA*Clide* II. VIR*is* QVI*nquennalibus* ITER*um.* in corona ex lauro.

Anno V. C. DCCXXIII. videtur cusus in colonia Corintho hic Nummus. Vide quæ ad num. I. diximus.

III.

CORINT*hus* Caput M. Antonii nudum.

Lucio AEBVTIO *Caio* PINNIO II. VI*Ris.* Rostrum navis.

Habuimus modo nomina magistratuum in coloniis quinquennalium, qui dicebantur *duumviri quinquennales*; hic habemus honorem alterum, atque primarium, eorum qui *duumviri* tantum dicebantur, erantque ii duumviri in coloniis, quales Romæ consules. Itaque L. Æbutius quidam, atque C. Pinnius duumviri Corinthii memorantur in hoc nummo, sicuti in sequenti P. Alitius & L. Menius, qui videntur A. V. C. DCCXXII. & DCCXXIII. duumviratum in urbe Corintho gessisse, quum videlicet, sublato Sexto Pompejo, Corinthus cum Achaja accessisset Antonio.

IV. TI-

IV.

TI*berius* CAESAR DIVI AVG*usti Filius* AVGVSTVS. Tiberii caput laureatum.

SEX*tus* AEBVTIVS. *Lucius* LVCRETIVS II. VIR*i*. *Colonia Cæsarea Augusta*. Aquila legionaria inter duo signa militaria.

Meminit Cicero cujusdam Sexti Æbutii, hominis nefarii & impudentis, qui Aulum Cecinam, quem idem Cicero defendit, accusavit. Filium ejus judicat Vaillantius fuisse Sextum hunc Æbutium, qui una cum Lucretio quodam duumviratum gessit Cæsaraugustæ, quæ colonia Hispaniæ Tarraconensis colligitur ex veteranis olim deducta fuisse propter typum aquilæ legionariæ & signorum militarium.

AELIA.

Æliam, gentem plebejam, ita dictam volunt, quod *Ailii* olim dicerentur, quibus duæ nupsissent sorores. *Allios* eosdem dictos putant quidam a cultu alliorum; ego potius puto legisse illos ALLIVS quum ex comprehensis una literis per compendium scribendi, familiare in denariis, legere debuissent AILLIVS. i. e. AELIVS.

Cognoscuntur in nummis *Pæti*, *Lamiæ*, forsan etiam *Balatrones*, apud Goltzium quoque *Tuberones* & *Cati*.

I.

Quintus AELIUS, *Lucii Filius*, LAMIA, III. VIR. *Auro*, *Argento*, *Aere Flando*, *Feriundo*. in area S. C.

OB CIVIS SERVATOS. Quercea inter duos lauri ramos. Hic nummus una cum sequente ad eundem Lamiam, triumvirum monetalem pertinet.

II.

Quintus AELIUS LAMIA, III. VIR. *Auro*, *Argento*, *Aere*, *Flando*, *Feriundo*. in area est S. C.

AVGVSTVS TRIBVNIC*ia* POTEST*ate*. in quercea.

Quintus Ælius Lamia cognoscitur ex priore nummo Lucii fuisse filius, quem statuunt Antiquarii fuisse filium L. Ælii Lamiæ, summi Ciceronis amici, & ob eam causam Clodianis temporibus adflicti. Notus est triumvirorum monetalium sub Augusto magistratus, unus videlicet ex minoribus, qui quidem a Julio numero erat auctus, ita ut IV. VIRI essent monetales, sed ab Augusto ad triumviros redactus. Hi magistratus ex senatus consulto, quod passim per S. C. exprimitur, æreos nummos percutiebant. Hoc enim jus quoque inter imaginariæ libertatis jura, Augustus ejusque successores senatui reliquerunt, usque ad Gallieni tempora; unde tot nummi ærei, qui literas S. C. exhibent.

Corona quercea atque rami laurei designant honorem Cæsari Augusto a senatu habitum, & decretum illud quod exstat apud Dionem lib. LIII. quod elegantissimo carmine discripsit Ovid. III. Trist. El. I. ubi versu 35.

An Iovis hæc, dixi, domus est? quod ut esse putarem,
Augurium menti querna corona dabat.

Dein versu 39.

Cur tamen adposita velatur janua lauro?
Cingit & augustas arbor opaca fores?

Reddit causam versu 45.

Utque viret semper laurus, nec fraude caducâ
Carpitur, æternum sic habet illa decus
Caussa superpositæ scripto testata coronæ,
Servatos cives indicat hujus ope.

Unde & in Fastis IV. 959.

State Palatinæ laurus, prætextaque quercu
Stet domus.

Agnoscimus autem in primo nummo votum Apollinis apud Ovid. Metam. I. 563.

Postibus Augustis eadem fidissima custos,
Ante fores stabis, mediamque tuebere quercum.

III.

LAMIA. SILIVS. ANNIVS. Dextræ junctæ tenentes caduceum.

III. VIR*i* *Auro Argento Aere Flando Feriundo*. in area S. C.

Habuimus modo unum ex triumviris monetalibus, hic tres simul habemus. Solebant enim vel unum, vel duo, vel tria horum triumvirorum nomina in hisce nummis exprimi. Lamia hic ille Lucius Ælius, Lucii filius est, de quo superius; Silius & Annius ad Siliorum Anniorumque gentem pertinent. Typus pacem firmatam sub Augusto, ejusque cum senatu concordiam significat.

IV.

Epigraphe eadem cum nota S. C. & ab altera parte signa pontificalia, simpulum scilicet & lituus.

Honores a senatu decretos nummi I. & II. indicant, felicitatem temporum III. quarto autem hoc Pontificatum Augusto gratulantur triumviri monetales, quem recepit mortuo Lepido, anno DCCXLI. unde patet tempus quo cusi hi nummi sunt, quoque magistratus est ab iis gestus.

V.

Caput Romæ galeatum.

Publius PAETVS. Vox ROMA denotat Romæ cusam monetam. Dioscuri in equis hastati & pileati cum stellis, frequens & solita priscorum denariorum moneta est.

Spectat hic denarius ad Publium Ælium Pætum, qui consul fuit cum Cn. Cornelio Lentulo A. V. C. DLII. cumque ei provincia Gallia obtigisset, Bojorum ibi fines est populatus, & fœdus fecit cum Liguribus Ingaunis, deinde Romam reversus est.

VI.

Caput Romæ.

Caius AiL*ius*. ROMA. Dioscuri, ut supra. Romæ signatus nummus. Scribitur autem AL. pro AIL. quum recta linea literæ L. vicem literæ I. pariter præstet; unde & in sequentibus C. ALLI. integre est C. AILLII. ubi duæ literæ L. L. totidem I. I. secum copulatas habent.

Hunc denarium ex typo Dioscurorum, quo jam inde a pugna dictatoris Postumii ad lacum Regillensem valde familiaris fuit, colligimus valde esse vetustum, unde & simplicitatem pristini temporis redolet. Existimat inde cusum Vaillantius a quodam Ælio, annis quinque ante bellum Punicum primum, filio vel fratris filio Caji Ælii Pæti, qui A. CCCCLVIII. Consul fuit cum M. Valerio Potito Maximo, quique primus Pæti cognomen in familiam suam intulit.

VII. usque ad XXIII.

Junonis Lucinæ (secundum Vaillantium) caput, quæ & Diana dicitur & Lucina. adscribitur BALA & litera C.

Caius ALL*ius* seu *Caius* AILL*ius* ut anti-

tiquitus efferri solebat. Lucina, sive Diana, in cervarum biga, utraque manu facem gestat, pharetra ab humeris pendula, subtus spica est; omnia in corona laurea.

Putat Vaillantius hunc Ælium eundem esse cum superiore; mihi non videtur. Typus enim minus est simplex, unde posterioribus temporibus cusus videtur; sed & peculiari præterea cognomine distinguitur. Difficile quidem investigari illud potest, quoniam priores literæ BALA. multas admittere possunt conjecturas, sed tamen illam Vaillantii probare nequeo, qui putat Ælium *Balarum* fuisse dictum, id est *exulem*, quoniam scilicet, ex testimonio Pausaniæ, Corsi populi lingua sua exules *balares* appellent. Sed recte dicit idem Vaillantius, id se potius quam nihil adferre. Quare supponit exsulasse ibi, atque revocatum ex exsilio, cognomen inde traxisse, idque confirmari putat litera C. quasi *Corsicus*. ut ita Ælius dictus fuerit *Balarus* & *Corsicus*. Cadit hæc opinio, quonia litera C. nota monetarii est, pariter, ut in sequentibus A. E. F. H. &c. Reliqua vero commenta felicis sunt ingenii, ut conjectura de litera C. quasi *Corsicus*, iis fulciretur. Sed & in fine notæ suæ jam cespitat idem Vaillantius scribitque: *Spicis autem, & Cereris, Saturnique imaginibus magistratus, qui annonam curabat, in denariis uti consuevit: ideo forte litera C. in anteriori parte Curator est.*

Malim ego cognomen Latinum, quam ex Corsica arcessitum. BALA. itaque integre forsitan est BALATRO. Tradit autem Festus, antiquitus *balatrones* dictas fuisse *bullas luti ex itineribus: aut quod de calceamentorum soleis eraditur.* Quod cognomen cum simplicitate priscorum Romanorum convenit; licet postea in convicium abierit.

Atque ita inventi forent *Ælii Balatrones*, sicuti *Pæti*, *Cati*, *Tuberones* & *Lamiæ*. Si vero diversi hi à Pætorum familia, cadit pariter conjectura ejusdem Vaillantii, qui Junonem Lucinam in aversa parte, in curru a cervis tracto, depingi existimat, ita dictam, quod oculis præsit, & Pætos, utpote ab oculorum vitio dictos, a cultu hujus Deæ, suæ familiæ proprio, hunc ejus signasse typum.

Multa contra hanc opinionem adferri possunt, verum satis erit, si agnoscamus distinctam a Balatronibus fuisse Pætorum familiam; neque enim Pompeji Strabones, ab oculorum pariter vitio dicti, Lucinam in nummis advocarunt, neque alii. In aversa itaque parte agnosco Dianam Luciferam; adeo ut Ælius hic ædilis curulis fuerit, & Dianæ curaverit sacra. Caput autem quod in anteriori parte est, ad Junonem Monetam refero, quæ crebro in denariis exprimi solet, & cujus varias officinas cudendæ monetæ, tot variantibus in denariis hisce symbolis exprimi existimo; & in hoc quidem spica agnoscitur, in sequenti VIII. cicada. IX. litera A. & anchora. X. litera C. & pharetra clausa. XI. E. & rana. XII. litera F. & gryphus alatus. XIII. lit. H. & anchora XIV. lit. H. & pharetra. XV. lit. H. & gryphus alatus. XVI. lit. K. & scorpio. XVII. lit. K. & noctua decumbens. XVIII. lit. K. & apicula vel scarabæus. XIX. lit. O. & aratrum. XX. lit. R. & cicada. XXI. lit. R. & noctua decumbens. XXII. lit. V. & cicada. XXIII. lit. K. & anchora. Pleraque autem hæc symbola cum Diana vel Luna aut nocte aliquid commune habent, & literæ illæ alphabeticæ testantur totum Romanorum alphabetum, quacunque de caussa id factum sit, in hisce denariis expressum fuisse.

De hoc autem Cajo Ælio Balatrone antiqua monumenta silent.

XXIV.

TIberius CAESAR DIVI AVGVSTI Filius AVGVSTVS. Caput Tiberii Cæsaris laureatum.

MUNicipium AVGVSTA BILBILIS, TIBerio CAESARE QVINTum, Lucio AELIO SEIANO circa coronam querceam, in qua COnSulibus.

Bilbilis, municipium Hispaniæ Tarraconensis, hunc nummum cudit in honorem novorum Romæ consulum, rarumque eundem Sejani nomen facit: ejus Sejani, quem *suum* peculiariter appellare solitus erat Tiberius, cui pariter cum Tiberio statuæ omnibus ponebantur locis; quem cum parum abesset, ut pro sene meticuloso Cæsarem Fortuna diceret, rotato pede, unco in Tiberim trahi permisit. Dejectæ omnes statuæ, sublati honores, abolita memoria; quam tamen æreus hic servat nummus in fastigio consulatus, quem cum Tiberio gessit A. V. C. DCC LXXXIV. post N. C. XXXI. quo etiam occisus est; unde jam ultro patet annus, quo numisma hoc a Bilbilitanis cusum fuit. Servo vero & hunc, & alium rariss. in quo Sejani nomen jam Tiberii tempore scalpro erasum est.

AEMILIA.

Gens *Æmilia*, in nummis etiam *Aimilia* dicta, inter nobilissimas Patricias merito censeri potest, omnibus ornata honoribus, quibus in libera Republica frui licebat. Distincta fuit in plura cognomina; ex quibus in nummis occurrunt Bucæ, Lepidi, Paulli, Scauri; apud Goltzium etiam Barbulæ, Pappi & Regilli. Nam Bassi, Labeones, Metœci & Severi ex coloniis arcessiti, vix huc pertinere possunt.

I.

Marcus SCAVRus AEDilis CVRulis. in imo REX ARETAS. per transversum in nummi area EX S. C. Rex Arabiæ Aretas genuflexus, læva camelum stantem, clitellas in gibbo portantem, cingulo infra ventrem revinctum, capistro retinet, dextra ramum oleæ cum dependente vitta præfert.

Publius HYPSAEus AEDilis CVRulis. Cajus HYPSAEus COnSul. PREIVERnum CAPTVm. Jupiter in quadrigis, palliolo humeros tectus, cætera nudus, dextra fulmen, læva habenas equorum regens, infra scorpio est.

Begerus Thes. Brand. II. p. 531. pro clitellis coronam radiatam nobis effingit, gibbum hirsutum, Jovem vestitum toto corpore; quæ omnia sunt contra denariorum fidem, quos plures habeo, integerrimos, in quibus clare agnoscuntur clitellæ, sicuti & in Plautiæ familiæ denario, in quo Bacchius Judæus exprimitur. Camelo enim vectus rex, clitellis insedit, a quibus delapsus, & in alterum procumbens genu, ramum olivæ præfert, dependentibus vittis, quas ex fide quoque denariorum expressit Morellius, neglexerunt vero temere Ursinus, Gorlæus, Patinus & ipse Begerus.

M. Scaurus, M. Scauri, principis senatus filius, ædilis curulis cum Plautio Hypsæo A. V. C. DCXCV. fuit, atque hoc typo celebravit res quas in Oriente contra Arabas gesserat A. V. C. DCXCII.

DCXCII. quum a Pompejo, cui proquæstore in Asiatico bello atque Mithridatico aderat, rebus ibi gerendis præfectus esset. Tum enim Aretam Arabiæ Regem, Josepho teste, coegit bellum deprecari, atque trecenta talenta dare, ut ipse exercitum ex Arabia deduceret. De Plautio collega in familia Plautia videbimus. Scorpio, nota monetarii est, ut superius num. 16. in gente Ælia.

A.

Marcus SCAVR*us*. subtus AED*ilis* CVR*ulis*. per transversum, EX S*enatus* C*onsulto*. Typus idem.

P*ublius* HYPSAEVS AED*ilis* CVR*ulis* C*aius* HYPSAE*us* CO*n*S*ul* PREIV ER*no* CAPT*o*. Typus ut supra, sed sine nota monetali scorpione.

B.

In omnibus superiori similis, nisi quod monetarii nota scorpio adsit.

In omnibus hisce dependentem vittam oleæ ramus habet; & supplex rex Arabiæ Aretas exhibetur. Qui quidem ornatus negligi non debuit, cum tam luculenter describatur a Virg. Æneid. VIII. 126.

Tum regem Æneas dictis affatur amicis:
Optime Grajugenum, cui me Fortuna precari,
Et vitta comtos voluit prætendere ramos.

Ubi quidem pluribus inquirit Servius, cur vitta fuerit addita, veram autem rationem tangere non videtur. Vitta ante coronas & alia capitis tegumenta, regum erat insigne, quum nihil aliud esset quam diadema, sive fascia alba caput regis ambiens. Qui itaque pacem orabant oleam prætendebant, addentes aliquando vittas, quasi etiam regnum suum victoris arbitrio permittentes.

II.

ROMA. Caput Veneris Victricis laureatum.

MAN*ius* ÆMIL*ius* LEP*idus*, literæ autem tres LEP. sive LEΓ. cum Γ Græco, totidem fornicibus includuntur pontis, in quo erigitur statua equestris, dextra hastam longam tenens.

Consentiunt antiquarii, hic exhiberi pontem Lepidi, qui quidem in initio sublicius fuit, ita dictus, quod ex ligno esset, a sublicibus scilicet, quod peculiare fuisse Volscorum vocabulum Festi fragmenta docere velle videntur. Ex ligno lapideum fecit Æmilius quidam, quem quæstorem vocat Plutarchus in Numa p. 66. Ἡ δὲ λιθίνη πολλοῖς ὕστερον ἐξειργάσθη χρόνοις ὑπὸ Αἰμιλίου ταμιεύοντος. *Hic autem Pons Sublicius multis post* (Numæ & Anci) *temporibus ab Æmilio quæsturam gerente lapideus factus est.* Negat prodere auctores Antiquitatum Romanarum, quis hic fuerit Æmilius, in Lexico suo Pitiscus, qui si Pighium inspicere voluisset, invenisset Tom. II. p. 282. Manium Æmilium, Manii filium, Manii nepotem, in quæstura sua A. V. C. MDCLXXV. sublicium Romæ pontem ex ligneo lapideum fecisse. Unde postea modo *Pons Æmilius*, novo, modo veteri nomine *Sublicius* dictus fuit.

Fuit hic idem Manius Æmilius Lepidus (quod & notavit Vaillantius) consul cum L. Volcatio Tullo A. V. C. MDCLXXXVI. quo Cicero praetura functus fuit, & Catilinæ conjuratio semina sparsit, digresso eodem Catilina ex Africa, quam prætor obtinuerat, & petente consulatum, in quo repulsam tulit.

Superest, ut quæratur cujus statua equestris in ponte cernatur. Ad hunc ipsum Manium Lepidum ex inscriptione pertinere existimat Vaillantius; dubitat Ursinus, dum scribit, statuam equestrem illi hac de caussa, vel Lepido alicui ob rem bene gestam a Senatu decretam, ponti fuisse impositam. Ego non puto Romanos permissuros fuisse, ut quæstori tantus honos haberetur; neque aliquis ex majoribus ejus statua equestri honoratus legitur, ideoque incerta admodum & improbabilis illa conjectura est. Crediderim potius ad Ancum Marcium, quartum Romanorum regem, esse referendam, idque duabus magnis de caussis. Prior est, quod pontem sublicium ipse ille Ancus Marcius exstruxerit, qui sublicio isto ponte Janiculum montem, ultra Tiberim, ne aliquando arx hostium foret, urbi junxit; adeoque ut insignis ejusdem ampliator & defensor, in isto potissimum ponte equestrem merebatur statuam. Altera, quod statuam itidem equestrem illi erectam cernimus super Aquæductum Marcium, in denariis Familiæ Marciæ, Tab. I. Num. 1. & 2.

III.

Caput Veneris Victricis, ante quod simpulum est, Pontificatus Lepidi signum.

Marcus LEPIDVS. Statua equestris, quæ dextra manu super humeros tropæum gerit terrestre simul & navale, quod indicat prora thoraci in tropæo supposita.

Temporibus Marci Lepidi triumviri & pontificis Maximi, quatuor hi denarii cusi sunt, in quibus ille honores celebravit istius Lepidi, qui maximum decus familiæ adtulerat. Fuit is M. Lepidus, qui bis consul exstitit; pontifex maximus; censor cum M. Fulvio Nobiliore; quique missus in Ægyptum est ad tutelam Ptolomæi, regis Ægypti; princeps senatus; qui prætextatus coronam civicam meruit, vir factus, de Gallis Liguribusque triumphavit.

In hoc denario statua ejus est equestris, ipsi erecta quum anno Urbis DLXXVIII. simul, ut Varro numerat, DLXXIX. de Liguribus & Gallis triumphasset; ad Gallos tropæum terrestre spectat; ad Ligures, utpote qui littora accolebant, tropæum navale; quæ duo connectuntur in longo conto, qui in parte inferiore ferratas duas habet cuspides, ut terræ infigi possit.

Lit. C.

Caput idem Veneris Victricis; nihil additur.

Marcus LEPIDVS AN*norum* XV. PR*ætextatus* H*ostem* O*ccidit*, C*ivem* S*ervavit*. Statua eadem.

Nihil differt a superiore nisi inscriptione, de qua in sequenti videbimus.

IV.

Caput idem Veneris Victricis; hinc corona quernea, inde simpulum.

Epigraphe & typus ut supra.

In hoc denario Lepidi modo memorati decora tria magnifica describuntur totidem symbolis. Per coronam querneam, sive civicam, honorem habitum illi, quum puer quindecim annorum, ut fert inscriptio, adeoque prætextatus adhuc, hostem occidit, civem servavit. Hinc illi in Capitolio statuam bullatam & incincta prætexta Senatusconsulto positam adfirmat Valerius Maximus Lib. III. Cap. 1. Per simpulum pontificatus Maximus, qui illi obtigit DLXXIII. defuncto Cajo Servilio Gemino; per tropæum, terrestre simul & navale, victoria de Gallis & Liguribus, quamobrem, ut diximus, statua talis illi ex sena-

natusconsulto posita fuisse videtur.

Lit. D.

Caput idem Veneris Victricis cum civica & simpulo.

Marcus LEPIDVS. Statua equestris, ut supra.

Nihil hic denarius habet, quo differat a num. III. nisi quod præter simpulum civicam quoque agnoscat. Convenit autem inter antiquarios cusos hos denarios a triumviro & pontifice maximo M. Æmilio Lepido, ut renovaret illustria facta & honores proavi sui M. quoque Æmilii Lepidi.

Lit. G. *in fine tabulæ.*

Caput idem Veneris Victricis, retro palmæ ramus est.

Epigraphe & typus, ut num. IV.

Observari hic meretur palmæ ramus, quæ referri non potest ad factum ejus, quum adhuc esset prætextatus, quo civicam meruit; neque ad victoriam de Gallis & Liguribus, qua lauream. Refero itaque ad legationem, quam suscepit in Ægyptum, ubi tutor regis constitutus est, tempore quo Ægypti regno inhians, & inprimis Cœlesyriæ & Phœniciæ provinciis Antiochus, Syriæ rex, jam magnam istarum regionum partem occupaverat, imo ipsam Sidonem, post acrem obsidionem, ceperat. Symbolum vero Phœniciæ & Sidonis est palmæ ramus, neque fine auxilio & potentia Romanorum spes illas recuperandi supererat Ptolemæo.

Begerus, qui denarium protulit Thes. Brand. Tom. II. pag. 531. nihil lucis attulit.

TABULA SECUNDA.

I.

LEPID*us* PONT*ifex* MAX*imus* III. VIR. R*ei*P*ublicæ* C*onstituendæ*. Caput Lepidi nudum.

CAESAR IMP*erator* III. VIR. R*ei*P*ublicæ* C*onstituendæ*. Caput nudum Cæsaris Octaviani. Triumviratus hic omnibus notus. Lepidi vultus raros admodum hos facit denarios.

Lit. A.

Marcus ANTONIVS III. VIR. R*ei*P*ublicæ* C*onstituendæ*. Caput Antonii nudum, infra collum est lituus.

Marcus LEPIDVS III. VIR. R*ei*P*ublicæ* C*onstituendæ*. Caput Lepidi nudum, inferius est aspergillum & capeduncula, quæ ad pontificatum maximum Lepidi spectant, sicuti lituus in anteriori parte ad auguratum Antonii.

Lit. B.

Μαρκος ΛΕΠΙΔΟΣ ΑΡΧιερευς ΜΕΓας. i. e. *Marcus Lepidus Pontifex Maximus*. M. Lepidi caput nudum.

ΚΑΙΣΑΡ ΑΥΤΟΚΡΑτωρ. *Cæsar Imperator*. Caput Cæsaris triumviri nudum.

Cusos in Græcia nummos in Lepidi triumviri honorem patet insuper ex num. inf. IV. & Lit. E. pluresque, sed de quibus dubitatur, Strada & Goltzius adferunt. Hunc vero, quem & ipse possideo, secundæ magnitudinis æreum, ut olim in Foucaultiano cimelio exstantem, laudavit Vaillantius, pag. 2. Locus ubi cusus est, non additur, neque cum sequentibus ad Coios posse referri videtur, quoniam forma & artificio ab iisdem distat.

II.

C. I. N. C. EX D. D. Caput M. Antonii triumviri nudum, retro quod typus labyrinthi est.

Marco AIMILIO T*ito* FVFIO II. VIR*is*. Caput Cæsaris triumviri nudum.

Literæ illæ initiales integre leguntur, *Colonia Julia Nova Carthago Ex Decreto Decurionum*. Innuitur autem Carthago Nova, urbs Hispaniæ Citerioris maritima, quæ hunc nummum, ut colonia Romanorum (teste Solino cap. XXV. *Carthaginem apud Iberos, quæ mox Colonia facta est, Pœni condiderunt*) a Julio quondam deducta, in Antonii & Cæsaris percussit honorem, postquam Lepidus dominatu jam esset exutus; uti tradit Vaillantius in Coloniis Tom. I. pag. 54. & in Fam. p. 55. Gens Æmilia patricia fuit, Fufia plebeja. Fufium idem Vaill. libertum vel propinquum censet fuisse Fufii istius Caleni, qui Antonii partes post mutuam eorundem dissensionem est secutus, judicatque idem perperam coloniarum tales nummos familiis Romanis interseri, certe non debuerat Morellius inter Lepidi collocare nummos, sed alio potius loco, quis enim Æmilius ille duumvir Carthaginis Novæ fuerit ignoratur.

Cernitur post Antonii caput labyrinthi typus, qui proprius fuisse coloniæ isti Romanæ cognoscitur ex nummo Cæsaris solius, qui depingitur a Vaillantio in libro de Coloniis Tom. I. pag. 38. verum multo nitidius a Morellio nostro inter Augusti nummos Tab. XXXV. num. 24. Sed ratio cur labyrinthum expresserint obscura est. Censet Vaillantius, insigne opus labyrinthi ibidem fuisse, quod sicuti negari non potest, ita affirmari pro certo nequit; testari tamen nummus videtur.

III.

Marco. AEMILIO II. VIR*o*. . . . .

Caput juvenile admodum.

Sine Epigraphe. Caput nudum, virile. Contemplationem deligentiorem hic nummus meretur quam reliqui, eo quod Vaillantio aliisque ignotus fuerit, deinde quod historiæ antiquæ nobile conferat monumentum.

Propter nomen Æmilii, quod in nummo exstat, locum hic illi adsignavit Morellius; verum cum Lepidis quidem nihil illi commune est. Pertinet ad Æmilium Labeonem, Corinthi cusus, in qua colonia Duumvir idem Æmilius Labeo in duobus sequentibus legitur. Caput itaque illud virile ipsius Augusti est, juvenile vero ad Cajum, Agrippæ filium, Augusti nepotem refero. Neque dubito, quin in ipso nummo, loco, ubi per puncta erosæ notantur literæ, exstiterit olim CAIO CAESARE. vel potius C. CAESARE. ut in nummo coloniæ Juliæ Traductæ, qui unicus hujus Caji Cæsaris apud Vaillantium exstat pag. 84. unde raritas hujus non parum crescit. Sicuti vero in sequentibus duobus nummis Tiberius Cæsar duumviratus honore Corinthi ornatus fuisse legitur; ita hic nummus pari honore Cajum Cæsaris Augusti nepotem insignitum fuisse docet.

Lit.

FAMILIA AEMILIA.

Lit. C.

T*iberio* CAESAR*e* II. VIR*o*. COR*inthus*. Caput Tiberii nudum.

M*arco* ÆMILI*o* LABEO*ne* II. VIR*o*. COR*inthus*. Caput Augusti nudum.

Nummus hic, Corinthi cusus, nos docet ipsos Cæsares nonnunquam summorum in coloniis honorum titulos gessisse. Itaque hic duumvir urbis Corinthi, cum M. Æmilio Labeone, appellatur Tiberius, vivo adhuc Augusto, cujus (ut imperatoris Romani) ab altera parte facies cernitur. Morem hunc exemplo Hadriani ex Spartiano confirmat Vaillantius de Colon. Tom. I. p. 106. ubi quoque adnotat honorem nominis quidem penes cæsares vel imperatores fuisse, ita ut in publicis actis & monumentis decuriones vel quinquennales appellarentur, verum alios muneri gerendo fuisse suffectos, qui *præfecti decurionatus* vel *quinquennalitatis Cæsaris* appellabantur.

Lit. D.

TI*berio* CAESARE II. VIR*o*, C*orinthus*. Caput Tiberii nudum.

M*arco* AIMILIO LABEONE II. V*iro*. Δ. Δ. Caput Augusti nudum.

Nihil a superiore hic differt, nisi quod ibi Corinthi urbis nomen ab utraque parte legatur, hic tantum ab una; & quod ad vultum Augusti duplex litera D. D. Græco more per Δ. Δ. scribatur in hoc nummo. Literæ illæ significant cusum numisma *Decreto Decurionum*. Decuriones autem, ut notum est ex antiquariis, erant in municipiis & coloniis, velut Romæ senatores, exque iis magistratus eligebantur. Auson. in Mosella versu 401.

—— —— *Quos curia summos*
Municipum vidit proceres, propriumque senatum.

Sueton. in Augusto cap. CI. *Corpus decuriones municipiorum & coloniarum a Nola Bovillas usque deportarunt.* Itaque Δ. Δ. in coloniarum nummis est velut S. C. in Romanis. Latinis literis pariter superius num. II. EX D. D. expressum. Quum vero DD. PP. occurrit, significat *decuriones posuerunt*, ut in quibusdam Tiberii nummis Uticæ in Africa cusis.

Est vero hic nummus infra secundam magnitudinem, rarus admodum, artificii tamen minoris, quam sunt superiores. Habeo & ipse, & capita ad amussim bene in Morelliana pictura expressa sunt. In meo etiam literæ Δ. Δ. apparent, quas recensuit Vaillantius in lib. de Coloniis, ubi depinxit nummum superiorem, in ipso vero nummo literas hasce non apposuit.

IV.

Μαρκ☉ ΛΕΠΙΔΟΣ. *M. Lepidus.* Caput Lepidi nudum.

ΚΩΙΩΝ ΔΙΟΦΑΝΤΟΣ. *Coorum Diophantus.* Caput Æsculapii (an Herculis?) laureatum.

Contemplatus hunc nummum quoque est eruditissimus Tristanus Tom. I. p. 64. qui p. 100. seu Cæsaris Octaviani quoque nummum protulit ibidem cusum, prætore Callippide. Vidi & ipse plures Lepidi tales, sed illos quidem haud genuinos, ad horum forsan exemplum fictos. Caput, quod Æsculapii esse potest, de Hercule interpretatur idem Tristanus. Notum est Coos, Hippocrate nobiles, Æsculapium in monetis suis signasse; sed & notum Herculis caput non uno ritu pictum ab iisdem fuisse. Diophantus magistratus est nomen; ipse nummus in triumviratu illo crudelissimo cusus.

Lit. E.

ΚΩΙΩΝ ΔΙΟΦΑΝΤΟΣ. *Coorum, Diophantus.* Caput laureatum Æsculapii vel Herculis.

ΝΙΚΙΑΣ. Caput Lepidi nudum.

Convenit cum superiori hic nummus, nisi quod ad caput Lepidi pro triumviri illius nomine inscribatur illud Niciæ, qui una cum Diophanto magistratum in insula Co gessit. Quis hic fuerit Nicias, nobis inquirendum est.

Ludovicus Nonnius in Commentariis ad Huberti Goltzii Græciam, inter Coorum nummos recenset, qui ibidem exstant num. XV. & XVI. in quibus utrimque caput barbatum occurrit, quorum alterum, quod coma breviore est, cum adscripto Niciæ nomine, videtur esse Herculis, alterum, cum adscriptis nominibus Higemanis & Antiphanonis, capillosque circa cervicem habens longiores, cognoscitur esse Æsculapii. Caput vero illud quod Herculis dixi esse, Niciæ tyranni existimat idem Nonnius, ita scribens: *Æsculapius; ab altera parte* ΝΙΚΙΑΣ, *qui Coorum tyrannus fuit. Strabo lib.* XIV. *Ætate autem nostra Nicias, qui Coorum tyrannus fuit.* Verum non Niciæ est vultus sed Herculis, ut patet ex apposito altero Coorum apud Tristanum nummo; quem Herculem sæpissime Coorum nummi referunt, modo inberbem in exuviis leonis, modo in iisdem barbatum, ut patere potest ex Goltzio, num. I. II. III. IV. V. VI. modo laurea coronatum, ut VII. VIII. quod scilicet ex Heraclidarum stirpe oriundos sese jactarent. Niciæ autem istius meminit Strabo lib. XIV. p. 657. his verbis, nobiles Coos recensens, καὶ καθ' ἡμᾶς Νικίας, ὁ κατατυραννήσας Κώων. *& nostra ætate Nicias, qui in Coos tyrannidem invasit.* & paullo post p. 658. Ἐντεῦθεν δ' ἦν καὶ Θεόμνηστος, ὁ ψάλτης ἐν ὀνόματι, ὅστις καὶ ἀντεπολιτεύσατο τῷ Νικίᾳ. *Cous fuit etiam Theomnestus, nobilis psaltes, qui & in republica se opposuit Niciæ.* Ex quibus verbis colligo, violenter dominatum in Coos fuisse Niciam illum, hominemque fuisse admodum factiosum, prout potentia ejus nummis quoque firmatur, in quibus ipse quater, Diophantus bis, reliqui magistratus semel tantum inscripti leguntur. Tyrannum vero in tantum fuisse, ut temporibus Strabonis regnum in Coos exercuerit, & vultum suum (quem ex similibus docuimus esse Herculis) monetæ impresserit, non sequitur; præsertim quum altera factio itidem fuerit satis potens, & Theomnestem caput habuerit.

Quod autem ad nostros hosce Morellianos nummos magis facit, Nicias hic triumviratus temporibus jam inter Coos magistratum obtinuit, videturque plane esse idem cum Goltziano Nicia, atque illo, cujus tam superbam mentionem fecit Strabo, qui quidem scriptor longissime vixit, Cornelio Gallo etiam familiaris, adeoque sub triumviris jam adolescentiæ forte annos egressus, ut ex vita ejusdem apud Vossium & alios patere potest. Quando vero factiones illæ Nicianæ & Theomnesteæ fuerint, non meminit; verosimile autem est eas bellis civilibus inter Antonium & Cæsarem viguisse.

VI.

M*arcus* ANT*onius* IMP*erator*. Lituus, præ-

fericulum, & corvus, male Vaillantio visus gallus gallinaceus; cuncta sunt auguratus insignia.

LEP*idus* IMP*erator*. Apex, secespita, aspergillum, capeduncula, pontificatus maximi insignia. Prænomen *Marcus* additur in nummo Thes. Fred. p. 217. sicuti & inferius in Morelliano Fam. Anton. V. 3.

Quinarius est, cusus, quum mutua concordia Remp. lacerarent triumviri. Typus ab altera parte augurem Antonium, ab altera, pontificem maximum Lepidum respicit.

VII. *Lit.* F. *&* VIII.

CABE. Caput muliebre.
LEPI. Cornucopiæ in laurea vel myrtea.
CABE. Caput muliebre turritum & myrto coronatum.
IMP. CAESAR. Cornucopiæ.
COL. Caput muliebre galeatum.
CABE. Caput muliebre in corona myrtea.

Hi tres nummuli ejus sunt generis, quos quinarios vocant, omnesque in eodem loco cusi sunt, verum ubi is sit quærendus, non consentiunt antiquarii. Ursinus refert ad Cabam Africæ urbem, quam Lepido putat hosce quinarios cudisse, quod ipsi in divisione inter triumviros Africa obtigerit; illiusque sententiam Tristanus amplectitur Tom. I. pag. 62. ubi in urbis situm inquirit. Verum obstat, quod non Lepido tantum, sed & sine Lepidi mentione, Cæsari quoque nummos dicaverit; ut patet ex secundo nummo, sive lit. F. qui nummulus nunc primum a Morellio profertur. Dein vox COL. quæ Coloniam innuit, unde ipsi Ursino quoque aqua hæret; dum scribit, ex appositis illis literis, fieri ut credat, Coloniam fuisse, cujus tamen opinionis nullum fulcrum ipse ex antiquitate suppeditat. Denique CABE. in omnibus scribitur quinariis non CABA. *Cabes* quidem apud Geographum Nubiensem appellatur in citatis ejusdem apud Tristanum verbis, & eandem vir ille doctus existimat, quæ apud Martianum Capellam *Tacabe* & apud Plinium similiter forte appellatur lib. XVIII. cap. 22. licet ibi legatur *Tacape*. Sed nondum tamen ad Lepidum magis nummulus, quam ad Cæsarem facit. Unde Vaillantius in Galliis eorundem patriam quærit, atque adsignat Coloniæ *Cabellionum*, quam Ptolemæus lib. II. cap. 20. collocat in Gallia Narbonensi apud Cavaros, hodie *Cavaillon*: quamvis in libello Provinciarum Romanarum inter Civitates Provinciarum Gallicarum pag. 568. *Civitas Cabellicorum* (sic ibi vocatur) ponatur non in Provincia Narbonensi, sed Viennensi. Editus autem iste libellus est olim a Schonhovio atque Cellario, atque Eutropianæ nostræ Editioni insertus. Hujus quoque Urbis antiquiora inveniuntur Numismata, temporibus Julii Cæsaris cusa, & antequam colonia esset Romanorum. Certe parvuli duo argentei nummuli inveniuntur apud Bouteroveum in eruditissimo atque rarissimo libro, quem vocavit *Disquisitiones Curiosas super Monetas Gallicanas*, Gallica scriptas lingua. Prior muliebre pariter caput habet, & ab altera parte equitem vexilliferum, cum inscriptione LITA. quem ad Litavicum ducem Æduorum insignem refert, cujus plus semel mentio fit apud Cæsarem in libris de Bello Gallico. Alter nummulus eundem habet equitem Litavicum arcu & pharetra armatum, & juvenile caput ab altera parte, & utrobique literam C. habet, quam per CABILLONVM explicat idem Bouteroveus.

In Gallia esse cusos similes quinarios ratio monetæ evincere videtur; plurimi enim ex Gallicis quinariis nobis supersunt; deinde, sicuti quinarios suos Antonio triumviro cudit Lugdunum, ut videre est in nummis familiæ Antoniæ, cur non civitas *Cabellionum*, quocunque demum tempore vel occasione facta colonia, Lepido & Cæsari pariter quinarios suos dicare potuit? Ut negem, duæ faciunt rationes; prima est, quod scribendum foret non CABE. Sed CABEL; altera, quod fabricæ Hispaniensis nummus ejus coloniæ æreus mihi visus sit, ut mox dicetur.

Capita num. VII. & VIII. Veneris sunt, unde & corona myrtea, & quamvis turritum insuper sit, Lit. F. myrtus tamen addita Veneris esse caput evincit. Caput galeatum ad Palladem refero; quamvis in nummo qui exstat apud Tristanum, Lepidi ut agnoscam caput, facit nummus quidam æreus, nuperrime a me visus, in quo Lepidi caput galeatum hinc, cum inscriptione LEPIDVS PONT. inde caput Cereris corona spicea decorum, sed sine laureæ ambitu; adscribebatur COL. CABE. Unde illum Tristani quoque suspicor æreum esse, & secundæ magnitudinis, qualis is quoque est, quem ego vidi in museo, quod quondam fuit Jacobi de Bary, in Hispania omnino (ut videbatur) cusum, certe rarissimum.

Lit. G.

CORINTH*us*. II. VIR*o*. Caput Julii Cæsaris laureatum.
Lucio AEMILIO BASSO. . . . . Caput Augusti nudum.

Julii Cæsaris hic nummus in colonia Romana, Corintho, cusus, propter L. Æmilii Bassi duumviri nomen huc refertur; sub Augusto illum dedit Corinthus in conditoris sui Imperatorisque Julii atque Augusti honorem, sicuti plures ejusdem generis inter Tabulas Impp. Morellianas occurrunt. Patet autem ex literis erosis aliud præter memoratum, alterius scilicet duumviri, adfuisse nomen; quod non nisi ex integriori aliquando nummo resarciri poterit. Occurrit apud Vaillantium lib. I. de Colon. p. 4. M. Antonius Hipparchus, M. Antonii quondam libertus, cum M. Nonio Basso in simili nummo conjunctus, verum is ad familiam Noniam spectat, quum Bassus in hoc quidem nummo ad aliquem ex familia Æmilia spectet. Migrabant autem in colonias, vel liberti illustriorum in rep. virorum, qui eorundem adoptabant nomina, uti M. Antonius ille Hipparchus; vel obscuriores egentesque ex familiis Romanis; unde noluit Vaillantius coloniarum nummos ad familias Romanas referri.

TAB. III.

I.

Marcus LEPIDV*s* III. *vir ReiPublicæ Constituendæ*. Caput M. Lepidi triumviri nudum.
Lucius MVSSIDIV*s* T*iti Filius* LONGV*s* IIII VIR *Argento Publice Feriundo*. Mars Ultor, stans, lævo pede galeæ imposito, dextra hastam, læva tenens parazonium.

Post initam triumviratus conspirationem,
A. V.

A. V. C. DCCXI. Mussidius hic ex ærario publico hanc pecuniam signavit, quum Romæ dominarentur hi triumviri. Martem Ultorem signavit; quod prætextus turbarum & belli erat vindicatio necis Julii Cæsaris.

II. Non exstat in Tabula.

III.

Lucius BVCA. Caput Veneris.

Sine epigraphe. Diana, comite Victoria palmifera, descendens ad hominem in terra dormientem.

Denarius hic referri debet ad Lucium Æmilium Bucam, qui quæstor fuit sub Cornelio Sulla, pater autem filii cognominis, qui quatuorvir monetalis sub Julio Cæsare fuit. Respicit vero typus ad somnium Sullæ, quod in Vita ejus narrat Plutarchus pag. 457. prout recte docuit Vaillantius. Ipsi enim Sullæ e Nola cum exercitu Romam versus moventi A. DCLXXI. Diana in somniis apparuisse traditur, atque victoriam fuisse pollicita. Perperam alii ad Cæsaris tempora, & Anchisæ cum Venere connubium referunt; ipse enim, diligenter examinato denario, deprehendi quoque cum Vaillantio lunam capiti Deæ additam, quosque idem Vaillantius cum aliis literas Punicas aut incognitas credidit, filamenta esse graminis, in quo fingitur recubare Sulla. Veneris caput sæpius in Cornelii Sullæ apparet denariis, quod ejus tutela videretur admodum gaudere.

IV.

CAESAR DICT*ator* PERPETVO. Caput Julii Cæsaris laureatum.

Lucius BVCA. Venus Victrix stans, dextra victoriolam tenens, læva hastam.

Hic est L. Buca filius superioris, prouti item *L. Æmilius Buca filius* appellatur ab Asconio Pediano in Argumento Orationis Ciceronianæ pro L. Æmilio Scauro, cui reo ut propinquus idem narratur adfuisse in judicio.

V.

Sine Inscriptione. Caput Cæsaris laureatum.

Lucius BVCA. Fasces & caduceus alatus, decussatim; hinc inde globus, securis & dextræ junctæ.

Litera A.

CAESAR DICT*ator* PERPETVO. Caput Cæsaris laureatum. Epigr. & typus idem.

Singularis hic typus rediisse in pacem atque concordiam testatur dextras, quum justum imperium sanctumque & in urbem Romam & orbem universum polliceretur, formato sub se Reip. statu, Julius Cæsar.

VI.

CAESAR IMP. P. M. Caput Cæsaris laureatum, retro est luna crescens.

Lucius AEMILIVS BVCA. Venus Victrix, stans, dextra victoriolam, læva hastam tenens.

Ex Æmilia familia Bucam esse, hic & sequens docet denarius. Denarium vero hunc notabilem facit luna crescens, post caput Cæsaris pontificis maximi. Quæ videlicet designat, illum emendasse tempora, atque annum reformasse; prout recte ex Dione observavit Vaillantius. Luna illud apte exprimit, quoniam ad Cæsaris usque tempora Lunæ revolutionibus menses æstimabant.

VII.

CAESAR. Caput Cæsaris laureatum.

Lucius AIMILIVS BVCA IIII. VIR. Duæ dextræ junctæ.

Quid sibi hic typus velit, apparet ex sequenti quinario.

VIII.

PAXS. Antiquo more scribendi, ut *Maxsumus* & similia. Caput Deæ Pacis.

Lucius AIMILIVS BVCA IIII VIR. Dextræ junctæ.

Cæsar quidquid fecit regnandi fecit cupidine, & quod priorem ferre non posset; in cæteris plane divinus fuit. Pacis certe amantissimus, quod & verba ejus in oratione ad senatum habita apud Dionem lib. XLII. & inusitata in victos clementia ostendunt. Ipse modo Romæ primus esset,

Tunc genus humanum positis sibi consulat armis,
Inque vicem gens omnis amet: Pax missa per orbem
Ferrea belligeri compescat limina Jani.

Quod Neroni vovebat Lucanus lib. I. ỳs. 60.

Litera B.

MVN*icipium* CAL*aguris* IVL*ia*. Caput Augusti nudum.

Quinto AEMIL*io*, *Caio* POST*umio* MI*Lone* II. VIR. Bos.

Calaguris Hispaniæ Tarraconensis fuit urbs, ad Iberum fluvium, quæ sicut reliqua Hispania multas commoditates a Julio Cæsare recepit, unde & Julia dicta est, prout ostendit Vaill. de Colon. I. p. 30. Quem vide. Quis ex familia Æmilia duumvir hic Quintus fuerit, incertum est.

Litera C.

MVN*icipium* CAL*aguris* *Iulia*, II. VIR*is*, qui in altera nummi parte enumerantur, iisdem *Quinto* ÆMIL*io*, *Caio* POST*umio* MIL*one*. Caput simile Augusti, atque bos, qui solemne Municipiorum solet esse symbolum.

Litera D.

TI*berius* CAESAR AVG*usti* FILIVS AVGVSTVS IMP*erator*. Caput Tiberii laureatum.

CLVNIA. *Caio* AEM*ilio* MET*oeco*, *Tito* COR*nelio* MATER*no* L. CAE*cilio* PRAE*sente*, *Caio* COE*lio* CAND*ido* IIII. VIR*is*. Bos.

Vaillantius lib. de Coloniis I. p. 104. posteriorem tantum (ut fere solet) hujus nummi partem proferens, ita de inscriptione ejus disserit: „ Clunia, Urbs Hispaniæ Tarraconensis, ad „ Durium fluvium in Celtiberis ita celebris, ut „ non modo apud Plinium inter septem Provinciæ conventus numeretur lib. III. cap. 3. *Nunc* „ *universa provincia dividitur in conventus septem*, „ *Carthaginensem*, *Tarraconensem*, *Cæsaraugustanam*, *Cluniensem &c.* Sed ita populo frequens, „ ut nummi quartumviros pro civium multitudine illam habuisse declarent. *Æmilia*, gens „ patricia. *Metœcus* dicitur, qui de una civitate „ in aliam migravit habitandi animo. *Cornelia* in „ plebejas & patricias distincta. *Maternus* a matre cognomen, *Cæcilia* gens, plebeja. Præsens,

 „ co-

„ cognomen vulgare. *C. Candidus*, a colore „ corporis, ex altero Cluniæ nummo ad Cæ- „ liam gentem pertinere videtur. „ Hæc Vaillantius. Ad quæ observamus in Morellii nummo non scribi MATOE. sed MET. T. quasi T. *Titus* esset prænomen Cornelii ejus Materni, qui sequitur. Deinde *Cæliæ* gentis nomen clare insuper exprimi. Nummus vero, quem innuit Vaillantius, apud eundem exstat p. 105. ubi nomina occurrunt *Titus Cælius*, *Publius Restitutus*, *Cajus Cælius Candidus* & *Cajus Arvius IIII. Viri* C. Æmilius hic, quisquis ille fuit, Metœci cognomen a migratione in Cluniam accepisse videtur.

Litera E.

T*Iberius* CAESAR DIVI AVGVSTI F*ilius* AVGVSTVS. Caput Tiberii nudum.

Colonia Immunis Illici Augusta. *Marcus* AEMILIVS SEVERV*s*, *Marcus* COELIV*s* PROCVLV*s* II. VIRI. Aquila cum vexillo desuper, inter duo signa militaria.

Illici seu *Illice* (utroque enim modo scribitur) urbs est Hispaniæ Tarraconensis, quæ *Immunis* dicitur, quoniam juris erat Italici, neque tributum solvebat. Signa militaria, militarem in coloniarum nummis coloniam significant; duæ vero aquilæ, seu aquila & vexillum in iisdem, ex veteranis deductam coloniam denotant. Unde apparet M. Æmilium hunc, qui propter mores militares Severi videtur habuisse cognomen, gloriari, se cum collega suo ex veteranis istis originem ducere. Qui autem hic *Marcus* appellatur *Cælius*, is *Titus* appellatur a Vaillantio, uter bene, nummi dijudicent; certe in Vaillantii nummo sculptoris incuria vexillum super aquilam quoque neglectum fuit.

Litera F. & G.

Caput muliebre, rudi artificio, Veneris ut videtur; in corona myrtea. adest inscriptio OBVLCO & literæ CX. in altero numerus iste abest.

Lucio AIMIL*io* *Marco* IVNI*o*. Sunt hæc nomina inter tres lineas rectas, quarum media intercurrit, desuper aratrum est, inferius frumenti spica, ad latus literæ AVX. In secundo literæ illæ absunt, inscriptio est vetus Hispanica, & spica atque aratrum sibi invicem adjacent.

Hos vel similes nummos contemplati sunt atque produxerunt Antonius Augustinus, Tarraconæ Archiepiscopus, Dialogo VIII. atque Vincentius Joannes de Lastanosa in Hispaniæ nummis incognitis. Verum certi quid definire nequeunt; quod perierit Alphabetum veteris linguæ Hispanicæ. Andreas Schottus, qui Latine reddidit Dialogos Augustini, ita vertit. „ Op- „ pidi alterius, hodie *Porcuna* dicti, olim vero „ *Obulco*, cognomento *Pontificiæ*, in æreo spe- „ ctavi nummo mentionem: hinc faceis virginis „ rudi artificis manu, litterisque adjectis O- „ BVLCO, illinc vero spica frumenti, gra- „ numque hordei, adjectumque L. AIMIL. „ M. IVNI. in orbe vero: Fort. VIR. literis „ inversis, quod est ex II. VIR. reliquum „ AIP. vel AVX. quæ non assequor: illa vero „ sic lego: *Lucio Aimilio*, *Marco Junio*, deest „ Duumviris. „ Hæc Schottus; qui quidem videtur de suo addidisse illa, *in orbe vero Fort. VIR. literis inversis, quod est ex II. VIR. reliquum.* Nam in duabus itidem ex Hispanico idiomate, verum in Italicum versis, illa non apparent. In versione enim Dionysii Octaviani Sadæ, sic locus ille exhibetur, *e vicino al giro della medaglia AIP. o, AVX. le quali tre lettere non l' intendo.* i. e. *prope oram vero nummi* (sive exteriorem ambitum) *literæ tres AIP. vel AVX. quas non intelligo.* Versio altera Itala, quæ cum Nummis singulari arte æri incisis in 4°. prodiit, hæc exhibet, *e dall' altra parte AIP. le quali tre lettere io non intendo.* i. e. *& ab altera* (inscriptionis L. AEMILII &c.) *parte AIP. quas tres literas ego non intelligo.* Versio hæc sine nomine prodiit, verum in Exemplari meo subscribitur titulo nomen *Policarpi Panormitani*, possessoris libri, an auctoris versionis istius, dubium. Hispanica ipsa ad manum non sunt. In nummo Morelliano certum est literas AVX. inveniri, quæ difficulter explicari possunt. Duumviros fuisse L. Æmilium & M. Junium patet, & forte *Agris Veteranis Decimæ* legionis dividendis. prouti illas literas A. V. X. interpretor. Unde forsan bacilli illi decempedas, quibus agrimensores utebantur, designant, aratrum autem & spica in plurimis Hispanicis nummis inveniuntur. Literæ quæ ad caput sunt Hispanicæ videntur, certe X. in medio sui lineolas habet quibus a Romano X. distinguitur. Nomina eadem utrum in altero nummo Hispanicis literis exarata inveniantur, adfirmare non audeo. Ad tempora autem Augusti revocare forsitan licebit, quibus in Hispania quoque agnoscitur quidam M. Aimilius supra Tab. II. Numo II.

AFRANIA.

Afraniam Gentem plebejam agnoscunt antiquarii, ex tribunatu plebis, quod gessit A. DXCI. C. Afranius C. filius. In nummis unus tantum videtur exstare Afranius, scilicet Spurius Afranius, qui colligitur quæstor urbanus fuisse tempore belli Punici primi.

I.

Caput Romæ galeatum, cum denarii nota.

Spurius AFRA*nius* ROMA. Victoria in citis bigis.

Spurius Afranius, qui denarium hunc cudit, quo tempore vixerit, incertum est; ad illum qui quæstor urbanus fuit A. DCCLX. refert Pighius; vetustiorem forte judicat Vaillantius; quoniam jam quinque ante bellum Punicum primum annis argento signato uti ceperunt Romani. Signatura valde simplex erat, bigæ vel quadrigæ, unde bigati vel quadrigati dicti sunt. Hic itaque inter vetustiores denarios locum obtinet.

II.

Caput Jani geminum.

Spurius AFRA*nius* ROMA. Navis.

Typus simplex & usitatus est: nomen Spurii Afranii videtur eundem quæstorem designare. At quoniam hic assis ex duabus unciis constans sextantarii ponderis est, hinc patet temporibus belli Punici primi cusum fuisse nummum, iisdemque vixisse hunc Afranium. Docet autem ex Plinio Vaillantius, bello Punico primo, quum impensis non sufficeret resp. imminutum fuisse assis pondus, constitutumque ut sextantario pondere ferirentur. Postea autem, urgente bello Annibalis, Q. Fabio Maximo Dictatore, factos fuisse unciales.

III. Ca-

III.

Caput Mercurii cum galero.

Spurius AFRA*nius* Navis, cum duobus infra globulis.

Ejusdem Spurii Afranii moneta est, duo autem globuli docent sextantem esse, qui antiquitus duas pendebat uncias, ideoque duobus punctis sive globulis notabatur.

Nummum æreum minutum hunc appellat Vaillantius, in quo errat, deceptus a Patino, qui primus produxit, & erronee magnitudinem vulgaris denarii argentei ipsi adsignavit, quum pateat magnitudine assem modo visum adæquare, adeoque ejusdem cum illo esse ponderis. Unde concludere licet, hunc sextantem vere pendere duas uncias vetusti assis, qui initio duodecim pendebat uncias, cujusque bello Punico primo immani detractione ad duas uncias, sive sextantis quod antea habebat, pondus fuit imminutum. Unde iterum sequitur sextantem hunc paullum ante decretum illud senatus fuisse cusum, quo idem Spurius Afranius jussus fuit memoratum modo assem ad sextantarium pondus reducere.

Mercurii caput sæpissime in monetis æreis observatur, cujus videlicet cultum ab Hetruscis mutuati erant Romani.

Num. IV. V. VI. VII. VIII.

Barbari hi sunt nummi & ad veteres Hispanos vel Gothos ablegandi, ut recte judicavit Vaillantius. Ursinus, quod in uno ex illis ΑΦΡΑ videretur posse legi, ad Afraniam familiam pertinere credidit, & de legato Pompeji Afranio intelligi posse. Verum de his judicari non poterit antequam de alphabeto Hispanico constiterit.

ALITIA.

Familia Alitia incerta est, nulla ejus mentio, vel apud scriptores antiquos, vel in Inscriptionibus.

I.

CORINT. Caput M. Antonii triumviri, nudum.

Publio. ALITIO *Lucio.* MENIO II. VI-*Ris.* Pars prior testatur Corinthi nummum esse cusum. Prora navis ab hac parte navalem Antonii potentiam indicat.

Præter ipsius nummi raritatem, & duumvirorum, sed ignotorum hominum, nomina, nihil singulare occurrit.

ALLIENA.

Allienam gentem ab *allio*, id est porro, deducunt quidam, ut videlicet ab *Allia* gente productum sit *Allienus*, veluti a *Nasidia* fit *Nasidienus*, & similia. Glandorpius Halienos & Allienos credit esse eosdem, quoniam ipse ille Allienus, cujus nummus sequitur, in scriptis Ciceronis, modo Allienus, modo Halienus nuncupatur. Atque ita deduci posset nomen illud ab Ἁλιεὺς, quod *piscatorem* significat. Plebeja fuit gens, quod ex tribunatu plebis L. Halieni, sive Allieni licet colligere A. V. C. CCXCIX.

I.

Cajus CAESAR IMP*erator* CO*nSul* ITER*um* Caput Veneris.

Aulus ALLIENVS PROCO*nSul.* Vir nudus, lævo brachio palliolo obvoluto, dextra manu Siciliæ triquetræ signum tenet, dextrum pedem proræ imprimens.

Hic est Aulus Allienus, qui legatus Q. Ciceronis in Asia, tempore belli civilis, quum prætor esset, secutus est partes Cæsaris, sub quo proconsule Siciliam obtinuit, quod etiam denarius hic testatur, cusus A.V.C. DCCVI. Post mortem Cæsaris, Dolabellæ legatus Cassio legiones IV. tradidit, ut ipse Cassius significat Ciceroni lib. XII. Epist. XI. *Quatuorque legiones, quas A. Allienus ex Ægypto eduxit, traditas ab eo mihi esse scito.* Quod idem repetit Epist. sequenti XII. *Simul ac legiones accepi, quas A. Allienus eduxerat ex Ægypto, scripsi ad te.* Figuram in nummo muliebrem putat Vallantius, ego vero omnino virilem agnosco, & Genium Pop. Rom. exprimi existimo. Confer fam. Anniam lit. N.

ANNIA.

Plebeja gens fuit Annia, uti ex tribunatu plebis cognoscitur. Fuit enim tribunus plebis Annius quidam A.V.C. DXVII. proavus Annii istius, cujus denarii sequuntur. Cognomen Luscorum habuerunt, quod unus ex illis altero oculo esset captus.

I.

Caius ANNIV*s*, T*iti* F*ilius*, T*iti Nepos* PRO-*ConSule* EX *Senatus Consulto.* Caput Junonis Monetæ, cum monili & inauri, atque galero in capite.

Quintus (male apud Vaillantium & Ursinum C. id est *Caius*) TARQUITI*us Publii Filius Quæstor.* Bigæ cum Victoria palmifera.

Hic Cajus Annius patrem profitetur Titum, qui post tribunatum plebis aliosque honores, tandem consulatum est adeptus cum Q. Fulvio Nobiliore A.V.C. DC. Avum suum itidem Titum scribit, qui tribunus quoque plebis fuit A.V.C. DLXXIII. patremque habuit, cognominem eodem illo honore functum A. V. C. DXVII.

Noster Cajus Annius in rep. Sullæ partes secutus, post tribunatum plebis & præturam cum proconsulari imperio contra Sertorium in Hispanias a Sulla missus fuit, ubi magnas res gessit, atque occiso Livio Salinatore resistente sibi in Pyrenæis, nondum confirmatum in Hispania Sertorium, eo quidem tempore, provincia expulit. Utramque vero Hispaniam, ulteriorem & citeriorem, proconsulari imperio rexisse demonstrant quamplurimi ejus denarii, a duobus, ob duplicem provinciam, quæstoribus cusis, quinto videlicet Tarquitio bigati, & Lucio Fabio quadrigati denarii.

Litera A.

Nihil distat a superiore, nisi quod supra palmam, quam manu tenet Victoria, numerus quaternarius IIII. legatur.

Litera B.

Ante Junonis caput bilancis est figura, quæ justo ponderi monetæ convenit. Numerus ab altera parte XXVIII. cernitur.

Litera C.

Numerum præfert XXXV. in reliquis superiori est similis. Ratio horum numerorum in hisce gen-

gentis Anniæ atque Corneliæ ut plurimum denariis, Antiquariis adhuc incognita eſt.

Litera B. D. E. F. &c.

II. & VI.

Epigr. eadem. Caput idem Junonis, hinc inde caduceus & bilanx, ſubtus clypeolus. Caduceus & bilanx æquitatis & juſtitiæ typi eſſe videntur; clypeolus videtur monetarii eſſe nota, illa enim in reliquis variat.

Lucius FAB*ius* *Lucii Filius* HISP*anienſis*, *Quæſtor*. Quadrigæ, aurigante Victoria, dextra tenente palmam.

Præter Quintum Tarquitium, alterum quæſtorem quoque habuit C. Annius Lucium Fabium Hiſpanienſem: quamvis pater ejus Lucius item Fabius, partibus Sertorianis, una cum illo proſcriptus adhæreret, uti ex poſtremo ejusdem Sertorii convivio patere poteſt, quod deſcribitur inter fragmenta Salluſtiana.

Nummus, qui num. VI. notatur, nullo modo differt ab aliis, niſi quod literam Q. quæ Quæſtorem deſignat, non collocet in area ſupra equos, ſed in ſuperiori ambitu, ubi etiam literæ HISP. exſtant; ego quoque unum habeo in quo HISP. Q. ſub palma, quam manu tenet Victoria exſtant, nam multiplex eſt variatio in hisce denariis, quorum incredibilis exſtat copia.

Denarius *Lit.* D. nihil ad capitis partem habet. Q. ibi ponitur ſupra equos. *Lit.* E. nota monetarii, vel inſtrumenti preſſorii, vel alterius rei ſymbolum, ſub equis eſt.

Lit. E. in ambitu denarii totius floream habet coronam, nulla appingit ſymbola. Ab altera parte ſuper equos Q. infra E.

Lit. E. non habet iſtam coronam; capiti Junonis caduceum & lancem adpingit. Supra equos Q. infra A. eſt.

Lit. F. prorſus ſimilis, ſed ſub equis B. exhibet.

Lit. G. vero ſub equis E. depingit. & apparet ex reliquis integrum Alphabetum ita ſignatum fuiſſe, nam ego quoque unum poſſideo hisce ſimilem qui literam X. agnoſcit.

Lit. H. cum corona prorſus ſimilis eſt Lit. D. ſed ſub equis nihil in vacua area apparet.

Qui ſequuntur denarii literam F. N. vel nullam habent literam. Alius vero apud Gorlæum pro clypeolo & libra caduceum habet & clavam, quæ in aſini caput exit.

III.

ANNIVS. LAMIA. SILIVS. ſimpulum & lituus.

III. VIRI. *Auro Argento Aere Flando Feriundo* in Area nummuli *Senatus. Conſulto.*

Annius hic triumvir monetalis fuit ſub Auguſto auro, argento, ære flando feriundo, una cum Silio & Lamia, cujus Ælii Lamiæ hunc & ſequentem nummum jam in gente Ælia vidimus.

IV.

Epigraphe eadem utrimque. Dextræ caduceum tenentes pacem & ubertatem demonſtrant.

V.

Epigraphe eadem. Cornucopiæ ab altera parte rerum denotat abundantiam; incudem ab altera parte ſymbolum magiſtratus ſui triumviri monetales ſculpi fecerunt.

Lit. K. &c. non ſign. una cum L. M.

Epigraphe eadem quæ num. VI. ab utraque parte. Sed capiti modo adduntur literæ G. N. V. modo quid aliud, ſub equis in Lit. M. apparet S. Differunt vero hi denarii a ſuperioribus Annii proconſulis quod quadrigæ, quæ ibi cum impetu velociter ferebantur, hic moderate & leniter procedant. Sunt omnes Morelliani.

Litera N.

ANNIO. Caput Genii populi Romani.

Sine Epigr. Navis, globulus & triquetræ Siciliæ ſignum.

Apud ſolum Morellium hunc nummulum vidi, & videtur mihi circa ea tempora cuſus, quibus A. Allienus in Sicilia fuit. Ante quem vel poſt quem hic Annius cum aliquo imperio in eadem inſula fuiſſe videtur. Poteſt autem eſſe pater ejus Annii, vel frater, qui ſub Auguſto triumvir monetalis fuit, cujusque modo nummulos num. III. IV. V. vidimus.

Caput, quod aperte videtur eſſe Genii populi Romani, confirmat opinionem meam de typo denarii ab A. Allieno cuſi. Nam ſicuti ibi manu Siciliam Genius, id eſt Roma, ſublevabat claſſe & navali potentia fretus (proræ navis pede innixus) ita hic domina Roma terræ & maris, quorum typi ſunt globus & ratis, cuſo in Sicilia (cujus tria illa crura ſunt ſymbolum) nummulo, teſtatur, quantum in illa inſula, quam tanto ſanguine Pœnis quondam extorſerant, momentum rerum eſſe exiſtimarent.

Litera O.

NERO CLAVD*ius* CAESAR AVG*uſtus*. Caput Neronis laureatum.

Lucio ANNIO, *Quinto* FLACCO II. VIR. COR*inthus*. Venus Marina currui inſiſtens, quam trahunt Triton facem gerens accenſam, & una ex Nereidibus tubam inflans.

Vaillantius hujus nummi alteram (ut ſolet) partem proferens lib. I. p. 174. de Coloniis, pro face concham Tritoni tribuit. Male. Nam quamvis in ſimilibus nummis coloniæ Corinthi tribus Agrippinæ p. 165. & 165. idem typus Tritonis ſit concham gerentis, omnino tamen aliter in ipſis nummis ſeſe res habet. Hanc enim quum varietatem cernerem inter Vaillantium atque Morellium, meum quoque Muſeum conſului, in quo duos tales Corinthi nummos ſub Nerone cuſos inveni, quorum alter idem eſt cum hoc Morelliano, alter differt ratione faciei, quæ in Nerone aliorſum vertitur; & duumviris, quorum nomina videntur differre. C. ANNIVS enim in meo illo cerni videtur, frater fortaſſis hujus Lucii Annii. Verum uterque nummus probe inſpectus docuit Vaillantium in concha omnino falſum fuiſſe; Morellium vero pro face accepiſſe, quod in nummis ipſis idem eſt inſtrumentum, quod Nereis illa habet. Diverſitas ea eſt, ut Nereis quidem inflet tubam, Triton vero tantiſper quietam ſuper humerum gerat tubam, donec ab inſiſtente curru Venere acceperit mandatum, quo curſum velit dirigi. Quod quatuor Vaillantii omnes concham habeant mirum non eſt; quoniam non ſinguli, ſed unus tantum ad ipſum nummum delinea-

neatus fuit, & reliqui ad factam semel picturam, cum transposita eadem ærea lamella, diversis chartis consignandis bis inservierit; quod conferenti ad oculum patebit.

Agrippinam vero hic sub Veneris mari emergentis typo celebrari certum est. Hujus ortum formamque marina numina, admota ori tuba, decantant; ipsa Dea, læva mulcens madidos salis æquore crines, dextra Tritoni viam per mare sulcandam Romam versus monstrare videtur.

ANTESTIA.

Gens Antestia Tribunatum Plebis gessit, unde colligitur fuisse Plebeja. *Antestii* & *Antistii* ex una Vaillantio videntur fuisse gente, verum initio *Antistios* (ut ait idem Vaill.) dictos ab antiquo *antisto*, unde & *antistes*, quod præcelleret aliis unus ex illis, deinde *Antestios*. Nobis diversi videntur.

I.

GRAC*chus*. Caput Romæ galeatum.

Lucius ANTES*tius* ROMA. Jupiter Ultor, dextra tenens fulmen, læva sceptrum, in citis quadrigis. Romæ cusus denarius.

A Vaillantio hic denarius tribuitur L. Antestio, M. filio, M. nepoti, qui tribunus plebis fuit A. V. C. DXXXI. cum Sempronio Graccho, prouti colligit ex literis GRAC. Hic videtur eidem in magistratu fuisse mortuus, quod in sequenti denario alius ipsi adsit collega M. Varguntejus. At vero cur non potius dicamus triumviros monetales hosce tres fuisse?

Cusus fuit hic denarius tempore belli Punici II. contra Annibalem, quum scilicet perjuriam Pœnorum creparent Romani, atque etiam in denariis Jovem illis ultorem imminere disseminarent. Favit Fortuna Romanis, unde apud Livium lib. XXX. cap. 37. *Postero die, revocatis legatis, & cum multa castigatione perfidiæ monitis, ut tot cladibus edocti, tandem deos & jusjurandum esse crederent, conditiones pacis dictæ.* Quo spectat & memorabile illud Legati Carthaginiensis, Asdrubalis Hædi, dictum, lib. eodem cap. 42. qui, quum senator ex Romanis unus, infestus perfidiæ Carthaginiensium, succlamasset: *Per quos deos fœdus icturi essent, quum eos, per quos ante ictum esset, fefellissent? Per eosdem*, promte respondit, *qui tam infesti sunt fœdera violantibus.*

II.

Similis superiori, nisi quod pro Graccho M. Varguntejum collegam Antestio faciat, de quo dicturi sumus quum ad ejus gentem perventum erit.

III.

Caius ANTESTIVS. Caput Romæ galeatum.

ROMA. Dioscuri in equis, subtus est canis currens.

Cajus Antestius, qui denarium cudit, creditur fuisse abnepos M. Antestii Tribuni Plebis A. V. C. CCCXXXIII. Fuere autem hi denarii ex antiquissimis Romanis, qui habebant pro typo Castorem atque Pollucem in equis decurrentes, in memoriam pugnæ ad lacum Regillensem, atque victoriæ ibidem eorum opera adquisitæ.

Canis in Antestiæ familiæ nummis a Vaillantio ex Dione traditur insculptus sigillo fuisse ejus gentis, quod Antestium quendam canis servaverat.

Fulvius Ursinus hos denarios refert ad C. Antestium, Consulem suffectum M. Licinio anno DCCXXIII. cujus acta contra Cæcilium Bassum in Syria describit Dio lib. XLVII. tempore belli civilis; verum simplex typus vetustiora denariorum denotat tempora.

IV.

Caput Romæ, retro nulla est inscriptio, sed canis currens. *Caius* ANTESTIV*us*. ROMA. Dioscuri, ut supra. Explicatio denarii eadem est cum superiori.

Litera A.

Nil differt a prioribus, nisi pictura canis.

Litera C.

Caput Jani geminum, laureatum, cum remo erecto inter duo tempora.

Caius ANTESTI*us*. ROMA. Navis, desuper canis currens. Verum litera C. i. e. *Caius* apud Vaillantium abest, & in ipso nummo non esse videtur, unde punctis signatur, tanquam conjecturalis.

Pertinet ad Antestium, sed vetustiorem. Navis & remus atque laurea typi sunt Jano convenientes. Eundem hunc nummum æreum Ursino & Patino incognitum Vaillantius protulit, sed remum erectum non animadvertens, credidit esse literam I. quæ Jani capitibus sæpe adjicitur, ad libræ pondus denotandum, sicuti S. capitibus Jovis, ut semissis significetur.

Sextantarii pondus, quod huic nummo tribuit Vaillantius, ad tempora belli Punici primi, hunc assem atque Antestium revocat; superiores enim denarii cusi sunt tempore belli Punici secundi. Auctor itaque hujus potest esse M. Antestius, quem ex Vaillantio diximus abavum Caji Antestii modo memorati.

Litera D.

IMP*erator* AUGUSTUS. MUN*icipium* CA*laguris Julia*. Caput Augusti nudum.

Publio ANTESTIO, *Lucio* BÆBIO II. VIR*is* Bos.

Calagurim ex Strabone in Vasconum regione collocat Vaillantius Tom. I. p. 31. Antestiæ vero gentis cognomina notat *Rheginum*, *Veterem*, & *Labeonem*. Quis hic fuerit Antestius ignoratur.

ANTIA.

Antia gens plebeja, quam præcipue nobilitavit lex sumtuaria, seu cibaria, ab Antio Restione, tribuno plebis lata, cujus etiam facies in sequenti adparet denario.

I.

RESTIO. Caput Antii Restionis, tribuni plebis, qui legem sumtuariam tulit.

Caius ANTIVS *Caii Filius*. Hercules nudus gradiens, dextra gerens clavam elatam, læva tropeum, dependentibus supra brachium exuviis leoninis.

Cajum Antium Restionem tribunum plebis, cujus Gellius & Macrobius meminerunt, nobilitavit lex sumtuaria, quamvis ipse vivens vidensque contemtæ ejusdem testis fuerit. Faciem ejus filius expressit, Cajus item Antius dictus, qui sub Augusto vixit, sicuti pater primis Ciceronis temporibus. De hoc Restione tribuno plebis testantur auctores, nunquam illum, postquam legem suam salutarem contemtu & abusu infrin-

gi viderit, extra domum suam cœnasse. Filii miram historiam referunt Appianus lib. IV. de Bellis Civil. p. 614. & Valerius Maximus lib. VI. cap. VIII. exemplo 7. quomodo inter proscriptos a Triumviris relatus ope servi sit servatus, cui ob nequitiam olim stigmata fronti inusserat. Consecutus est postea honores sub Augusto, ut ex hisce denariis patet.

Herculis ab altera parte effigies spectat victoriam ejusdem de Caco, occiso Geryone, videturque (ut Vaillantio placuit) esse imago Herculis Victoris sive Triumphalis, quæ olim erigebatur in Foro Boario. Herculis hujus sacra in Ara Maxima, quæ inde in tertio nummo signatur, peregisse eundem Antium existimat.

II.

DEI PENATES. Capita juvenilia, diademata & jugata.

Caius ANTIVS *Caii Filius* Typus ejusdem Herculis.

Dei Penates colebantur in urbe Lavinio, quod ibidem sedem elegerant, nec inde migrare vellent. Solebant vero viri illustres sæpe urbem, unde Romam migraverant, aliquo ejusdem symbolo testari. Unde colligunt Antios Romam ex Lavinio olim migrasse.

III.

Caius ANTIUS. Caput bovis vittatum.

RESTIO. Ara cum foco.

Si nullos alios Antii denarios haberemus, dubium foret quorsum hæc ara bovisque sacrificium spectaret. Patet nunc ex adlatis superius denariis, de Herculis sacrificio debere intelligi, & Aram Maximam esse hanc, quam fertur Hercules sub Aventino monte dedicasse post occisum Cacum, (cui minatur clava erecta in superioribus) bovesque receptos.

Post gentem Potitiam deorum ira, ut tradunt, exstinctam, per servos publicos id sacrificium in memoriam Herculis fuit peractum; illis præfuisse temporibus Augusti videtur hic Antius Restio, denariosque hos omnes in ejus rei memoriam cudisse.

ANTISTIA.

Antistia, gens plebeja, quibusdam cum Antestia videtur esse eadem; nobis non item; quia scilicet temporibus Augusti Antistii fuere & Antestii; sub eo enim principe Calaguri in Hispania Publius Antistius pecuniam signavit, si vero gens illa nomen mutasset, hi Antistii sub Augusto itidem Antestios quoque sese scripsissent. Præterea sicut ab *ante* Latinorum deducitur *Antestius*, ita a Græcorum ἀντὶ, *Antistii* nomen habere potuerunt. Distinguuntur in Veteres & Reginos.

I.

CAESAR AVGVSTVS. Caput Augusti nudum.

Caius ANTISTIVS REGINVS III. VIR. Instrumenta pontificalia, tripus, patera, simpulum, lituus.

C. Antistium hunc Reginum filium vel nepotem volunt esse illius C. Antistii, qui post tribunatum plebis exactum A. V. C. DCXCIX. Julii Cæsaris legatus anno sequenti in Galliam est profectus, ut ipse Cæsar tradit Lib. VI. Cur instrumenta pontificalia signentur variæ sunt sententiæ. Potuit ipse fuisse pontifex, potuit ad nomen & primum ex gente sua, qui pontifex fuerit, adlusisse, potuit denique Augusti pontificatum summum celebrare; quod ultimum minime omnium probatur Vaillantio, *quum* (inquit) *Antistii Veteris tempore, quo triumvir monetalis fuit, Lepidus non esset mortuus.*

Respondeo: ita statui Antistium Veterem & Antistium Reginum simul fuisse triumviros monetales; quod omnino ita se habere existimo. At vero in sequenti denario, cui consulatus Augusti XI. inscribitur, non adscribitur tribunitia potestas, quæ in reliquis, qui ante Lepidi mortem cusi fuerunt. Ergo hic Antistii Regini, & sequens Antistii Veteris denarii cudi potuerunt post reliquos, quum jam honorem istum pontificis maximi adeptus esset Augustus, quem certe studiose celebrasse in denariis suis triumviros monetales credibile est. Certe ipse Vaillantius in editione altera nummorum, a Julio Cæsare ad Postumum, recensens hunc denarium, adnotavit hæc verba: *Cum Augustus pontificatum maximum, mortuo Lepido, anno* V. C. DCXL. *accepisset.*

II.

Caius ANTISTIVS VETVS III. VIR. Caput Veneris.

IMP*erator* CAESAR AVGVS*tus* CO*n*S*ul* XI. Instrumenta Pontificalia eadem. Videntur duo Antistii simul sub Augusto triumviri monetales fuisse, quorum uterque quum Caji prænomen haberet, cognomine invicem distincti fuere. Itaque superior *Reginus* fuit dictus, a Rhegio (ut volunt) Italiæ oppido, seu potius producto a *rege* vocabulo, nam ævo Augusti *Rhegium* & *Rheginus*, non *Regium* & *Reginus* scribebatur. Sicuti enim non *Reges* tantum dicti fuere Marcii, sed *Reguli* complures quoque, ita *Regini* nomen certæ familiæ ex gente Antistia adhæsisse videtur; quod forsan aliquis ex illa rex sacrorum caussa creatus fuisset.

Hic Cajus Antistius, ob antiquum familiæ suæ decus, ex Veteribus originem sese ducere confirmat; celebrat autem itidem pontificatum maximum recens ab Augusto adeptum, licet enim pater ejus vir consularis & pontifex fuerit, ipse quoque aliquando (ut testatur Vellejus Paterculus) pontificatum & consulatum fuerit adeptus; nulla tamen ratio suadet, ut de adlato superius Antistii Regini typo eodem similiter pronunciemus. Ratio itaque typi ejusdem non alia est nisi eadem, & sub principe recens pontifice maximo, major ratio fuit ipsius quam privati decoris signandi. Consulatus vero Augusti XI. scribitur in nummis ab anno DCCXXXI. usque ad annum DCCXLIX. Pontificatum vero maximum accepit anno DCCXLI. sive, ut alii supputant, DCCXL.

III.

IMP*erator* CAESAR AVGVS*tus* TR*ibunitia* POT*estate* IIX. Caput Augusti nudum.

Caius ANTISTI*us* VETVS III. VIR. APOLLINI ACTIO. Apollo ornatu muliebri insistens suggestui, rostris navium atque anchoris exornato, dextra pateram tenet super aram ignitam, læva lyram.

Nobile hoc est monumentum victoriæ Actiacæ, quum Augustus Cæsar eo in loco quo castra erat metatus, aram Apollini consecrasset, teste Dione Lib. LI.

Familia Antistia, quæ Veteris cognomen habuit, hisce temporibus ad magnos pervenit honores. C. Antistius Vetus Hispaniam sortitus, C. Julium

lium Cæsarem habuit Quæstorem, filium ipse Cajum, de quo nihil legitur, & nepotem deinde, Cajum itidem dictum, reliquit; ille itaque Cajus Cæsarianis semper partibus adhærens, legatus Augusti fuit bello Cantabrico, consul sub eodem anno V. C. DCCXLVIII. cum D. Lælio Balbo. Pontificatum itidem obtinuit, & creditur possessor fuisse Academiæ Ciceronis, quo tempore calidi inde fontes eruperunt, teste Plinio XXXI, 1. Habuit filios C. & L. Antistios, consulares ambo & sacerdotes, teste Paterculo, & ex Cajo (ut videtur) nepotes C. & L. Antistios Veteres, ex quibus uterque quoque consul fuit; Lucius etiam collega aliquando Neronis in primo ejus consulatu, postea ab eodem occisus.

Denarius autem hic & sequentes pertinent ad Cajum C. filium C. nepotem, patrem C. & Lucii ejus, qui a Nerone occisus est. Typum hunc insignem denario suo impressisse credit Vaillantius, quoniam pater ejus anno victoriæ Actiacæ consulatu fuit functus. Vidimus autem consulatum ejus incidisse anno DCCXLVIII. At vero inter consules suffectos exstat ejus nomen ex Kal. Jul. ad annum DCCXXIII. quo veri consules fuere Imp. Cæsar Divi F. IV. & M. Licinius, M. F. M. N. Crassus; sed quo anno tres suffectos consules habuit Cæsar. Hic itaque suffectus consul Antistius, senex post viginti quinque annos veros honores obtinuit, pulcherrimamque illam recentemque se consule memoriam victoriæ Actiacæ signandam dedit filio suo Cajo, ut hanc patris felicitatem, pietatemque principis celebraret.

Litera A. & B.

IMP*erator* CAES*ar* AVGVS*tus* TR*ibunitia* POT*estate* VIII. Caput Augusti nudum.

Caius ANTIST*ius* VETVS. FOED*us* P*opuli* R*omani* CVM (in altero legitur QVM) GABINIS. Duo viri stantes, togati & velati sacrificantum ritu, porcam simul pedibus apprehensam atque ita inversam tenent super aram accensam.

Videtur hoc typo Antistius memoriam patriæ suæ antiquæ, Gabiorum videlicet, voluisse celebrare. Gabiis enim (ubi olim magno cum honore floruit gens Antistia, teste Dionys. Halic. lib. IV.) videtur hæc gens Romam migrasse, quæ ibidem forsan inter feciales fuit, quum uterque populus cæsa firmarent fœdera porca, more notissimo. Quare cognomen *Vetus* illi convenit. Cusi sunt hi denarii VIII. anno post tribunitiam potestatem ab Augusto receptam, sive A. V. C. DCCXXXIX. Pontificatum vero maximum accepit anno DCCXLI. unde hic titulus Augusto in nummis nondum additur.

ANTONIA.

Antoniam gentem imprimis nobilem, antiquissimis reip. temporibus illustraverunt T. Antonius Merenda, qui inter decemviros ferendarum legum existens, amissa violenta dominatione ad quam cum collegis adspirabat, in exsilio est mortuus; & Q. Antonius Merenda, tribunus quondam militum consulari potestate. Verum horum progenies vel defecisse videtur, vel, ut pluribus nobilibus accidit, ad plebem se contulisse. Hinc est quod in historiis, inscriptionibus & nummis, nulli Antonii, nisi jam plebeji cognoscuntur.

I.

Marcus ANT*onius* IMP*erator* AVG*ur* III. VIR R*ei*P*ublicæ* C*onstituendæ*. *Marcus* NERVA PROQ*uæstor* P*rovincialis*. Caput Marci Antonii nudum.

Lucius ANTONIVS CO*n*S*ul*. Caput nudum Lucii Antonii, fratris Marci.

Notus est ex historiis Lucius Antonius triumviri Marci frater, homo vanus, crudelis, fraternorum vitiorum omnium particeps, virtutum expers, fax belli Perusini, Fulviæ cliens, suorum (uti multi existimant) proditor. De exitu ejus nihil legitur; consul fuit cum P. Servilio Vacia Isaurico anno DCCXIII. quo tempore hic denarius cusus est a Nerva proquæstore provinciali, qui fratrum hinc inde expressit capita, ut pietatem videlicet Lucii celebraret, cujus in aliis denariis ciconia est symbolum.

II.

Similis superiori, & eodem anno cusus, eademque de caussa: differt persona qui cudit, qui hic est quæstor provincialis *Marcus* BARBA-T*us*, cujus inter Messalas gentis Valeriæ fit mentio.

III.

ANT*onius* AVG*ur*, IMP*erator* III VIR. R*ei*P*ublicæ* C*onstituendæ*. Caput M. Antonii.

PIETAS C*on*S*ul*. Fortuna stans cum temone & cornucopiæ, more solito; ad pedes est ciconia.

Qui modo dicebatur *L. Antonius Consul*, hic *Pietas Consul* vocatur. Adsumserat videlicet homo vanus nomen *Pietatis* (ut post nihilo magis sanæ mentis imperator Vitellius illud *Concordiæ*) quo testaretur sese in gratiam fratris & reipublicæ (unde, ut patrono Pop. Rom. statuas sibi poni passus est) bellum Perusinum suscepisse.

Litera A.

ANT*onius* AVG*ur*, IMP*erator* III VIR. R*ei*P*ublicæ* C*onstituendæ*. Caput M. Antonii.

PIETAS CO*n*S*ul*. Fortuna pariter stans cum temone & cornucopiæ, ad pedes est ciconia.

Nihil nisi metallo (unde raritas augetur) a priore differt; est enim ex auro. Ciconia symbolum est pietatis, ob amorem (ut notum est) parentum prolisque mutuum. Hac pietate sua gloriabatur Lucius fore, ut, in melius mutata populi Romani fortuna, ad pristinam omnia redirent ubertatem.

Litera B.

Marcus ANTONIVS IMP*erator* III. VIR. R*ei*P*ublicæ* C*onstituendæ*. Caput idem M. Antonii, retro lituus est.

Epigraphe & typus ut supra.

Augur passim in superioribus appellatur M. Antonius; post quæsturam enim, jam ante turbata hæc tempora, auguratum, commendatione maxime Julii Cæsaris acceperat; unde *Augur* scribitur in plurimis denariis, in hoc quidem non dicitur, verum symbolo ejusdem dignitatis, lituo, indicatur.

IV.

Marcus ANTONIVS IMP*erator* III. VIR. R*ei*P*ublicæ* C*onstituendæ*. Caput idem M. Antonii, retro est lituus.

PIETAS C*on*S*ul*. Fortuna, quæ in superioribus, adstante sibi ciconia, temonem mani-

bus, tenebat, hic nihil illorum habet; verum arulam accensam manu gestat; atque in summo cornucopiæ, quod læva manu tenet, duæ conjunctis rostris stant ciconiæ.

Utriusque Antonii hic celebratur pietas, Marci & Lucii, hæc scilicet si bene procederet, atque ad optatum perveniret finem, futurum erat, ut Diis suus honor, hominibus omnium rerum adfluentia redderetur. Illud ara accensa, hoc cornucopiæ innuere videtur. Omnes hi denarii, uno eodemque tempore sunt cusi.

V.

Cajus ANTONIVS *Marci Filius* PROCO*nSul*. Caput muliebre galero & monili ornatum.

PONTIFEX. Securis & bina simpuvia.

Tertius hic est ex fratribus Antoniis, Cajus dictus, cujus indoles ex Ciceronis Philippicis agnoscitur *Fratrum* Antoniorum *minorem* hunc vocat Vaillantius, quare illius scilicet denarium (ut putat) in serie post Lucii denarios posuit Ursinus. Verba ejus hæc sunt: *Ursinus hunc Caji Antonii denarium post nummorum L. Antonii triumviri fratris seriem adjungit, quasi esset eorum frater minor, ut epigraphe annuere videtur, Cajus Antonius, Marci nempe Oratoris filius: cui libenter assentimur.* Quæ verba si non falsa, certe valde obscura sunt. Inter tres fratres Marcus fuit natu maximus, Lucius natu minimus, medius Cajus, unde non potest dici *eorum frater minor.* Testis de ætate ejus mihi locuples Cicero, cujus sunt verba Philipp. X. cap. 5. *Erat ei spes una in C. Antonio, qui duorum fratrum ætatibus medius interjectus, vitiis cum utroque certabat.*

Dignitas ejus duplex in hoc denario memoratur, proconsulatus & pontificatus. Pontificatum a Cæsare accepisse videtur, quum ille sacerdotia augeret. Proconsulatum ejus recte refert Vaillantius ad provinciam Macedoniam, ad quam occupandam prætor cum proconsulari potestate missus fuit a Marco Antonio, miraque celeritate confecit iter. Unde hæc apud Ciceronem sequuntur l. c. *Qui, tanquam extruderetur a senatu in Macedoniam, & non contra prohiberetur proficisci, ita cucurrit.* Verum a Bruto fuit præventus, unde ita porro in illum jocatur Orator. *Quæ tempestas, dii immortales! quæ flamma, quæ vastitas, quæ pestis Græciæ fuisset, nisi incredibilis ac divina virtus furentis hominis conatum atque audaciam compressisset? Quæ celeritas illa Bruti? quæ cura? quæ virtus? etsi ne C. quidem Antonii celeritas contemnenda est: quem nisi in via caducæ hæreditates retardassent, volasse eum, non iter fecisse diceres.* Captus idem fuit a Bruto, & tum temporis quidem servatus, sed postea factione Bruti, ob occisos ab Antonio Cicerones, fratremque Bruti D. Brutum, necatus, Hortensio, oratoris Hortensii filio, inprimis urgente; quem triumvir postea manibus fratris itidem immolavit.

Caput illud juvenile de puero ingenuo, qui sacerdoti sacrificanti aderat, quique *Camillus* vocabatur, explicavit Vaillantius, opinionem hanc nummorum fides dejicit; apparet enim ad oculum caput esse muliebre, ex addito non tantum ad collum monili, verum etiam cirris capillitii. Cujus deæ vultus sit, definire difficile est, Salutis forsan, cujus caput tegi ratione non caret. Tegumentum illud hic est galerus, qui inter tegumenta capitis recensitus a Servio ad Virg. Æn. II. 683. describitur fuisse *pileus, ex pelle hostiæ cæsæ.* Puer certe Camillus, quem hic delineari putant, nusquam mihi fuit inventus galerum gestare incubantem capiti, & pileoli in morem, ut in hoc nummo, caput tegentem; habuit galerum, sed in fronte exstantem, & erectum atque assurgentem, uti apparet ex columnæ Trajanæ sacrificio apud Montfauconium Tom. II. p. 168. atque accurata Morellii nostri pictura inferius num. LXXVII. Picturæ columnæ Trajani. Quum vero ibi in ipso sacrificandi opere exprimatur, orneturque justo maxime more, Camilli effigies huic nummo applicari nequaquam potest. Sacerdotalia instrumenta in altera denarii parte Pontifici conveniunt.

VI.

Marcus ANTONIVS *Marci Filius Marci Nepos* AVGVR. IMP*erator* TER. & ab altera parte CO*nSul* DESIG*natus* ITER*um* ET TER*Tium* III. VIR *Rei Publicæ Constituendæ*. Caput Solis radiatum ex hac parte; ex altera exhibetur ipse Antonius stans, sive gradiens, togatus & velato capite, baculum auguralem incurvum, quem *lituum* dicebant, dextra ferens.

Anno V. C. DCCXVIII. illato Parthis bello Antonius in principio adblandientem habuit fortunam, sed mox eadem adversante, in iniqua compulsus loca, ne sibi, quod olim Crasso, accideret, metuens, turpiter, multis amissis militibus, fugit. Voluit tamen videri victor Parthorum; imo quum in Syriam profugisset, ibi incredibili quadam mentis vecordia, ferociorem aliquando factum esse tradit Florus IV. 10. quasi vicisset, qui ægre evaserat. Hinc, ut Orientis domitor, videtur in pluribus denariis Solis caput, symbolum Orientis, expressisse. Cui templum quoque condidisse testatur sequens denarius; ipse vero Antonius, ut augur, augurali habitu in ipso opere hic exhibetur, tenens videlicet dextra *lituum*, id est, ut definit Servius ad Virg. Æn. VII. 187. *incurvum augurum baculum, quo utebantur ad designanda cœli spatia; nam manu non licebat.* Condendi templi locus antea a diis petendus atque adprobandus erat, in quem ipse Antonius hic exhibetur inquirens, atque lituo suo cœli regiones describens.

VII.

Marcus ANTONI*us* IMP*erator*. Caput M. Antonii.

III. VIR *Rei Publicæ Constituendæ* Templum cum duabus columnis, in medio est caput adversum Solis radiati.

Diximus modo de ratione condendi templi in honorem Solis; adferunt aliam causam Antiquarii; quod Osiris apud Ægyptios idem cum Baccho & Sole sit, ipsumque dicunt Antonium triumvirum ab Alexandrinis aliisque per adulationem Baccho fuisse comparatum; deinde filium Antonii, minorem natu, ex Cleopatra, Alexandrum τὸν ἥλιον i. e. *Solem* quoque a patre fuisse cognominatum. Verum Bacchi habitu ubi exprimitur Antonius, caput hedera habet coronatum, uti videre est in nummis argenteis tribus maximi moduli Tab. II. Osiridem vero nummi Ægyptii pingunt, modium in vertice habentem. Sed a filio Alexandro lucem maxime hic denarius capere videtur; non enim simpliciter caput Solis exhibetur, sed cernitur clypeus cum imagine Solis. Unde mihi in templo Soli erecto dedicasse videntur Antonius & Cleopatra imaginem filii sui (quem Solem etiam vocabant) Alexandri, clypeo insculptam, ut solebant per illa tempora tales clypei dedicari & in templis suspendi.

VIII.

Sine Epigraphe. Caput M. Antonii, retro est lituus.

M. AN-

Marcus ANTONIVS III. VIR. *ReiPublicæ Constituendæ*. Caput Solis radiatum.

Ratio hujus nummi eadem est illius qui occurrit superius num. VI. Pro ipso Antonio augure hic exprimitur caput Antonii, cui lituus additur.

Lit. C.

Similis superiori, sed pictura differt, & ad caput Antonii titulus ejus IMP*erator* adscribitur.

TAB. II.

I.

Marcus ANTONIVS IMP*erator* CO*nSul.* DESIG*natus* ITER*um* ET TERT*ium*. Caput M. Antonii hedera & corymbis redimitum, subtus est lituus; omnia in corona ex foliis hederæ & corymbis implicita.

III. VIR. *ReiPublicæ Constituendæ*. Sacra Bacchi cista, desuper Cleopatræ est caput diademate insignitum, utrinque in spiras angues adsurgunt, caudis connexis.

Præclaros hosce Medalliones argenteos plurimi ex eruditis depinxerunt atque illustrarunt; quare (ut in talibus) pro more breves erimus.

Antonius inter reliquas ebrietatis & crapulæ contumelias, Bacchum sese dici Athenis passus fuerat. Græci igitur qui in Asia passim habitabant, servilis adulationis genus, hisce typis Antonii atque Cleopatræ benevolentiam captare voluerunt. Hinc ab altera parte Antonii caput Bacchica corona redimitum signarunt; ab altera parte cistam illi sacram sacrosque ipsi serpentes, & desuper Cleopatræ reginæ (quam jam dimissa Antonius Octavia publice & efflictim deperibat) caput regali diademate insignitum. Præstantissimus Vaillantius coronam, quæ vultum ambit, scribit esse *ex hederæ foliis, cum uvæ botris implexa*. Quæ si de vitis fructu intelligi velit, erravit, sunt enim *uvæ hederarum*, prout Servius *corymbos* explicat ad Virg. Ecl. III. 39.

Diffusos hedera vestit pallente corymbos.

Hi nummi tetradrachmales a typo aversæ partis *cistophori* adpellabantur, eratque genus illud monetæ, typusque cistæ Bacchicæ, familiaris Asiæ populis, unde inter alia Manii Acilii spolia de rege Syriæ Antiocho, fercula vidit populus Romanus cistophororum CCXLII. millibus impleta. Heu quam parcæ reliquiæ ex tanta opulentia in antiquariorum museis observantur!

II.

Epigraphe eadem. Capita jugata M. Antonii & Cleopatræ, illud hedera, hoc diademate, & monili baccato ornatum.

III. VIR. *ReiPublicæ Constituendæ*. Cista sacra inter similes serpentes, insistente Baccho, habitu muliebri, dextra cantharum, læva gerente thyrsum.

Videntur omnes hi cistophori cusi fuisse anno V. C. DCCXX. quum, Arthuasde Armeniæ Rege per fraudem capto, Alexandriæ triumpharet Antonius, filiumque regem, & Cleopatram reginam, regum filiorum matrem adpellaret. Bacchi habitu ipse forsan Antonius cistæ sacræ insistit.

III.

Epigraphe eadem. Caput M. Antonii hedera redimitum, in ambitu tetradrachmalis nummi iterum corona ex corymbis est & hederæ foliis.

Sine Epigraphe. Corytus cum arcu & sagittis inter similes serpentes. In area hinc inde tridens est & caduceus.

Pro sacra Bacchi cista hic corytum cum arcu & sagittis cernimus, a similitudine tamen, & præcipue ponderis ratione, hi quoque nummi cistophori adpellabantur. Pergameni vel Perinthii, Laodiceni, & Cretenses passim tales tetradrachmales cistophoros cudere solebant; & Pergameni quidem, vel Perinthii, sæpius urbem suam per monogramma aliquod indicare soliti sunt, ut & Laodiceni, prouti videre est priores in Fam. Appia & Cœcilia, posteriorem inferius in gente Tullia. Cretenses & Cydonii nonnunquam nomen urbis adscribebant, nonnunquam nudis typis contenti erant. Tridens in hoc tetradrachmo maritimam urbem innuere videtur, quæ, Antonio favens, sub illo florebat, ut caduceus indicat. Ipse quoque habeo elegantissimum, nondum adhuc vulgatum, cum cista ab altera parte, ab altera coryto &c. urbis Apamææ in Syria, quod monogramma additum indicat, & apposita Palladis, quæ ibi colebatur, facies, sed ad Antonium non pertinet.

IV.

Μαρκ☉ ΑΝΤΩΝΙΟΣ ΑΥΤΟΚΡΑΤΩΡ ΤΡΙΩΝ ΑΝΔΡΩΝ. *Marcus Antonius Imperator triumvir*. Caput M. Antonii.

ΒΑΣΙΛΙΣΣΑ ΚΛΕΟΠΑΤΡΑ ΘΕΑ ΝΕΩΤΕΡΑ. *Regina Cleopatra dea nova*. Caput Cleopatræ diademate ornatum, pectore tenus; monilia baccata in pectus & humeros dependentia divite apparatu collum ambiunt.

Numisma hoc argenteum tetradrachmale est atque insigne, non tantum ponderis & magnitudinis ratione, verum etiam artificii, quæ enim ego ejus generis vidi artem singularem splendoremque testabantur. Explicatio per se patet; *Dea Nova* regina Orientis Cleopatra adpellatur, de qua adpellatione consuli possunt Spanhem. 1. p. 421. & Vaill. Hist. Ptolem. p. 189. 190.

Lit. A.

Sine Epigr. Caput Cleopatræ diademate redimitum.

ΚΛΕΟΠΑΤΡΑΣ ΒΑΣΙΛΙΣΣΗΣ. *Cleopatræ reginæ*. Aquila fulmini insistens, ante pectus est cornucopiæ, retro litera Π. quæ Ptolemaide, vel Pelusii percussum nummum arguit. Voluit Morellius hunc addere formæ gratia, ut credo, Cleopatranæ, ut ostenderet, qualis in ære, sicuti modo in argento, exstiterit; nam ad familiam Antoniam nihil facit. Habeo hujus Cleopatræ complures nummos, nondum editos quosdam, præsertim unum cum facie hinc Antonii, inde Cleopatræ, brevi cum aliis Batavæ nostræ regionis ejusmodi deliciis in lucem edendos.

Lit. B.

Sine Epigr. Capita duo virilia jugata, ex opposito cernitur caput muliebre.

. . . . . ITER*um* PRAEF. . . . Triremis cum velo, inferius litera Γ. & Siciliæ signum tria crura.

Consuli merentur, quæ collegit eruditissimus abbas Petrus Seguinus libro Select. Numism. p. 95. ed. pr. sive p. 106. edit. secundæ, ubi primus

mus hunc nummum protulit, atque existimavit pertinere ad pacis conditiones inter Antonium atque Cæsarem cum Sexto Pompejo, vultumque muliebrem esse Octaviæ, sororis Cæsaris, Antonio pro firmæ pacis vinculo collocatæ; literas detritas idem sic restitui posse putat. IMPERator ITERum PRAEFectus CLASSis ET ORAE MARITimæ EX SenatusConsulto. Videns tamen varias contra sententiam suam difficultates, fluctuat, & tandem dubitat, an non ab Agrippa paullo post cudi potuerit.

Optimum virum in errorem induxit injuria, quam a tempore & ærugine nummus ejus, utpote æreus, passus fuit; quod itidem contigit comiti Mediobarbo, dum ex indice Polatio (habuit Valerius Polatius Bononiensis insignem,dum viveret, antiquorum nummorum multitudinem) a Josepho Magnavacca composito, profert hanc hujus nummi mentionem. *Capita M. Antonii, C. Cæsaris, & Octaviæ, jugata. . . . . . Navis expansis velis. Epigraphe non legitur:* Nummus integrior omnem litem penitus tollit, & obductam olim tuentibus caliginem ab oculis discutit; ille videlicet, quem in gente Oppia vulgavit Vaillantius, quemque noster Morellius multo integriorem dedit nitidioremque in fam. Oppia lit. C. ubi illum visuri sumus; est enim, muliebre quidem illud, Cleopatræ caput, quamvis ex nummo detrito ad faciei ejus filum haud deductum, (Seguinum enim hic in fam. Antonia ad amussim expressit Morellius) duo virilia autem, Antonii sunt Triumviri, atque filii Antonii majoris sive Antylli, ut Vaillantio placet; verum ego malim Cæsarionis, sive Julii, Cleopatræ ex Cæsare filii, quem hoc anno DCCXX. adpellavit regem regum. Videtur autem eodem tempore cum superioribus cusus esse,anno V. C. DCCXX.ex reliquiis literarum in nummo PR. PFAEF. fecerat Seguinus ITER. PRAE... inde natus error.

V.

Caput Imperatoris Claudii laureatum, retro est lituus.

AYTOκρατωρ. *Imperator.* Duplex cornucopiæ, supra quod tria sunt capita, Britannici videlicet medium inter Antoniam atque Octaviam, liberorum Claudii ex conjuge Messalina.

Videtur Morellius, secutus Ursinum, hunc nummum Græcum Antonii triumviri familiæ inseruisse (ad quam tamen directe non pertinet) propter matrem Imperatoris Claudii Antoniam, quæ M. Antonii triumviri fuit filia: & propter cognominem aviæ filiam Claudii Antoniam, inde Minorem dictam. Claudii facies facile ex rigiditate vultus & præcipue malarum macie agnoscitur, inde inter Græcos nummos Claudii hunc quoque retulit Morellius ex ære minimo Tom. II. num. XXI. ubi docemur in Thesauro Regio exstare, atque Ægyptios, vel nescio quam Græciæ urbem, eandem felicitatem Claudio fuisse gratulatam cum Romanis colonis Augustæ Aroës Patrensis, cujus simillimus nummus, sed Latine inscriptis, observatur ibid. Tom. II. num. XXVI. inter nummos Claudii ex ære medio.

VI.

ANTONIus ARMENIA DEVICTA. Caput M. Antonii, retro pharetra est.

CLEOPATRAE REGINAE REGVM FILIORVM REGVM. scilicet *Matri*, sive ut Reginæ Regum, ita Reges quoque filios habenti inter eos Reges, quibus Arsacidis major Fœmina, imperabat. Caput Cleopatræ, cum prora ad pectus, qua classes ejus exprimuntur.

Denarii hujus insignis, & plurimum ad historiæ fidem facientis tempus ex adscripto titulo colligitur. Anno videlicet DCCXX Alexandriæ triumphans Antonius de Arthuasde, Rege Armeniæ, per fraudem capto (unde *Armenia* hic *devicta* dicitur) Cleopatram ibidem in concione reginam regum appellavit, filiosque ejusdem reges: Cæsarionem scilicet, ex Julio Cæsare, regem regum, Ptolemæum vero, ex se, regem Armeniæ.

VII.

Marcus ANTONIus IMPerator. Caput Antonii, retro est lituus.

CAESAR DICtator. Caput Julii Cæsaris, retro urceus est.

Antonius Julii Cæsaris per matrem Juliam adfinis, cum illo fuit in Galliis, ubi sine forte quæstor ab eodem lectus est, postea decoratus sacerdotio auguratus, anno videlicet DCCIII. unde lituus retro caput ejus cernitur.

VIII.

M. ANT. IMP. AVG. III. VIR. *ReiPublicæ Constituendæ. Marcus* BARBATus *Quæstor Provincialis.* Caput M. Antonii.

CAESAR IMPerator PONTifex COnSul. III. VIR. *ReiPublicæ Constituendæ.* Caput nudum Cæsaris, retro est lituus. Cusus videtur denarius anno V. C. DCCXI. Barbatum in Valeria gente videbimus.

Lit. C.

Epigr. eadem. Caput idem M. Antonii Triumviri.

CAESAR IMPerator PONTifex III. VIR. *ReiPublicæ Constituendæ.* Caput nudum sine lituo. Consulatus in hoc danario non adscribitur.

Lit. D.

ΕΤΟΥΣ ΚΑΤ. . . . . . ΣΑ. Caput M. Antonii.

ΚΑ. . . . . ΜΟΝΑ. Caput Cleopatræ Reginæ diadematum.

Epigraphe corrosa nisi ex integriori nummo resarciri vix poterit. Interim dum talis exspectatur, legi forsan possit a capite Antonii ΚΑΤΑΔΟΥΛΩΣ. ΑΡΜ. Cujus lectionis in ora nummi supersunt literæ ΚΑΤ. . . . . . . Σ. reliqua ΕΤΟΥΣ. æram (cujus annus excidit) significant, a capta videlicet Armenia numerandam; ut, sicuti superius num. VI. Latine adscribitur ARMENIA DEVICTA. hic quoque idem Græce significetur. Inscriptionem quæ ad Cleopatræ caput est, ita suppleo & refingo. ΒΑ. ΚΛΕΟΠ. ΘΕΑ ΝΕΩΤΕΡΑ. *Regina Cleopatra, dea nova.* ut supra num. sexto.

TAB. III. Num. I.

Marcus ANtonius IMPerator, AUGur, III. VIR. *ReiPublicæ Constituendæ, Lucius* GELLius *Quæstor Provincialis.* Caput M. Antonii, retro est urceolus.

CAESAR IMPerator PONTifex COnSul. III. VIR. *ReiPublicæ Constituendæ.* Caput Cæsaris, retro est lituus, qui Antonii auguratum, sicuti guttus Cæsaris pontificatum, respicit. De Gellio, quæstore provinciali, in fam. Gellia visuri sumus.

II.

M. ANTONius IMPerator, III. VIR. *ReiPublicæ Constituendæ.* Caput M. Antonii.

CAESAR IMPerator PONTifex III. VIR. Rei-

ReiPublicæ Conſtituendæ. Caput Cæſaris.

Lit. A.

M. ANTON. IMP. III. VIR. *ReiPublicæ Conſtituendæ.* Caput M. Antonii.

CAESAR IMP*erator* III. VIR. *ReiPublicæ Conſtituendæ.* Caput Cæſaris. Omnes hi denarii cuſi ſunt eo tempore, quo Triumviratum prima vice everſores Reipublicæ invaſerunt.

III.

ANTONIVS IMP*erator.* Caput M. Antonii.

CASAR IMP*erator.* Caput Cæſaris.

Quod tot denarii nobis ſuperſint, qui hinc Antonii inde Cæſaris faciem referunt, pauci vero & rariſſimi, qui Lepidi habeant conjunctam faciem, imminuta per Cæſarem poteſtas Lepidi fecit, atque reconciliatio cum Antonio, accedente etiam vinculo cognationis, quum A. V. C. DCCXIV. ducta uxore Octavia cum Cæſare pacem feciſſet Antonius. Unde multi ex hisce denariis ad hoc tempus videntur referendi, qui ſæpe in inſcriptione aliquantulum variare ſolent, & has vel illas dignitates, illarumque typos adjiciunt vel omittunt.

IV.

Marcus ANT*onius* III. VIR. *ReiPublicæ Conſtituendæ.* Caput M. Antonii.

Caius CAESAR. III. VIR. *ReiPublicæ Conſtituendæ.* Caput Cæſaris.

Nummus hic æreus primæ magnitudinis, explicatione non indiget, verum inſigni raritate ſeſe conſpicuum facit.

V.

ANT*onius* IMP*erator* III. VIR. *ReiPublicæ Conſtituendæ.* Caput M. Antonii, retro eſt lituus.

IMP*erator* CN*æus* DOMIT*ius* AHENOBARBUS. Navis dimidia, deſuper eſt aſtrum Cæſaris. Conſule gentem Domitiam, ubi agimus de hoc denario, inprimis ad fidem hiſtoriarum faciente.

VI.

ANTONIVS AVGVR CO*nSul* DES*ignatus* ITER*um* ET TER*tium.* Caput Antonii. Ex ratione temporis, referri debet ad annum DCCXVII. Tum enim nummi ejus exhibent illum deſignatum iterum & tertium.

Marcus SILANUS AUG*ur Quæſtor* PROC*onSule.* in area nummi. Vide Gentem Juniam.

Litera B.

ANTONIVS AVGVR IMP*erator* III. CO*nSul* DES*ignatus* III. III. V*ir ReiPublicæ Conſtituendæ.* Differt a reliquis ejus generis hic denarius quod III. V. ſcribatur, pro quo alii paſſim habent III. VIR. Caput M. Antonii.

Marcus SILANVS AVG*ur Quæſtor* PROCO*nSule.* ut ſupra in area nummi.

Litera C.

ANTONIVS AVGVR CO*nSul* DES*ignatus* ITER*um* ET TER*tium.* Caput M. Antonii, retro lituus eſt.

Marcus SILANV*s*, AVG*ur Quæſtor* PROC*onSule.* in area nummi.

Inter illos, qui M. Antonii partes ſecuti ſunt, etiam exſtitit M. Junius Silanus, Tribunus olim ſub Lepido; quem adhæſiſſe deinde Antonii partibus, ex hoc denario & ſequenti colligimus, auguratu fuiſſe honoratum, & proconſulare imperium in aliqua provincia obtinuiſſe.

Lit. D.

ANTON*ius* AVG*ur* IMP*erator* III. CO*nSul* ITER*um* IIIVIR. *ReiPublicæ Conſtituendæ.* Caput M. Antonii ſine lituo.

Epigr. eadem ut ſupra, in area nummi.

Nihil niſi inſcriptione differt a ſuperiore, & quod auguratus Antonii ſymbolum, lituus, abſit. Cuſi videntur hi nummi circa annum DCCXVIII.

VII.

Marcus ANTON*ius* IMP*erator* AVG*ur* III. VIR. *ReiPublcæ Conſtituendæ.* Lituus & præfericulum.

Lucius PLANCVS IMP*erator* ITER*um.* Guttus ſtans inter fulmen alatum & caduceum alatum.

Lucius Munatius Plancus, homo fidei inſtabilis, quamvis Bruti collega in Conſulatu eſſet deſignatus, multaque Ciceroni & Senatui de fide ſua in remp. ſpopondiſſet, turpiter tamen illas partes deſeruit; & plus ſemel ſuarum partium proditor fuit. Lepidi enim facinorum comes in initio, ut par illi eſſet, fratrem quoque ſuum proſcripſit, quare triumphantibus deinde Lepido & Planco, acclamatum fuit a militibus triumphali joco: *De Germanis, non de Gallis triumphare ambos conſules.* Anno enim DCCXII. conſulatum una geſſerunt. Sed a Lepido deinde poſt imminutam ejus potentiam ad Antonium tranſiit; quem & ipſum in ipſo Actiaci belli apparatu reliquit, ad Cæſarem ſeſe adplicans, a quo ad cenſuram & alios honores evectus eſt.

Nummus hic indicat Plancum tum Antonii partes fuiſſe ſecutum; auguratus enim ſymbola exhibentur. In Inſcriptione quadam Vetere plurimi hujus Munatii Planci honores enumerantur, ubi itidem IMP. ITER. adpellatur. Imperatoris primum titulum nactus fuit devictis Rhætis A. V. C. DCCX. Iterum Imperator a militibus videtur adpellatus fuiſſe, quum deſerto Cæſare, inſtinctu Fulviæ venit in auxilium L. Antonii, fratris triumviri, atque in itinere integram Cæſaris legionem protrivit.

Fulmen & caduceus belli pacisque ſunt ſymbola, guttus autem religionis; quibus indicare voluit Plancus, bello pacem quæri, religionem illo defendi, hac firmari. Cuſum opinor denarium non anno DCCXII. quo conſul cum Lepido fuit, ſed anno DCCXIII. quo enixe Antoniorum, Marci atque Lucii, & Fulviæ partes adjuvit.

VIII.

Marcus ANTO*nius* CO*nSul* III. IMP*erator* IIII. Caput Jovis Ammonis, cum cornu arietino.

SCARPVS IMP*erator* ANTONIO AV*Guri.* Victoria gradiens, dextra corollam, læva portans palmam ſuper humeros.

Inſcribitur in hoc denario Antonius Imp. IV. & Conſul III. Tertium conſulatum nunquam geſſit, quia hoſtis fuit judicatus. Imp. III. titulum non meruit, quia victus in pugna Actiaca, non victor fuit. Hinc opinatur Cl. Vaillantius, Anto-

Antonium poſt fugam Actiacam ſimulaſſe victoriam, quam quoque Cleopatra, ut tutius fugeret, mentita fuerat, mentitum etiam fuiſſe III. ſibi conſulatum delatum; atque ideo Parætonii Marmoricæ urbe, ubi adpulit Antonius, hoſce denarios cudiſſe Scarpum, qui Jovis Ammonis effigiem gerunt, quod illa urbs *Ammonia* quoque vocaretur. Iratum deinde Scarpum, quod ſe deceptum vidiſſet, abſente Antonio, cum legionibus ſuis ad Cæſarem defeciſſe.

Ingenioſa hæc eſt ſententia & forſitan vera; verum & meam proferam. Profecturus contra Cæſarem Antonius tantis ipſe copiis navalibus & terreſtribus inſtructus erat; ut facilem ipſe & Cleopatra ſperarent victoriam, unde noluit vela navium bellicarum a gubernatoribus in terra relinqui, verum in naves inponi, addens, *faciendum, ne quis hoſtium fuga evadat.* Hac & ſimili veſania actus, Alexandriæ III. ineuns conſulatum, potuit hunc & ſimiles denarios cum victoria prævia, præoccupato Imp. IV. titulo cudere; imo mentiri hanc ſibi victoriam ab ipſo Jove Ammone promiſſam & prædictam.

TAB. IV. Num. I.

M*arcus* ANTONIVS AVG*ur* IMP*erator* IIII. CO*nSul* TERT*ium* III. VIR. R*eiPublicæ* C*onſtituendæ*. Caput M. Antonii.

D. TVR. Victoria gradiens in laurea, dextra ſertum, læva palmam gerens.

Marcus Antonius bellum Cæſari moturus, copiasque navales contra eundem educturus, antequam cum Cleopatra illam expeditionem ſuſciperet, Alexandriæ ſeſe ut in conſulatu tertio (quum tamen coſſ. eſſent Romæ Cæſar Octavianus III. & Meſſala Corvinus) Imperatorem quoque ſe IIII. adpellari paſſus eſt, & tanquam prævia ipſi graderetur Victoria, eandem in denariis ſignari juſſit. Contigerunt hæc anno DCCXXIII.

Literæ D. TVR. videntur integre debere legi *Decimus Turulius.* Cognoſcitur enim Turulius quidam Ciceroni lib. XII. ep. 13. ad Fam. *Et ſequebatur claſſis altera, quam anno priore in Bithynia Tullius Cimber compararat, cui Turulius Quæſtor præerat.* Hunc *Publium Turullium* adpellat Dio, Πόπλιον Τερύλλιον, ubi interitum ejusdem narrat lib. LI. pag. ed. H. Steph. DXIII. Publius hic Turulius adhæſerat olim Bruto atque Caſſio, a Dione etiam l. c. inter Cæſaris Dictatoris interfectores numeratus; hinc ut Caſſii quæſtor Ciceroni memoratur claſſi præfuiſſe. Profligatis deinde Bruti partibus, Cæſarem veritus, ob Julii cædem, Antonio adhæſit, qui in extrema deſperatione, quum omnibus modis veniam a Cæſare peteret, etiam Turulium hunc ſenatorem & amicum occidendum inimico tradidit. Hujus Publii Turulii frater videtur fuiſſe Decimus Turulius, qui in hoc denario legitur; quæſtor forte Pinarii Scarpi, cujus etiam cum ſimili victoriæ typo exſtat denarius ſuperius Tab. III. num. 8. Potuitque idem hic Decimus cum fratre Publio procuraſſe materiam claſſibus, in cædenda ſacra Æſculapii ſylva, cujus facti pœnam dediſſe commemorat Publium Valerius Maximus, teſtante idem Dione. Verba Valerii ſunt lib. I. cap. I. ex. 19. *Nec minus efficax ultor contemtæ religionis filius quoque ejus Æſculapius, qui conſecratum templo ſuo lucum a Turullio, præfecto Antonii, ad naves ei faciendas, magna ex parte ſucciſum dolens, inter ipſum nefarium miniſterium devictis partibus Antonii, imperio Cæſaris deſtinatum morti Turulium, manifeſtis numinis ſui viribus eum in locum, quem violaverat, traxit: effecitque, ut ibi potiſſimum a militibus Cæſarianis occiſus, eodem exitio, & everſis jam arboribus pœnas lueret, & adhuc ſuperantibus, immunitatem conſimilis injuriæ pareret: ſuamque venerationem quam apud colentes maximam ſemper habuerat, Deus multiplicavit.*

Litera A.

Similis eſt ſuperiori, verum quæſtoris D. TVR. ſive Decimi Turulii nomen non adſcribitur.

II.

ANTON*ius* AVG*ur* IMP*erator* III. CO*nSul* DES*ignatus* III. III. V*ir*. R*eiPublicæ* C*onſtituendæ*. Caput Antonii; in inſcriptione III. V. ſcribitur triumviratus titulus, qui alias per III. VIR. efferri ſolet.

ANTONIVS AVG*ur* IMP*erator* III. in area nummi. Titulum Imperatoris tertium accepit Antonius anno DCCXIX. poſtquam Ventidius, legatus ejus, Parthos profligaſſet, atque Labienum occidiſſet.

III.

. . . . *Epigraphe deleta.* Caput M. Antonii.

Lucius BIBVLVS . . . ⁄ . . . Navis Prætoria.

Corroſam Fulviani nummi delineationem ſecutus eſt Morellius; integriorem dedit Vaillantius, ex quo hic ſuppleri debet; ita quidem a parte capitis, M*arcus* ANT*onius* IMP*erator* TER*tium* DESIG*natus* TERT*ium*, III. VIR. Ab altera parte M*arcus* BIBVLVS PRAEF*ectus* CLASSIS.

Fuit hic Bibulus filius M. Bibuli, collegæ quondam Cæſaris in conſulatu; unde reipublicæ poſtea partes cum patre ſecutus, illo quidem morbo abſumto, atque victis partibus, in gratiam receptus, Antonio adhæſit.

Litera B.

M*arcus* ANTONIVS M*arci* F*ilius* CO*nSul* ITER*um* III. VIR. R*eiPublicæ* C*onſtituendæ*. Caput M. Antonii.

Lucius BIBV*lus*, M*arci* F*ilius*, PRAEF*ectus* CL*aſſis* F*ieri* C*uravit*. Navis ſine velo remisque, niſi illa eroſa ſint.

L. Bibulum, quum ab Antonio in gratiam receptus eſſet, præfectum claſſi fuiſſe narrat Appianus Bell. Civil. lib. IV. pag. 611. docetque illum ſimul cum Meſſala in gratiam fuiſſe receptum (καὶ συναυάρχησεν Ἀντωνίῳ,) atque claſſi fuiſſe præfectum, copias etiam ejus contra Cæſarem transvexiſſe: acceptaque ab illo Syria provincia, in ea fuiſſe mortuum. Literæ in nummo F. C. indicant, juſſu Bibuli monetam hanc cuſam fuiſſe, ut inde militibus ſtipendium perſolveretur, cujus rei gratia eædem leguntur in nummo pariter æreo Oppii Capitonis, qui exſtat in gente Oppia num. II.

IV.

. . . . *Epigr. deleta.* ſed quæ ex integriore Vaillantii nummo ita reſarcitur. M*arcus* ANT*onius* IMP*erator* TER*tium* CO*nSul* DESIG*natus* TER*tium* III. VIR. R*eiPublicæ* C*onſtituendæ*. Capita jugata Antonii & Cleopatræ.

L. BI-

L. BIBVLVS . . . . . . Supple M. F. PRO. SIC. i. e. *Lucius Bibulus*, *Marci filius*, *Proprætore Siciliæ*. Triremis prætoria.

Antequam Syriam provinciam ab Antonio acciperet Bibulus, multa illi commoda in militibus transvehendis contra Cæsarem præstitit, utpote inter illos, qui classibus ejus præerant, haud postremus. Hinc titulo proprætoris Siciliæ ab Antonio donatus est; habebat enim aliquam insulæ ejus partem quoque Antonius expulso Pompejo, unde symbolum ejusdem insulæ, tria crura, in ejus nummo vidimus superius Tab. II. lit. B.

V.

Marcus ANT*onius* IMP*erator* CO*nSul* DESIG*natus* ITER*um* ET TERT*ium*, III. supple VIR. *ReiPublicæ Constituendæ*. Capita jugata Antonii & Cleopatræ.

Caius FONTEIVS CAPITO (ita restitue nummum) PROPR*ætore*. Cujus provinciæ non additur, forte, ut Oppius Capito & L. Bibulus, Siciliæ. Navis prætoria.

Non sine ratione Cleopatræ caput hic Fontejus addidit Antoniano, hunc enim testatur Plutarchus in ejusdem vita p. 932. missum fuisse ab Antonio, ut Cleopatram in Syriam, ad quam adpropinquabat Antonius, adduceret.

VI.

Caius FONTEIVS CAPITO PROPR*ætore*. Capita Antonii & Cleopatræ jugata.

Marcus ANT*onius* IMP*erator* CO*nSul* DESIG*natus* ITER*um* ET TERT*ium*, III. supple VIR *ReiPublicæ Constituendæ*. Triremis prætoria. Ratione inscriptionis, quæ in hoc nummo aliud latus occupat, a superiore differt.

VII.

Marcus ANT*onius* IMP*erator* TER*tium* CO*nSul*. Capita adversa M. Antonii & Cleopatræ.

Lucius ATRATINVS AVGVR CO*nSul* DES*ignatus*. Duæ naves prætoriæ, sub quibus litera B.

Huic similem nummum in gente Sempronia (ex qua fuit Lucius Atratinus) num. V. profert Vaillantius; verum abest COS. ad caput Antonii, cum retro illud sit lituus, & unam modo navem ibi depictam cernas, inscriptio quoque eadem non est. In gente vero Antonia ex Patino num. XLIX. profert nummum nostro Morelliano quidem similem, verum literam B. sub navibus non habentem, atque insuper inscriptionem hujusmodi, *Lucius* ATRATINVS PRAEF*ectus* CLASS*i*. Unde propter typorum & inscriptionum differentiam hi tres nummi diversis matricibus cusi videntur.

Et hic quidem, de quo agimus, cusus est secundo anno, quo imperium classis iste Atratinus habuit, quod litera B. indicat; ita enim A. primum, B. secundum, Γ. tertium istius præfecturæ annum signare solet. Inscribitur insuper augur & consul designatus; quæ quid sibi velint, inquirendum est. Quando augur sit factus, non constat, fuisse tamen putant ex Tab. V. num. 1. verum ad consulatum per Antonium pervenit, fuit enim illi suffectus; videlicet, quum ex pacto, a triumviris cum Sexto Pompejo inito, Antonius & Libo, socer Pompeji, Consules fieri deberent anno DCCXIX. Antonius in Oriente bellum gerens, Kal. Jan. sese eo magistratu abdicavit, illique usque ad Kal. Julias suffectus fuit hic Atratinus, qui sese mox in Ægyptum contulit, atque ab Antonio classi præfectus fuit; unde statui debet cusus nummus anno DCCXIX. Quamvis tamen hæc ita sint, non puto ad L. Sempronium Atratinum totam hanc aversæ partis inscriptionem spectare, sed partem ejus debere connecti cum inscriptione, quæ exstat in priori parte, ita ut simul juncta ad Antonium hæc omnia spectent, *Marcus* ANT*onius* IMP*erator* TER*tium* CO*nSul* AVGVR CO*nSul* DES*ignatus*. Ratio est, quod de auguratu Atratini non constet, deinde quod suffecti consules nunquam *designati* dicantur in nummis; at vero Antonius passim in nummis legitur *designatus consul* & quidem *iterum* & *tertium*; cujus rei hæc est ratio. Pace, jussu populi Romani, qui fame premebatur a Sexto Pompejo Siciliam tenente, inita inter triumviros, M. Antonius atque Cæsar cum Sexto Pompejo tandem in has conditiones convenerunt: *Consules* inquit Appianus lib. V. p. 714. *designati sunt in quadriennium, ante omnes Antonius & Libo, ut tamen Antonio liceret alium pro se substituere: post illos Cæsar & Pompejus, tum Ænobarbus & Sosius, deinde rursum Cæsar & Antonius, tertium tum futuri consules, &, ut sperabatur, populo reddituri administrationem reipublicæ*. Hæc contigerunt anno DCCXVII. & inde Antonius jam consul ante, & per hoc pactum jus ad secundum & tertium consulatum adeptus, concessos honores, etiam quos propter insecutam discordiam gerere non potuit, in nummis suis usurpat. Firmat omnino hanc meam opinionem, quod in illo Vaillantii nummo in gente Sempronia a parte capitum legatur sic ut in nostro, ab altera autem AVGVR CO*nSul* DESIG*natus* TERT*ium*. *Lucius* ATRATINVS B. quæ nequaquam Atratino conveniunt, verum ipsi Antonio. Qui vero in nummis Morelliano & Vaillantino simpliciter vocatur *Lucius* ATRATINVS, ille in Patiniano justum insuper dignitatis habet titulum, ubi PRAEF*ectus* CLAS*si* dicitur.

VIII.

Sine epigraphe. Capita jugata Antonii & (ut Vaillantius vult) Cleopatræ, quorum illud laureatum est.

ANTON*ius*. Leo. Inscriptio in ipso nummo forsan largior fuit, verum in ære satis minuto antiquariis plura non adparuerunt.

Laureatus hic exprimitur Antonius, qui & stemma generis sui, quod ab Hercule per Antonem illum veterem ducere videri volebat, leonem, in aversa parte signavit. Tempus cusi nummi rationem typi indicabit.

Tab. XI. num. 1. nummus est Antonii, cum leonis itidem effigie, sed quæ ratione typi a nostro discrepat. Inscribitur ibi Antonius *imperator iterum*, & *consul designatus iterum & tertium*. Si isto tempore quoque hic noster cusus est, ante annum DCCXIX. cudi non potuit, quo iste dignitatum cumulus Antonio accessit. Neque aliter quoque Cleopatræ juncta facies locum habere potest.

Ast ego, uti sæpe, ita hic quoque a clariss. Vaillantio dissentio, & quam ille credidit Antonii Cleopatram, ego suspicor Octaviam. Tria me movent argumenta. Leonis typus discrepat, nec inscriptio ad illud tempus nos trahit; deinde argentei quinarii sunt a Lugdunensibus in honorem M. Antonii cusi, ut videre est Tab. V. num. 4. & 5. cum simillimo & nihil discrepante leonis gradientis typo, qui quidem quinarii ante illud supra memoratum tempus sunt cusi; denique tertio occurrit eadem plane leonis pictura infra Tab. XI. num. 4. quæ, legionis XVI. notam gerens, caput Cæsaris triumviri habet in par-

parte anteriori. Quæ omnia evincunt tria hæc nummulorum genera a Lugdunensibus cusa in gratiam Antonii & Cæsaris, tum, quum maxime illorum floreret amicitia, &, exemta rerum naturæ Fulvia, muliere furiosa, Octaviam, Cæsaris sororem in matrimonium recepisset Antonius; quod contigit anno DCCXIV. cui rarissimum hunc nummulum æreum adsignandum censeo.

Litera B.

Sine epigraphe. Caput M. Antonii.

Literæ Hispanicæ, ex quibus forte M. Antonii nomen possit exsculpi. Typus equitem desultorem exhibet parma & galea armatum, qui juxta se alterum equum currentem ducit.

Hispaniæ aliqua urbs, Herculi devota, videtur Antonio per hunc typum blandiri voluisse, faciem ejus pro capite Herculis sui signando.

Lit. C.

Epigraphe corrosa. Capita jugata M. Antonii & Cleopatræ.

. . . . PRAEF*ectus* CLASS*i* F*ieri* C*uravit*. Triremis Prætoria. inf. litera A. & figura obscurior, quam puto Medusæ esse caput, adeoque symbolum Siciliæ.

Forsitan hic nummus ad Fontejum vel Oppium Capitonem referendus est, forsitan ad alium, qui F. C. id est *fieri curavit* ad stipendium militibus solvendum, nihil enim deficiente inscriptione definiri potest.

TAB. V.

Num. I.

Marcus ANT*onius* IMP*erator* TER*tium* CO*n*S*ul* DES*ignatus* ITER*um* ET TER*tium* III. VIR. R*ei*P*ublicæ* C*onstituendæ*. Capita adversa M. Antonii & Cleopatræ.

Lucius ATRATINVS AVGVR PRAE-F*ectus* CLAS*si* F*ieri* C*uravit*. Duæ icunculæ in curru a quatuor equis marinis tracto, subtus litera Δ & arula, retro icunculas connexæ cernuntur in medio literæ HS.

Vitiosam præclari hujus nummi delineationem Ursinus, Patinus & ipse Vaillantius dederunt; manca enim epigraphe, & mutila pictura est. Apud illos ipsis equis figuræ insistunt, quum potius curru vehantur. Ara, literæ Δ. HS. & Auguris in Atratino titulus absunt, quæ omnia hic apparent; ut de capitum epigraphe taceam.

De L. Sempronio Atratino ad prioris Tabulæ num. VII. actum est. Fuit ille classi præfectus, unde convenientem rebus maritimis typum cudit, Antonium & Cleopatram, tanquam maris Deos in quadrigis marinis depingens. Additur ara, quæ spectat ad vota diis pro victoria soluta; celebratur autem illa victoria Armeniaca & triumphus de rege Artuasde ejusque liberis. Litera Δ. tertium annum indicat, quo jam isto honore fungebatur Atratinus. HS. quid sibi velit nondum novi; forsan inpressum est signum possessoris, seu musei, in quo exstat, uti aquila Tab. XI. num. 1. & alibi. Nota vero hæc videtur innuere museum aliquod ad Socios Jesu spectans.

II.

CAESAR DIC*tator*. Caput Julii Cæsaris laureatum; retro est urceolus.

Marcus ANT*onius* IMP*erator* R*ei*P*ublicæ* C*onstituendæ*. Caput M. Antonii, retro est lituus.

Cl. Vaillantius existimat cusum hunc denarium eo tempore, quo dictator Cæsar M. Antonium magistrum equitum dixerat, adeoque ad annum DCCVI. esse referendum, quo dictaturam accepit Cæsar, titulo R. P. C. i. e. *Reipublicæ Constituendæ*, ad id enim dictator fuerat renunciatus. Magister equitum secundus a dictatore honos erat, cujus nominis vice *imperator* a Cæsare dictus est Antonius; ut olim a Sulla dictatore Pompejus. Absente dictatore magister equitum ejus vices gerebat, & ita Antonius imperator, absente Cæsare hoc anno, uti testatur Dio, omnia ad arbitrium gessit, imperator videlicet reipublicæ constituendæ, sicuti Cæsar dictator. A pontifice Cæsare augur constitutus erat Antonius; id urceolus & lituus indicant.

III.

Marcus ANTON*ius* IMP*erator*. Lituus, urceolus & corvus, Antonii, ut auguris, symbola.

Marcus LEPID*us* IMP*erator*. Simpulum, adspergillum, securis, & apex, pontificatus maximi, quem rapuerat Lepidus, sunt insignia. Denarius hic illorum triumvirorum concordiam denotat, sicuti & duo sequentes.

Lit. A.

Epigraphe & typus similis, sed literæ aliter sunt dispositæ.

Marcus LEPID*us* CO*n*S*ul* IMP*erator*. Pontificatus Lepidi, qui hic insuper consul dicitur, eadem insignia.

Lit. B.

Marcus ANTO*nius* INP*erator*. Typus idem.

Marcus LEP*idus* IMP*erator*. Typus similis; verum hic est quinarius, quum duo superiores sint denarii.

IV. & V.

Caput Victoriæ cum humeris alatis, ab altera parte leo gradiens est, inscriptio, hinc inde simul sumta, hæc efficit, ANTONI*us* IMP*erator* III. VIR. R*ei*P*ublicæ* C*onstituendæ*, XLI. scilicet *anno*.

Alter quinarius nullam circa Victoriæ caput habet epigraphen, verum ad leonis effigiem hæc habet verba. LVGVDVNI A. XL. Quæ conficiunt sub triumviratu M. Antonii hosce quinarios Luguduni, seu Lugduni in Galliis esse cusos, anno cujusdam æræ XL. & XLI.

Præclara ad illustrationem horum habet Vaillantius; quorum summa huc redit.

Gallia Cisalpina provincia Romana facta fuit A. V. C. DCXXXIII. Lugdunum autem municipium Romanum factum fuit sub M. Antonio Cretico, M. Antonii triumviri patre, M. Antonii Oratoris filio. Tandem a Claudio imperatore, qui per matrem Antoniam attingebat Antonios, civitatis Romanæ jure donatum est. Lugdunum vero Municipium Romanum factum sub M. Antonio Cretico, quæstore provinciali, inde æram suam numerare cœpit; in divisione autem triumviratus Lepido Hispania ac Gallia Narbonensis obvenit, Antonio reliqua Gallia, videlicet Cisalpina & Transalpina, in qua quum esset Lugdunum, in qua urbe grata patris Antonii Cretici adhuc erat memoria, hosce Antonio triumviro quina-

quinarios cuderunt Lugdunenſes, illi gratulantes victoriam Parthicam, ſuæque Urbis inſigne, leonem, triumviri ex Hercule origini adplicuerunt. Unde etiam æreum iſtum nummum ſuperius Tab. IV. num. 8. ad eandem hanc urbem retulimus, atque caput muliebre, non de Cleopatra, ſed de Octavia interpretati ſumus.

VI.

Marcus ANT*onius* IMP*erator*. Lituus, præfericulum, & gallus gallinaceus.

Sine epigraphe. Victoria componens tropæum.

Invenitur nummus apud Goltzium, qui ſimilem typum atque M. Antonii ab altera parte caput habet, cum nota prorogati triumviratus; unde videtur quinarius hic referri debere ad victoriam Parthicam, poſt ruptam cum Pompejo pacem, atque prorogatum triumviratum. Poſſet alias ad ſuperiora referri tempora, atque Philippenſem indicare victoriam; neque minus commode de Artuasde capto & Armenia devicta explicari poteſt.

VII.

IMP*erator* ANT*onius* AVGVR III. VIR R*ei*P*ublicæ* C*onſtituendæ*. Caput M. Antonii.

IMP*erator* TER*tium*. Tropæum erectum, cum ſpiculis & clypeis in imo poſitis.

Armeniam ſubactam hi tres denarii, qui eundem fere habent typum, denotant, propter quam expeditionem tertio imperator vocatus eſt Antonius; atque multis hanc victoriam nummis celebravit; quod contigit A. V. C. DCCXX. Vel poſſunt etiam referri ad expeditionem illam Antonii, quam ſuſcepit A. V. C. DCCXIX. quum fraudulenter Parthorum fines ingreſſus, eosdem eſt depopulatus, atque ibidem, quaſi re bene geſta, tropæum ſtatuit.

Litera C.

ANT*onius* AVGVR III. VIR R*ei*P*ublicæ* C*onſtituendæ*. Caput M. Antonii.

Epigr. & typus idem. Explicatio eadem.

VIII.

ANT*onius* AVGV*r* III. VIR R*ei*P*ublicæ* C*onſtituendæ*. Caput M. Antonii.

Epigr. eadem. Tropæum ſimile, verum in imo non ſunt duo clypei, verum unus clypeus, & ab altera parte ratis.

Navis hæc videtur Armeniacæ victoriæ hos denarios adſignare, ſicuti in pulcherrimo illo Antonii & Cleopatræ denario (ubi illa *Regina Regum* &c. adpellatur, Antonius autem *Armeniam devictam* gloriatur) ratis quoque circa Cleopatram apparet. Depingitur & explicatur ille ſuperius Tab. II. num. 6.

TAB. VI.

I.

ANTONIVS AVGVR CO*n*S*ul* DES*ignatus* ITER*um* ET TERT*ium*. Caput Antonii.

IMP*erator* TERTIO III. VIR R*ei*P*ublicæ* C*onſtituendæ*. Tiara ſeu Cidaris, cum arcu & ſagittis.

Adparet ex nummo Tigranis, Armeniæ Regis, tiaram, ſeu cidarin, proprium fuiſſe geſtamen atque decus capitis regum Armeniæ; quare nummus referendus venit ad triumphum Antonii Armeniacum, & titulum, quem inde nactus eſt Imp. III. Ad Armeniam devictam pertinere, non ad Parthicam victoriam, oſtendit idem capitis tegmen adpoſitum retro caput Antonii, in denario, qui ſupra Tab. II. num. 6. inſcribitur *Armenia devicta*. Pertinet itaque ad annum DCCXX. quo Alexandriæ triumphum de Artuasde egit Antonius, & quo in ejus rei celebritatem plurimos nummos percuſſit.

II.

CAESAR III. VIR. Caput Cæſaris triumviri.

Marcus ANTON*ius*. *Caius* CAESAR. Dextræ conjunctæ, tenentes caduceum.

Hic atque ſequentes aliquot denarii ſpectant ad pacem inter Antonium atque Cæſarem conſtitutam, quum, quaſi bona fide, in gratiam rediiſſent, ducta in matrimonium Cæſaris ſorore Octavia, adeoque adfinitate arctiſſima Cæſari junctus, Antonius pacem ſpondere populo videretur, quod ſymbola dextrarum conjunctarum atque caduceus promittunt. Referendi ſunt hi nummi ad A. V. C. DCCXIV.

III.

Marcus ANTON*ius*. CAESAR. Ab altera parte III. VIR. R*ei*P*ublicæ* C*onſtituendæ*. cum capite deæ Concordiæ velato, & dextris conjunctim caduceum tenentibus.

Octavia, ſoror Cæſaris, Antonio poſt Fulviæ mortem ſociata, moribus & ingenio inter ſui ſeculi mulieres præſtans, credebatur facile Antonium moderatura, atque ita tanquam firmiſſimum concordiæ vinculum, ſub ipſius deæ Concordiæ habitu in hoc quinario depingitur.

IV.

ANTONIVS IMP*erator*. Caput M. Antonii.

CAESAR IMP*erator*. Caduceus alatus.

Vice verſa typi partis averſæ nunc Antonii, nunc Cæſaris vultubus adplicantur; quoniam omnia jam inter illos videbantur fore communia.

V.

CAESAR IMP*erator*. Caput Cæſaris triumviri.

ANTONIVS IMP*erator*. Caduceus alatus.

Vide dicta ad nummum ſuperiorem.

VI.

Marcus ANTONIVS III. VIR R*ei*P*ublicæ* C*onſtituendæ*. Caput Antonii barba decorum.

Publius CLODIVS *Marci Filius*. Mars nudus, ſtans, galeatus, dextra haſtam puram, læva tenens parazonium.

Antonius in hoc denario cum barba effingitur, quam illum geſtaſſe aliquando teſtimonia ſcriptorum oſtendunt: qui illum propterea Herculi comparatum fuiſſe adſerunt. Hinc barba eadem adparet ſupra Tab. III. num. 4. & Tab. I. num. 7. & 8. & præſertim infra in gente Sepullia, ubi velatus & barbatus occurrit Antonius num. IV. ut augur videlicet, non Lepidus, ut quidam, pontificatum ejusdem ſpectantes, crediderunt.

Martis effigies, quæ hic occurrit, Martis Quirini eſt, ſive Pacifici, cujus ædes intra urbem Romam erant, quum ædes Martis Gradivi extra eandem forent. Cuſus eſt nummus poſt vi-

victoriam Philippensem, A.V.C. DCCXII. quum jam Marti Ultori esset satisfactum, & Martem tanquam Pacificum Antonius jactaret. Cusus est denarius a Publio Clodio (de quo in gente Claudia) Marci filio, quem ex aureo Vaillantii nummo, quem non vidit Morellius noster, agnoscimus fuisse triumvirum auro argento flando feriundo.

VII.

Colonia Julia Nova Carthago. Caput nudum Augusti.

Marco ANTONIO *Caio* PETRONIO II.VIR*is* EX *Decreto Decurionum.* Labyrinthus.

Non pertinet hic nummus ad familias Romanas; est enim in colonia cusus, & de eo videri potest Vaillantius Tom. I. p. 48. M. Antonius II. vir qui hic memoratur, aliquis ex libertis M. Antonii triumviri fuit, qui dominorum suorum, ut notum est, nomen adoptabant.

VIII.

Sine epigraphe. Caput Antonii.

Marcus ANT*onius* IMP*erator* III. VIR. *ReiPublicæ Constituendæ.* Caduceus globo insistens inter duo cornua copiæ.

Respicit hic nummus pacem & divisionem istam orbis terrarum, quam inter se fecerunt duo triumviri M. Antonius & C. Cæsar, de qua pace & partitione supra ad num. II. & III. qua videlicet spem faciebant Romanis, fore omnia tranquilla, & cum pace toties exoptata redituram pristinam ubertatem. Verum in hos quoque Lucanus exclamet I, 87.

O male concordes, nimiaque cupidine cæci,
Quid miscere juvat vires, orbemque tenere
In medio!

Non ipsa furentes Concordia retinere possit, quam sub Octaviæ vultu vidimus num. III.

Quæ mare, quæ terras, quæ totum possidet Orbem,
Non cepit fortuna duos; non pignora juncti
Sanguinis.

ut immutem paullum illud Lucani, quod mox apud illum sequitur versu 110.

TAB. VII.

I.

ANT*onius* AVG*ur* III. VIR *ReiPublicæ Constituendæ.* Navis prætoria.

COHORTIVM PRAETORIARVM. Aquila legionaria inter duo signa militaria, idemque fere typus utrimque omnes hosce sequentes denarios occupat, de quibus fuse & erudite scripsit Vaillantius: excerpemus modo illa, quæ sensum breviter significare possunt.

Cohors dicebatur a *cohortando*, decemque cohortes legionem constituebant. Cohors prætoria dicebatur illa, quæ ad prætorium Imperatoris stabat, atque a prætore non discedebat; inventa, ut creditur, a Scipione Africano, qui fortissimum quemque ad custodiam corporis delegit; accipiebant prætoriani sesquiduplex stipendium. Laudantur itaque hic pedestres & navales Antonii valentissimæ copiæ, quas, ex tot legionum numero, fuisse maximas apparet. Prætoria navis custodiam imperatoris in mari jactat, prætorianæ cohortes salutem Antonii in terra sibi commissam gloriantur.

II.

CHORTIS SPECVLATORVM. Tria signa militaria, in quibus sub clypeolorum laurearumque suggestu tres navium proræ connectuntur.

Chortis legitur pro *cohortis*, quia antiquis, Varrone teste, *cohors* & *chors* dicebatur. *Speculatores* erant, qui e specula prospicebant. Horum usus Antonio & in navali & in terrestri militia fuit; equites enim speculatores in terra scrutabantur loca, & de numero cognoscebant hostium. Quoniam in legiones non recipiebantur, aquila legionaria non exprimitur.

III. &c.

Usque ad TAB. X. num. V.

LEG*io* II. Aquila legionaria (ut & in sequentibus) inter signa militaria.

Inveniuntur legiones plurimæ in denariis Antonii, quos ille cum signis & inscriptionibus legionum cudi curavit, ut militum gratiam aucuparetur, simulque terrestres & navales copias ostentaret. An Legio I. in museis exstet dubitatur; legionem XXIV. primus Patinus protulit: legio VI. ex num. VIII. cognoscitur ab Antonino Philosopho & Vero fuisse restituta. Legio XII. *Antiqua*, ab altera discernitur num. VI. Legio XVIII. *Libyca* dicitur num. VII. & numerus, qui ad XXIV. quatuor excrescit, docet numerum legionum eo usque fuisse multiplicatum, plurimumque inde historiam adjuvari, quæ simpliciter apud Appianum lib. V. Bell. Civilium dicit, æquali potestate & jure novos in Italia delectus habuisse Cæsarem & Antonium, secunda orbis divisione, post receptam in torum Antonii Octaviam. Unde quum XXIV. collegerit Antonius, totidemque in Cæsaris fuerint potestate, adparet, rupta concordia,

Certatum totis concussi viribus Orbis
In commune nefas: infestisque obvia signis
Signa, pares aquilas, & pila minantia pilis.

Lucano teste I. 5.

TAB. X.

Num. VI. & *nummi sequentes sub*

Literis A. B.

S. C. Caput Jovis laureatum, nam deceptos docet Vaill. qui dei Triumphi (qui inberbis pingi solet) caput depingi crediderunt.

Quintus ANT*Onius* BALB*us* PR*ætor.* Victoria in quadrigis, dextra tenet palmam, læva coronam. Tales denarii, ut vulgari typo, *Quadrigati* appellabantur.

Quintus Antonius cognomine Balbus, filius fuit Q. Balbi quæstoris provincialis anno DCXLIII. Hic vero ipse tribunus plebis fuit anno DCLXIV. unde patet Balborum familiam ex gente Antonia aliquando a patriciis ad plebejos transiisse. Itaque hic Quintus is esse videtur, qui, Marianis temporibus a Cinnæ stans partibus, in Sardinia occisus est a L. Philippo Sullæ dictatoris legato, anno DCLXXI.

Literæ S. C. denotant, in prætura Sardiniæ Balbum hunc hos denarios cudisse e decreto senatus. Literæ vero A. B. C. D. &c. quæ in utraque denariorum parte adparent, totum alphabetum absolvisse videntur.

Li-

Litera C. in extremo tabulæ.

ROMA. Caput Romæ galeatum.

Quintus ANTO*nius* BALB*us* PR*ætor*. ut ſupra. Victoria itidem in quadrigis. Adſcriptum nomen Romæ docet cuſos in urbe hos denarios, antequam in provinciam Sardiniam iret Antonius Balbus, in ſtipendium militum proficiſcentium.

VII.

Sine epigraphe. Capita conjuncta triumvirorum, medium eſt illud Antonii, Cæſaris a dextra, Lepidi a ſiniſtra.

ΕΦεσίων ΑΡΧΙΕΡΕΥΣ ΓΛΑΥΚΩΝ. ΓΡΑΜματεὺς ΕΥΘΥΚΡΑΤΗΣ. *Epheſiorum ſummus ſacerdos Glaucon, ſcriba Euthycrates.*

Male ante Morellium nomina magiſtratuum in hoc præclaro nummo lecta fuerunt. Qui enim læſum a vetuſtate nacti ſunt, Patinus & Vaillantius, mutilam inde epigraphen dare coacti ſunt. Patinus ultra ΑΡΧΙΕΡ. legere non potuit in nummis Familiarum, atque æreis Imperatorum ſecundæ & tertiæ magnit. Vaillantius paullo integriorem nactus eſt, legitque ΕΦ. ΑΡΧΙΕΡΕΥΣ ΓΛΑΥΚΩΝ ΕΥΘΥΚΡΑΤΗΣ in Urbium Magiſtratibus p. 310. ad ipſum vero nummum ΑΡΧΙΕΡΕΥΣ ΓΡΑΜ. ΓΛΑΥΚΩΝ ΕΥΘΥΚΡΑΤΗΣ ΕΦΕ. Quod interpretatur, *Pontifex, ſcriba Glaucon Euthycrates, Epheſiorum.* Morellius primus integriorem hunc protulit ex Theſauris regis Chriſtianiſſimi & principis Odeſchalchi in Specimine ſuo TAB. XXIV. num. 2. ſed quum ibi ΕΥΘΥΚΡΑΤ. tantum legiſſet, ita ſupplevit & interpretatus ibidem eſt, ΕΦΕσίων ΑΡΧΙΕΡΕΥΣ ΓΡΑΜματεὺς ΓΛΥΚΟΝ (*ſic*) ΕΥΘΥΚΡΑΤους. *Epheſiorum Pontifex Scriba Glaucon Euthycratis filius.* Haud levi errore; quum unus idemque homo nunquam fuerit ſacerdos ſummus & ſimul ſcriba apud Epheſios. In Vaill. Catalogo Magiſtratuum p. 310. plures ſacerdotes ſummi Epheſiorum commemorantur titulo ΑΡΧΙΕΡΕΥΣ. & aliquantum poſt, plurimi item ſcribæ Epheſiorum titulo ΓΡΑΜΜΑΤΕΥΣ. Verum ne unus quidem, ſimul & pontifex, ſeu ſacerdos ſummus, & minori titulo ſcriba fuit. Quare duo magiſtratus in hoc nummo celebrantur: ἀρχιερεὺς, ſive ſacerdos ſummus, qui ſub triumviris fuit Glaucon, & γραμματεὺς, ſeu ſcriba, qui fuit Euthycrates. Quod rem extra dubium ponit, eſt alter horum triumvirorum nummus apud Haymium, cum ſimili typo, Tomo II. pag. 168. num. 4. ita inſcriptus, ΑΡΧΙΕΡΕΥΣ ΓΡΑΜ. ΓΛΑΥΚΩΝ ΕΦ. ΛΕΚΗΠΑΔΗΣ. ubi ſacerdos ſummus itidem eſt idem Glaucon, ſed ſcribæ aliud eſt nomen; quum enim prior ſcriba dicatur Euthycrates, hic ſcriba dicitur Lecepades. Notandum quoque, quod hinnulos adpinxerint Patinus & Vaillantius, qui a Morelliano & Haimiano abſunt.

VIII.

Marcus ANTON*ius* . . . . . . .CLEOP*atra* . . . . Capita juncta M. Antonii & Cleopatræ.

. . . . PRAEF*ectus* CLASS*i*. Triremis Prætoria.

Quoniam hujus nummi inſcriptio ab utraque parte detrimentum ab ærugine paſſa eſt, præſertim ab illa, ubi nomen præfecti claſſis exſtitit: certi aliquid de nomine ejusdem dici nequit. Conferenti tamen cum editis adparet eundem eſſe nummum, qui inter Patinianos cernitur Tab. X. num. ult; repetitus a Vaillantio Tab. XVI. num. 55. Pictura duplicis veli in nave prætoria, & reliqua in nummo paria id evincunt. At vero quod Morellius legit PRAEF*ectus* CLASS*i*, id ALEX*andrina* CLASS*is* Patinus legi debere exiſtimavit. Literæ in utriusque nummi pictura eodem loco exſtant; & omnia ita paria ſunt, ut unum eundemque nummum depinxiſſe atque vidiſſe utrosque ad oculum pateat. Unde ſequitur alterutrum oculis non bene uſum fuiſſe; quod facile in evanidis literis accidere poteſt, & præterea eſt ſatis magna adfinitas inter literas PRAEF. & ALEX. ubi in nummis hic illic evaneſcentes apparent. Morellius forte credidit vulgatiorem lectionem PRAEF. contineri, Patinus ALEX. legit, quod ſit viſa illi hæc inſcriptio notabilior; nam inde quoque Vaillantius ad hanc inſolitæ inſcriptionis conjecturam confugit: *Hic nummus* (inquit) *in gratiam Cleopatræ videtur percuſſus, quaſi tota claſſis Antonii eſſet Alexandrina, porro Plutarchus narrat, illum in pugna Actiaca naves bellicas non minus quingentas, in quibus octo & decem ordinum erant, frequentes habuiſſe, & tantum numerat ſexaginta Alexandrinas cum Cleopatra ex prælio fugiſſe, quarum regia adpellata erat Antonias, in gratiam triumviri.* Hac ratione dubitandum vix foret, quin ipſa prætoria navis, Antonias dicta, hic depingatur. Quod autem facit, ut Morellio fides denegari non debeat, eſt quod ille poſt Patinum unum eundemque hunc nummum inſpexerit, habens ante ſe tabellas Urſino-Patinianas, quas ubique eſt ſecutus, niſi ubi diſcrepantiam in ipſo nummo videret. Ii, qui nummum hunc integriorem poſſident, dijudicent litem.

TAB. XI.

I.

Marcus ANTONIV*s*, M. Cretici ſcil. *Filius*, M. Oratoris ſcil. *Nepos*, AVG*ur*, IMP*erator* ITE*rum*. Marcus Antonius loricatus ſtans, pedem alterum proræ inponens, dextra haſtam puram, læva tenens parazonium. Inpreſſum ſignum aquilæ ad poſſeſſorem pertinere videtur.

III. VIR *ReiPublicæ Conſtituendæ* CO*nSul* DESIG*natus* ITER*um* ET TERT*ium*. Leo, dextro pede elato nudatum tenens enſem, deſuper aſtrum eſt.

Differt inſignis hic aureus nummus a pictura, quam dedit Patinus; galeam enim capiti impoſuit, quod hic nudum eſt, pectusque fecit nudum, quod hic lorica eſt armatum. Nudam illam figuram ſecutus de Marte Tranquillo ſeu Quirino explicavit Vaillantius. Verum clariſſime adparet armatus Antonius, qui hic, ut victor Orientis, poſt repreſſos ultra Euphratem Parthos, depingitur. Pedem proræ inponit, quod claſſibus potens & robore navali, Neptunum ſeſe in mari (qui paſſim pingitur ratem pede calcans) credi vellet; ſicuti Martem in terra, unde armatus illi habitus; ab Hercule autem genus ducere, ideoque invicti eſſe animi, Leonis ſymbolum oſtendit. Adde quod annulus Pompeji habuerit inſculptum leonem tenentem enſem. Annulus iſte a Cæſare ad Antonium pervenire potuit. Aſtrum in nummis poſteriorum Imperatorum Orientem denotat, quod in hoc videtur Vaillantio reſpicere ad ſidus leonis, quoniam Hyginus refert leonem a Jove in gratiam Herculis inter aſtra fuiſſe translatum. Cur non ad animam Cæſaris reſpicere poſſit? eo reſpectu enim ſtella non in ipſius Cæſaris tantum nummis adparet, verum etiam in plurimis Auguſti. Quare Antonius quo-

 que

que vindictæ Cæsarianæ cum Cæsare triumviro hæres, sigillum illud Pompeji suæ vindictæ de interfecto propinquo Cæsare adplicare potuit. Neutra tamen interpretatio satis placet. Cusus est hic nummus anno DCCXVIII. quo facta in Parthos expeditione Imperator II. sive *Iterum* adpellatus est Antonius; eodem anno Soli templum exstruxit, uti vidimus ad Tab. I. num. 6. 7. 8. in quibus omnibus radiatum caput Solis cernitur; unde mihi persuadeo astrum Solis hic depingi, cui itidem symbolum Leonis est convenientissimum.

II.

Marcus ANT*onius* IMP*erator* IT*erum* CO*n*S*ul* DESIG*natus* III. VIR *Rei*P*ublicæ* *Constituendæ*. Capita adversa M. Antonii & Cleopatræ, retro quod prora cernitur.

. . . . PRAEF*ectus* CLASS*i* *Fieri* C*uravit*. Triremis Prætoria. Integra inscriptio est *M. Oppius Capito proprætore, præfectus classi, fieri curavit.* ita enim ex Vaillantii nummo resarciri debet; qui ad caput legit quoque amplius CO*n*S*ul* DESIG*natus* IT*erum*, ubi etiam annus alter Præfecturæ Oppii litera B. sub Triremi notatur.

Panormi navale habuit Antonius, partem enim Siciliæ post expulsum Sextum Pompejum possedit ad pugnam usque Actiacam. Oppius videtur legatus proprætore in ea provincia fuisse; ejusdem enim Oppii plures nummi in gratiam Antonii & Cleopatræ cusi in gente Oppia adparent.

III.

ANTON*ius* AVG*ur* IMP*erator* III. CO*n*S*ul* DES*ignatus* III. III. VIR *Rei*P*ublicæ* *Constituendæ*. Caput M. Antonii triumviri.

Marcus ANTONIVS *Marci* *Filius*. Caput Marci Antonii juvenis, sive Antylli.

Pulcherrimum hunc nummum aureum primus protulit Vaillantius; qui, quoad inscriptionem, paullum integriorem nactus est, legit enim FIL. tribus literis. Faciem cernimus juvenilem M. Antonii, majoris M. Antonii triumviri ex Fulvia filii; cui Juliam quidem suam despondcrat Cæsar triumvir; sed quem tamen post patris mortem, quamvis ad Divi Julii simulacrum confugientem, ne ultor superesset tam potenti nomine, occidi jussit. Cusum est numisma Alexandriæ, anno DCCXX. quum, post triumphum de Armenia & Artuasde, filios reges & Cleopatram reginam regum adpellasset Antonius, Cæsarionemque & Antyllum, sumta virili toga, in viros transscripsisset.

IV.

Sine epigraphe. Caput nudum Cæsaris triumviri.

LEG*io* XVI. Leo currens. Quinarius.

Nescio cur hunc nummulum Morellius in serie Antonianorum posuerit. Facies enim manifeste Cæsaris est; nisi forte ideo, quod propter leonem ad Antonium quoque pertinere judicaverit.

Firmata inter Cæsarem & Antonium amicitia connubio Octaviæ, æquali jure & consensu legiones, habito novo in Italia delectu, conscripserunt ambo triumviri. Legiones Antonii XXIV. numero in nummis cernuntur; Cæsaris non item; veruntamen illius quoque legiones signatas fuisse, vel quasdam certe, hic quinarius ostendit, in quo decima sexta legio numeratur. Sed quid sibi leo vult? an Lugduni in Gallis cusum nummulum? illa enim urbs quinarios cudere solebat cum leone, ut vidimus supra Tab. V. num. 4. 5. an caput Cæsaris, & symbolum Antonii leonem, concordiam inter utrumque triumvirum dicemus significare? Ratio utraque valere potest, quum eo tempore, quo Antonio quinarios cudit Lugdunum, adhuc amici inter se erant, &, si conjectura nostra proba est ad Tab. IV. num. 8. utriusque aucupaverint Lugdunenses gratiam, conjugium Antonii cum Octavia celebrantes, atque vultus utriusque exprimentes.

V.

Sine Epigr. Caput M. Antonii nudum; Herculis ritu adest clava, & ungues leonis feræ exuvias circa guttur connectunt.

Λυκαβάντος A. ΡΩΜΗΣ. *Anno primo. Romæ.* Ratis, seu prora navis, in laurea.

Insignem hunc nummum primus protulit Patinus, in Nummis Impp. pag. 21. sive 17. edit. alterius; deinde collocavit eundem inter nummos Antonii Græcos Vaillantius pag. 2. Patini verba, quæ nummo rarissimo illustrando sufficiunt, subjiciam. „ Faciem Herculi similem hic habes,
„ quam Antonio III-viro propter cæterorum
„ ejus numismatum conformitatem tribuere non
„ dubito. Clava retro posita exuviæque leonis
„ collo adpensæ eum veluti novum Herculem re-
„ ferunt. Erat enim fabula antiqua, Antoniorum
„ familiam ab Hercule natam, ab Antone Her-
„ culis filio cognomen accepisse, quam familiæ
„ suæ famam confirmare non solum forma cor-
„ poris, sed etiam vestitu nitebatur. *Accedebat*
„ *ad hæc dignitas formæ*, inquit Plutarchus, *bar-*
„ *ba quædam haud sane illiberalis, latitudo frontis,*
„ *eminentia nasi, videbaturque Herculis imaginibus*
„ *picturisque persimilem adspectum habere.* Eum il-
„ lo habitu repræsentat hic nummus, quem in
„ Ægypto cusum esse ex tribus conjicio, minus
„ politâ fabricâ, characteribus Græcis Alexan-
„ driam ΡΩΜΗΝ Αἰγύπτου dictam designantibus,
„ & prora navis victoriam maritimam indicante,
„ qua Pelusium ceperat, Ptolemæumque in avi-
„ tum regnum restituerat. *Quas ob res magna*
„ *erat Antonii apud Ægyptios fama, in exercitu*
„ *vero clarissimus habebatur*, inquit Plutarchus.
„ De characteribus L. A. dicetur in Augusti
„ nummo Ægyptiaco, in quo palma & spica."
Hæc Patinus. Litera A. annum primum denotat.

VI.

ΘΕΣΣΑΛΟΝΙΚΕΩΝ. ΕΛΕΥΘΕΡΙΑΣ. *Thessalonicensium, Libertatis.* Caput muliebre deæ Libertatis.

Μάρκος ΑΝΤώνιος ΑΥΤοκράτωρ, Γαΐος ΚΑΙσαρ ΑΥΤοκράτωρ. *M. Antonius Imperator, C. Cæsar Imperator.*

Gratulantur in hoc rarissimo nummo, quem ex Morellio nunc primum vulgamus, Thessalonicenses insignem aliquam victoriam M. Antonio & C. Cæsari triumviris, eamque quasi ΕΛΕΥΘΕΡΙΑΣ i. e. libertatis suæ initium celebrant.

Posset hic nummus referri ad victoriam Philippensem de Bruto & Cassio, quam merito Thessalonicenses gratulari triumviris poterant, utpote cum reliqua Græcia non optime a Cassianis habiti; sed propter caput illud muliebre aliam victoriam celebrari existimo. Caput enim illud omnino mihi videtur esse Octaviæ, sororis Augusti, quæ nupta Antonio fuit anno DCCXV. & quum paullo post idem Antonius Parthos per Ventidium represserit, egregiam hanc victoriam triumviris & præsertim Antonio gratulantur Thessalonicenses. Vox ΕΛΕΥΘΕΡΙΑΣ quiddam subintelligi vult, vel videlicet Libertatis esse caput, quod in nummo signa-

ſignarunt (quam Deam videlicet ad Octaviæ vultum effinxerant; quoniam fraterna Cæſaris & Antonii concordia pax & libertas videbantur reverſuræ) vel ſingulare beneficium denotat, quod Theſſalonicenſes a triumviris acceperint.

Theſſalonicenſes autem, ſicuti hic Octaviam in gratiam Cæſaris expreſſerunt, eamque Libertatis titulo honoraverunt, ita poſtea Auguſto rerum potito, *Victoriam* appellaverunt ipſam Liviam, concordiamque ejus cum Auguſto lyræ typo atque ſymbolo celebrarunt in nummo apud Triſtanum Tom. III. pag. 113. ubi ab altera parte eſt Liviæ caput velatum cum lyra in vertice, & inſcriptione ΝΕΙΚΗ ΣΕΒΑΣΤ. & ab altera parte ΘΕΣΣΑΛΟΝΙΚΕΩΝ. in laurea.

VII.

Μάρκος ΑΝΤΩΝΙΟΣ ΑΥΤΟΚΡΑΤΩΡ. ΚΑΙΣΑΡ ΑΥΤΟΚΡάτωρ. *M. Antonius Imperator. Cæſar Imperator.* Ita enim integra lectio citatur a Vaillantio in Nummis Græcis p. 2. Capita adverſa M. Antonii & Caji Cæſaris, ſine laurea.

ΘΕΣΣΑΛΟΝΙΚΕΩΝ, *Theſſalonicenſium*, deſuper Aquila in corona quernea.

Ratio hujus nummi eadem eſt, quæ ſuperioris, concordiam Antonii & Cæſaris conjuncta capita ſignificant, civica ultionem de Parthis reſpicit, & aquila ſymbolum imperii Romani eſt.

APPVLEIA.

Gens Appuleja (plerumque enim in vetuſtis monumentis geminatur litera P.) plebeja, ab Apulis, id eſt ex Apulia, ut videtur, oriunda, plures tribunos plebis ex ſe ortos dedit. L. Appulejum, eum, qui Camillo ob prædam Vejentanam diem dixit; L. Appulejum Saturninum, illum ſeditioſiſſimum, qui Marianis ſeditionibus cum Glaucia Prætore interfectus eſt; qui vero ante illum, Lucius item dictus, tribunus plebis, & deinde prætor provincialis exſtitit, ille eſt cujus memoria in his nummis exſtat. Pervenit eadem gens ad conſulatum; nam Q. Appulejus Panſa collega Valerii Corvini in quinto ejus conſulatu fuit anno CCCCLIII.

I.

Jani bifrontis caput; ab altera parte eſt dimidia ratis, cum literis invicem connexis *Lucius* AP*puleius*, inferius ROMA.

An ad Appiam gentem pertineat, dubitabat Urſinus, & merito, utpote quæ Lucii prænomen non habuit. Rectius itaque cum aliis Appulejæ genti adjudicavit, in qua frequens Lucii prænomen fuit. Ad quem ex illis pertineat nummi modulus, tempusque adeo cuſi ejuſdem, docere videtur. Bello Punico primo aſſes librales ad pondus ſextantarium reducti fuerunt. Bello Punico ſecundo, reducti fuerunt ad pondus unciale. Aſſis vero hicce uncialis eſt, videturque pertinere ad L. Appulejum Saturninum, L. F. P. N. qui jam ante anno DLXXXI. una cum altero ejuſdem gentis Q. Appulejo, Cn. F. Cn. N. Panſa, cum fuiſſet tribunus plebis, inter prætores provinciales numeratur anno DLXXXVII. Janus & navis vulgaria aſſium ſunt ſymbola.

II.

Minervæ, niſi Romæ malis, caput galeatum, cum tribus globulis. Ab altera parte ſunt itidem tres globuli; reliqua ut in ſuperiori.

Pertinet ad eundem L. Appulejum, quæſtorem provincialem. Nummus ipſe quadrantalis eſt, & tres uncias valuiſſe ex tribus illis globulis colligitur.

III.

APVLEIVS. Caput L. Apuleji Madaurenſis, philoſophi Platonici, qui ſub Hadriano & Pio vixit. Diademate caput ejus exornatur, & ante faciem palmæ inciſus eſt ramuſculus. Ab altera parte figura militaris paludata ſtat ante ædificium diſtylum, atque reſpicit ad tria, quæ ibi in ſummo viſuntur, capita.

Nummus hic nihil ad familias pertinet; verum eſt ex genere contorniatorum; quales plurimi ſub Chriſtianis principibus cuſi ſunt; & de quibus, ut & de hoc ipſo, libellus noſter de iisdem conſcriptus conſuli poteſt.

APRONIA.

Gens Apronia ab *apro* melius deducitur, quam ab ἄφρων (ſeu ut ſcribere ſuſtinet Vaillantius ἄπρονος) i. e. *incautus* vel *inprudens* tunc enim adſpirate ſcriberetur *Aphronius*. Plebejam fuiſſe teſtatur tribunatus plebis, quem geſſit C. Apronius, ſtatim ubi abrogati eſſent decemviri, teſte Livio. Pervenit ſub Auguſto & Cajo Cæſare ad conſulatum.

I.

SISENNA. APRONIVS III. VIR. Cuneus, ſive incus quadrata.

GALVS. MESSALA *Auro Argento Aere Flando Feriundo.* in area S. C.

Triumviros auro, argento, ære flando feriundo hic deſignari inſcriptio & inſtrumenta monetalia in hoc nummo & duobus ſequentibus docent. De quibus ſupra actum eſt. Verum haud levis cura torquet antiquarios, quod quatuor legantur nomina; tres vero ſcribantur monetæ curandæ præfecti. Hinc Urſinus Patinusque cognomen Gali fuiſſe Apronio exiſtimant; quod improbat Vaillantius, quoniam (ut inquit) *cognomen ante Apronii nomen ſcriptum, huic refragatur.* Unde a quatuorviris monetalibus cuſum exiſtimat, quorum unus extra ordinem ob aliquam cudendæ monetæ neceſſitatem, fuerit adſcitus, retento tamen numero ternario; ſicuti in multis Auguſti nummis duo triumvirorum ſcribuntur nomina, adpoſita tamen nota III. VIR. ut *Caius* GALLVS. *Caius* LVPERCVS III. VIR. *Auro Argento Aere Flando Feriundo.*

Plura contra novam hanc Vaillantii ſententiam opponi poſſunt. 1°. gratis ſupponitur, quod non probatur: definito ſcilicet ſemel numero triumvirorum monetalium, quartum extra ordinem fuiſſe adjectum, & ita ſignatum nummum cum nomine quidem quarti illius monetæ præfecti, ſed retento, quod abſurdum, ternario numero. Neque enim debuiſſet illius nomen exprimi, qui tantum extra ordinem erat adjectus. 2°. Non juvat exemplum ex Auguſti nummis adlatum, in quibus duo ex III. Viris nomina ſua, non vero nomen tertii adſcribunt, & tamen triumviros ſeſe nominant. Erant enim revera triumviri, & ſi vel unus ex illis talem vel cum inſtrumentis monetalibus, vel cum Auguſti effigie aut honore nummum cudiſſet, an non ille triumvirum quoque ſe ſcripſiſſet? Exemplum vide in Fam. Nævia, ubi ſolus Nævius Capella triumvir ſcribitur. 3°. Solet Vaillantius eoſdem nummos bis, ter, quater ponere ſub ſuis

quoſ-

quosque de novo productos explicatosque familiis. At huic Galo, seu ut ipse vocat, Gallo locum proprium non adsignavit. 4°. Illud cognomen, quod, inter plures, præcipue Asiniis & Caniniis in nummis dari solet, semper in iisdem scribitur GALLVS non GALVS, ut in nostro.

Hisce omnibus permotus rationibus contra Vaillantium pronuncio, & judico Apronium hunc Gali habuisse cognomen, quacunque ipsi hoc de causa adhæserit. Γάλως autem & γαλόως Græcis *uxorem fratris*, vel *mariti sororem* significat. Nec movet me *cognomen ante Apronii nomen scriptum*, ut dicit Vaillantius; neque enim illud video. Sisenna quidem scribitur ante Apronium, sed de Galo non de Sisenna quæstio est. Itaque nomina hæc sic existimo legi debere, & hoc modo utramque partem conjungi. In primo, SISENNA. APRONIVS GALVS. MESSALA III.VIR *Auro Argento Aere* Flando Feriundo. In secundo eodem modo, in tertio MESSALLA. APRONIVS GALVS. SISENNA III.VIR *Auro Argento Aere* Flando Feriundo. Atque scribi ita, quod Sisenna atque Messalla, utpote cognominibus suis notissimi, per cognomina quoque exprimantur. Apronius autem Galus necesse judicarit ita ab aliis Aproniis sese distinguere. Est vero tritum monetariis discerpere nomina, & ex iis ab hac parte nomen ponere, ab illa cognomen: ita Q. Minutium Rufum scribentes, ad caput Romæ RVF. ab altera typi parte ponunt Q. MINV. & sic in pluribus. Apronius autem hic Lucii prænomen habuisse videtur; siquidem ipse ille est, cujus eximiæ laudes passim apud Tacitum habentur, cujusque filius, itidem Lucius dictus, teste Dione lib. LIX. A. V. C. DCCXCII. collega Cajo Caligulæ in consulatu fuit, & cui Cæsiani agnomen addit Tacitus Annal. III. 21.

II. &

Litera A.

Similes sunt superiori, verum alio ordine nomina propria ponuntur ratione officinæ monetalis, in qua cusi sunt; & forma incudis discrepat. Hic vero Apronius Galus apud Historicos non memoratur.

III.

TI*berius* CAESAR DIVI AVGVSTI F*ilius* AVGVSTVS. Caput Tiberii nudum inter pontificatus summi symbola, lituum & capedunculam.

. . . . APRONIVS . . . .
Caput nudum virile.

Patinus, qui primus hunc nummum protulit, Apronii ipsius caput in aversa parte signari existimat. Successerat autem is cum proconsulari imperio Camillo, in Africa, teste Tacito Ann. lib. tertio. Vaillantius notat nihil certi posse indicari, quum caput non satis notum & literæ sint detritæ. Picturam Morellii & Patini (quem Vaillantius sequitur) si conferamus; apparebit ingens in isto capite discrimen, atque accuratior Morellii manus facile agnoscitur. Ut Apronio tamen adjudicem a me impetrare non possum; imo quo magis ipsam nummi picturam intueor, eo magis intueri videor caput Julii Cæsaris; ita frontis calvities, malarum macies, nasi & oris lineamenta conveniunt. Quare vix dubium mihi sit, quin sub Apronio Africæ proconsule hic nummus cusus sit a Carthaginis incolis, Tiberio, ut imperatori Romano, Julio Cæsari, ut conditori suo, honorem habentibus. Notissimum enim est colonos Carthaginem a Julio missos, ipsamque urbem inde coloniam Juliam Carthaginem fuisse adpellatam. Quare coloniarum libro hic nummus inseri debet, ubi sicuti Cæsaris & Augusti memoriam nummi Carthaginis celebrant, ita hic Cæsaris & Tiberii.

Litera B.

DRVSO CAESARI. Caput nudum Drusi, Tiberii imperatoris filii.

PERMISSV L*ucii* APRONII PROCO*n*S*ulis* III. Mercurii caput cum petaso alato, retro est caduceus.

Lucius Apronius, vir insignis, multumque a Tacito laudatus, consul sub Augusto suffectus Cal. Jul. fuit. Comes Germanici Cæsaris in Germania, triumphalia insignia meruit. Furio Camillo in Africæ proconsulatu succedens, more majorum, cohortem, quæ turpiter fugerat, decimavit. Tacfarinatem jam ante & a Camillo fugatum, debellavit; quare per tres minimum annos prorogatum ipsi sub Tiberio fuisse imperium nummus, silentibus historiis, docet. Cujus typus Mercurius evincit, hunc quidem a Leptitanis cusum fuisse, quod patere potest ex simili inter Impp. Tom. II. Tab. VI. num. 21. *Permissu* autem, quod legitur, *proconsulis*, inde est, quod Augustus pro umbra libertatis monetam æream, & quasdam provincias senatui reliquerit. Senatus itaque certis urbibus per proconsules in provinciis suis jus cudendæ monetæ permittebat, quod tunc dicebatur *permissu proconsulis*; sicuti in provincia imperatoris jus illud ex permissu ejusdem exercebatur; unde in Liviæ & Augusti nummo coloniæ Romuleënsis COL. ROM. PERM. DIV. AVG. Sicuti Patrensis colonia prædicat in suo nummo *Indulgentia Aug. monetam impetratam*.

AQVILIA.

Aquilios a colore *aquilo*, id est, nigro, dictos adserit Sextus Pompejus Festus. Gens Aquiliorum in patricios atque plebejos divisa fuit. Supersunt in nummis plebeji, qui a genere floris, quem singulari typo in denariis exprimunt, cognomen nacti videntur.

I.

VIRTVS. III.VIR. Caput Virtutis galeatum.

M*anius* AQVIL*ius* M*anii* F*ilius* M*anii* N*epos*. SICIL*ia*. Figura militaris, læva tenens scutum, dextra sublevans mulierem nudam (quæ in meo nummo decore vestita est) in genua prolapsam: integra lectio hæc est. *Virtus. Sicilia. Manius Aquilius, Manii filius, Manii nepos triumvir.*

Vaillantius aliique Antiquarii perperam hunc denarium referunt ad Manium illum Aquilium, qui filius fuit Aquilii illius, qui Aristonicum, Eumenis Pergameni filium nothum, vicit, quique ipse clarissimus, confecto in Sicilia bello fugitivorum, postea fraude per Mithridatis emissarios captus in misera servitute crudeliter periit. Quamvis enim typus ipse respectum ad Aquilii hujus in Sicilia res gestas habeat, ejus tamen tem-

tempore cusus non est. Hinc torquet etiam sese Vaillantius in explicando illud III. VIR. fingitque dici triumvirum reficiendis ædibus sacris; & quoniam forte Virtutis templum incendio absumtum, vel vetustate collapsum, restituerit, inde Virtutis hic signari imaginem, & ipsum Aquillium inscribi triumvirum adserit, neque audiendos, qui de triumviro monetali illud explicant.

Dico iterum, perperam. Omnes enim hi denarii, si secundum eximas, ex typis & similitudine formæ cognoscuntur sub Augusto Imperatore cusi fuisse a triumviris, quos ille monetæ cudendæ præfecerat. Ut enim jam Manius, ita mox in aliquot sequentibus Lucius Aquillius, cujus familiæ Flori adhæsit cognomen, triumvir dicitur, qui in quatuor itidem nummis Virtutis galeatum expressit caput. Et quo tempore nummus tertius hujus tabellæ cusus est, eo etiam primus hic est signatus. Neque moveor, quod illud III. VIR. a parte capitis scribatur, non juxta Aquillii nomen in aversa parte, quoniam consuetudo ita scribendi satis a nobis est demonstrata in fam. Apronia num. I.

Cusus itaque sub Augusto, commendat Siciliam provinciam, misere sub Sexto Pompejo adflictam, benignitate Cæsaris sublevatam atque honori suo restitutam fuisse; idque virtute armorum (unde Virtus armata in denario) fuisse confectum, ejecto ex nobilissima insula prædone Pompejo. Quem quidem typum Manius Aquillius triumvir monetalis tanto lubentius elegit, quod ita simul renovari animis posset Aquilliorum virtus, & commendari generis ejus nobilitas; ut qui (quod Manii prænomen ostendit) genus duceret ab illo Manio Aquillio, qui servos fugitivos A. V. C. DCLII. tam fortiter confecerat, ovansque urbem fuerat ingressus.

II.

Caput Solis radiatum, cum nota denarii, sine epigraphe.

Manius AQVIL*lius*. ROMA. Luna in citis bigis, adest astrum ejusdem crescens & quatuor stellæ.

Distat denarius hic specie a reliquis hujus familiæ, atque ad tempora vetustiora videtur debere referri. Quum vero Manius ille Aquillius, qui pater exstitit ejus qui in Sicilia bellum gessit, prætor urbanus agnoscatur anno DCXIX. & ad prætores urbanos spectaverit procuratio ludorum Apollinarium, cum Vaillantio illi denarium hunc adjudico; qui quidem simplicem ludorum festivitatem indicat, sed tamen renovat præstantissimi viri memoriam, qui consulatum deinde adeptus anno DCXXIV. Perpennæ mortuo in Asia succedens, reliquias belli Pergameni, quod Romani habuerunt cum Aristonico, confecit, & de illo triumphavit.

III.

CAESAR AVGVSTVS. Caput nudum Augusti.

Lucius AQVILLIVS FLORVS III.VIR. SICIL*ia*. Typus, ut in primo. Denarii hujus explicatio eadem est, quæ primi. Verum in his & sequentibus Lucii prænomen habet Aquillius, ut & Flori cognomen, quod Maniis non videtur adhæsisse.

Aquillii, cum cognomine Flori, noscuntur duo, pater & filius, tempore belli civilis inter Cæsarem & Antonium. Uterque Antonii partes quum fuisset secutus, captique, eodem adflicto, a Cæsare essent, alterutri vitam Cæsar concesserat. Noluit patrem pro sese mori pius adolescens, ultroque morti se obtulit, filio pater superesse noluit, seque ipse occidit. Hic videtur habuisse filium natu minorem, qui sub Augusto factus est triumvir.

IV.

Epigr. ead. Caput Virtutis galeatum.

CAESAR DIVI F*ilius*. ARME*nia* CAPT*a*. Mulier genuflexa, brachia precantis ritu extendit; caput tiara tegitur.

Exstant nummi Augusti ARMENIA RECEPTA & ARMENIA CAPTA inscripti; quæ respiciunt Tigranem, Armeniæ Majoris regem ab Augusto constitutum anno DCCXXXIV. teste Dione lib. LIII. pulso videlicet fratre ejus Artaxia, qui regnum illud occuparat per Tiberium Augusti privignum.

L. hunc Aquillium proavum Manium habuisse, qui Aristonicum devicit; avum, qui servile bellum in Sicilia profligavit, credit Vaillantius; quare pater ejus, qui ab Augusto occisus est, statui deberet (ut facit) filius Manii istius Siculi. Itaque auguratur, minorem ex filiis ejusdem fuisse, qui ut a majori natu, qui simplex nomen retinebat, distingueretur Flori cognomen adsumserit, quum contra Manius ille, quem habuimus num. I. ipso prænomine Aquiliis solito, ostenderet prærogativam familiæ suæ. Verum jam anno CCCCXCIV. consul agnoscitur C. Aquilius Florus, qui anno post proconsul de Pœnis triumphavit. Unde patet vetustius id cognomen esse.

V.

CAESAR AVGVSTVS. Caput Augusti nudum.

Lucius AQVILLIVS FLORVS III.VIR. Flos apertus.

Hoc typo adludit hic Lucius Aquilius ad originem cognominis, quod a proavis acceperat. Florum fuisse studiosum, vel florem novum produxisse credit Vaill. verum addit plus semel hunc florem ab rei herbariæ peritis non agnosci. Id quod mirum mihi videtur, nam si vel maxime obvios rei herbariæ scriptores consulere dignatus fuisset, cyanum florem, apertis foliis sese explicantem, facillime agnovisset, qui a cæruleo colore commendari solet non minus, quam iris pariter cærulea, cujus typum signavit hic idem Florus infra num. VII. ut recte animadvertit Chifletius in Lilio Francico pag. 64.

VI.

Lucius AQVILLIVS FLORVS III. VIR. Caput Virtutis galeatum.

CAESAR AVGVSTVS. Imperator Cæsar triumphans in elephantorum bigis, dextra olivæ ramum, læva sceptrum tenet.

Argute Vaillantius famam Augusti hic celebrari contendit, cujus opinio quum ad Indos quoque penetrasset; illi oratores Romam teste Dione miserunt. Elephas autem Indiæ est symbolum. Et quid si hoc ipso ad triumphum Punicum Caji Aquillii Flori, qui inter proavos ejus erat, simul respexisse Florum nostrum dicamus?

VII.

Lucius AQVILLIVS FLORVS III. VIR. Caput Apollinis radiatum.

CAESAR AVGVSTVS. Quadrigæ triumphales in quibus flos. Inferius est *Senatus Consulto*.

Consideravit hunc nummum quoque Morellius lib. de Numismat. Consul. p. 185. „ Septimus „ AQVILLIAE gentis nummus florem monstrat „ ex curru triumphali surgentem, vix tamen eo „ interpretandum, quasi ex eodem FLORI cognomen gens illa traxerit, quia & eædem quadrigæ in gente DVRMIA & alibi, imo etiam in nummis Titi statim post obitum patris „ Vespasiani cusis comparent, hinc non sine „ causa Albertus Rubenius, cujus memoria omnibus rei antiquariæ cultoribus merito sancta esse debet, existimavit, esse thensam Circensem, aut ferculum quoddam triumphale cum „ imposito flosculo, aut alio ornamento. Æneas Vicus pro eo ponit ignem in ara quasi lucentem; alii florem Spei esse reputarunt. Amicus quidam noster florem esse aromaticum „ credit, & quandam in Arabia expeditionem „ designare, aut ramusculos esse, vel folia celeberrimi Syriæ balsami; sed cum odore flos „ ille plane careat omni, originem ejus mihi „ odorari hactenus concessum non fuit, nescio „ an alii. „

Caput Apollinis, sive Orientis, Indorum legationem, & res sub auspiciis Augusti in Oriente contra Parthos gestas, indicat; qui quum ultro signa & captivos reddidissent Crasso quondam ablata (ut in sequentibus denariis cernitur) triumphus S. C. ut in nummo, id est *Senatus Consulto*, Cæsari decretus fuit. Ille ovatione contentus triumphum recusavit. Quare currum vacuum expressit Florus, symbolum tamen avitæ nobilitatis desuper collocans florem. Flos vero iris est, colore cæruleus sicuti cyanus sup. num. V. cur vero cyanum & iridem in nummis signaverit Florus, si quæratur, respondeo, hunc quidem florem cæli colorem referre, illum præter colorem, ejus etiam esse naturæ, ut inter segetum culmos nascatur uberrime. Jam vero collatis hisce nummis V. & VII. in quibus symbola cyani & iridis, atque capita Augusti & Apollinis permutantur, adulationis mirum agnoscitur ingenium, si ad Augustum, ut novum Apollinem, quoque adplices, quod de Divi Julii sidere cecinit Virg. ecl. IX. versu 47.

Ecce Dionæi processit Cæsaris astrum,
Astrum, quo segetes gauderent frugibus.

Atque ita annonæ sub Augusto ubertas, & tranquilla reipublicæ serenitas tacite adumbrantur.

VIII.

Epigr. eadem. Caput itidem Apollinis, seu Orientis radiatum.

CAESAR AVGVSTVS SIGN*is* RECE*ptis*. Parthus genuflexus signa reddens.

Memoriam expeditionis Parthicæ celebrant hic & sequens denarius; quum enim A. V. C. DCCXXXIV. in Syriam venisset Augustus, rex Parthorum Phraätes bellicum ejus metuens adparatum, ultro captivos & signa Crasso erepta restituit, atque ita hic Cæsar Augustus ut domitor Orientis celebratur.

IX.

Superiori similis, sed, pro capite radiato Orientis, est Virtutis caput galeatum.

X.

CAESAR AVGVSTVS. Caput Augusti nudum.

Lucius AQVILLIVS FLORVS III. VIR. Scorpio.

Scorpio Africæ est symbolum, unde in Impp. nummis Præstantioribus credidit Vaillantius, ab Aquillio Floro Punicum proavi sui triumphum exprimi; verum in Familiis rectius & eruditius Commagenes agnoscit (quod in nummis regum ejus ditionis passim occurrit) symbolum. Notat vero Dio lib. LIII. post res in Syria compositas, receptaque a Parthis signa, Augustum Commagenes regnum tradidisse regi puero etiamnum, cujus patrem Antiochus rex occiderat. Nobilis itaque historiæ hujus & luculentus testis hic est denarius.

XI.

Lucius AQVILLIVS FLORVS III. VIR. Caput Virtutis galeatum.

CAESAR AVGVSTVS. & in corona civica, quam hinc inde laurei rami ambiunt, OB CIVIS SER*vatos*.

Typus hic quoque, ut num. VIII. & IX. significat captivos Romanos a Parthis restitutos, atque inde civicam mereri Cæsarem.

XII.

AVGVSTVS. Caput Augusti nudum.

Lucius AQVILLIVS FLORVS III.VIR. Parthus genuflexus signa reddens.

Explicatio ut supra; verum hic denarius, ut & qui num. IX. & XI. inveniuntur, a Vaillantio absunt.

ARRIA.

Arria gens a fortitudine & robore Martio, ut videtur Vaillantio, vel, ut rectius Perizonio, ab Arro, nomine antiquiore, dicta, ex Q. Arrio, tribuno plebis A. V. C. DCLXXVII. plebeja cognoscitur. Protulit utiles reip. viros Q. Arrium prætorem, qui fugitivos, duce Chryso, seu Crixo (ut alii legunt) concidit; M. Arrium Secundum, Syriæ præfectum, pluresque deinde imperatorum Romanorum temporibus.

I.

Marcus ARRIVS SECVNDVS. Caput virile.

Sine epigraphe. Hasta pura inter lauream & clathrum, in cujus summo flammula emicat, ut num. V. ita enim ex ipsius denarii inspectione debere pingi didici. Non vero hic ara est ignita, ut existimant Vaillantius & Perizonius.

In incerto sunt Antiquarii ob scriptorum penuriam, cui hunc nummum addicant. Fortitudinem tamen alicujus Arrii (cui Secundo cognomen fuit) celebrari existimant; cujus videlicet virtus ob incensa hostium munimenta sive castra, hasta pura atque laurea donata sit. Ejus itidem Arrii vultum exprimi existimant. An ergo nummus referri possit ad Marcum Arrium Secundum, in quem, adspirantem duro sono tenues, eleganti epigrammate lusit Catullus, *Hionios* jam adventu ejus in Syriam (quo cum imperio missus erat) factos esse fluctus *Ionios?* Potuit hic Quintum Arrium habuisse patrem, qui tam fortiter contra fugitivos rem gessit, eorumque ducem cum viginti hominum millibus delevit, quod anno DCLXXXI. contigisse memorant. Secundi vero cognomen habuisse potuit, quod alter patri filius natus esset. Livius in hac historia deficit, & ex Epitoma ejus XCVI. discimus illo libro ipsum de Q. Arrio & ejus victoria locutum fuisse. Certe Fortuna populi Romani tunc prævaluit, quamvis non minori bello, quam quondam Annibal, Italiam tunc quaterent gladiatores isti atque servi fugitivi, qui tandem a Crasso & Pompejo penitus sunt deleti. Quare Ar-

Arrii ejus, jam mortui, vultum ſignare filius M. Arrius Secundus potuit.

Fuit de hoc nummo quoque disquiſitio inter Morellium & Perizonium, illius verba ſunt in libello de Numm. Conſul. p. 137. „ Nunc videamus oportet, quale ſit caput in nummo gentis Arriæ ab Urſino pag. 37. exhibitum. Barbatum iſtud eſt, & vix pro Auguſti agnoſcendum. Auguſti tamen eſſe, & non alterius, ex ſequentibus diſpaleſcet rationibus. Primo perpendendum eſt, hunc nummum ſtatim poſt Cæſaris necem fuiſſe cuſum, antequam vera Auguſti effigies Romæ adhuc eſſet nota, præſertim ſculptoribus; hinc nomen etiam Cæſaris ſive Auguſti non adjectum cernitur, quoniam Arrius anxius adhuc erat, & eventus de rebus Cæſaris dubius ac incertus. Hoc enim colligitur ex nummis aliis, e. g. illo, quem pag. 251. n. 5. Urſinus ſiſtit, qui ſtatim poſt Cæſaris obitum fuit percuſſus a Tito Sempronio, in quo caput quoddam exprimitur, quod nullo modo Auguſto tribui poſſet ſine adjecto DIVI IVLI F., eſtque quodammodo ſenile ac barbatum, perinde ac in Arrii nummo; itemque illo, qui pag. 136. n. 6. occurrit, ubi vix quiſpiam caput Caji Cæſaris vel Auguſti conjiceret, ſi additum nomen id non doceret. Hujusque generis plures adhuc diverſi paſſim reperiuntur. Nam Auguſtus adhuc barbatus deprehenditur in nummis, cum jam fuiſſet III Vir R. P. C. ſicut Antonius & Lepidus; ex quo fluit illos barbam aluiſſe propter luctum, ob Cæſaris interitum, quod Urſinus non obſervans, Lepido attribuit nummos Antonii ſolum caput referentes in Gentibus Sepullia & Vibia. Novimus præterea ex Dione Auguſtum barbam nutriviſſe, primamque demum depoſuiſſe quinto poſt Cæſaris necem anno. Quas rationes ſatis roboris habere crederem, ad caput hoc Auguſto vindicandum in nummo Arrii. „ Reſponſio Perizonii exſtat ibidem pag. 240. „ In Nummo *M. Arrii Secundi* cujus aut quale appareat caput, definire non auſim. Nec tamen cl. Morellii ſententiæ de eo accedere poſſim, quippe quæ multa continet prorſus ab re & tempore, de quo agit, aliena. Ait cuſum hunc nummum *ſtatim poſt necem Cæſaris, antequam vera Auguſti effigies Romæ eſſet nota, præſertim ſculptoribus: Hinc nomen Cæſaris ſeu Auguſti non adjectum* &c. At nomen *Auguſti* adjici nequaquam tunc potuit: quippe quod nondum excogitatum tunc erat, aut illi datum. Sed & vera ejus effigies non poterat Romæ eſſe ignota, ubi ætatem egerat; quin ſi maxime ſculptoribus quibusdam fuiſſet ignota, Arrius certe, qui honorare eum tali modo voluiſſe creditur, non ignoraviſſet eam, atque adeo rectius exprimi curaſſet. Neque vero adoleſcentulo, nondum XX annos nato, barba fuiſſet data ab Arrio. Sed præterea neque auſus ille fuiſſet, ſi maxime voluiſſet, effigiem adoleſcentis publicis in nummis tunc exprimere, neque permiſiſſet id, quum ſenatus, in quo tunc prævalebant Pompejani & optimates, qui reſtitutam volebant priſtinam remp. ac hunc adoleſcentem, unicum Cæſaris per adoptionem filium, inviſum & ſuſpectum habebant; tum neque ipſe Cæſarianorum princeps M. Antonius, qui eum, ut æmulum ſuæ potentiæ, ſi emergeret, futurum, omni modo volebat depreſſum. Si quis tamen omnino Auguſti caput contendat hic expreſſum, tum certe hic nummus ad ſeriora illius tempora foret rejiciendus. In altero ejusdem Arrii nummo, (confer infra num. V.) quem Patinus in Omiſſis adjecit, exhibetur Deæ ſpecie F. P. R. h. e. *Fortuna Populi Romani.* Id quod quum pluribus ſit liquido ſatis probatum (vide Diſſert. Triada pag. 235. 236. 237.) indulgeamus Vaillantio ſuas glandes, qui *Fortitudinem Pop. Rom.* hic nobis ex Urſino repetit, nec tamen ullo probat documento, *Fortitudinem* pro Deâ cultam a Romanis, qui in hunc ſenſum & cultum adhibebant nomen *Virtutis*, ut ibidem eſt declaratum. Ceterum *Arria* gens non ex Græco ſermone nomen ſuum traxit, ut ineptit idem Vaillantius, quaſi denotaret hominem *ſine Naſo*, ab ῥὶν, ῥινὸς, *naſus*, vel bellicoſum ab Ἄρης, *Mars*; ſed ab antiquo Italico nomine, quod fuit *Arrus*, unde gens *Arria* & *Arellia*, & cognomen *Arulenus*, apud Tacitum & Plinium. Quamplurima enim propria olim ſingulorum hominum nomina ac prænomina, quæ derivatum ab ſe nomen ipſis dein gentibus dederunt, non fuerunt Romæ in uſu, ſed in pleriſque tamen Italiæ oppidis manſerunt reſidua. Inde autem formato jam nomine inſignes, complures Familiæ, paulo ante Cæſares & ſub Cæſaribus primis, in civitatem Rom. ex Italia ſunt adſcitæ.

„ Porro autem hic *M. Arrius Secundus* filius forſan fuit Q. Arrii, qui primis Ciceronis annis floruit, & infimo licet loco natus ad honores pervenit. Ille autem dicitur a Cicer. in Bruto cap. LXIX. *fuiſſe M. Craſſi quaſi ſecundarum*, ſcil. partium, quo declaratur, fuiſſe eum penitus M. Craſſo addictum & devotum. Forſan inde Filius quum nullum haberet, *Secundi* cognomen vel arripuit vel retinuit. Quæ apparent in averſa nummorum ejus, honorum ſunt inſignia propter virtutem bellicam data, corona ſcil. & haſta pura, quibus optime jungitur ab eo ara caſtrenſis, ut ita ſignificaret, ſe hæc militaria dona non tam ſuæ virtuti, quam deorum favori, præſertim Fortunæ Populi Rom. quaſi deæ, accepta referre; vel ſimpliciter, aram hanc poſitam ad gratias diis & Fortunæ ob rem bene ab ſe geſtam agendas. „

II.

Lucio FVRIO LABEO*ne* II. VIR*o*. Caput Tiberii juvenis ſine laurea.

Lucio ARRIO PEREGRINO II. VIR*o*. COR*inthus*. Templum ſex columnarum, cujus periſtylio inſcriptum eſt AVGVSTVS.

III.

Inſcriptio utrimque ſimilis, ut & typus ab altera parte, verum ab altera ſenis Auguſti caput radiatum eſt.

Corinthii eximium honorem Auguſto & univerſæ domui Cæſaris habuerunt; unde quoque poſt mortem verendi hujus Auguſti, initio principatus Tiberii templum illi, ut Deo, ædificarunt, quod etiam in nummis hisce & propyleum ſuum ſex columnis ſuffultum oſtendit, & radiis imperatorem defunctum, ut divum, exornat. Hinc in altero nummo Tiberii idem ab altera parte templi typus eſt, duumviris tum exiſtentibus Lucio quodam Arrio, cui Peregrino cognomen erat, & Lucio Furio Labeone. Tiberii nummus notari debet, ut qui Vaillantio in opere de Coloniis non fuerit cognitus.

IV.

Caio Arrio Auli Filio, *Caio* AQ*uillio*, *Caio Iulio*, *Tito* ANC*hario*. Caput nudum Julii Cæſaris, poſt quod nota quædam eſt (inpreſſa ut videtur) ſtellæ, poſt ſcilicet ejus apotheoſin, niſi forte poſſeſſoris ſit inpreſſum ſignum.

IIII. VIR*is* QVINQ*uennalibus* EX *Decreto Decurionum*. Aratrum.

Apud Vaill. de Coloniis p. 7. ubi hic nummus profertur, male II VIR. in nummi typo ſculpitur, atque in explicatione inſcriptionis *duumviris* legitur, contra mentem, ut adparet ex animadverſionibus ibidem ſubjectis, clariſſ. antiquarii. Recte ibidem deductam a Julio coloniam, cujus utinam nomen adeſſet, aratrum pingi docet, & exprimi quatuorviros quinquennales; in quibus Anchariæ etiam gentis, hactenus in nummis non obſervatæ, mentio occurrat. Cajus Arrius, hic memoratus, poteſt eſſe vicinus ille Marci Ciceronis, cujus meminit in Epiſt. ad Atticum 14. & 15.

V.

Fortuna Populi Romani. *Marcus* ARRIVS SECVNDVS. Caput muliebre Fortunæ populi Romani, quod tres literæ F. P. R. indicant. Aquila retro ſignata nota poſſeſſoris eſt.

Typus averſæ partis, ut num. I.

Literas F. P. R. legit Vaill. *Fortitudo Populi Romani*; ad id maxime inductus nomine Arrii, quaſi ab Ἄρειος, *Martius*, *fortis* deducatur; ſed non magis mihi probatur, quam id, quod ipſe improbat, Patini, *Fecialis Populi Romani*. Obſervatur caput idem in gente Sicinia, ubi magis expreſſe legitur FORT. P. R. &, quod mireris, per *Fortunam Populi Romani* recte ibidem explicat Vaillantius, hic tamen, ne ab Arrii fortitudine diſcedat, unam eandemque deam Fortunam in Fortitudinem commutans, quam ſi voluiſſet exprimere Arrius, Virtutis galeatum caput, ut in primo Gentis Aquilliæ nummo Aquillius, expreſſiſſet. Fortuna certe non minus quam fortitudo aut virtus, proprium Romanis donum; unde imperium Romanum *tot laboribus periculisque jactatum* adſerit Florus in operis ſui procœmio, ut ad conſtituendum illud ipſum, *contendiſſe Virtus & Fortuna viderentur*. Si itaque placet, ut hunc primumque nummum referamus ad Q. Arrii victoriam de gladiatoribus & metuendo illo fugitivorum bello, quorum copias deletas, caſtraque incenſa, celebrent; dicet aureus hic nummus idem, quod alia in victoria Tacitus Hiſtor. III. cap. 46. *Adfuit, ut ſæpe alias, Fortuna populi Romani.*

VI.

IMP*erator* TI*berius* CAESAR AVG*uſti Filius* AVGVSTVS. Tiberii Imperatoris caput laureatum.

CLVNIA. *Caio* ARR*io*, *Tito* CAEL*io*, *Publio* RES*tituto*, *Caio* CAEL*io* CAND*ido* IIII VIR*is*. Bos, coloniæ ſymbolum.

Pertinet nummus ad Colonias, non ad Familias, cuſus Cluniæ, urbe Hiſpaniæ Tarraconenſis. Cajus hic Arrius ex poſteritate forſan Arrii ſuperioris eſt, qui Ciceronis tempore vixit.

VII.

TI*berius* CAESAR DIVI AVG*uſti Filius* AVGVSTVS. Caput Tiberii laur.

Vrbs Victrix OSCA QVIETO ET PEREGRINO II. VIR*is*. Eques decurrens cum haſta.

Oſca magna Hiſpaniæ Tarraconenſis fuit urbs. Arriæ familiæ nummum hunc inſeruit Morellius, quod num. II. & III. occurrat Arrius Peregrinus; quum tamen multis aliis idem cognomen fuiſſe potuerit.

ASINIA.

Aſiniam gentem plebejam, tot illuſtravit meritis C. Aſinius Pollio, ut vel nobiliſſimis invidiam facere potuerit, vir belli pacisque artibus clariſſimus, &, quamquam diverſo pollens dicendi genere, clariſſimo tamen oratorum Ciceroni de eloquentia litem movere auſus, omniumque virorum ſui temporis magnorum æmulus. Honores & ſtudium eloquentiæ in ejusdem familia hæreditaria quaſi bona fuerunt.

I.

CAESAR AVGVSTVS TRIBVNIC*ia* POTEST*ate*. Caput Auguſti nudum. Ab altera parte *Senatus Conſulto* in area, & in circuitu *Caius* ASINIVS GALLVS III VIR *Auro Argento Aere Flando Feriundo*.

Inſcriptio nummi docet eum, qui cudit, pertinere ad triumviros illos monetales, qui a ſenatu Romano, quocum partitus provincias erat Auguſtus, hunc dignitatis futuræ gradum acceperant. Eſt hic C. Aſinius Gallus, filius celeberrimi illius C. Aſinii Pollionis, cui pater, qui de Dalmatis triumphum meruit, ob captas a ſe Salonas nomen Salonini dedit. Fuit & ipſe orator inſignis, conſulatu quoque functus ſub Auguſto una cum Cenſorino A. V. C. DCCXLVI. Uxorem recipere auſus fuit Vipſaniam, M. Agrippæ filiam, quam, ut Juliam in torum adſciſceret, coactus fuerat repudiare Tiberius, Aſinio ob id ſemper infeſtus, unde & illi jam ſeni, prohibitis alimentis, mortis cauſa exſtitit. Hic Gallus ex Vipſania ſuſtulit Aſinium Gallum Saloninum, qui propterea uterinus Druſi frater dicitur Tacito III. Annal. cap. 76. atque inter viros illuſtres numeratur, defunctos A. V. C. DCCLXXV. Coſſ. Agrippa & Galba.

II.

OB CIVIS SERVATOS. Corona quernea inter duos ramos laureos. Ab altera parte, *Caius* ASINIVS GALLVS III VIR *Auro Argento Aere Flando Feriundo.* in area *Senatus Conſulto.*

Pertinet ad eundem Aſinium Gallum, & ad notiſſimum illum honorem, qui Auguſto Imperatori habitus eſt, ut civica illi conſecraretur, & ad poſtes januæ laurus excubaret.

III.

AVGVSTVS TRIBVNIC*ia* POTEST*ate*. In corona civica. Ab altera parte *Senatus Conſulto* in area, & in circuitu *Caius* ASINIVS III VIR *Auro Argento Aere Flando Feriundo.*

Quamvis cognomen Galli, quod hic Aſinius habuit, non adſcribatur, nullum tamen eſt dubium, quin ad eundem pertineat.

IV.

AVGVSTVS TRIBVNIC*ia* POTEST*ate*. in corona quernea, ſeu civica; ab altera parte epigraphe ſuperiori eſt ſimilis, niſi quod cognomen Galli addatur.

V. APOT-

V.

ΔΡΟΤΣΟΣ ΚΑΙΣαρ. ΓΕΡΜανικὸς ΚΑΙΣαρ. ΝΕΟΙ ΘΕΟΙ ΦΙΛΑΔΕΛΦΟΙ. *Drusus & Germanicus, Cæsares, Novi Dii, Philadelphi.* Insident sellis curulibus Drusus & Germanicus, filius ille naturalis Tiberii, hic adoptivus; ex quibus ille simpulum gestat, ut pontifex, hic lituum, ut augur. Ab altera parte in corona quernea legitur ΚΟΙΝΟΤ ΑΣΙΑΣ. *Communitatis Asiæ*, & in circuitu ΓΑΙΩ ΑΣΙΝΙΩ ΠΟΛΛΙΩΝΙ ΑΝΘΥΠΑΤΩ. *Caio Asinio Pollioni Proconsuli.*

Habemus in hoc & sequenti nummo Galli præcedentis filium Cajum Asinium Pollionem, qui consul fuit cum Cajo Antistio Vetere A. V. C. DCCLXXVI. quo anno Drusus fraude Sejani veneno exstinctus est. Unde non multo post videtur cum proconsulari potestate in Asiam fuisse missus, ubi Sardiani, uti ex aliis similibus nummis liquet, in memoriam Drusi & Germanici, cujus posterioris imprimis magnum ibi erat desiderium, hunc atque sequentem & nonnullos alios nummos signarunt.

Laudatur hic concordia Drusi & Germanici, qui satis amice vixisse traduntur, post mortem vero cusum esse hunc & similes nummos patet, quum ex adpellatione ΝΕΟΙ ΘΕΟΙ, tum ex tempore proconsulatus Asinii Pollionis, qui consul fuit eo anno quo Drusus fuit exstinctus, Germanico jam antea mortuo, neque ante illud tempus ut consularis in Asiam cum proconsulari potestate mitti potuit. Hujus vero nummi, ut exstantis in museo marchionis de Seignelay, mentionem facit Morellius noster in Specimine suo p. 157.

VI.

ΔΡΟΤΣΟΣ ΓΕΡΜΑΝΙΚΟΣ ΚΑΙΣΑΡΕΣ ΝΕΟΙ ΘΕΟΙ ΦΙΛΑΔΕΛΦΟΙ. *Drusus, Germanicus, Cæsares, novi Dii Philadelphi.* Drusus & Germanicus sedentes, ut supra. Ab altera parte similis est corona quernea, cum inclusis literis ΚΟΙΝΟΤ ΑΣΙΑΣ. *Communitatis Asiæ*, & in circuitu ΓΑΙΟΤ ΑΣΙΝΙΟΤ ΠΩΛΛΙΩΝΟΣ ΑΝΘΥΠΑΤΟΤ. *Caio Asinio Pollione Proconsule.*

Nihil hic variat a superiori, nisi quod integre nomina & dignitates Cæsarum scribantur in parte anteriore, casus vero secundus pro tertio in posteriore parte observetur quoad proconsulem Pollionem, cujus ibidem nomen per Ω scribitur, non tantum in fine, sed in initio quoque; quæ diversitas iterum occurrit apud Morell. in Num. Imp. inter illos Drusi & Germanici.

A T I A.

Atia gens, in duas apud scriptores familias divisa, Balborum a linguæ titubantia, & Labienorum, a prominentia vel densitate labiorum, cognomina habuit. Fabulosam ejus originem a Trojanis temporibus repetit Virgilius, atque ab Ati quodam, puero Trojano nobili, deducit, in gratiam videlicet Augusti, qui Atium Balbum avum habuit, cujus etiam memoria in sequenti nummo exstat.

I.

ATIVS BALBVS PR*aetor*. Caput Atii Balbi nudum. SARD*us* PATER. Caput Sardi herois cum sceptro & cristis, sive re aliqua simili.

Atium Balbum, cujus hic fit mentio, prænomen Marci habuisse docet nos præter Suetonium similis nummus ex Museo Fridericiano p. 220. ubi inscriptio est M. ATIVS &c. Fuit patria Aricinus, & ducta in uxorem sorore Julii Cæsaris dictatoris Julia, ex eadem progenuit filiam Atiam, quæ nupta deinde C. Octavio peperit nepotem & hæredem Cæsaris Octavianum; sicuti testatur Suetonius in Aug. cap. IV. *Atia, M. Atio Balbo, & Julia, sorore C. Cæsaris, genita est. Balbus, paterna stirpe, Aricinus, multis in familia senatoriis imaginibus, a matre Magnum Pompejum arctissimo contingebat gradu, functusque honore præturæ, inter XXviros agrum Campanum plebi Julia lege divisit.* Præturæ autem honore functus est circa A. V. C. DCXCI. coss. D. Junio Silano L. Licinio Murena. Unde, ut prætorius, aliquanto post in Sardiniam missus videtur, postquam scilicet interfuisset divisioni agri Campani, quæ contigit A. V. C. DCXCIV. C. Julio Cæsare & M. Calpurnio Bibulo coss. teste Suetonio in Cæs. cap. XX. *Campum Stellatem majoribus consecratum, agrumque Campanum ad subsidia reip. vectigalem, divisit extra sortem ad XX millibus civium, quibus terni pluresve liberi essent.*

Neque tamen eo tempore, quo Sardiniæ prætor fuit hic Atius Balbus, nummus cusus est, sed postea temporibus Augusti imperatoris, quum Sardi hoc modo provide captarent regnantis gratiam. Itaque non modo ostendere voluerunt gratos sese esse erga memoriam optimi quondam prætoris sui; verum etiam cum antiquo gentis suæ conditore illum compararunt, Sardo videlicet Heroe, quem Patrem (ut apud Romanos erat Marspiter & Liber Pater) nuncupant, & cujus effigiem in altera nummi parte signarunt. Hercule autem natus fertur Sardus, ut qui inter filios ejusdem ab Iolao in insulam istam transvectus fuerit, quæ ab eodem Sardo postea Sardiniæ nomen accepit, quum prius Ichnusa diceretur. Et hinc nullum videtur esse dubium quin ad honorem ejusdem Sardi Patris pertineat *Sardopatoris fanum*, *Σαρδοπάτορος ἱερὸν*, quod Ptolemæo memoratur lib. III. cap. III. p. 69. atque in Sardinia ab eodem collocatur.

Sceptrum collo Sardi adhærens potestatem in insulam a se denominatam illi vindicat, verum figuræ tanquam graminis in cristæ morem e capite erumpentes quid sibi velint, obscurum est. Pro spicis sumendæ non videntur, quum nullæ adpareant aristæ, & numerus tamen ad novem usque adsurgat. Nobilitata apud veteres fuit herba Sardoa, sed infamis, utpote amara & noxia, de qua Virg. Ecl. VII. versu 41.

Imo ego Sardois videar tibi amarior herbis.

quæ comesa hominum rictus dolore contrahit, & quasi ridentes interimit, unde proverbium *Sardonius risus*. Insuper describit Servius ut apiastri similem, quæ similitudo huic figuræ nequaquam convenit. Mihi genus videtur esse plantæ aquaticæ, Sardiniæ forsan peculiaris vel magna ibidem copia proveniens. In Sardinia certe cusum nummum ex rudiori ejus artificio recte antiquarii collegerunt.

II.

Quintus LABIENVS PARTHICVS IMP*erator*. Caput nudum Quinti Labieni. Ab altera parte nulla epigraphe est, sed equus stratus & frænatus.

Postquam recte hunc denarium (quem etiam expressit & contemplatus est editor Musei Fridericiani) explicassent Antiquarii, pro sua tamen omnia evertendi prurigine hæc scripsit Harduinus ad Plinium Tom. I. pag. 335. „ Hinc caput Augusti nudum exhibet, cum epigraphe, „ dextro latere, PARTHICVS IMP. sinistro

 „ de-

„ deinde, *Q. Labienus.* Sic autem interpreta- „ mur: *Parthicus Imperator*, Auguſtus ſcilicet, „ qui anno urbis DCCXXIII. Parthos fugavit, „ Aſiamque recepit; ideoque vere Parthicus im- „ perator fuit. *Quæſtor Labienus.* In averſa num- „ mi parte equus ſine ſeſſore eſt, cum freno, „ gerens ſaccum inanem, pecunia (credo) æra- „ rii militaris in bellum exhauſta; absque inſcri- „ ptione. Nummum hunc qui ſic expoſuere, „ *Quintus Labienus Parthicus Imperator*, multa „ finxere abſurda, quæ refellere non eſt hujus „ loci. „ Hactenus Harduinus, quem profecto, ſi in hisce & ſimilibus ſtatuamus ſerio loqui, neque ſuo ſcientem volentemque ingenio abuti, tam inane cerebro ejus eſt caput, quam ridicule fingit, ſaccum equo impoſitum, inanem, pecunia ærarii militaris in bellum exhauſta. Egregium ſcilicet monumentum, quod ad poſteros omnino propagari deberet, atque teſtari inopiam Auguſti, qui quum ipſe, ut ſibi fingit ibidem, feliciter adverſus Parthos dimicaſſet, ſacculum, pro præda & auro Parthico, plenum aranearum Romam retulerat; ad cujus ſcilicet vectationem equo quoque opus foret. Sed omiſſis deliramentis nugisque, nam omnia refutare nihil adtinet, quis Auguſti ſerenam frontem agnoſcet in vultu hoc turbido & aſpero, qualis optime convenit Labieno, quem Strabo Geogr. lib. XIV. p. 609. in adducto a doctiſſ. Liebio loco vocat *διερέθιστον, ϗ ἀνοίας πλῆρες. irritabilem & ſtoliditatis plenum?*

Pertinet itaque nummus ad Q. Labienum, Q. Labieni, qui a partibus Cæſaris ad Pompejum transfugit, filium, qui quum & ipſe paterno exemplo Cæſarianorum hoſtis Caſſio & Bruto adhæſiſſet, ab iis ad Parthorum auxilia arceſcenda miſſus eſt, & profligatis interea percuſſorum partibus, manſit apud Parthos, infeſtus jam Romanis, neque deſinens vexare vicinas regiones, donec & ipſe occiſus eſt. Hunc ſeſe ridicule Parthicum imperatorem nominaſſe teſtantur Dio, Plutarchus, atque Strabo, quum a devictis hoſtibus hoc nomen debuiſſet accipere, non ab iis, quibuscum contra Romanos ſtabat; unde irridens eundem, ſed ſuo malo, ut eſt apud Strabonem loco cit. Hybreas, ex urbe Mylaſſo in Caria, ſibi eodem jure Carici imperatoris nomen convenire adſerebat.

ATILIA.

Atiliæ gentis in patricios & plebejos diviſæ ſolum ſuperſunt in nummis Atilii plebeji, qui cognomina Regulorum & Saranorum geſſerunt.

I.

SARANVS. Caput Romæ galeatum. Ab altera parte *M*arcus ATIL*ius*. Dioſcuri in equis, in imo ROMA.

Marcum hunc Atilium Saranum Vaillantius ſtatuit filium fuiſſe C. Atilii Calatini, qui duos reliquit filios, Marcum hunc & Cajum. Quum vero patri Marco Calatino agrum ſerenti conſulatus fuerit delatus, inde cognomen Serani ſeu Sarani, pronunciatione antiquiore, adhæſiſſe exiſtimat filiis ejusdem. Marcus autem Atilius Saranus, ſeu, ut alii ſcribunt, Serranus, tribunus plebis fuit A. V. C. DXXIX.

II.

Caput Jovis barbatum & laureatum, cum litera S. quæ ſemiſſis nota eſt. Ab altera parte, *M*arcus ATILI*us*. Roſtrum navis, in imo *Roma*, ad latus nota eadem S.

Nummum hunc æreum revocat Vaillantius ad M. Atilium Regulum illum, qui poſt res in Africa egregie geſtas, dum modum felicitati ponere neſcit, ibidem victus miſere periit. Cuſus itaque eſt tempore belli Punici primi, pondere unciali; teſtatur enim Feſtus bello Punico primo aſſis libralis pondus ad duas uncias redactum fuiſſe, ita ut ſemiſſis ejusdem unam penderet unciam, uti hic facit, qui tamen literam utrimque S. exhibet, quaſi ſex, ut antea, uncias etiamnum penderet; id quod poſtea in quavis pecuniæ diminutione factum fuit.

III.

Caput Jani bifrontis ſine cippo. Ab altera parte *M*arcus ATILI*us*. Prora navis, & inf. *Roma*.

Quæ de hoc nummo ſcribit Vaillantius, ſi apud eundem legas, ſibi ipſis adverſantur, neque ullum idoneum ſenſum ex corrupta ſcriptura, vel typorum vitio faciunt. Quare Vaillantii verba pro interpretatione hic adferam, ita ut corrigi debent. „ Forma & pondus (inquit) „ hujus nummi, ut illum M. Atilio Regulo, „ M. Atilio apud Pænos mortuo (corrige & le- „ ge *M. Atilii apud Pœnos mortui nepoti*) adjudi- „ cem, impulit: pondus quidem, quippe as „ cum Jani bifrontis capite ſignatus; eſt uncia- „ lis, & Plinius lib. XXXIII. cap. 33. teſtatur, „ bello ſecundo Punico ab anno DXXXVI. in- „ cœpto, Annibale urgente, propter bellicas „ clades & claſſium naufragia, ſextantarios eſſe „ factos unciales: forma vero non amplius cip- „ pum ſupra Jani caput exhibet, nec as etiam „ literam *l*, libram deſignantem, amplius præ- „ fert; quum revera nummus pro libra ſit un- „ cia. „

IV.

Caput Romæ galeatum cum nota denarii. Ab altera parte *Caius* ATILI*us*. ROM*a*. Victoria in citis bigis.

Cajus hic Atilius Saranus (hoc enim illi eſt cognomen in ſequenti denario) frater Marci fuiſſe videtur, Marci nepos; & idem ille, qui, plebis favore ad conſulatum evecto Cajo Varrone, repulſam tulit.

V.

Similis eſt ſuperiori, niſi quod in hoc cognomen SAR*anus* tantum exprimitur, quum neglecto cognomine, in illo legatur. *Caius* ATIL*ius*.

VI.

Jani bifrontis caput laureatum. Ab altera parte SAR*anus*. Prora navis, & in imo ROMA.

Dubitat Vaillantius utrum ad eundem Cajum Atilium Saranum, an ad ejusdem fratrem Marcum hic nummus ſit referendus, prænomen enim abeſt. Tempus, quo cuſus eſt, colligitur ex pondere, conſtat enim hic as ex duabus unciis, ad quod pondus redactus fuit tempore belli Punici ſecundi anno V. C. DXXXVI.

VII.

Caput galeatum Romæ, retro quod literæ numerales XVI. obſervantur; ab altera parte Victoria eſt in citis bigis, & inferius *Lucius* ATILI*us*. ROM*a*.

Lucium Atilium, Lucii filium, illius Reguli, qui apud Pœnos occiſus fuit, nepotem faciunt Fragmenta Capitolina. Pater hujus Atilii quæſtor in pugna Cannenſi occubuerat; avus vero legem de tribunis militum comitiatis tulerat. Notari debet numerus XVI. in hoc denario occur-

currens, quum X. solita denarii nota sit. Unde id factum sit quidve sibi velit, docet Plinius lib. III. cap. XIII. p. 611. ed. Hard. *Postea Annibale urgente, Q. Fabio Maximo dictatore, asses unciales facti, placuitque denarium sedecim assibus permutari, quinarium octonis, sestertium quaternis.* Ubi opportune Harduinus verba Volusii Mæciani p. 877. qui sub Antonino Pio vixit, adducit, quæ ita sese habent: *Denarius primo asses decem valebat, unde & nomen traxit: quinarius, dimidium ejus, id est, quinque asses: unde & ipse vocatur. Sestertius duos asses & semissem, quasi semis tertius* &c. *Nunc denarius sedecim: victoriatus & quinarius octo: sestertius quatuor asses valet.* Vitruvii quoque locum indigitavit, qui exstat lib. III. cap. I. pag. 40. *Nostri autem primo decem fecerunt antiquum numerum, & in denario denos æreos asses constituerunt, & ea re compositio nummi ad hodiernum diem denarii nomen retinet; etiamque quartam ejus partem, quod efficiebatur ex duobus assibus & tertio semisse, sestertium nominaverunt.* Unde patet omnes illos denarios, qui num. XVI. adscriptum habent, ejus temporis ratione computandos esse, sicuti mox primus in gente Aufidia ad eundem censum pertinet.

VIII.

SARANUS Caput galeatum Romæ, cum denarii nota, uti passim. Ab altera parte Dioscuri hastati solito more equis vehuntur, subtus legitur *Marcus* ATIL*ius.* & ROMA.

Hic, quum per omnia primo hujus gentis nummo sit similis, nisi quod literæ SARAN. alio ponantur ordine, & denarii ibi desit nota, ulteriori explicatione non indiget.

ATTIA.

ΝΕΡΩΝ ΚΑΙΣΑΡ ΣΕΒΑΣΤΟΣ ΓΕΡΜΑΝΙΚΟΣ. *Nero Cæsar Augustus Germanicus.* Ab altera parte, ΝΕΙΚΑΙΕΩΝ ΕΠΙ ΑΤΤΙΟΥ ΛΑΚΩΝΟΣ ΑΝΘΥΠΑΤΟΥ. *Nicæensium, sub Attio Lacone proconsule.* Ara quadrata, quæ, prima voce, ΝΕΙΚΑΙΕΩΝ inscribitur, desuper est columnæ rotundæ inferior pars, desuper quam est globus atque extenta hinnuli pellis, cui incumbit cornucopiæ, in cujus summitate corona est; thyrsus in nucem pineam desinens, dependentibus lemniscis, ad alterum latus exsurgit, ad alterum cernitur capricornus globo insistens, ipsi vero columnæ inscribitur vox ΝΕΡΩΝΟΣ *Neronis.*

Nicæenses præter Herculis cultum, qui conditor ejus urbis adpellatur, Bacchum quoque summa religione coluerunt; unde illum non minus quam Herculem conditorem suum vocarunt, & ut talem in nummis Antonini Pii & Commodi signarunt; in quibus Deus ille thensæ insidet, dextra pateram, læva hastam tenens; thensam vero quatuor trahunt elephanti, Indicæ videlicet expeditionis testes. Utrumque nummum vulgavit Cuperus in libro de Elephantis; illum vero Commodi jam ante contemplatus quoque fuerat Tristanus in Commentariis suis Tom. I. p. 744. Nummi illi ita inscribuntur ΤΟΝ ΚΤΙΣΤΗΝ ΝΙΚΑΙΕΙΣ. *Conditorem Nicæenses* scil. honorant. Tertium ibidem Cuperus exhibet Severi, cum eodem typo, sed simplici ΝΙΚΑΙΕΩΝ, *Nicæensium* inscriptione.

Ad hunc itaque tam celebrem Bacchi in urbe sua cultum adludentes Nicæenses, tria symbola, quibus Neroni blandirentur uni huic nummo insculpserunt, thyrsum videlicet cum lemniscis fluitantibus, desinentem in nucem pineam, atque hinnuli pellem sive nebridem, quæ cuncta ad Bacchum pertinent; cornucopiæ cum corolla, ad felicem rerum statum sub ejusdem imperio; & capricornum globo insistentem, ad nobilitatem Neronis indicandam, qui genus ex Augusto, cui, ob natale sidus, proprius hic typus fuit, trahebat; & denique globum alterum sub cornucopiæ, tanquam non Nicæa modo, sed universus terrarum orbis hanc gratiam Imperatori Romano deberet.

Nicæa Bithyniæ urbs fuit, cujus hunc nummum describens Vaillantius in opere de Impp. Nummis Græcis p. 17. ita loquitur „ *sub Attio* „ *Lacone proconsule Nicæensium.* Ara, capricor„ nus, cornucopiæ, globus, papaver, & fa„ scia. „ In qua manca descriptione non attendit ad columnæ partem inferiorem, quæ aræ inposita, Neronis titulum, tanquam Dei tutelaris & Bacchi alterius, præfert; neque animadvertit thyrsum, pro quo papaver ponit, neque nebridem substratam. Notat vero inveniri in Musæo Foucaultiano, quod jam ducis Parmæ est.

De proconsule vero hoc Attio Lacone nihil legisse memini, nisi quod illum quoque inter alios Bithyniæ proconsules enumeret Spanhemius Tom. II. p. 593. ubi obiter hujus nummi mentionem facit, ut a se in cimeliis cl. Seguini observati.

AVFIDIA.

Gens Aufidia plebeja fuit, quod tribuni plebis, ex gente illa facti, evincunt; Orestæ & Rustici (ut putat Vaillantius) cognomine dicti sunt. Rustici (si ita legi debet) in denariis adhuc inveniuntur, in coloniarum nummis Gemellorum etiam cognomen occurrit.

I.

RVS . . . Caput Romæ galeatum, retro notæ numerales XVI. Ab altera parte Jupiter more solito in citis quadrigis exhibetur, & subtus literæ *Marcus* AVF*idius.* ROMA.

Morellius RVS*o* legit, verba ejus & Perizonii responsionem hic inferere libet. Scribit itaque ille libello de Numm. Consul. p. 173. „ Alterius „ Gentis, AVFIDIAE scilicet, memoriam no„ bis suggerit nummus, qui Versaliæ asserva„ tur in Thesauro Regio. Una enim ejus pars „ legendum offert: M. AVF. ROMA; a„ versa vero RVSO. Diu jam est, ingenue fa„ teor, quod frustra hujus nummi quæsiverim „ interpretationem, donec nuper diligentius in „ eam mihi inquirenti ex Taciti Annalium lib. „ VI. occurreret Abudius Ruso functus Ædili„ tate; quo lecto persuasus fui, nomen hoc cor„ ruptum esse, & præeunte nobis nummo, „ AVFIDIVS RVSO legi & restitui debere. „ An vero recte, an minus, judicent me do„ ctiores, quia varia se præbent obstacula: in „ quibusdam Taciti exemplaribus legitur Abudius „ Ruso, idemque Lib. I. nominat Aufidienum „ Rufum, ut nihil dicam de hujus gentis cogno„ minibus, Bassus & Luscus. Abutius tertius „ refertur in antiquitatibus Italicis apud Glan„ dorpium. Interim quædam conjicere liceat de „ gentis AVFIDIAE origine. Aufidus amnis „ Romanorum clade ad Cannas celebris forsan „ hanc dedit, & ejus accolæ civitatem adepti „ inde denominati fuere, sicque Ruso Aufidius „ gentem hanc Romam misit. In ejusmodi con„ jecturis audax ero, non ut credi velim, sed „ ut occasionem ulterioris investigationis bene-

„ vo-

„ volis Lectoribus objiciam, etiamque diſcam.„ Reſpondit Periz. p. 251. „ Nummum *Aufidiæ* gentis edidit jam Vaillantius, ſed qui in averſa exhibet non RVSO, ſed RVS. quod ille exponit *Ruſticus*, quoniam hoc cognomen in variis gentibus fuerit uſitatum, & conveniat ſua ſignificatione cum altero Aufidiorum cognomine *Oreſtes*, quod interpretatur ille *Montanus & Agreſtis*. Poſterius hoc longiſſime eſt petitum, & videtur id *Oreſtis* cognomen ex Aureliis, qui eo dudum ante jam erant inſignes, tranſiiſſe ad Aufidios. *Ruſtici* vero cognomen in multis reperitur, ſed fere poſt exortum jam Cæſarum imperium. Vide Reineſium ad Rupertum Epiſt. XXXV. pag. 249. Nulli tamen inter eos reperiuntur Aufidii. Quocirca crediderim ſi maxime tantum RVS in Nummo legitur, interpretandum id, non cum Vaillantio, *Ruſticus*, quippe quod ſi intelligeretur, pluribus paullo literis fuiſſet expreſſum, ut per ſpatium Nummi poterat, ſed cum Morellio, *Ruſo*, quod etiam uſitatum fuit cognomen, in novis familiis, non tantum *Abudia* apud Tacitum, apud quem nihil mutari velim, ſed etiam *Calviſia* apud Gruterum Inſcript. LXIV. 4. ubi *P. Calviſius Ruſo conſul* memoratur. Sed & Martial. Epigr. V. 29. *Ruſonem* comitate celebrem laudat. Varia autem Aufidiorum fuerunt cognomina, *Oreſtes*, *Lurco* vel *Lingo*; Sed & reperitur *Aufidius Luſcus* apud Horatium Sat. I. 5. *Tucca* & *Namuſa* apud Pomponium de Orig. Juris, *Baſſus* apud Quinctilianum. Quidni illis ex Nummo hoc addamus *Ruſonem*? Cetérum originem Nominis *Aufidii* ab *Aufido* fluvio jam alii repetivere. Vide Rupertum ad Salluſtium Catil. XVII. pag. 144. Et ſic *Tarquinii* ab oppido Tarquiniis, *Gabinii* a Gabiis, *Aurunculeji* ab Aurunca, *Pontinii* a Pometia urbe. „ Ad quæ iterum Morell. p. 295. „ Nummus ille, quem ad hanc gentem retuli, certiſſime ad illam quoque ſpectat, & de illo jam diſſertationem edidit Nobiliſſimus a Seidel, Berolinenſis; ſimilis plane nummus aſſervatur in theſauro Regis Galliarum, & tertius Venetiis apud Sereniſſ. Principem de Ligne, ita ut de hac re dubium moveri amplius non poſſit. „

Notæ numerales XVI. oſtendunt tempore belli Punici ſecundi cuſum eſſe hunc denarium ſimilesque, uti docuimus ad num. VII. gentis Atiliæ. Potuit hic M. Aufidius fuiſſe pater filii cognominis, qui quæſtor fuit A. V. C. DCLXXXIII. & tribunus plebis DCLXXXVI. finito jam bello Punico ſecundo, quod per octodecim duravit annos.

II.

TI*berius* CAESAR DIVI AVG*uſti* F*ilius* AVGVSTVS. Caput Tiberii laureatum. Ab altera parte, T*ito* CAECILIO LEPIDO C*aio* AVFIDIO GEMELL*o* II VIR*is*. C*olonia* C*æſarea* A*uguſta*. Bos infulatus.

Literæ C. C. A. paſſim Coloniam Cæſaream Auguſtam deſignant. Eſt vero urbs Hiſpaniæ Tarraconenſis ad Iberum amnem, & prius Salduba, teſtibus Plinio & Ptolemæo, dicta fuit. Bos infulatus ſacrificium denotat, quod pro incolumitate principis Tiberii ſolemni ritu in hac urbe fuit celebratum, tempore, quo duumviratu fungerentur Titus Cæcilius, cognomine Lepidi, & Cajus Aufidius Gemellus, a ſorte naſcendi dictus. Bos, ubi ſine vittis vel infula occurrit, coloniæ ſymbolum ſimpliciter eſſe ſolet.

AVRELIA.

Gens Aurelia, plebeja, ſummis tamen in republica honoribus geſtis inclaruit, ſacerdotio quoque Solis apud Romanos inſignis, & diſtincta cognominibus Cottarum, Ruforum & Scaurorum, quæ in nummis inveniuntur; Oreſtæ etiam apud veteres ſcriptores agnoſcuntur.

I.

COTA ſeu per literæ T. reduplicationem COTTA. Caput Romæ galeatum cum denarii nota. Ab altera parte Hercules dextra clavam gerens vehitur in curru a duobus centauris tracto, quorum alter dextra quoque clavam elevat, læva uterque longum ramum tenet. Subtus legitur M*arcus* AVRELI*us*. ROMA.

Variæ eruditorum ſunt opiniones, cur centauri in Aureliæ gentis nummo ſignentur; quæ videri poſſunt apud Ill. Spanhemium Diſſ. X. p. 15. 16. 17. Vaillantius p. 161. exiſtimat M. Cottam M. filium, Caji fratrem, duumvirum fuiſſe reficiendis ædibus ſacris, & forte ædem Herculis Victoris in foro Boario reſtauraſſe. Conſulatum tandem adeptus eſt hic Marcus Aurelius Cotta A. V. C. DCLXXX. quum frater Cajus honore iſto abiiſſet, conſul enim is fuit A. V. C. DCLXXIX. In Bithyniam profectus eſt contra Mithridatem, ut illam atque Propontidis oram contra ejusdem regis violentiam defenderet. Spanhemius, ubi quasdam aliorum opiniones, minus adcommodatas, adduxit, & ipſe quidem ad hunc refert Cottam, verum in honorem ejus a poſteris cuſum opinatur propter captam Ponti urbem Heracleam, de cujus miſera ruina & excidio apud Photium in excerptis Memnonis legitur; „ a quo (inquit) nobiliſſima Ponti urbs Heraclea capta fuerat ac direpta, ex eaque urbe inter alia eximium omnino ac ſingulare Herculis, cui, ut conditori, eadem erat ſacra, ſimulacrum cum aurea clava ſublatum, uti id a Memnone apud Photium traditur. Ad eam hujus M. Aurelii Cottæ expeditionum, Pontici etiam inde cognomento a ſenatu nobilitati, reſpici in iisdem illis nummis, haud vane liceret, ut videtur, arbitrari. Quamquam (addit ingenue) ne quid diſſimulem, obſtare forte videatur, quod ob direptam crudeliter eandem Heracleam, accuſatus ſit poſtea idem Cotta, & exilio remiſſo, ut ſenatoriis inſignibus ſeu lato clavo deinceps careret, ſit damnatus. „ Hisce vir ipſe Illuſtriſſ. unum nobis argumentum ſuppeditat, quod contra hanc ejus conjecturam militet; alterum ipſe Memnon, cujus teſtimonio fulcitur illa conjectura, ſubminiſtrare poteſt. Apud illum p. 748. Bibl. Photianæ, hiſtoria (Latina poſuiſſe ſufficiet) ita ſeſe habet. *Nam dum opes paſſim ſcrutatur* (Cotta) *ne ſacris quidem parcit. Statuas enim & imagines, tam pulchras quam multas, loco movit: quin & Herculem e foro, & ornatum ejus a pyramide, ſumtu, magnitudine, nec non opificio & arte, nullo laudatiſſimorum operum inferiorem, ſuſtulit. Erat autem clava malleo cuſa ex auro puriſſimo: & leonina ipſi circumfuſa, corytusque ex eadem materia, arcu & ſagittis refertus.* Verum ubinam hæc in nummo? Herculem quidem cerno, & clavam in dextra ejus, verum ubi ſine clava fere usquam Hercules? ſi ornatus ejusdem a Memnone deſcriptus adforet (leonina ipſi circumfuſa, inprimis corytus arcu & ſagittis refertus) aliter ſentirem; ſed neque centauros ramos arboreos geſtantes neglexiſſet Memnon, qui tamen in hoc de-

denario atque sequenti currum Herculis trahunt. Plinii interpres Harduinus Spanhemii conjecturas cum fastu rejiciens, ipse hanc dat Tom. I. p. 416. satis jejunam: „ Significat (inquit) Cotta, in „ gente sua Aurelia victorem exstitisse equitatu, „ sive cum magister equitum esset, M. Aure- „ lium. Nam qui centauri vocantur in nummis, „ ii nihil aliud in his denotant, nisi equitatum. „ Præclara interpretatio! Cur non addidit ex curru pugnasse magistrum equitum? non enim simpliciter centauri, sed bigam trahentes conspiciuntur. Melius itaque ex Thessalia interpretatio horum denariorum arcessenda videtur, ibi enim Herculis gesta contra centauros, & victoria filii Jovis celebrantur. Videndum ergo quid in Macedonia aliquando gens Aurelia, & ex eadem Cotta aliquis egerit.

Bello Punico secundo, quum præter Annibalis res gestas magnus a Philippo, Macedonum rege, Romanis metus esset, & querelæ sociarum urbium ex Græcia Romam perlatæ essent de ejusdem Philippi violentia, & missis in Africam, ut Carthaginiensibus præsidio essent, quatuor militum millibus; legati tres a senatu missi sunt in Macedoniam, qui nunciarent, videri hæc patribus facta adversus fœdus. *Missi* (inquit Livius lib. XXX. cap. 26.) *C. Terentius Varro, C. Mamilius, M. Aurelius.* Hujus itaque legationis, qua tam potentem & Romano nomini formidabilem regem represserunt Romani, monumentum hi denarii esse videntur, in quibus ille M. Aurelius Cotta, qui eosdem cudit, insignis illius Cottæ, proavi sui, qui & decemvir sacrorum fuit, & cujus mortem adnotat Livius in fine lib. XXXI. memoriam renovare voluit. Macedoniæ enim & Thessaliæ symbolum sunt centauri, Thessali siquidem equites robur ingens Macedonici semper exercitus fuerunt.

Alia fuit sententia Cl. Perizonii, quæ digna est, ut ex mente Morellii hic quoque locum occupet. Quæsiverat Morell. p. 186. de Numm. Consul. „ Quid indicent centauri in nummis „ Gentis AVRELIAE, illius Oedipum quæ- „ ro. Scio quidem Illustr. Cuperum ingeniose „ ad pugnam Pharsalicam illos accommodare; „ sed forsan specialius quid indigitant, quia in „ nummis Aureliopolitarum sub Imperatoribus „ pariter centauri conspiciuntur, causam vero „ ejus hactenus indagare potis non fui. „ Respondit vir doctiss. p. 264. „ Quæris, vir Præ- „ stantissime, quid *centauri* in Nummis Gentis „ *Aureliæ*, & Urbis *Aureliopoleos* notent. Qua- „ propter meam tibi conjecturam (nam in his „ rebus, si usquam, multum est loci conjectu- „ ris) lubens exponam. Primo, certum mihi „ est, *Aureliam* gentem, quæ olim dicta fuit „ *Auselia*, ut docet nos Festus, & ut solitum „ fuit olim Romanis literam S mutare in R, sic „ ergo dictam, non ab Græco ἥλιος, sed ab „ antiquo nomine Latino *Auso*, vel *Ausus*, un- „ de *Ausones* & *Ausonia*, & *Aurunca* pro *Ausun-* „ *ca*, quod contractum est ex *Ausonica*, & de- „ nique gens *Auselia*, quæ postea dicta est *Au-* „ *relia*, ut & *Auria*, frequens & nobilis in mu- „ nicipio Larinate. Vide Ciceronem pro Clu- „ entio cap. V. VII. & VIII. Ita vero etiam a „ *Pompone Pomponius*, *Pompejus*, & *Pompilius*, „ a *Cæsone*, *Cæsius*, *Cæsonius*, & *Cæsellius*, a *Tre-* „ *bone Trebius*, *Trebonius*, & *Trebellius*. Inde „ ergo *Aurelii*, sive nomen hoc acceperint ab „ *Ausone* quodam, sive ab ipso populo, aut ur- „ be, sicuti *Auruncuteios* ab *Auruncis*, & alios „ ab aliis Italiæ oppidis, denominatos supra jam „ ostendimus. Jam vero *Ausonum* antiquissimus „ fuisse dicebatur *Mares* quidam ἱππομιγής, prio- „ ri parte homo, posteriori equus, quod tradit „ Ælianus Var. Hist. IX. 16. Videntur ergo „ Auselii hunc hominem, sui generis & gentis „ principem, per centauros, quibus plane simi- „ lis fuisse fingitur, in Nummis suis voluisse de- „ signare.

„ Eorum exemplum secuti postea sunt Aure- „ liopolitæ, quod indicio est, centauros perti- „ nere ad Aurelios in universum, non ad hujus „ aut illius Aurelii peculiare factum, neque ad „ Pharsalicum prœlium, neque ad Herculem, „ quod postremum ex conjectura mera voluit „ Vaillantius. „ Ad quæ iterum Morell. p. 300. „ Maxima cum voluptate legi omnia, quæ de „ origine hujus gentis tradidisti; verbaque tua „ ipsissima Eruditis in Opere ipso proponentur. „

II.

Similis superiori, sed quum alter ex centauris in priore denario clavam dextra gestare videatur (nisi sit ramusculus, quem manu teneat, majori quem super humeros gerit ramo adnexus) hic nihil dextra tenens volam ejusdem expandit.

III.

Caput Vulcani pileo laureato tectum, in laurea, cum forcipe, litera B. & astro. Ab altera parte aquila, itidem in laurea, respiciens & alas expandens fulmini insistit, subtus legitur *Lucius* COT*ta.*

Lucii Aurelii Cottæ varii memorantur apud scriptores, L. Aurelius Cotta tribunus militum in exercitu L. Æmilii Paulli. L. Aurelius Cotta, consul A. V. C. DXC. cum Sergio Galba oratore. L. Aurelius Cotta consul una cum L. Metello A. V. C. DCXXXV. Alius ejusdem nominis, prætorius, qui inter mediocres oratores numeratur. Alius, qui M. filius Caji & Marci frater, consul factus est A. V. C. DCLXXXIX. & plures. Ad quos vero horum hi denarii sint referendi difficile est conjectare. Ut ædilem, Vulcani ædem refecisse judicat eum qui nummum cudit Vaillantius, atque refert ad L. Aurelium Cottam, qui tribunus plebis fuit A. V. C. DXCV. & ædilis curulis A. V. C. DCIII.

Litera A.

Similis superiori, nisi quod a parte capitis addatur littera O. in area vero juxta aquilam sit litera M.

Litera B. C. D. *&c.*

Omnes hi similes superioribus habent typos, sed adscriptas ab hac vel illa parte literas P. M. N. C. D. E. R. X.

IV.

Lucius COT*ta.* Caput Vulcani cum pileo laureato & forcipe. Ab altera parte itidem laureatum caput est, sed sine forcipe, retro vero stella adest.

Ratio hujus nummi ærei eadem est, quæ denariorum argenteorum, de quibus modo egimus; sed Vaillantius caput illud, quod forcipem habet adpositum, Junonis Monetæ existimat, adeoque triumvirum monetalem hunc Cottam fuisse. Caput certe in berbe est, quum Vulcani caput agnoscatur barbam habere.

V.

Marci AVRELI*i*. ROMA. Caput Romæ galeatum cum denarii nota. Ab altera parte est vir nudus in bigis, dextra spiculum dirigens, læva clypeum tenens & habenas, exstante ad humeros baculo, qui in caput asini desinit. subtus legitur SCAVRI, & aliquanto inferius *Lucius* LIC*inius*, CN*eus* DOM*itius*.

L. Licinius & Cn. Domitius censores agnoscuntur A. V. C. DCLXII. quo C. Valerius Flaccus prospere contra Hispanos pugnavit. Eo tempore hunc Scaurum, filium istius Scauri qui consul fuit A. V. C. DCXLVI. judicat Vaill. fuisse inter triumviros monetales, atque monumentum hujus victoriæ monetæ suæ impressisse. Ad difficultatem vero, quam amicus movebat ex eo quod in aliis denariis gentis Porciæ, Pomponiæ &c. non tantum duo præter hunc Scaurum inveniantur, qui ista nomina censorum Licinii & Domitii denariis suis apposuerint, sed plures, scil. C. Malleolus, L. Pomponius, L. Porcius & C. Cosconius, respondet sub iisdem censoribus anno exeunte Scaurum cum duobus collegis cudere hos denarios potuisse; initio vero anni proximi tres novos triumviros eundem typum, ut reipublicæ gloriosum, repetere potuisse.

Litera D.

Parum vel potius nihil a superiori discrepat.

VI.

Caput Romæ galeatum cum nota denarii. Ab altera parte Jupiter stat in quadrigis more solito. inferius AV. RVF. & ROMA.

Literas illas AV. RVF. de Aurelio Rufo capit Patinus, ut qui genti Aureliæ ob hanc suam sententiam hunc denarium inseruit; sed negat Vaillantius in gente Aurelia quemquam cum cognomine Rufi inveniri; putat itaque legendum esse in denario AN*nius* RVF*us*. & per Annium Rufum explicat, qui videlicet fuerit inter majores Annii Rufi istius qui procurator in Judæam ab Augusto missus fuit.

Sed tamen, quamvis apud antiquos Historicos nullus legatur Aurelius Rufus, id non evincit quibusdam ex Aureliis Ruforum cognomen non adhæsisse. Contrarium lapides docent. Apud Fabrettum Cap. IV. Inscr. 192. legitur.

D. M.
AVRELIO. RVFO.
ANN. XXIII.
VERNACLVS.
MATERNAE. LIB.
ET. FORTVNATA.
AEMILIAE. LIB.
FILIO.
PIENTISSIMO.
F. C.
DIC. ROGO.
QVI. TRANSIS.
SIT. TIBI. TERRA
LEVIS.

Ibid. cap. VII. Inscript. 60. invenitur signum figlinæ antiquum palmæ ramo insignitum, cum literis

AVRELI RVFI.

Crediderim itaque aliquem Aurelium Rufum priscis reip. temporibus triumvirum monetalem extitisse.

Litera E.

P. AVR. COT. PA. Caput Romæ vel potius Minervæ galeatum. Ab altera parte EMPOR. Pegasus, desuper corolla.

Complures hujus generis nummos vidi, variis literis inscriptos, omnes vero fabricæ rudioris; & ipse quoque nonnullos servo. Retulit & quosdam inter incertos Morellius, ibi enim num. XIII. & XIIII. leguntur literæ M. A. B. M. F. & rir. C. S. M. Q. neque dubito, quin inter Hispanos nummos sint referendi. Rudis certe fabrica & plura simul posita nomina id indicare videntur. Verum de nummis in Hispania cusis & Hispanis veteribus literis inscriptis, alias forsan agendi tempus erit. An ad Aurelium Cottam aliquem hic nummus pertineat jure dubito, quum inscriptio integre legi possit *Publius* AUR*elianus*, CO*tilius*, PA*tiscus* & quovis alio modo, historia rerum & hominum deficiente.

AXSIA.

Lit. A.

Familia Axia seu Axsia plebeja fuit, quod unus ex eadem, qui tribunatum plebis gessit, ostendit. Nasonis cognomen Appianus agnoscit.

I.

NASO. Caput Romæ, cujus galea non ut passim ala exornatur ad tempora, sed palmæ ramis. Utraque Victoriæ sunt symbola, & isti Deæ passim adaptari solent. Utrimque, hinc quidem *Senatus Consulto*, inde literæ numerales IIII agnoscuntur. Ab altera parte Diana venatrix cernitur, insistens bigis, quas cervi trahunt, adcurrente cane, & duobus aliis subsequentibus. In ora nummi itidem literæ numerales IIII observantur. Infra legitur *Lucius* AXSIVS *Lucii Filius*, antiquo more scribendi pro AXIVS, quemadmodum MAXSVMVS pro MAXIMVS, ALEXSANDRIA pro ALEXANDRIA & similia.

Vaillantius caput galeatum pro Mercurii capite pileato accipit, & multus est in descriptione festi Mercurii, quod IV. iduum Maji die colebatur; & quum Ursinus Axium quendam, cujus meminit Cicero lib. I. ad Att. ep. 9. suspicaretur fœneratorem fuisse, Vaillantius nullum fœneratori meliorem deum quam Mercurium convenire credens, de Mercurio statim cogitavit, & pinnas illas, seu palmæ ramos, qui cernuntur ad utramque galeæ partem, de laureis ramis interpretatus est. „ Caput (inquit) Mer„ curii cum pileo, ad cujus latus lauri ramus „ hinc & inde affixus. „ At si quæras unde Mercurio ad caput laurus pro alis crescat, factum id respondeo ex male lecto atque intellecto Ovidii loco, qui lib. V. Fast. versu 677. exstat, atque ita apud Vaillantium p. 171. exprimitur:

Uda fit huic laurus, lauro sparguntur ab uda
Omnia, quæ dominos sunt habitura novos.

Vi-

Videtur vir doctus hinc credidisse laurum, quam pileo scilicet adfixam gestabat Mercurius, udam ab aquæ adspersione factam fuisse; quod nequaquam dicit Ovidius. Carmen ejus de Mercurii festo, & ad deum illum, inter alia ita se habet lib. Fast. V. versu 671.

Te, quicunque suas profitetur vendere merces,
Ture dato, tribuas ut sibi lucra, rogat.
Est aqua Mercurii portæ vicina Capenæ:
Si juvat expertis credere; numen habet.
Huc venit incinctus tunicas mercator, & urna
Purus suffitâ, quam ferat, haurit aquam.
Uda fit hinc laurus: lauro sparguntur ab uda
Omnia, quæ dominos sunt habitura novos.

Ultimis verbis dicit Ovidius udam fieri laurum ex aqua illa Mercurii: *Uda fit hinc laurus* &c. non vero ipsum Mercurium lauro ornari & laurum illam madidam reddi. Præterea si adtendas ad ornatum capitis, clare sese offert non pileus sed galea, parte illa, qua facies tegebatur in prælio, supra frontem rejecta. Galeas vero tales palmatas & tamquam cristatas complures denarii Romæ capiti adplicant, sicuti in multis familiarum Carisiæ, Manliæ, Minuciæ, aliarumque abunde cerni potest.

Sed neque clariss. Vaillantio in explicatione alterius partis denarii facile accedo; ubi sicuti IV. id. Maji sacra Mercurii, sic IV. id. Augusti notans festum Dianæ celebrari, narrat canes venaticos hac die emeritos & a labore immunes fieri; morbo quoque atque scabie adfectos ante Deam sisti. Quod tamen nihil ad nummum facit, quum hi canes, qui Deam comitari possint, probe valentes sint & necdum emeritæ militiæ. Canes vero passim Dianæ, ut deæ venatrici, adpinguntur.

Potest itaque hic denarius pertinere ad Axium Nasonem, quem scribit Appianus lib. IV. Bellor. Civil. proscriptum a triumviris, ubi a liberto suo, quem in deliciis habuerat, cognovisset se proditum, militi cuidam extorsisse gladium, &, solo proditore occiso, jugulum percussori præbuisse; vel ad ejusdem filium fratremve. Si tantum exstaret ille denarius, qui occurrit lit. C. & utrimque notas numerales XVI. habet, videretur hic Naso revocandus ad tempora belli Punici secundi, quibus denarius sexdecim assibus permutabatur; verum discrepantia numerorum, qui a quatuor usque ad XXV. adscendunt, aliam quandam rationem illos signandi fuisse suadent, sicuti in denariis gentis Claudiæ, Crepusiæ, &c. plurimi tales observantur.

Quia vox ROMA non adscribitur, patet extra Romam hos denarios fuisse cusos, unde frustra ædilem curulem Nasonem nostrum facit Vaillantius; & ego quidem crediderim in Sicilia cusos, tum quia ibi Proserpinæ seu Dianæ ingens habebatur honor, tum quod typus nummi sequentis mire conveniat cum plurimis ejus generis Panormitanis, qui apud Parutam inveniuntur.

Num. I.

Litera B. C. D. E.

Omnes inter se sunt similes, sed differunt notis numeralibus VI. X. XVI. XVIII. XXV.

II.

Caput Jovis laureatum. Ab altera parte figura militaris stans, dextra scipionem, læva hastam tenens, retro est clypeus. Figura ipsa galeata est & veste succincta; adscribitur NASO.

Videtur hic Naso filius vel frater fuisse superioris, vel cognatus certe, utpote ex eadem familia Axia; ad eundem vero referri nequit, quoniam ille Naso sub triumviris occisus fuit, hic vero nummum hunc æreum signaverit eo tempore, quo Augustus jam rerum potiebatur; quod aperte liquere potest illi, qui contulerit nummos Panormitanos apud Parutam, Tab. editionis nostræ VI. num. 56. 57. 58. 59. 60. itidem integras fere tabulas VII. & VIII. in quibus passim Jovis pariter cernitur caput, & figura militaris Martis vel Minervæ cum hasta, clypeo & veste pariter succincta. Quæ numismata cuncta cusa videntur in Augusti honorem ob coloniam Panormum deductam, unde varia nomina illorum, qui colonias deduxerant, in iisdem observantur. Sic *Quintus* FAB*ius* occurrit num. 68. *Lucius* PO-S*tumius* 69. CATO 71. & 72. Quibus jam ex Morellio nostro & Patino Nasonem addere licet.

III.

Caput Jani bifrontis barbatum & laureatum. Ab altera parte NASO in corona laurea.

Utrum hic ad superiorem, an ad Nasonem a triumviris occisum sit referendus, dubium esse potest. Libentius tamen adjudicarem illi, qui a triumviris occisus fuit, & qui cum aliquo imperio in Sicilia fuisse videtur. Perperam vero hunc nummum Paruta collocavit inter urbis Naxi nummos, tab. CXV. num. 3. sicuti & alium hujus Nasonis, huic similem, nisi quod pro Jani capite Jovis Capitolini caput exhibeat, quique pariter ad gentem Axiam pertinet, neque Ursino, neque reliquis, nec ipsi Morellio cognitum; sicuti docuimus ibidem pag. 707. & 708.

B A E B I A.

Gens Bæbia plebeja, sed consularis fuit; *Tampilus*, antique pro *Tamphilus* scriptum, cognomen illi fuit.

I.

TAMPILVS. Caput Romæ galeatum cum nota denarii.

ROMA. *Marcus* BAEBI*us* *Quinti* *Filius*. Apollo in citis quadrigis, dextra tenens ramum, læva arcum & sagittam.

Marcus Bæbius Tampilus filius fuit Cnei, nepos Quinti, consul factus cum P. Corn. Lentulo A. V. C. DLXXIII. de Liguribus triumphavit. At quia tum jam tertium annum per omnem Italiam pestifer morbus grassaretur, votaque ob id diis & præcipue Apollini a consule facta essent; videtur hic Apollo sisti in quadrigis, læva tenens sagittam pestiferam arcumque, dextra vero ramum lustralem, cessante jam morbo.

Pamphilum, contra denariorum fidem, quidam cognomen hujus gentis scribunt, & inter illos Glandorpius; at Harduinus ad Plinium lib. XIII. cap. 27. non tantum *Pamphilo* in Plinio reponit, sed literas, quasi initiales, ita supplet: *Titus Antoninus Marathi* (in Phœnicia) *Præsidiariam Imposuit Legionem*; monetque insuper ne Fastis credamus, verum caveamus ab illis adserentibus Tampilum cognomen Bæbiæ gentis esse. ô lepidum caput!

II.

Jani bifrontis caput laureatum cum remo intermedio circa tempora exsurgente.

ROMA. *Marcus* BAEBI*us*. Tres navium proræ.

Nihil vulgatius in æreis Romanorum monetis eſt prorâ navis, præſertim Jani capite ſignatis, unde luſus ille pueriliſ *caput an navis?* ſed quum plures naves ſeu proræ occurrunt, ut in hoc nummo, adparet ad hiſtoriam aliquam pertinere, & claſſis profectionem deſignare. Creditur itaque hic innuere profectionem M. Bæbii in Macedoniam ad regem Philippum, proprætoris ibi munere fungentis, ſicuti mentio ejus rei eſt apud Livium lib. XXXVI. cap. 8. & 13.

III.

Caius AQVINVS MELA II VIR QVIN*quennalis*. Duo ſigna militaria cum clipeolis & lunulis.

Lucius BAEBIVS POLLIO II VIR QVIN*quennalis*. Victoria gradiens, dextra corollam, læva palmam geſtans ſuper humeros.

Poſt victoriam Actiacam complures nummuli ærei in honorem Auguſti cuſi inveniuntur, qui ſigna militaria & victoriæ imaginem præ ſe ferunt. Inveniuntur hi in calce hujus libri inter incertos relati tab. II. num. 6. & lit. T. inſcripti ab altera parte VICT*oria* AVG*uſti*, ab altera COHORT*is* PHIL*ippenſis*. Ex quibus cum hoc collatis patet eandem deſignari victoriam Auguſti, & hæc eſſe ſigna duarum legionum, quæ in aliquam deducti fuerunt coloniam; & in cujus rei memoriam cuſi hi nummi ſunt, quum duumviri quinquennales ibidem eſſent L. Bæbius Pollio & Aquinus Mela. Creabantur vero hi ſingulis quinquenniis, habebantque poteſtatem in coloniis, qualem Romæ cenſores, ut oſtendit Vaillantius de Coloniis I. p. 78.

IV.

AVGVSTVS. MV*nicipium* CAL*aguris* IVLIA. Caput Auguſti laureatum.

Lucio BAEB*io* PRISCO, *Caio* GRANI*o* BROC*cho* II VIR*is*. Bos, coloniæ ſymbolum.

Calaguris, urbs Hiſpaniæ Tarraconenſis, ſita eſt ad Iberum fluvium, municipii jure & titulo jam ante decorata, inſuper a Julio Cæſare, qui promtiſſima in Hiſpanos erat benevolentia, ſuffragii jure donata fuit; unde IVLIA in nummis dicitur, ſicuti Bilbilis, ob idem jus ab Auguſto acceptum, AVGVSTA.

V.

AVGVSTVS. MV*nicipium* CAL*aguris* *Iulia*. Caput Auguſti nudum.

Quinto BAEB*io* FLAVO, *Marco* SEM*Pronio* BARB*ato vel* BARB*ula* II VIR*is*. Bos.

Alium hunc eſſe Bæbium atque a ſuperiori diverſum, patet ex cognomine Flavi; geſſit etiam duumviratum cum alio collega, Marco ſcilicet Sempronio, Barbula vel Barbato cognomine dicto.

VI.

AVGVSTVS. MV*nicipium* CAL*aguris* JV*Lia*. Caput Auguſti laureatum.

Lucio PRISCO, *Caio* BROCCH*o* II VI*Ris*. Caput bovis.

Caput bovis in nummis ad ſacrificia eſſe referendum apud eruditos conſtat; ſolebant enim ædibus ſacris quoque crania eorundem adfigi; unde & in antiquis marmoribus tales ſculpturæ adparent, eædemque ſæpius aris marmoreis quoque adplicantur. Sed quæritur inter viros doctos quid *Naſſicæ* nomen in quodam nummo qui ſub ædilibus C. Valerio & Cajo Sextio cuſus eſt, ſibi velit, de quo ſicut in gente Valeria nobis agendum erit, ita ſufficiet, nunc adnotaſſe, bovis illud caput non pertinere ad ludos Megaleſios, quos erronee exiſtimat Vaillantius pag. 37. inſtitutos in hoc municipio in memoriam Scipionis Naſicæ, ſed ſimpliciter deſignare ſacrificium aliquod pro ſalute imperatoris peractum, uti crebro in coloniis & municipiis fieri ſolebat.

VII.

GERMANICVS CAESAR *Pater Caii* CAESAR*is* AVG*uſti* GERMA*nici*. Caput nudum Germanici.

Vrbs Victrix OSCA, *Caio* TARRACINA, *Publio* PRISCO II VIR*is*. Eques decurrens haſtatus.

Plurimæ urbes Hiſpanæ equitem ſignarunt, etiam illæ quæ Hiſpanicis literis veteribus ſunt inſignitæ. Factum id pro commendatione equitatus Hiſpanici, equi enim Hiſpani ſemper fuerunt inter laudatiſſimos. Oſca, urbs eſt Hiſpaniæ Tarraconenſis in Ilergetibus, quam *Victricem* dictam exiſtimat Vaillantius Tom. I. pag. 55. a Julio Cæſare, quaſi ejus deditione contra Pompeji legatos victor exſtitiſſet, lib. I. de Bello Civ. *Interim Oſcenſes & Calaguritani, qui erant cum Oſcenſibus contributi, mittunt ad eum legatos, ſeſeque imperata facturos pollicentur.* De duumviris hiſce in hiſtoriis altum ſilentium. Cuſus vero eſt nummus Caligulæ temporibus, in patris Germanici honorem.

VIII.

Caius CAESAR AVG*uſtus* GERM*anicus* *Pontifex Maximus* TR*ibunitia* POT*eſtate* CO*nSul*. Caput Caji Caligulæ laureatum.

Vrbs Victrix OSCA, *Caio* TARRACINA, *Publio* PRISCO II VIR*is*. Eques haſtatus, ut ſupra.

Nihil hic nummus diſcrepat a ſuperiore, niſi magnitudine, & quod hic filii, ille patris caput referat, unde patet eodem tempore, utpote ſub iiſdem duumviris, cuſos fuiſſe. Priorem ex illis Tarracinæ cognomen opinatur Vaillantius traxiſſe ex Italiæ oppido Tarracina; ut vero Bæbiæ genti hoſce duos adſignet nummos, Priſci facit cognomen, nam licet Bæbiæ familiæ nomen non exſtet, notum tamen eſt ſæpius nomen familiæ omitti, prout fit ſuperius num. VI. ubi L. Priſcus adpellatur idem duumvir qui num. IV. adpellatus fuit L. Bæbius Priſcus. Potuitque hic Publius iſtius Lucii fuiſſe filius; quamvis liquido adfirmari nequeat, ad Bæbiam familiam duos hoſce poſteriores pertinere, quum in familias permultas Priſci cognomen tranſierit. Fuere tamen Bæbii complures in Hiſpania, unde & Bæbii Ruſticelii Publii filii nummus incertæ urbis profertur ab eruditiſſimo Liebio in Theſauro Fridericiano pag. 226. cuſus ſub principatu Tiberii. Ex quo nummo videtur corrigendus Morellianus, qui occurrit inter Impp. Numiſmata, atque ab altera parte Liviæ exhibet caput cum inſcriptione PIETAS AVGVSTA, ab altera univerſam nummi aream occupantia hæc nomina L. RVST. CELIVS CORDVS II VIR QVINQ. D. D. nam licet per *Lucius*, *Ruſtius*, *Celius Cordus* interpretetur Vaillantius pag. 78. in nummi tamen pictura RVSTICELIVS apud eundem exprimitur, ſive quod Cordus cognomen Ruſticelii fuerit, ſive perierit Cordi prænomen injuria temporis vel nummi ærugine. At certe neque Vaill. neque Morellius (niſi ubi illum adducit in fam. Ruſticelia) punctum poſt VIR exhibent, quod

quod VIRIS designare solet, & insolitum non est, ut unius tantum ex duumviris nomen in nummo exprimatur, quum, exempli gratia, in Augusti nummo Corinthi cuso (ut videbimus statim in gente Bellia) unus M. Bellius Proculus exprimatur solus, in altero ejusdem urbis P. Vipsanius Agrippa, in tertio P. Flaccus apud Vaill. p. 46.

BELLIA.

Bellia gens (si unum Plutarchum excipias) ignota est historiarum scriptoribus, unde Patinus, qui primus inter Familias Ursini & hujus gentis nummum edidit, suspicatur ad Delliam gentem pertinere, de quo mox videbimus.

I.

Caius CAESAr AVGVST*us*. Caput nudum Caji Caligulæ.

COR*inthus*. *Marco* BELLI*o* PROCVLO II VIRO. Pegasus.

Patinus, qui Ursini Familias Romanas auxit, hunc, vel potius sequentem nummum primus edidit, atque ita gentem Belliam inter Bæbiam atque Betiliam interjecit. Credidit is caput, quod in nummo est, ad Augustum pertinere, ejusque temporibus signatum fuisse; uti ex seqq. ejusdem verbis patet. „ De gente BELLIA „ apud Auctores Rerum Romanarum nihil, quod „ quidem ad me pervenerit, memoratur, ut ne „ nomen quidem compareat. Est tamen conje- „ ctura Dellium hunc Historicum, qui apud Plu- „ tarchum in Antonio legitur, eo pertinere, quod „ apud eundem multa nomina occurrant ita cor- „ rupta, ut nunquam nisi ab attento Lectore in- „ ternosci queant, ut Προκλήιος Proculejus, Βύ- „ βλος Bibulus, Ὁρτήσιος Hortensius, Ατίλλιος „ Attilius, Μάλλιος Manlius, Λέντλος Lentulus, „ Μέμμιος Memmius &c. Ita substituto B. agno- „ scetur ad quem pertineat illud perrarum & spe- „ ciosum monumentum. Fuit ille Legatus ad „ Cleopatram, ad quam cum aspera mandata fer- „ ret Antonii III-Viri, jubentis ut illa sibi in „ Parthos proficiscenti apud Ciliciam occurreret, „ rationem redditura cur Cassii partibus auxiliata „ fuerit, cum ejus mulieris illecebras inspexisset, „ futurum conjiciens, ut ad ejus aspectum libi- „ dinosus Imperator amore potius quam ira in- „ flammaretur, mirum in modum mollivit Le- „ gationis duritiem, & rogantis potius quam „ imperantis vices functus est; ita delinito & „ conciliato muliebri ingenio, multum apud eam „ gratia & authoritate valuit; sed versis cum for- „ tuna moribus, voluptatibus, ambitione, assen- „ tationibus obcœcata, hunc cum optimatibus „ Romanis ita lusit & contempsit, ut ad Augu- „ stum fugeret, a quo deditionis pretium II. Vi- „ ratum navalem apud Corinthum accepisse cre- „ dibile est. „ Postea idem Patinus in libro de Nummis Imp. Rom. Æreis, eandem sententiam stabiliturus, ita scripsit pag. 41. „ C. DVEL- „ LIVM M. *filium qui Pœnos classe primus device- „ rat redeuntem a cœna sæpe videbam puer: dele- „ ctabatur crebro funali & tibicine, quæ sibi nullo „ exemplo privatus sumpserat, tantum licentiæ da- „ bat gloria*, inquit Cato major apud Ciceronem. „ Duelliam hanc gentem inferioris ætatis qua- „ dam in loquendo mollitia Belliam esse appella- „ tam ex Cicerone facile colligitur: *Quid vero „ licentius*, inquit, *quam quod hominum etiam „ nomina contrahebant, quo essent aptiora, nam „ ut duellum bellum, & dueis bis, sic* DVEL- „ LIVM *eum qui Pœnos classe devicit*, BEL- „ LIVM *nominaverunt*. M. hic Bellius primum „ Antonio militaverat, cujus & ad Cleopatram „ Ægypti reginam & ad Artuasdem Armeniæ re- „ gem legatus fuerat, deinde Augusti partes se- „ cutus est cui erat & a consiliis & a secretis; sic „ enim Dio, Μαθὼν δὲ δὴ Καῖσαρ καὶ τὴν διάνοιαν „ σφῶν παρά τε ἄλλων καὶ παρὰ τοῦ ΔΕΛΛΙΟΥ &c. hoc „ est, *Sed ubi Cæsar consilium eorum ex aliis ac „ maxime* DELLIO *intellexit* &c. & hoc ipso die „ pugnæ Actiacæ contigit. In quorum fortassis „ pretium, Duumviratum navalem apud Corin- „ thum accepit, cujus monumentum hic habes: „ si plura de Duellia gente quæras, consule, quæ „ scripsimus in FAMILIIS ROMANORVM, „ *de gente* BELLIA. „

Secutus Patinum Vaillantius est in libro de Coloniis pag. 45. Sed viros doctos decepit mutila nummorum inscriptio. Litera enim C. quæ *Cajum* Imperatorem sive Caligulam designat, defuit, obscurior fuit, vel detrita in nummo eo quem vidit Patinus, quemque ex eodem descripsit Vaillantius. Pariter idem defectus observatur in Corinthio nummo (in quo itidem est pegasi symbolum) P. Vipsanii Agrippæ, quem pag. 45. recensuit Vaillantius. Uterque enim ad Caligulam pertinet; & hic quidem P. Vipsanii Agrippæ integrior in Museo Parmensi exstat cum Caji epigraphe C. CAESAR AVGVSTVS. nec minus integer in nostro, inscriptus C. CAESAR AVGVS. ille vero M. Bellii Proculi, oculato & exacto teste Morellio, bis Caji nomen præfert. Taceo quod facile dignoscenda Caligulæ facies inspectantibus sese obfert, & Augusto hosce nummos abjudicet. Quin & ipse Patinus M. Bellii Proculi nummum cum erosa epigraphe . I . . . . LO COR. inter Caji nummos retulit pag. 94. cujus lectionem ad Augusti nummos restituens Vaillantius p. 45. inter Cajanos tamen recensere neglexit.

Superest, ut in Belliam inquiramus gentem. Illa, quamvis historiarum annalibus non sit prodita, exstat tamen in lapidibus antiquis; ex schedis enim Vaticanis Illustriss. Carolus Malvasia in Marmoribus Felsineis Sect. VIII. cap. VI. pag. 489. hanc adduxit inscriptionem.

AVRELIVS BELLIVS
ET AVRELIA AQVILIA
SIBI ET SVIS LIBERTIS
LIBERTABVSQVE POS
TERISQVE EORVM
FECIT.
H. M. H. N. S.

Eandem hanc in pavimento D. Pauli exstare testatur Fabrettus Inscript. cap. II. inscript. 189. p. 93. ubi ita legitur.

D. M.
AVRELIVS. BELLIVS.
ET. AVRELIA. AQVILLIA.
SIBI. ET. SVIS LIBERTIS.
LIBERTABVSQVE, POS
TERISQVE. EORVM.
FECIT.

II.

Caius CAESAR AVGVS*tus*. Caput nudum Caji Caligulæ.

COR*inthus*. *Marco* BELLIO PROCVLO II VIR*o*. Pegasus.

Nihil a ſuperiore differt, niſi quod ad alteram partem Caji caput ſit converſum & AVGVS. legatur pro AVGVST. Confirmat vero ſententiam, Caligulæ non Auguſto hoſce nummos adſcribendos eſſe. Quod & diſerte ſatis ipſe Morellius teſtatur in Ep. ad Perizon. p. 186. „ Quid „ ſentiendum ſit de gente BELLIA, & an re„ vera antiquitus Duilia vel Duellia denominata „ fuerit, non ſatis conſtare mihi videtur, qua„ propter informationis deſiderio laboro. BEL„ LO reſcribitur a Severo & Anton. VIII. Cod. „ tit. 14. de pignoribus, ut refert Glandorpius. „ Qua occaſione obſervandum, hujus gentis „ nummum in Patino non eſſe Auguſti, ſed Ca„ ligulæ, inde inutilia ſunt omnia, quæ de M. „ Bellio ſub Antonio & Auguſto, ejuſque Du„ umviratu navali tradit. In opere de Ære medio „ Patinus hunc nummum ipſum Auguſto & Ca„ ligulæ mendoſe tribuit, quod quidem Cl. Vail„ lant. in Col. pag. 45. obſervavit, tamen num„ mum ipſum Auguſto aſſignavit, quod maxi„ me miror, nam aſſervatur in Theſauro Regio „ Verſaliæ, & ejus inſpectio Caligulam indicare „ potuiſſet. „ Bellios vero Duellios olim dictos cenſuit Perizon. illi reſpondens p. 266. „ *Bellios* „ dictos poſtea, qui olim *Duellii*, vel *Duilii* di„ cebantur, dubitare nos non ſinunt Cicero & „ Quintilianus. Vide Ciaccon. ad Columnam „ Roſtratam Duilii. Incertum tamen, an *Bel*„ *lius*, qui in nummis Auguſti ita nominatur, „ ab antiquis illis Duiliis vere ſit ortus, aut „ ipſum nomen ſuum ex ea antiqua gente traxe„ rit, prout ſolebant liberti, vel in civitatem R. „ adſciti.

„ Fuit enim & nomen Hominis, qui Liber„ tus erat Fauſti Sullæ, *Bellus*, a quo nomine „ *Bellium* nomen formatum eſſe potuit. Vide „ Ciceronem pro Sulla cap. XIX. Sed tamen „ poſſit & illud nomen ex Epitheto eſſe ortum, „ ut *Fauſtus*, *Pulcher*, & ſimilia. Ceterum pro „ iiſdem habent viri Eruditi *Duilios*, *Duellios*, „ *Bellios*, *Dellios*. Vide Torrentium ad Horat. „ Od. II. 3. Et ſane ſic pro *Duis* Græci di„ cunt *Dis*, Latini *Bis*. Nullus tamen dubito, „ quin hi *Bellii* & *Dellii* non ab antiquis *Duiliis*, „ ſed ab aliis ſint majoribus orti.

„ A *Bellia* hac gente ſunt *Bellieni* apud Cice„ ronem in Bruto cap. XLVII. & Salluſtium „ Jug. cap. CIV. P. *Duellium* memorat Cicero „ pro Plancio cap. XXV. *C. Bellium* Plutarchus „ in Gracchis. „ Ex hiſce ego crediderim hunc Bellium duumvirum ex poſteris vel libertinis Dellii iſtius antiquioris fuiſſe.

BETILIENA.

Betiliena gens in marmoribus antiquis occurrit, non item ſcriptoribus, niſi forte depravatum apud eosdem in alium quendam ſonum ſit. Productum videtur nomen a Betilius, vel Petilius literæ enim B. & P. ſæpius permutari ſolent. A Bellieno Anniæ gentis cognomine derivare mavult Vaillantius.

I.

Publius BETILIENVS BASSVS. In area S. C.

III VIR. *Auro Argento Aere Flando Feriundo.* Incudis figura.

Dixi Betilieni nomen apud ſcriptores antiquos forſitan corruptum eſſe; quæ ſententia inprimis Caroli Patini quoque fuit, ita ſcribentis pag. 46. „ Hujus Gentis vel nulla vel probſcura ſit men„ tio apud Romanos Auctores, ut totum illud „ nummo inſcriptum, BETILIENVS BAS„ SVS nuſquam occurrat. Apud Senecam de „ Ira, *modo C. Cæſar Sext. Papirium, cui Pater* „ *erat Conſularis, Beltenum Baſſum Quæſtorem ſuum,* „ *Procuratoris ſui Filium alioſque & Equites Romanos* „ *& Senatores uno die flagellis cecidit, torſit, non* „ *quæſtionis, ſed animi cauſa.* Una ſyllaba ſi ad„ eſſet, rem noſtram haberemus. Hanc fortaſſis „ ex Dione Caſſio ſupplere licet, ſi modo qui „ flagellis cæſus eſt, idem eſt, cum eo, quem „ ait Dio ſecuri percuſſum fuiſſe aut huic co„ gnatus. Βετιλλῖνον δὲ Κάσσιον ἀποσφαγῆναι κελεύ„ σας καὶ τὸν πατέρα αὐτοῦ Καπίτωνα παρεῖναι φονευομένῳ „ αὐτῷ κατηνάγκασε καί τοι μηδὲν ἀδικοῦντα μήτ' ἐσηγ„ γελμένον. Hoc eſt, *cum autem Betillinum Caſſi*„ *um jugulari juſſiſſet, patrem ejus Capitonem coëgit* „ *adeſſe neci, quanquam nullius flagitii compertum,* „ *ne accuſatum quidem, quo interrogante an connivere* „ *liceret, C. Cæſar hunc etiam jugulari voluit.* Si „ meam conjecturam audias, nulla religio eſt, „ præſertim in tanta Græcorum nominum cor„ ruptione paululum detorquere Βετιλλῖνον, ut Be„ tilienum interpretemur, quaſi Βετιλιηνὸν ſcrip„ ſiſſet Dio, Κάσσιον autem facile adducor ut „ credam pro Baſſo errore Librariorum ſcriptum „ eſſe, quæ ſi vera ſunt, una & nomen & Hi„ ſtoriam viri tenes. Averſus nummus incudem „ exhibet. Diſerte nomen continet vetus hæc „ inſcriptio Alatrina, quæ aſſervatur in tabula „ lapidea, littera vetuſta atque obſoleta incorre„ cte ſcripta, in porticu Templi S. Mariæ.

L. BETILIENVS L. F. VAARVS
HAEC QVAE INFRA SCIPTA
SONT DE SENATV SENTENTIA
FACIENDA COIRAVIT SEMITAS
IN OPIDO OMNIS PORTICVM QVA
ARI EM EITVR CAMPVM VBEI
LVDVNT HOROLOGIVM MACELVM
&c. „

Variæ certe lectiones oſtendunt nomen illud, quod apud Senecam lib. III. de Ira cap. 18. occurrit, corruptum eſſe, quod & Lipſius vidit, quum adponens Bethienum, Bethenum, Bidienum, quod textum occupat nomen Belienum vix Romani nominis faciem habere dixit. Hujus Betilieni Baſſi, qui male Belienus in Senecæ libris adpellari videtur, avus eſſe potuit hic triumvir monetalis ſub Auguſto.

CAECILIA.

TAB. I.

Gens Cæcilia Metellis præcipue nobilitata fuit, qui maximos in republica honores geſſerunt, & paſſim viri fuerunt præſtantiſſimi.

I.

ROMA. Caput dei Triumphi, cum adpoſita denarii nota. Noſcitur vero in denariis dei Triumphi caput ex contortis cincinnis, qui vel per collum dependent, vel in fronte implicantur diademati quo caput ornatur. Nonnumquam litera T. initialis adſcribitur, ut in Claudiæ & Fabiæ gentis denariis.

Marcus METELLVS *Quinti Filius.* Caput elephantinum in umbone clypei Macedonici, qui laureæ incluſus eſt.

Per-

Pertinet hic denarius ad M. Cæcilium Metellum, Quinti Cæcilii Metelli Macedonici filium tertium, sub cujus consulatu pater, raræ felicitatis exemplum, obiisse traditur. Hic vero quæstor fuit A. V. C. DCXXIII. & proquæstore DCXXIV. quo tempore denarium hunc aliosque cudisse videtur; majorum suorum decora referentes; avus enim Q. Cæcilius Metellus, Quinti filius, quum Pseudophilippum vicisset, atque in triumpho duxisset vinctum, Macedonici cognomen meruit; unde Macedoniæ insigne clypeoli septem in hisce denariis. Pater hujus Q. Metelli Macedonici, vir pariter illustris, dictator, magister equitum, consul & pontifex fuit bello Punico secundo. Avus, omnium celebratissimus, foris bello egregius, domi pietate inclitus fuit; ardente enim Vestæ templo, ipse pontifex maximus Metellus, sacra ex incendio rapuit, & quum læsa ab igne oculorum esset acies, quod nulli alii, concessum est, ut quoties in senatum iret, curru veheretur. De Pœnis autem pulcherrimum egit triumphum, ducibus hostium tredecim ante currum ductis, atque agmine CXX. elephantorum ubique vias complentium; unde caput elephantinum in hoc aliisque denariis nummisque.

II.

Similis est superiori, sed pro capite dei Triumphi Romæ galeatum caput exhibet.

III.

Caput Herculis inberbe in leonis rictu, retro quod tres sunt notæ.

Marcus METELLVS. ROMA. Rostrum navis, desuper rotundum quid, quod mihi videtur esse clypeus Macedonicus, ad latus tres sunt notæ sive tria puncta.

Ad eundem M. Cæcilium Metellum æreum hunc quadrantem pertinere existimo, & rotundum illud esse clypeum Macedonicum, in cujus medio elephanti caput includi potuit, tempore, propter exstantiam, detritum. Herculis, Jani, Jovis capita promiscue in æreis nummis signarunt Romani.

IV.

ROMA. Romæ caput galeatum cum denarii nota.

Caius METELLVS. Figura virilis, in bigis elephantorum, cui advolans per aërem Victoria sertum porrigit.

Nobilis hic iterum memoria occurrit Lucii Cæcilii Metelli illius, qui de Pœnis triumphans, tot elephantos Romæ ostendit. In bigis itaque elephantorum triumphans exhibetur, adportante coronam Victoria atque ex aëre advolitante.

Qui denarium signavit Cajus Metellus dicitur, filius Cajus Cæcilii Metelli Caprarii, nepos Q. Cæcilii Macedonici, Q. Cæcilii dictatoris pronepos, & insignis illius Lucii, qui de Pœnis triumphavit, abnepos. Quæstor provincialis A. V. C. DCLIII. denarium hunc ad honorem gentis suæ cudisse videtur.

V.

Caput Romæ galeatum cum denarii nota.

ROMA. Roma hastata & armata in citis bigis, subtus elephanti caput est.

Nullum prænominis discrimen adest, nec vel ipsum familiæ. Ad Metellos & Cæcilios tamen pertinere nulli dubium esse potest. Marco adjudicat Vaillantius, propter caput elephantinum, & Romæ itidem in anteriori parte caput. Sed ad Cajum quoque Metellum referri posse docet nummus æreus, qui infra litera C. signatur.

Hic vero ille nummus est, cujus posteriores duæ literæ male AM pro MA lectæ, anxium animi fecerunt illustriss. Cuperum, quorsum talis nummi typus & epigraphe spectaret. Verba ejus hæc sunt in libro de Elephantis, cap. II. p. 119. „ In Catalogo numismatum Joh. Gril, typis „ descripto Amstelædami A. MDCLXXIX. in- „ ter incerta familiarum numismata recensetur „ unum, in quo pictæ sunt *Bigæ super caput ele-* „ *phanti*, cum literis AM. quod quo pertineat, „ scio juxta cum ignarissimis. „ At ego adfirmo Cæciliæ gentis hunc esse denarium, cujusmodi nummum ipse etiam possideo, eo notabiliorem, quod a collo elephanti dependens tintinnabulum, licet, exiguum, clare tamen observari possit.

VI.

Quintus METEL*lus*. Caput Romæ galeatum cum denarii nota. Notari debet, quod literæ ME. non tantum connectantur invicem, sed TEL. uno quoque tractu exhibeantur, sicuti in hoc argenteo nummo, ita in duobus æreis subsequentibus.

ROMA. Jupiter in lentis quadrigis, dextra lauri ramum, læva fulmen habens & habenas.

Recte reprehendit Vaillantius Goltzium, qui denarium hunc in Fastis retulit ad Quintum Cæcilium Metellum, Lucii, qui Pœnos vicit, filium, Macedonici vero patrem; revocavit autem Vaillantius ad Q. Metellum Macedonicum, pater enim Quintus nunquam triumphavit, sed hic filius egregium de Macedonibus & Pseudophilippo bis superatis triumphum egit, imaginario isto rege ante currum quoque triumphalem ducto. Quare in quadrigis triumphalibus hic signatur Jupiter Capitolinus non sceptrum, ut alii putarunt, & ut est in quadrigatis nihil significantibus nisi monetæ typum, sed lauri ramum dextra gerens, in victoriæ monumentum, læva vero, pro more fulmen.

VII.

Caput Jovis Capitolini laureatum cum S. semissis nota.

Quintus METEL*lus*. ROMA. Prora navis cum S. semissis nota.

Ad eundem Metellum Macedonicum pertinet, quod & pondus hujus semissis & connexio literarum indicat.

VIII.

Caput Herculis inberbe in leonis exuviis, cum tribus punctis, quæ quadrantem significare solent.

Quintus METEL*lus*. ROMA. Prora navis cum tribus quadrantis notis.

Pertinet hic nummus ad eundem Metellum Macedonicum ob rationes modo adlatas.

Litera A.

Caput Jani geminum barbatum & laureatum cum cippo.

ME*tellus*. ROMA. Prora navis, cum nota I. sive cippo ad latus.

Licet in hoc nummo æreo nullum adpareat prænomen, ex pondere tamen argumentum capi debet, ad quem ex Metellis pertineat. Est vero as sextantarius, quod pondus as, in initio libralis, obtinuit bello Punico primo & deinceps us-

usque ad pugnam Cannensem; tunc enim inopia pressi Romani asses sextantarios fecerunt unciales, atque semisses & quadrantes æqualiter imminuerunt. Ante vero imminutionem illam cusum esse hunc assem, patet ex cippo, qui ad Jani caput est, atque nota I. quæ ad latus navis est; quæque duo post pugnam Cannensem & ponderis notabilem illam imminutionem non amplius adparent. Credo itaque pertinere ad Lucium Cæcilium Metellum, qui gravissimis cladibus Pœnos adfecit, & speciosissimum de iisdem triumphum egit.

Litera B.

ΑΜΙΣΟΥ. *Amysi.* Caput Minervæ galeatum, cum ægide ad pectus.

ΕΠΙ ΓΑΙΟΥ ΚΑΙΚΙΛΙΟΥ ΚΟΡΝΟΥΤΟΥ. *Sub Cajo Cæcilio Cornuto.* Figura muliebris galeata, tribus insidet clypeis, manu læva superiori innixa, dextra victoriolam protendens, pede quoque lævo galeam premit. Romam depingi docet subscriptio ΡΩΜΗ. *Roma.*

Nondum vulgatus hic nummus erat, quum illum depingeret Morellius, sicuti docet litera B. pro numero adposita; similem interea nactus Vaillantius in libro Fam. Rom. Tab. XXXI. num. 41. in hac ipsa gente Cæcilia edidit, sed minus adcurate delineatum, quod forte pictor quam Morellius noster minus fuerit peritus, vel ex alia matrice olim prodierit nummus; ægidem enim ibi frustra in pectore Minervæ quæras. Quare errat Vaillantius, dum Romæ hoc caput tribuit, quæ sedens ab altera parte effingitur nomine etiam adscripto. Fuit enim jam ab antiquis temporibus Minerva Amisi eximio honore culta, quod & nummi Goltziani in illa urbe, aliique a me observati penes alios, quosque ipse servo, abunde monstrant. Hinc bis apud Goltzium quoque num. 7. & 8. Tab. II. & III. inter insulas Asiæ, libro de veteri Græcia, in media area nummi ægis squammata occurrit, caput Medusæ in medio sui continens, quemadmodum hic quoque medium Minervæ pectus occupat.

Romam vero ut dominam victrici habitu ab altera parte expressit Cajus Cæcilius Cornutus, cujus notitiam ex Tacito haurire nos jubet idem Vaillantius; qui illum Prætorium adpellat, & post præturam Pontum administrasse docet, quæ populi erat provincia prætoria, & cujus Amisus urbs erat inclita. Cornuti vero mentionem facit Tacitus Annal. lib. IV. cap. 28. ubi narrat illum in crimen majestatis tractum a Vibio Sereno, qui inaudita atrocitate patrem Vibium item Serenum apud crudelem principem Tiberium accusabat. *Missos in Galliam concitores belli, index idem & testis* (scil. Vibius Serenus filius) *dicebat, adnectebatque Cæcilium Cornutum prætorium ministravisse pecuniam, qui tædio curarum, & quia periculum pro exitio habebatur, mortem in se festinavit.* De eodem paullo post cap. XXX. Et, quia *Cornutus sua manu ceciderat, actum de præmiis accusatorum abolendis, si quis majestatis postulatus ante perfectum judicium se ipse vita privavisset.*

Morellius olim de Cornuti cognomine anxius, hæc scripserat ad Periz. p. 187. „ Quamvis „ absque peccato credere possimus, & ipsa Historia testetur, in quamplurimis Familiis Romanis insignes exstitisse cornutos reales, tamen „ hucusque ex nummis non apparuit, ad quam „ gentem Cornuti cognomen pertineat, id nobis „ indicat rarissimus nummus Gentis CAECILIAE, quo superbit LVDOVICI MAGNI „ Thesaurus Versaliæ: lectionem ejus in Gallia „ adsequi non potui, nunc autem ichthyocollam „ nummi expressam diligentius examinans, legi „ ab una parte ΑΜΙΣΟΥ, circa caput Palladis, „ ab aversa vero spectatur Roma sedens, cum „ hac epigraphe: ΕΠΙ ΓΑΙΟΥ ΚΑΙΚΙΛΙΟΥ ΚΟΡΝΟΥΤΟΥ, ac infra ΡΩΜΗ, quæ omnia conveniunt cum nummis C. Papirii Carbonis in „ Bithynia cusis; nam Amisus, Ponti urbs, „ eodem modo Romam venerabatur, quia Pompejus Pontum Bithyniæ addiderat. Epochæ „ vestigia nulla apparent in ichthyocolla, quapropter virum omni virtute ac eruditione „ præstantissimum dn. Oudinetum, qui nunc „ summa cum laude hujus incomparabilis Thesauri custodia fungitur, submisse rogatum cupio, ut pro humanitate ac amicitia, quam „ singularem semper expertus sum, me de vera „ lectione & epochæ literis numeralibus hærentem erudire non intermittat. „ Cui respondit Perizonius p. 267. „ *Cornutum Cæcilium* habes etiam apud Tacitum Ann. IV. 28. & „ Gruterum Inscript. V. paginæ 200. quæ tamen inscriptio mutila est. Sub primis Cæsaribus *Licinium*, apud eundem, CCXXXI. „ 3. *Manilium Cornutum*, Prætorium, & Legatum Aquitaniæ, apud Plinium XXVI. 1. „ *Annæum Cornutum* tempore Neronis, apud „ Suetonium in Vita Persii. *Sulpicios* primis „ temporibus liberæ Reipublicæ in Fastis Consularibus. „

Insignes vero illos esse nummos, qui sub imperatoribus familiarum adhuc nomina ostentant, docet Vaillantius.

TAB. II.

I.

ROMA. Caput Romæ galeatum, cum denarii nota.

CN*eus* FOVL*vius*. M*arcus* CAL*idius*. *Quintus* METEL*lus*. Victoria in citis bigis.

Triumviros fuisse monetales adparet, quo tempore incertum; propter M. Calidium, qui Ciceronis fuit coætaneus, ad ejus tempora revocat Ursinus. Unde hic Quintus Metellus potest esse Q. Cæcilius Metellus Nepos, Q. Nepotis filius, qui consulatum post alios honores tandem gessit cum P. Lentulo Spinthere, & Ciceroni olim inimicus, postea amicissimus fuit, atque ejus restitutionem plurimum adjuvit. Vel ad Quintum Cæcilium Metellum Celerem referendus est bigatus hic denarius. Fuit is Q. Metelli Celeris filius, L. Diademati nepos, & in prætura sua Ciceroni egregie contra Catilinam adfuit, Galliam deinde obtinuit, & postea consulatum adeptus est cum L. Afranio A. V. C. DCXCIII. Vir laudatus fuit; & patriæ amantissimus. Uxorem habuit P. Clodii sororem Claudiam Quadrantariam, ficto nomine Lesbiam Catullo dictam, mulierem impudicam, cujus fraude veneno periit, florente ætate, consulibus Cæsare & Bibulo A. V. C. DCXCIV. anno post consulatum.

II.

Lucius METEL*lus*. *Aulus* ALB*inus* S*purii* F*ilius*. Caput juvenile, inberbe, laureatum, subtus stella est.

Caius MAL*leolus*. ROMA. Fig. muliebris tribus insidens clypeis, dextra hastam, læva tenens parazonium, coronatur a Victoria stante a tergo.

Re-

Refert Vaillantius hunc denarium ad Lucium Cæcilium Metellum Lucii Metelli Diademati filium, qui Quæstor fuit A. V. C. DCLXXIII. quique perveniſſet ad conſulatum, niſi ante initum honorem fuiſſet mortuus. Putat vero cuſum denarium a Metello & collegis, ut Triumviris ſacris ædibus reficiendis: ac perinde ſtatuit caput illud inberbe Honoris eſſe, figuramque clypeis inſidentem & a Victoria coronatam pariter Honoris cenſeri debere.

Sed, quod pace viri clariſſimi dictum ſit, cujusque merita maximi facio, vellem me docuiſſet, jus cudendæ monetæ penes triumviros, ædibus ſacris reficiundis inſtitutos, fuiſſe; deinde quo fundamento, in hoc denario, hinc Honoris caput inde dei ejusdem ſtatua appareret. Mihi certe non liquet. Caput Honoris Virtuti junctum occurrit in gente Fuſia & Mucia, ſed collatum cum hoc capite non videtur idem eſſe; præterea, ut noſcatur inſuetum in denariis numen, adſcribitur ibidem vox HO*nos*. Hic nihil adeſt, niſi ſymbolum, quod ad aliud numen nos revocare videtur, ſtella videlicet vel aſtrum, quod caput hoc juvenile & laureatum Apollini vindicat. Ab altera vero parte ipſa Roma clypeis inſidens a Victoria coronatur. Romæ pictura eadem fere hic eſt, quæ ſuperius Tab. I. lit. B. clypeis totidem & ſimili habitu inſidentis. Statuo itaque nominatos in hoc denario magiſtratus tres fuiſſe triumviros monetales, qui Romam triumphantem de cunctis, quas ſol adſpicit, gentibus, denariis ſuis inſculpſerunt.

III.

Caput Jovis Capitolini laureatum cum nota ſemiſſis.

Quintus MET*ellus* PIVS. ROMA. Prora navis.

Quintus Cæcilius Metellus Pius, ad quem hic nummus ſpectat, filius fuit Metelli Numidici, inſigne illud cognomen adeptus quod patrem lacrymis & precibus adſiduis ab exilio revocaverit. Vir fuit conſularis, triumphalis & pontifex maximus. Cœnæ ejus propter luxum & magnificentiam notiſſimæ fuerunt.

Litera B.

Caput Jovis Capitolini cum nota ſemiſſis.

Marcus METELLVS. ROMA. Prora navis cum nota ſemiſſis ad latus, deſuper eſt clypeus.

Revoco nummum hunc ad M. Cæcilium Metellum Quinti Macedonici filium, qui in illo honores patris expreſſit, victoriam videlicet de Macedonibus & Pſeudophilippo partam. Indicat hoc clypeus in ſummo poſitus. In ipſo enim nummo (quem nos quoque poſſidemus) illud quod in medio circuli orbiculatum eſt, molliter in altum adſurgit, clypei figuram referens, non pateræ, quæ depreſſior eſſe ſolet.

IV.

Caput idem Jovis Capitolini cum nota ſemiſſis.

ROMA. Prora navis cum nota eadem, deſuper elephanti caput eſt cum tintinnabulo dependente ex collo.

Dubitari non debet, quin ad eundem Marcum Macedonici filium hic quoque nummus pertineat, qui, contentus nudum ſymbolum gentis ſuæ æri inſculpſiſſe, nomen & prænomen ſuum gentisque ſuæ ponere neglexit. Celebravit ille ſuperiori nummo Macedonicam patris victoriam, hoc vero proavi Siculam de domitis ibidem & ingenti clade adfectis Pœnis. Tintinnabula de collo elephanti olim ſuſpenſa fuiſſe etiam Hieronymus Magius obſervavit libello de Tintinnabulis cap. IX. ubi, non tantum in nummis ſed & in antiquis marmoribus & ſculpturis, id ſeſe Romæ obſervaſſe tradit. Notari vero debet, in denariis gentis Cæciliæ meliuſcule ſervatis paſſim illud tintinnabulum conſpici, uti adverti in nummis Tab. I. num. 1. 2. 5. ubi a Morellio non expreſſa ſunt.

Litera B.

Caput idem Jovis Capitolini cum nota eadem.

Marcus METEL*lus* IMP*erator*. ROMA. Prora navis, deſuper eſt clypeus.

Ad eundem, quem dixi, Metellum pertinere videtur, Marcum videlicet Macedonici filium, qui, quum conſul factus eſſet A. V. C. DCXXXVIII. Sardiniam provinciam obtinuit, quo eodem anno pater Quintus Macedonicus, Metellorum feliciſſimus, eſt mortuus. De quo & rara ejus felicitate hæc ſunt verba Velleji Paterculi lib. I. cap. 11. *Vix ullius gentis, ætatis, ordinis hominem inveneris, cujus felicitatem fortunæ Metelli compares. Nam præter excellentes triumphos, honoresque ampliſſimos, & principale in republica faſtigium, extentumque vitæ ſpatium, & acres innocentesque pro republica cum inimicis contentiones, quatuor filios ſuſtulit, omnes adultæ ætatis vidit, omnes reliquit ſuperſtites & honoratiſſimos. Mortui ejus lectum pro roſtris ſuſtulerunt quatuor filii; unus conſularis & cenſorius, alter conſularis, tertius conſul, quartus candidatus conſulatus: quem honorem adeptus eſt.* Unde Nævius poëta apud Aſconium Pedianum dixit *fato Metellos fieri conſules.* Tertius itaque Quinti Metelli Macedonici filius hic Marcus, quum primo anno Sardinia nondum debellata fuiſſet, prorogato imperio, altero anno Sardos ſubegit, atque tertio triumphavit, & ſimul cum illo frater Cajus Metellus, cujus mox ſequitur nummus. Imperatoris titulum Marco debellati Sardi dederunt.

Litera C.

ROMA. Caput Jovis Capitolini laureatum.

Caius METELLVS. Prora navis, cum nota ſemiſſis; deſuper in area caput eſt elephantinum, Lucii Metelli de Pœnis devictis monumentum.

Cajus Metellus, Marci frater, Quinti Macedonici filius, conſul eſt factus A. V. C. DCXL. cum Cn. Papirio Carbone. Provinciæ conſulibus obvenerunt, Metello Macedonia, quam Thraces turbabant, Carboni Illyricum propter metum & invaſionem Cimbrorum. Male pugnavit Carbo & exercitum fœda ſtrage amiſit. Metello fortuna adfuit, victoria enim de Thracibus relata, ſingulare illud habuit, ut eadem die cum fratre triumpharet, hic quidem de Sardinia, ille vero de Thracia. Cajo cognomen Caprarii adhæſit, ob ingenii (ut volunt) tarditatem, fratribus enim ut felicitate parem, ita ingenio fuiſſe inferiorem illud Ciceronis oſtendit lib. II. de Oratore cap. 66. *Ex quo genere etiam illud eſt, quod Scipio apud Numantiam, cum ſtomacharetur cum C. Metello, dixiſſe dicitur, ſi quintum pareret mater ejus, aſinum fuiſſe parituram;* ex quibus hic Cajus quartus fuiſſe filius Metelli Macedonici intelligitur, & ſimul fratres ejusdem, quanto

ætate minores fuerint, tanto fuisse hebetiores.

V.

Caput Pietatis, ante quod ciconia est.

Quintus Cæcilius Metellus Pius Imperator. Elephas.

Publius Cornelius Scipio Nasica, qui postea socer Pompeji Magni exstitit, testamento adoptatus a Q. Metello Pio, pontifice maximo, Metelli Numidici filio, patris adoptivi omnia suscepit nomina, retento tamen in gentis suæ memoriam cognomine Scipionis. Huic itaque Ursinus hunc & sequentes adsignat denarios. At vero dubitat Vaillantius, utrum primus hic jure filio Metelli adoptivo adsignetur, & non potius ipsius sit Metelli, ut in quem cuncta nummi symbola convenire itidem possint; & quod Scipionis, quod in alio invenitur nomen, in hoc desit.

Ursini tamen sententiam lubens amplector; denariorum enim artificium unum est idemque, præterea Cæcilii nunquam integrum elephantem in nummis suis solum expresserunt, sed caput tantum; cognomen vero Scipionis, modo adpositum, modo omissum, filio adoptivo denarium non abrogat, quum talia pro lubitu fuerint posita; atque etiam prænomina & cognomina non tantum, sed & familiarum nomina ipsa prætermissa a contentis nomen vel cognomen nudum posuisse; denique nusquam Cæcilios, ut satis noti, sese vocant in nummis Metelli, at qui recens transierat in istam gentem Scipio, necessarium putavit gentile nomen quoque exprimere.

Signavit itaque Pietatis deæ caput & ciconiam pietatis (ut in familia Antonia Tab. I. num. 3. & seqq. quoque vidimus) symbolum Scipio Metellus, ut probaret transiisse se in familiam Metelli illius, cui a pietate cognomen erat inditum, & cujus omnia nomina, suis neglectis, in altera denarii parte expressit. Tempus, quo & hic & sequentes denarii cusi sunt, refero ad bellum Africanum, quod cum Afranio, Petrejo, rege Juba, & Scipione hoc gessit Julius Cæsar. Cato enim, cum reliquias Pompejani exercitus gravi & molesto itinere in Africam traduxisset, hunc Scipionem, ut Pompeji Magni quondam socerum, omniumque ducum nobilissimum, Imperatorem salutaverat. Unde ad solutionem stipendii militaris multi ejusdem denarii cusi inveniuntur.

Litera D.

Caput idem Pietatis cum ciconia.

Quintus Cæcilius Metellus Pius Imperator. in circuitu legitur, IMP*erator* CAES*ar* TRAIAN*us* AVG*ustus* GER*manicus* DAC*icus* *Pater* *Patriæ* REST*ituit.* Elephas reticulatus.

Præclaro illud exemplo a quibusdam imperatoribus est factum, ut denarios quosdam nummosque virorum illustrium principumque, licet nihil ad gentem suam familiamque pertinentium, qui ante se vel olim reipublicæ profuerant, restituerint, iterumque cum nota restitutionis suæ impresserint. Factum id a Vespasiano, Tito, Domitiano, Nerva aliisque in ære, a nullo tamen plures restituti inveniuntur quam in argento auroque a Trajano, quod longo ejusdem atque felici imperio est adscribendum. Plures ejusmodi, ut & hic nummus, in Thesauro Patini inveniuntur.

Elephas reticulatus, sive lorica ex catenulis ferreis confecta indutus, hic apparet, quoniam hoc pacto armati quoque in prælium procedere erant soliti. Quod de Scipionis nostri elephantis egregie docet Hirtius cap. LXXII. ubi narrat, quomodo Cæsar milites suos docuerit stare contra elephantos, quos magno numero habebat Scipio, illosque, quamvis armatos loricis, ferire tamen & occidere. *Accedebat etiam hæc caussa, quod elephantorum magnitudo multitudoque militum animos detinebat in terrore; cui uni rei tamen invenerat remedium; namque elephantos ex Italia transportari jusserat, quo & miles noster speciemque & virtutem bestiæ cognosceret, & cui parti corporis ejus telum facile adici posset, ornatusque ac loricatus elephantus quum esset, quæ pars ejus corporis nuda sine tegmine relinqueretur, ut eo tela conjicerentur.* Quod didicisse Afros a Syris patet ex elephanto illo, qui describitur loricatus, sive τεθωρακισμένος θώραξι βασιλικῷ lib. Macab. II. cap. VI. versu 43. Nummus vero, ad cujus exemplar restitutio Trajani facta est, periit. Sed & cum tali ornatu sæpe visuntur in nummis Antonini, Commodi, & Severi imperatorum. Est vero animal hoc Africæ symbolum, ubi bellum Scipio cum aliis ducibus redintegrare conabatur.

VI.

Quintus METEL*lus* PIVS. Caput (ut Vaillantio videtur) Neptuni laureatum & barbatum.

SCIPIO IMP*erator*. Elephas.

In hoc denario Neptunum (ut volunt) signavit Scipio, propter navalem suam potentiam, classes enim contra Cæsarem complures habuit. Hirtius de Bello Africano cap. I. *Quum præsertim ab incolis ejus provinciæ nunciarentur adversariorum copiæ, equitatus infinitus, legiones regiæ* IV. *levis armaturæ magna vis, Scipionis legiones decem, elephanti* CXX. *classesque esse complures.* Elephas additur ab altera parte, ut Africæ symbolum, & quia id animal in exercitu Scipionis contra Cæsarem paratum erat; unde non tantum numerus simplex CXX. elephantorum cap. I. memoratur, verum docetur etiam ratio, qua ille bruta hæc ad pugnam intrepide ineundam adsuefecerit, cap. XXVII. *Scipio interim elephantos hoc modo condocefacere instituit; duas instruxit acies, unam funditorum contra elephantos, quæ quasi adversariorum locum obtineret, & contra eorum frontem adversam lapillos minutos mitteret: deinde in ordinem elephantos constituit. Post illos autem aciem suam instruxit; ut, quum ab adversariis lapides mitti cœpissent, & elephanti perterriti se ad suos convertissent, rursus a sua acie lapidibus missis eos converterent adversum hostem.* Hinc jam intelligimus, quare reticulato thorace tectus fuerit elephas in denario superiori. Denique Imperatorem se quoque Scipio adpellat; quum scilicet ad illud usque tempus Scipionum tanta apud Afros Romanosque esset auctoritas, ut nisi imperatore Scipione prosperum quidquam in ista terra geri posse non crederetur. Unde unum illum imperatorem Considius agnoscebat in repudiata Cæsaris legatione apud Hirtium de Bello Africano cap. IV. *Quo simul atque captivus pervenisset, literasque, ut erat mandatum, Considio porrigere cœpisset, priusquam acciperet ille, Unde, inquit, istas? Tum captivus, venio a Cæsare. Tunc Considius, Unus est, inquit, Scipio imperator hoc tempore populi Romani; deinde in conspectu suo captivum statim interfici jubet: literasque nondum perlectas, sicut erant signatæ, dat homini certo ad Scipionem perferendas.* Cæsar autem, teste Suetonio in Vita ejus cap. LIX. *ad eludendas vaticinationes, quibus felix & invictum in ea provincia fataliter Scipionum nomen ferebatur, despectissimum quendam ex Corneliorum genere, cui ad opprobrium vitæ Salutioni cognomen erat,*

rat, in castris secum habuit. Quin & memorabilis est oratio centurionis veterani ex Cæsarianis, qui captus & vita donatus a Scipione nomen tamen Imperatoris illi dare noluit. Hirt. de Bello Afric. cap. XLV. *Hac habita oratione, Scipio, quum existimasset pro suo beneficio sine dubio ab iis gratias sibi actum iri, potestatem iis dicendi fecit. Ex eis Centurio legionis XIV. Pro tuo, inquit, summo beneficio, Scipio, tibi gratias ago, (non enim imperatorem te appello) quod mihi vitam, incolumitatemque belli jure capto polliceris: & forsan isto uterer beneficio, si non ei summum scelus adjungeretur. Egone contra Cæsarem imperatorem meum, apud quem ordinem duxi, ejusque exercitum, pro cujus dignitate victoriaque amplius XXXVI. annis depugnavi, adversus armatusque consistam?* Scipio vero, nullius in se agnoscens imperium, imperatoris nomen morte sua confirmavit; rebus enim in Africa deploratis, fugiens in Hispaniam, adversis ventis in hostilem stationem rejectus est; ubi circumventus, captaque navi qua vehebatur, *ponere gladium jussus, in se abdidit*, & *quærentibus, qui in navem transierant militibus imperatorem; imperator, inquit, bene se habet*; simulque, animam non uni credens morti, in mare desiliit, uti tradunt Seneca Suaf. VI. Valer. Max. III. 2. 13. Appian. de Bell. Civil. lib. II. pag. 490. 491. Florus lib. IV. cap. 2. & alii.

Litera E.

Q*uintus* METEL*lus* PIVS. Caput idem, quod superius, quodque Neptuni credidit esse Vaillantius.

CAESAR. Æneas, Anchisen patrem humeris portans, dextra Palladium præfert.

Adparet ex litera E. nummo huic superposita, primum a Morellio nostro hunc denarium visum atque depictum fuisse. Neque tamen nunc primum vulgatus dici potest, quum adpareat quoque in Plinianis Harduini notis, ubi ad lib. VIII. cap. 48. p. 477. eundem ex cimelio regio adfert, sed minus accurate pictum, & forsan non recte descriptum. Interpretatio certe ejus, si qua alia ejus generis, ridicula est. „ Metelli „ nomine (inquit) nummus est singularis ex ar- „ gento, in gaza regia, qui pictum exhibet ca- „ put Neptuni laureatum, symbolum victoriæ „ mari reportatæ. Vir dextra gestat Palladi- „ um, sinistro humero senem. Cave hic Æne- „ am & Anchisem cogites: an enim Metellus „ etiam ab Ænea traxit originem? Metellus hoc „ symbolo dicitur ædem Palladi sacram excipi- „ endis militibus infirmis exædificasse: *un hostel* „ *des invalides:* unde PIVS cognominatus sit. „ Sic in familia Herennia, apud Patinum pag. „ 120. vir nudus ægrum humero portat in xeno- „ dochium: & retro Pietatis caput pingitur, „ adjecto lemmate PIETAS. Sic in Julio Cæ- „ sare apud eundem Patinum pag. 124. vir dex- „ tra Palladium tenet, humero sinistro ægrum „ defert in ædem Metellianæ similem; nullo se- „ quente Iulo. Pars antica nummi hujus Metel- „ liani hanc habet epigraphen: Q. METEL. „ PIVS. Pagina aversa, CRAESAR. Sen- „ tentia est, a nemine adhuc tentata, *Quintus* „ METEL*lus* PIVS, *Classis Rector*, *Africam* „ *Et Siciliam Asseruit Reipublicæ.* „ Addit deinde: „ fuitque hic nummus ad gratificandum „ Cneio Magno Pio, Metelli Pii genero, ipsius „ Magni ætate percussus. „ Quoniam videlicet in notæ hujus initio, ad mentionem Metelli, scripserat: „ Fuit is Q. Cæcilius Metellus „ Pius Scipio, Pompeji socer; unde Pompejo, „ jam Magno, cognomen alterum *Pius* fuit. „ Hinc in nummis antiquis est MA*gnus* PIVS „ IMP*erator*; nunquam Pompejus. „ Hisce refellendis frustra tempus insumas, cum xenodochio Metelliano hæc ægri insomnia omnino digna sint. Si vero in nummo, quem vidit Harduinus CRAESAR scribatur (& non potius idem sit ac noster Morellianus) id omnino monetarii incuria factum fuit; cujus negligentiæ etiam adsignandum videtur quod posteriorem partem denarii Cæsaris adplicarit parti priori Scipionis. Neque novus hic aut insolitus est monetariorum error, de qua fuse Morellius noster in Epist. ad Perizon. p. 209. & seq. scripsit. „ Occurrunt (inquit) quandoque nummi, qui „ ab utraque parte genuini sunt; sed per erro- „ rem monetariorum duobus typis, vel duabus „ diversis nummorum matricibus, ut Galli vo- „ cant, aliquando adhibitis, ex illarum conjun- „ ctione unus est conflatus, duas diversas fami- „ lias falso indicans; ex. gr. in Ursini prima edi- „ tione p. 98. caput gentis Considiæ jungitur „ aversæ parti gentis Flaminiæ; atque hanc ob „ causam Patinus hunc nummum, ut suspectum „ omisit, quamvis postea in Thesauro suo Numis- „ matum aliquot horum exempla ediderit. Sic „ & in Goltzio alibique plura occurrunt, ac in „ Thesauro Schwartzenburgico insignis est num- „ mus cum aversa parte M. Antonii conjuncta „ cum postica parte gentis Pompejæ, quo haud „ obscure probari potest, nummos Pompejanos „ cusos fuisse illo tempore, quo pax simulata „ inter Sextum Pompejum & triumviros sancita „ fuit. „ Hoc itaque pacto in Thesauro Patini occurrit denarius cum capite hinc Sullæ inde Bruti, quæ nullo modo aliqua adfinitate conjuncti fuerunt; unde ab eodem Patino ibidem pag. 39. in monetarios ejus rei culpa conjicitur. Similiter in Thesauro Fridericiano pag. 229. alius occurrit, hinc gentis Egnatulejæ typum prioris partis, inde posterioris partis Acilii III Viri cum Valetudinis imagine stante exhibens; & ipse quoque ejus generis plures memet observasse memini. Neque mirum videri debet, direpto castrensi peculio exercitus Africani, in Cæsarianorum manus quoque matrices monetæ Metelli Scipionis pervenisse.

VII.

Caput Pietatis cum ciconia.

IMP*erator*. Urceus & lituus in corona laurea.

De hoc quoque denario dubitat Vaillantius, utrum ad patrem Q. Metellum Pium, qui itidem Pontifex maximus fuit, sit referendus, an ad filium adoptivum Scipionem. Pro Scipione tamen omnino mihi videtur stare consensus omnium denariorum, qui Metellum Scipionem IMP*eratorem* inscribunt typis suis. Neque illud toties in nummis hisce repetitum Imperatoris nomen accipiendum videtur de solo titulo honoris, quo Scipionem decoravit Cato, quoque milites duces suos salutare consueverant post egregia belli patrata facinora, unde IMP*erator* quoque legitur Marcus Metellus superius lit. B. & Antonius aliique IMP*erator* ITER*um* &c. scribuntur; verum amplius quid insuper denotat, in oppositione videlicet Cæsaris, qui violenter omnia jura oppresserat, seque ipsum dictatorem paullo ante, videlicet A. V. C. DCCIV. fecerat; hunc Metellum Scipionem verum illum & unicum esse Imperatorem, qui, sublato jam statore il-

illo libertatis & ſenatus columine Pompejo Magno, dignus illi ſucceſſor, jura liberæ reipublicæ tueretur. Illuſtrat hoc dictum illud Conſidii ſup. ad num. VI. adſcripti: *Unus eſt Scipio imperator hoc tempore populi Romani.*

Qui itaque in hoc denario ſolo titulo IMP*eratoris* decoratur, facile agnoſcitur eſſe Scipio ille Metellus, qui in Cæciliam gentem transierat per adoptionem Metelli Pii, Pietatis ſymbolo adumbratam; quique victoriam, laurea corona deſignatam, reipublicæ Romanæ ſpondere videbatur, quod non tantum jus & æquum, verum etiam Dii immortales & Jupiter ille Optimus Maximus, ſervator imperii Romani, ab ejus ſtarent partibus. Urceus & lituus, inſtrumenta pontificalia illud indicant; fuit enim Metellus Scipio pontifex quoque, uti nos docet Suetonius in Tib. cap. IV. ubi ait Scipioni huic in pontificatu ſucceſſiſſe Tiberii Cæſaris patrem: *Pater vero Tiberii, quæſtor C. Cæſaris, Alexandrino bello claſſi præpoſitus, plurimum ad victoriam contulit. Quare & pontifex in locum P. Scipionis ſubſtitutus, & ad deducendas in Galliam colonias, in queis Narbona & Arelate erant, miſſus eſt.* Publius Scipio ſuo hic nomine dicitur, qui adoptivo Quintus Cæcilius Metellus Pius.

VIII.

Q*vintus* METEL*lus* SCIPIO IMP*erator* Caput Africæ elephantinis exuviis & proboſcide tectum; infra viſuntur ſpica & aratrum.

EPPIVS LEG*atus* F*ieri* C*uravit.* Hercules nudus, dextra manu femori impoſita, lævo cubito ingenti clavæ & ſpoliis leoninis innititur.

Sicuti in quibusdam ex denariis ſuperioribus elephas Africæ fuit ſymbolum, ita hic per caput muliebre elephantinis tectum exuviis (ut ſæpe alias) Africa exprimitur. Claudiani hanc in rem locum adducit Urſinus ex lib. II. de laud. Stiliconis verſu 256.

Tum ſpicis & dente comas inſignis eburno,
Et calido rubicunda die, ſic Africa fatur.

Spica frumenti & aratrum regionis iſtius fertilitatem bonitatemque oſtendunt. Curam etiam rei frumentariæ in Scipione deſignare poſſunt, qui Uſcetam magnam vim frumenti comportaſſe legitur apud Hirtium de Bello Africano cap. LXXXIX. *Cæſar interim a Thapſo progreſſus Uſcetam pervenit, ubi Scipio magnum frumenti numerum, armorum, telorum, ceterarumque rerum cum parvo præſidio habuerat.*

Herculis ab altera parte imago ſiſtitur, cujus cultum apud Afros viguiſſe hiſtorici docent. Hujus forte ſignum collapſum ab Eppio reſtitutum opinatur Vaillantius, idque indicare literas F. C. verum de ſignanda pecunia intelligi malim, ut dicatur curaſſe Eppius hosce denarios a quæſtore cudi atque fieri ad ſolutionem ſtipendii. Inter legatos vero Scipionis hic Eppius ex nummo agnoſcitur, docetque Hirtius cap. XCIX. fuiſſe itidem inter viros illuſtres, quibus pro ſingvlari ſua clementia ignovit Cæſar.

TAB. III.

I.

METEL*lus* PIVS SCIPIO IMP*erator.* Genius Tutelaris *Africæ.* ſeu (ut alii volunt) *Aegypti.* Iſis, capite leonino & loti flore exornato, ſtans more Ægyptiaco veſtita, dextra demiſſa ſiſtrum gerit, læva ad dextram mammam admota.

P*ublius* CRASSVS JVNI*anus*, LEG*atus* PROPR*ætore.* Victoria ſtans, dextra caduceum alatum, læva tenens clypeum.

Iſis, quæ hic *Genius Tutelaris Africæ* appellatur, inſolito adparet ornatu, capite videlicet non humano, ſed leonino, quod mirum videri non debet, docente Porphyrio lib. IV. de Abſtinent. p. 372. ſolitum fuiſſe Ægyptiis permiſcere ferarum & volucrum corpora cum hominibus, ut oſtenderent ex deorum ſententia hæc quandam inter ſe communionem alere. Unde notavit quoque ill. Spanhemius Tom. I. p. 241. avem ibi nonnumquam ſub forma leonis & cum facie muliebri occurrere in nummis Ægyptiorum, ſicuti in quodam nummo Antonini Pii, quem ſervat gaza Medicæa. Hinc & cum leonino capite occurrit Iſis in nobiliſſima menſa Iſiaca, cujus delineationem cum alibi, tum videre potes apud Montefalconium tom. II. parte II. ubi pag. 337. de hac Iſidis figura loquitur. Hiſtoriam ejusdem tabulæ, ſeu menſæ Iſiacæ, perſequitur idem pag. 331. doletque nobile illud antiquitatis monumentum amiſſum eſſe. Verum docuit me teſtis oculatus, ſervari jam inter rariora Ducis Sabaudiæ monumenta antiqua, & conſulto fuiſſe factum, ut per longum ſatis tempus poſſeſſio cimelii hujus in obſcuro retenta fuerit. Mammoſa eadem Iſis, reſpectu pueri Ori & rerum omnium nutritionis, pingitur, unde *mammoſam Cererem* apud Latinos etiam derivatam exiſtimat Pignorius in tabulæ ejusdem expoſitione.

Genius Tutelaris Africæ vocatur Iſis, & ſub Iſidis perſona Scipio, quod nomen Scipionum ibi valde eſſet gratum & in ſumma veneratione. Præterea quum fatale illud nomen ad victoriam crederent, nihil mirum, ſi victoriam inde certam Afris & Romanis in Africa pollicitus fuerit Craſſus, ſed talem quæ non niſi armata manu pacem datura eſſet, devictis & punitis quietis & reipublicæ perturbatoribus. Nullas certe pacis conditiones audire voluerunt Scipio & Juba, quorum ille M. Aquinium cum C. Saſerna colloquentem videns, ad illum miſit, *nil attinere eum cum adverſariis colloqui,* at vero, *quum nihilominus ejus ſermonem nuncius ad ſe referret, reſtaretque, ut reliqua, quæ vellet, perageret, viator poſtea ab Juba ad eum eſt miſſus, qui diceret, audiente Saſerna, Vetat te rex colloqui.* Hirtio teſte de B. Afr. cap. LVII. Adrumeto autem præfectus C. Conſidius, miſſas permiſſu Cæſaris a L. Planco literas, ne aperire quidem voluit, captivo, qui eas ferebat, coram occiſo, teſte eodem cap. IV. Hinc in denario pacem promittit Victoria, ſed armis quærendam, quod clypeus ſive parma, quam læva geſtat, oſtendit. De Craſſo agemus, in familia Licinia.

II.

METEL*lus* PIVS SCIP*io* IMP*erator.* Caput Jovis Terminalis, cum capite aquilæ ab inferiori parte & ſceptro.

CRAS*ſus* JVN*ianus* LEG*atus* PROPR*ætore.* Sella curulis, hinc ad latus ſpica eſt, inde aliquid velut manus clauſa, deſuper cornucopiæ cum bilance.

Facile adparet idem hoc eſſe caput quod tab. I. num. 29, & lit. E. occurrebat, quodque ibi diximus ex Vaillantii quidem ſententia Neptunum deſignare. Nos autem ſecus ſentimus, neque enim tridens dei illius nota adponitur, & ſymbola, quæ hic occurrunt, ſceptrum & aquilæ caput, ma-

manifeste vultum Jovi Terminali non hic tantum, sed & ibi vindicant. Jovis Terminalis cultum apud Romanos primus instituit Numa teste Dionys. Halicarn. lib. II. pag. 133. *Ut enim contenti propriis, aliena non concupiscerent, cavit lege de terminandis prædiis. Cum enim unumquemque jussisset suas possessiones circumscribere, ac in finibus statuere lapides,* ἱεροὺς ἀπέδειξεν Ὁρίου Διὸς τοὺς λίθους, *Jovi Terminali lapides istos sacros esse voluit.* Exemplo a Græcis petito, qui hoc quoque epitheto Deum istum honorabant, teste Platone, cujus locum insignem, quoniam & hunc & alios Scipionis nummos mirifice illustrare videtur, tanto lubentius adducam. Exstat lib. VIII. de Legibus pag. ed. Henr. Steph. 842. Πρῶτον δὴ νόμοι ἔστωσαν λεγόμενοι τοὔνομα γεωργικοί. Διὸς Ὁρίου μὲν πρῶτος ὅδε νόμος εἰρήσθω. μὴ κινείτω γῆς ὅρια μηδεὶς, μήτε οἰκείου πολίτου γείτονος, μήτε ὁμοτέρμονος, ἐπ' ἐσχατιαῖς κεκτημένος ἄλλῳ ξένῳ γειτονῶν νομίσας τὸ τ' ἀκίνητα κινεῖν ἀληθῶς τοῦτο εἶναι. Βουλέσθω δὲ πᾶς πέτρον ἐπιχειρῆσαι κινεῖν τὸν μέγιστον ἄλλον, πλὴν ὅρον μᾶλλον ἢ σμικρὸν λίθον, ὁρίζοντα φιλίαν καὶ ἔχθραν ἔνορκον παρὰ θεῶν. *Ac Jovis quidem Terminalis prima hæc lex sanciatur: Nemo limites terminosve agri moveto cujusvis domini, sive civis, sive peregrini finitimi, si in extrema regionis parte habent agros; ratus nefas esse hæc movere, & in quæ quadret illud dictum: Immobilia movere; malitque quilibet ingens saxum movere, quam parvum lapidem jurejurando a diis firmatum, quo amicitiæ & inimicitiæ, interposita deorum auctoritate, terminentur.* Curam agrorum & rei frumentariæ tab. I. num. 8. per aratrum & spicam jactavit Scipio; eandem in imperatore illo commendat, quæ in hoc & sequenti cernitur denario spica. Id fieri commode non poterat, nisi ubi jus & æquitas valerent, ubi nemo, extrusis veteribus & justis colonis, diceret hæc mea sunt, capiens aliena in præmium sceleris & navatæ in bello civili tyranno operæ. Non potuit itaque commodius & aptius signari numen quam Jupiter ille Terminalis, qui per jurisjurandi sacramentum suos cuique agros & possessiones tanto religionis metu vindicabat. Et hinc symbolum æquitatis bilanx exprimitur in altera parte, quæ ubi obtinet ibi lætus agrorum proventus & omnium quoque rerum abundantia abesse nequit; hæc arista & cornucopiæ designantur; nam quid ab altera parte sellæ curulis sit dignoscere nequeo. Abest ab Ursiniana, Patiniana & Vaillantii editione, & forte in hoc denario monetarii quædam nota est. Sella denique curulis iterum æquitatem Scipionis commendat, atque tyrannica Cæsaris opera arguit, qui omne jus e republica sustulerat atque ad se rapuerat.

III.

CRASS*us* IVN*ianus* LEG*atus* PROPR*ætore*. Caput muliebre palis tanquam turribus munitum, ante quod caduceus, retro spica est, subtus prora navis visitur.

METELLV*s* SCIP*io* IMP*erator*. Tropæum inter urceolum & lituum erectum.

De adventu Cæsaris certior factus Scipio, cum alias civitates, tum præcipue Adrumetum, insigniter communiverat, validisque præsidiis sub C. Considio inpositis, securum a primo belli terrore fecerat; unde frustra conatus urbem primo impetu capere Cæsar, neque moram trahere ob omnium rerum inopiam tutum ratus, obsidionem solverat; quum subito erumpentes oppidani, & equitatu Maurorum, quos Juba in auxilium miserat, opportune adveniente, fugæ speciem Cæsar præbuit, atque Ruspinam XL. milliaribus ab Adrumeto dissitam se recipere coactus fuit. Toto itinere lacessitus fuit ejus exercitus ab equitatu Numidarum, neque sine noxa discessit atque in tutum se recepit; uti rem gestam describit Hirtius cap. III. IV. V. VI. Hinc patet, quare bene de exitu hujus belli sperare cœperint illi, qui cum Scipione erant, atque victoriam quidem hanc dignam censuerint, quam num. I. exprimerent, dum hostes suos ipsum tutelare Africæ numen ab urbe Adrumeto arceret; imo Cæsarianis fugam & pavorem injiceret, erecto ob illam rem tropæo, quod in hoc denario adparet, ipsis diis pietatem consulis & pontificis juvantibus; quorum præsidio Adrumetum, quod turrito seu palis communito capite muliebri exprimitur, mari frueretur libero, quod prora navis ostendit; atque rei frumentariæ copia, tandemque optata pace abundaret, ut spica & caduceus evincunt.

IV.

CORINT*hus*. Caput Veneris, collecta retrorsum coma, atque fasciolis redimita.

Quinto CAECIL*io* NIGRO *Caio* HEIO P. M. . . II VIRIS. Pegasus.

Nummum hunc & duos sequentes temporibus Augusti cusos esse docet inscriptio numm. VII. In quibus omnibus conditoris sui Julii Cæsaris memoriam celebrarunt; & in his quidem Venerem deam, ad quam per Æneam genus suum referebat Cæsar, signarunt. Pegasus ab altera parte solitum, propter Bellerophontem, civem suum antiquum, Corinthiorum est symbolum.

Duumviri inscribuntur Q. Cæcilius Niger & Cajus Hejus, qui cognomen Pollionis habuisse cognoscitur ex num. VII. quod in hisce litera P. initiali solummodo exprimitur. Sed præter illam literam P. proxima illa M. pingitur ita, ut per punctula ipsius literæ & illam sequentia indicetur ductus modo istius literæ & obscura exstare vestigia. Id ita esse consultis meis nummis deprehendi, habeo enim similes ejus qui mox num. V. sequitur duos, alterum detritis magis literis, alterum nitidissimum, in quo omnia clare leguntur, sed litera illa M. vestigia crurum modo exhibet, quoniam proxima pars margini glabritie ejusdem tenuior facta est, plane ut nummo proximo accidisse quoque pictura docet. Suspicor tamen hunc Cajum Hejum Pollionem cognomine Mamertinum fuisse dictum. C. Heji Mamertini certe non uno in loco mentionem Cicero facit in Orat. in Verrem. lib. enim IV. Orat. in Verrem. Orat. IX. cap. 2. domum hujus Heji Messanæ ornatissimam vocat, docetque qualia inde signa veterum artificum Verres prætor furto & rapina abstulerit. Eundem cap. LXVII. principem legationis vocat, eorum scilicet, qui ex Sicilia ad accusandum Verrem venerant. ut & lib. II. Orat. VII. cap. 5. *Ejus autem legationis principem, civitatis nobilissimum, C. Hejum, juratum dicere audistis* &c. Meminit & cujusdam Cnei Heji, quem ab integritate & prudentia laudat, in Orat. pro Cluentio cap. XXXVIII.

Alter IIvir est Quintus Cæcilius Niger; quod idem nomen in Sicilia invenitur. Quum enim postulantibus Siciliæ civitatibus Verrem accusaturus esset Cicero, provinciam hanc, quo melius eludendi judices facultas Verri daretur, ambiit Quintus Cæcilius, quæstor quondam Verris, quum in Sicilia versaretur; contra quem est oratio Ciceronis nobilis, quæ Divinatio inscribitur, & Verrinas præcedere solet. Nigrum hunc fuisse cognominatum & domo Siculum ostendit

Aſconius Pedianus in Argumento ejusdem orationis, hisce verbis: *His ita conſtitutis exſtitit Q. Cæcilius Niger, domo Siculus, & quæſtor Verris, & ejusdem, ut ipſe dicebat, inimicus, qui ſe potius accuſatorem contenderet conſtitui oportere, has adferens cauſas: unam, quod ab eo læſus, & ob hoc jure illi ſit inimicus, quare prævaricator eſſe non poſſit. Alteram, quod quum quæſtor ei tum fuerit, etiam ipſe in quæſtione crimina noverit Verris. Tertiam, quod Siculus pro Siculis agat.* Fratrem habuit Marcum Cæcilium, quem lectiſſimum atque ornatiſſimum adoleſcentem adpellat Cicero in eadem oratione cap. IX. Cæcilii cujusdam Nigri agnomine Barbari mentio fit in Hirtii Bello Hiſp. cap. XXXV.

Quidnam igitur de hisce duumviris ſtatuendum? dicemusne hosce duos temporibus Julii Cæſaris, vel Pompejano bello Siculo, a Sexto Pompejo pulſos patria, Corinthum ſe contuliſſe, atque ibi ab Octaviano conſtitutos duumviros? Temporis ſupputatio non refragatur. Verrinæ fuerunt habitæ a Cicerone A. V. C. DCLXXXIII. Cuſi hi nummi ſunt tempore triumviratus, quum in amicitiam rediiſſent Antonius & Cæſar, qui poſtea Auguſtus dictus eſt, id eſt, circa A. V. C. DCCXIV. id oſtendit facies Cæſaris num. VII. juvenilis adhuc; quod ſi Hejus Pollio & Cæcilius Niger triginta annos nati fuerint tempore Ciceronis & Verris, ſexageſimo anno duumviratum Corinthi gerere potuerunt.

V.

Caput idem Veneris cum nuda coma (ſine faſciolis iſtis) quæ a fronte ad verticem collumque fluens ibi in nodum colligitur.

Quinto CAECIL*io* NIGRO *Cajo* HEIO P*ollione* M*amertino* II VIRIS. Bellerophon pegaſo inſidens chimæram oppugnat.

De Bellerophonte & chimæra nota ſunt omnia, de reliquis jam dictum eſt.

VI.

CORINT*hus*. Caput Veneris ut num. ſuperiore IV.

Quinto CAECIL*io* NIGRO *Caio Heio* P*ollione* M*amertino* II VIR*is*. Bellerophon pegaſo inſidens, ſine chimæra.

Typi eadem eſt ratio, quæ in ſuperioribus. Licet ſine chimæra ſit heros Corinthius jaculum tamen dextra tenet minaciter inferiora reſpiciens. Id ni foret, ultimus Bellerophontis actus innui poſſet, quo cæli & deorum ſedes cogitans, ultimum Pegaſi terga conſcendit.

VII.

CORINT*hus*. II VI*ris*. Caput Julii Cæſaris laureatum.

Caio HEIO POL*lione*, *Quinto* CAECILIO NIG*ro*. Caput Cæſaris Octaviani nudum.

Qua occaſione, & quo tempore, nummus hic Corinthi ſit cuſus, retulimus ſupra ad num. IV. temporibus videlicet triumviratus, quum concordia, ob nuptias Octaviæ, Cæſarem inter & Antonium ad tempus reducta, per coloniæ ſuæ conditorem Julium Cæſaris patrem, & Veneris deæ altum genus, blandiri juveni Cæſari voluerunt Corinthii.

VIII.

IMP*erator* AVGUSTUS P*ater* P*atriæ*. Caput Auguſti laureatum.

MVN*icipium* TVRIASO M*arco* CAECIL*io* SEVERO *Caio* IVL*io* AQVINO II VIR*is*. Corona quernea.

Aquinus, cognomen fuit, quod male per *Aquinius* ſcribi in quibusdam Cæſaris, ſeu Hirtii codd. oſtendit Seguinus pag. 92. ed. ſecundæ. Fuit etiam cognomen hoc pluribus gentibus ſeu familiis uſitatum; ut Corneliæ apud Tacitum, qui Cornelium Aquinum nominat lib. I. Hiſtor. cap. 7. Juliæ, ſub Auguſto hic & infra num. IX. & Cæciliæ, in nummo Tiberii inf. num. XI. Homines ipſi nobis ignoti ſunt. Turiaſo urbs Hiſpaniæ Tarraconenſis eſt in Celtiberis. Corona quernea cives ſervatos reſpicit.

IX.

IMP*erator* AVGVSTVS P*ater* P*atriæ*. Caput Auguſti laureatum.

MVN*icipium* TVRIASO M*arco* C*æcil.* SEVERO *Caio* IVL*io* AQVINO II VIR*is*. Bos, coloniæ ſymbolum.

X.

T*iberius* CAESAR AVGVST*i* F*ilius* IMPERAT*or* VII. Caput Tiberii laureatum.

MVN*icipium* TVR*iaſo* *Caio* CAEC*ilio* SERE*no* *Marco* VAL*erio* QVAD*rato* II VIR*is*. Bos, coloniæ ſymbolum.

Duumvirorum nomina ad nos, res geſtæ, vel ulla prolixior notitia non pervenerunt. Titulus IMP. VII. docet extremis fere Tiberii temporibus nummum hunc cuſum fuiſſe.

XI.

T*iberius* CAESAR AVG*uſti* F*ilius* IMP*erator* PONT*ifex* M*aximus*. Tiberii caput laureatum.

MVN*icipium* TVR*iaſo* L*ucio* CAEC*ilio* AQVIN*o* M*arco* CEL*io* PALVD*ato* II VIR*is*. Bos, coloniæ ſymbolum.

Neque de hisce multum dici poteſt. Paludati cognomen ab ornamento militari tractum eſt. De Aquinis egit Seguinus loco ſupra memorato; ubi inter Cæſaris percuſſores, qui ut talis videri volebat, licet non adfuerit, adducit Aquinum quendam, cujus nomen in Caſſii imperatoris numiſmate quodam legitur, quod infra in gente Caſſia exhibetur.

XII.

T*iberius* CAESAR DIVI AVG*uſti* F*ilius* AVGVST*us* IMP*erator* VIII. Caput Tiberii nudum.

Municipes Municipii Iulii Uticenſis, *Caio* VIB*io* MARSO PR*o*CO*nSule* II. *Lucius* CAECILIVS PIVS II V*ir*. Figura muliebris velata ſedens, dextra tenet pateram læva haſtæ innititur.

C. Vibius Marſus vir fuit *vetuſtis honoribus & ſtudiis illuſtris*, ut illum vocat Tacitus lib. VI. Annal. cap. 47. Legatus fuit Germanici in Syria, quo tempore hic fatis conceſſit A. V. C. DCCLXXI. unde acris inter illum & Cn. Sentium contentio, quisnam deinceps Syriæ præficeretur, ceſſiſſe vero Marſum Sentio, ut ſeniori & acrius tendenti, tradit Tacitus Annal. II. cap. 74. Hic poſtea cum imperio in Africam miſſus eſt, ut videbimus in gente Vibia. L. Cæcilius Pius ad Metellos vult familiam ſuam pertinere. Statua muliebris Liviæ eſt, quam in Tiberii gratiam Uticenſes in nummis ſuis honorarunt.

CAE-

CAECINA.

Qui Familias Romanas ediderunt Urſinus, Patinus aliique, Cæcinæ ſequentem nummum vulgarunt, locum tribuentes tanquam ſub nomine Gentilitio. Nomina vero illa quum ſemper in *ius* exeant apud Romanos, penes eosdem omnes dubitatum fuit, utrum nomen an cognomen potius ſit ſtatuendum; quo paſſim uſi ſcriptores, ut notiore, in obſcuro nobis reliquerunt, ex qua gente fuerint Cecinæ, qui complures inveniuntur, & ſub primis præſertim imperatoribus Romanis claruerunt.

I.

Caput Jani bifrontis barbatum & laureatum, cum remo inter tempora.

Aulus CAE*cina*. Navis prora, ad latus litera I. longior ac denſior per obliquum poſita, ſubtus eſt ROMA.

Duos nummos, ſeu dupliciter potius hunc nummum, depinxit Vaillantius, utrumque, ut fert adſcripta litera F. tanquam ex Urſino, & quidem variæ magnitudinis. Ex hisce prior barbatum Jani caput, poſterior inberbe exhibet. Per chalcographi errorem id accidiſſe puto, nec enim apud Urſinum reperitur, nec in Patiniana ejusdem adaucta editione, nec ipſe Vaillantius ullam differentiæ ejus mentionem in explicatione ſua facit. Morellius vero noſter non ſimpliciter Urſinum (ut paſſim facit Vaillantius) eſt ſecutus, ſed novam verioremque picturam ex nummi ipſius delineatione propoſuit. Id patet ex litera I. longiore & denſiore, quæ ad latus navis viſitur, quæque in antiquioribus paſſim nummis æreis comparere ſolet.

Cæcinæ nomine notus eſt Etruriæ fluvius, Plinio & Melæ geographis antiquis ita dictus, qui hodieque etiam vetus nomen *Cecina* retinet, teſte Thoma Dempſtero in Etruria Regali tom. II. pag. 16. ex montibus Maſſæ viciniis oriens, atque circa Volaterras mari ſe immiſcens. Nomen a gente Cæcinarum traxiſſe idem Dempſterus exiſtimat, quum potius genti nomen a fluvio foret arceſſendum. Quantum vero Volaterræ Cæcinis ſuis antiquis ſuperbiant, patere poteſt ex ejusdem Dempſteri verbis tom. I. pag. 233. „ Denique quam clara hæc fuerit familia, loquitur „ *liber Memorabilium Italiæ* M. S. in quo hæc „ ſunt apud Fanucium Campanum, lib. IV. de „ Illuſtr. Italiæ Familiis MS. *In Volaterra, urbe* „ *Etruriæ nobiliſſima ac illuſtriſſima, ſunt familiæ,* „ *atque illæ antiquiſſimæ, ut ſunt: familia nobilis* „ *Cecinarum, ex nobili proſapia ac illuſtri Romana* „ *orta, quæ in lucem edidit A. Perſium poetam &* „ *Linum pontificem maximum.* Duo illa (addit „ Dempſterus) quæ tanquam prima ab illo ſcri„ prore in familiæ iſtius laude collocantur, „ ſunt mihi ſuſpecta: primum familiæ Ceci„ narum (ita per ſimplex *e* apud illum ſcri„ bitur) ortum eſſe Roma; & deinde D. Li„ num & Perſium Satyricum ex illa eſſe; ſed „ viderint hodierni Cecinæ, nam & familia e„ tiamnum hodie nobilitate ſua viget: & ſunt „ duo ſtudioſiſſimi, & ad bonas artes nati, mi„ hi familiares, Bernardus & Aulus Cecinæ. „ Patet ex hisce etiam Cæcinas hodiernos in memoriam nobiliſſimi iſtius Auli Cæcinæ Volaterrani, ſummi Ciceronis amici, prænomen Auli domui ſuæ proprium feciſſe. Cæcinæ vero veteres ex qua fuerint gente dubium eſt. Liciniæ proprium cognomen fuiſſe docet Vaillantius, & in illa gente exſtitiſſe prænomen Auli, ſed & Alliena gens Auli quoque præfert prænomen, & Cæcinæ cognomen ſibi vindicat. Aulo Cæcinæ quidem illi, equiti Romano, qui temporibus Ciceronis multa cum laude floruit, vel filio (ut exiſtimat) ejusdem Aulo itidem Cæcinæ, quem conſulem fuiſſe ponit A. V. C. DCCLII. tribuendum nummum eſſe cenſet Urſinus, repugnat Vaillantius, & jure. Nam abolita jam ærea illa moneta in qua Jani effigies &c. per diviſionem provinciarum inter Auguſtum & ſenatum A.V.C. DCCXXX. nulla moneta ærea ex antiquo illo genere cudebatur, ſed cum Imperatoris effigie & S.C. ſubſcriptione ſive nota. Itaque ad filium conſulem pertinere non poteſt. Patri etiam forma & ſcriptura abjudicat; quod etiam multo magis urſiſſet Vaillantius, ſi nummi ipſius inſpiciendi facultatem vel deſiderium habuiſſet. Eſt enim as non uncialis, quales bello Punico II. ſignari cœperunt A.V.C. DXXXVI., ſed ſextantarius, unde cippus, ſeu potius remus, inter tempora Jani in nummo noſtro & litera I. ab altera parte cernuntur; quæ duo in recentioribus non inveniuntur teſte eodem Vaillantio pag. 150. ad nummum gentis Atiliæ. „ Nec as etiam (inquit) literam l. librum „ deſignantem amplius præfert, quum revera „ nummus pro libra ſit uncia. „ Quæ legens, non percipio, quomodo per notam illam quæ ibi in Atilii itidem nummo, aliisque ſimilibus, obſervatur, intelligi debere libram nos docere velit. Romanis enim hujus literæ figura per L. exprimebatur, non ut apud noſtrates interdum per l. Præterea tam obeſa ab omni parte eſt in nummis, ut non putem recte literam dici poſſe. Obliqua etiam eſt poſitura, neque ad latera diducitur in ſumma vel infima parte, ſicuti litera I. diduci ſolet; unde magis cippi longioris quam vel literæ l. vel I. figuram repræſentat. Atque hæc de nummo, videndum jam de ipſo homine quid ſtatui debere videatur.

Diximus in ſuperioribus, Cæcinæ adpellationem cognomen potius eſſe familiæ quam nomen gentilitium, nam licet Norbanam familiam quoque Urſinus agnoſcat, veriſimile tamen eſt, quod alii ſtatuunt, Norbanos ſicut & Perpernas, nomina ſua gentilitia per cognomina obſcuraſſe. Sic Mæcenas & Agrippa notiſſimi cognomine ſuo ſunt apud ſcriptores, qui rarius nomina eorundem adponunt, hic enim ex gente Vipſania fuit, ille e Cilnia. Neque ad Cæcinam illum, qui ſub Auguſto floruit, patremve ejus, recte referri poſſe Vaillantius oſtendit, refragante ſculptura æris & ponderis ratione. Cæcinas itaque cognominatos docet Octavios atque Licinios, commemoratque M. Octavium Cæcinam & A. Licinium Cæcinam; at quoniam nusquam in gente Octavia Auli occurrit prænomen, incerto cuidam ex Licinia, in qua plures Auli prænomen habuerunt, adjudicat.

At vero potuerunt & aliæ gentes Cæcinæ cognomen ferre, in quibus Auli prænomen familiare fuit; ut gens Alliena. Ille enim, qui Ciceronis tempore legatus fratris Q. Ciceronis in Aſia fuit, & prætor tempore belli civilis, quum Cæſaris amplexus eſſet partes, Siciliam ab eodem cum imperio proconſulari accepit, dictus fuit Aulus Allienus, ejusque denarium in Sicilia cuſum vidimus in familia Alliena. Alterum Aulum Allienum quoque produxit Aldus Manutius in Orthographia ſua pag. 29. ubi docet Allienos ex nummis & lapidibus duplici LL. ſcribi, & Fruſinone ad D. Paulli hanc teſtatur ſe reperiſſe inſcriptionem.

A.

A. AGNEIVS L. F. OVF. NIGER II VIR
A. AGNEIVS L. F. RVFVS F.
A. AGNEIVS L. F. OVF. SARDVS
A. ALLIENVS Q. L. CHRESIMVS
A. AGNEIA IVCVNDA TESTAMENTO
SVO FIERI IVSSIT.

In gente Licinia fateor multos Auli habuisse prænomen, sed hoc erat evincendum Vaillantio, eundem hominem & Auli prænomen & Cæcinæ habuisse cognomen. Certe unicus is Licinius, qui Cæcinæ cognomen habuisse legitur apud Tacitum Histor. II. 53. homo novus dicitur, sub Othone demum in senatum adscitus, Marcelli Eprii accusator. *Sed invisum memoria delationum, expositumque ad invidiam Marcelli nomen irritaverat Cæcinam* (paullo ante Tacito Licinium Cæcinam dictum) *ut novus adhuc, & in senatum nuper adscitus, magnis inimicitiis claresceret.* Si itaque Licinius Cæcina, novus adhuc tempore Othonis senator, si nec Auli habuisse prænomen constet, æque ad Allienos referri potest hic nummus, qui & Auli habuerunt prænomen, & inter quos cum Cæcinæ cognomine invenitur nobilis ille Vitellianarum partium dux, qui prodito Vitellio ad Vespasianum sese contulit. Meminit ejus pluribus in locis Tacitus, ut Hist. I. 68. II. 20. 22. 100. III. 14. 31. Imo *Alienus Cæcina* dicitur lib. I. cap. 52. *Multi in utroque exercitu sicut modesti quietique, ita mali & strenui. Sed profusa cupidine, & insigni temeritate legati legionum Alienus Cæcina, Fabius Valens.* Ubi Lipsius in notis docet in vulgatis Taciti edit. A. Cæcinam dici, in Fastis vero, quos eruditi viri concinnarint, A. Licinium, unde eruerint (inquit) miror. Certum vero est natum id & erutum inde, quod A. sive Auli nomen in Licinia gente inveniatur, & quod in quibusdam Taciti codicibus *A.* in aliis *Alienus* fuerit scriptum, unde forsan integre olim ipse Tacitus scripsit *A. Allienus Cæcina.* Allienum enim non Alienum dictum fuisse Cæcinam ex marmoribus & nummis constat, ita constanter nomen illud gentis scribentibus, qui vero describebant Tacitum, crediderunt in *A.* & *Alienus* literam priorem *A.* esse superfluam.

At vero certissimum est antiquiorem Cæcinam hunc nummum cusisse, qui potuit esse inter proavos illius Auli Allieni, qui sub Cæsare vixit & Siciliæ cum imperio præfuit.

CAELIA.

I.

T*iberius* CAESAR DIVI AVG*usti* F*ilius* AVG*ustus* IMP*erator* VIII. Caput Tiberii nudum.

Caio VIBIO MARSO PROCO*nSule* III. C*aius* CAELIVS TAX*illus* AVG*ur* (vel AVG*ustalis*) duumvir D. D. P. P. id est *decuriones posuerunt.* Statua Liviæ sedentis, capite velato, dextra pateram, læva tenens hastam.

De Vibio Marso in gente Vibia agendum nobis erit. Occurrit hic Cajus Cælius Taxillus quidam, producto (ut videtur) cognomine a taxo arbore. Coloniæ nomen non adscribitur; videtur tamen in municipio Uticensi cusus ob capitis & aversæ similitudinem in ejusdem municipii nummis sub eodem Marso proconsule cusis. AVG. dicitur hic C. Cælius Taxillus, quod & per *Augurem* potest explicari, & per *Augustalem.* Augustales numero erant VI. magistratus erat in municipiis sive coloniis, nam creabantur a decurionibus, qui quasi consules in iisdem erant, adeoque minor erat magistratus, ut docet M. Velserus Rerum Aug. Vind. lib. V. pag. 275. exstatque mentio apud Gruterum pag. 419. num. V.

FAVSTVS
VI VIR ET AVGVST.
QVI INTER PRIMOS
AVGVSTALES
A DECVRIONIBVS
AVGVSTALIS FACTVS EST
VIRIAE MAXIMAE
VXORI CARISSIMAE

& apud Fabrettum Inscript. cap. III. pag. 228. num. DCV.

CN. PLAETORIO VI VIRO
AVGVSTALI
BISELLARIO
HONORATO ORNAMENTIS
DECVRIONAL.
POPVLVS ABELLINVS
AERE COLLATO QVOD
AVXERIT EX SVO AD
ANNONARIAM PECVNIAM
HOS. X. N. ET VELA IN THEATRO
CVM OMNI ORNATV
SVMPTV SVO DEDERIT
L. D. D. D.

In qua inscriptione notabile illud est, quod non tantum honos bisellii (ut recte observat Fabrettus) ad Augustalem dignitatem, ut distinctus honor, fuerit adjectus; sed quod insuper iste augustalis ornatus fuerit ornamentis decurionalibus; quum is magistratus, cujus licet administrationem non haberet, ornamenta tamen habebat, summus in coloniis & municipiis esset.

De auguratu itidem explicari potest, duumviros enim nonnunquam simul fuisse augures patet ex hac inscriptione apud Gruterum pag. CCCCXLIV. num. 8. quam etiam adduxit Vaillantius in lib. de Coloniis tom. I. pag. 129.

L. OCTAVIO L. F. CAM.
RVFO TRIB. MIL. LEG. IIII.
SCYTHICAE PRAEF. FAB.
BIS DVOMVIRO QVINQ. EX
S. C. ET D. D. AVGVRI EX D. D.
CREATO
QVI LAVATIONEM GRATVITAM
MVNICIP. INCOLEIS
HOSPITIB. ET ADVENTORIB.
VXSORIB. SERVEIS ANCILLEIS
QVE EOR. IN PERPETVOM
DEDIT D. D. PVBL. PATRONO.

Hic C. Cælius quis fuerit, difficile est judicare, propinquus forsan vel libertus C. Cælii Rufi istius, qui consul fuit cum L. Pomponio A. V. C. DCCLXX. quo de Cheruscis Cattisque & Agrivariis triumphavit Germanicus teste Tacito Annal. lib. II. cap. 41.

CAE-

CAESENNIA.

Gens Cæſennia nota quidem fuit reipublicæ temporibus, ſed ſub imperatoribus Nerone, Veſpaſiano, & Domitiano maxime inclaruit. P. Cæſennius quidam, ſed ſine cognomine memoratur Ciceroni in oratione pro Cæcina, cui Cæſennia quædam ex municipio Tarquinienſi, ſummo loco nata, & probatiſſima femina ibidem laudatur. Fuit & Cæſennius cognomine Lento, qui Cæſaris partes ſecutus Pompejum filium in Hiſpania occidit. In nummis vero Pæti exſtant, qui ſub Imperatoribus ad conſulatum & alios ampliſſimos honores pervenerunt.

I.

ΔΟΜΙΤΙΑΝΟϹ ϹΕΒΑϹΤΟϹ ΓΕΡΜΑΝΙΚΟϹ. *Domitianus Cæſar Germanicus.* Caput Domitiani laureatum.

ΣΜΥΡναιων ΕΦΕσιων ΟΜΟΝΟΙΑ ΕΠΙ ΑΝΘΥ πάτεια ΚΑΙϹΕΝΝΙΟΥ ΠΑΙΤΟΥ. *Concordia Smyrnæorum, Epheſiorum, ſub proconſulatu Cæſennii Pæti* Duæ figuræ muliebres dextras jungunt, altera habitu Amazonis, capite turrito, bipennem læva ſuper humeros tenet; altera læva haſtam puram longiorem atque transverſam gerit, veſte ſuccincta.

Typi hujus longiorem dedi deſcriptionem, quod diſcrepet pictura Morelliana ab illa, quæ exſtat apud Vaillantium libro de Nummis Græcis pag. 23. „Duæ Amazones (inquit) dextras jungunt, „ ſiniſtra bipennem utraque gerit.„ Quod quidem in pictura Morelliana ſeſe ita non habet; quæ enim a dextris eſt, Smyrna eſt Amazon, habitu ſuo facile nota, quæ vero a læva ſtat, videtur eſſe Diana, veſte ſuccincta, utpote venatrix, ſymbolum deitatis, haſtam læva gerens. Sed ut verum dicam, falſum fuiſſe Morellium puto, detrito forſan aliquantum ab illa parte nummo ſuo; certe in meo clariſſime adparent duæ Amazones, capite turrito utraque eſt, utraque bipennem geſtat, altera ſuper humeros inclinatam, altera ſuper brachium erectam.

Cæſennius Pætus, ex hoc nummo, cum proconſulari imperio cognoſcitur fuiſſe in Aſia Minore, qua occaſione urbes vicinæ & amicæ atque concordia conjunctæ, Smyrna & Epheſus, proconſulis hujus nomen nummis ſuis inſcripſerunt. Quoniam vero nemo, niſi qui conſul ante fuiſſet, cum proconſulari imperio in provincias mittebatur, quærendum, quo tempore conſul hic Pætus fuerit. Agnoſcitur Cæſennius Pætus conſul A. V. C. DCCCXIV. cum P. Petronio Turpiliano, anno imperatoris Neronis VII. nomen vero ejus & in Faſtis male ſcribitur *Cæſonius* pro *Cæſennius*, & minus recte per *e* ſimplex *Ceſennius* effertur apud Tacitum altero loco, altero vero *Cæſonius*, Annal. lib. XXIX. cap. 14. *Cæſonio Pæto, Petronio Turpiliano conſulibus, gravis clades in Britannia accepta.* Lib. autem XV. cap. 6. *Et adventare Cæſennius Pætus audiebatur.* Hunc vero narrat ibidem Armeniæ ducem a Nerone miſſum, ut provinciam illam tueretur a Parthorum incurſione, Vologeſes enim illam invaſerat, primumque ejus impetum Domitius Corbulo propulſaverat; at Cæſennius Pætus, virtute & militari ſcientia nequaquam par Corbuloni, optimis quibusque ex exercitu ſuo amiſſis, & præterea a barbaris obſeſſus, appropinquante quamvis, ut periculo ipſum eximeret, Corbulone, fœdas pactiones cum Parthis iniit; placuerat enim, referente eodem Tacito cap. XV. *liberari obſidio legiones, & decedere omnem militem finibus Armeniorum, caſtellaque & commeatus Parthis tradi.* Tanto inexcuſabilior hæc Pæti timiditas fuit, quod teſtetur cap. XVI. apud Tacitum Corbulo, *obſeſſis adeo ſuppeditaviſſe rem frumentariam, ut horreis ignem injicerent; Parthos inopes copiarum, & pabulo attrito, relicturos oppugnationem, neque ſe plus tridui itinere abfuiſſe.* Quovis ſupplicio dignus Pætus, ſed timidis nullum a Nerone periculum; Corbuloni, ſicut evenit, & fortibus bonisque magis a tyrannis metuendum. *Regreſſum Pætum, quum graviora metueret, facetiis inſectari ſatis habuit Cæſar, his ferme verbis: Ignoſcere ſe ſtatim, ne tam promtus in pavorem longiori ſollicitudine ægreſceret.* Tacit. ibid. cap. XXV. Hunc Cæſennium Pætum Lucii habuiſſe prænomen docet Dio Caſſius in Excerptis Fulvii Urſini de Legationibus pag. 391. Excerpto XLI. in f. Λούκιον δὲ Σένιον (ſcribe Καισέννιον) Παῖτον ἐς τὴν Καππαδοκίαν, ὅπως μηδὲν περὶ τὴν Ἀρμενίαν νεοχμωθῇ, ἀπέστειλεν. *Lucium Cæſennium Pætum, in Cappadociam, ne quid in Armenia novarum rerum oriretur, dimiſit.* Simpliciter Pætum, eandem rem narrans, vocat Tacitus cap. XVII. lib. ejusdem: *Exin Pætus per Cappadociam hibernavit*, nec usquam prænomen ejus apud Tacitum invenias. Et tamen illud Lucii vindicant quoque Pæto marmora antiqua. Romæ enim hanc exſtitiſſe inſcriptionem ex Urſini ſchedis prodidit Gruterus pag. LXIV. num. 11.

IMPERIO
DOMINI SILVANI
C. COSSVTIVS. C. L. EPAPHRODITVS
ARAM SILVANO MARMOR . . .
ITEM
SIMVLACRVM HERCVLIS
RESTITVIT
AEDICVLAM ET ARAM EJUSDEM
CORRVPTA REFECIT
DEDICAVIT KAL. MARTIS.
P. CALVITIO RVSONE } COS.
L. CAESENNIO PAETO }

Adparet præterea ex hac inſcriptione cum Taciti verbis ſuperius allatis collata, ſuffectum Petronio Turpiliano hunc Calviſium Ruſonem fuiſſe. Credidit Lipſius eundem eſſe cum Cæſennio illo Pæto, qui temporibus Veſpaſiani, teſte Flavio Joſepho, Syriæ præfuit; quem citans ad lib. Taciti XV. cap. 6. „An hic (inquit) ipſe, qui ſub Ne-„ rone præfuerat, etſi parum bona fama? ætas „ haud negat„ Hæc ille, quæ ſi vera conjectura eſt, poteſt idem eſſe Pætus cui honorem in hoc nummo noſtro Smyrnæi atque Epheſii habuerunt. Tempora itaque examinemus. Conſul fuit Pætus A. V. C. DCCCXIV. & biennio poſt miſſus in Orientem ad Armeniam defendendam turpiter rem Romanam deſeruit. Anno IV. Veſpaſiani teſtatur Joſephus mutationem Commagenes, ut in provinciæ formam ex regno reduceretur, accidiſſe, Cæſennio Pæto Syriæ præſide, fuitque is annus V. C. DCCCXXVI. Atque ita a conſulatu ejus usque ad illam mutationem XII. anni; a prima ejus in Syriam Armeniamque miſſione X. vix anni interfuerunt. De miſſione ejus loquitur Joſephus lib. VII. de Bello Jud. cap. III. §. 4. ed. noſtræ pag. 408. ubi de tumultu & incendio Antiochenſi agit, & periculo ob id Judæorum, qui ibidem erant. Μόλις δὲ αὐτῶν ἐδυνήθη τὰς ὁρμὰς ἐπισχεῖν Κνεῖος Κολλήγας τις, πρεσβευτὴς, ἀξιῶν ἐπιτρέψαι Καί-

σαφῶς δηλωθῆναι περὶ τῶν γεγονότων. τὸν γὰρ ἡγεμονεύοντα τῆς Συρίας Καισέννιον Παῖτον ἤδη μὲν Οὐεσπασιανὸς ἐξαπεστάλκει, συνέβαινε δὲ παρεῖναι μηδέπω. *Vix autem motus eorum reprimere potuit Cneus quidam Collega, legatus, postulans permitti, ut ad Cæsarem de rebus gestis referretur. Præsidem namque Syriæ Cæsennium Pætum jam quidem Vespasianus ad eam miserat; accidit autem ut nondum adesset.* Ingenio autem Pæti ut timido, ita suspicioso & malevolo convenit, quod cap. VII. §. 1. pag. 420. de eodem narrat Josephus, contigisse videlicet *quarto anno imperii Vespasiani, ut Antiochus rex Commagenes in maximas clades cum tota domo incideret, ex causa hujusmodi. Cæsennius Pætus, tunc Syriæ præses constitutus, sive vera dicens, sive propter inimicitias inter ipsum & Antiochum (nam liquido non constabat) literas ad Cæsarem misit, indicans Antiochum cum filio Epiphane decrevisse a Romanis defectionem facere pactione inita cum rege Parthorum: propterea que oportere illos ante capere, ne, si priores novas res adorti essent, totum Romanorum imperium bello perturbarent.* Hæc & plura ibidem de Pæto isto narrat, & quam indecore cum rege Antiocho, sponte dedente se & sua, egerit.

At non sub Vespasiano sed Domitiano cusus nummus, & illo jam post Titi mortem imperante solo, imo Domitiam jam in matrimonio habente. Inde colligitur minimum post A. V. C. DCCCXXXIV. adeoque XX. circiter annis post consulatum, annis XVIII. post primam in Orientem atque Armeniam missionem id factum fuisse. Jam vero quinquaginta vitæ annos explesse videtur Cæsonius Pætus quum infame illud cum Parthis fœdus faceret, habuit enim jam tum filium tribunum militum, cujus etiam opera postea usus est Corbulo, teste Tacito Annal. lib. XV. cap. 28. *Neque infamia Pæti angebatur: quod eo maxime patuit, quia filio ejus tribuno ducere manipulos, atque operire reliquias malæ pugnæ imperavit.* Ubi recte pro *opperiri*, ex emendatione Grotii atque Beroaldi verbum *operire* scil. humo vel terra *reliquias* i. e. insepulta Romanorum corpora, in novissima Taciti editione reposuit doctissimus quondam præceptor meus Jacobus Gronovius. Illas enim reliquias insepultas in Romanorum infamiam tanquam tropæum in sublime coacervaverat Vologeses. Tacit. ibid. cap. XV. *Vologeses armis & corporibus cæsorum aggregatis, quo cladem nostram testaretur, visu fugientium legionum abstinuit.*

Hisce permotus rationibus Syriam quidem a Vespasiano crediderim Pæto patri commissam fuisse, a quo nihil magnopere metuendum sibi fuerit, ejusque opera eundem usum fuisse in Commagene redigenda in provinciam Romanam, atque exturbando Antiocho filiisque ejus, optime quondam de se meritis. Pæto autem ejusdem filio honorem, ut Asiæ Minoris proconsuli, habitum existimo hoc & sequentibus quatuor nummis. Quod quo melius adstruatur, tempus consulatus Pæti hujus junioris est investigandum, in tales enim provincias consulares viri mittebantur. In Fastis Consularibus quos concinnarunt viri docti, anno imperii Vespasiani secundo, A. V. C. DCCCXXIII. consules invenio suffectos ex Kal. Novemb. L. Annium Bassum, & C. Cæcinam Pætum. At vero nullus dubito, quin reponi ibidem debeat C. Cæsennius Pætus. Et ita prænomen quoque patris & filii habemus, Lucium vocant patrem Dionis Excerpta & Inscriptiones Antiquæ, Cajum filii fuisse nomen ex Fastis patet, imo amplius quoque ex errore eorum qui nomina consulum singulis Taciti libris præposuerunt, qui patri dederunt prænomen, quod filius habuit, in inscriptione libri Annal. XIV. *C. Cæsonio Pæto, C. Petronio Turpiliano coss.* Ubi manifestum est reponi debere *L. Cæsennio Pæto* &c.

II.

ΔΟΜΙΤΙΑΝΟϹ ΚΑΙϹΑΡ ϹΕΒΑϹΤΟϹ . . . . . . *Domitianus Cæsar imperator.* Ubi puncta sunt in nummo esse videtur ΓΕΡΜΑΝΙΚΟΣ. *Germanicus.* Caput Domitiani laureatum.

ΣΜΥΡναίων. ΕΦΕσίων. *Smyrnæorum, Ephesiorum*, scilicet ὁμονοία, *concordia.* in circ. ΕΠΙ ΚΑΙΣΕΝΝΙΟΥ ΠΑΙΤΟΥ ΑΝΘΥΠΑΤΟΥ. *sub Cæsennio Pæto proconsule.* Duæ Nemeses stantes cum attributis.

Spectat nummus ad eundem Pætum filium, de quo satis diximus, est vero secundi moduli, superior enim primi est. Utrumque possidemus, & hujus quidem notitia ad Vaillantium non pervenit; Morelliana pictura ipsa quoque emendari potest. In meo enim Smyrna, quæ ad dextram stat Nemeseos, eundem habitum gerit, qui infra in num. IV. exhibetur, omnino enim dextra vestem ad humeros supra pectus elevat, læva demissa pendulam vestis tenet laciniam; quod notari necesse est, ne dubitatio de illa fiat muliere & ex nova figura nova explicatio. Nemo Morellii oculos falli potuisse miretur, quum talia nummis plus vel minus detritis adscribenda sint. Nemesis autem simulacra sua & fana Ephesi & Smyrnæ habuisse videtur, plures enim imperatorum nummi harum urbium juncta simul nomina & Nemeses habent. Cur vero in pluribus Smyrnæorum (quorum mihi larga suppetit copia) nummis Nemesis sit effigies, docet nos copiose Pausanias in Achaicis, sive lib. VII. p. 552. & 553. Σμύρναν δὲ ἐν ταῖς δώδεκα πόλεσιν οὖσαν Αἰολέων, καὶ οἰκουμένης τῆς χώρας καθὰ καὶ ἐς ἐμὲ ἔτι, πόλιν ἣν καλοῦσιν ἀρχαίαν, Ἴωνες ἐκ Κολοφῶνος ὁρμηθέντες ἀφελόμενοι τοὺς Αἰολεῖς ἔσχον. χρόνῳ δὲ ὕστερον καὶ Ἴωνες μετέδοσαν Σμυρναίοις τοῦ ἐν Πανιωνίῳ συλλόγου. Ἀλέξανδρος δὲ ὁ Φιλίππου τῆς ἐφ' ἡμῶν πόλεως ἐγένετο οἰκιστὴς κατ' ὄψιν ὀνείρατος. Ἀλέξανδρον γὰρ θηρεύοντα ἐν τῷ ὄρει τῷ Πάγῳ, ὡς ἐγένετο ἀπὸ τῆς θήρας, ἀφικέσθαι πρὸς Νεμέσεων λέγουσιν ἱερόν, καὶ πηγῇ τε ἐπιτυχεῖν αὐτὸν καὶ πλατάνῳ πρὸ τοῦ ἱεροῦ, πεφυκυίᾳ δὲ ἐπὶ τοῦ ὕδατος. καὶ ἐπὶ τῇ πλατάνῳ καθεύδοντι κελεύειν φασὶν αὐτῷ τὰς Νεμέσεις ἐπιφανείσας, πόλιν ἐνταῦθα οἰκίζειν, καὶ ἄγειν ἐς αὐτὴν Σμυρναίους, ἀναστήσαντα ἐκ τῆς προτέρας. Ἀποστέλλουσιν οὖν ἐς Κλάρον θεωροὺς οἱ Σμυρναῖοι περὶ τῶν παρόντων σφίσιν ἐρησομένους, καὶ αὐτοῖς ἔχρησε·

Τρισμάκαρες κεῖνοι καὶ τετράκις ἄνδρες ἔσονται,
Οἳ Πάγον οἰκήσουσι πέρην ἱεροῖο Μέλητος.

οὕτω μετῴκησαν ἐθελονταί, καὶ θεῶν Νεμέσεις πλείους νομίζουσιν ἀντὶ μιᾶς, καὶ μητέρα αὐταῖς φασὶν εἶναι Νύκτα· ὥσπερ Ἀθηναίοις γε τῇ ἐν Ῥαμνοῦντι θεῶν, πατέρα λέγουσιν εἶναι Ὠκεανόν. *Jam vero Smyrna cum una esset de duodecim Æolensium urbibus, tamque frequens, quam nunc est, tota esset regio, Iones è Colophone profecti, urbem quam Archæan* (id est priscam) *nominant, Æolensibus ademerunt. Insequentibus deinde temporibus, concilii sui jus cum Smyrnæis Iones communicarunt. Hujus vero, quæ nunc exstat, urbis conditor exstitit Alexander Philippi filius, per visum in quiete, ut id faceret, monitus. Venationibus enim intentum Alexandrum in Pago monte, eo ipso quo erat ornatu, ad Nemesium fanum accessisse tradunt: cum vero ad fontem sub platano proximis aquis irrigua somnum caperet, obversatas in somniis Nemeses mandasse, ut eo in loco urbem conderet, atque ut eo Smyrnæos deduceret: missos tunc Claron consultores à Smyrnæis de summa rerum, quibus talis fuerit* è templi penetralibus *reddita vox:*

Ter-

Terque quaterque viris aderit fors læta beatis,
Ulteriora colent sacri qui rura Meletis.

Facile itaque se deduci Smyrnæi passi sunt. Ac Nemeses quidem plures, non unam tantum venerantur, & earum matrem Noctem perhibent: sicuti Athenienses ejus quam Rhamnunte eodem nomine colunt deæ, Oceanum patrem esse dictitant.

Videmus in hisce plures commemorari Nemeses, obversatas Alexandro per somnum, videmus etiam plures apud Smyrnæos cultas fuisse. Nam in Atticis, sive lib. I. pag. 82. testatur deæ ejus signum apud Smyrnæos cum alis quoque fingi; quod confirmant veteres urbis ejus nummi, quos servo, sine imperatoris alicujus capite, ab altera parte Hermum fluvium, ab altera Nemesin alatam exhibentes, de quibus alias. Verba Pausaniæ hæc sunt. Πτερὰ δὲ ἔχον οὐδὲ τοῦτο τὸ ἄγαλμα Νεμέσεως, οὔτε ἄλλο πεποίηται τῶν ἀρχαίων. Ἐπειδὴ δὲ Σμυρναίοις τὰ ἁγιώτατα ξόανα ἔχειν πτερὰ οἶδα ὕστερον, ἐπιφαίνεσθαι γὰρ τὴν θεὸν μάλιστα ἐπὶ τοῖς ἐρῶσιν ἐθέλουσιν, ἐπὶ τούτων Νεμέσει πτερὰ ὥσπερ Ἔρωτι ποιοῦσι. *Nemesis neque hoc, neque aliud vetus signum, alas habet. Apud Smyrnæos, quæ maxima cum religione coluntur ejus deæ signa, alas habere postea animadverti. cujus rei eam esse causam suspicor, quod cum ejus numen ad amatores maxime pertineat, idcirco ei, ut Cupidini, alas addunt.* Alas quidem mihi Nemesis habuisse videtur propter pœnæ celeritatem qua sontes ultrix dea insequi solet. Sed ut diversas Nemeses Smyrnæi coluerunt, ita hic sine alis dea adparet.

III.

ΑΥΤοκράτωρ ΔΟΜΙΤΙΑΝΟϹ ΚΑΙϹαρ. *Imperator Domitianus Cæsar.* Caput Domitiani laureatum.

ΕΠΙ ΚΑΙϹΕΝΝΙΟΥ ΠΑΙΤΟΥ. *Sub Cæsennio Pæto* scilicet proconsule. Serpens in gyros se erigens.

Serpens Æsculapii Symbolum esse solet, qui quoniam Pergami præ cæteris colebatur, videri posset hic nummus, qui urbis nullum adscriptum nomen habet, ad eandem pertinere. Sed & Smyrnæ, & Ephesi cultum quoque fuisse nemo negare poterit: unde suspicor tres illas urbes, ut sæpius, ex communi consilio, hunc typum sub Pæto pro salute Domitiani dedicasse. Nummus hic cum sequentibus duobus tertii est moduli.

IV.

ΔΟΜΙΤΙΑ ϹΕΒΑϹΤΗ. *Domitia Augusta.* Caput Domitiæ Longinæ, Domitii Corbulonis, fortissimi Neronis tempore ducis, filiæ, Domitiani uxoris.

ΣΜΥΡναίων ΕΦΕσίων ΟΜΟΝΟΙΑ ΑΝΘΥπάτου ΚΑΙϹΕΝνίου ΠΑΙΤΟΥ. *Smyrneorum Ephesiorum concordia sub Cæsennio Pæto proconsule.* Duæ Nemeses stantes, ut supra num. II. discripsi pingi debuisse. Vaillantius pag. 25. male scribit esse duas mulieres tunicatas, quæ jungant dextras, læva hastas tenentes.

Quæ de hoc nummo dici possunt, jam supra dicta sunt, est vero elegantis fabricæ.

V.

ΔΟΜΙΤΙΑ ϹΕΒΑϹΤΗ. *Domitia Augusta.* Caput simile Domitiæ, cum capillamento, ut passim, adscititio.

ΣΜΥΡναίων ΕΦΕσίων ΟΜΟΝΟΙΑ ΑΝΘΥπάτου ΚΑΙϹΕΝνίου ΠΑΙΤΟΥ. *Smyrnæorum Ephesiorum concordia proconsule Cæsennio Pæto.* Diana Ephesia cum mammis & verubus.

In superioribus nummis Smyrnæi deas, alibi quidem cultas, sed apud se præcipue, Nemeses expresserunt, quamvis & Ephesii nomen suum adscripserint. In hoc vice versa Ephesii Dianæ cujus celebratissimus Ephesi cultus & templum fuit admirabile, numen pinxerunt, Smyrnæis nomen itidem suum adponentibus; & sic Pergami signari pari potuit ratione recensitus ille num. III. Domitiæ autem gratum nomen in Oriente fuit propter famam & virtutem patris Corbulonis.

CAESIA.

Gens plebeja fuit, agnoscitur enim M. Cæsius prætor apud Ciceronem pluribus in locis, tribunus plebis A. V. C. DCLXXII. Nomen adepta videtur gens hæc ab oculis cæsiis.

I.

AP. Caput (ut vult Vaill.) Apollinis cum humeris, dextra sagittas vibrantis, caput diadema cingit, literæ vero AP. inter se connexæ sunt.

Lucius CAESI*us*. Lares sedentes cum hastis, superiora nudi, inferiora pellibus caninis vestiti, cane intermedio in parte inferiore, in superiore vero Vulcani caput pileatum cum forcipe conspicitur; ad latera cernuntur literæ A.R. Sed hæ perperam sunt a sculptore exhibitæ, A. & L. enim invicem copulari debent, sicuti R. & E. & ita integre est LARE*s*.

Caput de Apolline explicat Vaillantius, de Vejove Ursinus. Pro argumento Vaillantius adfert literas connexas AP. atque existimat ideo Apollinis caput ad Lares spectare, quod restituti sint ex Apollinis responso ludi compitalitii a Tarquinio Superbo. Compitalitia vero erant ludi sacri Laribus, quod compita & vicos illi servarent. Credit itaque cusum hunc denarium a prætore Lucio Cæsio, putatque eundem L. Cæsium fuisse fratrem M. Cæsii, prætoris A. V. C. DCLXXIX. & Ciceroni sæpius commemorati; eundem itaque ludos compitalitios curavisse, in cujus rei memoriam deos Lares exhibuerit, quibus illi dicati erant; ad cujus sententiæ confirmationem Varronis adducit locum ex lib. V. de L. L. p. 49. *Compitalia, dies attributus Laribus, ut alibi: ideo ubi viæ competunt, tum in compitis sacrificatur; quotannis is dies concipitur.* His verbis (addit) ludos compitalitios ex viis compitarum, in quibus agitabantur, compitalitia appellata fuisse nos edocet. Pergit deinde, Lares fuisse deos domesticos, sicuti Penates &c.

Sciendum vero alios esse Lares Domesticos sive Penates, alios Lares Compitales, alios rurales & viales dictos, qui ideo extra urbem in viis & ruralibus compitis erant & colebantur. Hinc distinctio illa apud Catonem de R. R. cap. V. ubi villici officia enumerat: *Rem divinam nisi Compitalibus in compito, aut in foco, ne faciat.* Hinc & in compitis sacellæ ligneæ iisdem dedicatæ. Dionys. lib. IV. p. 219. de rege Tullio. Ἔπειτα κατὰ πάντας ἐκέλευσε τοὺς στενωποὺς ἱερὰς κατασκευασθῆναι καλιάδας ὑπὸ τῶν γειτόνων ἥρωσι προνωπίοις, καὶ θυσίας αὐτοῖς ἐνομοθέτησεν ἐπιτελεῖσθαι καθ' ἕκαστον ἐνιαυτόν, πελάνους εἰσφερούσης ἑκάστης οἰκίας. *Deinde per omnia compita mandavit, ut viciniæ sacella lignea dedicarent Laribus Compitalibus, & quotannis iis sacra facerent, conferentibus liba singulis domibus.* At in hoc denario Lares Domestici videnter significari. Dein illud de prætore L. Cæsio gratis proponitur, neque probat Vaillantius a prætore pecuniam fuisse signatam. Distinguere vero debuit Vaill. Apollinem ab Apolline; id est, Apollinem, qui hic venit respectu eo, quo Vejovis habet significationem & cultum, ab illo qui vulgari ritu colebatur & dicebatur Apollo. Sic Castor & Pollux noti sunt ut Dioscuri & fe-

licia navigantibus sidera; sed speciali magis cultu inter sacratiora reipublicæ eaant numina, & Dei Patrii & Penates Patrii dicebatur; uti docemus ad fam. Fontejæ num. II. & seqq. Ubi Vejovis quoque caput cernitur *lit.* B. cum adscripto monogrammate AP. literis connexis, ut in hoc nummo, quæ scriptura integre est AP*ollo*, & significat Apollinem Vejovem.

Meliori ergo fundamento nititur Ursini conjectura, Vejovem depingi, quam recte Gelliano firmat testimonio lib. V. cap. 12. *Simulacrum igitur dei Vejovis, quod est in æde, de qua supra dixi, sagittas tenet, quæ sunt videlicet paratæ ad nocendum. Quapropter eum deum plerique Apollinem esse dixerunt, immolaturque illi ritu humano capra, ejusque animalis figmentum juxta simulachrum stat.* Trisulcum itaque fulmen, male a Patino delineatum est, qui etiam diadema capiti inponere neglexit, quod clare omnes exhibent nummi. Vaillantii vero tanto magis miror hoc in loco de Apolline commentum, quod in simili capite nummi familiæ Liciniæ & Vejovem agnoverit & defenderit.

Lares sedent ab altera parte, quibus videlicet tutela foci & domus credita erat. De Geniis, Lemuribus & Laribus operæ pretium est audire Apulejum, cujus hæc sunt verba in lib. de deo Socratis: *Genius est animus humanus exutus & liber stipendiis vitæ corpore suo abjuratis: hunc vetere Latina lingua reperio Lemurem dictitatum. Ex hisce ergo Lemuribus, qui posteriorum suorum curam sortitus, pacato & quieto numine domum possidet, Lar dicitur Familiaris: qui vero propter adversa vitæ merita nullis potitus sedibus, incerta vagatione, ceu quodam exilio punitur, inane terriculamentum bonis hominibus, cæterum noxium malis, hunc plerumque Larvam perhibent: cum vero incertum est, quæ cuique eorum sortitio evenerit, utrum Lar sit an Larva, nomine Manium Deûm nuncupant; honoris gratia dei vocabulum additum est.* Larem itaque Familiarem crediderunt illum qui tutam præstaret domum, unde *Præstites* appellatos fuisse Lares docet Plutarchus in Quæst. Rom. Qu. LI. p. 276. Διὰ τί τῶν Λαρητῶν, οὓς ἰδίως πραιστίτας καλοῦσι, τούτοις κύων παρέστηκεν, αὐτοὶ δὲ κυνῶν διφθέρας ἀμπέχονται; ἢ πραιστῖται μὲν οἱ προεστῶτες εἰσι, τοὺς δὲ προεστῶτας οἴκου φυλακτικοὺς εἶναι προσήκει, καὶ φοβεροὺς μὲν τοῖς ἀλλοτρίοις ὥσπερ ὁ κύων ἐστὶν, ἠπίους δὲ καὶ πράους τοῖς συνοικοῦσιν &c. *Cur Laribus, quos Præstites proprie vocant, canis præficitur, ipsi autem caninis pellibus amiciuntur? An præstites sunt qui præsunt, ideoque custodiam domus ejus curæ, alienisque eos terrori esse par est, domesticis mansuetos? qualis est canum natura. Aut id verius est, quod nonnulli Romanorum dicunt? sicut qui Chrysippum sectantur philosophi, dicunt oberrare quosdam malos genios, quibus loco carnificum dii utantur in puniendis flagitiosis & impiis hominibus: ita Lares genios quosdam esse diros ac furiarum naturæ affines ad puniendum factos, qui in vitas & familias hominum inspiciant. itaque canum exuviis vestiri, & canem eis adsidere, ut callidis scrutari atque ulcisci malorum facinora.* Quibus verbis etiam ratio redditur cur canis, ut fit in nummo, Laribus adponatur, & ipsi caninis villis vestiantur. Ex duplici Plutarchi interpretatione eligo priorem, & puto eandem quoque hoc ipso nummo firmari. Si enim in priori ejus parte Vejovis est effigies, uti esse docuimus, recte *numini lævo*, ut vocat Virgilius *Præstites* hosce Lares oppositos ab altera parte videmus. Quam in rem adponere libet quæ apud Gellium Lib. V. c. 12. sequuntur: *Propterea Virgilium quoque ajunt, multæ antiquitatis hominem sine ostentationis odio peritum, numina læva in Georgicis deprecari: significantem quandam vim esse hujuscemodi deorum in lædendo magis quam in juvando potentem. Versus Virgilii hi sunt* versu 6.

In tenui labor, at tenuis non gloria, si quem
Numina læva sinunt, auditque vocatus Apollo.

Fuere Lares expressi per signa parva, Ovid. Fast. V. 29.

Præstitibus Majæ Laribus videre Kalendæ
Aram constitui, parvaque signa deum.

Idemque, ut Plutarchus, quod omnia in domo tuta præstent, ita vocatos asserit. ibid. versu 133.

Caussa tamen positi fuerat cognominis illis,
Quod præstant oculis omnia tuta suis.

Neque alia ejusdem de cane adposito, quam conveniens maxime nummo explicatio ibid. versu 137.

At canis ante pedes saxo fabricatus eodem
Stabat, quæ standi cum Lare caussa fuit?
Servat uterque domum, domino quoque fidus uterque,
Compita grata deo, compita grata cani.
Exagitant & Lar & turba Diania fures:
Pervigilantque Lares; pervigilantque canes.

Binos quoque semper ut in hoc nummo depictos idem docet, cum gemellos vocet versu 143.

Bina gemellorum quærebam signa Deorum
Viribus annosæ facta caduca moræ.

Restat Vulcani superne caput, cujus forceps adpositus est testimonium. Hoc quoque symbolum egregie Laribus convenit, diis, quibus focus sacer erat, unde *nigros* adpellat Prudentius contra Symm. I. 204.

— — *Unguentoque Lares humescere nigros.*

Juxta focum (ut scribit vetus Scholiastes Horat. Epod. II.) *dii Penates positi fuerunt, Laresque inscripti, idcirco, quod ara deorum Larium focus fuit habitus.* Et *Genium Focorum* dixit Arnobius IV. p. 133. *Hosce a nobis deos violari, Larem, genium focorum?* Non mirum inde percrebuisse opinionem divinæ originis in Servio Tullio, Romanorum postea rege, teste Plinio lib. XXXVI. cap. 27. *Tarquinio Prisco regnante tradunt repente in foco ejus adparuisse genitale e cinere masculini sexus, eamque quæ insederat ibi, Tanaquilis reginæ ancillam Ocrisiam captivam consurrexisse gravidam. Ita Servium Tullium natum, qui regno successit. Inde & in regia cubanti puero caput arsisse visum, creditusque Laris familiaris filius. Ob id compitalia & ludos Laribus primum instituisse.*

Lucius Cæsius autem, ad quem hic denarius spectat, potest esse is quem fratri Marco commendavit Quintus Cicero, ut nos docet M. Ciceronis ep. 2. ex lib. I. ad Fratrem: *Nunc respondeo ad eas epistolas, quas mihi reddidit L. Cæsius, cui, quoniam te ita velle intelligo, nullo loco deero.* Propinquus hic videtur fuisse P. Cæsii, Ciceroni sua & paterna amicitia conjuncti, atque item M. Cæsii necessarii Ciceronis, quem futurum ædilem cum Cicerone filio & Q. fratris filio apud Arpinates, Bruto commendat Ep. XIII. M. item Cæsii alterius, qui prætor fuit A. V. C. DCLXXIV. cum C. Sacerdote. Cudit vero denarium, ut triumvir monetalis, & in eo non alios sed suæ gentis peculiares Lares expressisse videtur; nam & ita lectio hæc concipi potest LARE*s Lucii* CAESI*i*.

CALIDIA.

Calidiam gentem fuisse plebejam docet tribunatus plebis, quem plures ex eadem honorem adepti sunt. Quod recte contra Ursinum demonstrat Vaillantius.

I.

ROMA. Romæ caput galeatum.
Marcus CALID*ius*. *Quintus* MET*ellus*.
Cnæus

CNeus FOVL*vius*. Victoria cum corolla in citis bigis.

Typus hujus denarii consuetus & vulgaris est. M. Calidius autem qui cum Metello & Fulvio triumviri monetalis titulum honorum habuit incrementum, filius fuit Q. Calidii, cujus rogatione, ut tribuni plebis, ab exsilio revocatus est Q. Metellus Numidicus; quique, quum post præturam ex Hispania provincia rediens, accusante Q. Gallio damnatus esset, judices suos corruptelæ labe hoc dicterio adspersit, *minoris* H. S. XXX. *prætorium hominem honeste damnari non posse*. Summa vero laude artis oratoriæ hunc Calidium filium floruisse Quintiliani & Ciceronis luculenta ostendunt testimonia. Cæsarianas secutum partes, Placentiæ obiisse scribit Eusebius, quum Togatam Galliam regeret. Vaillantii vero παρόραμα seu ἁμάρτημα μνημονικὸν insigne est, dum scribit ad Cæsarem ivisse cum Antonio & Curione, teste Orosio. Orosius enim Calidii nullam facit mentionem, sed Cælii lib. VI. cap. 15. *M. Antonius & Q. Cassius, tribuni plebis, pro Cæsare intercedentes, interdicente Lentulo consule, curia foroque probibiti, Curione Cælioque simul comitantibus*. Agitur autem ibi de M. Cælio Rufo discipulo Ciceronis, cui mentem meliorem, vitam longiorem optavit Quintilianus VI. 4. Periit is in bello civili.

CALPVRNIA.

Gens Calpurnia, plebeja quidem, sed tamen summæ fuit antiquitatis; a Calpo enim Numæ filio originem repetiit. Cognomina fuere Asprenas, Bibulus, Flamma, Piso. Pisones Frugi passim dicti fuerunt. Bibuli vero & Pisones tantum, non alii, in nummis Morellianis occurrunt.

TAB. I.

I.

Caput Apollinis laureatum cum denarii nota, retro caput lampas cernitur columellæ adfixa.

Lucius PISO *Lucii Filius* FRVGI. Eques desultor citato equo decurrens, dextra tridentem erectum tenet, læva habenas; desuper in area nummi porrectus tridens cernitur.

Consentiunt eruditi in memoriam ludorum Apollinarium cusos hosce denarios esse, qui hodieque numero incredibili, & mira adpictorum signorum varietate, singularis omnes artificii, inveniuntur. Cura ludorum horum ad prætorem urbanum pertinebat. Hinc omnes hi denarii cum Lucii Pisonis nomine adjudicantur Lucio Pisoni Frugi, filio L. Calpurnii Pisonis Frugi. Pater hic Lucius post quæsturam tribunus plebis factus est, ædilitatem deinde obtinuit, & tandem prætor urbanus factus A. V. C. CDXLI. ludos hosce Apollinares Vaillantio edidisse videtur, atque varia decursionum genera iisdem addidisse, sicuti ex innumeris filii Lucii denariis patet. Avus fuit Cajus Piso prætor urbanus A. V. C. DXLII. sub cujus prætura accidit, ut ludi Apollinares antea votivi & incerti, statis temporibus & in perpetuum voverentur & celebrarentur. *Ludi Apollinares* (verba sunt Livii XXVI. 23.) *& priore anno fuerant, & eo anno ut fierent, referente Calpurnio prætore, senatus decrevit ut in perpetuum voverentur*. Instituti videlicet erant jam ante proximo anno DXLI. coss. Q. Fulvio Flacco & Appio Claudio Pulchro, teste Livio lib. XXV. cap. 12. & Macrobio lib. I. Saturnal. cap. 17. qui copiose rationem institutionis reddunt.

Certum vero est ex inscriptione denarios hos ad L. Calpurnium Pisonem, L. filium C. nepotem pertinere: typus vero ad quem spectet non convenit inter antiquarios. Ursinus ad primam sub Cajo institutionem refert, Vaillantius autem Caji filio Lucio, Lucii hujus patri adjudicat, idque miro conatur confirmare argumento „ Fulvius (inquit) hunc denarium & sequentes ad L. Pisonem L. filium Frugi, consulem cum P. Mucio Scævola, A. V. C. DCXXI. revocat, quem in quæstura percussisse dicit in memoriam avi sui C. Pisonis prætoris, anno DXLI. (ita repone) quo referente ad senatum, ex Livio, ut ludi Apollinares, antea votivi & incerti in perpetuum voverentur: Sed illi (addit Vaillantius) *ex eodem auctore*, scenici erant, ut ex his verbis liquet: *P. Sulpicio, Cn. Fulvio coss. C. Calpurnio Pisone prætore urbis facientes ludos, quum Romani subito ad arma exiissent nunciato adventu hostium, victoresque in theatrum rediissent, solliciti, ne intermissi religionem adferrent, instaurandique essent, inventus ibi est C. Pomponius libertinus, mimus magno natu, qui ad tibicinem saltaret*.„ Hæc qui legit apud Vaillantium illa *ex eodem auctore* necessario de Livio intelligere debet, apud quem tamen frustra quæras, nec mirum, exstant enim ex Verrio desumta apud Festum Pompejum pag. 236. in illis *Salva res est dum saltat senex*. Mireris facilius hunc viri doctissimi stuporem quam unde id illi in mentem venerit expisceris. Ego crediderim ex Pighio (unde sua pleraque corrasit) festinantius lecto illi accidisse. Ille enim Tom. II. p. 182. post adlatum hunc Festi locum ita concludit: „ Sic autem ex Verrio Flacco Pompejus Festus, demonstrans his consulibus & ludis Apollinaribus secundis, ut Livius etiam congruit, hæc accidisse„ Vult Pighius innuere id etiam auctoritati Livii niti, accidisse scil. hoc factum quod narrant Verrius & Festus, Apollinaribus ludis secundis, consulibusque nominatis. Vaillantius, quasi totidem verbis narratiuncula hæc apud Livium quoque exstaret, accepit. Non eodem modo traditam hanc historiam fuisse a veteribus ex diversis inter se Servii locis adparet. Nam aliam proverbii rationem reddit ad Virg. Æn. III. 279. *Sciendum sane, moris fuisse, ut piaculo commisso ludi celebrarentur: nam cum Romani iracundia Matris deum laborarent, & eam nec sacrificiis, nec ludis placare possent: quidam senex, statutis ludis Circensibus, saltavit: quæ sola caussa fuit placationis. Quamvis* (additur mox, sive hoc a Servio sit, sive ab alio) *hæc ex alio ordine & alia ex caussa narretur historia*. Ordinem & caussam scilicet innuit, quæ exstabat olim apud Verrium Flaccum, & quam ipse quoque refert ad Virg. Æn. VIII. 110.

Consurgunt mensis. Audax quos rumpere Pallas
Sacra vetat.

Ubi Servius, *ne interruptione sacrificii (rumpere enim pro interrumpere posuit) piaculum committeretur, unde etiam Helenus,*

Ne qua inter sanctos ignes in honore deorum,
Hostilis facies occurrat & omina turbet.

Denique quum ludi Circenses Apollini celebrarentur, ut Annibal nunciatus est circa portam Collinam urbi ingruere, omnes raptis armis concurrerunt. Reversi postea, cum piaculum formidarent, invenerunt saltantem in circo senem quendam: qui quum interrogatus dixisset se non interrupisse saltationem, dictum est hoc proverbium: Salva res est, saltat senex. Hæc ibi Servius. At si prior Servii narratio vera est, factum id fuit non ludis Apollinaribus sed Mega-

 lensi-

lenſibus, qui ludi in Matris Magnæ honorem inſtituti erant.

Unde hæc diverſitas apud ſcriptores & quo pacto conciliari poſſit, hujus inſtituti non eſt; locos adduximus, ut oſtenderemus, argumentum illud Vaillantii, quo probare conatur ludos illos Apollinares fuiſſe ſcenicos, qui ſub Cajo Calpurnio Piſone conſtituti & celebrati fuerint, infirmo tibicine niti, quum fuerint omnino equeſtres, & in circo, loco hisce ludis aptiſſimo, celebrati; adeoque multo eſſe veriſimilius L. Piſonem qui denarios cudit, circenſes hosce ludos & equeſtria certamina expreſſiſſe in honorem avi ſui Caji Piſonis, quo prætore tanti momenti res acciderat, ut votivi ante ludi & incerti, quotannis poſtea celebrarentur; quam in honorem patris Lucii, qui in prætura ſua nihil, quod adtinet ad hosce Apollinis ludos, habuerat, quod non porro quivis prætor quotannis haberet. De ludis vero hisce equeſtribus conſuli meretur Spanhemius tom. II. p. 131.

Supereſt ut aliquid dicam de varietate typorum. In hoc denario cernitur eques dextra tridentem ferens, in ſequentibus duobus accenſam facem, in quatuor prioribus tab. IV. gladiolum, in pluribus vero palmam vel flagrum. Poſteriorum horum ratio in promtu eſt, ſed reliquæ picturæ videntur nos docere velle varia admodum hæc fuiſſe certamina, dum alii decurrerent dextra tridentem ferentes, alii lampadem ſeu facem, alii gladiolum, quæ cuncta uſum ſuum atque delectamentum habuerunt.

Notæ etiam monetales, quæ paſſim adparent, ad diverſitatem officinarum monetalium referendæ videntur, de quibus quoniam nihil adhucdum ſtatuerint eruditi, maxima quæ in hisce occurrit diverſitas docere forſan poſſit, a ſingulis diis vel deabus nomen ſortitas easdem officinas, inde aliquod quoque ſymbolum numini ſuo conveniens in denariis expreſſiſſe. Lampas a parte capitis Apollinei, denarium hunc ad monetalem Veſtæ officinam revocare videtur, poſſet & tridens in averſa poſitus ad Neptunum nos ducere, ſed is videtur ibi adpoſitus propter equitem tridentiferum.

Litera A.

Caput idem Apollinis cum denarii nota, retro noctua cernitur, omnia in corona laurea.

PISO FRUGI. ſubintellectis videlicet prænomine &c. *Lucius Lucii filius.* Eques dextra ardentem facem geſtans, deſuper eſt caput viri & feminæ conjunctum.

A Græcis crediderim morem hunc receptum fuiſſe apud Romanos, ut in Apollinaribus quidam deſultores equites cum facibus accenſis decurrerent. In Panathenaicis enim minoribus inter alia certamina equeſtre quoque erat, in quo noctu lampade certare ſolebant. Meminit certaminis hujus Ariſtophanes in Ranis verſu 130.

ΗΡ. Ἀναβὰς ἐπὶ τὸν πύργον τὸν ὑψηλόν. ΔΙ. Τί δρῶ;
ΗΡ. Ἀφιεμένην τὴν λαμπάδ᾽ ἐντεῦθεν θεῶ,
Κἄπειτ᾽, ἐπειδὰν φῶσιν οἱ θεώμενοι
Εἶναι, τόθ᾽ εἶναι καὶ σὺ σαυτόν.

HER. *Inſcende turrim illic excelſam.* BA. *Quid ibi agam?*
HER. *Dein illam illic facem deſpecta, & poſtea,*
Cum decurſores juſſerint demittere
Facem, tum & tu præcipitem te demittito.

Ubi conſuli debet Scholiaſtes, qui itidem ad verſum 1125. notat id Athenis fieri ſolitum fuiſſe in Ceramico.

Et in hoc quidem denario præterea notari meretur noctua in parte priori, caput vero biceps in poſteriori, quæ itidem obſervantur tab. IV. num. 1. & confirmare videnter opinionem meam de officinis monetariis numinum certorum appellatione inſignitis. Unde hunc denarium revoco ad officinam Minervæ Cecropiæ, cujus rei ſunt teſtes noctua deæ conſecrata, & caput geminum, virili ſimul & muliebri facie, Cecropen deſignans Athenienſem, qui primus connubii apud populares ſuos jura inſtituiſſe dicitur, & quem ideo hac ipſa pictura gemini capitis & diverſarum facierum expreſſerunt Athenienſes in rarioribus & antiquioribus ſuis monetis, quales ex ære aliquot ſervo, & unum itidem æreum publicavit Haymius in Theſauro Britannico parte prima p. 156. & argenteum alterum, ibidem p. 161.

Litera B.

Apollinis idem caput, cum ſtella ad mentum, retro eſt inverſa bipennis.

Lucius PISO FRVGI ROMA. Eques idem.

Aſtrum quod Apollini adponitur, dubitare nos non ſinit, quin ad Apollinis officinam referri debeat, ſed quid bipennis poſt dei caput? Cernitur in nummis Tenediorum omnibus ejusmodi ſecuris ab altera parte, ab altera caput tale, quale in priori nummo obſervavimus; ſymbola præterea obſervavi pariter in editis nummis atque in ineditis, quæ ad Apollinem, Bacchum & Minervam ſpectent; murem, lyram, pharetram, botrum, noctuam. Ex quibus patet Apollinis Sminthei apud Tenedios cultus, & Tenedii ſecuris celebritas, atque in adulteros pœna. Unde forſan non erravero ſi Apollinis Tenedii ex denario hoc officinam agnoſcam.

II.

Caput Apollinis idem, ſub mento eſt litera N.

Lucius PISO FRVGI. Eques deſultor, dextra equi habenas tenens, læva palmam ſuper humeros; deſuper eſt aratrum.

Eques hic palmam gerens noſcitur victor in ludis Apollinaribus; aratrum Cereris denotat officinam, litera N. matricis forte notam, plurimæ enim alphabeti literæ in denariis ita poſitæ inveniuntur.

Litera C.

Caput idem Apollinis, retro illud figura eſt obſcurior.

Lucius PISO FRVGI. ROMA. Eques deſultor; deſuper eſt urceolus, ſive diota, quæ quum paſſim noctuæ pedibus in nummis Atticis ſupponi ſoleat, denarium hunc ad Cecropiæ Minervæ officinam revocare poterit.

III.

Caput idem Apollinis, retro anguis eſt.

Lucius PISO FRVGI. Victoria gradiens, dextra demiſſa corollam gerit, læva palmæ ramum ſuper humeros repoſitum geſtat.

Recte quinarios hosce explicavit Vaillantius, Victoriam videlicet illam non pertinere ad aliquam victoriam a Piſonibus relatam, ſed ad victoriam, quam conſecuti fuerunt Romani tum, quum ludi hi Apollinares celebrarentur, & repentino hoſtium adventu cogerentur Romani urbe egredi

&

& propulſare hoſtes ingruentes. Unde Livius Lib. XXVI. c. 23. *Hæc eſt origo ludorum Apollinarium, victoriæ, uon valetudinis ergo.* atque Macrobius I. Saturn. cap. 17. *Noſtris quoque continetur annalibus ſimilis ejusdem dei præſentiæ majeſtas. Nam cum ludi Romæ Apollini celebrarentur, ex vaticinio Marcii vatis carmineque Sibyllino, repentino hoſtis adventu plebs ad arma excitata occurrit hoſti; eoque tempore nubes ſagittarum in adverſos viſa ferri & hoſtem fugavit, & victores Romanos ad ſpectacula dei ſoſpitalis reduxit: hinc intelligitur, prælii cauſſa, non peſtilentiæ, ſicut quidam exiſtimant, ludos inſtitutos.*

Anguis Æſculapii officinam monetalem deſignare videtur.

IV.

Caput Apollinis idem, retro eſt caduceus.

Lucius PISO FRVGI. Victoriæ typus, ut ſupra. Caduceus ad Mercurii officinam nos ducit, reliqua jam dicta ſunt.

V.

Caput Apollinis idem. retro legitur *Lucius* PISO.

Lucius PISO FRVGI. Equus ſine ſeſſore feſtinanter currens.

Inſcriptio, quæ ab utraque parte eſt, ita conjungi poteſt, ut legatur *Lucius* PISO *Lucii* PISO*nis* FRVGI ſcil. *filius*. Tunc vero referri deberet denarius ad Lucium Calpurnium Piſonem Frugi, qui prætor in Hispaniis cæſus eſt, & paternæ frugalitatis inſignis fuit imitator; cuſus vero eſſet in quæſtura ejus provinciali A. V. C. DCXXX.

Equus ſingularis qui hic exſtat ſine ſeſſore, vel ſimpliciter ludos Apollinis equeſtres indicare poteſt, vel nobilitari per victoriam, quam adeptus fuerit, ſeſſore jam delapſo, in cujus rei teſtimonium frænum adhuc & capiſtrum gerat. Foretque hic caſus ſimilis illi, quem Græci teſtantur accidiſſe ludis Eleis ſive Olympicis, quibus Aura, Phidolæ equa, aliquando victoriam ſine ſeſſore adepta fuit, & ob id una cum domino ſtatuam meruit, teſte Pauſania lib. VI. pag. 484. Ἡ δὲ ἵππος ἡ τοῦ Κορινθίου Φειδώλα, ὄνομα μὲν (ὡς οἱ Κορίνθιοι μνημονεύουσιν) ἔχει Αὔρα, τὸν δὲ ἀναβάτην ἔτι ἀρχομένου τοῦ δρόμου συνέπεσεν ἀποβαλεῖν αὐτήν, καὶ οὐδέν τι ἧσσον θέουσα ἐν κόσμῳ περί τε τὴν νύσσαν ἐπέστρεφε, καὶ ἐπεὶ τῆς σάλπιγγος ἤκουσεν, ἐπετάχυνεν ἐς πλέον τὸν δρόμον, φθάνει τε δὴ ἐπὶ τοὺς Ἑλλανοδίκας ἀφικομένη καὶ νικῶσα ἔγνω, καὶ παύεται τοῦ δρόμου. Ἠλεῖοι δὲ ἀνηγόρευσαν ἐπὶ τῇ νίκῃ τὸν Φειδώλαν, καὶ ἀναθεῖναί οἱ τὴν ἵππον ταύτην ἀφιᾶσιν. *Phidolæ Corinthii equa, cui Auræ nomen fuiſſe memorant Corinthii. Hæc, ab ipſis ſtatim carceribus ſeſſore ſuo collapſo, & curſum æque ac ſi rectorem haberet retinuit, & circa metam ſe convertit; audito vero tubæ ſonitu ad curſum concitata eſt vehementius: quumque ad ludorum præfectos antevertiſſet, jam victoriæ ſe quaſi compotem intelligens, conſtitit. Elei, Phidola victore renunciato, ei, ut & equæ ſimulacrum dedicaret, conceſſerunt.* Ridicule vero Begerus credidit Auram equum ſe in numiſmatis inveniſſe; namque Theſ. Brand. tom. I. pag. 287. nummum argenteum profert cum capite Martis galeato, a cujus altera parte equi acris caput eſt, & circa collum ſeu potius in collari ejus ſunt literæ ΥΡΕ. At vero ΥΡΕ & ΑΥΡΑ quantum differunt? dein, a quo populo vel urbe cuſus eſt nummus privati hujus Phidolæ, cujus equa caſu vicit? quid Martis in illo caput. Breviter, pertinet nummus ad Hyream ſeu Hyrieam Græciæ urbem prope Aulidem, non longe a mari, deſcriptam Straboni lib. IX. p. 404. cujus incolæ ΥΡΕων vel ΥΡΙΕων nomine in nummo adpellantur. Quod vero addit Begerus, de nominibus equorum in nummis adſcriptis, dictum ab illo, non probatum eſt, nam quæ ut equorum nomina, ex Morellii noſtri Specimine tab. III. num. 3. adducit, AMOR & TOXXOTES. illa inveniuntur in nummis Contorniatis poſt Conſtantinum & Theodoſium cuſis; nequaquam in iis, qui antiquioribus temporibus prodierunt.

Hic vero denarius, ſi cuſus eſt a Lucio Piſone Frugi, filio ejus Lucii, qui primus Frugi ob mores frugales agnomen accepit, in eo abavi ſui Caji memoriam celebravit, quo prætore decretum eſt, ut quotannis ludi Apollinares celebrarentur.

VI.

Caput Apollinis laureatum, retro tres ſunt globuli.

Lucius PISO. Anchora & temo navis decuſſatim poſiti.

In æreo hoc nummulo, qui quadrans, ex notis tribus ſive globulis colligitur, cognomen Frugi, quod hactenus habuimus, non adparet. Cognomen illud datum eſt L. Piſoni L. filio Caji nepoti, poſtquam ſortitus præturam provincialem, ſumma ibi cum frugalitate verſatus fuiſſet, & pecuniæ reliquum, ad annonam comparandam, Romam remiſiſſet, quod contigit A. V. C. DXCIX. vel, ut alii volunt, poſtquam conſul creatus cum P. Mucio Scævola A. V. C. DCXX. Siciliam provinciam obtinuiſſet, ubi bellum proſpere cum fugitivis geſſit, atque ob abſtinentiam cognomen Frugi accepit. Laudat continentiam ejus Valerius Maximus lib. IV. cap. 3. exemplo 10. *Fabiorum & Ogulnii continentiæ Calpurnium Piſonem in conſimili genere laudis æmulum fuiſſe res ipſa documento eſt. Conſul gravi fugitivorum bello a ſe liberata Sicilia, eos, quorum præcipua opera uſus fuerat, imperatorio more donis proſequebatur: Inter quos filium ſuum locis aliquot prœliatum fortiſſime, titulo trium librarum aureæ coronæ decoravit, præfatus non oportere a Magiſtratu e publica pecunia erogari, quod in ipſius domum rediturum eſſet: tantumque ponderis ſe teſtamento adoleſcenti legaturum promiſit: ut honorem publice a duce, pretium a patre privatim reciperet.*

Si vero ante illud tempus, quo agnomen Frugi recepit L. Calpurnius Piſo, cuſus nummus eſt, ſtatui debet ſignatus eſſe in initio quæſturæ ejusdem provincialis A. V. C. DXCIX. & ſatis conveniens eſt typus averſæ partis, temo cum anchora, ad denotandam aliquam victoriam navalem a gentili ſuo reportatam, quam ſtatuit Vaillantius relatam ad Tagum de Celtiberis, ab altero Piſone, avo ſcilicet, & eodem Cajo, de quo ſæpius ſupra actum eſt.

VII.

Caput Jovis Capitolini laureatum, cum S. ſemiſſis nota.

Lucius PISO FRUGI. Prora navis cum nota pariter ſemiſſis.

Semiſſem hunc, ut & aſſem ſequentem refert Vaillantius ad Lucii Piſonis ſuperioris filium, Lucium itidem dictum, & paternæ frugalitatis ſicuti & agnominis hæredem. Quæſtor hic provincialis fuit A. V. C. DCXXX. quo conſul Q. Cæcilius Metellus, Q. filius, Baleares piratas devicit, atque inde Balearici agnomen accepit. Metelli ejus quæſtor provincialis videtur fuiſſe hic Piſo, & ſemiſſes quidem cum ſolita proræ navis nota cudiſſe in ipſius expeditionis navalis uſum,

usum, post victoriam vero addidisse rati insistentem deam, prout in sequenti asse adparet. Unde forsitan non erraverim, si præcedentem nummulum, sive quadrantem, qui tropæum navale habet, a patre Lucio ad hunc filium Lucium revocem, atque statuam ab eo ut quæstore signatam in eodem nummulo victoriam consulis Metelli navalem de Balearibus, cui certe magis convenit tropæum navale, quam victoriæ Caji Pisonis de Celtiberis, quam gratis supponit Vaillantius fuisse navalem, & ad Tagum flumen relatam; quum utique hæc Balearica victoria navalis fuerit, & uno certamine navali parta, ut luculenter testatur Florus lib. III. cap. 8. *Baleares per idem tempus insulæ piratica rabie corruperant maria. Homines feros atque silvestres mireris ausos a scopulis suis saltem maria prospicere. Adscendere etiam inconditas rates, & prænavigantes subinde inopinato impetu terruere. Sed cum venientem ab alto Romanam classem prospexissent, prædam putantes, ausi etiam occurrere: & primo impetu, ingenti lapidum saxorumque nimbo classem operuerunt. Tribus quisque fundis præliatur: certos esse quis miretur ictus, cum hæc sola genti arma sint: id unum ab infantia studium. Cibum puer a matre non accipit, nisi quem ipsa monstrante percussit. Sed non diu lapidatione terruere Romanos: postquam cominus ventum est, expertique rostra, & pila venientia, pecudum in morem clamore sublato, petierunt fuga littora: dilapsique in proximos tumulos, quærendi fuerunt, ut vincerentur.*

Neque me a sententia dimovet non adscriptum Frugi agnomen; quum sit notissimum, cognomina & agnomina modo omissa fuisse in nummis, modo sola, omissis reliquis nominibus, collocata.

VIII.

Caput Jani geminum, barbatum, cum remo ad tempora adsurgente, vel floris calice, quod sicut illi coronarum inventio, sic & horticultura forsan adsignata fuerit.

Lucius PISO FRVGI. Victoria proræ ratis insistens, dextra corollam præfert, læva palmam super humeros tenet.

Quo assis hic typus pertineat, modo diximus. Lucius autem hic Piso, filius Pisonis Consulis, qui Frugi primus cognomen tulit, postea prætor in Hispania periit, paternæ virtutis hæres, & cui hoc testimonium a Cicerone datur, quod, ut luculentum huic familiæ, integrum adscribere ex lib. IV. in Verrem Orat. V. cap. 25. non gravabor. *O tempora, o mores! nihil nimium vetus proferam. Sunt vestrum, judices, quam multi, qui L. Pisonem cognoverunt, hujus L. Pisonis, qui prætor fuit, patrem, is cum esset in Hispania prætor, qua in provincia occisus est, nescio quo pacto, dum armis exercetur, annulus aureus, quem habebat, fractus est & comminutus. cum vellet sibi annulum facere, aurificem jussit vocari in foro, ad sellam, Cordubæ, & ei palam appendit aurum. hominem in foro sellam ubet ponere, & facere annulum, omnibus præsentibus. Nimium fortasse dicet aliquis hunc diligentem. hactenus reprehendat siquis volet: nihil amplius. verum fuit ei concedendum. filius enim L. Pisonis erat ejus, qui primus de pecuniis repetundis legem tulit. Ridiculum est nunc de Verre me dicere, cum de Pisone Frugi dixerim. verum tamen quantum intersit, videte. iste cum aliquot abacorum faceret vasa aurea, non laboravit, qui non modo in Sicilia, verum etiam Romæ in judicio audiret; ille in auri semuncia totam Hispaniam scire voluit, unde prætori annulus fieret. nimirum, ut hic nomen suum comprobavit: sic ille cognomen.*

Quanta vero hic Piso, juvenis adhuc, indolis atque fortitudinis præclara documenta sub patre consule in Sicilia dederit, ex Valerii loco, paulo ante adlato, patere potest.

TAB. II.

I.

Caput Apollinis est laureatum, retro palmæ ramus est.

Caius PISO, *Lucii Filius*, FRVGI. Desultor in equo, quem flagro urget; desuper est litera F.

Lucium Pisonem L. filium cum equitis desultorii effigie hactenus vidimus; jam Cajus antiquitatem & laudem eandem in denariis suis ostentat, fuit enim & ipse Lucii filius, dicti Lucii frater, nepos Lucii & Caji pronepos. Vita brevior honores ampliores non indulsit, adspirare tamen potuit ad Bithyniæ & Ponti quæsturam. Ciceronis filiam Tulliolam, quæ postea Furio Crassipedi nupsit, uxorem habuit, atque ita socerum M. Tullium Ciceronem, a quo ob pietatem pluribus in locis commendatur, ut Epist. lib. XIII. 31. & 1. ad Attic. 6. in Bruto cap. XXXVIII. Orat. in Vatin. XI. Post Red. ad Quirit. III. & Post Red. in Senatu XV. hisce verbis: *Alter fuit propugnator mearum fortunarum, & defensor adsiduus, summa virtute, & pietate, C. Piso, gener: qui minas inimicorum meorum: qui inimicitias affinis mei, propinqui sui, consulis: qui Pontum & Bithyniam quæstor pro mea salute neglexit.*

Ramusculus lauri Apollinis indicat officinam, litera F. notam matricis.

Litera A.

Caput Apollinis laureatum, retro serpens est caduceo circumvolutus.

Caius PISO *Lucii Filius* FRVGI. Eques desultor cum palma, desuper spica est.

Protulit denarium hunc Goltzius in Fastis ad A. V. C. DCLXXXVI. consulibus C. Calpurnio Pisone & M. Acilio Glabrione. Vaillantius tamen, qui omnes nummos Goltzianos recepit, atque cum cura disposuit, hujus typum neglexit. Morellius hoc loco ponens, docet visum a se, adeoque dubiæ fidei Goltzianis, quales sunt plurimi, esse eximendum. Ad consulem vero C. Pisonem cum Goltzio referre non placet, quod de eo non constet, Luciine fuerit filius, & Frugi habuerit agnomen. Puto ad generum Ciceronis, ut superiorem spectare; quem Ciceronis generum erronee Ursinus consulem illum fuisse existimat pag. 57. Serpens involutus caduceo ad Mercurium & Æsculapium spectare potest, sicuti ad Cererem arista, unde forte colligere licet inter tres illas officinas monetarias aliquam fuisse conjunctionem.

II.

Dei Termini statua sive signum, hinc corolla, inde capeduncula visitur.

Marcus PISO *Marci Filius* FRVGI. Discus seu patera & culter in laurea.

Agnoscitur prætor quidam Marcus Calpurnius Piso, apud Pighium A. V. C. DCCIX. C. Julio Cæsare dictatore IIII. qui idem esse vix potest atque hic M. Piso, qui, quod a Pupio adoptatus fuit, Pupii

Pupii quoque nomen suis gentilitiis inseruit. Hunc enim M. Pupium Pisonem Asconius Pedianus describit, ut senem jam eo tempore, quo Cicero, in disciplinam ipsi tradendus, adhuc esset juvenis. Verba Asconii Pediani hæc sunt ad cap. XXVI. orat. Cic. in Pisonem: *Fuit autem, ut puto jam nos dixisse, Pupius Piso iisdem temporibus, quibus Cicero, sed tanta ætate major, ut adolescentulum Ciceronem pater ad eum deduceret, quod in eo & antiquæ vitæ similitudo, & multæ erant literæ; orator quoque melior quam frequentior habitus est. Biennio tamen serius, quam Cicero, consul fuit. Triumphavit pro consule de Hispanis, Q. Hortensio, Q. Metello Cretico coss. ante Ciceronis consulatum.* Fuit itaque consul hic M. Pupius Piso (quod nomen retinuit in Calpurniæ gentis pristinæ indicium) cum M. Valerio Messala Nigro A. V. C. DCXCII. & proconsule de Hispanis triumphavit A. V. C. DCLXXXIV. Quem triumphum a Lucio Pisone irrisum fuisse ostendit Cicero oratione laudata cap. XXVI. *Irrisa abs te paullo ante M. Pisonis cupiditas triumphandi, a qua te longe dixisti abhorrere; qui etiamsi minus magnum bellum gesserat, ut abs te dictum est, tamen istum honorem contemnendum non putavit. Tu eruditior quam Piso?* Pupium itaque dictum fuisse M. Pisonem docet Asconius, rationem nominis & historiam dat ipse Cicero in orat. pro domo cap. XIII. *Non ætas ejus, qui adoptabat, quæsita est, ut in Cn. Aufidio, M. Pupio: quorum uterque nostra memoria, summa senectute, alter Orestem, alter Pisonem adoptavit; quas adoptationes, sicut alias innumerabiles, hæreditates nominis, pecuniæ, sacrorum secutæ sunt.*

Ad hunc M. Pupium Pisonem, quem quidam insuper vocant Calpurnianum, denarium hunc atque sequentem pertinere cum Ursino vix credo. Fuisset enim aliqua adoptivi nominis nota adposita, verum judico tribui debere M. Calpurnio Pisoni, qui prætor fuit C. Julio Cæsare dictatore quartum, & ad quem quoque pertinet inscriptio ab Ursino adlata, & perperam M. Pupio Pisoni vindicata, quamque postea Trajanus imperator restituit. Est vero talis,

M. CALPVRNIVS M. F. PISO FRVGI PR. EX S. C.
FACIVNDVM . CVRAVIT EIDEMQVE PROBAVIT.
IMP. CÆSAR DIVI NERVAE F. NERVA
TRAIANVS AVGVSTVS GERMANICVS
DACICVS PONTIF. MAXIMVS TRIB. POT. XIII.
IMP. VI. COS. V. P. P. OPERIBVS AMPLIATIS RESTITVIT.

Nisi tamen hic M. Pupius Piso extrema & effæta ætate prætor urbanus constitutus fuerit. At vero, sicuti ad denarii inscriptionem adferri posset, cusum forte antequam Pupii nomen per adoptionem adsumeret Piso, sic argumentum idem ratione inscriptionis valere nequit, quæ prætori jam seni, si ad Pupium Pisonem pertineret, posita foret.

Hisce permotus rationibus, denarium, de quo agimus, spectare puto ad M. Calpurnium Pisonem Frugi, qui prætor tempore Julii Cæsaris fuit, & cujus mentio fit in superiori inscriptione, fratrem forte minorem natu, vel fratris filium istius Calpurnii, qui Pupio sese adoptandum dederat.

De Typo horum denariorum ad sequentem acturi sumus, notasse contenti, duos hosce M. Calpurnii denarios, quos Ursinus & Patinus exhibuerant, per incuriam a Vaillantio neglectos fuisse.

III.

Caput dei Termini cum diademate alato, ad cujus humeros, seu inferiorem colli partem, cernitur quo pacto capita talia terminis sive hermis per gomphos & clavos trabales adfigi solebant. Adsunt stella, corolla, & capeduncula.

Marcus PISO FRVGI. Patera & cultellus, in laurea.

Instrumenta hæc, sicuti & capeduncula, ad sacra spectant, & institutionem sacrorum sub Numa rege, a quo quoniam per Calpum filium originem suam trahere videri volebant Calpurnii, ideo sacrorum instrumenta hic Piso expressit. Eadem ratio est dei Termini in hoc & superiore denario, cui videlicet sacellum in colle Tarpejo Numa erexit teste Dionys. Halicarn. lib. II.

Observari tamen meretur pictura Morelliana, a prioribus discrepans editionibus, neque enim tantum foramen illud in collo neglexerunt, & tanquam velamentum esset humeri, depinxerunt, sed etiam alam ex diademate prorumpentem non agnoverunt. At unde ala deo Termino? qui utique immobilis est & avolare nequit nec debet, quare & sine alis Victoriam suam pinxerunt quondam Athenienses. Symbolum est claritatis & potentiæ, ut nummis Seleuci, Antiochi & Prusiæ palam fit. Scilicet nec ipsi Jovi Capitolino limitum ille potens deus cedere voluit, quum reliqua numina, temporibus Tarquinii Superbi, carminibus ex ædiculis suis in Tarpejo monte evocarentur, ut Livius, Augustinus, Dionysius & plurimi alii testantur.

Laurea corolla & stella adposita, me judice, ad Apollinem pertinent, & ludos Apollinares (ut plurimi ex hac gente denarii) Calpurniæ familiæ decus, respiciunt.

IV.

Caput Romæ cum denarii nota.

CN*eus* CAL*Purnius*. Dioscuri in equis, subtus est ROMA.

In gente Calpurnia, quæ Pisonis cognomen habuit, tres Cneos memorant historici. Primus est ex hisce Cn. Calpurnius, L. filius, L. nepos, Piso; ædilis plebis A. V. C. DCVII. prætor urbanus A. V. C. DCX. annoque post prætor provincialis, consul A. V. C. DCXIV. cum M. Popilio Lænate. Secundus, Caji filius & Caji nepos dicitur, fuitque tribunus plebis A. V. C. DCXCIII. una cum P. Plautio Hypsæo, L. Pomponio Molone, & M. Minutio Sabino. Ex quibus Plautius quæstor fuit, reliqui tres legati proquæstore Cn. Magni in Asia fuerunt, unde & in Pompeji Magni denariis pleraque eorundem nomina exstant. Tertius, Cnei filius, & Cnei pariter nepos, fuit consul cum Augusto, suffectus in locum demortui Terentii Varronis Murenæ A. V. C. DCCXXX. & pater exstitit Cnei Pisonis ejus, qui in Syria Germanicum veneno sustulit.

Patet ex nominibus paternis, ad nullum ex hisce, nisi ad priorem, spectare hunc denarium posse, qui simplicem & veterem Dioscurorum typum præfert. Filius itaque fuit L. Pisonis apud Achæos legati A. V. C. DLVI. nepos L. Pisonis, qui filius fuit C. Pisonis, familiæ hujus principis. Ad hanc vero familiam non videtur pertinuisse cognomen Frugi, quod alia familia ex eadem gente hactenus in nummis tulit. Cusus est denarius hic in

in quæstura Calpurnii, provinciali ſcilicet, juxta Vaillantium A. V. C. DXCIX. Sed non adtendit vir doctus ad ſubſcriptionem ROMA. quæ docet in urbe cuſum. Quare tutius eſt ſtatuere a Cn. Calpurnio in priore ejus magiſtratu, triumviratu monetali videlicet, cuſum fuiſſe, niſi dicamus eundem quæſtorem deſignatum, denarios hosce ſuo jam nomine Romæ cuſos, ſecum in provinciam adtuliſſe.

V.

CN*eus* PISO PROQ*uæſtore*. Caput Numæ regis, quod teſtatur inſcriptio diadematis NVMA.

MAGN*i* PROCO*nSulis*. Prora navis.

Pertinet hic denarius ad tribunum illum plebis de quo ad nummum præcedentem diximus, qui bello piratico, quod mira celeritate confecit Pompejus Magnus, inter proquæſtores ejus exſtitit. Dictus fuit Cneus, & filius fuit Caji, & nepos Caji; unde minus probabiliter ſuſpicatur Vaillantius nepotem forte fuiſſe Cnei ſuperioris. Magis eſt veriſimile filium fuiſſe Caji Calpurnii Piſonis conſulis A. V. C. DCLXXXVI. cujus paternum nomen in Faſtis non exprimitur, ſed C. fuiſſe ex cognomine filio, ſiquidem vera eſt ſententia noſtra, agnoſcimus.
Notum eſt Calpurnios a Numa originem derivaſſe, & nihil ſuperbius in monetis ſignare potuiſſe, quam nobiliſſimi illius regis caput.

VI.

. . . . Caput M. Antonii nudum.

Lucius BIBVLVS . . . . Navis prætoria.

Nummum integriorem profert Vaillantius, in quo ab altera parte legitur M*arcus* ANT*onius* IMP*erator* TER*tium*, C*on*S*ul* DES*ignatus* TER*tium*, III. VIR R*ei*P*ublicæ* C*onſtituendæ*. & ab altera parte *Lucius* BIBVLVS PRÆ*fectus* CLAS*ſi*.
Cuſus hic nummus æreus eſt ſub Lucio Calpurnio Bibulo, dum contra Octavianum Antonii ſequitur partes, ejusque rei teſtimonium plurimi ejus nummi exhibent. Bruti primum & Caſſii partes fuerat ſecutus, ſed poſt prælium Philippenſe ad Antonium ſe adplicuit, una cum Meſſalla in gratiam receptus. Pater ejus fuit M. Bibulus, notus in hiſtoria Romana propter conſulatum, quem una cum Cæſare geſſit, & partes reip. quas diu & acerrime tutatus eſt contra Cæſarem, rei maritimæ præfectus.

TAB. III.

I.

. . . . Capita juncta Antonii & Cleopatræ.

Lucius BIBVLVS. Triremis prætoria cum velo & remis. Epigraphe integra eadem eſt quæ ſuperioris. Reſtituit utrumque nummum Vaillantius. Bibulus Antonio blandiri volens Cleopatræ faciem triumviro addidit; deceſſiſſe in Syria tradit Appianus lib. IV. p. 611. Βίϐυλος δὲ ἐσπείσατο ἅμα τῷ Μεσσάλᾳ καὶ ἐναυάρχησεν Ἀντωνίῳ, καὶ Καίσαρι ἐς ἀλλήλους ἐπόρθμευσε, καὶ στρατηγὸς ἀπεδείχθη Συρίας ὑπὸ Ἀντωνίου, καὶ στρατηγῶν ἔτι αὐτῆς, ἀπέθανεν. *Bibulus una cum Meſſala in gratiam receptus, & claſſi præfectus ab Antonio, copias ejus transvexit contra Cæſarem: acceptaque ab illo Syria provincia, in ea mortuus eſt.*

II.

CN*eus* PISO CN*ei Filius* III. VIR AV*ro Argento Aere Flando Feriundo*. Caput Numæ regis diademate cinctum.

CAESAR AVGVSTVS TRIBVNIC*ia* POTEST*ate*. Caput Auguſti nudum.

Poſtquam ſibi remp. ſubjecerat Auguſtus, victo ad Actium Antonio, & tribunitia recepta & paſſim continuata poteſtate, vim quidem omnem ſibi retinuit, multa tamen imaginariæ poteſtatis nomina ſenatui reliquit, inter quæ fuit quoque ſignandi æris poteſtas, &, ut triumviri iſti rei a ſenatu conſtituerentur; & hinc literæ S. C. quæ ex ſenatus conſulto cuſos eosdem indicant, paſſim adponuntur; duravitque is mos ad Gallienum usque.

Cneus Calpurnius Piſo, qui quatuor hosce nummos cudit, is ipſe eſt, qui præſtantiſſimum illum Germanicum in Syria veneno ſuſtulit, Tiberio magis quam conſcientiæ ſuæ & priſtinis majorum virtutibus obſecutus. Unde Nemeſis ulta viri ſcelus eſt. Tractus enim in jus Piſo, diſſimulante, quæ juſſerat ipſe, Tiberio, damnationem ſpontanea morte prævenit. Conſulatum una cum Tiberio geſſit A. V. C. DCCLVII. ſed initio honorum ſuorum, ut triumvir monetalis, nummos hosce cudit ſub Auguſto, cujus poſtea legatus procos. in Hiſpania fuit. Pater illi Cneus fuit, qui Pompejanas partes, deinde Bruti & Caſſii ſecutus, conceſſo reditu, obtrudente Auguſto conſulatum recepit A. V. C. DCCXXXIX. vir ferox & animi præfracti naturæ vitia filio hæreditaria reliquit.
Numæ Pompilii facies ſummam ſtirpis antiquitatem nobilitatemque indicat.

III.

CAESAR AVGVSTVS TRIBVNIC*ia* POTEST*ate*. Caput Auguſti nudum.

Epigraphe eadem, quæ ſupra. in area nummi *Senatus Conſulto.*

IV.

OB CIVIS SERVATOS. Quernea corona inter duos lauri ramos.

Epigraphe eadem. *Senatus Conſulto* in area nummi.

V.

AVGVSTVS TRIBVNIC*ia* POTEST*ate*. in corona quernea.

Epigraphe eadem. *Senatus Conſulto* in area nummi. Nihil de his occurrit, quod non jam dictum ſit.

VI.

PISO. CAEPIO *Quæſtores*. Caput Saturni laureatum, retro falx eſt, ſubtus tridens, pro quo duo ſequentes arcum habent vel ſpiculum.

AD FRV*mentum* EMV*ndum* EX *Senatus Conſulto*. Duo viri ſedent, quaſi colloquentes, inter totidem ſpicas.

Urſinus hunc denarium proferens ita ſcribit.
„ Ad quem Piſonem pertineat, obſcurum
„ eſt; ex inſcriptione certe & ex iis, quæ in
„ utraque parte denarii expreſſa ſunt, præfe-
„ ctum eum fuiſſe frumento emundo perſpicuum
„ eſt: qui Magiſtratus ab Auguſto, ut ex his
„ Dionis verbis intelligi poteſt, inſtitutus fuit. Καὶ
„ ἐκέλευσε, inquit, δύο ἄνδρας τῶν πρὸ πέντε ἀεὶ
„ ἐτῶν ἐστρατηγηκότων, πρὸς τὴν τοῦ σίτου διανομὴν καθ'
„ ἔτος αἱρεῖσθαι. Hoc eſt, *juſſitque ut ſingulis an-*
„ *nis, duo-viri, qui ante quinquennium præ-*
„ *turam geſſiſſent, frumento diſtribuendo uno-*
„ *quoque anno conſtituerentur.* Spicis autem,
„ & Cereris, Saturnique imaginibus, Magiſtra-
„ tus, qui annonam curabat, in denariis uti con-
„ ſuevit; propterea quod agriculturæ repertor
„ Saturnus creditus ſit: & Ædiles, ut rei fru-
„ men-

„ mentariæ præessent, creabantur. Præter hos, „ alios sex Ædiles, exque iis duo qui Cereales „ vocarentur, a Cæsare creatos, tradit idem Dio. „ Καὶ ἐς μὲν τὸ πρῶτον, inquit, ἔτος, πρότερον καὶ „ ἀγορανόμοι τότε πρῶτον, δύο μὲν ἐξ εὐπατριδῶν, „ τέσσαρες δὲ ἐκ τοῦ πλήθους, ὧν οἱ δύο τὴν ἀπὸ τῆς δή- „ μητρος ἐπίκλησιν φέρουσιν. Hoc est, *eodem anno* „ *primum sex Ædiles sunt constituti, duo patricii* „ *qui Cereales Ædiles vocarentur: quatuor plebeji.* „ Denarios autem hujusmodi pertinere arbitror „ ad Ædiles, quos ab Augusto institutos esse do- „ cuimus; propterea quod Piso, Cæpionis colle- „ ga, familia ortus est plebeja, nec ei licuis- „ set eum magistratum gerere, quem solis pa- „ triciis Cæsar capere permisisset. „ Falli vero Ursinum patet, quod neque Cæpio & Piso simul magistratum talem Cæsaris aut Augusti tempore gesserint, & quod Augusti temporibus argenti signandi potestas jam non amplius apud senatum sed Cæsarem fuerit. Vaillantius itaque aliter sensit, & rectius. „ Hic C. Piso (in- „ quit) cum Cn. Servilio Cæpione quæsturam „ urbanam obtinuit A. V. C. DVIII. qui, „ quum annonæ caritas exstaret Romæ, senatus- „ consulto missi sunt ad procurandum & e- „ mendum frumentum; ut fert epigraphe AD „ FRV. EMV. EX S. C. Unde in rei memo- „ riam hunc denarium cuderunt; in cujus aversa „ parte sedent inter spicas, ad frumenti copiam „ indicandam: in anteriore vero parte Saturnum, „ propter agriculturæ rationem, cujus ipse re- „ pertor fuit, exhibuerunt. Falx Saturni symbo- „ lum; unde ab Ovidio *falcifer* adpellatur. Tri- „ dens frumentum per mare translatum arguit; „ Quæstores vero sedent, tanquam ad frumenti „ distributionem præsentes. „ Hæc Vaillantius, qui quum alias diligenter excerpserit Pighium, miror ad explicationem ejusdem Pighii non adtendisse. Verba ejus hæc sunt tom. II. pag. 58. ad A. V. C. DVIII. „ Exstant denarii argentei, „ qui testantur Pisonem ac Cæpionem quæstores „ senatus jussu pecuniam ex argento publico pro- „ curasse duoviris ad fruges emendas constitutis. „ Habent in uno latere Portuni dei caput, juxta „ quod tridens, & arcuata dentataque moles, „ fluctuum amoliendorum caussa, quales in portu- „ bus exstrui solent: item literæ tales, PISO „ CAEPIO Q. In altero latere visuntur sedentes „ in suis scabellis duoviri togati inter duas spicas „ erectas, sub quibus hæ literæ: AD FRV. „ EMV. EX S. C. Et formæ & characteres de- „ monstrant, ex antiquissimis hos esse nummos. „ Hic Piso poterit avus videri consulis A. V. C. „ DLXXIII. in magistratu mortui, teste Livio, „ qui in Capitolinis C. CALPVRNIVS C. F. „ C. N. PISO scriptus legitur. Cæpio quidem „ patruelis fortasse fuit Q. & P. Cæpionum, qui „ primi in gente Servilia Gemini sunt vocati. „ Pighii itaque sententia est, cusos a quæstoribus urbanis Calpurnio Pisone & Servilio Cæpione hosce denarios, ut iis uterentur duumviri ad fruges emendas ex senatus consulto missi. Censet vero Vaillantius ipsos hos quæstores urbanos missos, qui coëmerent extra Italiam fruges. Eandem sententiam amplectitur idem tom. II. pag. 154. 155. & 156. ubi docte & accurate ostendit, extra ordinem nonnumquam viros claros ex S. C. delegatos fuisse, qui in Sicilia, Africa, Ægypto frumentum coëmerent, si ejus annonæ caritas Romæ esset. Cui & ipse sententiæ accedo, sed quod idem de marina profectione ex tridentis figura colligit, id concederem, si in omnibus inveniretur denariis; sed pro tridente arcus vel telum est in sequentibus, quod clarum est indicium, signum esse monetarii, vel officinæ monetalis, Neptuni videlicet, in hoc; Apollinis, in denariis sequentibus. De deo Portuno & mole arcuata Pighio accedere non possum, dentatæ falcis incurva est figura in omnibus, quos plurimos vidi, denariis.

TAB. IV.

I.

Caput Apollinis in corona cum noctuæ & numeri denarii typo.

PISO FRVGI. Eques desultor, læva habenas, dextra gladiolum minaciter tenens; desuper est figura biceps facie viri & mulieris.

Hac & sequentibus tabellis expressit Morellius magnam varietatem typorum minusculorum, qui adpicti visuntur in denariis gentis Calpurniæ, in Pisonum familia, juxta caput Apollinis, vel equitem desultorem; quique omnes nobis ad certas officinas monetales spectare videntur.

Noctua, ut supra diximus, ad officinam Minervæ Cecropiæ spectat, quod figura biceps, ab altera parte picta, confirmat. Decursio cum gladiolo hic & in sequentibus exprimitur, sicuti in aliis cum tridente vel face.

II.

Caput idem, retro est Junonis Lanuvinæ caput, quod perperam barbatum fingitur.

Lucius PISO *Lucii Filius* FRVGI. Decursor similis, desuper est caduceus. Denarius ad officinas Mercurii & Junonis Lanuvinæ spectat.

III.

Caput idem, retro est cornu venatorium.

Lucius PISO FRV*gi Nepos*. Typus idem cum nota denarii, sive astro potius, & bipenni.

Symbola addita spectant ad Dianæ officinam Amazoniam. Notandum vero quod Piso hic dicatur Nepos, unde patet Lucii filium & Lucii nepotem fuisse, adeoque, ut dictum est supra, Caji pronepotem.

IV.

Caput idem cum denarii nota, retro est bipennis.

Lucius PISO FRVGI. Typus idem. Subtus est clava.

Herculis Amazonii officina monetalis innui videtur.

V.

Caput idem cum nota denarii & bipenni.

Lucius PISO FRVGI. ROMA. Eques desultor cum palma, desuper est secespita. Ad eandem officinam pertinere puto.

VI.

Caput idem, cum literis A. & E.

Lucius PISO FRV*gi*. Subtus A.

Literæ A. B. &c. ad dignoscendas matrices positæ videntur.

VII.

Caput idem, adest lit. A.

Lucius PISO FRVGI. ROMA. Desultor equum flagro propellens. Desuper est aquila.

Jovis officinam ales ejus indicat, nam quod de aquila nomine equi somniavit Vaillantius p. 212. motus sententia Spanhemii in lib. de Usu & Pr. Num. p. 236. pr. edit. refellunt innumera alia symbola supposita vel superposita decur-

ſoribus in hisce denariis, neque neceſſe fuit, ut doleret excerptum id atque derivatum a ſua meſſe Spanhemius in poſter. edit. tom. II. pag. 132. neque enim, ut credo, velocitatem equo & laudem a noctua quæri vellet, quæ tamen ſimiliter poſita occurrit infra num. XXV.

VIII.

Caput Apollinis idem, retro eſt litera A. ante illud bovinum caput.

Lucius PISO FRVGI. Eques deſultor cum palma, deſuper caduceus, Mercurii ſymbolum.

IX.

Caput idem cum nota denarii & litera A.

Lucius PISO FRVGI. Deſultor ſimilis, deſuper eſt lit. C.

X.

Caput idem habet Apollinis, ut & omnes ſequentes; hinc litera I. inde bipennis.

Lucius PISO FRVGI. & ita omnes ſequentes inſcribuntur usque ad num. XXIV. omnesque equitem cum palma exhibent. Hic in ſuperiore parte lit. A. præfert.

XI.

Litera F. & alæ figura; ala officinam dei Termini deſignare poteſt, ab altera parte lit. B. & aliquid ignotum cernitur.

XII.

Numerus III. cum tridente, Neptuni nota; ab altera parte eſt lit. B.

XIII.

Hinc anchora & litera N. inde ab altera nummi parte lit. C. & forceps ad officinam Vulcani pertinere poſſunt.

XIV.

Litera ꓕ. & ꓭ. ab altera parte lit. C.

XV.

Litera F. & C. ab altera parte lit. L. ſed inverſa.

XVI.

Litera C. cum tridente; ab altera parte temo navis vel fuſcina & in monogrammate ROMA.

XVII.

Stella, Apollinis ſymbolum, & litera H. Ab altera parte lit. D.

XVIII.

Malleus, Vulcani ſymbolum & litera E. quæ in altera parte repetitur.

XIX.

Malleus ſive bipennis & litera R. Ab altera parte inſtrumentum artis fabrilis & litera G.

XX.

Sagitta, Apollinis ſymbolum, & ab altera parte lit. H.

XXI.

Litera T. ab altera parte K. & figura longæ haſtæ inſtar.

XXII.

Cornucopiæ, Cereris vel Fortunæ ſymbolum, ab altera parte lit. K.

XXIII.

Globuli duo, ab altera parte litera P. inter duos globulos.

XXIV.

Flos, Spei ſymbolum, cum tribus punctis ſive globulis, ab altera parte lit. R.

XXV.

Lit. Q. Caput idem Apollinis.

Lucius PISO FRVGI ROMA. Eques deſultor cum ſcutica, deſuper noctua Minervæ officinam reſpicit.

XXVI.

Lit. O. Caput idem.

Epigraphe eadem. Pro noctua Jovis ales dei ejus officinam reſpicit.

XXVII.

Similis, ſed quæ a priori parte lit. P. habet.

TAB. V.

I. —— XXII.

Omnes denarii hujus tabellæ equitem victorem depingunt, habentque adpictos numeros, eosque mirifice inter ſe diſcrepantes, quorum certa ratio reddi nequit, niſi quod matrices per eosdem inter ſeſe diſcretæ fuerint. Num. V. & I. cernitur in num. 1. V. in 2. XXXX. & VI. in 3. VIIII. & VIII. in 4. XXXXI. & XII. in 5. XXXXXIII. & XII. in 6. XIII. in 7. XX. & XV. in 8. XXXXVI. & XVI. in 9. XXXXI. & XVII. in 10. VI. & XXV. in 11. XXXXIII. & XXXII. in 12. XXXVI. & XXXXVIII. in 13. CX. & XXXXVIII. in 14. XXVIIII. & XCIV. in 16. CXXIII. & C. in 17. XXVIII. & CVII. in 19. CIII. & CXIIII. in 20. XXXXVII. & CXV. in 21. XXXXII. & CXXII. in 22. ex quibus plurimi additum Romæ monogramma habent, & præterea lit. T. inverſam atque cuſpidatam.

XXIII.

Caput Apollinis idem cum apicula, Cereris forſan nota.

Lucius PISO FRVGI. ROMA. eques idem, deſuper CXXXXVI.

XXIIII.

Caput idem &c. adeſt nota numeralis CCXV. quæ ſuprema nota numeralis eſt, docetque quot ſimul matrices hisce denariis adhibitæ fuerint.

XXV.

Denarius hic poſt Apollinis caput palmam laureæ inſertam exhibet, in teſtimonium victoriæ & præmii, quod ludis hisce Apollinaribus dabatur, unde quoque Tab. VIII. num. 18. vaſculum cernitur, ex quo palma prorumpit.

XXVI.

Anchora Vulcani officinam denotare videtur.

XXVII.

Stella in luna creſcente Apollinis & Dianæ ſunt ſymbola.

TAB. VI.

I. &c.

Hi omnes caput Apollinis laureatum & equitem victorem cum palma exhibent & notas plurimas numerales, ſymbola vero mire diſcrepantia, qualia hæc ſunt: num. I. cernitur caduceus alatus Mercurii ſymbolum. II. Malleus & inſtrumentum fabrile, Vulcani. IV. Apicula, Cereris. V. Lyra, Apollinis. VII. Stella in luna corniculante, Apollinis & Dianæ. IX. Maxilla, Herculis, ob occiſum aprum Erymanthium. X. Lanceæ ſpiculum ferratum, Dianæ. XI. Ancile, Numæ. XIII. cerva bacillo inſiſtens, Dianæ. XVI. Papaver, Proſerpinæ. XIX. XX. cancer & delphinus, Neptuni. XX. Laurus, Apollinis. XXIII. Cornucopiæ, Fortunæ vel Cereris. Sunt & alia minuta ſigna, quæ minus accurate expreſſa ſunt.

TAB. VII.

I. —— XXV.

In hisce Apollinis caput modò laurea, ſæpius diademate, ut regis Apollinis, ornatur; ubique vero eques deſultor victoria potitus cernitur; literæ, nu-

numeri & ſymbola mire variant. Quæ num. III. & IV. cernuntur, ad Dianam pertinent. Figuræ quæ num. IV. & IX. occurrunt, quo ſpectent, vix capio. Num. XII. eadem eſt, quæ in denario gentis Caſſiæ celebri occurrit inf. tab. I. num. III. Tridens in XIII. XIV. XV. XXIII. ad Neptunum pertinet. Quid num. XVI. ſit, non recte capio. Palma num. XVII. victoriam ſpectat; lituus & ancile num. XVIII. XXI. XXV. Numæ religiones. Papilio, Cupidinis vel Pſyches officinam monetalem innuere poteſt.

TAB. VIII.

I. —— XXVII.

Capita Apollinis ſimilia ſunt illis, quæ in tab. VII. occurrebant, & ſymbola fere eadem. Lauri ramus in I. corolla in III. & XII. arcus in XVI. Apollinares ludos & victoriam in iisdem vel officinam ejus dei ſpectant. Papilio in II. aliisque Cupidinem & Pſychen reſpicit. Lituus in VII. VIII. XV. Numæ religiones. Vitis folium in IX. Bacchi officinam, acroſtolium in X. Neptuni officinam deſignat, & ſic in cæteris, nam infinita in hisce denariis eſt varietas, ſive ſigna hæc pro lubitu ipſi impreſſerint monetarii, ſive ſingulæ officinæ ſuas ſibique proprias habuerint. Collectio certe Gorlæi tota, quanta eſt, fere conſtat ex denariis ejusmodi, qui talibus ſymbolis, notis numeralibus, literis &c. a ſe invicem diſcrepant; ut mirum ſit ex notis numeralibus tanta inconſtantia modo hasce opiniones modo illas, omnes vagas & temerarias, ſectatum fuiſſe Vaillantium, uti fuſe docuit editor Theſauri Fridericiani pag. 223.

CANINIA.

Gens Caninia, plebeja, in plura diviſa cognomina, in nummis Gallos & Agrippas agnovit, Agrippa quidem Corinthi ſub Galba duumviratum geſſit, Gallus C. Cæſaris Auguſti triumvir monetalis fuit.

I.

AVGVSTVS. Caput Auguſti nudum.
Lucius CANINIVS GALLVS III VIR. Parthus genuflexus ſignum reddit.

Magna non tantum clades illata Romanis erat, cæſo Craſſo & fuſo fugatoque exercitu Romano, ſed & infamia, ſignis militaribus & aquilis captis. Parthos inde perſequi & repoſcere ſigna in majori gloria ponebat Lucanus, quam civile bellum & erubeſcendam adpetere victoriam I, 10.

Cumque ſuperba foret Babylon ſpolianda tropæis
Auſoniis, umbraque erraret Craſſus inulta,
Bella geri placuit nullos habitura triumphos?

Dedecus hoc ut ablueret, bellum contra Parthos paravit Cæſar, ſed in ipſo adparatu a conjuratis oppreſſus eſt. Auguſtus exſequi ſtatuit, ſed præventus fuit a Parthis, qui magnitudine famæ ejus territi, ultro ſigna reddiderunt, teſte inter alios Suetonio cap. XXI. *Parthi ſigna militaria, quæ M. Craſſo & M. Antonio ademerant, repoſcenti reddiderunt.* Tiberii vero opera uſum conſtat ex vita Tiberii ejusdem cap. IX. *Recepit & ſigna, quæ M. Craſſo ademerant Parthi.* Reddit *timida manu* Parthus, ut graphice depingit Ovid. II. Triſt. verſu 228.

—— —— *Nunc porrigit arcus*
Parthus eques, timida captaque ſigna manu.

Contigit id A. V. C. DCCXXXIV.

Cognoſcitur vero L. Caninius Gallus ex hisce denariis triumvir monetalis ſub Auguſto. Erat is honor ſeu magiſtratus inter minores, adeoque initium dignitatis. Durabat uno anno, & ſinguli triumviri vel ejus anni geſta præclariora, vel familiæ ſuæ priſtina decora denariis a ſe cuſis inprimebant. Unde colligitur cuſus hic denarius cum ſequentibus A. V. C. DCCXXXIV.

II.

AVGVSTVS. Caput Auguſti nudum.
Lucius CANINIVS GALLVS III VIR. AVGVSTVS TR*ibunitia* POT*eſtate*. Prætorium tabernaculum, ut cenſet Fulvius Urſinus; menſa ſeu lectiſternium pro epulo Jovis, ut credidit Vaillantius; ut nobis videtur, menſa cum haſta adpoſita.

Urſini ſententia probari a Vaillantio non potuit, quod de nullo bello eodem anno geſto mentionem invenerit; ipſe vero ponit Caninium unum fuiſſe ex ſeptemviris epulonum, ideoque in denario ſignari lectiſternium. Ut taceam contrariantem ſibi ipſi Vaillantii ſententiam, dum ita ſtatuit, ſimul honore ſeptemviri epulonum & triumviri monetalis functum fuiſſe Caninium, quod minime eſt probabile; ad oculum adparet aliud quid in nummo depingi quam lectiſternium, ut recte quoque obſervavit Spanhemius tom. II. pag. 193. & quam ob cauſam Urſino de prætorio tabernaculo adſenſum dare non potuit Morellius in Epiſtola de Nummis Conſularibus ad Perizon. p. 207. ſcribens: „ Sunt, qui dubitant, an „ figura in ſecundo CANINIORVM nummo de „ prætorio tabernaculo interpretanda, & ad op- „ pidi alicujus oppugnationem referenda ſit. „ Nullus vero, aliorum ſententiam rejiciendo deſtruendoque, nos doctiores remiſit, quid revera in nummo depingatur docens, ſi Perizonium excipias, cujus hæc verba ſunt in eodem libello. p. 125. „ In *Caniniæ* G. nummo *prætorium taber-* „ *naculum* neque ego agnoſco. Crediderim potius „ menſam eſſe quæſtoriam, in qua præda, bello „ ex hoſtibus parta, in caſtris ad quæſtorium di- „ vendebatur, quod & haſta adſtans, quæ publi- „ cis auctionibus eſt propria, innuere videtur.

Nobis itaque menſa & haſta quoque videtur in denario exprimi. Hanc vero nolim ad prætoris haſtam referri, ſub qua reorum bona, malo exemplo, temporibus Sullæ, Cæſaris &, triumvirorum vendebantur; neque etiam ad haſtam Caninii ut quæſtoris; quum non quæſtor, ſed triumvir monetalis fuerit Caninius, nullumque eo tempore bellum, ex quo parta præda divendi poſſet; ſed ad vectigalium refero locationes, quæ a cenſoribus ſub haſta quoque locata fuiſſe ſcribit Grævius in Prolegom. ad Tom. III. Antiq. Rom. Docet ibi haſtam obtinuiſſe & præconem & quæſtorem Tertullianus in Apologotico cap. XIII. p. ed. noſtræ 133. *Publicos* (ſcil. deos) *æque publico jure fœdatis, quos in haſtario vectigales habetis. Sic Capitolium ſic Olitorium forum petitur, ſub eadem voce præconis, ſub eadem haſta, ſub eadem adnotatione quæſtoris divinitas addicta conducitur.* Haſtam eandem omni quinquennio poſitam ſuis temporibus teſtatur idem lib. I. ad Nationes cap. X. *Jam primum quos in haſtarium regeſſiſtis, publicanis ſubditatis, omni quinquennio inter vectigalia veſtra proſcriptos addicitis: ſic Serapeum, ſic Capitolium petitur, addicitur, conducitur divinitas ſub eadem voce præconis, eadem exactione quæſtoris.* Anno autem, quo Caninius triumvir monetalis fuit, circa vectigalia & eorundem locationem aliquid ſingulare & notabile videtur ab Auguſto conſtitutum fuiſſe. Neque vel publicorum vectigalium in fiſci commodum curam, vel coloniarum, pro ſacrorum & operum impenſis, Augu-

sto defuisse, docet Suetonius, in vita ejus cap. XLVI. *Italiam duodetriginta coloniarum numero deductarum ab se frequentavit, operibusque ac vectigalibus publicis plurifariam instruxit.* & cap. ultimo reliquisse testatur *breviarium totius imperii, quantum militum sub signis ubique esset, quantum pecuniæ in ærario & fiscis, & vectigaliorum residuis.*

III.

AVGUSTVS. Caput Augusti nudum.

Lucius CANINIVS GALLVS III VIR. Cippus (ut volunt) cum hac inscriptione C. C. AVGVSTI.

Posuit hujus nummi a se primum edendi Vaillantius picturam num. VI. inter nummos familiæ Caniniæ, sed, sive ipse præcipitantia sua oblitus fuerit aliquid de eodem notare, sive neglexerint temere, (qui longissime a viri docti oculis aberant) typographi, nihil in opere ejus de Familiis ad hunc denarium dicitur. At in nummis Impp. argenteis sententiam suam aperuit, quam quoniam Morellius quoque recensuit una cum reliquis, in Rei Nummariæ Antiquæ Specimine pag. 95. & hanc & reliquorum examini nostro subjiciemus. Morellii verba hæc sunt: „ Rarissimum hunc nummum vidi apud sæpius jam laudatum nunquam satis laudandum Vaillantium, qui eundem profert inter argenteos Tom. II. p. 23. Ænigma certe continet, ac placet varias de illo sententias referre, quas a viris eruditis accepi. Quidam cippi hujus inscriptionem retulerunt ad *Ducentesimæ* vectigal: sed minus usitatum est, principes monumento publico gloriari, populumve gratias agere ob impositum onus; tum & Augustus Centesimam saltem post civilia bella imposuit, A. V. C. DCCLIX. ut Lipsius existimat, Tiberio Ducentesimam statuente, juxta Tacitum lib. II. Annal. cap. XLII. quam Caligula sustulit, teste Dione Lib. LIX. & nummis. Alii crediderunt statuam Augusti positam Communi Consensu: quam explicationem nummus Mescinii Rufi apud Ursinum in Familiis f. 160. firmare videtur. Porro in cippo familiæ Viniciæ legitur S.P.Q.R. IMP. CAE. QVOD Viæ Munitæ sunt EX EA P. Q. IS. AD A. D. Hinc colligunt quidam, CC. fuisse cippos sive lapides milliarios positos, quibus viæ munirentur. Amicus quidam noster putabat, simpliciter denotari statuam Augusto positam, & cippum indicare cujus sit, nempe C. C. AVGVSTI. Caji Cæsaris Augusti. Clarissimus Vaillant existimat inscriptionem referendam ad ducenta hominum millia, quibus frumentum publicum A. V. C. DCCXLVIII. Augustus concessit, Dionem adducens Lib. LV. p. 554. ὁ δὲ Αὔγουστος τὸ τοῦ δήμου τοῦ σιτοδοτουμένου πλῆθος ἀόριστον ὂν ἐς εἴκοσι μυριάδας κατέκλεισε· καὶ, ὥς γέ τινες λέγουσιν, καθ' ἕνα ἑξήκοντα δραχμὰς ἔδωκε, *Augustus multitudinem eorum, qui frumentum ex publico accipiebant, ad hominum* CC. *millia redegit: in singulos eum dedisse ducentos quadraginta denarios, nonnulli auctores sunt.* Dum certius quid occurrat, eligat Lector quod velit; forsan nummus aliquis vel inscriptio meliora docebit. „

Omnium primam Vaillantii sententiam, magnopere absurdam, virique ante dictis contrariam examinabimus. Refert Dio constitutionem numeri illorum qui frumentum ex publico sub Augusto accipiebant ad annum, teste ipso Vaillantio, V. C. DCCXLVIII. At vero statuerat ante, Caninium fuisse triumvirum monetalem, & cusos idcirco ab illo denarios A. V. C. DCCXXXIV. & in opere de Familiis, & in lib. de Num. Impp. pag. eadem 23. docueratque uno anno finiri illam potestatem. Deinde *ducenta millia* qui frumentum acceperint, numerat Dio; ex nummo solus ducentorum numerus elici potest. Denique longiori & clariori inscriptione factum hoc Augusti expressum in denario fuisset (ut fiunt similia in aliis ejusdem) si exstare id publice in monetis voluisset. Neque primam apud Morellium sententiam de vectigali CC. sive ducentesimæ probo; tum propter allatas a viro clariss. rationes, tum quod non CC. sed interposito puncto C.C. in nummo scribatur. Neque tamen sententiæ meæ ad nummum præcedentem adlatæ me pœnitet, quum laudabile sit in principe vectigalium in genere curam habere, & pluris licitantibus quibuscunque in fisci & reipublicæ commodum addicere. Vectigal vero ducentesimæ imponere populo, ut fecit Tiberius, non sit laudabile, vel certe, si penuria ærarii id exigat, non debeat in publica moneta ostentari. Altera opinio de statua communi consensu Augusto posita, pariter displicet, sic enim tertio casu concepta fuisset inscriptio, longiori etiam epigraphe, ut factum in aliis. De cippis ducentis, strata via Flaminia ab Augusto, de quo beneficio Viniciæ familiæ agit denarius, frustra est subsidium conjecturæ petere, quum nummus ille familiæ Viniciæ cum cippo illo cusus sit A. V. C. DCCXXXVIII. quo videlicet tempore suis sumtibus stravit Augustus viam Flaminiam Ariminum usque, adeoque quatuor annis postquam Caninius hunc cudit denarium, qui prodiit A. V. C. DCCXXXIV. Denique si statuam cippo olim impositam inscriptio illa indicare vellet, cerneretur desuper erecta statua, ut in denariis Vinicii factum cernimus, neque enim a basi sua in denariis deturbari possunt tam facile statuæ & signa, quam in marmoribus & lapidibus.

Atque ita omnes hæ opiniones non satis firmæ adparent. Restat ut ipsi aliquid certius statuamus. Natus est Agrippæ ex Julia, Augusti filia, anno quo cusus hic denarius, filius Cajus, teste Dione lib. LIIII. magnaque eodem teste ob natum Augusto hæredem fuit lætitia. Καὶ ἡ Ἰουλία τὸν Γάϊον ὀνομασθέντα ἔτεκε· Βουθυσία τε τις τοῖς γενεθλίοις αὐτοῦ ἀΐδιος ἐδόθη. καὶ τοῦτο μὲν ἐκ ψηφίσματος, ὥσπερ που καὶ τἄλλα, ἐγένετο. ἰδίᾳ δὲ δὴ οἱ ἀγορανόμοι ἱπποδρομίαν τε ἐν τοῖς τοῦ Αὐγούστου γενεθλίοις καὶ θηρίων σφαγὰς ἐποίησαν. *Julia autem eo tempore Cajum peperit, sacrificiumque perenne natalibus ejus cum quibusdam aliis decretum est; privatim vero ædiles natalibus Augusti ludos equestres & venationem ediderunt.* Ad primum itaque conspectum hujus nummi in promtu fuisset antiquariis superioribus legere, *Cajo Cæsari* AVGVSTI scil. *nepoti*, ut inter reliquos honores etiam cippus hic natalitius foret. Quæ sententia, ut ut speciosa, mihi tamen satisfacere non potest, quamvis primo obtutu blandiri videtur. Ratio hæc est, quod Caji demum nomen postea acceperit, quum una cum fratre ab Augusto adoptaretur, qui adoptatis familiæ suæ gentilitia prænomina Caji & Lucii tum demum dedit, ut totidem verbis testatur Vellejus Paterculus lib. II. cap. XCVI. pag. 488. *Cujusque liberos, nepotes suos, D. Augustus, præpositis Caji ac Lucii nominibus, adoptaverat.* Unde in priora quoque illorum nomina inquirit eruditiss. Norisius in Cenotaph. Pisanis pag. 84.

Tot sententiis nondum satisfacientibus verus & simplex denarii & inscriptionis sensus aperiendus est. Integre inter se connecti epigraphe debet & ita legi, *Lucius* CANINIVS GALLVS III

VIR

VIR *Caji Cæsaris* AVGVSTI. Ut enim sæpius dictum est, triumviros monetales suos habebat senatus, qui æream monetam ex S. C. cudebant; suos, qui aureos & argenteos denarios cudebant, Cæsar habebat; L. Caninius Gallus itaque, ut triumvir monetalis Cæsaris, incudem in hac denarii parte (non cippum, ut male putarunt) signavit, & quod ora nummi amplius capere non poterat, lateri ejusdem incudis exteriori inscripsit.

IV.

AVGVSTVS. Caput Augusti nudum.

Lucius CANINIVS GALLVS III VIR. OB *Cives Servatos*. Ara, cui corona laurea (sed quæ male pro quernea videtur depingi) insistit, utrimque laurus bacciferæ ramus est.

Docet inscriptio OB *Cives Servatos*, quid sibi hic typus velit, honorem videlicet illum, quem senatus Augusto decrevit perpetuum, laurus ad fores Cæsaris excubantis & coronæ querneæ ob cives servatos & remp. constitutam. Passim corona ista quernea cum laureis ramis cernitur in nummis æreis majoris moduli, qui ex S. C. a triumviris monetalibus ejusdem senatus cusi sunt. In hoc vero denario triumvir monetalis Cæsaris Augusti similem fere typum exhibuit, addita insuper ara, quæ Diis propter beneficia, collata in populum Romanum, erecta videtur. Gloria, quam de receptis hoc anno spoliis Parthicis nactus est Cæsar, Caninii Galli hunc typum illustriorem facit.

V.

AVGVSTVS DIVI FILIVS. Caput Augusti laureatum cum pontificatus symbolis capeduncula & lituo.

CAESAR*ea* AVGVSTA. MAN*io* KANINIO ITER*um* *Lucio* TITIO II VIRIS. Colonus agens boves.

Notat ad hunc nummum Vaillantius in Coloniis tom. I. pag. 25. rarissime illud in coloniarum observari nummis, ut aliquis iterum duumvir dicatur, neque hunc honorem potuisse adipisci Caninium hunc nisi summæ virtutis vir fuisset. Ad quam familiam ex gente Caninia spectet, ignotum est, fuere enim Rebili, Reguli, Galli, Labeones, Agrippæ. Viri gesta quoque in obscuro sunt. Nomen per K. pro C. in hoc & sequenti nummo scribitur.

VI.

Caius CAESAR AVGVST*us*. Caput Augusti laureatum.

CAESAR*ea* AVGVS*ta*. MAN*io* KANI*nio* ITER*um* *Lucio* TITIO II VIRIS. Vexillum aræ impositum.

In plurimis Cæsareæ Augustæ nummis hic typus occurrit, cujus hanc rationem dat Vaillantius, quod ubi deduceretur colonia, moris esset, primum aram exstruere, supra quam sacra fierent, priusquam colonus aratro terminos urbis designaret; sacrificio autem peracto, vexillum, legionis præferens nomen, in argumentum coloniæ dedicandæ, fuisse aræ inpositum.

Colliguntur hi nummi cusi post mortem Lepidi, quoniam pontificatus summi insignia caput Augusti in præcedente nummo comitantur.

VII.

SER*vius* SVL*picius* GAL*ba* CAESAR AVG*ustus*. Caput Galbæ nudum.

COR*inthus* *Lucio* CANI*nio* AGRIPPAE II VIR*o*. Templum cum gradibus, quod quatuor columnas a parte priori, septem habet a lateribus.

Hic L. Caninius Agrippa colligitur duumviratus honorem gessisse ultimis Neronis & primis Galbæ temporibus. Visitur enim ejus nummus inter Neronianos apud Vaill. tom. I. pag. 176. si tamen ibi locum tueri possit. De quo ut dubitem, facit mos Vaillantii, qui, licet, malo exemplo, non ubique adponat capita imperatorum, addere tamen solet epigraphen a capitis parte positam. Quod in illo Agrippæ, quem Neroni tribuit, facere neglexit. Unde colligere forsan licet, nummum a parte capitis fuisse detritum, neque ad Neronem sed Galbam spectare. Dein inscriptio sic exhibetur, COR*inthus*. *Lucio* CANI*nio* AGRIPPA AED*ili*. Ubi ex ædilibus Calaguritanis sub Tiberio lucem huic nummo adfundere conatur Vaillantius. In Galbæ Morelliano autem, item meis duobus, & ipsius Vaillantii pag. 185. legitur COR*inthus* *Lucio* CANI*nio* AGRIPPAE II VIR*o*. Unde fieri potuit, ut quum prima vice nummus Galbæ, detritior a parte capitis, occurreret Vaillantio, Neronis caput esse crediderit, literas vero AED. crediderit esse, quæ revera erant II VIR.

Templum quod cernitur, superbum satis, cui numini sit dedicatum, non satis liquet. Augusto dedicatas a Corinthiis fuisse ædes plures ejus nummi, ibidem cusi, testantur. Templum ejus satis magnifica structura cernitur apud Vaillantium pag. 39. & 47. sed multo elegantius apud Morellium nostrum inter Augusti nummos, atque in familia Postumia. Alterum ex hisce templis quatuor a priore parte columnas habet, alterum sex, sed neutrum ex iisdem columnationes sive porticum ad latera ostentat. Nostrum vero sub duumviro Agrippa cusum numisma, ut templum a prioribus distinctum & diversum depingens, septem ad latera columnas addit. Quare crediderim templum hoc sacratum fuisse Romæ & Imperio, quo nos ducere videtur sequens nummus sub eodem Agrippa cusus. Viri laudes & merita scriptores silent, sed ad Gallos superiores pertinuisse credit Vaillantius ob Lucii prænomen. Quod non procedit, quum solis Gallis non fuerit proprium. Nec in sequenti numismate probo sententiam ejus de typo capitis & magistratus hujus Agrippæ ob eam rationem, quam scrutatur in Nummis Fam. p. 228. existimans illum Romæ honoris causa tantum duumviratum Corinthi gessisse, quod confirmari credidit capite ipsius Romæ (tanquam coloniæ Corinthi matris) & Imperii.

VIII.

ROMAE ET IMPERIO. Caput muliebre turritum.

COR*inthus*. *Lucio* CAN*inio* AGRIPPA II VIR*o*. Victoria gradiens cum palma & corona.

Quæ de hoc nummo Vaillantii sententia sit modo vidimus in ultimis ad nummum priorem verbis. Nos aliter sentimus, & credimus Caninium Agrippam, adlusione facta ad templum Romæ & Imperii, quod exstitisse videtur Corinthi, Romæ quoque caput in hoc nummo expressisse, & Victoriam ab altera parte, ut perpetuam Imperii Romani comitem. Adlusione inquam facta ad illud Templum Romæ & Imperii, illaque nomina, quæ hactenus vix umbram dignitatis obtinuerant sub Nerone, tyranno impio, Romanæ urbis incensore & destructore, Imperii maximo dedecore; quum Galba, ex prioris vitæ laudabili instituto, & quod initio defectionis, imperator salu-

ſalutatus ab exercitu, *legatum ſe ſenatus ac populi Romani*, teſte Suetonio cap. X. eſſet profeſſus, omnia bona polliceretur, Romæ præſidium futurus & decus Imperii.

CARISIA.

Cariſia gens ſero innotuit, vixque unius Cariſii nomen apud Dionem, Oroſium & Florum invenitur. Nummi qui ad Cariſios pertinent, temporibus ultimis liberæ reipublicæ, ut & Julii Cæſaris & Auguſti ſignati ſunt.

TAB. I.

I.

Caput Victoriæ, humeris alatis.
Titus CARISI*us*. Victoria in citis bigis.

Hic & ſequens denarius ad bigatos & quadrigatos pertinent, unde colligimus temporibus liberæ reip. cuſos hosce denarios eſſe. Patrem itaque Titi Cariſii qui ſub Auguſto vixit hunc Titum exiſtimat Vaillantius.

II. ſeu

Litera A.

Senatus Conſulto. Victoriæ idem caput.
Titus CARRISI*us*. Victoria in quadrigis.

Ad eundem Cariſium hic pertinet, tempus & occaſio cuſi utriusque denarii neſcitur.

III.

MONETA. Caput Junonis Monetæ.
SALVTARIS. Inſtrumenta monetalia, incus, malleus, forceps, cum Vulcani pileo, in laurea.

Duo Junonis cognomina in hoc denario exprimuntur, quorum, & quidem reſpectu ad pecuniam, rationem jam reddiderunt antiquarii. In bello videlicet contra Pyrrhum & Tarentinos quum pecunia deſtituerentur Romani, eos ſcribunt Junoni ad comparandam eandem vota feciſſe, Deam vero monuiſſe illos, ut juſtitiæ armis uterentur, ſic enim pecuniam iis non defuturam. Quod monitum quum ſalutare Romanis fuerit, cognomina Monetæ & Salutaris inde Juno adepta eſt. Laurea ad victoriam illam olim deæ monitu relatam reſpicere poteſt.

IV.

MONETA. Caput idem Junonis Monetæ.
Titus CARISIVS. Typus ut ſupra.

Inſcriptio denarii hujus docet ſuperiorem quoque ab hoc Cariſio cuſum fuiſſe, patrem videlicet, vel forte avum ejus T. Cariſii, qui ſequitur.

V.

Caput Sibyllæ Phrygiæ.
Titus CARISIVS III VIR. Sphinx alata ſedens.

Unde Sibyllæ & Sphingis ſint imagines in Cariſii denario recte adnotat Vaillantius; reſpici videlicet ad Auguſtum, qui e libris Sibyllinis præſtantiores ſervavit, quum multos fatidicos, ut inutiles, combureret. Sibyllam vero hanc eſſe Phrygiam, & typum Sphingis non tam adludere ad ſigillum, quo imperii initio uſus eſt Auguſtus, quam ad numisma antiquum Gergithiorum in Troade, unde Gergithia Sibylla dicitur in loco Phlegontis apud Stephanum, adlato a Spanhemio tom. I. pag. 246. Ἀφ' ἧς Γεργιθία ἡ χρησμολόγος Σιβύλλα, ἥτις καὶ τετύπωτο ἐν τῷ νομίσματι τῶν Γεργιθίων, αὐτή τε καὶ ἡ σφὶγξ, ὡς Φλέγων ἐν Ὀλυμπιάδων πρώτῃ. *Hinc Gergithia fatidica Sibylla, quæ, uti & Sphinx, in Gergithiorum numismate impreſſa eſt, ut tradit Phlegon in prima Olympiade.* Neque Sibyllæ potuit Sphinge aptius ſymbolum adplicari, cum oraculis, ut ænigmati Sphingis, conjectore opus ſit Oedipo.

Fuit itaque Titus Cariſius T. filius, P. frater, Caji Cæſaris Auguſti triumvir monetalis, anno, quo de libris fatidicis & Sibyllinis quæſtio Romæ habita fuit; & tempus cuſi denarii, atque annus, quo magiſtratum hunc geſſit, referri videtur debere ad A. V. C. DCCXLI. quo rediit Romam ex Galliis Auguſtus, atque mortuo Lepido pontificatum maximum recepit. Statim enim poſt ejus mortem, novumque titulum, curam hanc ſacrorum geſſiſſe eum innuere videtur Suetonius in Aug. cap. XXXI. *Poſtquam vero pontificatum maximum, quem nunquam vivo Lepido auferre ſuſtinuerat, mortuo demum ſuſcepit, quidquid fatidicorum librorum Græci Latinique generis, nullis vel parum idoneis auctoribus vulgo ferebatur, ſupra duo millia contracta undique cremavit, ac ſolos retinuit Sibyllinos; hos quoque delectu habito.*

Litera B.

Similis ſuperiori, niſi quod literæ inſcriptionis alio ordine ſint poſitæ.

VI.

ROMA. Caput Romæ galeatum.
Titus CARISI*us*. Globus cum decempeda, cornucopiæ & temone in laurea.

Symbola hæc omnia quum in gentis Muſſidiæ denariis, tempore Julii Cæſaris cuſis, reperiantur, Titum Cariſium tempore Julii Cæſaris hanc monetam cudiſſe exiſtimat Vaillantius, & ad laudes Cæſaris pertinere ſymbola eadem. Quod a vero non abhorret, quum circa eadem tempora in denariis Cnei Cornelii Lentuli quæſtoris ſimiles fere typi occurrant. Pertinet itaque ad Titum Cariſium patrem.

VII.

Caput Dianæ venatricis cum arcu & pharetra circa humeros, & lunula in fronte.
Titius CA*riſius*. Canis venaticus decurrens.

Diverſos eſſe Cariſios, qui hunc & qui ſequentem cudit denarium, ſtatuit Vaillantius, hunc itaque ad filium, qui ſub Auguſto triumvir fuit, ſequentem vero ad patrem refert, & hunc quidem a triumviro monetali credit cuſum in memoriam ludorum ſæcularium, quæ erant in honorem Apollinis & Dianæ, quos Auguſtus celebravit teſte Dione lib. LIV. illum vero a patre ædili in honorem Bacchi Liberalibus.

Verum non tetigiſſe rem mihi videtur Vaillantius duabus de cauſſis. Prima ratio illa eſt, quod Titus Cariſius filius dignitatis notam adponat, certiſſimum ſe vel triumvirum C. Cæſaris Auguſti adpellans; pater vero, more antiquo ſimpliciter nomine ſuo denarios inſcribat. Alterum mihi contra Vaillantium argumentum ab anno, quo T. Cariſius filius triumvir monetalis fuit, certiſſimum petitur. Celebravit Auguſtus ludos ſæculares, qui tum quidem quinto ab V. C. celebrabantur, A. V. C. DCCXXXVI. coſſ. C. Fur-

nio & C. Junio Silano. At vero T. Carisius nequaquam statui potest rem monetalem Cæsaris curasse ante annum V. C. DCCXLI. quo anno mortuus est Lepidus, post cujus mortem demum, ex officio pontificis maximi, sacrorum curam & dijudicationem librorum fatidicorum recepit Augustus; in cujus rei memoriam caput Sibyllæ Phrygiæ in ejusdem Carisii denariis exprimitur. Quæ itaque sex annis ante solemnitas accidit, eam nequaquam ut singulare quid & ad sui magistratus tempus pertinens signare Carisius potuit.

Signatus itaque & hic & sequens est denarius temporibus, ut videtur, Julii Cæsaris, a patre Tito Carisio, qui, cur hic canem & Dianæ caput signaverit, inquirendum est. Vaillantius, de filio intelligens, refert ad ludos sæculares Apollini & Dianæ sacros. Parum sibi constans, simillimum utrimque typum, in familia Postumia, ad ludos Apollinares, qui singulis agebantur annis, refert. Tertium nummum in familia Axia, in quo canis item, sed insuper cervorum est biga, ad Dianæ sacra festumque adplicat. Atque sic idem canis & Dianæ symbolum tribus diversis festis & solemnitatibus a viro docto addicitur.

Difficile est veram causam adferere, sed forte non foret ineptum, hic cogitare de correctione anni, quam memorat Suetonius in vita Cæsaris cap. XL. quum videlicet magnus ille vir fastos correxit, & turbatos intercalandi licentia in ordinem redegit. Hujus rei occasione est, quod in nonnullis denariis, qui Cæsaris dictatoris caput exhibent, luna crescens retro caput posita adpareat; atque eadem ratione, monetam sub Julio Cæsare procurans Carisius, dici potest, Dianæ caput cum luna crescente signasse in denario, cujus deæ solitum symbolum est canis venaticus. Id si verum est, colligitur quoque inde annus, quo unus ex monetalibus magistratibus fuit hic T. Carisius, videlicet A. V. C. DCCVIII. eo enim anno hanc circa calendaria mutationem introduxit Cæsar.

VIII.

Titus CARISIVS. Caput Fauni.
Sine epigraphe. Tigris cum thyrso.

Ad liberalia hunc denarium spectare adserit Vaillantius, cusumque in Bacchi honorem a T. Carisio patre ædilitate tunc ornato.

An ædiles, aliique, ad quos jus monetæ vel pecuniæ signandæ transfert passim Vaillantius, revera illud jus habuerint, probandum ipsi relinquo. Carisium certe ut ædilem Pighius non agnoscit. Nostram sententiam de superiore denario etiam hic confirmare videtur. Utrumque enim cusum existimo A.V. C. DCCVIII. & ad Cæsaris Julii res gestas referendum esse. Scribit Suetonius in vita Julii cap. LXXVI. inter immodicos, quos decerni sibi passus est honores, fuisse etiam lupercos. Quum scilicet binæ essent lupercorum sodalitates, tertiam addidit Cæsar eorum, qui Juliani vocabantur. Confer Dionem initio lib. XLIV. & Turnebi Adversaria lib. VII. cap. 3. Factum id est eodem anno, quo fastos correxit, signatus itaque uterque denarius est ab eodem T. Carisio patre.

Sed ubi luperci in denario? rogabit aliquis. Colligo eos ex capite Fauni & testimonio Plutarchi in Romulo pag. 31. Γαΐος δὲ Ἀκίλιος ἱστορεῖ, πρὸ τῆς κτίσεως τὰ θρέμματα τῶν περὶ τὸν Ῥωμύλον ἀφανῆ γενέσθαι· τοὺς δὲ, τῷ Φαύνῳ προσευξαμένους ἐκδραμεῖν γυμνοὺς ἐπὶ τὴν ζήτησιν, ὅπως ὑπὸ τοῦ ἱδρῶτος μὴ ἐνοχλοῖντο· καὶ διὰ τοῦτο γυμνοὺς περιτρέχειν τοὺς λουπέρκους. *C. Acilius auctor est, ante conditam urbem Romuli & Remi pecus amissum fuisse, quos, Fauno voto facto, nudos, ne molestus iis sudor foret, ad requirendum id excurrisse. Hinc nudos discurrere lupercos.* Faunus vero passim in monumentis antiquis tigridem circa se habere solet, illique & Satyris istius animalis Bacchici cura tribui solet.

TAB. II.

I. *ut &*

Literæ C. & F.

Hi nummi, exemplo Ursini, perperam ad gentem Carisiam relati sunt, spectant enim ad Carviliam, de qua mox acturi sumus.

II.

IMP*erator* CAESAR AVGVST*us*. Caput Augusti nudum.
Publius CARISIVS LEG*atus* PRO PR*ætore*. Tropæum, in cujus imo magna est congeries armorum Hispanicorum.

Fuit P. Carisius, Titi frater, Titi filius, legatus Augusti (ut adparet ex inscriptione nummi II. Tab. III.) proprætore, ut hi explicant denarii, in Hispania. Ibi magnas res gessit pro Cæsare, & victis atque debellatis Cantabris & Asturibus, docente denario, tropæum magnificæ formæ erexit. Belli hujus, victoriæ, & ipsius Carisii mentio exstat apud Florum, Orosium, & Dionem. Flor. lib. IV. cap. XII. §. 55. *A quibus præmonitus Carisius, cum exercitu adveniens oppressit consilia. sic quoque tamen non incruento certamine. Reliquias fusi exercitus validissima civitas Lancia excepit: ubi adeo certatum est, ut quum in captam urbem faces poscerentur, ægre dux impetrarit veniam, ut victoriæ Romanæ stans potius esset quam incensa monumentum.* Orosius Lib. VI. cap. 21. ubi exitum ferocissimæ gentis Cantabrorum descripsit, de Asturibus & Carisio copiose hæc refert: *Astures vero positis castris apud Asturam flumen, Romanos, nisi proditi præventique essent, magnis consiliis viribusque oppressissent. Tres legatos cum legionibus suis in tria castra divisos, tribus æque agminibus obruere repente moliti, suorum proditione detecti sunt. Hos postea Carisius bello exceptos, non parva etiam Romanorum clade superavit. Pars eorum prælio elapsa Lanciam confugit. Cumque milites circumdatam urbem incendio adoriri pararent, dux Carisius, & a suis cessationem impetravit incendii, & a barbaris voluntatem deditionis exegit.* Post victoriam tropæum erectum fuisse docet res ipsa, & suadent illa quæ sequuntur l. c. apud Florum: *Hic finis Augusto bellicorum certaminum fuit, idem rebellandi finis Hispaniæ.* Eadem narrat Dio Cassius lib. LIII. pag. 589. ed. H. Steph. Sed addit, de eodem nostro Carisio agens, aliquot post annis inferius pag. 599. rebellasse postea Cantabros & Astures, & hos quidem διά τε τρυφὴν καὶ δι' ὠμότητα τοῦ Καρισίου. *propter luxum & sævitiam Carisii*, narratque quomodo in ordinem redacti fuerint per eundem Carisium. Attamen dubium videtur, utrum priore victoria an posteriore tropæum illud fuerit erectum. Ego ad priorem victoriam pertinere existimo, quoniam isto tempore Augustus ipse præsens adfuit in Hispania; quam primum enim ille ex provincia abiisset, ad ferociam pristinam reversi Hispani, atque crudelitate & libidine Carisii irritati, denuo ab isto legato, adjuvante C. Furnio, in ordinem sunt redacti. Cusus itaque hujus denarii typus in Hispania est A. V. C. DCCXXIX., sed post-

FAMILIA CARISIA.

postea cum hac inscriptione repetitus, ut infra notabimus.

III.

IMP*erator* CAESAR AVGVST*us*. Caput Augusti nudum.

P*ublius* CARISIVS LEG*atus* PRO PR*ætore*. Porta urbis, in cujus peristylio scribitur IMIRITA.

Postquam Cantabros & Astures ad obsequium reduxisset Cæsar, veteranos milites in Lusitaniam remisit, ibique coloniam Augustam Emeritam condere jussit, ut totidem verbis testatum reliquit Dio lib. LIII. pag. 389. Παυσαμένου δὲ τοῦ πολέμου τούτου, ὁ Αὔγουστος τοὺς μὲν ἀφηλικεστέρους τῶν στρατιωτῶν ἀφῆκε, καὶ πόλιν αὐτοῖς ἐν Λυσιτανίᾳ τὴν Αὔγουσταν Ημερίταν καλουμένην κτίσαι ἔδωκε. *Bello finito Augustus emeritos milites exauctoravit, atque urbem in Lusitania, Augustam Emeritam dictam, condere jussit.*

Litera D.

IMP*erator* CAESAR AVGVST*us* Caput idem Cæsaris Augusti nudum.

Publius CARISIVS LEG*atus* PRO PR*ætore*. Porta eadem, inscripta in peristylio IIMIIRITA.

Varie scribitur in nummis id nomen, in plerisque (ut & æneis quos ego habeo) EMERITA, in aliis IMIRITA in aliis IIMIIRITA, quasi HMHRITA. Nomen adepta videtur urbs, quod emeritos in ea Augustus collocaverit.

IV.

. . . . POTEST*ate*. Epigraphe integra ex Vaillantio est, IMP*erator* CAESAR TRIBVN*itia* POTEST*ate*. Caput Augusti nudum.

Publius CARISIVS LEG*atus* *Augusti*. Porta eadem urbis Emeritæ, inscripta IMIRITA.

Qui castrum vel pontem arbitrati sunt in nummis hisce exprimi (ut videre est apud Vaill. de Colon. p. 51.) refelluntur ex majori mœnium ambitu, qui post portam adparet, & turres ubique & propugnacula, solita urbibus addi, ostentat.

Legatus Augusti, in hoc nummo & inf. lit. E. & tab. III. num. I. II. & lit. G. adpellatur Carisius, qui in reliquis *legatus proprætore* dicitur. Unde colligimus nummos illos, qui legati Augusti titulum exhibent, cusos fuisse, quum adesset adhuc in Hispania Augustus; reliquos, quum discessisset, relicto (ut quidem putat Vaillantius) in Tarraconensi Hispania proprætore Antistio, in Lusitania vero, ubi erat Emerita, proprætore Carisio. Et hinc est, quod idem typus occurrat in nummis qui diversum honoris titulum in Carisio exprimunt, atque diverso tempore cusi sunt. Unde existimo olim jam tropæum illud num. II. exstitisse in alio denario, qui legati Augusti titulum Carisio dederit, & typum illum fuisse repetitum a Carisio, quum aliquot post annis cum imperio in hanc provinciam ab Augusto missus esset.

V.

IMP*erator* CAESAR AVGVSTVS. Caput Augusti nudum.

Publius CARISIV*s* LEG*atus* PRO PR*ætore*. Clypeus inter hastam & lorum sive balteum, in cujus extremo altero fibula est.

Hispanorum hæc sunt arma, quorum pars in hoc denario, pars tab. III. num. III. exprimitur; omnia vero reperiuntur coacervata in imo tropæi, num. sup. II. Clypeus hic rotundus & habilis est, qualis in Galbæ denariis Hispanicis; hasta videtur adesse brevior, lato ferro. Lorum cum fibula ad clypei gestamen, vel ensis pertinere videtur; male vero pro acinace incurvo accepit Vaillantius, clarissime enim in denariis asperioribus fibulam & lorum sive balteum observavi.

VI.

IMP*erator* CAESAR AVGVSTVS. Caput Augusti nudum.

Publius CARISIVS LEG*atus* PRO PR*ætore*. Victoria componens tropæum.

Quinarius hic & sequens eandem rem indicant, videlicet victoriam Cæsaris Augusti de Cantabris & Asturibus, eodem tamen tempore cusi non sunt. Cusus enim hic est, quum jam ex provincia domum profectus esset Augustus.

Litera E.

AVGVST*i* Caput Augusti nudum.

LEG*atus* *Publius* CARISI*us*. Victoria similiter componens tropæum.

Ut ita quinarii hujus epigraphen legam, facit pars postica num. II. tab. seq. ex qua patet literas AVGVST. non primo casu *Augustus* sed secundo *Augusti* efferendas esse. Præsente enim Cæsare legatus ejus fuit Carisius, & ab abeunte (uti supra dictum est) constitutus est legatus proprætore. Itaque hic denarius in priore ejus magistratu cusus, & in posteriore repetitus est.

TAB. III.

I.

Similis per omnia est præcedenti, nisi quod caput Augusti sit laureatum.

II.

CAESAR AVGVS*tus* TRIBVN*itia* POTEST*ate*. Caput Augusti nudum.

Publius CARISIVS LEG*atus* AVGVSTI. In area nummi.

Moneta hæc ærea est, in Hispaniis cusa, dum rebelles ad obsequium vi & armis rediguntur, ante conditam Emeritam; non vero, ut credidit Vaillantius, in urbe Emerita, scribens in lib. de Colon. Nummis tom. I. p. 50. „ Hic nummus, quia „ Emeritæ percussus est, inter ejus nummos recensetur. „ Non enim adtendit ad ea quæ mox ipse profert. Pergit enim ita: „ Publius Carisius, „ in bello Cantabrico legatus Augusti, Astures „ difficili prælio superavit. Confecto bello Au„ gustus Carisium in Lusitania legatum propræ„ tore constituit, & Antistium alterum legatum „ Tarraconensi provinciæ præfecit. „ Si hactenus legati Augusti Antistius & Carisius, confecto demum bello, cum imperio (sicuti putat Vaillantius) in provinciis Tarraconensi & Lusitania sunt constituti, & dignitatem legati pro prætore acceperunt, ergo dignitatis posterioris, non prioris titulus exprimi debebat, si cusus esset nummus in urbe Emerita, quæ colonia, post profligatum ab Augusto bellum, ex veteranis deducta est. Laudat Vaillantius ibidem Spanhemii eruditionem, qui Dissertatione VI. pag. 559. præclare differit de provinciarum inter

Cæ-

Cæſarem & populum Romanum diviſione, atque oſtendit legatos Cæſaris proprætore miſſos fuiſſe in provincias Cæſaris; ut Luſitaniam & Tarraconenſem Hiſpaniam: Proconſules vero, qui legatum & quæſtorem ſub ſe haberent, miſſos fuiſſe in provincias populi Romani; ut Bæticam. Et ſane eſt operæ pretium conſulere quæ ibidem profert vir illuſtris doctrinæ, tum quæ uberius diſſerit in editione poſteriore tom. I. pag. 178. 179. 180. Non video autem ibi diſcrimen ab ill. viro poni inter *legatum Auguſti* & *legatum Auguſti proprætore*, ſed ſupponi eundem eſſe titulum, & promiſcue efferri. De quo valde dubito, & ut aliter ſtatuam Dionis facit narratio. Memorat enim ille lib. LIII. pag. 588. quomodo Auguſtus animo agitaverit tranſire in Britanniam, ſed hanc expeditionem animo agitantem, retentum fuiſſe a Salaſſis, Cantabris, Aſturibusque, rebellantibus; itaque adverſus Salaſſos Terentium Varronem miſiſſe, bellum vero contra Cantabros & Aſtures ipſum per ſe ſuſcepiſſe gerendum. In ipſo belli adparatu & cura adverſa valetudine correptum Cæſarem, Antiſtio & Cariſio, qui ſcilicet ejusdem erant legati, belli exſecutionem commiſiſſe, & confecto eodem, coloniam Emeritam condidiſſe. Acciderunt hæc A. V. C. DCCXXIX. Proximo anno Romam rediiſſe narrat Cæſarem Auguſtum, relictumque cum imperio L. Æmilium (Λύκιον Αἰμύλιον ἄρχοντα αὐτῆς καταλιπὼν inquit Dio pag. 591.) amiſiſſe quosdam milites frumentatum miſſos, atque ex inſidiis interfectos a Cantabris & Aſturibus, vaſtatione agrorum, incurſione oppidorum aliisque damnis propterea punitis. Hæc acciderunt anno V. C. DCCXXX. Tum vero, poſt multa alia, ad A. V. C. DCCXXXII. Cantabrorum & Aſturum illam defectionem memorat, qua in ſummum venerat diſcrimen Cariſius, propter faſtum & crudelitatem provincialibus inviſus, niſi mature C. Furnius, qui recens advenerat, opem illi tuliſſet, & duorum ducum virtute ad internecionem cæſi hoſtes fuiſſent.

Ex quibus omnibus colligo, bis in Hiſpania fuiſſe Cariſium, primum, quum una cum C. Antiſtio ut legatus Cæſaris ipſi in bello gerendo operam navaret; & deinde, quum poſt L. Æmilium (quem ſuſpicatur Ælium debere ſcribi, & Lamiam fuiſſe dictum, Pighius, tom. III. pag. 512.) cum imperio in provinciam Cæſaris, ut legatus proprætore fuit miſſus; cui ſucceſſit C. Furnius, de quo ſcribit Dio p. 599. contemtum illum fuiſſe ab Aſturibus, ſed magno ipſorum malo, & judicatum imperitum ſuarum rerum, quia recens adveniſſet. Ut omnia clara ſint, ex Dione liquet, A. V. C. DCCXXIX. Auguſtum ipſum per ſe adminiſtraſſe bellum in Hiſpania, & ſub ſe habuiſſe legatos Cajum Antiſtium & Publium Cariſium, quem male omnino vitiati codices Dionis Titum appellant; A. V. C. DCCXXX. cum imperio, ut legatum Auguſti proprætore, ibi fuiſſe L. Æmilium, ſeu forte L. Ælium Lamiam; A. V. C. DCCXXXI. legatum Auguſti proprætore fuiſſe ibidem Publium noſtrum Cariſium, & anno ſequenti DCCXXXII. ſucceſſorem accepiſſe C. Furnium, cum quo, antequam provincia decederet, Cantabros & Aſtures rebellantes domuit. Poſterioris enim anni acta percenſens Dio p. 599. Lib. LIV. ſcribit, ὑπὸ τοὺς αὐτοὺς τούτους χρόνους, circa eadem fere tempora accidiſſe rebellionem illum Cantabrorum Aſturumque, & C. Furnii in provinciam adventum.

Quæ quidem largius ita perſequi neceſſe judicavi, ut probaretur, cur in quibusdam nummis Cariſius noſter *legatus Cæſaris* ſcribatur, in aliis vero, *legatus proprætore*.

III.

IMP*erator* CAESAR AVGVST*us*. Caput Auguſti nudum.

P*ublius* CARISIVS LEG*atus* PRO PR*ætore*. Galea depreſſa, qua facies etiam tegebatur, inter arma Cantabrica, bipennem, gladiumque brevem, ſed latum & acutum.

Arma hæc, ſed minuta pro ratione figurarum multarum quæ adponuntur, picta quoque cernuntur in armorum ſtrue Tab. II. num. II. Utebantur vero illis Hiſpani, unde apud Lucanum de centurione Scæva VI. 257.

—— —— Felix hoc nomine famæ,
Si tibi durus Iber, aut ſi tibi terga dediſſet
Cantaber exiguis, aut longis Teutonus armis.

Brevior itaque & ad ictum habilis, ſed latus craſſusque enſis eſt, & plane talis, qualem deſcribit Polybius apud Lipſium lib. III. de Milit. Rom. Dialogo III. Καλοῦσι δὲ αὐτὴν Ἰβηρικήν, ἔχει δὲ αὕτη κέντημα διάφορον, καὶ καταφορὰν ἐξ ἀμφοῖν τοῖν μεροῖν βίαιον, διὰ τὸ τὸ ὀβελίσκον αὐτῆς ἰσχυρὸν καὶ μόνιμον εἶναι. *Adpellant Hiſpanienſem, habetque mucronem eximium, & ictum utrimque vehementem, quoniam lamina ejus firma eſt & ſtabilis.*

Figura media a Begero aliisque Th. Brand. II. p. 545: de perſona ſcenica accipitur, quæ, quoniam ad comœdiam pertinet, ad ludos ſcenicos ab eodem refertur. Videntur hi aliquod opinionis ſuæ præſidium invenire apud Dionem; is enim ubi lib. LIII. pag. 514. narravit, quomodo veteranis coloniam Auguſtam Emeritam conceſſit Cæſar, addit ſtatim: Τοῖς δὲ τὴν στρατεύσιμον ἡλικίαν ἔτ' ἔχουσι, θέας τινὰς, διά τε τοῦ Μαρκέλλου καὶ τοῦ Τιβερίου, ὡς καὶ ἀγορανομούντων, ἐν αὐτοῖς τοῖς στρατοπέδοις ἐποίησε. *Iis, qui militari etiamnum erant ætate, ſpectacula quædam per Marcellum ac Tiberium, quaſi ædiles, in ipſis caſtris exhibuit.* Sed neque ſcenicorum ludorum in hisce ulla mentio, neque delectationis id genus conveniens viris militaribus, & adhucdum in terra hoſtili vix pacata caſtrisque conſtitutis. Imo ipſa pictura aperte bucculam galeæ ſive caſſidis oſtendit, qua non tantum genæ & mentum, ſed univerſa facies tegebatur, idque quod in ſuperiori parte cernitur diffluens pro loris capio, quibus ſub mento religabatur galea, verſatilis enim conus ille galeæ eſt, qui ſuper bucculam adparet, atque retro in verticem agi poteſt.

Vaillantii in hujus nummi explicatione error eſt inexcuſabilis. „ Quum Auguſtus (inquit) in „ Hiſpaniam veniſſet, Cantabros & Aſtures domiturus, Tarracone morbo detentus eſt, & „ Cariſio Furnius in ſubſidium miſſus, de quo „ Dio lib. LIV. *Verum hunc longe alium* &c. In „ cujus memoriam ex una parte Auguſtum cum „ titulo Imperatoris, & ex altera arma, quibus „ utebantur Cantabri, expreſſit. „ Hæc ille, confundens geſta anni DCCXXIX. & DCCXXXII. ut clare a nobis eſt demonſtratum ad præcedentem nummum.

Lit. G.

AVGVST*i* Caput Cæſaris Auguſti nudum.

Legatus Publius CARISI*us*. Victoria componens tropæum.

Vide quæ de ſimilibus quinariis ſupra jam dicta ſunt, ſolo enim typo differt.

CARVILIA.

Hujus gentis nummi male a Morellio Carisianis inserti sunt Tab. II. *num.* 1. *& lit. C. & Tab.* III. *lit. F. ubi quærendi sunt.*

Carvilia gens plebeja fuit, consularis tamen, & quæ Maximi cognomen tulit.

I.

Caput Jovis Anxuris, inberbe, laureatum, subtus fulmen est.

CAR*vilius*. OGVL*nius*. VER*gilius*. Jupiter idem juvenis, dextra fulmen tenens, in citis quadrigis.

Jupiter *Axur*, ut in nummo gentis Vibiæ scribitur, sive *Anxur*, ut euphoniæ gratia a scriptoribus effertur, notus est ex Virgilio & doctissimo ejus commentatore Servio, de quo videri potest Ursinus ad Fam. Rom. p. 293. 294. Dicitur ita quasi ἄνευ ξυροῦ, *sine novacula*, quod, ut inberbis, illa non indigeret. Docet ibi Servius, in Campaniæ quodam tractu, qui Terracena, seu Terracina, dicebatur, Jovis pueri & inberbis, inde Anxuris dicti, cultum viguisse. Credibile hinc est Carvilii stirpem ex Campania & Terracina oriundam, patrium deum signasse.

Perizonius Differt. III. docuit Carviliæ gentis nummos perperam Carisianis inseri, & hosce refert ad Carvilium ædilem, filium Q. Maximi; sed docet Vaillantius istis temporibus argentum nondum fuisse signatum, ideoque pertinere ad Sp. Carvilium Sp. filium, C. nepotem, cujus ætas convenit cum Q. Ogulnio & T. Verginio, circa A. V. C. DIX. & DX. Quamvis enim de æreo tantum nummo agat Perizonius, clarum tamen est, & argenteum & æreum ab iisdem triumviris monetalibus cusos fuisse.

Lit. C.

Nihil differt a præcedente, nisi quod litera H. super quadrigas addatur, quæ videtur fuisse nota matricis.

Lit. F.

Caput Jani barbati geminum & laureatum.

CAR*vilius*. OGVL*nius*. VER*gilius*. Prora navis.

Clariss. Perizonius, de hoc ipso nummo agens, revocat illum ad alterutrum tribunum plebis Cn. vel Q. Ogulnium, triumvirum monetalem cum Sp. Carvilio Q. F. A. V. C. CCCCLIV. Quam sententiam solide convellit Vaillantius ex nummi pondere; est enim uncialis, & mutabatur olim semisextantario, cœpitque primus talis ponderis nummus sive as uncialis percuti bello Punico primo ab A. V. C. CCCCLXXXV. postquam, penuria pressis Romanis, & impensis reip. oneribus non sufficientibus, imminutum pondus est monetæ, & sextantario pondere asses (librales olim) cudi cœperunt. Ergo non potuit hic as, qui imminutus plurimum est a pristino pondere, tam antiquis temporibus cusus esse. Pro fide sententiæ suæ testimonium ex thesauro regio petit Vaillantius, unde videlicet delineatus æreus hicce nummus sit, quem & nos ipsi in nostro musæo possidemus, hactenus ab hoc ipso discrepantem, ut reliquis postponat Carvilii nomen legatque OGVL. VER. CAR. sitque similis Morelliano litera C. in familia Ogulnia, discrepet vero quod literam T. desuper non habeat, sed ad latus navis lineam longiorem I. sive assis notam.

CASSIA.

Gens Cassia olim quidem in patricias & plebejas divisa erat; defecit forsan patricia post pœnam Sp. Cassii Becilini, qui ter consul, bis triumphalis, damnatus & interfectus fuit, quod, promulgatione legis de agro Hernicorum Latinis & civibus dividendo, popularem quærens gratiam, regnum adfectare videretur. Plebeja, Longi seu Longini cognomen tulit, pluresque viri in republica insignes ex ista stirpe apud scriptores agnoscuntur, quorum & insignem quoque memoriam denarii antiqui conservant.

TAB. I.

I.

VEST*a*. Q*uintus* CASSIVS. Caput deæ Vestæ velatum.

Templum Vestæ rotundum, cum statua deæ ejusdem in summo fastigio, in medio templi sella curulis est; a lateribus hinc & inde urna, & tabella inscripta A. C.

Qui denarium hunc cudit Quintus Cassius fuit, frater (ut credit Vaillantius) Lucii Cassii, qui post pugnam Philippensem veniam a Cæsare & Antonio obtinuit, & celebris ejus Caji Cassii (quem Longinum quoque vocat Dio) qui Bruti partium & reipublicæ alter dux exstitit. Videtur Vaillantio cudisse denarium A. V. C. DCXCIX. quo in Hispania ulteriori quæstor provincialis Cnei Pompeji fuit; quum eodem tempore Cajus frater quæstor provincialis M. Crassi foret in Syria. Nos aliter existimamus, ut notabimus ad num. III.

In hoc denario, ut & in sequentibus aliquot, celebratur memoria L. Cassii Longini, Q. F. L. N. qui post tribunatum plebis ad consularem potestatem pervenit A. V. C. DCXXVI. & deinde etiam censor creatus est. Fuit vir tantæ severitatis, ut *scopulus reorum* diceretur, & *Cassiana judicia* de acerbioribus inde in proverbium abierint. Jocandi hinc occasionem nactus Cicero *Cassianum judicem* a Verre adpellatum ait quendam ex cohorte sua, *si qua res major esset*, Papirium Potamonem, Orat. in Verr. l. III. cap. 60. Cur Vestæ templum in ejus gratiam a posteris sit signatum, abunde docet Asconius Pædianus ad Cic. pro Milone cap. XII. *Ob quam severitatem* (inquit) *quo tempore Sextus Peduceus tribunus plebis criminatus est Lucium Metellum, pontificem maximum, totumque collegium pontificum, male judicasse de incestu virginum Vestalium, quod unam modo Æmiliam damnaverat, absolverat autem duas, Marciam & Liciniam; populus hunc Cassium creavit, qui de eisdem virginibus quæreret: isque & utrasque eas, & præterea complures alias, nimia etiam, ut existimatio est, asperitate usus, damnavit:* Deæ itaque caput & templum ejusdem, sellaque in eadem curulis, ut judici posita L. Cassio, incorruptam ipsi severitatem vindicant. Extremitates vero circa tectum templi rotundum, apud omnes fere, qui hosce denarios depinxerunt, male exprimuntur, neque enim quasi capita anguium, sed ornamenta in acrotolii formam prominent, uti mihi ex meis integerrimis clarissime observare licuit, & recte etiam expressit Morellius num. V. licet num. I. & II. deceptus videatur a num-

mis

mis minus hac in parte integris; draconum vero capita & colla, cornuaque evidenter depinxit Begerus p. 546. Tom. II. Thes. Brand. contra nummorum utique fidem.

Ad latera templi Vestæ, quod rotundum esse solet, visuntur urna & tabella cum literis A. C. Urna longior, in summo amplior, & circa orificia ansulas habens, plane ita in denariis cernitur, ut a Morellio depicta est; quod non monerem, nisi hac quoque in parte, quod & sæpius per negligentiam fit, aliorum delineationes a vero aberrare cernerem. Fuit illa urna recipiendis suffragiorum tabellis, quam *sitellam* nuncupat Cicero in Orat. pro Cornelio p. 1292. ed. Gron. *Dum tabellæ diribentur, dum sitella defertur: dum æquantur sortes: dum sortitio fit.* Ab altera templi parte tabella ponitur inscripta A. C. id est, *Absolvo, Condemno.* Quibus respicitur ad legem tabellariam, quam iste L. Cassius tulit, quum tribunus plebis esset A. V. C. DCXVI. qua populo in omnibus judiciis, perduellione excepta, licebat parcere linguæ atque periculo, quod ex libertate loquendi oriebatur, & per tabellas, adeoque tacita suffragia, sensus animi pronunciare. Fracta lege hac optimatum est potentia, sed nimium quoque licentiæ datum vulgi libidini, prouti pulchre disputat Cicero lib. III. de legibus cap. XV. *Quis autem non sentit, auctoritatem omnem optimatium tabellariam legem abstulisse? quam populus liber nunquam desideravit: idem oppressus dominatu, ac potentia principum, flagitavit. Itaque graviora judicia de potentissimis hominibus exstant voces, quam tabellæ. Quamobrem suffragandi nimia libido in non bonis causis eripienda fuit potentibus, non latebra danda populo, in qua, bonis ignorantibus, quid quisque sentiret, tabella vitiosum occultaret suffragium.* Unde cap. seq. 16. enumerans quatuor leges tabellarias a diversis quatuor tribunis latas, secundam enumerat illam L. Cassii, quam vocat *de populi judicio*, mentemque de ea suam aperit. Ubi enim de Gabinia lege egit, subjungit: *Secuta biennio post Cassia est, de populi judicio. Ea a nobili homine lata est, L. Cassio, sed, pace familiæ dixerim, dissidente a bonis, atque omni rumusculos populares ratione aucupante.* Hinc nihil in *tabellæ latebra* inventum, quod de ambitu condemnare Appium Pulchrum posset, gratulatur illi Cicero Epist. Fam. lib. III. Epist. 12. *Ego vero vehementer gratulor de judicio ambitus: neque id, quod nemini dubium fuit, absolutum esse te: sed illud, quod, quo melior civis, quo vir clarior, quo fortior amicus es, quoque plura virtutis & industriæ ornamenta in te sunt, eo mirandum est magis, nullam ne in tabellæ quidem latebra fuisse absconditam malevolentiam, quæ te impugnare auderet: non horum temporum, non horum hominum, atque morum negotium! nihil jam sum pridem admiratus magis.* Hinc eadem tabella dicitur illi *dare potestatem, occultare libidinem*, Orat. pro C. Rabirio Post. cap. V. cujus tamen (addit) *conscientiam nihil est quod quisquam timeat, si non pertimescat suam.*

II.

LIBERTAS. *Quintus* CASSIVS. Caput Libertatis, cujus deæ collum margaritis & gemmis pendulis exornatur.

Typus idem qui in nummo præcedente.

Pro capite Vestæ in hoc denario cernitur caput Libertatis; causa est, quod firmatam populus crederet sibi libertatem lege Cassia de populi judicio, unde *tabellam vindicem tacitæ libertatis* vocat Cic. II. de lege Agraria. Inque illa perferenda *libertatem suam agi* credebat. Unde apud Cic. Orat. pro P. Sextio cap. XLVIII. *Populus libertatem agi putabat suam. Dissentiebant principes, & in salute optimatium temeritatem multitudinis & tabellæ licentiam pertimescebant.* Quam grata libertas, tam grata hinc Romanæ plebi lex Cassia. *Populo grata est tabella, quæ frontes aperit hominum, mentes tegit, datque eam libertatem, ut quod velint faciant.* ut exstat apud eundem Orat. pro Cn. Plancio cap. VI.

III.

Litera A. *&c.*

Caput Vestæ velatum, retro quod simpulum, ut instrumentum sacrorum, est; nisi potius sit lampas, symbolum ignis perpetui, cujus cura Vestalibus demandata erat. Ab altera parte litera I. cernitur, pro qua in sequentibus A. C. L. S. invenitur.

LONGINVS III VIR. Senator togatus dextra tabellam tenet, cui litera V. inscripta cernitur; adstat cista coram, cui tabella injicienda est.

Omnes, qui ante Vaillantium fuerunt, Antiquarii crediderunt literam A. tabellæ esse insculptam, atque de absolutionis suffragio, ut in num. I. & II. interpretati sunt. Id secus se habere, recte pertendit Vaillantius. Habeo enim & ipse integerrimos, & multo plures manibus versavi; in quibus omnibus constanter V. non A. legitur. Censet vero præstans idem antiquarius pag. 241. per literam V. hic indicari plures per eundem hunc Cassium latas leges, quæ quoniam omnes (ut ille quidem statuit) per vocem VTI. vel VTIQVE inciperent, hinc primam ejus vocis literam in hac tabella legis exprimi. Non potuit arridere hæc sententia illustr. Spanhemio, qui hanc opinionem ad examen revocavit Tom. II. pag. 199. atque putat male in dubium vocari fidem Ursini atque Patini, qui A. literam exprimi crediderint; ipse vero existimat monetarii incuria factum ut litera A. fuerit forma inversa in moneta expressa, quæ videlicet literam V. referat. Quod pace eminentissimæ ejus eruditionis dictum sit, fallitur longissime, & sæpius in nummorum typis fallitur, quod alienis plerumque oculis credere debuerit, & stanneis aliisque ectypis obscurioribus rem gerere, a suppellectile nummaria omni destitutus ipse, quam si ipse copiosam possedisset, consummasset eruditionem, qua plurimis præluxit. Certus sit lector V. non A. exprimi. Neque enim in omnibus V. pro A. exstaret, vel certe, si litera inversa esset, linea intermedia agnosceretur, quæ clarissime in denariis num. I. & II. expressis, quos ipse quoque possideo, exprimitur, essetque talis figura Ṿ. non ut nunc est V. Rejicio itaque novam ejusdem conjecturam, qua ANTIQVO format ex litera A. ut putat inversa, legisque antiquationem innui putat. Neque tamen in Vaillantii sententiam totus concedo. Omnes enim leges per VTI vel VTIQVE incipere, difficulter admodum (quod & Spanhemius vidit) probari a Vaillantio posset. Credo itaque, sicut unum verbum ABSOLVO per literam A. unum verbum CONDEMNO per literam C. in prioribus denariis exprimitur, ita in hoc literam V. significare VETO. quod familiare erat tribunorum plebis verbum, qui quum intercederent, solemni suo VETO id facere solebant, jam inde viam hanc monstrante tribuno plebis L. Sextio apud Liv. lib. VI. cap. 35. *Bene habet, inquit Sextius, quandoquidem tantum inter-*

intercessionem pollere placet, isto ipso telo tutabimur plebem. Agitedum, comitia indicite patres tribunis militum creandis; faxo, ne juvet vox ista, VETO, *qua nunc concinentes collegas nostros tam læti auditis.* Poterat autem intercedi & vetari, si nondum perlata lex esset, & quamdiu in ejus ferendæ apparatu populus versaretur. Copiose Cicero in Orat. pro Cornelio pag. ed. Gron. 1292. *Est utique jus vetandi, cum ea feratur, quamdiu non perfertur: quam diu qui suffragii ferundi causa conveniunt, huc & illuc transferuntur, dum privati dicunt: dum tabellæ diribentur: dum sitella defertur: dum æquantur sortes: dum sortitio fit: & si qua sunt hujus generis alia.*

Hinc existimo L. Cassium, tribunum plebis satis violentum, circa illud jus vetandi aliquam tulisse legem inter plures alias, quæ illi eo tempore tribunatus latæ adscribuntur. Quæ utique vetandi potestas, tribunis propria, & in qua L. Cassius noster L. Sextio illi apud Livium nequaquam cessit, dum uterque optimatum omnibus modis imminuit potentiam, merebatur exprimi in denariis, & ad famam nominis tanti viri, una cum aliis ejusdem rebus gestis, celebrari a nepotibus.

Statuit Vaillantius alium hunc Cassium Longinum ab illo, qui superiores denarios cudit, filium videlicet L. Cassii Longini Ravillæ, ejus scil. qui leges istas omnes tulerit in tribunatu plebis, Lucium Longinum quoque dictum. Hujus erroris ansam illi præbuit Goltzius, qui eundem hunc denarium male proferens ad A. V. C. DCCLXIII. contra omnium denariorum fidem Lucii prænomen addidit, scribens L. LONGINVS III VIR. Debuerat hunc detegere errorem Vaillantius ex tot ejusdem exempli denariis, quos illi plures quam cuiquam alii videre forsan contigit. Sed dum Goltzium nimis confidenter sequitur, præceps plus semel in errorem lapsus est. Ego Longinum triumvirum cudendæ monetæ & Quintum Cassium eundem esse puto, ut ita Quintus Cassius Longinus triumvir monetalis exstiterit. Id fabrica & typus hujus denarii convenientes cum num. I. & II. docere videntur; idemque vir, qui Q. Cassii nomine censeri volebat in prioribus denariis, in hoc, cognomine & magistratu agnosci voluit.

At vero jam inquirendum est, quis ille Quintus Cassius Longinus fuerit. Patris nomen in denariis non exstat, unde ex Fastis supplendum videtur. Agnoscitur Q. Cassius L. F. Q. N. Longinus prætor A. V. C. DLXXXVI. qui tertio post anno consul in magistratu est mortuus. Hujus filius videtur fuisse L. Cassius ille Longinus, qui celeberrimam illam legem tabellariam tulit, & ad cujus honorem typi hi Cassianorum denariorum pertinent. Scribitur enim in Fastis L. Cassius Q. F. L. N. Longinus. Tribunus autem plebis fuit A. V. C. DCVI. quo celeberrimam istam legem tabellariam tulit. Consul fuit A. V. C. DCXXVI. Hic fratrem habuisse videtur Quintum, qui filium habere potuit L. Cassium, quem inde Pighius dicit Q. F. Q. N. quæstorem provincialem A. V. C. DCXXXI. tribunum plebis A. V. C. DCXXXVI. ædilem DCXXXIX. prætorem inter cives & peregrinos A. V. C. DCXLII. consulem DCXLVI. Hic in ipso consulatu a Tigurinis Gallis cum exercitu fuit circumventus & occisus. Filius illi (ut credo) exstitit Q. Cassius, qui in Fastis dicitur Q. Cassius L. F. Q. N. Longinus, qui prætor urbanus fuit A. V. C. DCLXXVIII. & ad quem spectare existimo denarios I. II. III. ut & V. VI. qui omnes inscriptum habent nomen Q. Cassii, vel Longini, quod ejus familiæ cognomen erat, & ex quibus III. hic noster dignitatem exprimit, triumvirum monetalem illum declarans, & ita jus habentem ad monetam cudendam.

IV.

CAECIAN*us*. Caput Cereris spicis coronatum. Additur litera H.

Lucius CASSI*us*. Jugum boum. Adest litera O.

Memoratur Ciceroni in Epist. ad Att. IX. 11. C. Cæcius quidam, *de suo autem consilio C. Cæcio mandata ad me dedisse.* & ep. 13. *ut Cæcius narrat.* Adoptatum ab hoc Cæcio L. Cassium credidit Ursinus, & propterea Cæcianum dictum. Quod recte refellit Vaillantius, quum tunc foret dicendus Cassianus. Adoptatus enim ipse nomen suum pristinum producebat, ut Æmilius, si adoptaretur, dicebatur Æmilianus. Cæcius itaque non adoptans, sed, ipse adoptatus, Cæcianus pro Cæcio dictus est.

Conjicit itaque Vaillantius Cæcii & Cæsii idem esse nomen, & quoniam A. V. C. DCLXXVIII. occurrat M. Cæsius prætor, adjutor datus prætori Q. Cassio Longino in cognitione sartorum tectorum, credit Cassium, ex illa familiaritate nata amicitia, amisso Lucio filio, filium M. Cæsii sive Cæcii, Cajum in adoptionem postulasse, qui inde dictus postea sit L. Cassius Cæcianus. Quæ quidem ejus conjectura verisimilitudine non caret, dici enim gens Cæcia & Cæsia, potuit ut Mæcia & Mæsia, Vinicia & Vinisia, Apicia & Apisia, Marcidia & Marsidia &c. Atque ad hunc forte L. Cassium Cæcianum spectat inscriptio sepulchralis quæ exstat apud Gruterum tom. II. pag. DCCCLXIV. 11.

L. CASSI. KAECIANI
CASSIA. L. F. F.
EX TESTAMENTO ARBITRATV
CETENNIAE L. F. F.

Typus coloniam deductam significat, unde duumvirum coloniæ deducendæ fuisse Cassium Cæsianum cum Vaillantio credimus, tempore, quo diviso plebi agro Campano, viginti circiter millia civium illuc traducta sunt ex lege Julii Cæsaris, in consulatu suo cum M. Bibulo lata A. V. C. DCXCIV.

V.

VEST*a*. *Quintus* CASSIVS. Caput Vestæ velatum.

IMP*erator* CAES*ar* TRAIAN*us* AV*Gustus* GER*manicus* DAC*icus* Pater Patri*æ* REST*ituit*. Typus idem, qui supra num. I. observatur.

Imperator Trajanus omnes fere denarios, qui historiam facti vel gentis illustriorem exhibebant, restituisse videtur. In nummis imperatoriis idem fecit. Multi adhuc ex iis supersunt, sed omnes inter rariores habendi sunt, utpote qui raro occurrant.

Literæ B. C. D. E. F. G.

Typus in hisce utrimque idem est cum num. IV.

IV. sed diversitas multa literarum alphabeti conspicitur, quæ notæ monetales matricum fuisse videntur. Occurrunt hic K. M. & F. Q. & E. R. & C. T. & X. T. & denique B. S. Vidi in aliis A. X. & plures omnis generis literarum observari solent.

Caput Apollinis regis, ut adpositum sceptrum ostendit, unde & sine corona laurea est, coma longiore.

VI.

Quintus CASSIVS. Aquila fulmini insistens; inter auguratus insignia, lituum & præfericulum.

Quin ad eundem Q. Cassium, ad quem num. I. & II. spectant, hic pertineat denarius, non dubito. Creditur Pighio Tom. III. pag. 29. atque Vaillantio p. 243. cusus a Quinto prætore & augure, unde scilicet instrumenta auguralia sint ab altera parte nummi; ab altera, caput Apollinis in memoriam ludorum Apollinarium, magnificentissime ab eodem celebratorum. Sententiæ huic adversari nolim, quum mihi melior non suppetat.

VII.

Caput Bacchi, seu Liberi Patris, hedera, corimbis, & strophio redimitum; pone thyrsus est.

Lucius CASSI*us Quinti Filius*. Caput Liberæ pampinis redimitum.

Prouti supra num. III. deductum a nobis stemma quorundam Cassiorum est, hunc Lucium credo patrem fuisse Quinti ejus, cujus tot in principio denarios habuimus, filium Quinti, de cujus rebus gestis nihil legimus, & ita (in quo Vaillantio adsentimur) nepotem ex fratre famosi illius tribuni plebis L. Cassii Longini Ravillæ, qui legem tabellariam tulit. Pluribus in republica honoribus functus tandem ad consulatum pervenit A. V. C. DCXLVI. una cum C. Mario, cumque ipsi Narbonensis Galliæ provincia obtigisset, pulsis primo Tigurinis, postea ab iisdem circumventus atque simul cum uno ex legatis suis, L. Calpurnio Pisone consulari, occisus est. Rem narrat Orosius lib. V. cap. 15. *L. Cassius, consul, in Gallia Tigurinos usque ad Oceanum persecutus, iterumque ab eisdem insidiis circumventus, occisus est. L. quoque Piso, vir consularis, legatus Cassii consulis, interfectus.* Celebrare hic denarius videtur ædilitatem ejusdem A. V. C. DCXXXIX. quo magnifica spectacula populo in Liberi Liberæque honorem populo exhibuisse videtur.

VIII.

Caput Romæ galea alata decorum, pone quod urna est & denarii solita nota.

Cajus CASSI*us*. ROMA. Dea Libertas, triumphans in quadrigis, dextra tenens pileum, libertatis symbolum, læva virgam, a jure libertatis quod dabat, vindictam adpellatam. Apud Patinum & Vaillantium pictura inepta est nummi hujus, alias satis obvii.

Quamvis Libertatis hic præclarus adsit typus, recte tamen statuo fecisse Vaillantium, quod non ad percussorem C. Cæsaris C. Cassium hunc retulerit denarium, sed ad Cassium antiquiorem. Ut enim ex sequentibus denariis claret, IMP*eratoris* titulus famoso illi libertatis Romanæ vindici atque tyrannicidæ additur.

Spectat itaque ad C. Cassium, Lucii fratrem minorem, filium L. Cassii Longini, qui a ravis oculis Ravillæ habuisse cognomen videtur; quique, quum tribunus plebis existeret, optimatium potentiam per legem tabellariam infregit. Quod autem fugit Vaillantium, hæres paternæ violentiæ, altera lege, non minus quam pater Lucius, optimates adflixit; legem enim tulit, ut quem populus damnasset, is senatu moveretur. Testis & auctor cognoscendæ legis hujus, qui & originem rei aperit, est Asconius Pædianus, Orat. cit. p. 1295. *L. Cassius, L. F. Longinus, tribunus plebis, C. Mario, C. Flacco coss. plures leges ad minuendam nobilitatis potentiam tulit, in quibus hanc etiam, ut, quem populus damnasset, cuive imperium abrogasset, in senatu nec esset. Tulerat autem eam maxime propter simultates cum Q. Cæcilio, qui ante biennium consul fuerat: & cui populus, quia male adversus Cimbros rem gesserat, imperium abrogavit.*

Manifeste adparet in Asconii Pædiani verbis pro *L. Cassius* esse legendum *C. Cassius*, pro *C. Flacco* itidem *C. Flavio*, & denique pro *Q. Cæcilio* reponendum esse *Q. Servilio.* Quam repugnantiam mirari licet viros doctos in Ciceronianis suis editionibus non adnotasse, tam manifeste contradicentibus Annalibus, & veram lectionem jam olim indicante Pighio tom. III. pag. 152. licet ille pro C. retinuerit L. male, ut paullo post ostendam.

Per hanc itaque suam patrisque audaciam constituta, ut videbatur, populi libertate, deam illam in quadrigis triumphantem expressit, additis illi libertatis symbolis. In priori quoque nummi parte observanda est sitella sive urna ad capienda suffragia, quam præteriit Vaillantius, quæque ad patris ejusdem legem tabellariam respicit. Unde adsentiri clariss. Perizonio non possum, qui ad Cassium, Cæsaris percussorem, refert, lib. de Numm. Consular. p. 248. „ Octavum (inquit) Tab. I. gentis *Cassiæ* Nummum „ ipse habeo, in quo, ut abs te animadversum, „ clare satis apparet pileus, quem dextra manu „ ostentat is, qui quadrigis insistit. Pileum quoque Vaillantius intrepretatur, licet in ipso „ Nummo eandem retinuerit speciem, quam Ursinus vel Patinus expresserant. Nummum ipsum „ retulerim ad C. Cassium, percussorem Cæsaris, „ qui Syriam tenuit, & rem ibi feliciter gessit; „ unde & *Imperator* solenniter a militibus fuit „ dictus. Illius vero in nummis sæpius LEIBERTAS scribitur & exprimitur. Quocirca verisimile videtur, ostentasse eum Libertatem „ in curru triumphali, quam, re bene gesta, „ Romæ esset rediturus. „

Errare dixi Pighium, quod *Lucii Cassii* nomen ex Asconio, reliqua bene emendans, retinuerit, neque enim potuit tum Lucius L. F. sed Cajus L. F. tribunus plebis esse. Res clara est: L. Cassius L. F. L. N. Longinus, qui tribunus plebis legem illam tabellariam tulit, duos habuit filios, Lucium & Cajum. Lucius, natu major, præturam adeptus jam erat A. V. C. DCXLII. & paullo post, A. V. C. DCXLVI. consul factus, in ipso magistratu a Tigurinis in Gallia occisus est. Ergo non potuit A. V. C. DCXLIX. tribunatum plebis gerere, qui jam ante majores obtinuisset dignitates & in prælio occisus esset. At vero frater ejus Cajus, ut minor annis, ita serius ad dignitates pervenit, & tribunus plebis exstitit, (quæstor provincialis jam factus A. V. C. DCXLII.) anno DCXLIX. una cum Cn. Domitio Ahenobarbo, quocum collega pariter consulatum postea adeptus est A. V. C. DCLVII. Fuerat autem prætor urbanus A. V. C. DCLII. In ejusdem quæstura urbana, ante annum DCXLII. credimus denarium hunc Romæ cusum fuisse.

TAB.

TAB. II.

I.

Cajus CASSEI*us* IMP*erator*. Caput deæ Libertatis laureatum.

Marcus SERVILIVS LEG*atus*. Cancer forficulis acroſtolium tenens, ſubtus roſæ flos eſt, qualis ſæpe in Rhodiorum nummis cernitur.

Spectat hic denarius ad percuſſorem C. Cæſaris & ducem partium C. Caſſium, cuſus a legato ejuſdem M. Servilio, de quo in gente Servilia. Scribitur *Caſſeius* pro *Caſſius*, ſicuti infra num. V. *Leibertas* pro *Libertas*. Imperator Caſſius dictus eſt, poſtquam in Syria, Dolabella occiſo, partes ibidem Cæſareanas profligaverat. Caput quidem Apollinis in hiſce denariis agnoſcit Vaillantius, explicans vero in gente Servilia, Libertatis eſſe dicit. Alterutrum falſum eſſe neceſſe eſt. Laurus Apollini vindicare videtur, nam Libertatis caput vel velatum eſt, ut num. inf. IV. vel muliebriter comtum, ut num. V. ubi collum etiam margaritis, prout in aliis denariis auris inauri, ornatur. At hic intonſi quidem Phœbi caput lauro redimitum videtur depingi, eſſe tamen Libertatis, ad proximum nummum adparebit.

Vaillantius, typum alterius partis explicans, gammarum vocat marinum, quum potius cancrum adpellare debuiſſet. Gammarus enim in longitudinem porrigitur, atque noſtratibus *een kreeft* dicitur; cancer, rotundiori breviorique multum corpore, apud nos *een krab* dicitur. Ad Arethuſam urbem ſpectare adſerit idem Vaillantius, quæ videlicet regni Emeſeni in Syria caput fuerit, quamque urbem, tempore Caſſii, phylarchi ſeu reguli Arabum, Iamblichus & pater ejus Sampſiceramus tenebant, ut diſerte teſtatur Strabo lib. XVI. p. 753. Hi vero cum aliis vicinis regulis, ut ibidem legitur, opem ferebant Cæcilio Baſſo, duci partium Cæſarianarum, contra exercitus illum Apamiæ obſidentes. Tradente poſtea ſe Baſſo, conjicit Vaillantius, Arethuſæ regulum pecunia fuiſſe multatum (ut omnes qui Caſſio adverſabantur) atque ex iſta pecunia cuſos hoſce fuiſſe denarios. Gammarum vero (ſeu potius cancrum) marinum nummo inſculpi, quod urbs Arethuſa prius Gammarus dicta fuerit, Ἀρέθουσα ἡ Γαμβάρου apud Strabonem l. c. Unde etiam gammaro pro inſigni uſi fuerint in nummis ſuis Arethuſii, prouti exemplum ejus rei dediſſe ſe in nummis Græcis adfirmat. Acroſtolium deinde de Sidone interpretatur pag. 247. ad num. ed. ſuæ XIV. & XV. cujus, inquit, inſigne eſt; ut videre eſt in plurimis Syriæ regum nummis, ideoque in celeberrima illa Phœniciæ urbe cuſos hunc & ſequentem nummum arbitratur.

Hanc Vaillantii ſententiam oppugnaturus, ingentem ejus negligentiam animadverto in nomine dato urbi Arethuſæ, quaſi illa olim Gammarus vocata fuiſſet, quod Strabonis fide adſtruere conatur, qui nihil minus ſcripſit. Strabo l. c. ed. Caſaub. ſive ed. Almelov. p. 929. dicit, Cæcilium Baſſum cum duabus cohortibus Apamiam occupaſſe, atque adeo obſtinate duorum exercituum Romanorum obſidionem ſuſtinuiſſe, ut non prius in illorum devenerit poteſtatem, quam impetratis, quas ipſe volebat, conditionibus ultro ſe dederet. Rationem cur tam diu ſuſtinere hoſtilem impetum potuerit, hanc reddit; quod & exercitum regio aleret, & ſocios ipſe haberet permultos regulos, qui loca munita in proximo tenebant, Ὧν ἐστι (addit) καὶ ἡ Λυσιὰς, ὑπὲρ τῆς λίμνης κειμένη τῆς πρὸς Ἀπαμείᾳ, καὶ Ἀρέθουσα, ἡ Σαμψικεράμου (ita recte legit Caſaubonus pro καὶ ἡ) καὶ ἡ Ἰαμβλίχου τοῦ ἐκείνου παιδὸς, φυλάρχων τοῦ Ἐμεσηνῶν ἔθνους. *E quibus erat Lyſias ultra lacum ſita, qui juxta Apamiam eſt, & Arethuſa Sampſicerami & Jamblichi filii ejus, qui reguli Emeſſenis imperabant.* Enumerat deinde Heliopolin, & Chalcidem ſub Ptolemæo Mennæi filio agentem, atque alios auxiliatores amicos. Paullo poſt pag. 1093 deſcribens, quænam ex Arabiæ vicinis urbibus fuerint mitiores cultioreſque, dicit, καθάπερ ἡ Σαμψικεράμου Ἀρέθουσα, καὶ ἡ Γαμβάρου, καὶ ἡ Θέμελλα, καὶ ἄλλων τοιούτων. *ut eſt Sampſicerami Arethuſa, & quæ Gambari eſt, & Themella, & aliarum hujusmodi.* Ubi recte ex MSS. corrigit Caſaubonus καὶ ἡ Γαμβάρου Θέμελλα, καὶ ἄλλαι τοιαῦται. *& Gambari Themella, & aliæ ejusmodi.* Ut videlicet ſub phylarcho Sampſiceramo erat Arethuſa, ita ſub Gambaro, phylarcho alio, erat urbs Themella. Quod tam clarum eſt, ut luce non indigeat; & ſocios permultos regulos ſeu phylarchos, non unum Sampſiceramum Arethuſæ dominum in vicinia Baſſum habuiſſe dicit Strabo. Imo ſi vel maxime proba eſſet lectio illa vetus, non inde ſequeretur, urbem Arethuſam unquam Gammarum fuiſſe adpellatam, ſed tum vel duplicem Arethuſam ſtatuiſſet in Syria imperite Strabo, quarum altera ſub Gambari, non ſub Sampſicerami fuiſſet imperio, vel alterius urbis nomen ſubintelligeretur quæ ſub Gambari illius imperio fuerat. Sed omnino recte ſe habet Caſauboni emendatio, neque ullam aliam Arethuſam in Syria quam hanc agnovit Stephanus, qui, ſi unquam Gammari antiquum habuiſſet nomen illud, non reticuiſſet, ſcribens nunc ſimpliciter pag. 105. Ἀρέθουσα, πόλις Συρίας, *Arethuſa Syriæ urbs.* Ejuſdem mox nominis in Ithaca urbem recenſens, addit, eam prius Cyparam dictam fuiſſe. Unde quoque Gammaron Syriæ olim Arethuſam vocatam fuiſſe non reticuiſſet, ſi ita re vera foret. Nullum itaque ex gammaro marino, ſeu potius cancro, argumentum ad denarii explicationem pro Arethuſa urbe peti poteſt.

At Arethuſa gammarum ſeu cancrum in quodam ſuo nummo ſignavit. Id verum in uno eſt non in pluribus. Duos Arethuſæ, in Syria ſeu Emeſa, urbis nummos citat Vaillantius, priorem in Severo, qui certe gammarum non habet, pag. 80. ΑΡΕΘΟΥΣΑΤΩΝ ΕΤ. ΓΞΣ. *Arethuſatarum anno* CCLXIII. in quo nummo eſt mulier ſtans, turrita, dextra pateram tenens, læva haſtam. Poſteriorem nominat in Elagabalo p. 124. ΑΡΕΤΟΥΣΑΤΩΝ ΕΤΟ. ΕΠΣ. *Aretuſatarum, anno* CCLXXXV. in quo gammarus eſt, ſeu potius cancer. Nam certe cancrum habet ille nummus, & ut talis depingitur apud Noriſium in eruditiſſimo libro de Epochis Syromaced. Diſſ. III. §. VII. pag. 338. ubi docet æram Arethuſæ cepiſſe A. V. C. DCLXXXV. quando Sampſiceramo Arabi ſubmiſerunt ſeſe urbis incolæ propter mutua Seleucidarum bella & odia. Nihil vero mirum, ſi cancrum nummis quibuſdam ſuis impreſſerint Arethuſatæ; factum enim id eſt ad urbis ſitum indicandum; docet enim Strabo l. c. una cum urbe Lyſia ultra λίμνην ſeu *lacum* ab Apamia diſſitam fuiſſe. Hinc ſimiliter in innumeris urbium nummis cancri exprimuntur, ut in nummis Siciliæ apud Parutam noſtrum in primis videre licet.

Itaque longe alium ſenſum nobili huic typo ſub-

ſubeſſe exiſtimo, victoriam videlicet Caſſii de Rhodiis nobiliſſimam, quam Dio, Appianus, Plutarchus, aliique commemorant. Caſſius, ut fortis athleta ad ictus; in ſolum bellum intentus, omnes pecuniæ corradendæ & auxiliorum comportandorum occaſiones captabat. Nota illi erat Rhodus (juvenili ætate ſtudiis ibi vacaverat) vetuſtis opibus ingens, & longa pace opulenta. Miſerant Rhodii Dolabellæ hoſti auxilia, ipſi negarant; belli cauſſa ſat magna, prædæ occaſio ingens. Advolat Caſſius cum claſſe & exercitu, Rhodiorum claſſem bis profligat, urbe potitur, atque nihil præter ſolem (qui omnibus lucet) relinquit. Paullo fuſius (ad nummi verum ſenſum eruendum) hæc enarranda ſunt, veterum teſtimoniis adhibitis. Vellejus Paterculus lib. II. cap. LXIX. in fine: *Dumque ea in Italia geruntur, acri atque proſperrimo bello Caſſius Rhodum, rem immanis operis, ceperat.* Plutarchus in M. Bruto p. 998. *Caſſius Rhodo capta durius in eam civitatem conſuluit, idque, quum in ingreſſu regem ipſum & dominum adpellantibus reſpondiſſet, neque rex ſum neque dominus, ſed domini & regis interfector & ultor.* & mox p. 999. *Quum ſub idem tempus Rhodios compuliſſet Caſſius, quod quisque privatim auri & argenti haberet, conferre, unde conflavit ad* VIII. *millia talentum, & publice multaſſet civitatem quingentis aliis.* Et hæc accuratius, & pugnæ rationem, deſcribunt Dio Caſſius & Appianus. Dio quidem lib. XLVII. p. 395. *Caſſius igitur Rhodios navali pugna (quanquam ii tantum re nautica fidebant, ut ad Caſſium in continentem quoque adnavigaverint, eique compedes oſtenderint, quas ſecum adtulerant, tanquam multos hoſtium vivos capturi) primo apud Myndum, deinde Statii opera ad ipſam inſulam Rhodum ſuperavit, magnitudine ac numero navium ipſorum peritiam vincens. Ab his pugnis ipſe in Rhodum advectus, quum neque reſiſterent jam, & ipſe inſulam, in ea diſciplinæ cauſſa aliquando verſatus, diligeret, navibus Rhodios & pecunia ſpoliavit, ſacra etiam & donaria omnia abſtulit, præter currum ſolis, cætera indemnes reliquit.* Appianus lib. IV. Bellor. Civ. pag. 626. *Caſſius autem & Brutus poſtquam convenere, de rebus gerendis conſultarunt. Brutus cenſebat conjunctis copiis eundum in Macedoniam, ut de ſumma rerum decernerent: jam enim apud hoſtem eſſe legiones quadraginta: ex his octo transportatas per mare Ionium. E diverſo Caſſius contemnendas cenſebat hoſtium copias, egeſtate laboraturas præ nimia multitudine: debellandos potius fautores adverſæ factionis Rhodios ac Lycios potentes claſſibus, ne ſe in hoſtem converſos a tergo invaderent. Hæc ſententia vicit. Brutus Lycios aggreſſus eſt, Caſſius Rhodios, apud quos educatus etiam Græcas literas didicerat. Et quia cum rei navalis peritiſſimis ei res erat, naves ornatas completasque milite, apud Myndum exercuit. Rhodiorum vero quotquot dignitate præſtabant, timebant certatum cum Romanis: at vulgu ſibi placebat, memor veterum victoriarum de viris longe aliis, deduxitque ſelectas* XXXIII. *naves:* Narrat deinde quomodo Archelaum, præceptorem quondam in ſtudiis Caſſii, fruſtra ad deprecandum illum miſerint Rhodii, atque ita pergit pag. 630. *Cæterum Alexander & Mnaſeas, Rhodiorum ductores, cum illis triginta tribus navibus Myndum petierunt, ut Caſſium terrerent hac audacia: & ſuberat forte ſpei nonnihil, quod Mithridatem circa idem oppidum adſecuti, viſi ſunt habuiſſe felicem belli exitum. Itaque oſtentata remigandi peritia, primo die Gnidum diverterunt: ſequenti vero contra adventantes ex alto. Caſſiani mirantes ſolverunt a littore: pugnatumque eſt utrimque acerrime. Rhodii navigiis agilibus ultro citroque diſcurrentes modo penetrabant adverſos ordines, modo circumveniebant: Romani contra innixi gravioribus, quoties aliquam prehendebant injectis ferreis manibus, majore vi prævalebant, ut in terreſtri prælio. Sed quia Caſſius ſuperabat navium numero, non diu Rhodii potuerunt celeritate adverſarios eludere, ſolitisque artibus: nam cum a fronte tantum impetus facerent, moxque ſe reciperent, parum proficiebant, in arctum ſe cogentibus hoſtibus: roſtrorum quoque ictus contra graviores Romanas erant invalidi: e diverſo Romanæ illas leviores repercutiebant inflexo impetu, donec tres Rhodiæ, ita ut erant milite plenæ, captæ ſunt, duæ perfractæ ſubſederunt, reliquæ male mulctatæ Rhodum refugerunt. Hoc eventu ad Myndum Romana claſſis cum Rhodia conflixit, cujus pugnam e monte ſpectavit Caſſius: moxque ſartis navibus petiit Loryma, quod in adverſa continente Rhodiorum caſtellum eſt, unde onerariis terreſtres copias transvexit in inſulam ductu Fanii Lentulique. Ipſe octuaginta longis ad terrorem inferendum ornatis, tam mari quam terra obſeſſis Rhodiis quieſcebat, exſpectans ſi forte hoſtes ferociam remitterent. At illi audenter occurrerunt denuo: & tunc quoque duabus navibus amiſſis clauſi ſunt undique: moxque armatis tota mœnia completa ſunt, qui pariter arcerent & Fanium a terra oppugnantem, & Caſſium a mari claſſem admoventem non imparatam infeſtandis mœnibus: præcogitans enim tale aliquid, afferebat ſecum turres plicatiles, quæ tum excitatæ ſunt. Ita Rhodus bis infeliciter tentato navali prælio, terra marique oppugnabatur, imparata, ut in caſu inopinato, ad ſuſtinendos impetus: unde apparebat brevi venturam in poteſtatem hoſtium, vel armis, vel fame victam. Nec latuit hoc prudentiores Rhodios, intercedentibus inter eos & Fanium Lentulumque colloquiis cum ſubito Caſſius in media urbe cum lectiſſimo quoque conſpectus eſt, nec ſcalis uſus, nec ulla externa vi admota. Creditum eſt clam apertas eis minores portulas a civibus conjunctis privata gratia, nutriciis procurare cupientibus ne urbs deleretur miſerabiliter. Sic captæ Rhodo Caſſius pro tribunali ſub haſta præſedit, quod vellet videri urbem armorum vi cepiſſe: juſſoque exercitu quieſcere, & per præcones mortem interminatus violentis ac raptoribus, ipſe nominatim citatos circiter quinquaginta cives Rhodios duci juſſit: alios* XXV. *nuſquam comparentes mulctavit exilio. Quicquid pecuniarum, auri argentique in ſacro aut publico fuit, id omne corraſit: nec hoc contentus, privatim quoque a dominis proferri juſſit ad præſtitutam diem, denuntiato per præconem ſupplicio, ſi quis aliquid occultaret: indicibus vero in præmium prævpoſitis decimis, & ſervis libertate. Illi primum celabant plerique, ſperantes fore ut intra verba minæ conſiſterent: deinde poſtquam viderunt indicibus repræſentari præmia, petierunt prorogari ſibi terminum: quo impetrato alii ex terra effodiebant condita, alii hauriebant e puteis, alii rurſum e foveis proferebant multo plura quam antea. Hæ fuerunt calamitates Rhodiorum: quibus L. Varus relictus eſt præſidio.*

Hisce omnibus rite perpenſis, ad Rhodiam Caſſii victoriam hunc & ſequentem denarium ſpectare, nemo (opinor) negaturus eſt. Sub cancro enim non eſt flos malogranati, ut ſibi imaginatus eſt Vaillantius, ſed roſa, calicem ſuum aperiens, qualiter cum appendicibus perſæpe in Rhodiorum nummis, hac ipſa pictura, cernitur. Acroſtolium, quod forficibus tenet cancer, tantopere ab omnibus decantatam Rhodiorum peritiam navalem celebrat, quamque Caſſio etiam, ſed fruſtra, exhibuiſſe Dio & Appianus docent. Cancer, prehendens forficibus acroſtolium, Caſſium ipſum ejusque ſignificat claſſem, quod mire illuſtrant illa Appiani: *Rho-*

Rhodii, navigiis agilibus ultro citroque discurrentes, modo penetrabant adversos ordines, modo circumveniebant: Romani contra innixi gravioribus, quoties aliquam prehendebant, injectis ferreis manibus, majore vi prævalebant, ut in terrestri prælio.

Quod ad Acrostolium, ut Sidonis insigne, attinet, sciat lector, potius ejus urbis insigne palmæ fuisse ramum, qui passim retro caput, seu genii istius urbis turritam faciem, in nummis conspicitur. De Servilio legato in gente Servilia agendum erit.

II.

Caius CASSI*us* IMP*erator*. Caput Libertatis laureatum. Signum aquilæ, quod subtus impressum cernitur, nota est ducum Mantuæ, qui nummum hunc in gazophylacio suo possederunt, & multi denarii ita signati in hoc opere conspiciuntur. Solebant alii in margine numeros sculpere, secundum quos videlicet repositi in loculis suis erant, quales ex Arschotano museo complures ipse quoque possideo.

Marcus SERVILIVS LEG*atus*. Acrostolium florescens in extremitatibus suis.

Diximus jam supra navalem Rhodiorum potentiam acrostolii symbolo designatam fuisse, urbem ipsam rosa; in hoc denario ex duobus illis utraque conflata sunt, acrostolio videlicet & flore rosæ, in extremis enim partibus florescens acrostolium (quod non est negligendum) cernitur. De navali certe expeditione Cassii, quamvis subobscure illud, vidit aliquantum Begerus Thes. Brand. Tom. II. p. 546. sed non pervidit.

Caput Apollinis, si exstaret in hoc & superiore denario, ad Rhodum quoque spectare nemo negaret. Isto enim Deo & ejus colosso plurimum semper illa urbs gavisa fuit, nam

—— —— —— *hic illius arma*
Hic currus fuit.

Quem certe currum, unum ex omnibus donariis, reliquisse Rhodiis Cassium testatur in adlatis supra verbis Dio Cassius. Sed Libertatis omnino esse caput, quamvis mire fluctuet Vaillantius, testatur adscriptum deæ nomen in familia Vibia apud Morellium nostrum tab. II. num. V.

Hæc quum scripsissem incidi in plagulas Thesauri Fridericiani, quod opus prælum exercuit eodem quo nostrum tempore; atque cum multa voluptate vidi mecum de Gammaro (quod perperam Arethusæ nomen tribuit Vaillantius) sentire doctissimum ejus editorem Liebeum, ubi itidem vidimus Rubenio Arschotan. Numism. commentatori, illud de Rhodo & flore ejus, seu balaustio, in mentem venisse.

III.

CASCA LONGVS. Caput Neptuni laureatum cum tridente.

BRVTVS IMP*erator*. Victoria gradiens utraque manu corollam tenet cum lemniscis, palmam vero habet super humeros.

Hic denarius nihil pertinet ad gentem Cassiam, cui per errorem insertus est, sed ad Juniam & Serviliam; hæc enim inter alia cognomina illud Cascæ quoque habebat, ut suo loco visuri sumus.

IV.

LEIBERTAS. *Caius* CASSI*us* IMP*erator*. Caput Libertatis velatum.

LENTVLVS SPINT*her*. Lituus & præfericulum, auguratus insignia.

Libertatis Deæ caput, modo velatum, ut in hoc nummo, depinxerunt, tanquam matronæ gravis, modo læte & juveniliter comtum, ut nummo sequenti aliisque in denariis, quod gratum illud nomen Romanis auribus esset; modo laurea corona redimitum, ut in nummis duobus hujus tabulæ prioribus, quod victoriam pro libertate pugnantes certam sperabant, sive quod voto huic deæ facto atque sacrificantes coronati lauro incederent, unde Pietatis caput passim lauro quoque insignitur. LEIBERTAS hic scribitur ut in num. I. CASSEI*us*.

De auguratu Lentuli Spintheris, qui præfericulo & lituo exprimitur, in Cornelia gente visuri sumus.

V.

LEIBERTAS. *Caius* CASSI*us* IMP*erator*. Caput deæ Libertatis eleganter comtum.

LENTVLVS SPINT*her*. Auguratus iterum insignia, præfericulum & lituus.

VI.

Caius CASSIVS IMP*erator*. Tripus cum holmo & imposito desuper reticulo.

LENTVLVS SPINT*her*. Præfericulum & lituus.

De ludis Apollinaribus, nomine scilicet Bruti & Cassii prætorum procuratis, hunc tripodis typum explicat Vaillantius; sed hallucinationem hanc, sane magnam, in quo P. Seguinum sequitur, multis ostendit & refellit Ill. Spanhemius, quem omnino inspicere oportet Tom. II. pag. 135. ubi ostendit, non a duobus prætoribus, sed ab uno Bruto prætore urbano ludos Apollinares fuisse editos, & plura huc pertinentia. Tripus itaque aliquod Cassii sacerdotium innuit.

VII.

OB CIVIS SERVATOS. Corona quernea inter duos lauri ramos.

Caius CASSIVS *Cai* *Filius* CELER III VIR *Auro Argento Aere Flando Feriundo.* in area S. C.

Videtur hic Cassius ex antiqua illa Cassiorum gente fuisse. Celeris cognomen plurimis familiis commune fuit. De Cassio Celere nihil apud antiquos. Erat triumviratus monetalis inter minores magistratus & gradus ad majores. Unde quidam de isto magistratu intelligunt illa Ovidii IV. Trist. X. 33.

Cepimus & teneræ primos ætatis honores;
Eque viris quondam pars tribus una fui.

VIII.

Caput Jani geminum, barbatum, pileoli genere quodam tectum.

Caius CASSI*us*. *Lucius* SALIN*ator*. Prora navis.

Vaillantius nummum hunc, qui as uncialis est, revocat ad C. Cassium C. F. & ad A. V. C. DXV. adplicat, quo videlicet anno, ut idem repetit in fam. Livia (ad quam Salinatoris pertinet cognomen) inveniantur simul magistratus gessisse C. Cassius & (quem fratrem Lucii credit) C. Livius Salinator, & hic quidem Livius tribuni plebis, Cassius quæstoris munere functus fuisse. In quibus miror parachronismum, bis repetitum. Neque enim isto anno, sed demum DCXIII. Cassius & Livius Salinator magistratu simul functi inveniuntur; & tunc quidem C. Livius C. F. C. N. Salinator agnoscitur tribunus plebis, & C. Cassius

sius C. F. C. N. Longinus, quæstor provincialis. Negare vero nolo, fieri potuisse ut Cajo Livio Salinatori frater fuerit, Lucius dictus, qui in aliquo magistratu cum Cassio nostro constitutus simul asses hosce cuderit. Apud historicos omnes Livii Salinatores habent nomen Marci vel Caji; sed L. SALIN. tamen constanter in nummis legitur, qualem ipse unum habeo similem lit. inf. B. Non vero ausim statuere L. literam hic Livium indicare potius quam Lucium, quum non occurrat exemplum nominis gentilis unica expressi litera initiali, quod in prænominibus familiare admodum fuit. Hinc, est quod rectius ad gentem Oppiam pro Livia confugit Perizon. de Num. Consul. p. 272. & 273. cujus explicationem visuri sumus ad eundem hunc nummum male in gente Livia repetitum.

Litera A.

Caput Jani laureatum cum cippo inverso.
Caius CASSIVS. *Lucius* SALIN*ator*. Prora navis cum inscriptione *Deo Semoni Sanco*, vel verius forsan *De Senatus Sententia*.

Literæ navi inscriptæ D. S. S. quas de *Deo Semone Sanco* interpretantur, respicere quibusdam videntur ad tutelam navis, & dedicationem ejusdem, Sanco scilicet factam. Et notus satis inter Romana numina etiam hic deus fuit, ex Sabinis translatus, apud quos hoc nomine Hercules colebatur. Unde nihil mirum, si apud Reatinos plures inventæ fuerint inscriptiones Deo Semoni Sanco sacratæ. Reate enim oppidum fuit Sabinorum, unde in agro Reatino arduo in loco sua etiamnum ætate extitisse locum adpellatum *Colle di Sante*, i. e. *Sanci collem*, situm prope Consilianum, item alios, dictos *Vote di Santo* & *Valli di Santo*, docet Pompejus Angelottus, in descriptione urbis Reate; qui libellus exstat ex versione nostra Tom. VIII. Parte III. Antiq. Italicar. ubi etiam pag. 43. recensentur duæ illæ inscriptiones, quæ inter alias proponuntur etiam a Grutero p. XCVI. 7. & 8. quas ex Angelotto eodem adferre libet, ut cum Gruterianis conferantur. Prior ita sese habet.

SANCTE
DE DECVMA VICTOR TIBEI LVCIVS.
MVINVS DONVM
MORIBVS ANTIQVEIS PRO VSVRA
HAC DARE SESE
VISVM ANIMO SVO PERFECIT TVA
PACE ROGANS TE
COGENDEI DISSOLVENDEI TV VT
FACILIA FAXEIS
PERFICIAS DECVMAM VT FACIAT
VERAE RATIONIS
PROQVE HOC ATQVE ALIEIS
DONIS DES DIGNA MERENTI.

Posterior hæc est:

PATRI REATINO SACRVM

Hisce præponi debere SANCO DEO adparet ex Grutero.

OB HONOREM AVGVST.
VI. VIRI AVGVST.
TITVS BETVLNVS FELIX
AVLVS LICINIVS SVCCESSVS
TITVS POMPONIVS MODERATVS
LVCIVS FLAVIVS HERMEROS
C. ACHORISTVS.
L. D.
D. D.

Ultimam hanc adfirmat idem Angelottus servatam adhuc suo tempore fuisse in civitate Reate in ædibus Pennachorum; priorem vero in Monte Pietatis exstare. Gruterus autem in titulo inscriptionis ita scribit. *Reate, ante fores summi templi, in capite pilæ marmoreæ, quæ plena est virorum varii habitus choreas ducentium & [illegible] cornutium, quidam inter [illegible] muliebri vestitu manu clavam tenet.* Ludicrum illud Herculis esse adparet, & mulierem illam Iolèm esse. De Semone Sanco qui plura cupit, consulat Ovidii commentatores ad illa lib. VI. Fastor. versu 213.

Quærebam nonas Sanco Fidione referrem,
An tibi, Semo pater: tum mihi Sancus ait.
Cuicunque ex illis dederis; ego munus habebo.
Nomina terna fero: sic voluere Cures.

Romæ jam A. V. C. CCCCXII. ædes deo huic sacrata exstitit, ut docet Livius de bello Privernate agens lib. VIII. cap. 2. *Ædes ejus* (Vitruvii Fundani, qui ducem se rebellibus Privernatibus dederat) *quæ essent in palatio, diruendas, bona Semoni Sanco censuerunt consecranda: quodque æris ex eis redactum est, ex eo ænei orbes facti; positi in sacello Sanci versus ædem Quirini.*

Colligere itaque hinc liceret C. Cassium & L. Salinatorem, qui hos asses cuderunt, vel ex Sabinis originem traxisse, vel curam aliquam sacelli hujus dei Sanci restituendi habuisse, vel alio quocunque modo illi deditos fuisse.

At vero, qui literas hasce D. S. S. explicat *De Senatus Sententia*, Perizonius, meliori jure niti videtur, ut visuri sumus in gente Livia, ubi iterum hic nummus occurrit.

Litera B.

Caput idem Jani biceps, sed in cujus summo luna corniculans cernitur.
Lucius SALINATO*r*. *Caius* CASSIVS. Prora navis similiter inscripta *Deo Semoni Sanco.* vel *De Senatus Sententia*.

Jano quod luna crescens in capite adpingatur, nihil mirum, quum inter alia ejus insigniora facta anni dimensio illi tribuatur, atque Hecates, id est Lunæ quoque filius fingatur. Ita enim de Jano patre Arnobius lib. III. p. 117. *Incipiamus ergo solemniter ab Jano & nos patre, quem quidam e vobis mundum, annum alii, solem esse prodidere nonnulli.* Et paullo post: *quem ferunt Cœlo atque Hecata procreatum in Italia regnasse primum.* Unde ex Numæ religione dicatam Jani imaginem scribit Plinius lib. XXXIV. cap. VII. pag. 645. ed. Hard. *digitis ita figuratis, ut* CCCLV. *dierum nota, per significationem anni, temporis & ævi, se deum indicaret.* Quod firmat Macrobius lib. I. cap. IX. *Inde plerumque Jani simulacrum fingitur manu dextra trecentorum, & sinistra sexaginta & quinque numerum tenens, ad demonstrandum anni dimensionem.* Ubi anni a Numa constitutionem in numeris repo-

ni debere volunt viri docti, ut cum Plinio illi conveniat.

Dixi supra, hunc quoque nummum in nostro museo inveniri; hoc vero discrimen inest, quod transpositis nominibus ita legatur, *Cajus* CASSI*us*. *Lucius* SALIN*ator*.

TAB. III.

I.

Caput Vulcani laureatum cum pileo; adest forceps, & nota semissis S.

Caius CASSI*us*. ROMA. Prora ratis cum S. semissis nota.

Vulcani typus conveniens est monetæ præfectis, unde in gente Aurelia & Cottæ nummo sup. num. IV. pariter observatur. Pertinet vero vel ad eundem Cassium, qui superiores cudit, vel (ut Vaillantius mavult) ad patrem ejusdem C. Cassium, C. F. qui post alios Magistratus consul factus est A. V. C. DLXXXII. & censor cum Valerio Messala A. V. C. DXCIX.

II.

AVGVSTVS TRIBVNIC*ia* POTEST*ate*. in corona quernea.

Caius CASSIVS CELER III VIR *Auro Argento Aere Flando Feriundo*. in area S. C.

Idem hic Cassius Celer est, cujus majoris moduli nummus invenitur Tab. II. num. VII. qui ex triumviris monetalibus, a Senatu Romano electis, fuit.

III.

CAESAR AVGVSTVS TRIBVNIC*ia* POTEST*ate*. Caput Augusti nudum.

Epigraphe &c. ut supra.

IV.

LIBERTAS. *Marcus* AQVINVS LEG*atus*. Caput deæ Libertatis laureatum.

Caius CASSI*us* IMP*erator*. Tripus cum holmo, cortina, & duobus laureis ramis.

Primus insigne hoc numisma aureum produxit Patinus, & inter addenda Ursino reposuit. Paullo post ex cimeliis suis protulit ill. abbas P. Seguinus, sed cum insigni (si recte expressum numisma est) discrimine. Pro laureis enim ramis duo pueruli cernuntur ad latera tripodis cortinam quasi sustinentes. Quod secus in ipso nummo se habere puto ex Morellii nostri delineatione, qui ex museo Regio, in quod omnia Seguini transierunt numismata, typum hujus nummi, qua pollebat diligentia, credi debet delineasse; nec aliter Patinus & ex eo Vaillantius delinearunt. Imo nullam de puerulis mentionem (quod omittere non debuerat, si exstitissent) fecit Seguinus, cujus commentationem, utpote adprime ad Aquini hujus notitiam eruendam facientem, subjicere non gravabor. Verba ejus hæc sunt. „ Aquinus, gentis seu familiæ nomen creditum est a pluribus, „ non nostratibus tantum, sed Romanis etiam & „ Italis, qui in re antiquaria principes habiti sunt. „ Sed re accuratius expensa, cognomen tantum „ esse deprehensum est: quippe gentilitia Romanorum nomina, ut recte observavit Car. Sigonius, lib. de Nomin. Rom. in *ius* desinunt, „ ut Cornelius, Julius. Quamvis autem pauci „ aliquot illustres viri, quasi gentilitii nominis „ expertes, huic regulæ adversari videantur, ut „ M. Perperna & Norbanus, Consulares, qui „ ita in libris, & Capitolinis marmoribus nominantur: id tamen contigisse videtur, aut quod „ ipsi cognomine magis quam nomine delectati „ sint; ut M. Agrippa, cujus gentilitium Vipsanii nomen in lapidibus & nummis vel omissum, vel raro admodum inscriptum est; aut „ certe, quod eorum nomina ignota remanserint. „ Sed de Aquino ne dubitare quisquam possit, facit Corn. Tacitus, lib. I. Hist. dum Cornelium Aquinum Legatum nominat, qui Fontejum Capitonem in Germania imperium meditantem, Nerone mortuo, oppressit. Cujus „ Legati gens aut familia, dum indubitanter adscritur Cornelia, restat ut Aquinus cognominis „ locum retineat. Facit & nummus unus, in „ quo idem Cæciliæ genti cognomen tribuitur. „ Is æreus est, secundæ magnitudinis, hinc caput Tiberii præferens, inde bovem cum inscr. „ CAEC. AQVIN. IIVIR. MVN. TVR. „ Ad nullum tamen Aquinorum istorum pertinet „ nummus noster, sed ad alterum superioris ævi; „ quem, nisi me valde conjectura fallit, apud „ historiæ Romanæ auctores duos latentem reperi. Siquidem Hirtius, aut si mavis Oppius, „ lib. de bell. Af. mentionem facit M. Aquini „ Pompejanarum partium, quem hominem novum & parvum senatorem appellat: conqueriturque Jubæ regi barbaro potius obedientem fuisse, quam Scipioni Imperatori suo. „ Huic etiam Cæsar, post victoriam Thapsensem, vitam concessit. Certe in codice reperitur Aquinius, non Aquinus; sed male: ejusdem enim, ut opinor, meminit App. Alexandrinus, lib. II. Bell. Civ. inter illos, qui participes gloriæ cædis Cæsarianæ censeri voluerunt, quamvis socii facinoris non essent; & „ Aquinum vocat, non Aquinium. Immo eundem censeo atque Cæcilium, quem nomine familiæ suæ Cæciliæ paulo ante signaverat inter „ familiares C. Cassii, postea vero cognomine „ suo appellavit Aquinum. Quod si familiaris „ C. Cassii fuit, nil mirum, postea legatum ipsius fuisse, ut notat nummus, in bello, quod a „ Bruto & Cassio adversus Antonium & Octavianum Cæsarem gestum est.

„ Tripus ille in nummo signatus, & Apollini „ sacer, indicat ludos Apollinares, qui ordinantibus & procurantibus Bruto & Cassio celebrati sunt. Erant enim prætores tum, cum Cæsarem interfecerunt: ideoque ad eos pertinebat „ ludorum istorum celebratio, ut Livius pluribus locis docet: quo munere magnificentissime defuncti sunt, quamvis absentes ob metum „ veteranorum Cæsaris. Vide Ciceronis Philippicas, II. & X. atque etiam Ful. Ursinum, „ qui de his ludis eruditissime disserit in Familia „ Junia. „

Adsentior equidem doctissimo Seguino ad familiam Cæciliam Aquinum relegantem; verum interpretationem aversæ partis de tripode erroneam esse, & Vaillantio errandi ansam dedisse, supra ad num. VI. tab. II. ostensum est.

Lit. C.

AVGVSTVS DIVI *Filius*. Caput Augusti laureatum.

CAESAR*ea* AVGVST*a* *Lucio* CASSIO *Caio* VALER*io* FEN*estella* II VIR*is*. Colonus agens boves.

Arguit hic nummus duumvirum Cæsareæ Augustæ in Hispaniis fuisse hunc L. Cassium, qui an ex veteri Cassiorum prosapia, an libertino genere fuerit, non constat.

AV-

AVGVSTVS DIVI *Filius.* Caput Augusti laureatum.

CAESAR*ea* AVGVSTA *Lucio* CASSIO *Caio* VAL*erio* FEN*estella* II VIR*is.* Vexillum aræ inpositum.

Docet Vaillantius de Colon. Tom. p. 28. & alibi, moris fuisse, ut dum colonia deduceretur, prius ara exitrueretur, supra quam sacra fierent, antequam terminus urbis sulco aratri inpressi designaretur; sacrificio dein peracto vexillum legionis, quod legionis deducendæ nomen habebat inscriptum, aræ isti fuisse inpositum.

Lit. E.

T*iberius* CAESAR DIVI AVG*usti Filius* AVGVST*us* IMP*erator* VIII. Caput Tiberii nudum.

Caio VIBIO MARSO PR*o*CO*nsule* III. *Caius* CASSIVS FELIX *Augur* vel *Augustalis* II VIR D. D. P. P. i. e. *decuriones posuere.* Statua Liviæ sedentis, dextra pateram, læva hastam tenentis.

De Vibio Marso agemus in familia Vibia. Apud Gruterum p. CCXL. inter tribules tribus Succussanæ Junioris memoratur C. Cassius Felix, in ara prægrandi, cui statua Vespasiani inposita fuisse videtur. Utrum cum hujus Cassii progenie & gente commune aliquid habuerit, incertum est.

Lit. F.

IMP*erator* T*iberius* CLAVDIVS AVG*ustus* GER*manicus.* Caput Claudii laureatum.

ΕΠΙ ΚΑΣΣΙΟΥ ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ ΕΤ*ει* ΔΨ. *Sub Cassio Antiochensium.* Anno XCIV. in laurea.

Hic est Cassius ille Longinus, cujus magnificum exstat elogium apud Tacitum lib. XII. cap. 12. qui peritissimus jurisconsultus fuit habitus; ad consulatum pervenit, atque, ad preces regis Agrippæ, Vibio Marso successor datus est in administranda Syria ab imperatore Claudio, ut Josephus testatur; quæ omnia quum luculenter illustraverit eruditissimus Cardinalis Norisius De Epoch. Syro-Maced. p. 179. verba ejus subnectam, ut quæ mirifice hos nummos illustrant. „ Cassius, qui in „ delineato nummo scalptus legitur, est C. Cassius „ Longinus, celebris Juris consultus, de quo Pomponius Digest. de Orig. Juris scribit: *Hic Consul* „ *fuit cum Quartino temporibus Tiberii.* Quod Col- „ legium Consulum a magno Panvinio in Fastis ad „ A. V. DCCLXXXIII. ita describitur: *M. Vi-* „ *nicius Quartinus & C. Cassius Longinus Juris con-* „ *sultus.* Panvinii voces ceteri Fastorum Scriptores „ fideli echo reddiderunt. Vulgarem tamen errorem „ emendavi p. 12. Epistolæ Consularis ad eruditis- „ simum amicum meum Antonium Pagi. Nam „ Gruteri pag. 1087. recitatur fragmentum Fa- „ storum municipalium una cum quibusdam Ro- „ manis Consulibus, quos inter leguntur

L. CASSIVS. LONGINVS. M. VINICIVS. COS. SVF. C. CASSIVS. LONGINVS L. NAEVIVS. SVRDINVS.

„ Ex hac Inscriptione colligimus C. Cassium Lon- „ ginum A. V. DCCLXXXIII. fuisse Consulem „ suffectum, non vero ordinarium, ut hactenus in „ Fastis descriptus est; insuper ejus collegam „ perperam in libro Pomponii *Quartinum* nuncu- „ pari, qui *Surdinus* dicendus erat. Hinc alter „ Panvinii ac aliorum error emendatur, qui Vi- „ nicio, consuli ordinario, *Quartini* cognomen ad- „ diderunt. In nummis III virum Monetalium „ sub Augusto legitur L. NAEVIVS SVRDI- „ NVS. Jacobus Sponius sect. II. Miscell. art. „ VII. pag. 7. recitat epigramma a Magistris „ fontium dicatum.

L. CASSIO. LONGINO. M. VINICIO. COS.

„ Itaque L. Cassius Longinus A. V. „ DCCLXXXIII. consulatum ordinarium ges- „ sit; Cajus vero Cassius Longinus eodem anno „ consulatu suffecto functus est. De utroque plu- „ ra adnotavi pag. 332. de Cenotaphiis Pisanis. „ Josephus lib. XX. laudato, scribit C. Cassium „ Syriæ præsidem, cum Hierosolyma advenisset, „ a Judæis rogatum, ut ipsis stolam Pontificiam „ restitueret; ac re ad Claudium Cæsarem delata, „ Judæos voti compotes factos, datis ad eosdem „ literis cum titulo: *Claudius Cæsar Germanicus,* „ *Tribuniciæ potestatis* V, *Consul designatus* IIII, „ *Imp.* X. *&c.* & signatur epistola: *Dat.* IV. *Kal.* „ *Julias, Rufo & Pompejo Silvano Coss.* Impera- „ tor Claudius A. V. DCCXCVIII. IV. Kal. „ Julias, erat tribuniciæ potestatis V. ac consul „ designatus IV., in annum urbis a parilibus „ DCCC. In vetustis etiam Inscriptionibus Gru- „ teri pag. CLXXVI., 5. CCXXXVII, 8. & „ alibi dicitur TRIB. POT. V. COS. DES. IIII. „ Ex quibus patet Claudium designatum Consu- „ lem IV. biennio antequam magistratum iniret. „ Hinc etiam colligimus C. Cassium fuisse præ- „ sidem Syriæ A. V. DCCXCVIII. Agrippa re- „ ge anno superiori demortuo. Tacitus lib. XI. „ Ann. ad A. V. DCCC. Claudio Augusto IV. „ & L. Vitellio Coss. de Bardane rege Parthorum „ scribit: *Exin validissimas præfecturas invasit, &* „ *reciperare Armeniam, ni, Vibio Marso Syriæ Le-* „ *gato bellum minitante, cohibitus foret;* ubi eo- „ dem anno recitat ludos Sæculares anno urbis „ Romæ DCCC. a Claudio celebratos. Ex his „ Usserius putat, Tacitum circa tempus Syria- „ cæ administrationis Vibii Marsi a Josepho di- „ screpare, quocum etiam ipse idem opinabar in „ libro de Cenotaphiis Pisanis; siquidem Jose- „ phus Marso in urbem anno V. Romæ „ DCCXCVII. revocato, Cassium Longinum Sy- „ riæ præsidem memorat. Sedulus veterum num- „ morum scrutator Joannes Vaillantius, cum Flo- „ rentiam advenisset, hanc mihi abs se visi numis- „ matis inscriptionem ostendit: ΕΠΙ ΚΑΣΣΙΟΥ. „ ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ. ΔΨ: *Sub Cassio. Antiochensium.* „ *Anno* XCIV. Epocha Antiochena cœpit ab „ autumno A. V. Romæ DCCV. Quare annus „ ejusdem XCIV. iniit ab autumno A. V. Romæ „ DCCXCVIII. quo C. Cassius Longinus præ- „ ses Syriam, uti Josephus scribit, administrabat. „ Nec oppositum ex Tacito deducitur; ille enim „ lib. II. scribit Parthos post necem Bardanis, „ legatos Romam misisse A. V. DCCC. Porro „ ejus legationis occasione, regreditur ad narran- „ da bella civilia inter Bardanem ejusque fratrem „ Gotarzem pro occupando regno Parthorum. Ibi „ tradit Bardanem, fratre in Hyrcaniam sece- „ dente, imperium occupasse, qui rerum felici- „ tate elatus, *exin,* inquit, *validissimas præfectu-* „ *ras invasit, & reciperare Armeniam, ni Vibio* „ *Marso Syriæ Legato bellum minitante, cohibitus* „ *foret.*

„ *foret.* At postea recitata victoria Bardanis, ait: *prosperisque prœliis medias nationes subegit ad flumen Gindem, quod Dabas Ariosque disterminat. Ibi modus rebus secundis positus.* Tum narrat occiso postea Bardane, ac Parthis luxum ac sævitiam Gotarzis, qui regnum occupaverat, pati recusantibus, ab iisdem occultis precibus Imperatorem Claudium rogatum, ut illis Meherdatem Romæ obsidem, regem concederet. Hæc occulta Parthorum legatio missa est memorato A. V. DCCC.; cetera vero superioribus annis contigerant, quæ uno historiæ filo ibidem Tacitus recitavit, ut ejusdem legationis causam altius deduceret. Hinc nulla Tacitum inter ac Josephum de annis Syriaci regiminis Marsi discrepantia est. In nummo Cassii præsidis mihi superius delineato, signatur annus Antiochenorum XCVI., qui cœpit ab autumno A. V. Romæ DCCC. Idem Tacitus lib. XII. narrans gesta A. V. DCCCII. C. Pompejo, Q. Verannio Coss. scribit de Claudio, Meherdatem juvenem ad avitum Parthorum regnum capessendum dimittente: *Datum post hæc C. Cassio, qui Syriæ præerat, deducere juvenem ripam ad Euphratis. Ea tempestate Cassius ceteros præeminebat peritia legum; nam militares artes per otium ignotæ, industriosque ac ignavos pax in æquo tenet. Attamen quantum sine bello dabatur, revocare priscum morem, exercere legiones, cura, provisu, perinde agere ac si hostis ingrueret. Ita dignum majoribus suis & familia Cassia ratus, per illas quoque gentes celebrata.* Plura de Cassio collegi in Cenotaphiis Pisanis. „

Cassii mentio apud Norisium in Cenotaphiis Pisanis exstat p. 332. ubi adventum ejus in Syriam, ut præsidis, removerat usque ad A. V. C. DCCCI. quem suum errorem dilucide ex nummis evinci, prudens ostendit in superioribus. Sunt enim nummi antiqui testes irrefragabiles, qui sæpe, ubi deficiunt rerum gestarum scriptores, res maximi momenti nos docent. Successit hic Cassius Marso, ille Petronio. Circa A. V. C. DCCCIV. successorem accepit Ummidium Quadratum, Romamque reversus, quamvis senex & luminibus orbus in exilium a Nerone missus fuit; quod accidisse ibidem p. 333. Norisius computat A. V. C. DCCCXVIII. Cassius enim præ senectute minus videbat. Sueton. in Nerone cap. XXXVII. *Objectum est Cassio Longino Jurisconsulto, ac luminibus orbato, quod in vetere gentili stemmate C. Cassii, percussoris Cæsaris, imagines retinuisset.* Opes vetustas, tyrannorum escam, addit Tacitus Annal. XVI. 7. *Nullo crimine, nisi quod Cassius opibus vetustis & gravitate morum, Silanus claritudine generis, & modesta juventa præcellebant. Igitur* (addit) *missa ad senatum oratione, removendos a republica utrosque disseruit: objectavitque Cassio, quod inter imagines majorum, etiam C. Cassii effigiem coluisset, ita inscriptam* DVCI PARTIVM. De pœna ejus cap. IX. *deportatusque in insulam Sardiniam Cassius.* Pervenisse illuc incolumem, neque, ut Silanum, in itinere fuisse interfectum, patet ex delatoris Cossutiani in Thraseam oratione cap. XXII. *Frustra Cassium amovisti, si gliscere & vigere Brutorum æmulos passurus es.*

Lit. G.

Caput idem, epigraphe similis.

ΕΠΙ ΚΑΣΣΙΟΥ ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ ΕΤους ϛq. *Sub Cassio. Antiochensium anno* XCVI. in laurea.

Nihil a præcedenti discrepat, nisi in æræ anno, quo docemur quam diu, ad minimum, Syriæ præfuerit C. Cassius Longinus. Vidit & similem Norisius p. 179. discrimine notarum hoc, ut pro ϛq eundem annum exhibeat per literas numerales ϙq sive R. jacens seu supinum. Vaillantius in Num. Gr. p. 13. annum XCI. sive Aq. quoque adducit. Omnes vero Græci nummi Imperatorum, qui familiæ Romanæ nomen habent adscriptum, rari sunt; omnes quoque qui ab altera parte latinam habent epigraphem.

CESTIA.

Gens Cestia plebeja fuit, ut ex inscriptione a Fulvio Ursino adlata patet, in qua fit mentio C. Cæstii L. F. qui tribunus plebis fuerit. Utrum Cestii & Sestii promiscue dicantur, non liquet.

I.

Caput Africæ, proboscide elephantina capitisque exuviis velatum. Nota inpressa, quæ in hoc & sequenti denario adest, atque aquilam repræsentat, incusa nummis ducum quondam Mantuæ invenitur.

Lucius CESTIVS *Caius* NORBA*nus* PR*ætores Senatus Consulto.*

Sella curulis cum inposita galea, pedes sellæ in altero superioris partis crure aquilas habent, ornatus gratia pro sustentaculis sellæ exstructas.

Inscriptio nummi testatur L. Cestium & C. Norbanum Prætores fuisse simul, quum aureos hosce denarios ex *Senatus Consulto* cudi curarent. Prætorum insigne est sella curulis, cui cur galea sit inposita merito disceptatur; de judicio capitali (quod prætores antequam haberent, prætextam prius deposuisse Val. Max. IX. 9. tradit) hic & in Norbana gente cogitat Vaillantius; sed cur tale judicium per galeam exprimi voluisset antiquitas, nulla ratio est. Ut vero hic in sella curuli posita cernitur galea, ita in nummis Domitiani, quales duos servo, sellæ cuidam similiter inposita galea cernitur; & in illis nummis princeps juventutis inscribitur. Quare typum fortitudinis potius interpretor, & Norbanum celebrare voluisse bellicam suam fortitudinem, dum pro republica arma induit, quæstor Antonii, contra turbam hominum seditiosorum ex agris convocatorum a seditioso tribuno plebis Apulejo Saturnino, qui in ipso conatu oppressus fuerat A. V. C. DCLIII. Idem Norbanus expeditionem Africanam (cui, ut Marianæ factionis nobilis turbo, una cum illo Mario contra Numidiæ regem Jugurtham, adfuisse videtur) in anteriori parte per Africæ caput expressit, ut recte judicasse opinor Vaillantium. Videtur idem, qui consul postea factus est A. V. C. DCLXX. & qui a Sullanis tandem partibus victus, Rhodi in medio foro se peremit. Hoc itaque denario aureo sua decora Norbanus, Cestius sua sequenti expressit.

II.

Lucius CESTIVS *Caius* NORBANVS PR*ætores.* Caput Veneris.

Senatus Consulto. Cybele in leonum biga.

Statuit Vaillantius aureum hunc nummum cusum fuisse quum simul ædilium curulium munere fungerentur Norbanus & Cestius, quod statuit fuisse A. V. C. DCLXIII. sive (ut alii computant) DCLXIV. in Fam. Norbana p. 176. In Cestia vero p. 251. anticipat annum; Cestium vero eundem ac L. Sestium facit.

Primum sciendum est, perperam statui a Vaillantio in ædilitate Norbani & Cestii hunc num-

mum cufum, qui cufus eft, dum una fuerunt prætores. Natus inde error Vaillantio, quod Urfinus, quem fequitur, literas PR. quæ PR*ætores* fignificant, in nummo fuo non obfervaverit. Deinde fuo periculo annum ædilitatis (in quo neque fibi conftat) duobus hisce certum adfignat; qui probari certus vix poterit, quum nullum ex antiquis monumentis pro definiendo anno adfit fubfidium. Ceftius, fi L. Seftius ille fit, qui tribunus plebis cum nobiliffimis viris M. Marcello & D. Bruto fuit A. V. C. DCLIX. ftatuitur ab eruditis veniffe ad Pompejum in Macedoniam, ætate jam exacta atque altero crure claudus, quem quum Pompeji comites, ut debile auxilium, riderent, fimulatque vidit Pompejus, furrexit, eique occurrit, pro magno teftimonio habens, quod vel ætate & viribus inpotens fecum mallet difcrimen adire, quam fecuritatem amplecti. Verum falluntur; is enim non L. Seftius, fed *Tidius Sextius*, Τίδιος Σέξτιος appellatur a Plutarcho in Vita Pompeji pag. 653.

Ego tutius puto effe Ceftios & Sextios difcernere; agnofcitur enim Ceftius quidam Κέστιος τις ὑπομαργότερος, *non fatis fanæ mentis*, qui quoniam in Macedonia militaverat, Macedonicum fe ipfe adpellabat, apud Appian. Bell. Civ. lib. V. pag. 699. & qui, capta Perufia, ædes fuas incendit, feque ipfum in flammas conjecit, & in cauffa fuit, ut univerfa civitas, excepto Vulcani fano, deflagraret. Potuit ifte Ceftius hujus noftri Ceftii propinquus cognatione fuiffe.

Veneris cur caput in nummo hoc fignatum fit, incertum eft, Vaillantius Ceftium refpexiffe vult ad nominis originem, quafi a deæ ejus ceftu, feu cingulo defumtum. Ludos Megalenfes forte fplendidiores in ædilitate fua dederat Ceftius, unde, jam prætor factus cum Norbano, illorum typum expreffit, nulla alia familiæ fuæ decora ad manum quum haberet.

III.

Marcus CESTIVS *Lucius* MVNATIVS. Caput Cereris velatum & fpicis coronatum. Ad pectus tæda ardens exit.

MVN*icipium* HENNA. Pluto, rex inferorum, in citis quadrigis Proferpinam rapit.

Harduinus ad Plin. lib. III. p. 163. tangit huic fimilem nummum, quem ait in mufeo regio extare, & pro more fuo, abufus ingenio, ad Narbonem refert, fingulas literas ridicule fatis ita fupplens & explicans, MVN*us Hadriane Edidere Nocturnum Narbonenfes Augures.* & explicat de confecratione Sabinæ & ludis funebribus in honorem Sabinæ nocte editis. Paullo inferius munus idem de ludo gladiatorio explicat, M. Ceftius vero illi triumvir monetalis Narbonenfis eft. Nugis qui delectatur, notas ibi Plinianas adeat, quæ non indigent ut refellantur. Monendus tamen lector eft, non illum nummum, quem ibi defcribit Harduinus, & quem hic exprimit Morellius, cerni inter nummos Harduinianos Tom. I. tab. II. ad pag. 163. fed alium, qui non Plutonem cum Proferpina in quadrigis habet, fed Proferpinam folam, ut Lunam Luciferam, dextra habenas equorum, læva tenentem facem accenfam, qualem fere expreffit Haymius Thef. Britt. tom. II. p. 159. qui nummus alius & a noftro diverfus eft.

Henna, feu Enna, Siciliæ urbs, nunc *Caftrum Johannis* dictum, præ cæteris urbibus infulæ iftius, quæ tota Cereri & Proferpinæ dicata fuit, jus habuit deas illas in monetis fuis fignandi, & præfertim raptum Proferpinæ. Quod quum fufe a nobis fit demonftratum in noviffima Parutæ editione (quæ Thefauro Antiq. Italic. inferta eft) pag. 578. 579. 580. tum pauca inde delibabimus, quæ ad nummi hujus interpretationem fpectant. Ferebant apud fe effe & monftrabant peregrinis Hennenfes os tartari, per quod iter patuiffet ad inferos Plutoni Proferpinam rapienti. Hinc fcribit Ariftoteles in Mirandis p. 1093. edit. in 8°. Ἐν τῆς Σικελίας τῇ καλουμένῃ Ἔννῃ σπήλαιόν τι λέγεται εἶναι, περὶ ὃ κύκλῳ πεφυκέναι φασὶ τῶν τε ἄλλων ἀνθέων πλῆθος ἀνὰ πᾶσαν ὥραν, πολὺ δὲ μάλιστα τῶν ἴων ἀπέραντόν τινα τόπον συμπεπληρῶσθαι. ἃ τὴν σύνεγγυς χώραν εὐωδίας πληροῖ, ὥς τε τοὺς κυνηγοῦντας, τῶν κυνῶν κρατουμένων ἀπὸ τῆς ὀδμῆς, ἐξαδυνατεῖν τοὺς λαγῶς ἰχνεύειν. Διὰ δὲ τούτου τοῦ χάσματος ἀσυμφανής ἐστιν ὑπόνομος. καθ' ὃν φασὶ τὴν ἁρπαγὴν ποιήσασθαι τὸν Πλούτωνα τῆς Κόρης. i. e. *Apud Siciliæ urbem Hennam fpecus dicitur effe, circum quam cum aliorum florum copia omni anni tempore crefcat, tum maxime violis immenfum terræ fpatium obtegatur, quæ finitima loca adeo fragrantia fua replent, ut correpti hac odoris fuavitate venatici canes, lepores veftigare nequeant. Sub hoc vero hiatu obfcurum quoddam antrum latet, quo egreffus Pluto, Proferpinam abripuiffe fertur.* Pariter *Solinus* cap. V. *Heic campus Hennenfis in floribus femper & omni vernus die. Quem propter eft demerfum foramen; qua Ditem patrem, ad raptus Liberæ exeuntem, fama eft, luce hac ufum.*

In quibus locis Proferpinæ raptum defcribentibus, flores atque foramen illud feu tubus fubterraneus conjunguntur. Neque alia loci defcriptio extat apud Diodorum in principio libri V. atque apud Ciceronem Verr. IV. cap. XLVIII. *Quam circa lacus lucique funt plurimi & lætiffimi flores omni tempore anni; locus ut ipfe raptum illum virginis, quem jam a pueris accepimus, declarare videatur. Etenim propter eft fpelunca quædam, converfa ad Aquilonem, infinita altitudine, qua Ditem patrem ferunt repente cum curru exftitiffe, abreptamque ex eo loco virginem fecum afportaffe.* Inter Poëtas Silius Italicus antrum hoc tartareum ita defcripfit lib. XIV. verfu 238.

Henna, Deum lucis facram dedit ardua dextram,
Heic fpecus ingentem laxans telluris hiatum,
Cæcum iter ad manes tenebrofo limite pandit:
Qua novus ignotas Hymenæus venit in oras.
Hac Stygius quondam, ftimulante Cupidine, rector
Aufus adire diem; mœftoque Acheronte relicto,
Illicitas egit currum per inania terras.
Tum rapta, præceps, Hennæa virgine, flexit
Attonitos cæli vifum lucemque caventes
In Styga rurfus equos; & prædam condidit umbris.

Hinc videntur per cratera fumum evomentem, in aliis nummis fuis, iidem Hennenfes os illud inferni penes fe demonftrare voluiffe, ut ibidem docuimus, & etiamnum tempore Fazelli locum oftendebant incolæ ruinis oppletum. „ Specus vero „ (fcribit Fazellus p. 205.) unde Plutonem raptorem exiffe fabulatur antiquitas (qui ad aquilonem, non auctoritatis modo Ciceronianæ teftimonio, fed etiam nunc obverfus eft) oppletus hodie totus confpicitur. „

De

De Ceſtio & Munatio ad nummum ſequentem.

IV.

MVN*icipium* HENNA. Caput Veneris.

Marcus CESTIVS *Lucius* MVNATIVS II VIR*i*. Venus, toto corpore nuda, niſi quod lævo brachio dependens linteolum geſtet; dextræ manus extento digito, oculis etiam ad terram verſis, aliquid humi demonſtrat.

Quo minus ad Cereris vel Proſerpinæ facies hi typi referri poſſint, patet ex capite, quod palam Veneris eſt, & ex nuda illa diva, quæ nihil cum Proſerpina commune habet, quod nullum ejusdem virginis adſit ſymbolum. Ad hiſtoriam tamen raptus virginis reſpici in hoc nummo credo, & Venerem, divam potentem, ſub cujus nutu etiam ſunt Stygii Jovis numina, digito monſtrare locum illum adeo penes Hennenſes famoſum, quo velut oſtio inferni abſorptus Stygii regis erat currus & ſub terris demerſa Proſerpina.

Videamus jam de tempore cuſi nummi, atque duumviris in hoc & præcedente memoratis. Caput Veneris eodem filo deductum eſt, quo ſub Julio Cæſare cuſos Corinthi nummos æreos cernimus. A Venere originem trahere videri Cæſar volebat. Inclytus amicitia ejus Cæſaris fuit L. Munatius Plancus, conſul ſub eodem, & ab Auguſto poſtea ad cenſuram promotus. Hic, quum bello Mutinenſi omnia de ſe Ciceroni & reipublicæ pollicitus fuiſſet, deſertis iis Antonio & Lepido atque Cæſari adhæſit, fratrem quoque proſcribi paſſus eſt, & tandem ad Antonium in diſſenſione civili ſe adplicans, deſerto eodem in apparatu belli Actiaci ad Cæſarem Octavianum transfugit. Adfinem hujus L. Planci, vel libertum credo fuiſſe duumvirum hunc municipii Hennæ, qui una cum M. Ceſtio, homine nobis ignoto, magiſtratum hunc in urbe Siciliæ Henna geſſit; & in hoc nummo duumviri hi videntur captaſſe Cæſaris gratiam, in ſignanda Venere, ita tamen ut ad Hennæ antiquitates & raptum Proſerpinæ famoſum ſimul reſpicerent.

Henna quo tempore municipii jura acceperit, incertum eſt.

V.

IMP*erator* CAESAR NERO CLAVD*ius*. Caput Neronis laureatum.

ΕΠΙ ΚΕΣΤΙΟΥ ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ ΕΤ*ους* ΔΙΡ. *Sub Ceſtio, Antiochenſium anno* CXIV. in corona laurea.

Nummus hic cum ſequente ſpectat ad Ceſtium Gallum Syriæ ſub Nerone præſidem; de quo ut & reliquis Syriæ præſidibus omnino conſuli debet doctiſſimus liber eminentiſſimi Noriſii de Cenotaph. Piſanis pag. 334. Vidimus modo in gente Caſſia Syriæ præſidem C. Caſſium Longinum. Caſſio ſucceſſit Ummidius Quadratus. Hic Corbulonem ſucceſſorem habuit; cujus virtutem veritus Nero, copias militares Corbuloni (quem & paullo poſt occidit) Cincio vero Syriæ poteſtatem permiſit. Cincio brevi ſucceſſit hic Ceſtius (niſi, ut ſuſpicatur Noriſius, pro Ceſtio Cincium ſcripſerit Taciti deſcriptor) cujus temporibus Geſſius Florus Judæos male habuit, & ab illis male habitus eſt, ipſe etiam Ceſtius damnum gravesque labores paſſus eſt. Vixit adhuc Ceſtius, quum Veſpaſianus ad belli Judaici adminiſtrationem cum exercitu veniret, teſte Joſepho libro de Vita ſua Tom. II. pag. 36. ed. noſtræ. Brevi tamen poſt mortuo ſucceſſit P. Licinius Mucianus, qui Veſpaſiano ad capeſſendum imperium hortator inſignis & adjutor fuit.

Cuſus hic eſt nummus anno æræ Antiochenſium CXIV. quum Nero annum imperii duodecimum auſpicaretur, uti docet Noriſius pag. 335. contra Spanhemium, qui minus recte refert ad annum X. vel XI. Neronis Diſſert. IX.

VI.

CAESAR. Neronis caput laureatum.

ΕΠΙ ΚΕΣΤΙΟΥ ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ. in laurea. Nummus hic minoris, quam præcedens eſt moduli, adſcriptam vero epocham non habet.

CIPIA.

Cipiam, gentem plebejam, nomen habuiſſe Vaillantius dicit a Ciſpio monte, altero nempe Eſquiliarum jugo, in quo habitabat, Feſtumque in partes vocat. Debuerat dicere, jugum illud collis Eſquilini a quodam Ciſpio nomen Ciſpii accepiſſe. Id enim Feſtus in loco adlato docet, *Ciſpius* (inquit pag. 35.) *mons in urbe, Eſquilinæ regionis, de nomine cujusdam hominis dictus*, Ciſpii videlicet Anagnini, ut eſt in margine. Cipii vel Ciſpii cognomen Lævi habuerunt.

I.

Marcus CIPI*us* *Marci* *Filius*. Caput Romæ galeatum cum denarii nota.

ROMA. Victoria bigas agens, infra gubernaculum navis cernitur.

M. hunc Cipium ſive Ciſpium fratrem minorem C. Ciſpii facit Vaillantius cum Pighio, qui Cajus Ciſpius Quæſtor fuiſſe legitur A. V. C. DCXC. Marcus vero ad tribunatum plebis pervenit A. V. C. DCXCVI. &, quum Ciceroni inpenſe faveret, a Clodianis vi foro depulſus eſt. Quæſturam vero hujus Marci indicat Vaillantius, quæ incidit in A. V. C. DCXCI. quo hosce denarios cudiſſe videtur, in uſum (ut videtur mihi) rei navalis, quod temo navis, qui ſubtus cernitur, indicat.

II.

Marcus CIPI*us* *Marci* *Filius*. Caput Jovis laureatum cum S. ſemiſſis nota.

ROMA. & eadem ſemiſſis nota. Prora navis.

Poteſt ad eundem referri Cipium, quamvis ad patrem mavult Vaillantius, de cujus tamen magiſtratu nihil legitur. In Faſtis, L. & M. Cipiis ſeu Ciſpiis, patris nomen ex nummis hisce addi poteſt, ut ſcribantur *C. & M. Cipius M. F. Lævus.*

CLAVDIA.

Gens Claudia, orta e Sabinis, Accium Clauſum generis ſui auctorem habuit. Is, quum Sabini conſilia ejus de pace improbarent, ab Regillo, magna comitatus clientium manu, Romam ſe contulit. Ibi Appius Claudius vocari cœpit, & inter patricios adſcriptus, innatam nobilibus ſuperbiam per genus ſuum propagavit; omnes (excepto Clodio, Ciceronis inimico) plebi infeſtiſſimi fuerunt. Claruit hæc gens conſulatibus XXVIII. dictaturis V. cenſuris VII. triumphis VI. ovationibus II. In cognomina Centhonis, Neronis, Marcelli & Pulchri, diſtincti fuerunt. Fere omnes in nummis obſervantur.

TAB. I.

I.

MARCELLINVS. Caput Claudii Marcelli, retro illud Siciliæ eſt ſymbolum.

MARCELLVS *ConSul* QVINQ*uies*. Marcellus togatus tropæum, ſive ſpolia opima de rege Gal-

Gallorum rege Viridomaro in templum Jovis Feretrii tetraſtylum infert.

Eum, qui denarium hunc cudit, Cneum Lentulum Marcellinum adpellat Urſinus, illumque ſecutus Begerus Tom. II. Theſ. Brand. p. 547. Vaillantius vero rectius Cajum Marcellum vocat, Marci Marcelli, qui Æſerninus dictus fuit, filium. Verba ejus, quoniam p. 278. minus emendate ſunt edita, adponere correctiora lubet. „ De hoc loquens Urſinus ſic ait: Denarius autem ſine dubio a Cn. Lentulo Marcellino cuſus eſt, qui quum eſſet de Claudia gente ex familia Marcellorum ortus, in Corneliam poſtea adoptatus, Cn. Cornelius Lentulus Marcellinus nominatus eſt. Sed (*nos* debet addi) ad patrem ejus Publium, M. Marcelli, qui Æſerniæ anno ſecundo belli ſocialis, (excidit *captus fuerat*) quum urbs in Samnitum poteſtatem venit, filium pertinere arbitramur. Ille P. Lentulo Suræ patri in adoptionem datus, habuit adoptivum (adde *fratrem*) P. Lentulum Suram, atque germanum, C. Marcellum Æſerninum, ſicut ex Ciceronis Bruto colligere eſt. „ Ita enim ſcribi debere patet ex verbis Pighii Tom. III. p. 283. unde ſua mutuatus eſt; qui quæſtores A. V. C. DCLXXV. enumerans, & hunc inter illos hiſce verbis ponit: „ P. Cornelius P. F. P. N. Lentulus Marcellinus, M. Marcelli, qui Æſerniæ bello ſociali captus fuerat, filius, in adoptionem datus P. Lentulo, ut opinor, Suræ patri. Itaque fratrem habuit adoptivum P. Lentulum Suram, atque germanum, C. Marcellum Æſerninum, ſicut ex Ciceronis Bruto colligere eſt, atque ejuſdem Verrinis. Hunc vero cum patre M. Marcello numerat inter promtos patronos & non inexcercitatos. „ Hæc Pighii ſunt verba. Ciceronis vero locus in Verrinis, ubi de C. Marcello, tum temporis juvene, loquitur, exſtat in Verr. lib. IV. cap. 42. In Bruto vero de patre & filio hæc exſtant, cap. XXXVI. *M. Marcellus, Æſernini pater, non ille quidem in patronis, ſed & in promtis tamen, & non inexcercitatis ad dicendum, fuit, ut filius ejus P. Lentulus.* Videtur tamen hic Publius ante adoptionem aliud habuiſſe prænomen, Publius enim Lentulorum eſt; Marcellis vero prænomina Marci & Caji erant familiaria. Credo itaque Marcum ante, ſicuti frater Caji nomen habuit, fuiſſe adpellatum.

In quæſtura ſua, P. Lentulus Marcellinus jam dictus, ut antiquam ex Marcellis oſtentaret originem, hunc denarium cudit A. V. C. DCLXXV. in quo omnium Marcellorum clariſſimum expreſſit M. Marcellum, quinquies conſulem, Siciliæ domitorem, qui Syracuſas cepit, & Hannibalem vinci poſſe docuit; quique ſua manu cæſo Gallorum Inſubrium rege Viridomaro ſpolia opima Jovis Feretrii templo intulit; cujus præclari & heroici facti memoriam ſervat hic denarius.

M. Claudius Marcellus, de quo nunc ſermo eſt, filium habuit M. Claudium Marcellum, conſulem A. V. C. DLXV. & de Gallis Inſubribus quoque triumphalem, cenſorem & pontificem. M. Claudii Marcelli, cenſoris & pontificis, filius, & nepos Marcelli prioris, fuit M. Claudius Marcellus, qui patri in ſacerdotio ſucceſſit, & ter conſulatum adeptus fuit. Hic filium quoque Marcum habuit, prætorium. At vero Marcellinus, qui denarium cudit a ſuperiore M. Claudio Marcello, Syracuſarum victore, per Æſerninos minoremque filium Cajum, deſcendit. Filius enim Marcelli iſtius minor fuit C. Claudius Marcellus; nepos M. Claudius Marcellus, Æſerninus dictus, quod bello Samnitico, Julio Cæſare & P. Lupo Rutilio coſſ. A. V. C. DCLXIII. una cum Æſernia in hoſtium venerit poteſtatem; cujus caſus mentionem fecit Livius in Epit. lib. LXXIII. *Æſernia colonia cum M. Marcello in poteſtatem Samnitium venit*; Pronepotes ex M. Claudio Æſernino fuerunt, Cajus Claudius Marcellus Æſerninus, tribunus plebis A. V. C. DCXCII. coſſ. Piſone & Meſſalla Nigro; & hic eſt, quem adoleſcentem Cicero vocat A. V. C. DCLXXXIII. quo in Verrem peroravit; ejuſque frater, in adoptionem Lentulo Suræ datus, qui inde Marcellorum ſtemma in Marcellini nomine quidem ſervavit, at prænomen & reliqua amiſit nomina; cum tamen Cajus frater dictus fuerit, non eſt dubitandum, quin proprium illi prænomen Marco fuerit; omnes enim Marcelli Marci vel Caji prænomen habuerunt.

Ad alium tamen Marcellinum denarium hunc revocat Pighius, videlicet ad M. Claudium Marcellinum, qui quæſtor provincialis fuit A. V. C. DLX. tribunus plebis A. V. C. DLXV. prætor A. V. C. DLXVIII. & denique in Gallia pro prætore A. V. C. DLXIX. In hujus quæſtura, ſed minus recte, opinatur Pighius cuſum fuiſſe hunc denarium, dum ſcribit tom. II. p. 274. „ Hujus forte denarius argenteus eſt in honorem familiæ cuſus, in quam adoptatus videtur fuiſſe: qui repræſentat M. Marcellum quinquies conſulem opima ſpolia Jovi Feretrio conſecrantem. „ Quæ dum ſcribit Pighius in eo quoque fallitur, quod adoptione Marcellinum iſtum in gentem Claudiam tranſiiſſe credit. Id enim ſi verum eſſet, non Marcellinus vocaretur, ſed productum haberet nomen ejus gentis aut familiæ, ex qua in Claudiam transmigraverat; quemadmodum Marcellus ille, qui aliis videtur hunc cudiſſe denarium, tranſiens in Lentulorum gentem, adoptivi patris prænomen, nomen & cognomen adſumſit, ſed gentis ſuæ cognomen Marcelli in Marcellinum produxit, quo tanquam agnomine, pro more paſſim recepto, uſus eſt. Adparet itaque ex gente Claudia iſtum Marcellinum fuiſſe, quæ ſicuti in complura cognomina fuit diviſa, ita plures Marcelli, alii quidam Marcellini dicti fuiſſe videntur.

II.

NERI*us* *Quæſtor* URB*anus*. Caput Ditis, ſive Plutonis, cum unco.

Caius MARC*ellus* *Lucius* LENT*ulus* CO*nSules*. Aquila legionaria, triarios denotans, inter duo ſigna militaria, quibus inſcribitur *Haſtati. Principes.*

Cuſus hic denarius eſt A. V. C. DCCIV. conſulibus Marcello & Lentulo, a quæſtore urbano Cneo Nerio. Cudendi typorumque ratio hæc fuit. Cæſar abſens dictator factus, reverſus Romam, quum alia pro lubitu ageret, tum præſertim prodactis opibus & ære alieno oppreſſus, pecunia indigebat. Ærarium opibus refertum erat, tum pecuniis ex Cypro ſpoliata a Catone illatis, tum aliis vetuſtioribus a longo ævo repoſitis in magnam Reip. neceſſitatem. Ærarii claves, Cæſaris metuentes rapacitatem, conſules ex urbe profecti, ſecum abſtulerant, nec ipſi violare ſanctius hoc ærarium auſi, & religionem Cæſaris animo objecturi, quo minus tale quid faceret, ſin faceret, odium inde in eum excitaturi. Securus horum omnium Cæſar, vi convulſis foribus introitum ſibi fecit, tribunum plebis Metellum, audacius ob-

obſiſtere auſum, & tribunatus ſacroſancto jure fidentem, pro foribus etiam ſellam curulem corpusque ſuum objicientem, abegit, parumque abfuit quin occiderit; inde omnia diripuit, ſacrum etiam auferens theſaurum, quem poſt urbem a Gallis captam ibi depoſuerant majores, ut ad extrema Reip. pericula reſervaretur, addita exſecratione publica in contrectare auſum, σὺν ἀρᾷ δημοσίᾳ inquit Appianus de Bell. Civil. lib. II. pag. 453. ſacrilegium ſuum joculari purgavit Cæſar argumento, domitis jam a ſe Gallis nullum ex iisdem in poſterum metum Romæ fore. Quæ uberius Dio, Plutarchus, Appianus, Lucanus aliique narrant. Magna hinc invidia flagravit, quam ne ipſe quidem Curio diſſimulavit apud Ciceronem in tranſitu cum illo collocutus in villa Formiana, dum in Siciliam properaret, Ep. ad Atticum lib. X. ep. IV. *Et plane iracundia elatum voluiſſe Cæſarem occidi Metellum, tribunum pleb. quod ſi eſſet factum, cædem magnam futuram eſſe: permultos hortatores eſſe cædis: ipſum autem non voluntate, aut natura non eſſe crudelem, ſed quod putaret, popularem eſſe clementiam: quod ſi populi ſtudium amiſiſſet, crudelem fore: eumque perturbatum, quod intelligeret, ſe apud ipſam plebem offendiſſe de ærario. itaque ei cum certiſſimum fuiſſet, ante quam proficiſceretur, concionem habere, auſum non eſſe, vehementerque animo perturbato profectum.* Ibid. Ep. VI. *Curio mecum vixit, jacere Cæſarem putans, offenſione populari.* Id in præſenti contemſit Cæſar, noluit tamen credi a poſteritate, unde lib. I. de Bello Civili ita ſcriptum reliquit: *Quibus rebus Romam nunciatis, tantus repente terror invaſit, ut, quum Lentulus conſul ad aperiendum ærarium veniſſet, ad pecuniam Pompejo ex ſenatus conſulto proferendam, protinus, aperto ſanctiore ærario, ex urbe profugeret. Cæſar enim adventare, jam jamque adeſſe ejus equites falſo nunciabantur. Hunc Marcellus collega & plerique magiſtratus conſecuti ſunt.*

Marcellus itaque & Lentulus, conſules, urbe profugientes, & Pompejum ſecuti, delectum militum pro partibus reipublicæ habuerunt, & undique contra Cæſarem milites contraxerunt, unde ſigna militaria, & nomina illorum qui robur erant exercitus in iisdem, in denario hoc cernuntur. In priore vero nummi parte Ditis ſive Plutonis ponitur caput; non quidem (ut arbitratur Vaillantius pag. 279) quod Nerius quæſtor præcipue illum deum coleret, ſed quod nullus deorum typum tam aptum hujus temporis occaſioni præberet quam Pluto, divitiarum deus, quique divitias populi Romani ſacrilega manu raptas a Cæſare in effringendo ærario ſanctiore, fortiter repetiturus ulturusque ſperabatur. Nerius vero Pompejanas & conſulum partes eſt ſecutus, collega Ligarius Cæſarianas; neque inſtante jam bello civili, ut ſtatuit Vaillantius, ſed ſublato ſigno per ærarii direptionem, & fugam ſenatus, poſtmodum cuſus hic eſt denarius.

III.

Lucius LENT*ulus*, *Caius* MARC*ellus Con-Sules*. Caput juvenile Jovis inberbis & Hellanii, prout Syracuſis colebatur.

Jupiter ſtans inter aram & ſtellam, dextra fulmen tenens, læva aquilam; retro ad pedes eſt litera Q.

Monet Vaillantius Græcanicum hic Jovem depingi, ſeu Hellanium, quod verum eſt; is enim figura Vejovis Romani inberbis in nummis Syracuſanis, pingitur. Monet inſuper ab altera parte aram conſpici Jovis Olympii, ritu navigantium patrio celeberrimam; quod ſi verum eſt (ut videtur) ſtatua quoque illa Jovis Olympii eſt. Tria enim Jovis numina eximio præ cæteris cultu Syracuſis habebantur, Jovis Olympii, Eleutherii ſeu Liberatoris, & Hellanii. Syracuſis idem recte ſignatum denarium adfirmat; ſed quod ſtellam ſeu aſtrum refert ad cultum Jovis Hellanii, quaſi ex oriente venerit, quodque literam Q. interpretatur *Quæſtor*, in iis fallitur.

Qui Syracuſana tractarunt numiſmata ſciunt, in innumeris eorundem, præſertim argenteis, qui duas drachmas pondere ſuperant, & Minervæ caput ab altera parte habent, ab altera parte pullum Corinthium, ſive Pegaſum, & literam Q. ſæpiſſime inveniri; quæ ibi non notat quæſtorem (neque hic notare poteſt, cum nomen quæſtoris non adſcribatur) ſed originem Corinthiam, ita enim litera K. initialis Corinthi, exprimebatur. Quin & a Corinthiis, ut coloni eorundem, Jovis Hellanii cultum nacti erant Syracuſani, unde Pindaro Nemeor. Od. V. pag. 545. ed. Benedict. ara Jovis Hellanii celebratur in hiſce.:

— — — Πὰρ βωμὸν Πατέρος Ἑλλανίου
Στάντες, πίτναν τ' ἐς αἰθέρα χεῖρας ἁμᾶ
Ἐνδαΐδος ἀρίγνωτες υἱοὶ,
Καὶ βία Φώκου κρέοντος.

i. e. *Ad aram Patris Hellanii ſtantes, tendebantque ad æthera palmas ſimul Endeidis celebres filii & fortis rex Phocus.* De quo Jove Hellanio qui plura deſiderat, adeat Commentarios noſtros ad Ph. Parutæ Siciliam Numiſmaticam pag. 343. Aſtrum vero ſæpius in Syracuſanorum quoque occurrit nummis, modo ſolitarium, ſæpius ut ſignum minuſculum typo majori adjunctum, & vel ad numen Solis ſeu Apollinis refertur, vel notat ſitum Syracuſarum, ut urbis maritimæ; quæ variis ſymbolis hanc ſuam opportunitatem depinxit, delphino videlicet, cancro marino, & aſtro, ſeu ſtella marina, quæ Syracuſarum, ſicuti tria crura Siciliæ, ſolet eſſe ſymbolum.

Hunc vero denarium qui nomina conſulum Lentuli & Marcelli exhibet, cuſum arbitramur Syracuſis, quum Siciliæ cum imperio præeſſet Cato, A. V. C. DCCIV. quo ipſo anno Siciliam per Aſinium Pollionem occupari curavit Cæſar, Catone, quum potuiſſet reſiſtere, nolente Siculos in diſcrimen præcipitare. Teſtis Appianus de Bell. Civ. lib. II. pag. 453. *Ejusdem* (Cæſaris) *juſſu Aſinius Pollio Siciliam petiit, cui Cato præerat. Ei percontanti, utrum ſenatus an populi decretum adferens invadat alienam provinciam, hoc tantum reſpondit:* Ὁ τῆς Ἰταλίας κρατῶν ἐπὶ ταῦτα ἔπεμψε. *Qui nunc Italiam tenet, huc me miſit. Ad hæc Cato retulit,* ὅτι φειδοῖ τῶν ὑπηκόων οὐκ ἐνταῦθα αὐτὸν ἀμυνεῖται. *Se, ut provincialibus parcat, nunc quidem vindictam haud ſumere: quo dicto, navigavit Corcyram, ut ſe Pompejo adjungeret.* Siculos certe opem ſuam reipublicæ fuiſſe pollicitos patet ex epiſtola Ciceronis ad Atticum lib. X. epiſt. 12. ubi ſtatum ſuum & reipublicæ deplorans, ita ſcribit: *Quo me nunc vertam? undique cuſtodior. ſed ſatis lacrymis.* πάρωρος πλευστέον *igitur, & occulte in aliquam onerariam corrependum: non committendum, ut etiam compacto prohibiti videamur. Sicilia petenda: quam ſi erimus nacti, majora quædam conſequemur; ſit modo recte in Hiſpaniis: quanquam de ipſa Sicilia utinam ſit verum! ſed adhuc nihil ſecundi. Concurſus Siculorum ad Catonem dicitur factus: oraſſe, ut reſiſteret: omnia pollicitos: commotum illum, delectum habere cœpiſſe. non credo, ut eſt luculentus auctor, potuiſſe certe tenere illam provinciam ſcio.*

scio. Quod vero tam temere Siciliam reliquerit, haud mediocriter illi succenset Cicero ibid. epist. XVIII. *Cato, qui Siciliam tenere nullo negotio potuit, &, si tenuisset, omnes boni ad eum se contulissent, Syracusis profectus est ante diem* VIII. *Kal. Majas, ut ad me Curio scripsit.* Ex quo loco etiam tempus profectionis Catonis ex Sicilia colligitur, & initio ejus anni cusum fuisse hunc denarium, creatis primum hisce consulibus.

IV.

Caput Romæ cum galea alata, retro illud modius est, ante illud consueta denarii nota.

MARC*ellus*. ROMA. Victoria in bigis; subtus duæ sunt spicæ.

Ex denario Domitii, in quo spica post caput Romæ cernitur, patet cusum utrumque fuisse A. V. C. DLXXXV. quo simul ædiles Curules fuerunt M. Claudius Marcellus, M. F. M. N. & Cn. Domitius Ahenobarbus Cn. F. L. N. Modius vero & spicæ curam annonæ diligenter habitam demonstrant, bigæ simplicitatem denariorum antiquiorum, qui bigati inde dicti sunt, ostendunt. Frustra enim victoriam Marcelli quinquies consulis de Sicilia, ut terra frugifera, hic somniat Begerus pag. 547. Th. Brand. tom. II.

Marcus hic Marcellus patrem habuit cognominem sibi avoque pontificem Marcellum, nepos vero fuit magni Marcelli quinquies consulis; &, quoniam ipse post decursos honores minores ter consulatum gessit, statuas sibi, patri, avoque posuisse dicitur, cum inscriptione *Hi Marcelli novies consules*; ipse enim ter, pater semel, avus quinquies consul fuerat. Indigno fato, vir tantus tantisque honoribus functus, morte ingloria in mari periit, dum legatus ad Masinissam proficiscitur, ut tradidit Liv. Epit. lib. L. *Ex tribus legatis, qui ad Masinissam missi fuerant, Claudius Marcellus, coörta tempestate, fluctibus obrutus est.*

Litera A.

Caput Romæ cum galea alata. Adsunt denarii nota & vasculi quoddam genus, nota monetarii, ut videtur. Begerus p. 548. tom. II. Thes. Brand. pro nota denarii stellam habet, quæ Syracusarum est symbolum. Ipse vero perperam refert ad Pompeji M. in bello piratico legatum.

TIB*erius* CLAV*dius* TI*berii* F*ilius* . . . . A. CIII. Victoria cum palma & corona in citis bigis.

Literæ inverso ponuntur ordine. De typo denarii videbimus ad num. VI. qui Dianæ caput habet, hic vero Romæ præfert.

V.

Caput Romæ more solito galeatum.

AP*pius* CL*audius*. T*itus* MAN*lius*. *Quintus* MAR*cius*. Victoria in trigis, sive curru, a tribus equis tracto. Notat Morellius ex argento & ære reperiri, quod intelligendum est de subæratis, qui ubi argenteam amiserunt laminam, ærei fiunt; quales ego plurimos ex consularibus studiose collegi & adservo, sicuti & plures ex imperatoriis similiter congessi, imo & regibus Græcis aliisque.

Ad hunc denarium ita scribit Vaillantius pag. 269. „ Ad Appium Claudium, Appii filium, „ Appii nepotem, qui proavum Appium Claudium Cæcum habuisse videtur, atque ejus majorem filium, (exciderunt verba clausulæ, „ *avum habuit, hic denarius spectat.*) qui Appius „ Claudius consul anno DCLXXXV. (scribere debuit voluitve CCCCLXXXV.) de Picentibus triumphavit; is ejus nepos quæstor urbanus fuit cum T. Manlio cognomine Torquato. Illi hunc denarium percusserunt, ut fert „ inscriptio. Q. VR. id est, *quæstores urbani*, „ anno DXLIV. De Tito Manlio, primo in ejus gente dictatore (addi debet *visuri sumus in* „ *familia Manlia*) sed quis fuerit ille Appius „ Claudius triumvir, & quo tempore vixerit, ob „ tot hujus prænominis Claudios adfirmare non „ est facile. „ Quæ tam misere deformata verba seu festinatione nimia scriptoris, seu inexcusabili typothetarum vitio, quum lego, mirari subit oscitantiam Vaillantii, qui Q. VR. legit & explicat, pro Q. MAR. quum tamen paullo ante, typi & inscriptionis reddens rationem, posuerit hæc verba: „ Caput Romæ galeatum: in aversa parte, „ AP. CL. T. MANL. Q. VR. „ & tamen subdiderit statim: „ *Appius Claudius, Titus Manlius, Quintus Marcius.* Victoria in trigis. „ Eadem aberrans ratione ad eundem hunc denarium in gente Manlia p. 91. similiter Q. VR. pro Q. MAR. legit, somniatque quæstores hos urbanos ideo trigas pro bigis vel quadrigis signasse, quod hoc anno cursus in Circensibus trigis invectus sit. Erroris caussam præbuit illi Goltzius, qui literarum compendio deceptus Q. VR. pro Q. MAR. expresserat. Aliter vero sensisset Vaillantius, si ipsos hosce inspexisset denarios, qui tanto passim numero occurrunt, ut vix ulli sint frequentiores. Et mireris eo magis, quod recte monentem Ursinum non sit secutus, quem tamen ipse mox in gente Manlia adducit, addens: „ Dissimulare tamen non possum, quin alio modo legat Fulvius, nempe T. MAE. (repone „ T. MANL.) AP. CL. Q. MAR. de quo „ vide in gente Marcia in fine. „ Sed quid in gente Marcia noster? ibi p. 112. hæc leguntur. „ Caput Romæ galeatum: in aversa parte T. „ MANL. AP. CL. Q. MAR. Victoria agit „ trigas. In Manlia gente debuit exhiberi hic „ denarius, in quo Goltzius legit, Q. VRB. „ pro Q. MAR., uti remur, nam eum cum Fulvio sic legimus, sed hic illum retulimus, quum „ ad eundem Q. Marcium spectare videatur, qui „ triumvir cum aliis renunciatur. Sed, ut triumvir pro conquirendis militibus extra ordinem, „ potuit eodem anno etiam esse triumvir sacris „ ædibus reficiendis. „ Nonne miramur jure hanc viri in re numismatica versatissimi inconstantiam? quam ego certe mirarer magis, nisi scirem festinatam omnibus modis illam fuisse Vaillantii Familiarum editionem, ut accuratissimum Morelli nostri laborem præveniret atque eluderet. Ne ipsos quidem denarios itaque inspicere dignatus fuit, qui constanter omnes habent Q. MAR. literis gentis Marciæ per compendium scribendi in unum conflatis, tantaque sunt frequentia, ut quotidie conflandi argentifabris tradantur.

Fuere itaque Appius Claudius, Titus Manlius & Q. Marcius simul triumviri monetales, non vero, ut Vaillantius primo putavit, duo priores illi quæstores urbani; neque, ut postea, correcturus pristinam sententiam, existimavit; triumviri conquirendis militibus extra ordinem, vel ædibus sacris reficiundis.

Quæri jam debet, quis fuerit ille Appius Claudius, qui, triumvir monetalis existens cum Tito Manlio & Quinto Marcio, hunc denarium cuderit. Quem ut inveniamus, tempus, quo simul Titus Manlius & Quintus Marcius vixerint; atque hunc

hunc honorem, qui inter minores erat magiſtratus, atque junioribus dabatur, gerere potuerint, eſt inveſtigandum. Q. Marcius Ralla invenitur quæſtor provincialis A. V. C. DLXXVI. extititque idem poſtea tribunus plebis A. V. C. DLXXXI. T. Manlius quidam Torquatus, T. F. T. N. recenſetur pró quæſtore A. V. C. DLXXV. Hiſce temporibus autem ut inveniamus Appium Claudium, confugiendum nobis videtur ad Appium Claudium Centhônem, qui pluribus in republica honoribus fuit perfunctus, atque A. V. C. DLXXIX. vel DLXXX. pro prætore Hiſpaniam citeriorem prorogato imperio obtinuit, ubi quum feliciter res geſſiſſet, Romam paullo poſt reverſus, ovationem meruit, teſtibus Livio & Marmoribus Capitolinis.

AP. CLAVDIVS C. F. C. N. CENTHO
PRO PR. A. DLXXIX.
OVANS EX CELTIBERIA.

Livius lib. XLI. cap. 28. *Exitu prope anni diem unum ſupplicatio fuit, ob res proſpere geſtas in Hiſpania, ductu auſpicioque Appii Claudii proconſulis, & majoribus hoſtiis viginti ſacrificatum.* Paullo poſt: *Quum Appius Claudius ex Hiſpania Romam rediisſet, decrevit ſenatus, ut ovans urbem iniret.* Nullus alius Appius Claudius circa illa tempora invenitur; unde ſuſpicor hujus Appii Claudii Centhonis filium, ut tum juvenem, una cum T. Manlio & Q. Marcio fuiſſe triumvirum monetalem, de quo poſtea nihil legitur, ut qui in juventute diem ſuum obierit.

VI.

Senatus Conſulto. Caput Dianæ cum arcu & pharetra ad humeros.

TIB*erius* CLAVD*ius* TIB*erii Filius* AP*pii Nepos.* Victoria in citis bigis, dextra tenens corollam, læva palmam. Sub equis cernuntur notæ numerales A. C. XXIII. in aliis, qui ſequuntur, I. vel A. V. vel A. XX. vel A. XXIII. in quibusdam XXVII. A. XXXII. A. XXXXV. ⊥XXIIII. ⊥XXVII. A. ⊥XXXII. in aliis, ⊥XXXIIII. A. ⊥XXXXVI. A. CI. A CXXV. CXXVII. C⊥V.

Convenit inter eruditos, hunc denarium referendum eſſe ad Tiberium Claudium, Tiberii filium, Appii Claudii Cæci nepotem. Hoc A. V. C. DIV. quum conſules male contra Pœnos pugnaſſent, & P. Claudius Pulcher contra auſpicia pugnans, victus eſſet, L. Junius Pullus naufragio claſſem amiſiſſet, damnationemque voluntaria morte præveniſſet; Tiberius Claudius, Siciliæ quæſtor, ex S. C. magnam denariorum vim cudit, quibus res perditæ reparari poſſent. Hi quoniam extra urbem in provincia cuſi ſunt, Dianæ (quæ dea Siciliæ tutelaris erat) venatricis caput exhibent, & victoriæ conſuetum omen ab altera parte. Tiberium hunc Claudium patrem fuiſſe ſuſpicatur Pighius Claudii Neronis illius, qui conſul cum M. Livio Asdrubalem, Annibalis fratrem, devicit & occidit. Suſpicatur idem Pighius notas numerales LXXIIII. quæ in quibusdam denariis obſervantur, deſignare, cuſos eosdem ex tributo regis Hieronis pondo argenti LXXIIII. ſed conjectura, quam repetiit Vaillantius, eodem Pighio laudato p. 257. non procedit, primo quod non per L. ſed per inverſum ⊥ ſculpatur in nummis ⊥XXIIII. deinde quod numeri hi in pluribus denariis mirum in modum a ſe invicem diſcrepent, & matrices, vel quidvis potius, quam tributum illud Hieronis deſignare poſſint.

VII.

CAESAR IMP*erator.* Caput Cæſaris laureatum.

Publius CLODIVS *Marci Filius.* Mars nudus, ſeu tranquillus, ſtans galeatus, dextra tenens haſtam, læva parazonium.

Opinatur Vaillantius P. Clodium hunc eſſe eundem quem Clodium Bithynicum adpellat Appianus, qui lib. V. pag. 700. notat illum ut Cæſari Octaviano infenſiſſimum, ſecutumque partes Lucii Antonii, capta Peruſia, fuiſſe interfectum. Certe poſt Cæſaris mortem Antonio illum adhæſiſſe patet ex Fam. Antonia, ubi idem hic typus cum eodem P. Clodii M. F. nomine obſervatur.

VIII.

Caput Solis ſeu Apollinis radiatum.

Publius CLODIVS *Marci Filius.* Luna creſcens inter quinque ſtellas.

Ad ludos Apollinares ſpectare ſtatuit Vaillantius, ſignatumque hunc & præcedentem eſſe denarium A. V. C. DCCVIII. quo teſtatur Dio factos fuiſſe ludos Apollinares, atque ærarii procurationem, per abſentiam Cæſaris nullo creato quæſtore, habuiſſe ædiles, alterumque horum ſumtibus Cæſaris ludos Apollinares edidiſſe; quem itaque ſuſpicatur hunc ipſum eſſe P. Clodium, idque typo hoc confirmari. Sed vide quæ adferuntur a nobis ad tab. ſequ. num. II.

TAB. II.

I.

Caput Apollinis laureatum & comatum, pone quod lyra eſt.

Publius CLODIVS *Marci Filius.* Diana ſtans, utraque manu facem tenens, in humeris arcus & pharetra cernuntur.

Ad eundem Clodium hunc etiam pertinere denarium patet ex inſcriptione, quin & eosdem denotari ludos Apollinares docent hinc Apollinis inde Dianæ ſymbola. Verum Vaillantius, neque ipſis inſpectis nummis, qui quidem cum hoc typo frequentiſſimi ſunt, neglectaque Urſini commoda animadverſione, ludos Cereales a Clodio editos nobis commentus eſt pag. 283. Quod quidem totum cadit commentum, per arcum & pharetram, quæ in elegantius cuſis clariſſime oculis ſeſe offerunt, ſicuti utraque ſymbola in meo nitidiſſimo deprehendere licet, recteque effinxit Morellius. Faces autem manu geſtare Dianam, quid mirum, quum illa nocturnum præſtet lumen ſicuti frater diurnum, unde duo ex Callimacho & Sophocle notavit loca Urſinus. Vocat enim φαεσφορίην Callimachus Hymno in Dianam verſu 11. & φαεσφόρον verſu 104. Locus autem Sophoclis, cui ἀμφίπυρος vocatur, exſtat in Trachin. verſu 218. quam vocem interpres Græcus ita declarat, παρ' ὅσον ἀμφοτέραις χερσὶ δᾳδουχεῖ. *quod utraque manu facem gerat.* Quibus addi poteſt Ariſtophanes in Ranis verſu 1406.

Διπύρους ἀνέχουσα λαμπάδας
Ὀξυτάταιν χεροῖν, Ἑκάτα.
Duplices faculas tenens
Manibus perquam agilibus, ô Hecate.

Unde quoque in nummis Hadriani depingitur cum lu-

lunula in capite, utraque manu faces gerens. Qui plura desiderat, adeat doctissimos & uberrimos Spanhemii commentarios ad Callimachum pag. 131, 132, 215, 216, 270.

II.

CAESAR IIIVIR *Reipublicæ Constituendæ.* Caput nudum Cæsaris Octaviani.

Publius CLODIVS *Marci Filius.* Mars quietus, seu pacificus, ut supra.

Vidimus in Fam. Antonia tab. VI. num. VI. eundem typum in denario cum Antonii capite adhibuisse Clodium, unde patet cusos hosce denarios, quum nondum dissentirent hi triumviri. Mars pacatus in hoc & Antonii nummo denotat statum reipublicæ, quasi vero constitutum & tranquillum redditum ab hisce triumviris fuisse; quemadmodum in Julii Cæsaris nummo tab. præced. n. VI. designat quietem reipublicæ redditam, post expiatam Cæsaris necem.

Adparet itaque hunc P. Clodium fuisse inter IIII viros monetales, numero a Julio Cæsare aucto, & functum fuisse honore illo ante captam Perusiam & dissensionem Cæsaris Octaviani cum Lucio Antonio, quod contigit A. V. C. DCCXII. Unde omnes hi denarii, qui P. Clodii nomen præferunt, cusi videntur A. V.C. DCCXI. quo victi in campis Philippicis sunt Brutus & Cassius, atque ita sublatis illis novatoribus, qui mutare reipublicæ statum a Cæsare Julio constitutum, tentaverant, Mars Tranquillus, seu Pacatus, signari potuit in denariis triumvirorum Antonii & Augusti, mutua tum adhuc concordia junctorum. Sed quomodo jam quatuorvir monetalis, & in magistratu minore, est, qui paullo ante A. V. C. DCCVIII. ad num. VIII. tabulæ præcedentis a Vaillantio agnoscebatur ædilis, adeoque majori honoratus magistratu? Itaque pedibus in illius sententiam ire nequeo, sed omnes illos denarios P. Clodii hoc anno DCCXI. cusos existimo, inter quos etiam cum imperatoris Julii Cæsaris inveniuntur capite, quod plurimos nummos cum effigie Cæsaris cudi curaverint triumviri, qui præ se ferebant se ulcisci ejus mortem velle, quare etiam Marte Ultore jam satiato cæde inimicorum, sublatisque Julii percussoribus, rite Martis Pacati in denariis signatur effigies. Ludi vero Apollinares quum singulis annis acti fuerint, ita hoc quoque anno celebratos, nummo VIII. prioris & hujus tab. I. significavit Clodius, ut monetæ cudendæ præfectus.

Litera A.

CAESAR IIIVIR *Reipublicæ Constituendæ.* Caput Cæsaris Octaviani nudum.

Publius CLODIVS *Marci Filius.* Dea Concordia, stans, dextra pateram, læva tenens hastam.

Typi interpretatio in promtu est. Quum bene conveniret hactenus inter triumviros Antonium & Cæsarem, id porro ut fieret, quietis publicæ caussa vovit Clodius. Sed frustra.

III.

Caius CLODIVS *Caii Filius.* Caput deæ Floræ, quod floribus est redimitum, & retro quod flos cernitur.

VESTALIS. Vestalis sedens, velato capite, dextra simpuvium tenens.

Denarium hunc, Ursinum secutus, refert Vaillantius pag. 265. ad C. Claudium, Pulchri filium, consulem factum A.V.C. DCXXIII. putatque cusum fuisse ab eodem in ædilitate, quam gessit una cum consanguineo suo C. Claudio Centhone, & per caput deæ Floræ designari ejusdem Floralia, quoniam horum ludorum cura ad ædiles pertinebat. Fuit vero ædilis A. V.C. DCXVI. non vero DCVI. ut vitiose scripsit Vaillantius, deceptus ab editione Pighiana, quæ tom. II. p. 497. typorum vitio per errorem in titulo annum DCVI. pro DCXVI. expressum habet. Verum ego nescio, cur ad illius ædilitatem confugiendum sit, quum multo splendidior, & in ore populi non tantum, sed & omnium scriptorum fuerit ædilitas filii ejus C. Claudii Pulchri, qui ad consulatum pervenit A. V. C. DCLXI. cujus, ut viri potentis & præclari, sæpius mentionem in scriptis suis Cicero fecit. Hic C. Claudius, quem Appii filium (respectu Appii Cæci, cujus ex filio P. Claudio Pulchro erat pronepos) libro II. de Officiis adpellat Cicero, ut ab aliis Claudiis distinguat; ædilis fuit consulibus M. Antonio & A. Postumio, A. V. C. DCLIV. seu, ut alii computant, DCLV. tantaque magnificentia edidit ludos, ut vix alia ratione profusionem istam excusari posse statuat Tullius, quam corrupti ævi vitio, & studio ambitionis popularis. Ita enim de illo & aliis ei similibus scriptum reliquit lib. II. de Off. cap. XVI. *Bene etiam colligitur, hæc pueris, & mulierculis, & servis, & servorum simillimis liberis esse grata; gravi vero homini, & ea quæ fiunt, judicio certo ponderanti, probari posse nullo modo, quamquam intelligo, in nostra civitate inveterasse & jam a bonis temporibus, ut splendor ædilitatum ab optimis viris postuletur: itaque & P. Crassus, cum cognomine Dives, tum copiis, functus est ædilitio maximo munere; & paullo post L. Crassus cum omnium hominum moderatissimo, Q. Mucio, magnificentissima ædilitate functus est: deinde C. Claudius, Ap. filius.* Hoc suum munus ut tanto esset spectabilius, Cupidinis signum marmoreum, Praxitelis opus, ex Sicilia, commodatum sibi ab Hejo Mamertino, advehi curavit, teste eodem Cicerone lib. IV. in Verrem cap. III. *C. Claudius, cujus ædilitatem magnificentissimam scimus fuisse, usus est hoc Cupidine, tam diu, dum forum diis immortalibus populoque Romano habuit ornatum: &, cum esset hospes Hejorum, Mamertini autem populi patronus, ut illis benignis usus est ad commodandum, sic ipse diligens fuit ad reportandum.* Novum etiam illud commentus est, ut coloribus exornatas exhiberet tabulas, quæ antea tantum videntur fuisse delineatæ in simili festivitate, ut monet Valerius Maximus lib. II. Cap. IV. num. 6. *Religionem ludorum crescentibus opibus secuta lautitia. Est ejus instinctu Q. Catulus Campanam imitatus luxuriam, primus spectantium consessum velorum umbraculis texit. Cn. Pompejus ante omnes, aquæ per semitas decursu, æstivum minuit fervorem. C. Pulcher scenam varietate colorum adumbravit, vacuis ante pictura tabulis extentam. Quam totam argento C. Antonius, auro Petrejus, ebore Q. Catulus prætexuit.* Harum tabularum artem extollit Plinius, dum volucres coloribus deceptas fuisse tradit, Nat. Hist. lib. XXXV. cap. IV. p. 683. ed. Hard. *Habuit & scena ludis Claudii Pulchri magnam admirationem picturæ, cum ad tegularum similitudinem corvi decepti imagine advolarent.* Ejus quoque primum ædilitate elephantorum in Circo pugnam populo Romano fuisse exhibitam idem docet Plinius lib. VIII. cap. 7. *Romæ pugnasse Fenestella tradit, primum omnium in Circo Claudii Pulchri ædilitate curuli, M. Antonio, A. Postumio consulibus, anno urbis*

 DCLV.

DCLV. *item post annos* XX. *Lucullorum ædilitate curuli, adversus tauros.* Quum horum nihil de patris Claudii ædilitate legatur, mihi merito videor illi abjudicare hunc denarium, atque referre ad filium, qui non minori cura & splendore videtur Floralia populo celebranda dedisse, & ut Floralia sua non aprici tantum senes meminisse (ut ait Persius Sat. V. versu 179.) possent, sed & sera sciret posteritas, Floræ deæ elegantissimum caput ejusque symbola in anteriori parte denarii sui expressit. Ad curam enim ædilium curulium etiam hi aliique spectabant ludi, ut egregie docet exemplo suo Cicero in Verr. lib. V. cap. 14. *Nunc sum designatus ædilis: habeo rationem, quid a pop. R. acceperim: mihi ludos sanctissimos maxima cum cæremonia Cereri, Libero, Liberæque faciundos: mihi Floram matrem, pop. plebique Ro. ludorum celebritate placandam: mihi ludos antiquissimos, qui primi Romani sunt nominati, maxima cum dignitate, ac religione Jovi, Junoni, Minervæque esse faciundos: mihi sacrarum ædium procurationem, mihi totam urbem tuendam esse commissam: ob earum rerum laborem, & sollicitudinem fructus illos datos, antiquiorem in senatu sententiæ dicendæ locum, togam prætextam, sellam curulem, jus imaginis ad memoriam, posteritatemque prodendæ.* Locum totum uberius citavi, ut inde onera ædilitatis & jura pateant. Quod enim ad tribunum plebis (qui magistratus nunquam commune quid cum Floralibus habuit, vel ullo modo in monetis memoratur) denarium hunc refert Harduinus, in viro tam paradoxo non est mirandum, cui nihil nisi absurdum jam diu in re nummaria pluribusque aliis placere cœpit. Scribere enim potuit ad Plinium lib. XXVIII. pag. 445. „ Est apud Patinum p. „ 75. num. III. post Ursinum, nummus argen- „ teus, sic inscriptus. C. CLODIVS C. F. „ Caput deæ Floræ, cinctum floribus: retro „ flos, vel papaver. Vestalis capite velato se- „ det, lucernam dextra tenet. Epigraphe, VE- „ STALIS. Sententia est, *C. Clodius*, tribu- „ nus plebis, ut videtur, *Caji filius*, pariter tri- „ buni plebis, VESTAL*es* I*nclusit Septis*. Per- „ cussus est hic nummus sub P. Clodio M. filio, „ tribuno plebis, qui memoriam rei gestæ ab uno „ celeberrimo e majoribus suis sic revocavit. „ Exigere aliquem ut refellantur hæc non existimo. Pergam itaque ad partem nummi alteram.

Sedet in ea sacerdos vestalis, velata, dextra manu simpulum vel simpuvium præferens, pro quo lucernam ponit Harduinus, atque intellexisse etiam videtur Ursinus, dum scribit depingi Claudiam, virginem vestalem, *æternum ignem* servantem. Luculenter vero lucernam accensam depinxit Begerus Tom. II. Thes. Brand. p. 549.

Dubitant antiquarii ad utram ex duabus Claudiis, maxime illustribus vestalibus, pictura adludat. Altera *navem cum sacris Matris Deum Idææ obhærentem Tiberino vado extraxit, precata propalam, ut ita demum se sequeretur, si sibi pudicitia constaret.* uti tradit Sueton. in vita Tiberii cap. II. Altera (de qua idem ibidem) *etiam virgo vestalis, fratrem injussu populi triumphantem, adscenso simul curru, usque in capitolium persecuta est, ne vetare aut intercedere fas cuiquam tribunorum esset.* Prioris historiæ meminerunt quum alii, tum Augustinus de Civ. Dei lib. X. cap. XVI. Cingulo adligato rem transactam fingunt, unde Tertullianus in Apolog. cap. XXII. p. 223. *& navem cingulo promotam.* uberius vero Herodianus lib. I. cap. XI. *Quum itaque navigio devectum simulacrum ad ipsos Tiberis fauces adpulisset, (quibus tum Romani vice portuum utebantur,) confestim divina quadam vi navigium substitit, neque ullis Romani populi certatim trahentis moveri viribus potuit, donec vestalis sacerdos adesset. Ea quum virginitatem perpetuo servandam polluisse falso argueretur, damnationem metuens, supplex petiit a populo, ut judicium de se deæ Pessinuntiæ committerent. quo impetrato, zonam recinxit, eamque proræ injecit, clare precata, ut si intemeratam se esse ac virginem dea sciret, navim progredi juberet. Quæ ubi dixit, statim adligatam zonam manu ducta navis sequi cœpit. Ita sunt pariter Romani manifesto numinis divinitatem atque innocentiam virginis admirati.* Accidisse illud volunt A. V. C. DXLVIII.

Alterum gentis Claudiæ muliebre decus, non quidem fabulare, sed verum, contigit A. V. C. DCX. quum fratrem (ut volunt auctores quos secutus est Suetonius) patrem vero, ut rectius alii, a violentia tribuni plebis, vestalis Claudia defendit. Historiam plures narrant, instar omnium Cicero, qui pro M. Cœlio, invectus in sororem P. Clodii, tribuni plebis, hostis sui atrocissimi, quam fama erat constupratam, ut reliquas sorores, a P. Clodio fratre, ita objurgantem gentis suæ dedecus Appium Cæcum inducit cap. XIV. *Nonne te, si nostræ imagines viriles non commovebant, ne progenies quidem mea, Q. illa Claudia, æmulam domesticæ laudis in gloria muliebri esse admonebat? non virgo illa vestalis Claudia, quæ patrem complexa triumphantem ab inimico tribuno pleb. de curru detrahi passa non est? cur te fraterna vitia potius, quam bona paterna, & avita, & usque a nobis cum in viris, tum etiam in fœminis repetita, moverunt?* Quem sequitur Valerius Maximus lib. V. cap. IV. *Magna sunt hæc virilis pietatis opera, sed nescio an his omnibus valentius & animosius Claudiæ vestalis virginis factum. Quæ cum patrem suum triumphantem e curru violenta tribuni pl. manu detrahi animadvertisset, mira celeritate utrisque se interponendo amplissimam potestatem inimicitiis accensam depulit. Igitur alterum triumphum pater in capitolium, alterum filia in ædem Vestæ duxit. Nec discerni potuit, utri plus laudis tribueretur, an cui victoria, an cui pietas comes aderat.* Aliquanto operosius hæc congessi, ut pateat, nequaquam ultimum illud factum designari per vestalis imaginem in denario posse, quum illud contigerit A. V. C. DCX. cusus vero sit denarius in ædilitate C. Claudii Pulchri A. V. C. DCIV. adeoque ante illud factum; Orosius enim exprimit etiam consules quibus illud contigit, notatque rationem cur impedire istum Appii Claudii triumphum voluerit tribunus plebis, lib. V. cap. 4. *Appio Claudio Quinto Cæcilioque Metello consulibus, Appius Claudius adversus Salassos Gallos congressus, & victus, decem M. militum perdidit. Reparata pugna V. M. hostium occidit: sed cum juxta legem: qua constitutum erat: ut quisquis quinque millia hostium peremisset triumphandi haberet potestatem, iste quoque, cum triumphum expectasset, propter damna vero superiora non impetravisset: infami impudentia atque ambitione usus, privatis sumtibus triumphavit.* Patet itaque adludi ad priorem historiam, & pudicitiam Claudiarum, Vestæ deæ sacerdotio inter omnes maxime dignarum.

IV.

Caput Romæ galeatum.

Caius PULCHER. Victoria agens bigas.

Simplicitas hujus denarii, qui ex bigatorum genere est, impulit eruditos ut addicant C. Claudio Pulchro, Appii filio, Publii illius, qui primus Pulcher est dictus, nepoti, credantque cusum

ſum in quæſtura ejusdem provinciali A. V. C. DLXVI. credunt eundem ex tribus fratribus conſularibus tertium; ipſe enim ad conſulatum quoque pervenit A. V. C. DLXXVI. de Hiſtris & Liguribus triumphavit, atque tandem cenſor factus eſt cum Ti. Sempronio Graccho, quem & in conſulatu collegam habuerat, A. V. C. DLXXXIV. Cenſuram ejus aſperam fuiſſe, & periculum ipſi inde a tribuno plebis Rutilio poſtea creatum, ſcriptores narrant, inprimis Valerius Maximus, addens, quo pacto collegæ Gracchi magnanimitate evaſerit, lib. VI. cap. VI. *Cum Ti. Gracchus, & C. Claudius, ob nimis ſevere geſtam cenſuram, majorem civitatis partem exaſperaſſent, diem his P. Rutilius tribunus plebis perduellionis ad populum dixit, præter communem conſternationem, privata etiam ira accenſus, quia neceſſarium ejus ex publico loco parietem demoliri juſſerant. Quo in judicio primæ claſſis permultæ centuriæ Claudium aperte damnabant: de Gracchi abſolutione univerſæ conſentire videbantur, qui clara voce juravit, ſi de collega ſuo gravius eſſet judicatum, in factis paribus ſe eandem cum illo pœnam exilii ſubiturum. Eaque juſtitia tota illa tempeſtas ab utriusque fortunis & capite depulſa eſt. Claudium enim populus abſolvit; Graccho cauſſæ dictionem tribunus Rutilius remiſit.*

V.

PVLCHER. TAVRVS. REGVLVS. Dextræ duæ junctæ tenent caduceum intermedium.

IIIVIR*i* *Auro Argento Aere Flando Feriundo* in medio *Senatus Conſulto.*

Nummulus ad tempora Auguſti ſpectat, quibus ille cum ſenatu monetæ cudendæ jus diviſerat, ut ſibi aurum & argentum, illi æs cederet, hinc dextræ junctæ & pacis ſymbolum. Pulcher ille Claudiam originem teſtatur, ſed quis fuerit, ignotum eſt, alius enim videtur eſſe a Pulchro, qui ſub Antonio & Octaviano triumviris argenteam monetam percuſſit.

VI.

Caius CAESAR AVG*uſtus* GERMANICVS. Caput Caji Caligulæ laureatum.

GERMANICVS CAESAR, PVLCHRO III. VARIO II VIR*is*. Caput Germanici Cæſaris laureatum.

Pulcher & Varius quinam fuerint obſcurum eſt, quandoquidem non Romæ, ſed in colonia aliqua (Corinthi, ut videtur) quærendi ſint. Potuit itaque Pulcher ex Claudiorum eſſe libertinis. Hoc in nummo Pulcher quidem III VIR adpellatur, ut & in ſequentibus, Varius autem II VIR. In aliis vero, II VIR, quos ſcilicet una cum Doſſeno (neque enim hoc, ut quidam putant Pulchri agnomen fuit) vel Cipo, pariter duumviro, Germanico item & Cajo, vel Germanico & Druſo, Tiberii filio, cudit. At quomodo III VIR potuit eſſe in eadem colonia Pulcher, in qua Varius aliusve II VIR. expreſſe enim ſic, ut habet inſcriptio, in meo pulcherrimo quoque legitur. Triumvir certe deducendæ coloniæ eſſe nequiit, nam jam dudum colonia Corinthum a Cæſare deducta erat; & qui hic III VIR., Pulcher, in aliis (ut dixi) II VIR inſcribitur. Verum ipſi hi nummi ſe invicem illuſtrant & hunc nodum nobis ſolvunt. Inſcriptionem enim ita eſſe legendam exiſtimo: PVLCHRO III. i. e. *tertium*, VARIO prima ſcilicet vice II VIR*is*. de qua lectione nemo dubitabit qui in Faſtis Conſularibus ſæpius legerit C. CAESARE OCTAVIANO III. M. VALERIO MESSALA CORVINO COSS. & ſimilia. Nummi Germanici egregie illud confirmant, & tempora diſcreta, quibus honores illos primum, ſecundum, tertium Pulcher geſſerit, demonſtrant. Vivente Druſo, Tiberii filio prima vice II VIR fuit Pulcher cum Cipo; Druſo exſtincto fraude & artibus uxoris & Sejani, ſub Caligula, qui poſt Tiberium rerum potitus fuit, cum Doſſeno eundem honorem geſſit. Tertium vero II VIR creatus eſt cum hoc Vario; unde potentia hujus Pulchri luculenter elucescit.

Varius ille quis fuerit, neſcitur. In Inſcriptionibus antiquis agnoſcuntur Varii, L. CALVIVS L. F. POL. VARIVS, apud Gruter. 9. LVIII. L. ANTONIVS L. F. FAB. VARIVS. 3. MCVI. OPIVS L. BIBIANVS VARIVS 7. DCLXXXI. aliique, qui nihil ad noſtrum pertinere videntur.

Litera B.

Caius CAESAR AVG*uſtus* GERMANICVS. Caput Caji Caligulæ laureatum.

GER*Manicus* CAESAR. PVLCHRO III. VARIO II VIR*is*. Caput Germanici laureatum.

Nihil differt a præcedente, niſi quod ex alia matrice prodierit, & capita aliter ſint converſa.

VII.

C. CAESAR AVG*uſtus* GERMANICVS. Caput Caligulæ nudum.

GER*manicus* CAESAR. DOSSENO, PVLCHRO II VIR*is*. Caput Germanici nudum.

Quemadmodum modo Pulchrum cum Vario habuimus duumviros, illum quidem tertio; ita nunc eundem Pulchrum cum Doſſeno iſto honore functum cernimus. Ut vero hic Doſſenus illi collega datur, ita Cipus in tertio nummulo, qui Tomo II. inter nummos Druſi junioris vel Germanici depingitur. Unde patet, Pulchrum hunc prima vice cum Cipo, altera vice cum Doſſeno, tertia, cum Vario duumviratum, Corinthi ut exiſtimo, geſſiſſe.

VIII.

VOLCANON. Caput dei Vulcani pileo laureato tectum, pone quod forceps eſt.

AESERNINO. Jupiter in bigis.

Vox *Æſernino* impulit Morellium, ut nummum hunc æreum in Claudia gente reponeret, quod quidam ex illis *Æſerninorum* cognomen habuerant, ſicuti jam in prioribus vidimus. Sed fallitur; pertinet enim ad nummos urbium, cuſus in Italia ſeu Magna Græcia, & urbe Æſernia; quod & denſitas nummi atque monetæ genus evincit, quod ſimile eſt nummis in illis oris cuſis, mihique ex elegantiſſimo meo, quem adſervo, patet.

Lit. C.

AP*pius* PVLCHER AP*pii* *Filius* PRO CO*n*-*Sule*. ΑΠΟΛΛΩΝΙΟΣ ΔΑΜΟΚΡΑΤΟΥ ΖΩΣΙΜΟΣ ΛΑΟδικέων. *Apollonius Damocrati F. Zoſimus. Laodicenſium.* Duo angues, caudas invicem implicantes, intermedio coryto & arcu, ad latus cernitur caduceus alatus.

Ciſta Bacchi ſemiaperta, erumpente angue, in corona hederacca cum baccis.

Primus hoc numisma protulit Petrus Seguinus, atque

atque eleganter explicavit, cujus verba, ut nostris parcamus, hic locum habeant ex edit. ejus secunda p. 80. & 81. „ Nummus hic sub nomine „ *Ap. Clodii Ap. Fil. Pulchri* cusus est, qui P. „ Lentulo & Q. Metello Coss. Prætor fuit, & „ ex Prætura Sardiniam obtinuit: deinde A. V. „ C. DCXCIX. aut, ut placet Dioni, DCC. „ cum L. Domitio Ahenobarbo Cos. Magistratu „ exiens, Ciliciæ præfuit. Pauca apud autores „ extant de ipsius administratione in ea provincia, „ quamvis triennali, nisi quod Imperatorium no„ men, quo insignitur a Cicerone in Epistolis, lib. „ III. rem ab eo bene gestam indicat; ut & studium „ quod ostentat, in decernenda supplicatione, ob „ res ab Appio prospere gestas. Speravit etiam „ triumphum: & obtinuisset, nisi ademisset P. „ Dolabellæ accusatio, qui eum de majestate & „ ambitu postulavit, tanta contentione, ut, nisi „ Appius, qui ruri pro more remanserat ob peti„ tionem triumphi, urbem, abjecto triumphan„ di consilio, continuo fuisset ingressus, grave „ periculum subiisset. Sed simul ac Dolabella „ accessit ad tribunal, paratior visus est Appius, „ quam speraverat accusator, eumque sua præ„ sentia repressit ac retudit. A. V. C. DCCIII. „ Censor factus, cum L. Pisone Cæsaris socero, „ multos Equites & Senatores notavit, invito „ collega; & inter alios Senatu movit Crispum „ Salustium, qui historiam conscripsit: quo effe„ cit, ut hi omnes deinceps Cæsarianas partes „ sequerentur. Siquidem Piso, ut plurium ami„ citiam genero demereretur, nullum notandum „ censuit. Obiisse Appium post pugnam Phar„ salicam, autor est Valerius. lib. I. cap. V. „

Hi nummi tetradrachmales, a typo partis aversæ adpellabantur *cistophori*, in quibus cur angues inveniantur, & reliqua symbola, erudite idem Seguinus docuit, ut visuri sumus in simili tetradrachmali M. Tullii, Laodiceæ item cuso. Pergami quoque cusi inveniuntur, quod monogramma ejus urbis testatur, cum nomine proconsulis C. Pulchri, in uno, & in altero, Q. Metelli Scipionis Imperatoris, apud Haymium in Thesauro Britannico Tom. II. pag. 159. Apameæ item, teste nummo gentis Corneliæ a Morellio nostro inter ejusdem nummos depicto, in quo nomen est P. Lentuli imperatoris. Habeo & ipse elegantissimum tetradrachmalem similem, cui ad latus Minervæ Apamensis caput additur, nondum vulgatum, in quo tamen proconsulis nullum nomen adest, sed magistratus ejus urbis tantum; & hic quidem in Appii Claudii Pulchri nummo occurrit nomen Græcum, *Apollonius Damocrati filius Zosimus*, neque enim duo nomina Apollonii & Zosimi poni crediderim, quum in omnibus, quos ego vidi, hisce *cistophoris*, unius tantum magistratus legatur nomen, ut ΜΥΙΣΚΟΥ in Lentuli nummo. ΜΗΝΟΔΩΡΟΣ in C. Pulchri, & ΛΑΒΑΣ ΠΥΡΡΟΥ. *Labas Pyrrhi filius*, in nummo M. Tullii Ciceronis.

Lit. D.

Caput Augusti nudum.
Tiberius CLAVDIVS. Simpulum.

Hujus nummi fabrica Hispanica est, quod ex meo mihi abunde constat. In eo caput Augusti Cæsaris cudit colonia Hispanica, & ab altera parte Tiberii Claudii, privigni Cæsaris, inscribens nomen, simpulo, instrumento pontificali, honores a vitrico illi communicatos denotat. Cusum hinc arbitror A. V. C. DCCLVII. quo, in spem imperii, adoptatus Liviæ artibus fuit Tiberius. In eo tamen meus, hunc mire illustrans, differt, quod pro capite Augusti, ipsius Tiberii caput exhibeat nudum, cum inscriptione NERO, & quum Morellianus sit secundæ magnitudinis, meus primæ est; cui simillimum observavi in museo quondam Jacobi de Bary, quod Hispanicis abundabat nummis, in quo similes observavi nummos cusos in honorem Augusti, qui ab altera parte Herculis Gaditani caput habebant, ab altera, instrumenta pontificalia, cum inscriptione PONTIFEX MAXIMVS. Caji & Lucii item (ut arbitror) in honorem, cum Herculis quoque Gaditani capite atque iisdem instrumentis pontificalibus, & inscriptione PONTIFICIBVS. Ubi quum item cum Herculis Gaditani capite nummum viderim, habentem ab altera parte acrostolium & inscriptionem MVNI*cipium* GA*ditanum* PAREN*ti Suo*; nullus dubito, quin omnes Hispanici hi nummi, qui Cæsareanæ familiæ honores celebrant, Gadibus sint percussi.

Lit. E.

AVGVSTVS DIVI F*ilius*. Caput Augusti laureatum.
CAESAR*ea* AVGVSTA. C*ajo* SABINO P*ublio* VARO IIVIR*is*. Colonus agens boves.

Nota Hispaniæ hæc est urbs, & typus vulgaris. Viri vero duumviratu ibi functi, quorum hic habemus nomina, incogniti; neque Sabinus ille, qui hic C. id est *Caji* prænomen habet, adfirmari potest ad Claudiam gentem pertinere, quod in illa agnoscuntur Appius Claudius Sabinus consul A. V. C. CCLXXXIII. & Cajus Claudius Sabinus consul A. V. C. CCXCIV. & denique Appius Claudius Sabinus Regillensis decimvir ille legibus ferendis violentus, Virginiæ virginis casu suoque exitu notissimus; omnes, quod a Sabinis orti essent, ita dicti. Fuere enim innumeri Sabini, in gente Acilia, Albia, Ælia, Albutia, Aleria, Allia, Annia, Antistia, Antonia aliisque plurimis.

Lit. F.

TIBERIVS AVGVST*us* SER. RV . . . id est *Sereno* (vel *Sergio* vel *Servio* vel *Servilio*) *Rufo* IIVIRO. Caput Tiberi nudum.
. . . . CIPVS F. . . . . . .
Caput Liviæ.

Exesa rarissimi nummi hujus epigraphe facit, ut divinandum nobis sit. Faciem muliebrem de Livia interpretamur, & opinamur in nummo exstitisse literas JVLIA AVGVSTA. cusumque nummum initio principatus Tiberii, in urbe Corintho, ubi sequentem aliosque similes cusos fuisse existimamus.

Nomen triumviri quod ad Tiberii est caput, propter decurtationem ad plurimas gentes revocari potest, quæ modo Rufi cognomen habuisse leguntur, & quorum nomen primam syllabam SER. habet, licet enim cognominis tantum duæ cernantur literæ RV. exiguum tamen, quod ibidem, in nummulo tertii moduli, est spatium, evincit, extitisse olim nihil amplius quam RVFVS. Occurrit mentio in inscriptionibus antiquis Rufi Sereni seu Sereni Rufi, in ruinis Fregellarum apud Reines. classe I. num. CXXX. p. 166.

PRO

PRO SALVTE C. RVFI SERENI
ARAM ET BAS. DEAE CYRIST.
DONVM DEDIT XI. CAL. MAI.
L. IVVENIO PACCIO ET P. IVNIO
QVARTIO ROMVLO II VIR.

Occurrit Sergius Rufus apud Gruterum p. DCCVI. num. 12.

SERGIA OLYMPIAS
SIBI ET
L. SERGIO RVFO F. ET
L. CALTILIO TESPIO
H. M. H. N. S.

L. Servius Sulpitius Rufus memoratur Ciceroni, & Manutio, ad Corn. Nepotem in Vita Attici; de eo ad nummum gentis Sulpiciæ agendum erit. Denique Servilius Rufus etiam cognoscitur in lapidibus apud Gruter. p. DCXXXI. num. 5.

M. SERVILIVS M. L. RVFVS
LICTOR SE VIVO FECIT SIBI ET
PETIAE C. L. PRIMAE VXORI ET
MARCIAE L. FELICI CONCVBINAE
OBITAE
SERVILIAE M. L. APATAE VXSORI
SVAE.

Temporibus certe Augusti Gens Servilia agnatos suos, vel libertinos, magistratu decoratos Corinthi habuit. Occurrit enim Cajus Servilius Primus, qui duumvir fuit cum M. Antonio Hipparcho, & in honorem Caji & Lucii Cæsarum nummum cudit, apud Vaillantium de Coloniis pag. 87.

Cipus iste quis fuerit, & ex qua familia, plane ignotum est, nominisque ejus pars altera, quæ a litera F. exordium sumsit, periit. Virum tamen in ista colonia fuisse potentem patet inde, quod bis gesserit duumviratum, prout ter gessisse Pulchrum notavimus. Vivente enim Livia, una cum Servio vel Servilio Rufo duumvir fuit; postea, Druso una cum Germanico in spem imperii cæsare creato, iterum, cum Pulchro, ut proxime sequens nummus ostendit.

Litera G.

DRVS*us* CAESAR. CIP.. . . . . . . IIVIRO. Caput nudum Drusi Cæsaris, Tiberii Imperatoris filii.

GERM*anicus* CAESAR. PVLCH*ro* IIVIR*o*. Caput Cæsaris Germanici nudum.

De Pulchro actum jam est ad num. VI. de Cipo nihil scitur, ut vidimus ad lit. F.

Litera H.

NERO CLAVD*ius* CAES*ar* AVG*ustus*. Caput Neronis laureatum.

COR*inthus*. TI*berio* CLAVDIO OPTATO IIVIRO. Corona ex apio, cui inscriptum ISTHMIA.

Corinthii plurimos nummos & eleganter sculptos in honorem domus Cæsareæ percusserunt. Nihil vero potuerunt aptius ad claritudinem urbis suæ inprimere nummis quam conditorem suum Bellerophonta, ut in sequenti, vel ludos Isthmios, ut in hoc nummo. Notissimum enim est, apio coronari solitos fuisse victores; quare corona ex apio eorundem hic est symbolum. Occasionem cusi hujus nummi videbimus ad lit. K.

Recte statuere videtur Vaillantius lib. de Coloniis, pag. 170. Tiberium hunc Claudium fuisse ex libertis imperatoris Claudii, qui sub illo potentes admodum fuerunt; idque evincere cognomen Optati, quod libertis conveniens, illis quoque in Inscriptionibus antiquis datur. Perperam vero ibidem ex Grutero pag. LXIV. citatur, exstat enim pag. LXXIV. num. 1. ubi inter officinatores monetæ aurariæ argentariæ Cæsaris Trajani A. V. C. DCCCLXVII. recensetur etiam libertus Optatus. Quam vero familiare illud nomen antiquitus fuerit, ex hoc catalogo patere potest. Memorantur in Inscriptionibus Antiquis, P. Acilius Optatus apud Gruterum p. XCVIII. n. 5. T. Æbutius Optatus, ibid. p. DCCCCXXX. n. 4. Æbutius Optatus CCCXLV. 2. Ælius Optatus CXXVII. 1. Q. Ælius Optatus Q. F. DCCCLV. 1. M. Apponius Optatus DCCCCXXXII. 4. Aponius Optatus, cui L. id est *libertus* adscribitur, DCCCCLX. 2. Argentarius Optatus DCCCCXLV. 2. C. Arrius Optatus CCXXVII. 8. Aurelius Optatus CCCIV. 8. & innumeri alii, quorum maxima pars liberti potentiorum, vel ex libertino genere fuisse videntur.

Litera I.

NERO CLAVD*ius* CAES*ar* AVG*ustus*. Caput Neronis laureatum.

COR*inthus*. TI*berio* CLAVDIO OPTATO IIVIRO. Bellerophon pegasum domans.

Nobilitatem urbis suæ propter civem Bellerophonta jactant Corinthii, qui in plurimis etiam nummis pegasum solum sine heroe illo expresserunt.

Litera K.

NERO CLAVD*ius* CAES*ar* AVG*ustus* IMP*erator*. Caput Neronis laureatum.

ADVE*ntus* AVG*usti*. TI*berio* CLAVD*io* OPTATO IIVIR*o* QVI*nquennali*. COR*inthus*. Navis prætoria.

Adparet, omnes hos nummos Corinthiacos cusos occasione illa, qua in Græciam transmisit Cæsar, & sacras ibi coronas sibi vindicavit; cujus rei gratia in primis Corinthum ad ludos Isthmios navigavit. Hinc adventus ejus hoc nummo, victoria in ludis lit. H. celebratur, & Bellerophonti comparatur lit. I. Gesta hæc omnia Ti. Claudio Optato duumviro.

C L O V I A.

Gens Clovia, quæ & Cluvia dicta fuit, colligitur fuisse plebeja ex Cluviis Saxulis, fratribus, qui tribuni plebis fuerunt A. V. C. DLXXII. & DLXXVI. Consularis tamen fuit; cognomina habuit Saxulæ & Rufi.

I.

CAESAR DIC*tator* TER*tium*. Bustum Victoriæ, ut nonnullis placet, ut aliis Veneris Victricis, humeris alatis, retro quod stella est, quæ Ve-

Veneri magis hoc caput, quam Victoriæ adſignare videtur. Dubitantes ea de re vide Morellium & Perizon. p. 207. & 285. 286.

Caius CLOVI*us* PRAEF*ectus*. Minerva Victrix gradiens, dextra tropæum ſuper humeros ferens, læva clypeum cum capite Meduſæ. Eadem præterea (quod editores hactenus non obſervarunt) haſtam longam tenet læva manu directam, transverſa vero tria gæſa Hiſpanica, dependente a cubito ſub inferiori clypei parte laciniа. Ante pedes ſerpens eſt, qui in omnibus meis nummis egregie criſtatus eſt.

Cajus Clovius, ſive Cluvius (utroque enim modo ſcribitur) cujus æreus hic eſt nummus, vixit temporibus Julii Cæſaris, ut ex inſcriptione partis anterioris conſtat; & non ſine ratione eruditis videtur eſſe idem, qui a Cæſare in Gallias eſt miſſus, & cum imperio Galliæ Ciſalpinæ præfuit. Antequam in iſtam proficiſceretur provinciam, non neglexit Ciceronem inviſere, ut familiarem & amicum. Patet id ex epiſtola Ciceronis ad eundem, ex qua itidem liquet quanta hujus Clovii apud Cæſarem fuerit auctoritas. Verba Ciceronis, quæ utrumque indicant, exſtant Ep. lib. XIII. ep. 7. *Cum in Galliam proficiſcens, pro noſtra neceſſitudine, tuaque ſumma in me obſervantia, ad me domum veniſſes, locutus ſum tecum de agro vectigali municipii Atellani, qui eſſet in Gallia: quantoque opere ejus municipii cauſa laborarem, tibi oſtendi. Poſt tuam autem profectionem, cum & maxima res municipii honeſtiſſimi, mihique conjunctiſſimi, & ſummum meum officium ageretur, pro tuo animo in me ſingulari, exiſtimavi, me oportere ad te adcuratius ſcribere: etſi non ſum neſcius, & quæ temporum ratio, & quæ tua poteſtas ſit: tibique negotium datum eſſe a C. Cæſare, non judicium, præclare intelligo. Quare a te tantum peto, quantum & te facere poſſe, & libenter mea cauſſa facturum eſſe arbitror.*

Scripta hæc epiſtola eſt Q. Fabio Maximo & C. Trebonio coſſ. adeoque A. V. C. DCCIX. & quidem poſt expeditionem Julii Cæſaris in Hiſpanias contra Pompeji liberos, & poſt cuſum hoc numiſma, honoremque præfecturæ, quem inſcriptio præfert. Anno enim DCCIX. quo Cæſari conſuli IV. ſuffectus fuit Q. Fabius Maximus, in magiſtratu mortuus, & C. Trebonius Aſper; quartum dictator fuit Cæſar, qui in nummo hoc dictator tertium dicitur. Quod non notarem, niſi verba Vaillantii ſubobſcure innuerent præfecturam in Clovium collatam fuiſſe poſt navatam hanc Cæſari in Galliis operam. Scribit enim p. 285. „In Gallia Cæſari operam navaviſſe teſtatur altera epiſt. „(Cicero) lib. XIII. ep. 7. quam ad eum ſcri„bit. Quare non mirum videbitur, ſi eum (*adde:* „unum conſtituerit) ex ſex præfectis, quos Romæ „cum Lepido ſuo equitum magiſtro reliquit, dum „dictator tertium renunciatus, anno DCCVII. in „Hiſpaniam contra Pompeji filios profectus eſt.„

Fuit itaque C. Clouvius cum imperio in Galliam Ciſalpinam miſſus a Cæſare, poſtquam ipſi de fide ejus conſtitiſſet; in navata ſcilicet opera cuſtodiæ urbis Romæ, cujus illum cum quibusdam aliis, uti in Cæſaris ipſius nummis viſuri ſumus, præfectum reliquerat ſub Lepido, equitum magiſtro, uti docet adlatus ab Urſino & Vaillantio locus Dionis, qui exſtat lib. XLIII. p. 228. docetque Cæſarem, quum intelligeret copias ſuas in Hiſpaniis inferiores eſſe Pompejanis, magna feſtinatione in provinciam profectum fuiſſe. Ἐπιτρέψας τὴν πόλιν τῷ Λεπίδῳ, καὶ πολιανόμοις τισὶν ὀκτὼ, ὡς τισὶ δοκεῖ, μὴ ἓξ, ὡς μᾶλλον πεπίστευται. *Romæ cuſtodia Lepido relicta, octoque (ut nonnullis videtur), vel, quod magis creditum eſt, ſex urbis præfectis injuncta.*

In iſta itaque præfectura nummum hunc cudit, in cujus priori parte Victoriæ eſt caput, humeris alatis, cum ſolis aſtro ob correctos faſtos, vel ſtella Veneris (quæ in quibusdam abeſt) quam inpenſe colebat Cæſar, ut generis ſui matrem, unde & armatam Venerem annulo inſculptam geſtasſe, atque in rebus ſummis ſæpius pro teſſera dedisſe, tradit Dio, lib. eodem pag. 266. In poſteriori parte Minervæ Victricis & tropæophoræ eſt effigies, quod non minus prudentia ſua quam fortitudine præclaram illam victoriam Cæſar eſſet conſecutus; quam victoriam non aliam poſſe intelligi, quam Hiſpanicam, omniumque victoriarum Cæſaris ultimam atque laborioſiſſimam, oſtendunt gæſa illa Hiſpanica, quæ poſt clypeum Minervæ eminent, atque ab interpretibus ſunt neglecta. Cernuntur vero paſſim in nummis Galbæ HISPANIA inſcriptis; habent enim eandem plane figuram in tribus meis nummis nitidiſſimis; lævaque eadem haſtam rectam ſeu ſpiculum longius tenet, quod in Hiſpaniæ itidem nummis obſervatur; pictura vero Morelliana & omnium reliquorum, hac quidem parte minus exacta eſt, uti liquido patebit nummos ipſos, qui ſunt aſperiores, conſulentibus. Non enim velut quatuor tubæ ſunt, quæ ſub clypeo conſpiciuntur, ſed prima figura inferius longior eſt, ſuperius in ſpiculum acuminatum deſinit, tres ſequentes laciniam efficiunt, quales in nummis Syracuſanis aliisque Græcis Latinisque ſæpiſſime a brachio deæ dependent; nummi minus integri quaſi ſtriatas lineas exhibent.

Prædivitem Cluvium ſeu Clovium fuiſſe patet ex epiſt. Ciceronis lib. XIII. ep. 55. ut & Puteolanum; quod & Puteolis inventa inſcriptio teſtatur, quam adfert Fulvius Urſinus, & ex illo Gruterus pag. XIV. num. 2.

C. CLVVIVS M. F.
IIII VIR.
IVRI DIC. II VIR NOLAE
IIII VIR QVINQVENNAL.
DE SVO FACIVND. COERAVIT
IDEMQVE RESTITVIT
IOVI O. M. SACR.

C. Cluvius alius C. F. qui Minervæ cultum in lapide teſtatur, memoratur ibidem Fulvio ex antiqua inſcriptione, & occurrunt præterea in lapidibus Cluvii cognomine Niciæ & Felices, atque A. Cluvius Celer, L. Cluvii variis diſtincti cognominibus, P. Cluvii, Q. Cluvii aliique.

Noſtrum Cluvium ſive Clovium Marci iſtius filium credidit Urſinus, cujus Puteolis repertam adduxit inſcriptionem. Mentio etiam M. Cluvii eſt apud Ciceronem ad Att. lib. VI. ep. 2. Sed ratio temporis nil vetat, quo minus Caji Cluvii filius fuiſſe dicatur; ejus videlicet C. Cluvii qui judex Ciceroni pluries dicitur in oratione pro Q. Roſcio Comœdo, & cap. XVI. a dignitate & honeſtate laudatur: *Petam a C. Cluvio, equite Romano, ornatiſſimo homine, ut mea cauſſa mentiatur?* & paullo poſt: *Venit ad Cluvium: quem hominem? levem? imo graviſſimum; mobilem? imo conſtantiſſimum.* Ante dictaturam vero Sullæ habita oratio illa eſt, circa A. V. C. DCLXXII. unde pater potuit eſſe C. Cluvii, qui præfectus urbi factus fuit a A. V. C. DCCVIII.

CLOV-

CLOVLIA.

Cloulia seu Clœlia gens, patricia fuit, quod colligitur ex consulatu T. Clœlii Siculi, qui anno XII post exactos reges consul fuit, A. V. C. CCLVI. adeoque ante illud tempus, quo, inportunitate plebis, alter tantum consul ex patriciis electus fuit. A. Tullo Hostilio rege in urbem ex Alba diruta translata fuit gens Clœlia, cui volunt adhæsisse nomen ex comitum Æneæ uno, Clœlio dicto. Siculi cognomen habuit, quod, ut videtur, primus ejus gentis ex Sicilia in Albam Longam habitatum venerat.

I.

Caput Romæ galeatum, retro corolla est, subtus ROMA.

*T*itus CLOVL*Ius*. Victoria in bigis, sub equis duplex spica cernitur ex eodem prorumpens tubulo.

Pighius tom. II. pag. 55. denarium hunc retulit ad T. Clœlium seu Cloulium, T. F. Q. N. quem sequitur Vaillantius pag. 286. Cujus utriusque verba ponamus necesse est, ut, quid ad illa nobis observatum sit, pateat. Scribit itaque Pighius in hunc modum: „ Denarius est argenteus cum Romæ capite & corona laurea, item cum victoria in biga, sub cujus equis spica, & titulus, T. CLOVLI. Spica sæpius Siciliæ nota solet esse, quod feracissima sit frugum, ideoque verisimile quasi esse cusum denarium ad usum Siculi belli, a T. Clœlio quæstore, vel urbano, vel consulum unius in Sicilia; quod quidem magis verisimile faciunt ejusdem alii nummi, quorum in una facie Jovis laurea coronatum caput expressum, juxta quod litera F. Feretrii Jovis esse videtur signare; nam altera facies ejusdem numismatis vinctum captivum ducem sub suspensis in arboris trunco spoliis, & victoriam deam tale tropæum coronantem nobis ostendit, ubi nomen adscriptum T. CLOVLI. Itaque memoriam insignis victoriæ, tropæique propter hanc Jovi Feretrio consecrati, ab altero consulum, T. Clœlius ex argento manubiali cuso numismate sic promulgare voluit. „ Verba Vaillantii hæc sunt: „ T. Clœlius, qui denarium cudit, patrem habuit T. Cœlium Siculum, ædilem curulem cum Appio Claudio Crasso A. V. C. CCCCLXXX. & avum Q. Clœlium, quæstorem militarem A. V. C. CCCCXXXIV. qui nepos erat Q. Clœlii censoris A. V. C. CCCCLXXII. (repone CCCLXXII.) ipse vero quæsturam accepit urbanam A. V. C. DVI. quo, L. Cæcilio Metello iterum & N. Fabio Buteone coss. Sicilia provincia decreta, alter ad Lilybæum tenuit exercitum, alter Amilcari oppositus, ad Panormum victoriam adeptus, Drepanum obsedit, & Columbariam cepit, ut narrat Zonaras, qua de re T. Clœlius sub bigatis denariis, quos Romæ, ut fert epigraphe ROMA, (supple, cudit) spicas Siciliæ symbolum, de argenti manubiali, quod consules attulere, signavit. „ Pighii verba, quibus T. Clœlium quæstorem vel urbanum, vel consulum unius in Sicilia facit, ostendunt, illum non intellexisse subscriptionem vocis ROMA, quæ (ut recte observat Vaillantius,) ostendit, non in Sicilia, neque a quæstore consulis, sed Romæ, a quæstore urbano signatam hanc monetam fuisse. Quæ deinde Pighius scribit de Jove Feretrio, & quæ, eundem sequens, Vaillantius adfert ad quinarium sequentem, ibi visuri sumus mera esse somnia. De quæstura vero Clœlii libenter Vaillantio adsentior, & videntur mihi, laurea quidem post caput Romæ victoriam de Pœnis significare, spicæ vero sub equis, non simpliciter Siciliæ feracitatem, sed illam, qua bis anno messem dare olim fuit solita. Id ostendunt luculenter nummi Siculi, quales complures in Parutæ collectione contemplati sumus & explicavimus, quos si desideret lector, inveniet inter Panormitanos num. XLVI. XLIX. L. LI. LIII. Messanenses L. Catanenses XXVI. Syracusanos ex argento, num. CII. ex ære, num. CXXX. Geloos, num. III. Leontinos, XVI. Ennenses I. & V. Quam fertilitatem tantam fuisse, ut quandoque ternas messes agerent, docent tres spicæ in nummo Panormitano CLXXVIII. & Segestano II.

II. *& seqq.*

Caput Jovis Feretrii, ut Pighius & Vaillantius volunt, ut nobis videtur Capitolini; adest litera K. inversa, in sequentibus cernuntur literæ A. F. E. X. Jovis ejusdem capiti adpositæ.

*T*itus CLOVL*ius* *Quæstor*. Victoria, palmam læva super humeros gerens, dextra tropæum coronat, in cujus imo sedet captivus manibus in tergum revinctis.

Vidimus ad nummum præcedentem Pighii de litera F. sententiam; duce Pighio deceptus Vaillantius, idem sentit, unde ad hunc quinarium, seu tertium ex sequentibus, ita scribit: „ In anteriore parte laurea redimitum exhibetur caput Jovis, quem litera F. Feretrium esse denotat; ille est diversus a Capitolino, nam habet capillos non ita amplos, & barbam non adeo prolixam, templumque habebat, isti proximum, tamen ab altero diversum, in VIII. regione, in quod Fabius consul tropæum illud in victoriæ suæ memoriam tulit, & ipsi consecravit. „ Hæc Vaillantius; verum ego fateor mihi non tantam cum hisce Jovibus esse familiaritatem, ut Capitolinum vel Feretrium ex barba & capillis dignoscam. In nummo gentis Aciliæ num. V. tab. pr. sese symbolo suo, id est, spoliis quæ præfert, agnoscendum præbet; in hisce non possum a Capitolino discernere; nec erat cur Fabius in templum Jovis Feretrii spolia inferret, quod fecerat Marcellus, occiso sua manu hostium rege Viridomaro, detractisque ipsi spoliis opimis; quale quid de Fabio nequaquam legitur, adeoque egregie mentiti fuissent Virgilius & Florus, ille quidem Æn. VI. 869.

Adspice, ut insignis spoliis Marcellus opimis
Ingreditur, victorque viros supereminet omnes.
Hic rem Romanam, magno turbante tumultu,
Sistet eques, sternet Pœnos, Gallumque rebellem,
Tertiaque arma Patri suspendet capta Quirino.

Hic vero diserte tradit Romuli hanc primam fuisse laudem, Cossi secundam, tertiam Marcelli, lib. II. cap. IV. *Occiso enim rege, Marcellus tertia post Romulum patrem Feretrio Jovi arma suspendit.* Jam vero ante illud Marcelli factum, quod contigit A. V. C. DXXXI. consul Fabius victoriam Siculam de Pœnis fuit adeptus, videlicet A. V. C. DVI. unde sequeretur quarta Marcello, tertia Fabio spolia hæc Jovis Feretrii templo illata convenire.

Sed & Pighium & Vaillantium in errorem induxit litera F. quam illi de Feretrio Jove sunt interpretati; & sic litera K. de Cretensi, A de Argivo, E. de Eleutherio, si modo Romæ culti fuissent, capi possent; quum tamen nihil aliud sint quam literæ alphabeticæ, quales in plurium Familiarum innumeris observantur nummis; in quo excusari

non poteſt Vaillantius, quum hi quinarii tanto adhuc numero ſuperſint, ut neceſſe ſit, illum plures vidiſſe, ſed præcipitantia editionis non obſervaſſe literarum diſcrimen.

Quamvis Romæ non adſit nota, cuſum tamen ibi nummum opinor, in pluribus enim Romæ cuſis abeſſe nonnunquam ſolet.

C O C C E I A.

Gens Cocceja, quæ Nervæ cognomen habet (a *nervis*, id eſt, fortitudine, ſicuti Neronum inde pariter cognomen habuerunt Claudii) illuſtris pluribus fuit conſulatibus, maxime tamen Nerva imperatore, qui Trajanum bono publico adoptavit. Primus ex hac gente conſul fuit M. Coccejus Nerva, cum Gellio Poplicola, A. V. C. DCCXVII. Alter M. Coccejus Nerva M. F. M. N. conſul fuit cum C. Vibio Rufino, ut patet ex inſcriptionibus antiquis apud Gruterum pag. CLXXXVII. num. 6. & 13. p. DCII. num. 4. ſuffectus ſcilicet anno tribunitiæ poteſtatis Tiberii XXIV. cos. IV. ut patet ex Inſcript. pag. CI. num. 1. conſulibus tum ordinariis Agrippa & Galba, A. V. C. DCCLXXV. Hic, inſignis exſtitit ſcientia juris civilis, ſanctaque ejus fuit memoria ob nepotem Nervam imperatorem.

I.

Marcus ANT*onius*, IMP*erator*, AVG*ur*, IIIVIR *ReiPublicæ Conſtituendæ*. *Marcus* NERVA PROQ*uæſtore Provinciali*. Caput nudum M. Antonii Triumviri.

Lucius ANTONIVS CO*n*S*ul*. Caput nudum Lucii Antonii conſulis, Triumviri fratris.

De Antoniis ſuo loco jam vidimus, reſtat Antonii proquæſtore provinciali M. Coccejus Nerva. Cocceji laudabilis exſtat mentio apud Appianum Alexandrinum lib. V. de Bell. Civil. pag. 706. quem, quoniam ibi Lucium vocat, corrigendum Urſinus, Marcumque ex hoc denario reponendum eſſe, judicat. Verba Appiani hæc ſunt: Λεύκιος δ' ἦν Κοκκήιος ἑκατέρῳ, Antonio ſcilicet & Cæſari, φίλος, καὶ ὑπὸ Καίσαρος ἐς Φοινίκην τοῦ προτέρου θέρους πρὸς τὸν Ἀντώνιον ἀπεστάλκτο μετὰ Καικίνας &c. Et paulo poſt, Κοκκήιον μὲν ὡς κοινὸν ἀμφοῖν, ἐκ δὲ τοῦ Ἀντωνίου Πολίωνα, καὶ Μαικήναν ἐκ τοῦ Καίσαρος, ἔγνωσαν Καίσαρι καὶ Ἀντωνίῳ πρὸς ἀλλήλους ἀμνηστίαν εἶναι τῶν γεγονότων, καὶ φιλίαν ἐς τὸ μέλλον. Hoc eſt, *Erat L. Coccejus Cæſari & Antonio pariter amicus, & qui ſuperiore æſtate cum Cæcina in Phœniciam a Cæſare legatus Antonium adierat.* Paulo poſt, *Hæc exercitibus Cæſaris cum innotuiſſent, oratores ad utrumque inter ſeſe decrevere, qui calumnias compeſcerent, quaſi non inter illos judicium laturi eſſent, ſed invicem conciliaturi ambos. Coccejum a ſe ipſis veluti communem utriſque amicum eligentes: ex Antonii vero parte Pollionem nominarunt, ex Cæſaris Mæcenatem, qui Cæſari & Antonio præteritorum oblivionem primum nuntiarent; deinde in futurum benevolentiam utrique indicerent.* Idem tamen Urſinus poſtea dubitat, an non Lucius ille apud Appianum frater Marci hujus fuerit. Quod veriſſimum eſſe jam demonſtrare conabor. Duo fratres fuere Cocceji, quorum alter Lucius vocatur Appiano, alterius reticetur nomen. Lucius neutrius partibus (orto bello Peruſino) ſeſe addixerat, legatus enim ab ipſo Cæſare ad Antonium, ut utrique gratiſſimus, moram apud Antonium traxerat, dum deferveret idem bellum Peruſinum. At frater ille Lucii, quem nomine ſuo non exprimit Appianus, palam Antonii fovebat partes, unde etiam capto Peruſio, in Cæſaris manus venit, ſed hic memor Lucii Cocceji, amicitiæ ejus fratrem donavit. Id clariſſime docet Appianus lib. V. p. 706. reverſus enim ad Cæſarem (poſtquam ad reconciliationem Antonii præparaſſet animum) Lucius, ſed aliquanto tardius quam videbatur Cæſari debuiſſe, iratiorem in principio expertus eſt, viſo enim Lucio, ἐν θαύματι ἐποιεῖτο ὅτι μὴ θᾶσσον ἔλθοι· οὐ γὰρ ἔφη, καὶ τὸν ἀδελφὸν, ἵν' ἐχθρὸς ἦς μοι, περιέσωσα; *miratus eum non rediiſſe citius, Num, inquit, ideo fratrem tuum ſervavi, ut ipſe inimicus mihi fieres?* Ex quibus luce meridiana clarius patet, fratrem illum Lucii fuiſſe hunc Marcum, qui ſervatus fuit a Cæſare, quamvis Lucii Antonii conatibus adjutorem ſeſe præbuiſſet, quum contra, Clodium Bithynicum (cujus itidem denarios in Antonii gratiam cuſos vidimus) aliosque complures interfeciſſet.

Vaillantius, verbis Urſini negligentius lectis, confidenter ſtatuit M. Coccejum, qui hunc denarium cudit, fuiſſe eundem, qui pacis reconciliandæ inter Antonium atque Cæſarem auctor fuerit; „ eorum pacis (inquit de hoc Marco „ agens) Coccejus Nerva, utrique pariter amicus, „ auctor fuit, ut videre eſt apud Appianum lib. V. „ & Porphyrionem Horatii interpretem. „ At Appianus (ut vidimus) de Lucio Coccejo id adſerit, non de Marco Lucii fratre.

Fratrem M. Antonii Lucium clàm cum Cæſare conſenſiſſe quidam putant; ut fictis inimicitiis cognoſcerent animos eorum, qui pro Reipublicæ veteris partibus ſtabant, atque ii e medio tollerentur. Multus vero eſt Appianus lib. V. in laudando Lucio Antonio, illique egregios ſane conatus & liberrimas pro republica vices adſcribendo; quod quum in Peruſino ſæpius oſtenderit bello, tum præſertim aliquanto poſt, ea de cauſſa quoque a Cæſare cum honorifica cuſtodia in Hiſpaniam ablegatus, uti docet Appianus idem pag. 702. *Lucium autem accitum laudavit quidem ut erga fratrem pium, ſi ejus voluntati obſecutus culpam in ſeipſum transtulerat: exprobrabat autem ingratitudinem, ſi ne poſt tantum quidem acceptum beneficium fateretur de Antonio, qui jam manifeſte diceretur conſpiraſſe cum Pompejo. Equidem tibi credens, inquit, poſt Caleni mortem, provincias & exercitum ne ſine imperatore eſſent, per meos amicos ſervabam Antonio: nunc vero deprehenſis inſidiis, & illa omnia mea facio, & tibi ſi velis ad fratrem abire ſecure permitto. Hæc Cæſar ſive ut tentaret Lucium, ſive ut ad Antonium permanarent quæ dicebat. Ille quæ prius retulit: Fulviæ quidem ingenium noram, dominationis cupidum, ſed ego fraternis copiis utendum putavi ad tollendum dominatum veſtrum omnium. Et nunc quoque ſi venturus eſt frater ut ſubvertat monarchiam, clamve palamve proficiſcar ad eum, certaturus iterum contra te pro patria, quamvis affectus a te maximo beneficio; quod ſi & ille quæret ſocios ſuæ tyrannidis, pro te ſtabo contra eum, quam diu putabo neque te adfectare monarchiam: ſemper enim apud me prius valebit adfectus erga patriam, quam vel gratia vel cognatio. Cæſar tunc quoque miratus ſermonem Lucii, negavit ſe uſurum ejus opera contra fratrem, ne ſi vellet quidem ſequi, crediturum tamen ut tali viro univerſam Hiſpaniam cum exercitu, & legatos additurum ei proprætores Peducejum & Lucejum. Ita & Lucium Cæſar ablegavit honoris ſpecie, legatis juſſis eum clam cuſtodire.*

C Œ L I A.

Gens Cœlia, plebeja, ad conſulatum pervenit corrupta plebe favore legis tabellariæ. Antiquitatem ſummam nonnulli huic vindicant ab Etruſco

ſco videlicet Cœlio, qui Romulo opitulatum venit; quod illi non videtur competere, quum ejus gentis viros *novos homines* adpellet Cicero, ut videbimus; Caldi cognomen in hac gente & apud ſcriptores & in nummis reperitur; ut & Balbi ſub Imperatoribus.

I.

Cajus COEL*ius* CALDVS CO*nSul*. Caput Caji Cœlii conſulis nudum, poſt illud vexillum eſt, inſcriptum HIS*pania*, ante illud porcus ſeu aper.

Cajus CALDVS IMP*erator*, *Augur*, X VIR. Lectiſternium Jovis, ſternente ſeptemviro epulonum, inter duo tropæa; aræ mediæ ſeu lateri anteriori inſcribitur *Lucius* CALDVS VII VIR EPVL*onum*. Subtus legitur CALDVS III VIR.

De parte averſa ad ſequentes nummos acturi ſumus, de priori nunc aliquanto uberius dicendum eſt. C. Cœlius Caldus Conſul, ut fert inſcriptio, legem tabellariam tulit in tribunatu plebis, quæ innuitur & explicanda venit ad num. II. Conſulatum, ut ibi videbimus, favoremque plebis propter eam rem adeptus eſt. Hic illi ſingulare quid præter iſtos honores adpingitur, vexillum videlicet, inſcriptum HIS*pania*, & aper, ſive porcus, qui haſtæ militari ſeu perticæ in ſequenti nummo impoſitus cernitur. Pighius nummum explicans, ea adfert, quæ probare maxima ex parte non poſſum. Verba ejus hæc ſunt tom. III. pag. 202. „ Adfert Hubertus „ Goltzius in ſuis numiſmatum Faſtis, hujus „ C. Cœlii conſulis denarium argenteum; cujus notæ ſatis inſinuant, ipſum in Hiſpania „ res præclaras geſſiſſe, tropæa etiam ſtatuiſ„ ſe. Habent enim in una parte ſenis viri ca„ put ad vivum, adunco naſo: quod an ex hujus „ Conſulis, familiæ Caldorum Principis an „ Cœlii Vivennæ Tuſci, gentis Cœliæ prin„ cipis, ſtatuis imitatum ſit, ambigo. In ho„ norem hujus tamen conſulis cuſum eſſe dena„ rium iſtum, titulus ita circumſcriptus oſten„ dit, C. COEL. CALDVS. COS. Adeſt im„ peratorium vexillum, in quo literæ HIS. „ Hiſpaniam ſignantes. Item aper ſetis erectis „ ferus, qui forte devicti vel capti hoſtium du„ cis nomen denotat. In aliis autem quos item „ vidi, ejus apri loco ſunt ſecuris & lancea, Hi„ ſpanorum tela. Ab altera nummorum iſtorum „ parte viſuntur duo tropæa ſpoliis onuſta, cum „ captivæ Provinciæ imagine, ſpoliis adligatæ. Ad„ poſitus apud tropæa utrimque Conſulis victoris „ titulus hic. C. CALDVS IMP. AV. X. „ hoc eſt, C. Caldus Imperator, Augur, de„ cemvir. Augurem, atque decemvirum agris „ dandis fuiſſe cum æquali ſuo L. Craſſo Orato„ re, non refragor: ſed Imperatorem adpella„ tum fuiſſe; non invenio. Inter tropæa, tam„ quam in tabella quadam legitur alter hic ti„ tulus, L. CALDVS. VII VIR. EPVL. „ & ſub tabella, CALDVS. III VIR. Et hic „ quidem trevir monetarius, Cæſaris aut Au„ guſti ſub monarchia, videtur ex familiæ „ ſuæ vanis monumentis formas iſtas imagina„ rias deprompſiſſe; quibus principem familiæ „ ſuæ, novum hominem hunc C. Cœlium Cos. „ rebus fortiter in Hiſpania geſtis, atque tot ho„ norum elogiis exornare, ſuæque ſtirpis nobi„ litatem exaltare voluit. Cæterum quando fi„ de digniſſimi, ſummæque auctoritatis Pom„ poniani Faſti, ex quibus antiqua illa Capitolina „ marmora ſunt elaborata, his adverſentur; nec „ conſulis Cœlii in Hiſpania victoriarum ne„ mo (quod ſciam) veterum ſcriptorum me„ minerit, nec ipſe Tullius, qui ſparſim in ſuis „ ſcriptis de eodem verba facit; hiſtoriam iſtius „ numiſmatis ad fabuloſas referre cogor narrationes, „ quibus vana quondam nobilitas veram rerum Ro„ manarum Hiſtoriam mirifice vitiavit. Quod & „ ipſe Tullius in Bruto ſuo conqueritur, ubi de „ mortuorum laudationibus & familiarum priva„ tis monumentis agit, quibus publica Romana „ hiſtoria mendoſior facta eſt. *Multa enim*, in„ quit, *ſcripta ſunt in his*, *quæ facta non ſunt*, „ *falſi triumphi*, *plures Conſulatus*, *genera etiam* „ *falſa*, *& a plebe tranſitiones*, *cum homines hu*„ *miliores in alienum nominis infunderentur genus.* „ Quin etiam poſt T. Livium lib. VIII. extre„ mo ab V. C. Plutarchus Tullio de eadem re „ ſuffragatur, in Numæ regis vita ſcribens, Clo„ dium quemdam in indice temporum aſſerere; „ veros rerum Romanarum commentarios in „ Gallica urbis direptione incendioque periiſſe; eos „ autem, qui poſtea compoſiti a diverſis reperiun„ tur, plures in gratiam ac adulationem quo„ rumdam mala fide conſcriptos eſſe.

In hisce Pighii ea, quæ ex Plutarcho adfert, nihil ad Cœliam gentem ſpectant; conſulemve Cœlium, qui longe poſt captam a Gallis urbem vixit; quæ ex Cicerone profert, ad laudationes funebres pertinent, ad genealogias privataram familiarum & ſimilia; verum ſi hæc ad monumenta publico argento & ære cælata transferre velimus, turbari neceſſe eſt omnia. Denique quod nihil de Cœlii rebus in Hiſpania geſtis legatur apud Hiſtoricos, non illius laudibus id quidquam detrahere debet, ſed temporis injuriæ imputari, qua quæ iis de rebus ſcripta ſunt, perierunt. Et cur quæſo poſt conſulatum non potuit in Hiſpaniam cum proconſulari imperio Cœlius mitti? Appianus, qui Iberica magno ſtudio conſcripſit, ibidem de iſtis temporibus pauciſſima habet; unde ipſe Pighius ſcribere cogitur pag. 208. de Scipionis Naſicæ, poſt T. Didii diſceſſum, imperio in Hiſpania agens: „ Ap„ pianus Alexandrinus in Iberica ſua hiſtoria non „ meminit, quæ ibidem mire præter modum „ brevis ac decurtata videtur. Nam a Didio & „ Craſſo tranſit ad Flaccum, atque inde ad „ Sertorium: qui omnes ſummo cum imperio „ Hiſpanias obtinuerunt, tanquam proconſuli„ bus. „ Idque verum eſt, ſi Appianum conſulas pag. 312. At vero, ſicut ibidem notat Pighius de Naſica: „ T. Didio vel P. Craſ„ ſo proconſulibus, uni (qui hoc anno ſimul „ Romam ad triumphum deceſſere) ſucceſſit „ haud dubie; nam rebellionis novæ principes „ quoſdam, captis ac dirutis urbibus, hoc „ tempore ſupplicio conſumſiſſe Naſicam, in Ju„ lio Obſequente notatum videmus: ſed non „ (ut apparet,) ſub ſuis conſulibus. „ An non, inquam, ut Naſica uni, ſic alteri Cœlius potuit ſuccedere? An non annis proxime ſequentibus illuc mitti potuit? Notat iterum Pighius p. 222. ad A. V. C. DCLXI; de conſulum ejus anni provinciis rem non minus eſſe obſcuram quam ſuperiorum aliquot, unde fingit, ob Italicas diſſenſiones veriſimile eſſe, illum, cui Gallia Ciſalpina obtigiſſet, imperium etiam, ſi opus foret, habuiſſe extraordinarium in Hiſpaniam cum exercitu transeundi. In tanta faſtorum incertitudine nummorum veterum fides minime eſt labefactanda; qui docent C. Cœlium Caldum poſt conſulatum; quocunque id anno factum ſit; cum imperio proconſulari miſſum fuiſſe in Hiſpanias, atque ibi, cæſo hoſte, compoſita re-

bellione, erectis tropæis, imperatoris meruiſſe nomen, ſicuti, trium horum nummorum, qui ſe invicem excipiunt, partes averſæ teſtantur.

Quod aprum idem Pighius exiſtimat nomen capti ducis hoſtium vel devicti deſignare, in eo fidem ei (ut puto) nullus habebit; non magis quam de venatione, occaſione lanceæ, quæ in num. B. occurrit, Begeri opinioni, quam (nihil præterea adferens) ipſe poſtea damnat, Theſ. Brand. II. p. 549. & 550. Aper Hiſpaniæ eſt ſymbolum, æque ut lancea, ſcutum Hiſpanicum & alia. Illud non melius quam ex ipſis nummis Hiſpanicis diſcere poſſumus, ex quibus hi Cœlii Caldi nummi I. & II. ut & reliqui quantum lucis capiant, liquido adparebit. Habeo ego vidique complures æneos, in quibus apri figura depingitur; unum cum capite Vulcani pileato, retro quod forceps eſt; & a parte averſa aper ſtans, cum literis *Decreto Decurionum*, alterum cum apro vel ſue ſtante & literis OST. VR. atque in parte averſa exhibentem cypreſſum vel aliam arborem, inter duos lauri ramos; tertium cum capite apri, quod in piſcis caudam contorto corpore deſinit, atque ab altera parte ſimiliter duos laureos ramos exhibet. In iiſdem nummis Hiſpanicis Solis quoque caput ſæpius occurrit, ut viſuri ſumus ad num. II. Denique ſicut in ſequenti denario aper perticæ inſiſtens cernitur, ſic tabella in fine operis Num. Hiſpanum. XVII. equitem Hiſpanum exhibet perticam dextra tenentem, cui apri quoque ſignum inſiſtit.

Litera A.

Caius COEL*ius* CALDVS. Caput idem Cœlii conſulis, inter vexillum & aprum perticæ inſiſtentem.

Caius CALDVS IMP*erator*, *Augur*, X *vir.* Septemvir epulonum ſternens lectulum Jovi ſupra aram quadratam, inſcriptam *Lucius* CALDVS VII VIR EPVL*onum.* in imo denarii legitur CALDVS III VIR.

Caput hoc idem eſſe cum ſuperiori facile adparet, quamvis titulus conſulis non adſcribatur. Unde miror, quænam cauſſa dubitandi Pighio fuerit in præcedenti præſertim Numiſmate, num conſulis Cœlii ſit caput, an vetuſtiſſimi ejus gentis auctoris Cœlii Vivennæ (ſeu Vibenni) Tuſci, ex ſtatuis ejusdem imitatum. Cœlius ille antiquus Romam venit Romuli tempore, itaque ſtatuæ ejusdem non alio habitu poni potuerunt, quam ſecundum iſtius temporis conſuetudinem, id eſt barba longa decoræ, prout Quirini ſive Romuli atque ſucceſſores ejus Numæ vultus in nummis exſtantes egregie evincunt. At conſul Caldus, juxta ſui temporis morem, provecta quamvis ætate, glaber & raſa barba cernitur.

In lectiſternio, quod ab alterea nummi parte adparet, variant reſpectu picturæ editores. Cernitur ibi ſeptemvir epulonum Jovi lectulum ſternens, ille pro more ſacrorum velatus adparet, prout egregie ad fidem nummorum depinxit Morellius, quod minus adcurate apud alios cernitur; Begerus vero finxit nobis virum militarem, lorica etiam indutum. In aliis nummis (teſte Urſino p. 80.) non eſt figura epulonis ſtantis atque lectulum ſternentis, ſed ipſius Jovis in lectulo diſcumbentis ſignum. Quod veriſſimum eſſe in multis hujusce generis animadverti, ut & in meo, qui, quoad capitis typum, primo ſimillimus eſt, Jovem vero diſcumbentem & velatum exhibet ita, ut protenſa dextra manu, læva (qui diſcumbentium habitus eſt) lectulo innitatur, plane ut delineatum cernas in Faſtis Goltzianis; verum ibi inſuper ad tropæum adligatus cernitur captivus nudus, ſtans; quo Pighii verba ſpectant. „ Ab altera nummorum iſtorum „ parte viſuntur duo tropæa ſpoliis onuſta, cum „ captivæ provinciæ imagine ſpoliis adligatæ. „ Sed ad Goltzianos talis nummus cum captivo, id eſt, dubiæ fidei, tam diu ablegandus eſt, donec ei ſimilis ex tenebris eruatur.

Epulones, quos antiquitus *epulonos* dictos teſtatur Feſtus, erant ſacerdotes, qui *epulum indicendi Jovi, cæteriſque Diis poteſtatem habebant.* Sacrorum hac in parte cura antiquiſſimis reipublicæ temporibus penes pontifices fuiſſe certum eſt. Creati deinde ſunt III viri epulones teſte Livio lib. XXXIII. cap. 42. & Cicerone, quorum ille primos, qui hoc munere functi ſunt, enumerat, hic, eosdem Pontificibus ſucceſſiſſe notat. de Orat. III. 19. *Pontifices veteres propter ſacrificiorum multitudinem tres viros epulones eſſe voluerunt, cum eſſent ipſi a Numa, ut etiam illud ludorum epulare ſacrificium facerent, inſtituti.* Poſtea, temporibus Sullæ, ut videtur (is enim auxiſſe ſacerdotum numerum legitur) auctus fuit numerus, atque creati ſeptemviri epulones. At vero Cæſar, quum neceſſe haberet multis, qui illum adjuverant, referre gratiam, novos honores excogitavit, veteres numero auxit. Itaque collegio epulonum tres adjecit, ut ita decem eſſent; prout judicare videtur Dio Caſſius in fine libri XLIV. pag 272. Ὡς γὰρ εἴρηται, πολλοῖς εὐεργεσίαν ὀφείλων, διά τε τῶν τοιούτων αὐτοὺς καὶ διὰ τῶν ἱερωσυνῶν ἀπεδίδου· ἔς τε τοὺς πεντεκαίδεκα ἕνα, καὶ ἐς τοὺς ἑπτὰ αὖ καλουμένους τρεῖς ἑτέρους. προσαποδείξας. *Quum enim pluribus (ut dictum eſt) beneficia deberet, his magiſtratibus ac ſacerdotiis collatis eis ſatisfecit: itaque* XV *Viris unum, ſeptemviris tres inſuper alios addidit.* Auguſtus deinde, quum omnia temporum abuſu & neceſſitate corrupta, reſtitueret, etiam huic ſacerdotio priſtinum videtur reſtituiſſe numerum. Ex quibus patet L. Caldum VII virum epulonem & III virum Caldum, qui hunc denarium cum gentis ſuæ titulis percuſſit, ad duo tantum tempora poſſe revocari, ad illa videlicet, quæ a Sulla dictatore ad Cæſarem effluxerunt, vel quæ ſub Auguſto fuerunt, reſtituto ſacerdotiis priſtino numero; quæ mox examinabimus. Munus epulonum deſcribit Cicero de Aruſp. reſponſis cap. X. *Audio, quibus diis violatis, expiatio debeatur: ſed, hominum quæ ob delicta, quæro. Ludos minus diligenter factos, pollutosque. Quos ludos? te appello, Lentule, (tui ſacerdotii ſunt tenſæ, curricula, præcentio, ludi, libationes, epulæque; ludorum publicorum) vosque pontifices, ad quos epulones Jovis optimi, max. ſi quid eſt prætermiſſum, aut commiſſum, afferunt: quorum de ſententia illa eadem renovata, atque inſtaurata celebrantur: qui ſunt ludi minus diligenter facti? quanto, aut quo ſcelere polluti? reſpondebis & pro te, & pro collegis tuis, & pro pontificum collegio, nihil cujusquam aut negligentia contemtum, aut ſcelere eſſe pollutum: omnia ſollemnia, ac juſta ludorum, omnibus rebus obſervatis, ſumma cum cæremonia eſſe ſervata.*

Cœlius Caldus, qui ſe triumvirum vocat, ſine dubio monetalem, gentis ſuæ decora ſatis ambitioſe in hisce nummis exponit: Qui primus genti honores intulit, Cajus Cœlius Caldus, novus homo Ciceroni dictus, fuit tribunus plebis, aliquanto poſt conſul, nec longe poſt, utpote con-

consularis, proconsule in Hispaniam cum imperio missus, ubi subactis rebellibus tropæa erexit, maxime tamen clarus existitit famosa illa legis tabellariæ perlatione, sicuti ad num. II. dicendum veniet. Præter titulum imperatoris, quem in Hispaniis meruit, *Augur* & X*vir* in denario dicitur, adeoque duo simul sacerdotia habuisse videtur, quod sane erat honorificum, sicut posteris temporibus triplex sacerdotium inter Galbæ, nondum imperatoris, merita & decora recensetur a Suetonio in Galba cap. VIII. *Ob res, & tunc in Africa & olim in Germania gestas, ornamenta triumphalia accepit; & sacerdotium triplex, inter* XV *viros, sodalesque Titios, item Augustales coöptatus.* Et sic duo illi Cœlii Caldi, C. & L. tria amplissima habuerunt sacerdotia, quorum prærogativæ recensentur apud Gellium lib. I. cap. 12. ubi de lectione virginis vestalis agit: *Sed eam, cujus soror ad id sacerdotium lecta est, excusationem mereri ajunt; item, cujus pater flamen, aut augur, aut quindecimvirûm sacris faciundis, aut qui septemvirûm epulonum, aut salius est.*

Lucius Cœlius Caldus Caji, illius consularis, filius fuisse videtur, & pater Caldi, qui hosce nummos cudit. Supputatio recte procedit. Consul fuit Cajus A. V. C. DCLIX. nepos Cajus Lucii filius, quæstor Ciceronis in Asia A. V. C. DCCIII. fuitque tum admodum juvenis. Vix itaque dubitari potest, quin intermedio tempore inter septemviros epulones adscriptus fuerit L. Cœlius Caldus, consularis Caldi filius, & triumviri monetalis pater. Unde in tempora Sullana (ut supra dixi) hoc illius sacerdotium incurrit, adeoque post A. V. C. DCLXX. ut adeo Caldus ille III vir monetalis facile potuerit esse adhuc adolescens admodum A. V. C. DCCIII. quum sacerdotium patris Lucii (de quo silent scriptores) & filii hujus nativitas tempore sibi invicem proximi esse potuerint. Cicero extenuans ætatum Caji, puerum & adolescentem vocat, sed magnopere indolem ejusdem laudat, epistola ad M. Cœlium, ædilem curulem lib. II. ep. 15. *Ego de provincia decedens, quæstorem Cœlium præposui provinciæ. Puerum? inquies. At quæstorem, at nobilem adolescentem: at omnium fere exemplo: neque erat superiore honore usus, quem præficerem. Pomtinius multo ante discesserat. A Quincto fratre impetrari non poterat: quem tamen si reliquissem, dicerent iniqui, non me plane post annum, ut senatus voluisset, ex provincia decessisse: quoniam alterum me reliquissem. Fortasse & illud adderent, senatum eos voluisse provinciis præesse, qui antea non præfuissent, fratrem meum triennium Asiæ præfuisse. Denique nunc sollicitus non sum: si fratrem reliquissem, omnia timerem. Postremo non tam mea sponte, quam potentissimorum duorum exemplo, qui omneis Cassios, Antoniosque complexi sunt, hominem adolescentem non tam allicere volui, quam alienare nolui.* Hunc itaque Cœlium, quum *puerum*, certe adolescentem vix ausus dicere, vocat Cicero A. V. C. DCCIII. necesse est vix viginti quinque ætatis annos explevisse. Necesse itaque est illum, vel temporibus Augusti, vel ante Julii Cæsaris dictaturam, munere triumviratus monetalis functum fuisse. Cæsar enim aucto numero quatuorviros instituit, Augustus ad pristinum numerum reduxit. Ad Augusti tempora quo minus referamus, ætas tum temporis provectior, & quæstorius honos sub Cicerone jam in Asia gestus, faciunt; ergo ante Julii Cæsaris dictaturam, imo ante hanc quæsturam provincialem credimus triumvirum monetalem fuisse, & periisse in bello civili, quoniam de rebus ejus gestis nihil amplius legitur, nisi forte nummus, qui exstat infra num. II. honorem quoque sacerdotis Salii ipsi vindicet, de quo ad eundem visuri sumus.

Litera B.

I.

Caius COEL*ius* CALDVS. Caput idem Consulis Caldi, retro illud lancea est, teli Hispanici genus.

IMP*erator*, *Augur* X*vir Caius* CALDVS. Inscriptione transposita. Typus & reliqua epigraphe superioribus est similis.

Lancea telum Hispanorum fuit, unde & in Carisii monumentis nummariis cernitur. Variant vero in minusculis hisce typis hi denarii, sed omnes aliquid ad Hispanorum arma pertinens habent, unde patet omnino aliquid præclarum a Cœlio proconsule in Hispaniis fuisse gestum. In qua sententia quoque fuit Perizon. qui pluribus de eadem gente disputat. de Nummis Consular. p. 268. „ C. Cœlium Caldum in Hispania memorabile „ aliquid fecisse, seu hosti Hispano vexillum eripuisse, ex hoc nummo crediderim. Certe „ proximis ante ejus consulatum annis bella à „ Romanis in Hispania contra Lusitanos & Celtiberos gesta constat ex Reliquiis Fastorum „ Triumphalium. Apro declarari puto aliud genus fortitudinis; nimirum occisum ab eo insignem aprum, qua de causa in altero & simili „ plane ejusdem Cœlii Nummo, quem Begerus „ edidit in Contin. Thes. Brandenb. p. 549. *venabulum* conspicitur, tanquam quo aper iste fuerit ab eo confossus. Nam concesserim istic potius in sententiam Begeri, telum hoc *venabulum* interpretantis, quam Morellii *lanceam.* „ Potuit tamen lancea Hispanica similis fuisse venabulo Romanorum, eamque in nummo suo „ expressisse Carisius, ut ait Morellius, & ita allusisse ad occupationem urbis Lanciæ in Hispania ab se factam. Ceterum diversæ fuerunt „ gentes COELIA & CAELIA. Illa ab antiquo nomine Etrusco, *Cœle*, est derivanda, „ sicuti ab eodem nomine, seu a *Cœle Vibenna*, „ ut a Varrone & Tacito nominatur, etiam „ mons *Cœlius* in urbe est dictus, quem inhabitandum cum suis acceperat ille a Romulo vel „ Tarquinio Prisco. Eum vero Vibennam imp. „ Claudius in Inscr. apud Gruterum pag. 502. „ appellat *Cœlum Vibennam*: unde emendandum „ puto Dionysium Halic. lib. II. in historia Romuli, ubi male editur Καίλιος, pro Κοῖλος, *Cœlus*, a qua demum nominis forma per derivationem analogicam *Cœlius* & mons & familia „ dicitur. At *Cæliæ* Gentis nomen a *Cajo* vel „ Gajo lubens deduxerim & analogice prorsus. „ Plane ut *Ælia* ab *Ajo*: Notus enim ex historiis „ *Ajus Locutius*; & *Mælia* a *Majo*, quo nomine „ deus quispiam Tusculanorum appellabatur; „ teste Macrobio Saturn. I. 12. „ Perizonii de apro occiso sententia non placet; melior illa Morellii, cujus ibidem verba notatu digna hæc exstant p. 189. atque hic locum merentur. „ Nunc „ videamus, quid significet vexillum a posteriore parte capitis C. COELII CALDI. Signum „ Hispanicum esse, probant ipsæ literæ impressæ: HIS. & in alio ejusdem Caldi nummo cernitur signum militare, suis insistentis figura „ conspicuum, quod Hispanicum esse, clarum „ redditur ex nummo in Hispania cuso, a me ipsi „ operi inserendo, in quo eques ejusmodi signum „ mi-

„ militare gestans conspicitur. In alio hujus Gentis nummo in Doctissimi Begeri Continuatione Thesauri Brandeburgici lancea cernitur, quo idem probatur: nam lanceam non Latinum, sed Hispanicum vocabulum esse, docet Varro apud A. Gellium lib. XV. cap. 30. hinc sine dubio hoc armorum genus ex Hispania allatum fuit, & forsan ex Lancia, urbe Asturiæ maxima, ubi indubie insignis armorum fabrica fuit, indeque vocabulum lancea ortum: hanc urbem T. Carisius expugnavit, & in ejus nummis lancea Hispanicis armis jungitur. De C. Cœlii rebus fortiter in Hispania gestis ambigitur, & Pighius contenta istius numismatis ad fabulas retulit, conjiciendo, Caldum triumvirum rei monetariæ stirpem suam vana nobilitate exaltare voluisse, nam C. Cælius Caldus consul, novus erat homo, qui haud parvis nobilium inimicitiis ad summos honores contendit, quapropter ambigo, an caput in nummo expressum illius sit. Cœliorum autem nomen apud Romanos illustre fuit, a primis urbis temporibus, & dupliciter scribitur per OE, & AE, hinc intricata est hujus gentis historia. Cœlii per OE principem gentis suæ adduxerunt Cœlium Vibennam, Tuscorum ducem nobilem, qui Romulo regi contra Sabinos cum suis auxilio venit, & in urbe remanens monti Cœlio nomen dedit: Qui per AE scribunt, ab antiquissimo Deorum Cælo gentem deduxerunt: præbent itaque hi nummi non contemnendam occasionem, ut ulterior inquisitio instituatur.

II.

C*ajus* COEL*ius* CALDVS C*on*S*ul*. Caput idem Caldi consulis, retro est tabella inscripta L. D. i. e. *Libero, Damno*.

CALDVS III VIR. Caput Apollinis coma sparsa, corona radiata, ornatum inter clypeum & parmam, supra clypeum cernitur litera S.

Primo loco ponendum fuerat hoc numisma, utpote quod res gestas Cœlii, antequam ad consulatum perveniret, continet: Tribunus plebis factus A. V. C. DCXLVI. nobilium inimicitiis inclaruit. Quum etenim in Gallia male a Romanis pugnatum esset, altero ex legatis consularibus L. Pisone interfecto; alter, qui supererat, C. Popillius, ne omnes perirent, cum hostium ducibus colloquio habito, impedimentorum jactura exercitus incolumitatem redemit, uti testatur scriptor Rhetoricorum ad C. Herennium. Reverso diem dixit tribunus plebis, & quo facilius adfligeret Popillium, quartam legem tabellariam, omnium atrocissimam & invidiosissimam introduxit. Omnes hasce enumerat Cicero lib. III. de Legib. cap. 16. *Itaque isti rationi neque lator quisquam est inventus, neque auctor unquam bonus. Sunt enim quatuor leges tabellariæ: quarum prima de magistratibus mandandis: ea est Gabinia, lata ab homine ignoto & sordido. Secuta biennio post Cassia est, de populi judicio. Ea a nobili homine lata est, L. Cassio, sed, pace familiæ dixerim, dissidente a bonis, atque omni rumusculos populares ratione aucupante. Carbonis est tertia, de jubendis legibus, ac vetandis, seditiosi, atque improbi civis: cui ne reditus quidem ad bonos salutem a bonis potuit adferre. Uno in genere relinqui videbatur vocis suffragium, quod ipse Cassius exceperat, perduellionis. Dedit huic quoque judicio Cælius tabellam, doluitque quoad vixit. Sed ut opprimeret Cælius Popillium, nocuit & reip.* Hujus legis egregium monumentum hic ipse denarius est, qui vota populi contraria, ipsasque literas tabellis inscriptas ostendit, videlicet LIBERO. DAMNO. ut majore numero vel liberaretur vel damnaretur reus. Iniquitatem vero judicii, haud exspectata sententia, effugit Popillius, ultro in exilium profectus, uti testatur Orosius lib. V. cap. 15. apud quem tamen male in editis *Cajus Publius* dicitur. Verba Orosii hæc sunt, *Iisdem præterea Iugurthini belli temporibus Lucius Cassius consul, in Gallia Tigurinos usque ad oceanum persecutus, rursumque ab eisdem insidiis circumventus, occisus est. Lucius quoque Piso, vir consularis, legatus Cassii consulis interfectus. Cajus Publius, alter legatus, ne residua exercitus portio quæ in castra confugerat, deleretur, obsides & dimidiam partem rerum omnium Tigurinis turpissimo federe dedit: qui Romam reversus a Cœlio, tribuno plebis, die dicta eo quod Tigurinis obsides dederat, in exilium profugit.* Visus hac lege populi jura mirum in modum auxisse Cœlius, in petitione postea consulatus, tam gratiosus apud plebem fuit, ut ex competitoribus alter ne descendere quidem ad comitia voluerit, alter contendere ausus, sit superatus, teste Cicerone de Pet. Cons. cap. III. *Quanto melior tibi fortuna petitionis data est, quam nuper homini novo C. Cœlio? ille cum duobus hominibus ita nobilissimis petebat, ut tamen in iis omnia pluris essent, quam ipsa nobilitas: summa ingenia, summus pudor, plurima beneficia, summa ratio, ac diligentia petendi. Tamen eorum alterum, cum deesset alter, Cœlius, etiam cum multo esset inferior genere, superior nulla re pæne, superavit.* Postrema Grut. & Gron. aliter legunt, & quædam ut ex glossis nata rejiciunt, ita videlicet: *Tamen eorum alterum Cœlius, etiam cum multo esset inferior genere, superior nulla re, pæne superavit.* Ego illud *pæne*, quoque delendum esse puto, vel reponendum, *plane superavit.*

In hisce Tullius *novum hominem* appellat Cœlium, atque nobilibus & antiquo stemmate ortis opponit; neque hic tantum, verum etiam in oratione pro L. Murena cap. VIII. *Quamquam ego jam putabam, judices, multis viris fortibus ne ignobilitas objiceretur generis, meo labore esse perfectum: qui non modo Curiis, Catonibus, Pompejis, antiquis illis, fortissimis viris, novis hominibus; sed his recentibus, Mariis & Didiis, & Cœliis commemorandis jacebant.* Quum itaque homo novus, ignobilis, recens a Cicerone adpelletur, cui tamen cum Cœlia familia magna erat amicitia, quis credat ab antiquo illo Cœlio Tusco genus traxisse? a quo scilicet Cœlius mons nomen receperit juxta Varronem de L L. lib. IV. pag. 14. *In Suburanæ regionis parte princeps est Cœlius mons, a Cœlio Vibenno Tusco, duce nobili, qui cum sua manu dicitur Romulo venisse auxilio contra Sabinum regem. Hi post Cœlii obitum, quod nimis munita loca tenerent, neque sine suspicione essent, deducti dicuntur in planum. Ab iis dictus vicus Tuscus, & ideo ibi Vortumnum stare, quod is deus Etruriæ.* Sed nihil mirum, si Cœlii, jam potentes facti, antiquitatem istam a blandientibus adpingi siverint. Caldi unde dicti fuerint ex Cicerone discimus, a fortitudine scilicet, cujus sicuti excessus est temeritas, ita Caldum a temeritate etiam malevolos derivare idem docet, de Inventione lib. II. cap. 9. *Nomen autem cum dicimus, cognomen quoque intelligatur oportet. De hominis enim certo & proprio vocabulo agitur: ut si dicamus, ideo aliquem Caldum vocari, quod temerario & repentino consilio sit: aut si ea de re hominibus Græcis imperitis verba dedisse, quod Clodius, aut Cæcilius, aut Mucius vocarentur.*

Ab altera nummi parte Solis sive Apollinis est ca-

caput inter ſcutum oblongum, fulmine inſignitum, & clypeum, ſeu potius parmam. Utrumque ad Hiſpanorum arma refero, peditum ſcilicet & equitum; paſſim enim in antiquis Hiſpanorum nummis, quorum ſatis magnam ſervo copiam, equites haſta & parma armantur. In altera vero pugna, quæ erat peditum, ſcutum oblongum majoris erat uſus. Nec moveat quemquam litera S. quæ ſcuto ſuperpoſita eſt, tanquam integre (ut aliquis ſuſpicari poſſit) *Salius* legenda vox eſſet, ſignificareturque noſter Caldus, III Vir monetalis, inſuper fuiſſe ſacerdos Martis, quos Salios adpellatos ſcimus, juxta quam interpretationem ſcutum illud de ancili, Romanorum ſacro clypeo, foret explicandum; ſunt enim multa, quæ conjecturam hanc penitus evertere poſſint. Primo litera S. non in omnibus hiſce invenitur nummis; & habeo ipſe longe pulcherrimum & integerrimum, a quo abeſt; unde ad monetariorum notas eſt referenda, a quibus (ut videre mox eſt in ſequentibus) literæ alphabeticæ nonnunquam denariis inprimebantur. Deinde ſcuti forma non eſt ad anciliorum picturam, qualem vel notiſſimi nummi Antonini imperatoris exhibent, vel gemma antiqua a Leonardo Auguſtino producta, & literis Hetruſcis *Ancile* ſignificantibus inſcripta; quæ utraque repetiit & exhibuit celeb. Montefalconius Antiqu. Tom. V. tab. XXII. Denique inter duo tropæa, quæ tribus præcedentibus exhibentur nummis, præter arma Hiſpanica, haſtulas, lituum militarem & reliqua, parma & ſcutum fulmine inſculptum, figuris in hoc denario occurrentibus ſimillima inveniuntur. Ex quibus adparet, pulcherrimam de Hiſpanis victoriam conſecutum fuiſſe Proconſulem Cœlium, fuſo equitatu & deletis pedeſtribus eorum copiis.

Supereſt caput Solis ſeu Apollinis. Quod numen, ne per literam S. ſignificetur, ratio adlata prohibet; ſcriberetur præterea integre potius, non litera initiali. Hiſpanorum itaque nummi rurſus conſulendi, inter quos in ſuppellectile mea invenio tres, qui cultum Solis in hiſce regionibus confirment. Primus (ærei ſunt omnes) caput Vulcani pileatum cum forcipe & literis antiquis Hiſpanicis ab altera parte exhibet; ab altera caput Solis adverſum, tredecim ingentibus radiis coruſcans. Secundus & tertius nummus, qui pictura aliquantum differunt, caput idem Vulcani ſed ſine epigraphe Hiſpanica oſtentant, ab altera vero parte ingens Solis aſtrum laurea Apollinari circumdatum. Sunt inſuper duo alii, ærei, quorum alter adverſum quoque ſolis rotundum exhibet caput, & ab altera parte delphinum cum literis antiquis Hiſpanicis; alter, priori prorſus ſimilis, nullam habet inſcriptionem.

III. *& ſeq.*

Caput Romæ galeatum.

Caius COIL*ius* CALD*us*. Bigæ, aurigante Victoria; ſuper equos eſt litera G. in aliis H. Q. R. X. In quibuſdam infra bigas in imo ſignantur literæ L. B. D. F. K. M. Præterea in uno Caldi cognomen literis inverſis ſcribitur, in multis, omiſſo nomine & prænomine, cognomen CAL-*Dus* ſolum exprimitur.

Vaillantius denarium explicans, qui huic proxime locatur, & in quo litera H, ut & ultimum; hanc dat interpretationem: „ Quin ad C. Cœlium „ Caldum, & quidem conſularem, pertineat denarius, non ſinit dubitare vetus illa ortographia „ OI pro OE in eo uſurpata, nepotis vero tempore amiſſa, ut vidimus, & litera H, in verti„ ce poſita, pecuniam, ex qua illa moneta erat „ facta, nempe *Hiſpanienſem*, ex vectigalibus „ Hiſpaniæ, in qua bellum gerebat Cælius Cal„ dus Conſul, ſignificans; nihil enim in denariis „ ſine cauſa adponitur. Litera autem H, ad ſolam „ monetam ſpectare videtur, quod confirmat al„ tera litera M. in ſequente denario exarata. U„ terque denarius in Hiſpania cuſus; quare in „ iis vox Roma non expreſſa eſt. „

In hiſce bis terve errat vir doctus. Conſularem in principio vocans Caldum, mox ait, Cœlium Caldum conſulem in Hiſpania bellum geſſiſſe. In qua tamen provincia conſule Caldo res quietæ fuerunt. Dicit deinde, ex vectigalibus Hiſpaniæ cuſos denarios, quod confirment literæ H. & M. At ſuſpicionem illam evertunt literæ G. Q. R. X. B. D. F. K. L. Neque illud conceſſerim, omnes omnino denarios, quibus vox ROMA abeſt, extra urbem cuſos eſſe, licet in hiſce quidem illud concedam.

Inquirendum jam ad quem Caldum hi denarii pertineant; inveniuntur in Faſtis C. Cœlius L. F. L. N. Caldus, quæſtor provincialis A. V. C. DCXXV. tribunus plebis A. V. C. DCXXX. prætor urbanus A. V. C. DCXXXVI. & prætor provincialis A. V. C. DCXXXVII. dein filius ejusdem C. Cœlius C. F. L. N. Caldus, quæſtor provincialis A. V. C. DCXLII. tribunus plebis A. V. C. DCXLVI. quo famoſam illam perduellionis legem tabellariam tulit, is, qui hinc quoque (ut vidimus) conſulatum poſtea adeptus eſt. Qui, tempore poſteriores, eodem ſunt nomine, recenſendi non veniunt; typus enim & ſcriptura ad antiquiores Cœlios, tum temporis Coilios dictos, nos vocant. Et hæc ipſa ratio facit, ut a Vaillantio in hac quoque parte diſſentiam; & hunc denarium non revocem ad C. Cœlium Caldum, conſulem vel conſularem (qui, ſi cudiſſet nummum, melius in quæſtura provinciali cudiſſe diceretur) ſed ad patrem ejus C. Cœlium Caldum, Lucii filium, qui in quæſtura ſua A. V. C. DCXXV. vel ſequentibus (nam proquæſtoris titulo continuata illi in provincia hæc dignitas videtur) proxime annis, hoſce denarios cudiſſe videtur.

IV. *& ſeq.*

Caput idem Romæ.

CALD*us*. Bigæ victoriatæ. De literis, quæ in imo nummo inveniuntur L. B. D. &c. modo diximus.

Vaillantius, qui p. 293. Hiſpanias in litera H. ſe inveniſſe putat, fruſtra quoque eſt p. 294. exiſtimans literam M. in ultimo deſignare pecuniam manubialem. Horum nummorum eadem, quæ ſuperiorum, eſt ratio, & ab eodem quæſtore cuſi ſunt.

V.

Caput Romæ galeatum cum denarii nota.

Lucius COIL*ius*. inferius ROMA. Dioſcuri in equis.

Vaillantius cum Pighio denarium hunc revocat ad Lucium Cœlium Caldum, qui inter quæſtores provinciales ponitur A. V. C. DCXXXIII. qui, quum ſcribatur in Faſtis C. F. C. N. frater præcedentis eſſe non poteſt, ſed ex eadem gente conſanguineus. Duo tamen ſunt, quæ obſtare mihi videntur, quo minus illi Lucio Caji filio adſignem denarium; inſcriptio ROMA & typus Dioſcuro-

rum

rum antiquissimus. Romæ cusum notat inscriptio, ergo non a quæstore provinciali. Typus antiquior docet, non perperam forsan a nobis adscribi denarium Lucio antiquiori, patri C. Cœlii Caldi, qui præcedentem cudit denarium, avo famosi illius tribuni plebis atque consulis. Is tribunus etiam plebis fuit A. V. C. DLXXX. potuitque ante id tempus vel post aliquam obtinuisse dignitatem, quæ permiserit illi nummos in urbe Roma signare.

VI.

Caput idem Romæ cum denarii nota.

Publius CALD*us*. ROMA. Biga equorum, cui insistit figura habenas & flagellum tenens, advolat a fronte Victoria cum laurea & palma.

Ad P. Cœlium, P.F.C.N. hunc denarium referunt. Quæstor provincialis fuit A. V. C. DCLXIX. cum C. Verre, cum quo prætor urbanus quoque, post alias dignitates, exstitit A. V. C. DCLXXIX. Ab eo in quæstura provinciali cusum denarium dicit Vaillantius, prorogato Sullæ in Asia imperio, atque inde illius Sullæ Victoriam de Mithridate hic designari. Repono, in urbe Roma signatum esse denarium, unde ad annum, quo prætor urbanus fuit P. Cœlius rectius referri posse videtur; quo ipso, quum Mithridates rupta pace, denuo bellum adornaret, missus cum exercitu est consul L. Licinius Lucullus, cumque ingens foret metus ob valida ejusdem Mithridatis auxilia, alter etiam consul M. Aurelius Cotta in Asiam profectus est, ut Bithyniam tueretur. Quare denarius hic votivus est, Romæ victoriam, ut ante, de Mithridate sperante, optante, sibique pollicente.

VII.

ΤΙϐέριος ΚΛΑΥΔΙΟΣ ΚΑΙΣΑΡ ΓΕΡΜΑΝΙΚΟΣ. *Tiberius Cæsar Germanicus.* Caput nudum imperatoris Claudii.

Γαΐος ΚΟΗΛΙΟΣ ΒΑΛΒΟΣ ΑΝΘΥΠΑΤΟΣ. & in area nummi per scribendi compendium & connexionem literarùm, ΝΕΙκαιέων. *Cajus Cœlius Balbus Proconsule, Nicæensium.*

Citatur nummi hujus inscriptio & ipse nummus, ut existens in museo regio, apud Vaillantium inter Numismata Græca Impp. p. 13. ubi etiam male ΚΟΙΛΙΟΣ citatur pro ΚΟΗΛΙΟΣ. Quis vero hic Cajus Cœlius Balbus fuerit, dicere difficile est; neque enim memoria ejus apud scriptores vel in Fastis Consularibus invenitur; & tamen, quum qui proconsule in provincias mitterentur, viri essent consulares, necesse est Cœlium Balbum ex suffectis fuisse consulibus temporibus imperatoris Claudii; illorum enim, quoniam vix paucos menses nonnunquam honorem gesserunt, sæpius abolita memoria est. A Balbo productum est nomen Balbinus; unde imperator D. Cœlius Balbinus genus suum deducere potuit ab hoc C. Cœlio Balbo; erat is certe nobilissimus, ut qui ipse, teste Historiæ Augustæ scriptore Capitolino cap. VII. genus suum retulerit ad Corn. Balbum Theophanem, Mitylenæum, patriæ suæ nobilissimum, & historiarum scriptorem, quem civitate donaverat Pompejus; licet maluerit Theophanis Balbi cognationem, cujus domus illustris admodum Romæ fuit sub Augusto, & initio principatus Tiberii; postea enim, sortem clarorum virorum experta, a tyranno isto adflicta fuit.

COMINIA.

Gentis Cominiæ, plebejæ, ut ex tribuno plebis L. Cominio A. V. C. CCCCXXXVI. patet, crebra apud Auctores & multa in Inscriptionibus Antiquis memoria exstat; & nomina inveniuntur L. Artidiæ Sex. F. Cominiæ, apud Malvasiam V. 3. Flaviæ Cominiæ, apud Fabrettum IV. 366. Polliæ Cominiæ, penes Gruter. p. DCCCXVI. 4. Vibiæ Valeriæ Cominiæ, ibid. DCCCXCV. 4. Occurrunt & L. Bæbius L. F. Gal. Cominius, ibid. CCCLXXII. 2. & C. Octavius Cominius, CCCLV. 6. Pontius vero Cominius, juvenis Romanus, cujus factum heroicum narrat Livius lib. V. cap. XLVI. ad Pontiam gentem spectare videtur. Cominii quoque & Cominiani, a Cominio producti, plures in antiquis lapidibus occurrunt.

I.

TI*berius* CLAVDIVS CAESAR AUG*ustus*, *Pontifex Maximus*, TR*ibunitia Potestate.* Caput Claudii imperatoris nudum.

ΕΠΙ ΚΟΜΙΝΙΟΥ ΠΡΟΚΛΟΥ ΑΝΘΥΠΑΤΟυ. in area nummi ΚΥΠΡΙΩΝ. i. e. *Sub Cominio Proclo proconsule, Cypriorum.*

Qui primus hunc similemve vidit vulgavitque nummum, est Patinus de Numm. Imp. p. 101. prioris & p. 79. repetitæ editionis. Sed ibi legitur ΠΡΟΚΛΟΥ ΤΑΝΟΥ ΥΠΑΤΟΣ quem latine vocat Cominium Proculeianum, ab imperatore Cypriis (ut putat) pro legato vel prætore impositum; nostrum tamen innui nummum, patet ex parte capitis, quam licet (malo exemplo non pingat Patinus) tamen designat, dum recte raritatem huic nummo adsignet, quod duplici idiomate sit exaratus. Post illum Spanhemius, Patini lectione deceptus, Proculeios ad Cominiam gentem credidit referendos p. 563. sed errore agnito, mutavit postea sententiam, & illam de Proculeiis delevit in edit. auctiore tom. II. p. 589. ubi docet, Cyprum initio Augusti fuisse provinciam, post vero (quod & nummi docent) cum Dalmatia permutatam, factam P. R. fuisse. Vaillantius p. 13. hunc quoque in catalogo Numm. Gr. Imp. adduxit, cum Morellio quidem consentiens in reliquis, sed scribens ΑΝΘΥ. sive per errorem, sive quod in regio nummo sic exstet. Inscriptionem quoque ex Grutero citat Patinus p. CLXVIII. 8. ea sic se habet, Volsiniis inventa & a Victorio citata Var. Lect. lib. XVII. cap. XXIII.

L. COMINIVS L. F. A. N.
T. TVLLIVS (vel IVLIVS) T. F. KANVS
(vel KARVS)
C. ANVLEIVS L. F.
L. HIRRIVS L. F. LATINVS
IIII VIR.
THEATRVM ET PROSCAENIVM DE
SVA PECVNIA FACIVNDVM COE-
RAVERVNT.

Sed dubitat (nam valde id quoque incertum est) an ad hunc pertineat. Errat idem, ubi de prætore vel legato Cominio Proclo loquitur, erat enim Cyprus provincia proconsularis; ut necesse sit, Cominium nostrum unum ex suffectis sub Claudio vel Cajo consulibus fuisse, licet in Fastis nomen ejus, ut aliorum plurimorum, qui ad tempus suffecti sunt, non inveniatur.

Lu-

Lucius vero Cominius, qui in Inſcriptione adlata invenitur, ipſe, vel pater ejus cognominis illi, poteſt eſſe Cominius ille, cujus mentio apud Frontinum fit, libro de Aquæductibus edit. Patavinæ Jo. Poleni p. 173. & 174. ubi de Auguſti cura circa aquas agitur: *Auguſtus quoque edicto complexus eſt, quo jure uterentur, qui ex commentariis Agrippæ aquas haberent, tota re in ſua beneficia translata. Modulos etiam, de quibus dictum eſt, conſtituit; & rei continendæ exercendæque curatorem fecit Meſſalam Corvinum; cui adjutores dati Poſtumius Sulpicius prætorius, & L. Cominius pedarius.*

CONSIDIA.

Gens plebeja fuit; ut conſtat ex Q. Conſidio tribuno plebis, qui, una cum T. Genutio collega, auctor legis agrariæ, A.V.C.CCLXXVII. diem dixit T. Menenio, propter amiſſum Cremonæ præſidium, quod haud procul inde conſul ſtativa habuiſſet, eique capitis pœnam condonavit, precibus patrum victus, gravi tamen pœna pecuniaria multavit. Fuere & alii ex eadem gente tribuni plebis. Cognomen Pæti a vitio oculorum eſt.

I.

Caput Libertatis deæ laureatum, retro quod litera A. eſt, monetarii (ut videtur) nota; neque enim, Adrumetum ut indicet, Vaillantio adſentire poſſim.

Caii CONSIDI*i* PAETI. Sella curulis cum laurea impoſita.

Cum Vaillantio refero ad illum Conſidium Pætum, qui ab aliis Longus dicitur, & Africæ urbes, poſt victum Pompejum, magnis conatibus tutatus eſt. Plurima de illo leguntur apud Hirtium lib. de Bello Africano; tandem, profligatis rebus, in fuga a barbaris comitibus occiſus eſt, auro, quod plurimum ſecum vehebat, inhiantibus. Acerrimus libertatis defenſor, deam in denariis ſuis expreſſit, & ſellam curulem, magiſtratus ſui inſigne. Urſinus ſibi non ſatis conſtat. Scribit enim p. 81. Conſidium hunc parricidii quæſtorem fuiſſe, & ideo ſellam curulem in altera denarii parte ſignaſſe. Verum nobilis is quæſtor parricidii, Quintus, non Cajus dictus fuit, teſte Cicerone pro Cluent. cap. XXXVIII. Putat deinde eundem eſſe cum C. Conſidio, cujus meminit Cic. cap. I. Orat. pro Ligario. Recte, is ipſe Longus eſt.

Litera A. & B.

Similes ſunt præcedenti, verum in altero litera A. abeſt, in altero pariter abeſt, ſed inſuper laurea nummum a capitis parte ambit, propter ſperatam ſcilicet victoriam pleniorem, cujus jam aliquem fructum (ut videbimus) ad num. IV. & lit. D. deguſtaverat. Utrumque hunc nummum vulgarat olim quoque Gorlæus.

II.

Caput Minervæ galeatum, pectus ægide armatur tribus anguibus inde proſilientibus.

Caii CONSIDI*i*. Victoria in quadrigis, dextra lauream tenens, læva palmam.

Caput, quod Minervæ eſt, Adrumeti herois eſſe exiſtimat Vaillantius pag. 296. galea & chlamyde ornatum, & urbis hunc Adrumeti fundatorem a Conſidio expreſſum credit. Prorſus præter omnem veri ſimilitudinem. Eſt enim bellicæ virginis Minervæ caput, quam deam non ſine ratione denariis impreſſit Conſidius, uti in aliis Libertatem. Notiſſimum eſt, Veneris nepotem, Cæſarem, multum tutelæ ejusdem tribuiſſe. Sæpe ille in magno diſcrimine Venerem pro teſſera militibus dare erat ſolitus; unde de ultimo ejusdem ad Cordubam contra juniorem Pompejum prælio Appianus lib. II. Belli Civ. pag. 493. Σύνθημα ϗ τότε δὶς Ἀφροδίτην· ἔδωκε δ' ϗ ὁ Πομπήϊος Εὐσέβειαν. *Tunc quoque data Venere pro teſſera: Pompejo Pietatem dante.* Itaque contra hanc inbellem deam, quam & in monetis & teſſeris colebat Cæſar, virtutem armatam, & ex veteri offenſa inimicam Minervam, oppoſuit Conſidius.

III.

PAETI. Caput Libertatis.

Caii CONSIDI*i*. Victoria ſimilis, aliorſum converſa.

Senſus clarus eſt. Libertatis adſertores ſecutus erat Conſidius, ad ſtabiliendam eandem atque revocandam plenaria victoria (cujus adparuerat fulgor) opus erat, & oppreſſorum reipublicæ excidio.

Litera C.

I.

PAETI. Caput Libertatis.

Caii CONSIDI*i*. Victoria, ut ſupra.

Nihil a priori diſcrepat, niſi quod Libertatis caput alio ſit converſum, collumque deæ, quod ibi monile habet, hic ſit nudum.

II.

PAETI. Caput iterum deæ Libertatis.

Caii CONSIDI*i*. Victoria gradiens, dextra palmam erectam tenet ad humerum, læva lauream corollam protendit.

Tot nummi cum Victoriæ deæ typis nequaquam de concepta ſpe bona & victoriæ futuræ fiducia ſunt explicandi; &, ſi vel priores quadrigatos excipere quis vellet, tamen & hic & ſequens irrefragabili argumento partam aliquam de Cæſarianis in Africa victoriam arguunt, cum etiam tropæa manibus, in ſequenti quinario, ipſa ferat Victoria. Vaillantius tamen nihil profert, hiſtoria crudelitatis Conſidianæ in captivum contentus. Occaſionem itaque cudendæ hujus monetæ ex Appiano paullo uberius audiamus. Docet is, initia Cæſariani belli in Africa, haud felicia fuiſſe, & ſi duces Pompejani uti victoria ſciviſſent, debellari potuiſſe. Rem geſtam hisce narrat lib. II. de Bell. Civ. pag. 487. *Moxque ad bellum Africanum profectus eſt: & a Rhegio Meſſanam transvectus, a freto Lilybæum usque duxit exercitum. Ibi poſtquam cognovit Catonem cum claſſe & terreſtrium copiarum parte præſidio eſſe Uticæ, in qua apparatus belli erat repoſitus, & ibidem trecentos qui in ſenatus ſpeciem jamdudum præerant belli conſiliis, cæterum L. Scipionem Imperatorem cum optimatibus apud Adrumetum habere exercitum: trajecit contra hunc. Quem cum audiſſet ad Jubam profectum, aciem ante illius caſtra explicuit, opportune nactus ipſius imperatoris abſentiam. Nec Labienus Petrejusque legati detrectarunt prælium, repreſſeruntque Cæſarianos egregie: jamque fuſos perſequebantur contemptim, cum Labienum equus in ventre ſaucius excuſſit: & ipſe quidem ſuorum ſuccurſu ereptus eſt: Petrejus vero contentus præſenti experimento virtutis militum, & ratus ſe poſſe quandolibet vincere, cecinit receptui, dicens proximis: Non eſt fraudandus imperator noſter Scipio laude victoriæ.*

Ita tunc quoque plurimum valuit fortuna Cæsaris, dum hostes in media victoria segnescentes, fructum ejus emiserunt e manibus. Fuit certe prima hæc belli fortuna satis magna Considio visa, ut monetæ eam inprimeret, & ita quotidie milites, stipendiariam pecuniam numerantes, doceret, vinci posse Cæsarem.

Litera D.

PAETI. Caput Pietatis deæ, sed non laureatum, ut in denariis; est enim hic quinarius elegans.

Caii CONSIDII. Victoria manibus tropæum portans.

Ratio typi ex præcedenti Appiani loco satis patet. Colligamus itaque coronidis loco, quæ de C. Considio hoc apud Cæsarem vel Hirtium leguntur. Adpellatur ibi passim Longus, hic Pætus. Hoc cognomen familiæ esse constare videtur, illud crediderim peculiare Considio nostro fuisse a corporis specie. C. Considii prima mentio fit apud Ciceronem pro Q. Ligario cap. I. *Q. enim Ligarius, cum esset nulla belli suspicio, legatus in Africam cum C. Considio* (male inferciunt quidam *proconsule*) *profectus est : qua in legatione & civibus & sociis ita se probavit, ut decedens Considius provincia, satisfacere hominibus non posset, si quemquam alium provinciæ præfecisset.* Huc facit, quod notat ad argumentum Orationis Vetus Scholiastes p. 161. Ed. Græv. *Q. Ligarius, legatus cum Considio fuisset profectus, Africam ita administravit, ut cum Considius ad consulatus petitionem vellet venire Romam, pro se Ligarium faceret. Cœpit Ligarius Africam tenere legati jure, discedente Considio. Interea evenere bella civilia* &c. Unde statim videtur jussus a patribus redire in Africam Considius; & hinc altera ejus, ut in Africa res administrantis, mentio penes Julium Cæsarem de Bello Civili lib. II. cap. 23. ubi de expeditione Curionis in Africam loquitur, & de urbe Adrumeto. *Id oppidum C. Considius Longus unius legionis præsidio tuebatur.* Tertia & crebrior apud Hirtium de Bello Africano cap. IV. ubi narrat, quomodo frustratus fuerit Planci conatus, qui putabat Considium ad Cæsaris partes posse pertrahi. *L. Plancus interim legatus petit a Cæsare, ut sibi daret facultatem cum Considio agendi, si posset aliqua ratione perduci ad sanitatem. Itaque data facultate litteras conscribit, & eas captivo dat perferendas in oppidum ad Considium. Quo simul atque captivus pervenisset, litterasque, ut erat mandatum, Considio porrigere cœpisset, prius quam acciperet ille, Unde, inquit, istas? Tum captivus, Venio a Cæsare. Tunc Considius, Unus est, inquit, Scipio Imperator hoc tempore populi R. deinde in conspectu suo captivum statim interfici jubet: litterasque nondum perlectas, sicut erant signatæ, dat homini certo ad Scipionem perferendas.* Memorat deinde, quomodo frustra Acillam urbem, quæ legatos ad Cæsarem miserat, oppugnaverit, ubi iterum Adrumeto præfuisse dicitur, cap. XXXIII. *Quibus rebus facile a Cæsare impetratis, præsidioque dato, C. Messium, ædilitia functum potestate, Acillam jubet proficisci. Quibus rebus cognitiis Considius Longus, qui Adrumeti cum* II. *legionibus, & equitibus* DCC. *præerat, celeriter, ibi parte præsidii relicta, cum* IIX. *cohortibus Acillam ire contendit. Messius celerius itinere confecto prior Acillam cum cohortibus pervenit. Considius interim, quum ad urbem cum copiis accessisset, & animadvertisset præsidium Cæsaris ibi esse, non ausus periculo suo rem facere, nulla re gesta pro multitudine hominum, rursus Adrumetum se recipit.* Denique dignus ejusdem crudelitate & rapacitate exitus narratur cap. XCIII. *Dum hæc utrobique geruntur, Considius, qui Tisdræ cum familia sua, gladiatoria manu, Getulisque præerat, cognita cæde suorum, Domitiique & legionum adventu perterritus, desperata salute, oppidum deserit, seque clam cum paucis barbaris pecunia onustus subducit, atque in regnum fugere contendit; quem Getuli sui comites in itinere, prædæ cupidi, concidunt.* Pater ejus nusquam nominatur, potuit esse Q. Considius, cujus quæstura urbana laudatur a Cic. pro Cluentio cap. XXXVIII. & cui, jam seni, pro republica liberrima illa convenit oratio, quæ legitur apud Plut. in Cæs. pag. 714. *De reliquis senatoribus perpauci in curiam exinde ventitabant, cæteri, indignitate eorum quæ fiebant moti, publico abstinebant. Cujus rei cum caussam Considius quidam admodum senex redderet, armorum & militum metu fieri, ut non conveniretur dicens; Quid ergo, inquit Cæsar, non tu quoque domi te contines, eadem timens? Et Considius: Metu me senectus liberat : quod enim reliquum est vitæ, exiguum cum sit, non magna cura indiget.* Filium certe & hunc nostrum cujus hic nummus est, habuisse, Cajum quoque Considium dictum, cui vitam Cæsar benigne concesserit Adrumeti invento, discimus cap. LXXIX. *Q. Ligario, C. Considio filio, qui tum ibi fuerat, vitam concessit.*

Atque ita quidem, hisce dictis, ad sequentes nummos transire possemus. Sed (ut verum dicam) quamvis victoriæ de Cæsarianis speciem prælium illud Petreji (de quo supra dictum est) habeat, tamen Africana Cæsaris expeditio tanta celeritate confecta fuit, ut vix videantur tot nummorum typi, tam exiguo post Petreji illam & Cæsaris pugnam, turbatis præsertim rebus, cusi fuisse. Crediderim itaque potius omnia hæc numismata esse monumenta ad significandam cladem Curionis, qui primo a Cæsare in Siciliam & deinde in Africam missus, cum universo ibidem exercitu periit, postquam a Varii atque urbis Uticæ oppugnatione temere decedens in insidias a Subura, præfecto regis Jubæ pertractus, temerarium consilium morte sua atque omnium copiarum strage luit. Expeditio hæc infelix narratur copiose ab ipso Cæsare lib. II. de Bello Civ. cap. XXXVI. & seq. Quo autem tempore Curio trajecit in Africam, jam tum Adrumetum obtinebat Considius, ut patere potest ex Julio Cæsare lib. II. de Bello Civ. cap. XXIII. *Iisdem temporibus C. Curio, in Africam profectus ex Sicilia, & jam ab initio copias P. Attii Vari despiciens,* II *legiones ex* IV, *quas a Cæsare acceperat, & D. equites transportabat: biduoque, & noctibus* III *navigatione consumptis, appellit ad eum locum, qui appellatur Aquilaria. Hic locus abest a Clupeis passuum* XXII. *millia, habetque non incommodam æstate stationem, & duobus eminentibus promontoriis continetur. Hujus adventum L. Cæsar filius cum* X *longis navibus ad Clupeam præstolans, (quas naves, Uticæ ex prædonum bello subductas, P. Attius reficiendas hujus belli caussa curaverat) veritus navium multitudinem, ex alto refugerat; appulsaque ad proximum litus trireme constrata, & in litore relicta, pedibus Adrumetum profugerat. Id oppidum C. Considius Longus unius legionis præsidio tuebatur; reliquæ Cæsaris naves ejus fuga Adrumetum se receperant.* Nihil itaque mirum, si in urbe primaria, ubi cum imperio erat Considius, moneta militari stipendio cusa sit, cui inpressa fuit nota victoriæ de Cæsarianis in Africa relatæ, atque tropæum de Curione victo & cæso erectum. Tantam certe ex isto casu spem susceperunt Pompejani duces, ut ipsius Cæsaris copias eadem arte opprimere postea cogitaverit

La-

Labienus, ficuti teftatur Hirtius de Bello Africano cap. XIX. *Interim ea re gefta, & prœlio dirempto, ex adverfariis perfugæ plures ex omni hominum genere, & præterea intercepti hoftium complures equites, peditesque: ex quibus cognitum eft hoftium confilium, eos hac mente, & conatu veniffe, ut novo atque inufitato genere prœlii tirones, legionariique pauci perturbati, Curionis exemplo ab equitatu circumventi opprimerentur: & ita Labienum dixiffe pro concione, tantam fefe multitudinem auxiliorum adverfariis fubminiftraturum, ut etiam cædendo in ipfa victoria fatigati vincerentur, atque a fuis fuperarentur.*

V.

Caii CONSIDII NONIANI. *Senatus Confulto.* Caput Veneris Erycinæ myrto ornatum.

Templum quatuor columnarum in vertice montis, cujus medio infcribuntur literæ ERVC. ima montis valida circumdant mœnia & turres cum porta.

C. Confidius, qui denarium cudit, Nonianus videtur effe dictus, quod, ab aliquo Confidio, antea Nonius dictus, fit adoptatus, uti productum gentis prioris nomen Nonianus teftatur. Illum vero qui hunc denarium cudit, Urfinus in notis ad Cic. epift. Lib. XVI. ep. XII. eundem putat effe cum Confidio Noniano, cui Gallia citerior obtigerat ex fenatus confulto & lege Pompeja, quam vi occupavit illique abftulit Cæfar. Hinc & in Familiis fuis ad eundem retulit pag. 81. Ut mirum non fit, Vaillantium p. 297. quæfturam, tribunatum plebis, & præturam hujus Confidii Noniani ad annos fuos ex Pighio revocantem, fententiam Urfini adprobare. Verum, dum feftinant viri illi eruditi, non vident, alium effe illum Ciceronis Confidium Nonianum, ab illo, cujus nomen hic denarius præfert. Marcus Confidius Nonianus Ciceroni dicitur lib. VIII. ad Att. ep. XI. & ita conftanter Pighio in Faftis ubique fcribitur. Unde ergo Cajus in nummo dicitur, atque paffim a Vaillantio fcribitur? Quare neceffe eft, ut fit alius hic Cajus Confidius, (forte una cum fratre Marco Confidio ab aliquo Nonio adoptatus) qui ut fe diftingueret a Marco, qui ampliffimos deinde honores geffit (quod de Cajo non legitur) Erycinum fefe adpellavit, ut integre dictus fit Cajus Confidius Nonianus Erycinus; five quod gens olim Confidia ex Eryce atque Sicilia in Italiam Romamque transmigraverit, five alia quacunque de cauffa; potuit enim in Sicilia cufus effe denarius, idque ex *Senatus* (ut adfcribitur) *Confulto*, dum ibi quæftorio munere fungeretur Confidius. Quæ certe de templo Veneris Erycinæ, quod duplex Romæ fuit, adferunt Urfinus, Vaillantius aliique, minime mihi placent. Strabonis locum adfert Urfinus, cum in finem, ut oftendat in hoc nummo Veneris depictam ædem fuiffe, quæ fuit Romæ ad portam Collinam; quod & ex Ovidii Faftis confirmat, explicans hunc typum, Begerus Thef. Brand. tom. II. pag. 550. ubi fcribit templum Veneris Erycinæ quidem fuiffe in Sicilia, fed & Romæ, neque dubium effe, quin ad illud, quod Romæ olim fuit, fit referendum, „ nam (inquit) templum Siciliæ defolatum, id autem, quod Romæ fuit, infigni porticu ornatum Strabo memorat. Porticus utique (addit) in nummo ad oculum patet, & templi meminit etiam Ovidius lib. IV. Faftor.

„ *Templa frequentari Collinæ proxima portæ*
„ *Nunc decet, a Siculo nomina colle tenet.* „

Hæc Begerus; fed neque Ovidius aliquid aliud dicit, quam Veneris Erycinæ ædes proximas fuiffe portæ Collinæ, illasque ædes nomen habere a colle Siculo, id eft Erycino, ut Erycinæ Veneris adpellentur ædes. Strabo fua ætate dicit defolatum in Sicilia fuiffe templum Veneris Erycinæ; an ergo tempore Strabonis hic denarius cufus fuit? an tempore eo, quo cufus eft, defolatum fuit in vertice montis Erycis Veneris templum? Audiamus Strabonem ipfum, quem ita confidenter poft Urfinum citat Begerus lib. VI. pag. 272. Strabo de hoc templo ita fcribit, Οἰκεῖται δὲ καὶ ὁ Ἔρυξ λόφος ὑψηλός, ἱερὸν ἔχων Ἀφροδίτης τιμώμενον διαφερόντως, ἱεροδούλων γυναικῶν πλῆρες τὸ παλαιόν, ἃς ἀνέθησαν κατ' εὐχὴν οἵ τ' ἐκ τῆς Σικελίας καὶ ἔξωθεν πολλοί· νυνὶ δ' ὥσπερ αὐτὴ ἡ κατοικία λειπανδρεῖ, καὶ τὸ ἱερὸν, καὶ τῶν ἱερῶν σωμάτων ἐκλέλοιπε τὸ πλῆθος. ἀφίδρυμα δ' ἐστὶ καὶ ἐν Ῥώμῃ τῆς Θεοῦ ταύτης τὸ πρὸ τῆς πύλης τῆς Κολλίνης, ἱερὸν Ἀφροδίτης Ἐρυκίνης λεγόμενον, ἔχον καὶ νεὼν καὶ στοὰν περικειμένην ἀξιόλογον. Hoc eft, *Eryx quoque collis excelfus habitatur, in quo Veneris templum pofitum eft, quod fingulari veneratione colitur, antiquitus mulierum frequentia refertum, illius minifterio dicatarum, quas & e Sicilia & externis ex regionibus multi locarant. Hac vero tempeftate, ficut & ipfa colonia viduata colonis eft, fic & templum defolatum & fanctorum corporum copia defecit. Eft & Romæ ante portam Collinam Deæ hujus ædificium, quod Veneris Erycinæ templum dictitant, cui cum æde facra infignis adjacet porticus*, &c. In hoc Strabonis loco obfervandum venit non tam ipfum templum Veneris Erycinæ dici defolatum vel in ruinas prolapfum, quam minori religione celebratum, λειπανδρεῖ inquit, καὶ τὸ ἱερὸν, καὶ τῶν ἱερῶν σωμάτων ἐκλέλοιπε τὸ πλῆθος. quibus fignificat templum facerdotibus deftitui, & frequentiam illam facrarum mulierum, quæ olim fuerat, valde effe imminutam. Vixit vero Strabo temporibus Augufti & Tiberii, ante quos tempore reipublicæ cufus eft denarius. Sequitur quidem ex negligentia cultus & penuria hominum, ut ædificia ruinofa fiant, idque & Erycino templo, fed temporibus Tiberii & Claudii, accidit, quibus prifcæ religioni honos fuit redditus. Apud Tacitum lib. IV. Annal. cap. XLIII. *Segeftani ædem Veneris, montem apud Erycum vetuftate delapfum, reftaurari poftulavere: nota memorantes de origine ejus, & læta Tiberio. Sufcepit curam libens, ut confanguineus.* Sed, five in Tiberio cunctatore deferbuerit ifte ardor, five rurfus aliquo poft tempore vitium fecerit multis injuriis natura loci expofitum templum, Claudii religionem commemorans Suetonius in vita ejus cap. XXV. addit: *Templum quoque in Sicilia Veneris Erycinæ vetuftate collapfum, ut ex ærario populi Romani reficeretur, auctor fuit.*

Ex hisce patet Veneris Erycinæ femper gratam memoriam Romanis fuiffe. Unde C. Confidius Nonianus in nummo noftro memoratus, videtur in Sicilia juffu populi Romani non tantum hanc fignaffe monetam, verum urbi, monti, temploque Erycino aliquam inpendiffe curam, idque ex *Senatus Confulto*, quum utique coloniam populi Romani teftetur fuiffe Strabo l. c. potuitque inde Erycini agnomen adoptaffe, ut a fratre forfan M. Confidio Noniano diftingueretur. Literæ ERVC. enim integre ERVC*ini*, minore obftaculo legi poffunt, quam ERVC*inæ*, fubintellecto *Veneris ædes*.

Certe, qui ad Veneris Erycinæ templum, quod Romæ fuit ad portam Collinam, referunt, omnino errare videntur. Vaillantius, quamvis citans Spanhemium, aliter fentientem, tutioraque præferentem, novam proferre & præferre maluit opinionem. Statuit itaque depingi ædem Veneris Erycinæ primam, quæ „ Romæ (inquit) in „ Capitolio fuit; quam Q. Fabius Maximus di-

„ ctator vovit; ideo (addit) prospectus ejus in „ monte & muri adsunt cum porta, qua ad Capi„ tolium adscendebatur: „ Ergo ex sententia Vaillantii sequeretur, vel universum Capitolium muris & porta fuisse circumdatum, vel in Capitolio exstitisse collem altum, inferius muris septum, & in summo ædem hanc sacram habentem. Voti, quo Veneri Erycinæ se obstrinxit Fabius dictator, exstat mentio apud Livium lib. XXII. cap. 10. Dedicatio ædis legitur lib. XXIII. cap. 30. & 31. Ubi quum Otacilius Menti similiter ædem vovisset, utriusque dedicatio & situs indicatur. *Interea duumviri creati sunt Q. Fabius Maximus & T. Otacilius Crassus, ædibus dedicandis: Menti Otacilius, Fabius Veneri Erycinæ. Utraque in Capitolio est, canali uno discretæ.* Spanhemius vero p. 577. edit. minor. ubi Ursini protulit de porta Collina sententiam, simpliciter, nec altius inquirens, addit, „ Quamquam quum istud in monte situm adpa„ reat in eodem nummo, haud incommode meo „ judicio referri posset ad ipsum Siculum Vene„ ris Erycinæ templum, revera in colle & arce „ positum & a Tiberio instauratum. „ Non potest vero aliud templum ex nummo concipi, quam Siculum, adparet enim ipse mons Eryx, celsitudine sua conspicuus & astris vicinus, apud Virg. Æn. V. 759.

Tum vicina astris Erycino in vertice sedes
Fundatur Veneri Idaliæ.

Adparet ipsa urbs munitissima Eryx, quæ (solito in nummis typo) per murorum validam structuram, undique montem cingentem, portamque in aditu ejusdem, exprimitur. Aliæ vero structuræ sunt porticus, quas sibi ex Strabonis loco videri visus est Ursinus, ut ex Trajani aliorumque nummis adparet. Hic sunt lapides ingentes quadrati, quales suo etiam tempore reliquos fuisse testatur Fazellus, uti ex memorabili ejusdem patere potest testimonio, quod ad Parutæ Siciliam Numismaticam adduximus; qui liber, quoniam majori voluminum obrutus numero, in paucorum versatur manibus, non gravabitur lector excerpta quædam ex Commentariis nostris legere, quæ hunc nummum mirifice illustrant, quæque docent situm urbis, studium & benevolentiam erga templum Veneris Erycinæ, quum adhuc libera esset respublica, ante Tiberii scilicet & Claudii conatus & liberalitatem, & tristes ejusdem reliquias. Situm Diodorus describit lib. IV. cap. LXXX. de Dædali mirificis agens operibus: *In Eryce, quum saxum nimis confragosum præcelsumque esset, angustiaque circa templum Veneris non nisi in præcipitiis ædificare sineret; muro circum præcipitia ducto, summam rupis aream mirum in modum ampliavit.* Neque bellicam hanc arcem neglectui postea habuerunt quicunque Siciliæ occupandæ studio arserunt, & Romani, & Carthaginenses, & ipse Pyrrhus, vi aditum ad prærupta sibi faciens. De Romanis lib. I. cap. LVI. Polybius: *Junius vero ad legiones post naufragium reversus, animi anxius, in eam curam totus incumbere, ut novo aliquo & memorabili facinore edito acceptum detrimentum sarciret. Itaque levi quadam occasione se offerente, Erycem proditione occupat, & tam Veneris ædem quam urbem ipsam in potestatem redigit. Eryx mons est ad mare, in eo Siciliæ latere quod Italiam spectat, inter Drepana & Panormum: qua Drepana contingit magis inaccessus, omnes Siciliæ montes præter Ætnam longe superans. habet hic in vertice planitiem cui immolita est Veneris Erycinæ ædes, omnium sine controversia, quæ tota hac insula spectantur & divitiis & reliquo cultu longe clarissima. urbs sub ipsum verticem posita est, ascendi-turque ad illum longa admodum & difficili via. Junius igitur, cum in cacumine montis præsidio imposito, tum in ea parte qua itur Drepana, locum utrumque impenso studio custodiebat, ad vim differendam potius inclinans, donec aliqua daretur occasio: ratus, se hac ratione & urbem & montem totum in potestate sua tuto retenturum.* Pyrrhi heroicum facinus in eripienda Carthaginensibus Eryce commemorat Diodorus Siculus in Excerptis lib. XXII. *Eryciна tunc non contemnendum habebat præsidium Carthaginensium, natura alioqui firma & expugnatu difficilis. Hanc vi per oppugnationem capere statuerat Pyrrhus: ideoque machinas mœnibus admovet. Cum ingens ad multum temporis validaque fieret oppugnatio, rex gloriam sibi comparare volens, & ad Herculis se modum conformans, princeps in mœnia irruit, pugnamque ciens heroicam, invadentes ipsum Carthaginenses cædit, & tandem suppetias ferentibus amicis cæteris, summa vi urbem capit.* Quanta vero religione apud omnes Carthaginenses, etiam & Romanos fuerit, docet abunde Diodorus lib. IV. cap. LXXXV. *Erycem, Veneris & Butæ reguli cujusdam indigenæ gloria præfulgentis, natum fuisse perhibent. Is (ut tradunt) cum ob generis materni nobilitatem magni fieret ab incolis, partem insulæ regio cum imperio possidebat; qui sui quoque nominis urbem in edito quodam loco ædificavit: in cujus arce templum matri condidit, omnique apparatu & donariorum copia exornavit. dea igitur cum pietati incolarum, tum filii post mortem honori, hoc rependit, ut civitatem apprime caram haberet, eamque Erycinam Venerem adpellaret. Fani hujus religiosi majestatem, si quis accuratius pensitet, merita illud admiratione prosequetur. Alia enim sacraria post aliqua gloriæ incrementa, adversi persæpe casus labefactant & convellunt, at hujus fani cultus a primo dedicationis exordio tantum abest, ut defecerit, ut contra subinde majus acceperit augmentum. Post honores enim ab Eryce institutos, Æneas Venere natus, cum Italiam petiturus ad Siciliam adpelleret, multis templum donis, quod matri consecratum esset, exornavit. Et post eum Sicani per multas ætates impense deam coluere, magnificisque templum sacris & donariis auctius & illustrius reddiderunt. Subsecutis hinc temporibus, Carthaginenses, parte Insulæ in ditionem redacta, eximio deam cultu prosequi non destiterunt. Et Romani tandem tota Insula potiti, honorum amplitudine omnes ante se longe superarunt. idque haud immerito ab ipsis factitatum est. Cum enim generis sui originem ad ipsam reducerent, & propitiam in rebus gerendis fortunam idcirco experirentur; auctorem tanti incrementi conveniente gratia & honore remunerarunt. Consules enim & Prætores, omnesque cum imperio in Insulam digressi, ubi ad Erycem perveniunt, sacris & honoribus augustis templum decorant, &, severitate magistratus sui paulisper deposita, ad lusus & colloquia cum fœminis se convertunt, nec alio quam hoc pacto gratam se deæ facturos præsentiam suam existimant. Ac Senatus Romanorum singulari quadam in honores deæ propensione decreto suo statuit, ut fidelissimæ per Siciliam civitates XVII. aurum Veneri conferant, & duæ militum centuriæ pro templi custodia stationem agant. Hæc licet pluribus de Eryce verbis exsecuti simus, ad Veneris tamen historiam quæ pertinebant, a nobis recensita sunt.* Hinc & Romani quoque perfidiam Gallorum ob sacra spoliata ulturi, ex universa Italia illos ejecerunt, ut tradit Polybius lib. II. cap. VII. *Jam primum quis Gallorum communem famam suspectans, non vereatur divitem urbem & multa habentem perfidiæ irritamenta, in potestatem illis tradere? deinde quis non intelligeret ab ejusmodi potissimum Gallorum magis consiliis esse cavendum, qui initio a suis popularibus communi patria ejecti, quod perfidiose in propinquos cognatosque suos se gesse-*

rant:

rant: suscepti postea a Carthaginensibus urgente bello, quum super stipendio inter milites ac duces orta esset controversia, impetum repente ceperunt diripiendæ Agrigentinorum urbis, quo præsidii gratia fuerant intromissi, plures tum numero tribus millibus, deinde similem ob caussam Erycem introducti, Romanis urbem obsidentibus, conati & urbem prodere & quotquot una cum ipsis obsidebantur: ut dolus exitum non habuit, transitum ad hostes fecerunt. apud quos fidem nacti, rursus Erycinæ Veneris ædem spoliarunt. Itaque Romani, eorum impietate probe perspecta, simulac inter ipsos & Carthaginenses pax convenit, nihil habuere antiquius, quam ut ademtis armis, navibus impositos, ex universa Italia eos exterminarent. Rudera, sua adhuc ætate exstantia, sic descripsit Fazellus Lib. VII. Dec. I. p. 139. „ Steterat autem olim in ipso monte, ubi arx est hodie vasta & ingens, & in rupe mire excelsa & præcipiti, ac amplo vetusti operis ambitu, & magna sui parte quadratis ex lapidibus structa: in qua nullum quidem sacræ ædis vestigium in superficie apparet: solum dumtaxat arcis excavatum plures, & eos maximos, subter prodit lapides. Quin & fossores in diversi coloris lapillulis tessellatum incidunt pavimentum, quod *Erycini* templi monumentum esse non ambigimus. Lapis quoque marmoreus ætate mea, Latinis his literis inscriptus, ibi repertus est, Deæ *Veneri Erycinæ* dicatus. Urbs ipsa mutato priori nomine adhuc exstat, *Mons Drepani* vulgo appellata, ob id quod *Drepano* mons ipse prominet. In archivo autem regio *Mons Sancti Juliani* hodie dicitur. „

Cernimus in Fazello quadratos lapides, ut in nummo; agnoscimus ex Diodoro, quomodo omnes qui cum aliqua potestate in Sicilia a republica Romana missi fuerint, templum deæ honorarint, aliaque plurima ad hunc nummum; ut miraculo simile sit, mentem alicujus ita posse infatuari, prouti Harduino accidisse videmus, qui præfracte omnia pervertens, talia de hoc nummo scribere potuit ad Plinium tom. II. pag. 777. „ Hinc habet Deæ Veneris myrto cinctum caput; latere dextro, C. CONSIDI NONIANI: sinistro ad imum S.C. In altera parte, claustra sunt affabre facta, cum porta, qua patet iter ad templum in colle positum. In ipso colle scriptum est ERUC. quod cave similiter referas ad Venerem Erycinam. Vox NONIANI admonet, neque ipsam, neque priorem proinde, C. CONSIDI, nomen hic esse. Neque enim in genitivo casu nomina virorum leguntur in nummis Latinis, & quæ in I ibi desinunt, legenda sunt, ut exeuntia in *ius* sic AURELI *Aurelius* est, *Cassi Cassius*, & sic cætera omnia. Sententia igitur integra est, *Capitolium Condidere Narbone, Senatores, Junctis Decurionum Impensis: Narbonenses Optavere Nomen Imponi* ANtonini *Imperatoris.* Deinde ERVC. interpretare, *Exorabilis Romanis Venus Capitolina.* Capitolium Narbonæ exstitisse, ex nummis & ex historicis ostendimus in nummis populorum & urbium. „

Litera E.

TI*berius* CAESAR AVG*usti Filius*, AVGVSTVS IMP*erator*. Caput Tiberii laureatum.

CLVNIA. *Lucio* RVF*o*, *Tito* CONSI*dio*, TI*berio* LONG*o*, *Publio* ANTO*nio* IIII VIR*is*. Bos.

Quis ille Considius, urbis Hispanæ quatuor vir fuerit, ignotum est. Familiæ nomen illum ad Considios revocat, sicut alterum ad Antonios, reliqui duo, cognomina maluerunt exprimere.

COPONIA.

Hæc gens olim & patricia & plebeja fuit, exstincta patricia, sola plebeja remansit, quæ Tibure orta, civitatem Romanam adepta est eloquentia T. Coponii, cujus nepotes varios in republica honores gesserunt.

Litera A. & B.

I. II. & III.

Quintus SICINIVS III VIR. Caput juvenile, comatum, & diademate revinctum, sub cujus collo stella est.

Caius COPONIVS PR*ætor*. *Senatus Consulto.* Spolia leonis clavæ erectæ incumbentia, inter sagittam & arcum a lateribus. Posteriores duo pictura tantum differunt, & stella in altero deëst, occupante locum illum litera S. quæ Sicinii nominis postrema est.

Titus Coponius Tiburtinus, qui eloquentia sua C. Massonem damnavit, filium Titum, & nepotes habuit T. & C. Coponios, quos ab humanitate, doctrina & rectis studiis inpense laudat Cicero in oratione pro M. Cœlio cap. X. Hi fratres eodem tempore quæstura functi fuerunt, videlicet A.V.C. DCCIII. Habuit T. Coponius Tiburtinus ex alio quoque filio nepotem C. Coponium dictum, tribunum plebis A.V.C. DCXCVIII. & prætorem A.V.C. DCCIV. prout vocatur in epistola Pompeji ad C. Marcellum & L. Lentulum consules, quæ exstat Ciceronis Ep. ad Att. lib. VIII. ep. XII. *Ego* (scribit Pompeius) *ad P. Lupum & C. Coponium prætores misi, ut se nobis conjungerent, & militum quod haberent, ad nos deducerent.* Creditur hic idem esse, qui bello Parthico Carrhis a Crasso fuit impositus. Stetisse a republica docet infelix casus uxoris, quæ fidem matrimonii violare per scelus Antonii coacta fuit, ut maritum a proscriptionis periculo & morte servaret, tradente Appian. in Bell. Civil. lib. IV. pag. 612. Hic est ille prætorius, vir gravissimus, quam laudat Vellejus, & cujus, gravem Planci transfugæ increpationem recitat lib. II. cap. LXXXIII. *Haud absurde Coponius, vir prætorius, gravissimus pater, Silii socer, cum recens transfuga multa ac nefanda Plancus absenti Antonio in senatu objiceret: Multa, inquit, mehercules fecit Antonius, pridie, quam tu illum relinqueres.*

Utriusque partis typum ad Coponii originem Tiburtinam referunt antiquarii; ego tamen de priori parte dubito. Si enim Tiburti herois caput est, a quo Tiburi nomen accessit, quorsum astrum illud referendum erit? Forsitan non errabimus, si caput esse dicamus Apollinis, qui semper longo capillitio & sæpe diademate insignis est, & cui haud raro astrum adjungitur. Atque ita prior pars prætorium munus Coponii respicere potest, & ludos Apollinares, illo prætore editos; unde etiam Coponio titulus PR*ætoris* adjicitur in denario.

Tibure Coponios & olim & diu floruisse ex monumentis Tiburtinis patet, non ex inscriptionibus tantum, sicuti ad nummum gentis Siciniæ visuri sumus, sed etiam ex adpellationis antiquæ vestigiis, quæ hodieque possessiones eorundem antiquæ retinent. Testatur enim Antonius del Re Antiquit. Tiburtin. pag. 126. gentem Coponiam habuisse suburbanum suum in tractu *Quaregna lunge* voca-

vocato, Tibure distante uno milliari, ruderaque ejus adhuc ibi conspici; locumque adhuc *Covone* adpellari pro *Copone*, literis *p.* & *v.* permutatis, sicuti Itali pro *soperchio*, *coperchio*, *coperta*, *sopra*, *soprano*, suavitatis caussa efficere amant *soverchio*, *coverchio*, *coverta*, *sovra*, *sovrano*; alios inde corruptius *Cavone* pronunciare dicit.

Vaillantius existimat *Cauponios* etiam antiquitus Coponios hosce dictos fuisse. Et certe rusticiores *o* pro *au* pronunciare consueverant; quo spectat elegans Flavii Vespasiani jocus, quem in Vita ejusdem cap. XXII. servavit Suetonius: *Mestrium Florum, consularem, admonitus ab eo plaustra potius, quam plostra dicenda; die postero Flaurum salutavit.* Cauponii vero occurrunt in urbis Tiburtinæ lapidibus in inscriptione ibidem a Regio producta,

CAVPONIVS L. F. GEMINVS.
CAVPONIA L. F. GEMINA.

Sed hodieque vult Franciscus Martius, alius Hist. Tiburtinæ scriptor, superesse in Catalaunia antiquæ istius gentis prosapiam, ita scribens pag. 157. „ Supersunt hodieque posteri hujus familiæ, nihil omnino degeneres a prisco splendore, in principatu Catalauniæ, ab illis usque temporibus „ propagati, quæ computavimus de Augusto loquentes, videlicet XXVI. annis ante N. C. ut „ habetur in quodam libro, inscripto, *Proclamatio* „ *Catholica ad Philippum Quartum a Concilio Centum*, *Barcinonæ* A. MDCXXIX. ubi p. 215. hæc verba leguntur, ex Hispano sermone versa: *Coponii, nobiles Tiburtini, ætate Octaviani Augusti,* XXVI. *annis ante adventum D. N. Jesu Christi, migrarunt Romam, unde profecti fuerunt in Catalauniam.* Quam vere illud jactetur, non inquiro, illud certum est diu ante tempus ibi præstitutum familiam illam Tibure Romam venisse.

Typus partis aversæ Herculis cultum Tibure denotat; qui quantus fuerit, optime cognosci potest ex laudati Martii historia Tiburtina, qui pag. 49. & seq. magnificentiam templi Herculis exsequitur, atque adfert inscriptiones antiquas ad ejus sacra & sacerdotes, seu Herculanos Augustales spectantes. Insertus iste libellus est Thesauri Antiq. Ital. tom. VIII. part. IV.

CORDIA.

Gens videtur fuisse plebeja, cujus admodum tenuis apud scriptores mentio est. Vix enim unius Cordii nomen apud Ciceronem legitur. Productum est a *cordus*, seu *chordus*, qua voce Latini significabant, quidquid serius nasceretur, unde *maturis* opponit Varro de LL. pag. 62. *Quæ nata sunt matura, & chorda, ut pure & molliter sient, videndum, & ne obterantur. Dicuntur agni chordi, qui post tempus nascuntur, ac remanserunt in volvis intimis. Vocant χορίον, a quo chordi adpellati.* Ita fœnum autumnale *cordum* vocat Columella lib. VII. cap. III. p. ed. Rob. Steph. 255. *Aluntur autem commodissime repositis ulmeis, vel ex fraxino frondibus, vel autumnali fœno, quod cordum vocatur.* Ex casu itaque nascentium factum vocabulum, Cordique apud Romanos vocati sunt, qui parentibus post longam spem, multosve gnatos in senectute nati sunt.

I.

RVFVS III VIR. Capita Dioscurorum cum pileis laureatis & stellis desuper.

MAN*ius* CORDIVS. Figura muliebris stans, dextra bilancem tenet, læva longam hastam puram transversam; humeris insidet (quam Ursinus & Vaillantius neglexerunt) noctua.

Triumvir hic monetalis Manius Cordius, potuit ratione temporis filius esse Lucii Cordii, cujus meminit Cicero lib. IV. in Verr. cap. XX. ubi hominem vocat honestum; sicuti Vaillantius quoque observavit, apud quem M. i. e. Marcus Cordius perperam noster, qui M'. id est Manius est, scribitur. Per Penates deos idem Lanuvinam Cordiorum originem designari credit, quod verosimile est; ab altera parte Moneta dea munus triumviri monetarii respicere potest. Noctua adposita, ex num. III. quo referri debeat, patebit.

II.

RVFVS. S*enatus* C*onsulto*. Caput Veneris.

MAN*ius* CORDIVS. Cupido Delphino insidens.

In gratiam Julii Cæsaris hunc denarium cusum esse a Cordio triumviro monetali cum Vaillantio credimus, quum videlicet ille victor Romam, debellatis hostibus rediens, complures ex Senatus consulto honores recepit. Confirmat id parvulus nummulus argenteus ex Thesauro Fridericiano pag. 228. qui sestertius cruditissimo ejusdem editori videtur. In illo ab altera parte pariter caput Veneris est, cum epigraphe MAN*ius* CORDIVS, ab altera Cupido ludibundus & subsiliens cernitur, d. corollam tenens, l. palmam super humeros attollens cum literis RVFI. quæ ut conveniant cum epigraphe prioris partis, & his denariis, scribi RVFVS debuisse videntur. At subintelligitur forsan *Filius*; ut innuatur Cordii hujus pater primus Rufi cognomen habuisse.

III.

RVFVS. Noctua galeæ insidens.

MAN*ius* CORDIVS. Ægis Minervæ, cujus ambitum connexis anguibus ornatum cernas, in medio Medusæ exstat caput.

Nullum videtur esse dubium, quin Cordius monetalis triumvir blandiatur etiam hoc typo Julio Cæsari, ejus civiles simul & militares collaudet artes, prudentiam quidem & doctrinam per Minervæ volucrem, fortitudinem per ejusdem deæ arma. Fuisse enim utraque laude maxime commendabilem vel hostes nequaquam inficiati sunt. Atque idem nummi ærei typus in gente Clovia p. 98. docuit.

CORNELIA.

Gens patricia & nobilissima Corneliorum in plurimas familias & cognomina divisa fuit. Occurrunt in nummis Blasiones, Lentuli, Sullæ, Scipiones, Sisennæ, Cinnæ, Cethegi, Cossi, Balbi, Lupi, Dolabellæ, quanta nomina! Cornelios enim, qui nummos in coloniis percusserunt, parum curamus, quum constet ad familiarum Romanarum nummos illos vix pertinere, utpote de quorum stirpe, utrum nobilis, aut ingenua, an vero libertina fuerit, parum constet.

TAB. I.

I.

CN*eus* BLASIO CN*ei* F*ilius*. Caput galeatum, cum nota denarii, retro conum galeæ conspicitur tridens.

ROMA. Figura virilis nuda stans, dextra thyrsum tenens, lævo quid cuspidatum habet, in tres mucrones, ut picturæ quidem exhibent, desinens, de-

dependente a brachio ſtrophiolo. Adſtat a dextris mulier, dextra haſtam gerens, læva veſtis adtollens laciniam, a ſiniſtris eſt mulieris galeatæ typus icunculam ſtantem coronans. Obſervantur in primo nummo tab. I. alterius, aſteriſco ſignatæ, tres typi minores hic illic poſiti, palmæ ramus, delphinus, & aquila.

Urſinus hujus denarii typum refert ad victoriam Blaſionis patris, a filio celebratam. „ Pertinet (inquit) ad Cn. Cornelium, Cn. F. L. N. „ Blaſionem, qui anno CCCCXCVI. conſul „ fuit cum C. Atilio Regulo: ſignatus (ut videtur) ab eo in Cn. Cornelii, L. F. patris ſui „ memoriam, qui anno CCCCLXXXIII. de Saſſinatibus, ſive Sarſinatibus, Umbriæ populis, „ triumphavit, cujus victoriæ monumentum in „ altera denarii parte expreſſum eſt. „ Pighius vero in Annalibus Tom. II. p. 64. ab eodem Cneo Cornelio Blaſione Cn. F. cuſum adſerit, ſed quæſtore A. V. C. DXI. quo videlicet inſignem illam victoriam de Pœnis retulit conſul Romanus Lutatius Catulus. Et huic quidem opinioni favere videntur plura ſymbola, ſeu typi minores in hisce denariis paſſim expreſſi, ex quibus in Tab. I. aſteriſco notata, tridens atque delphinus ad mare referri poſſunt, ut & prora navis, num. VIII. ad victoriam vero navalem & interceptam Carthaginenſium claſſem, commeatu ſimul & armis refertam, reliqua ſymbola telorum omnis generis, frumenti, abundantiæ, ut & palmæ ramus & laurea, quæ adparent num. IV. V. VI. VII. XI. bovis caput, quod num. IX. cernitur, referri poſſet ad ſacrificia diis ob rem bene geſtam peracta; tripus num. X. ad oracula, quæ (ut ſæpe factum fuit) de eventu belli a ducibus conſulta fuerunt. Quo reſpectu videri poſſet ipſe Neptunus hic a Roma, cui tam propitius fuerat, coronari, invidente ab altera parte Junone hanc illi felicitatem, ut Pœnorum fautrice; Neptuni vero dextram haſta, lævam fuſcina ſeu tridens, exemto ligneo haſtili, ornaret. Verum hanc ſententiam amplecti non poſſum, quoniam Neptuno hoc ſimulacrum non convenit, qui barbatus ſemper effingi ſolet, quum hoc ſit juvenile & ſine barba. Symbola vero illa ſive typi minores, ad varias officinas pertinere videntur, neque enim alias quo referantur ſolis & lunæ ſydera num. XII. habent, neque literæ Θ. Φ. Π. aliæque, quæ paſſim conſpiciuntur. Imo telum illud triſulcum, quod læva manu figura virilis geſtare cernitur, nequaquam ab ipſo quoque Morellio ad plenam nummorum optime ſervatorum ſimilitudinem expreſſum eſt; in meis enim, quos ipſe ſervo, & qui hic num. VIII. & XI. occurrunt, aliisque, quos contuli, nequaquam tridens exprimitur, vel (ut alii volunt) fulmen, verum aliquid ramoſum, in plura diviſum filamenta, ſic ut quatuor in iisdem integerrimis nummis clare adpareant, longe aliter explicata, quam fulminis figura in nummis depingi ſolet. Neque ideo tamen Vaillantio adſentiri ullo modo poſſum, qui credit depingi hoc typo feſtum quod Liberalia adpellabant Romani, atque ab hac quidem parte exprimi Bacchum, aridi cinnamomi fruticem læva tenentem, corona hederacea ab adſtante Roma ornatum, alteram vero mulierem Bacchi deſignare ſacerdotem, & Martis a priore parte caput exprimi, propter adfinitatem, quam inter Liberum patrem atque Marſpitrem oſtendit Macrobius Saturn. I. 19. atque fuſius perſequitur Vaillantius pag. 337. Sicuti nec in eo, quod a Cneo Blaſione, ut prætore urbano, cuſos hosce denarios exiſtimat, adſentiri illi poſſum. Neque enim tunc prætor urbanus fuit Blaſio A. V. C. DLIX. ſed Cn. Domitius Ahenobarbus, in provinciam vero Siciliam miſſus fuit Blaſio, ut claris verbis teſtatur Livius lib. XXXIV. cap. 43. *Dum de provinciis conſulum disceptatur, prætores ſortiti ſunt. Cn. Domitio urbana jurisdictio, T. Juvencio peregrina evenit. P. Cornelio Hiſpania ulterior, Sexto Digitio citerior: duobus Cneis Corneliis, Blaſioni Sicilia, Merendæ Sardinia.* Non potuit itaque hoc anno a Blaſione, ut prætore urbano, ſignari hic nummus, etiamſi in honorem Bacchi Liberalia exprimeret. Quare neceſſe eſt, ut ſtatuamus jam antea cuſos hosce denarios a Cn. Blaſione quæſtura aliqua functo, & quidem (ut ego exiſtimo) in honorem Liberi Patris, & victoriarum ejusdem atque expeditionum teſtimonium. Hic vero deus dextra quidem thyrſum tenet, ſibi proprium ornamentum, læva vero ſimpliciter ramum, ſymbolum pacis, quæ victoriarum finis eſſe ſolet; unde paſſim cernas in nummis Romanorum, tam argenteis quam æneis, expreſſas dearum & ipſius Pacis imagines, ramum ejusmodi in plura diviſum germina, manu tenentes: Sic Jupiter triumphans in nummo gentis Cæciliæ Tab. I. num. VI. &c. Ex duabus autem mulieribus, quæ a dextro & ſiniſtro latere Bacchi obſervantur, altera cultu ſuo bellico proditur Minerva eſſe, altera Junonem exprimere mihi videtur, quæ pro novercali odio, quo Semeles proſequebatur prolem, gradum ab illo retorquet, haſtam (divinitatis ſymbolum) dextra tenens. Bacchus interim, prudentia & virtute præditus, victoriarum & famæ gaudet claritudine, ideoque a Minerva coronari fingitur.

Primus hujus tabellæ nummus nullas, præter caduceum, habet notas minores, ex duobus, qui ſequuntur, nullo addito numero, alter caduceum cum palmæ ramo, alter nihil exhibet.

II.

ROMA. Caput Jani bifrontis barbatum & laureatum, cum erecto ad tempora remo.

CN*eus* BLASIO CN*ei* F*ilius*. Victoria erigens tropeum, quod læva conſtituit, dextra tenens malleum.

Statuit Vaillantius ſextantarium hunc ex duabus unciis cuſum (quod & Patinus ſentit) ab eodem Blaſione, qui præcedentes denarios argenteos ſignavit, in memoriam videlicet triumphi paterni de Saſſinatibus Umbriæ populis, quem geſſit A. V. C. CCCCLXXXIII.

Litera A.

ROMA Caput idem Jani bifrontis.

BLASIO CN*ei* F*ilius* C*ai* N*epos*. Victoria ſimilis, eodem more, quo ſupra, tropæum componit.

Nummus hic ſextantarius, ejusdem ponderis & typi cum præcedente, nunc primum a Morellio productus, haud parum officere videtur ſententiæ antiquariorum de præcedentibus nummis. Cneum Blaſionem, Cnei filium, ad quem dicti nummi pertinent, faciunt illi Lucii nepotem; Cneus enim Blaſio, qui de Saſſinatibus triumphavit, Lucii fuit filius. At hic nummus æreus facit illum Cn. Blaſionem Cn. F. non Lucii ſed Caji nepotem. Spectare vero ad eundem Blaſionem nummos II. & hunc lit. A. expreſſum, clariſſime ex typorum pictura & pondere nummorum patet. Poſſet aliquis opinari pro C. N. *Cai Nepos* legi in ipſo nummo CN. N. *Cnei Nepos*. Verum falſam hanc opi-

opinionem evertit nummus ſequens III. in quo itidem *Caius* BLAS*io* legitur, qui videlicet hujus ipſius Cnei fuerit avus.

Poſſumus itaque credere, Cneo Cornelio Blaſioni, qui de Saſſinatibus triumphavit, duos fuiſſe filios, Cneum & Cajum, cujus itidem filius Cneus dictus fuerit; Cnei filium, Lucii nepotem, ſuperiores cudiſſe nummos; hosce vero duos cuſos eſſe a Cneo Cornelio Blaſione, Cnei filio, Caji nepote, Lucii vero pronepote, & hinc avitum decus in hisce nummis celebrari. Vel dicere poſſumus, male C. N. per punctum in medio poſitum ſcribi, & punctum illud debere tolli; & typus enim, & pondus, & ipſa nummi facies evincunt ab eodem Blaſione utrosque hos nummos cuſos fuiſſe. Sola enim differentia eſt, quod literæ C N. i. e. CN*eus*, quæ ſine puncto intermedio ſcribi debent, collocentur in altero nummi latere, quam factum fuit in nummo priori, ſic ut retrogrado ordine legendum ſit CN*eus* BLASIO CN*ei* F*ilius*, vel recto, CN*eus* CN*ei* F*ilius* BLASIO. Et hanc quidem opinionem præ illa priori, quaſi ſcribi deberet CN. F. pro C. F. probo, & puto omnes hosce nummos pertinere ad unum eundemque Cneum Blaſionem, Cnei filium, Caji nepotem & Lucii pronepotem.

III.

Caput idem Jani bifrontis, quod in præcedentibus nummis.

Caius BLAS*io*. ROMA. Prora navis, ante quam linea longior (ut crebro in hisce aſſibus) conſpicitur.

Hunc Cajum Blaſionem ſtatuo fuiſſe filium Cnei Blaſionis, qui Saſſinates vicit, Lucii nepotem, & Cnei alterius fratrem, qui aſſem hunc uncialem bello Punico ſecundo cudit. Pighius & Vaillantius hunc Cajum cum Cneo fratre confundunt, neque enim Cajus hic, ſed Cneus prætor cum vetere exercitu Siciliam obtinuit, ut ſcribit Livius expreſſis verbis, ſupra ad tabulæ primæ num. I. adductis.

Litera B.

Caput Jani bifrontis idem.

Publius BLAS*io*. ROMA. Prora navis, ut ſupra.

Publium hunc Blaſionem, Lucii filium, Lucii nepotem faciunt annalium conditores. Videtur is eſſe, cujus mentionem facit Livius A. V. C. DLXXXIII. inter legatos miſſos lib. XLIII. cap. 5. *Legati cum Gallis miſſi trans Alpes, C. Lælius, M. Æmilius Lepidus: ad cæteros populares C. Sicinius, P. Cornelius Blaſio, T. Memmius.* & lib. XLV. cap. 13. inter quinque viros, qui lites de finibus inter Piſanos & Lunenſes diſcernerent. *Senatus, qui de finibus cognoſcerent ſtatuerentque, quinqueviros miſit; Q. Fabium Buteonem; P. Cornelium Blaſionem; Ti. Sempronium Muſcam; L. Nævium Balbum; C. Appulejum Saturninum.* Quæſtorem provincialem A. V. C. DLXXVIII. fuiſſe conſtituit Pighius. Errat Urſinus, mendoſa Livii deceptus lectione, qui cum Cneo confundens, prætorem putat fuiſſe A. V. C. DLIX.

IV.

Caput Herculis inberbe, retro quod tria ſunt puncta, quæ monetæ pondus denotant.

Publius BLAS*io*. ROMA. Prora navis cum tribus itidem punctis.

Nummus nihil ſingulare habet, quare neſcio quomodo ad hunc ſcribere potuerit Vaillantius p. 339. „ eadem epigraphe præturam urbanam anno „ DLXXVIII. illum obtinuiſſe nos edocet. „ quum ad proxime præcedentem nummum hæc ejus exſtent verba. „ Quæſturam provincialem „ ſuſcepit anno DLXXVIII. „ ubi de Prætura ejus legitur, nam quomodo eodem anno quæſtor provincialis & prætor urbanus eſſe potuit?

V.

Caput Martis galeatum, haſta ad humeros exſtante.

CN*eus* LENTVL*us*. Victoria in citis bigis, dextra corollam præferens.

Conveniunt in eo antiquarii, hunc denarium eſſe referendum ad Cneum Cornelium Lentulum, qui proconſule ex Hiſpania citeriore ovans urbem ingreſſus eſt anno DLVII. aurique & argenti rudis & ſignati maximam præ ſe tulit copiam, unde innumera quoque horum denariorum multitudo eſt. In Hiſpaniis cuſi videntur, rudioris enim ſunt fabricæ, & abeſt vox ROMA, quæ ſolet indicare Romæ cuſos eſſe.

VI.

Caput Jovis laureatum.

CN*eus* LENT*ulus*. Victoria ſtans ante tropeum, dextra corollam elevat.

Ratio hujus quinarii eadem quæ ſuperioris eſt denarii, cuſus uterque in Hiſpaniis res geſtas Lentuli & victorias ejusdem indicat.

VII.

Caput Jani bifrontis laureatum & barbatum.

CN*eus* LENTV*lus*. ROMA. Prora navis.

Poteſt hic nummus una cum ſequentibus ſpectare ad Cneum Lentulum illum, qui, judice Vaillantio p. 323. L. F. L. N. fuit, & quæſturam militarem adeptus A. V. C. DCXLII. ſub infelici illo Tiberio Sempronio Graccho, quem Annibal occidit, quæſturam geſſit, inque illa cudit hosce nummos, argenti neceſſitate ad levius æris pondus redactos.

Litera C.

Caput idem Jani bifrontis.

CN*eus* LENT*ulus*. ROMA. Prora navis.

Nihil differt a præcedente, niſi ſcripturæ ratione, una enim litera in Lentuli nomine contractior eſt.

VIII.

Caput idem Jani bifrontis, ſed ad tempora remus additur.

CN*eus* LENTVL*us*. ROMA. Prora navis, deſuper columna eſt, ſive litera I. ut ſæpius, aſſem indicans.

Vox ROMA indicat cuſum Romæ hunc denarium, ſive ab eodem Lentulo, ſive alio; fuerunt enim plures.

Lit. D.

Caput Jovis laureatum, cum litera S. ſemiſſis nota.

CN*eus* LEN*tulus*. Prora navis, cum litera S. ſemiſſis nota.

Jani ſymbolum, ut in antiquioribus nummis, na-

navem, Jovis vero caput hic ſemiſſis habet, nihil ultra memorabile.

TAB. I. *cum aſteriſco.*

I. II. III. *&c. usque ad* XII.

Typus & inſcriptio in hisce omnibus conveniunt cum tribus prioribus nummis tab. præcedentis, ſed in minoribus tantum inter ſe nummi variant ſymbolis, quæ ad varias officinas referri debent. Num. II. cernuntur ſecuris, aquila, palmæ ramus & cornucopiæ. III. ſpica, aquila & palmæ ramus. IV. bipennis & litera I. V. palmæ ramus & literæ conjunctæ AB. VI. ſpica & litera Φ. VII. ſagitta & litera A. vel quid ſimile notæ numerali 4. cum aquila. VIII. prora navis & litera Π. IX. caput bovis & litera Θ. X. tripus. XI. laurea & litera T. XII. ſolis & lunæ ſidera.

XIII. *usque ad* XXIV.

De hisce denariis vide tab. quartam num. V. omnes enim inter ſe ſunt ſimiles exceptis literis alphabeticis.

Tab. II.

I.

Caput Genii populi Romani diademate cinctum; retro illud ſceptrum eſt.

CN*eus* LEN*tulus* Q*uæſtor* EX S*enatus* C*onſulto*: Sceptrum cum corona laurea, globus, & temo.

Sebaſtianus Erizzo (quem Echinum vocat in Hiſtoriis ſuis Thuanus) denarii hujus mentionem faciens in Expl. Num. Antiqu. p. 160. refert ad A. V. C. DCLVI. & conſulatum Cnei Cornelii Lentuli atque P. Licinii Craſſi; quorum conſulum meminit Plinius lib. XXX. *Cneo Cornelio Lentulo, P. Licinio Craſſo conſulibus ſenatusconſultum factum eſt, ne homo immolaretur, palamque in tempus illud ſacra prodigioſa celebrata.* Hanc opinionem nullo modo procedere poſſe patet ex titulo quæſturæ addito. Unde Urſinus ad quæſturam Cn. Lentuli iſtius refert, qui conſul poſtea fuit A. V. C. DCVII. cum L. Mummio, vel antiquioris alicujus. Ad tempora minus antiqua refert Vaillantius p. 325. & ad illum Cn. Cornelium Lentulum qui (ut ſcribit) miſſus anno DCCIII. cum Q. Cretico & L. Flacco ad Galliæ civitates, ex Cicerone, nullis adhuc populi magiſtratibus functus erat. Quæſturam vero urbanam ſuſcepiſſe ſcribit anno DCCIV. Cui quidem ſententiæ, quod adtinet ad Lentuli iſtius perſonam, accedo, ſed interim noto parachroniſmum. Legatio enim illa ad Galliæ civitates accidit, non A. V. C. DCCIII. ſed DCXCIII. conſulibus L. Afranio & Q. Cæcilio Metello Celere; unde quæſtura ejus & tempus cuſi denarii revocanda ſunt ad annum DCXCIV.

Ciceronis locus, quem reſpicit Vaillantius, exſtat lib. I. Ep. ad Atticum ep. penultima; ubi agitur de belli Gallici metu, qui tamen poſtea evanuit. Tum vero minime neglexerunt Romani, ſed præter belli adparatum & ſortitionem de provinciis inter conſules, ad Galliæ civitates fideles legatos miſerunt, qui operam darent, ne eæ cum Helvetiis ſe jungerent. *Legati ſunt*, inquit, *Q. Metellus Creticus, & L. Flaccus, &*, τὸ ἐπὶ τῇ φακῇ μύρον, *Lentulus Clodiani filius.* Græca autem illa dicunt, Quintum Metellum & L. Flaccum, quorum hic triumphalis, ille conſularis erat, cum hoc Lentulo ut unguentum ad lenticulam convenire; neque enim ullos adhuc honores geſſerat; unde tuto ſtatuere cum Vaillantio poſſumus factum eundem anno poſt quæſtorem.

Clodiani idem filius a Cicerone dicitur. Pater itaque ejus fuit Cn. Cornelius Lentulus Clodianus, conſul A. V. C. DCLXXXII. cum L. Gellio, qui biennio poſt, Pompejo primum conſule, eundem Gellium in cenſura collegam habuit.

De denarii typo ad ſequentem num. videbimus.

II.

Genii populi Romani caput idem, cum ſceptro.

LENT*ulus* CVR*ator* X. i. e. *denariorum* FL*andorum*: EX S*enatus* C*onſulto.* Typus idem qui ſupra.

Inter reliqua, quæ Romæ colebantur numina, erat quoque Genius, & ſicuti paſſim Genii locorum in veneratione erant, ita Genius Populi Romani hic deus adpellatus fuit. Templi ejus meminit Dio lib. L. ubi inter mala omina narratur bubo in templo Concordiæ & omnibus fere ſanctioribus delubris ſediſſe, & tandem diutiſſime in æde Genii Populi Romani conſediſſe, neque capi aut abigi potuiſſe. Sceptrum a parte capitis, &, addita laurea corona, repetitum ab altera parte, potentiam & imperium populi Romani denotat terra marique, additis earum rerum ſymbolis globo & temone. Poteſtatem enim denotare ſceptrum; notum eſt, & inde adpoſite fingit Homerus, Atridæ ſceptrum ad Jovem olim pertinuiſſe, & regibus in terris traditum, Lib. Iliad. II. verſu 101.

Ἔστη, σκῆπτρον ἔχων (τὸ μὲν Ἥφαιστος κάμε τεύχων·
Ἥφαιστος μὲν δῶκε Διὶ Κρονίωνι ἄνακτι·
Αὐτὰρ ὁ αὖτε Πέλοψ δῶκ' Ἀτρεϊ ποιμένι λαῶν·
Ἀτρεὺς δὲ θνήσκων ἔλιπε πολύαρνι Θυέστῃ·
Αὐτὰρ ὁ αὖτε Θυέστ' Ἀγαμέμνονι λεῖπε φορῆναι,
Πολλῇσι νήσοισι καὶ Ἄργεϊ παντὶ ἀνάσσειν.

Id eſt, Helio Eobano Heſſo interprete,

Sceptra tenens manibus, Vulcani opus ignipotentis:
Vulcanus dedit ipſe Jovi Saturnigenaï,
Juppiter alato bonus obtulit Argicidæ,
Mercurius Pelopi per equeſtria frena potenti,
Tantalides quæ deinde Pelops tibi contulit Atreu,
Liquerat hæc Atreus opulento dona Thyeſtæ,
Ferret ut a magno capit hæc Agamemno Thyeſte,
Cui mare, cui terræ, totum pareret & Argos.

III.

C*aius* CASSI*us* IMP*erator.* Caput deæ Libertatis, quod declarat adpoſitum nomen LEIBERTAS.

LENTVLVS SPINT*her.* Præfericulum & lituus.

In Caſſia gente hunc denarium itidem vidimus; Lentulus vero hic inter amicos fuit Ciceronis, reipublicæ partium ſtudioſus, qui bello quidem civili quievit, in fidem a Cæſare acceptus & vita donatus; ſed, interfecto Cæſare, ad conjuratos ſe contulit, & in Aſiam a ſenatu miſſus, magnam pecuniæ vim coëgit, ex qua omnes hi denarii, cum nomine imperatoris Caſſii, temporibus belli civilis cuſi ſunt, ex quibus Libertatis deæ caput multi præferunt, quod antiquum reipublicæ ſtatum reducere percuſſores Cæſaris volebant.

Spinther cognomen fuit Lentulorum cuidam fami-

familiæ, quod primus ex illa histrioni cuidam, ita vocato, esset simillimus. Hic vero Spinther sacerdotalia signa in denariis suis signavit, quoniam auguratu decoratus a Julio Cæsare fuit, cujus rei meminit ipse Cæsar lib. I. de Bello Civili, cap. 22. *Quarta vigilia circiter Lentulus Spinther de muro cum vigiliis, custodibusque nostris colloquitur, velle, si sibi fiat potestas, Cæsarem convenire. Facta potestate, ex oppido mittitur, neque ab eo prius Domitiani milites discedunt, quam in conspectum Cæsaris deducatur, cum eo de salute sua agit, atque obsecrat, sibi ut parcat; veteremque amicitiam cemmemorat; Cæsarisque in se beneficia exponit; quæ erant maxima: quod per eum in collegium pontificum venerat; quod provinciam Hispaniam ex prætura habuerat; quod in petitione consulatus ab eo erat sublevatus. Cujus orationem Cæsar interpellat: se, non maleficii caussa ex provincia egressum, sed uti se a contumeliis inimicorum defenderet; ut tribunos pleb. ea re ex civitate expulsos, in suam dignitatem restitueret: ut se, & populum R. paucorum factione oppressum in libertatem vindicaret. Cujus oratione confirmatus Lentulus, ut in oppidum reverti liceat, petit. quod de sua salute impetraverit, fore etiam reliquis ad suampse solatio. adeo esse perterritos nonnullos, ut suæ vitæ durius consulere cogantur. facta potestate, discedit. Cæsar ubi illuxit, omnes senatores, senatorumque liberos, tribunos mil. equitesque Romanos ad se produci jubet. erant senatorii ordinis L. Domitius, & P. Lentulus Spinther, L. Vibullius Rufus, Sex. Quinctilius Varus quæstor, L. Rubrius; præterea filius Domitii, aliique complures adolescentes, & magnus numerus equitum Romanorum, & decurionum, quos ex municipiis Domitius evocaverat. hos omnes productos a contumeliis militum, conviciisque prohibet: pauca apud eos loquitur, quod sibi a parte eorum gratia relata non sit pro suis in eos maximis beneficiis. dimittit omnes incolumes.* Quæ quidem Cæsaris verba prolixiora ideo adduximus, ut pateat, cur, dimissus a Cæsare, Puteolis in villa sua tranquille usque ad ejusdem Cæsaris mortem vixerit. Eodem vero e vivis sublato, reipublicæ partes pro virili plurimum adjuvit. Meminerat quoque ejus Cæsar libro eodem cap. XXIII. ut qui Asculum cum decem cohortibus insederat, sed deficientibus ad Cæsarem militibus, inde discedere, atque ad Domitium, qui Corfinium cum præsidio tenebat, coactus fuerat se conferre. Ciceroni in primis favit, atque in consulatu suo restitutionem ejus enixe juvit; unde plurima ejusdem laus apud Ciceronem passim invenitur. In prætura urbana ludos magnificentissime edidit, & alias vir summæ existimationis & auctoritatis exstitit.

IV.

CASSI*us* IMP*erator*. Caput Deæ Libertatis velatum, cui adscriptum LEIBERTAS.

LENTVLVS SPINT*her*. Præfericulum & lituus.

Nihil a præcedente denario differt, si velum, quo Deæ caput obnubitur, excipias. Id vero pro suo arbitrio monetales præfecti fecisse videntur, quum sæpius illud discrimen in dearum capitibus observetur.

Lentulus noster dictus fuit Publius Cornelius Lentulus Spinther, ut ex adlato Cæsaris loco patet, & marmoribus quoque Capitolinis a Vaillantio adductis, ubi Publii insuper filius dicitur, ita ut tres continui in Lentulorum Spintherum serie fuerint Publii. Invenitur quoque P. Lentulus temporibus Marianis, quem Publii patrem & tertii Publii avum existimare possemus, nisi Lucii nepos infra num. VI. diceretur. De eo, qui Marianis temporibus periit, Appianus mentionem facit, libro I. Bell. Civ. ubi reperti in via cæsi traduntur P. Lentulus, C. Numitorius, M. Bæbius. Suram eundem cognominatum ex conjectura existimat Pighius tom. III. p. 170. patremque fuisse Cornelii Lentuli Suræ, qui, prætor, a Cicerone consule, tempore Catilinariæ conjurationis, in carcere necatus fuit; quod contra Plutarchum est. Primus enim (idem ille qui jussu Ciceronis necatus fuit) Suræ cognomen ex joco non insuavi adeptus est, uti docet Plutarchus in Vita Ciceronis pag. 869. *Cornelius Lentulus, Sura cognomento, illustri natus familia, sed vitæ inhoneste actæ, & qui ob libidines senatu ejectus, tunc (qui mos est recuperantibus senatoriam dignitatem) iterum præturam gerebat. Fertur cognomentum Suræ hoc modo adeptus. Cum sub Sulla quæstor multum publicæ pecuniæ intervertisset, idque Sulla indigne ferret, inque senatu rationem ab eo exigeret: progressus contemptim admodum, rationem se redditurum negavit, suram autem præbiturum, id quod pueri solent cum in lusione pilæ erraverunt. Inde Sura dictus est.* Itaque is, qui pater ejus a Pighio statuitur, id cognomen habere non potuit. Quamvis Sura, ut antiquius Lentulorum agnomen, inveniatur apud Livium lib. XXII. cap. 31. ubi P. Sura commemoratur in Sicilia legatus fuisse T. Otacilii prætoris. Meliori forsan jure Spintheris cognomen primus videri possit tulisse ille, qui a Marianis (si ab histrionis similitudine inditum est) occisus est. Hunc enim synchronum Cn. Cornelio Lentulo Clodiāno qui consul fuit A. V. C. DCLVII. faciens Cicero in Bruto cap. LXVI. actionem & corporis motum, quæ in histrione plurimum placent, laudat. Verba Ciceronis hæc sunt: *Sic Cn. Lentulus ceterarum virtutum dicendi mediocritatem actione occultavit, in qua excellens fuit. Neque multo secus P. Lentulus, cujus & excogitandi, & loquendi tarditatem tegebat formæ dignitas, corporis motus plenus & artis & venustatis, vocis & suavitas & magnitudo. sic in hoc nihil præter actionem fuit. cetera etiam minora, quam in superiore.* Sed obstat, quod Valerius Maximus & Plinius, post id tempus, Gentis Corneliæ cuidam familiæ Spintheris illud cognomen contigisse scribant, videlicet A. V. C. DCXCVI. quo anno una consules erant Lentulus & Metellus a Spinthere & Pamphilo histrionibus cognomina nacti; *In quo* (inquit Plinius lib. VII. cap. 12.) *perquam importune fortuitum hoc quoque fuit, duorum simul consulum in scena imagines cerni.* Valerii vero lib. IX. cap. 14. ex. 4. hæc sunt verba: *Generosissimum consulatus collegium Lentuli & Metelli fuit: qui ambo in scena propter similitudinem histrionum propemodum spectati sunt. Sed alter ex quodam secundarum cognomen Spintheris traxit: alter, nisi Nepotis à moribus accepisset, Pamphili tertiarum, cui simillimus esse ferebatur, habuisset.* Quæ si vera sunt, hic ipse Lentulus, qui denarios signavit, Spintheris primus cognomen tulit, & (quod jure miremur) ferre etiam voluit, inditamque ab histrionis similitudine adpellationem in denariis expressit, ut ita ab aliis Lentulis distingueretur. Inter oratores quoque numerat Cicero, sed arte & disciplina melius quam natura valuisse docet in Bruto cap. LXXVII. *Duo præterea Lentuli consulares, quorum Publius ille, nostrarum injuriarum ultor, auctor salutis, quidquid habuit, quantumcumque fuit, illud totum habuit ex disciplina: instrumenta naturæ deerant: sed tantus animi splendor, & tanta magnitudo, ut sibi omnia, quæ clarorum virorum essent, non dubitaret adsciscere, eaque omni dignitate obtineret.*

V.

BRVTVS. Secespita, capeduncula & culter, insignia sacerdotalia.

LENTVLVS SPINT*her*. Præfericulum & lituus, auguratus symbola.

Pars prior ad familiam Juniam spectat, & Cassii socium M. Brutum. Lentulus vero Spinther cognoscitur hinc æque Bruto ac Cassio in denariis honorem habuisse, quum in Asia a Senatu proquæstore & proprætore (ut recte observat Vaillantius) missus esset.

VI. &

Litera A.

Quæstor Senatus Consulto. Caput nudum & barbatum. in altero simili invenitur pro literis Q. S. C. vox OSCA.

Publius LENT*ulus Publii Filius Lucii Nepos.* In altero autem legitur *Publius* LENT*ulus Publii Filius* SPINT*her*. Figura numinis seminuda sellæ curuli insidens, pede globum calcat, dextra cornucopiæ tenet, læva hastam puram, atque respicit ad Victoriam a tergo advolantem cum corona & palmæ ramo.

Nummum illum, qui litera A. notatur, primus protulit Goltzius in Fastis ad A. V. C. DCXCVI. post illum Ursinus. Uterque caput illud barbatum diademate circumligavit, quod quoniam in nummo, quem viderat Patinus, videlicet num. VI. non exstat, abjecit, sequiturque illum Vaillantius, & non exstare patet ex Morelli pictura. At vero iidem Patinus & Vaillantius totum Goltzii nummum abjecerunt, tanquam malæ fidei damnandum, qua plerosque ex Goltzianis laborare constans est opinio. Et certe literæ ille Q. S. C. in Patini nummo, quem in thesauro regio adservari adserit Vaillantius pag. 321. facile a Goltzio legi potuerunt, tanquam exstaret OSCA. Sed contra Morellii fides est, qui Goltzianos omnes, qui fidei sunt suspectæ, tanquam apocryphos (ut ipse loquitur) in calce collectionis suæ posuit, quos autem ex Goltzianis iisdem revera exstare in musæis comperit, suo loco in singulis locavit familiis. Quæ ratio tanti apud me est, ut putem alterum illum denarium itidem exstare, & OSCA in illo legi, atque Spintheris agnomen superaddi Lentulo illi, qui Lucii nepos in priori denario dicitur. Imo OSCA non sine ratione exstare in denario crediderim, quoniam in gente Domitia denarius exstat indubitatæ fidei num. IV. caput barbatum Hispani numinis ostentans cum adscripto vocabulo OSCA.

Fuit autem Osca, ad quam in utroque denario respicitur, urbs nobilissima Hispaniæ Tarraconensis in Ilergetibus, nunc Huesca dicta, Sertorii favore & cæde nobilis, Romanorum post colonia. Ditissimam fuisse argentum Oscense ostendit, Livio plus semel commemoratum; ut in oratione Helvii lib. XXXIV. cap. 10. *Argenti infecti tulit in ærarium quatuordecim millia pondo septuaginta triginta duo: & signati bigatorum septemdecim millia viginti tria, & Oscensis argenti viginti millia quadringenta triginta octo.* Idem mox eodem capite de triumpho Q. Minucii: *Hic quoque tulit argenti pondo triginta quatuor millia octingenta: bigatorum septuaginta octo millia; & Oscensis argenti ducenta septuaginta octo millia.* De Porcii Catonis quoque triumpho lib. XXXIV. cap. 46. *Per eos dies collega ejus* (L. Valerii Flacci) *M. Porcius Cato ex Hispania triumphavit. Tulit in eo triumpho argenti infecti viginti quinque millia pondo, bigati centum viginti tria millia, Oscensis quingenta quadraginta: auri pondo mille quadringenta.* In quibus omnibus locis aperte bigati Romanorum nummi ab argento Oscensi distinguuntur, ut incaute scribat Pighius Annal. tom. III. p. 492. Oscensis argenti bigatorum DXL. millia in triumpho suo Catonem transtulisse. Differt enim argentum Oscense a bigatis hoc modo, ut bigati significent argentum a Romanis cusum, sive Romæ sive in provinciis; argentum vero Oscense innuat pecuniam in Hispania & urbe Osca cusam, & typos Hispanicos habentem; unde *signatum Oscense* idem argentum adpellat Livius lib. XL. cap. 43. in Q. Fulvii Flacci ex Hispania triumpho. *Tulit in triumpho coronas aureas centum viginti quatuor: præterea auri pondo triginta unum, & signati Oscensis nummûm centum septuaginta tria millia ducentos.* Quos nummos mox a denariis Romanis distinguit: *Militibus de præda quinquagenos denarios dedit: duplex centurionibus* &c.

Puto itaque caput hoc barbatum referri debere ad Herculem, Hispanorum celeberrimum numen, & qui sæpissime, sine ulla clavæ vel leoninorum spoliorum nota, in nummis Hispanorum residuis depingitur; & quod victoria in hisce denariis de Hispanis Oscis celebretur, ideo Hispanum numen & Oscæ civitatis nomen in altero adponi denario, in altero autem Q. S. C. quod ex Senatus Consulto hanc victoriam per hos typos in denariis quæstor jussus fuerit celebrare. Quæ de Deo Sanco seu Sango dicit Vaillantius, refutatione non indigent, quum nullo verisimili nitantur fundamento, neque animum ad secundum denarium lit. A. adtenderit, neque, (ut in Goltzianis aliis omnibus fecit) operi suo interseruerit, quod crederet, male a Golzio lectum fuisse & eundem cum num. VI. esse denarium.

De typo jam & inscriptione aversæ partis agendum est. Sedet ibi Genius populi Romani, qui, Deorum, more superiores corporis partes nudas, inferiores velatas tectasque habet, in sella curuli, pro imperio videlicet, quare hastam quoque, deitatis symbolum, læva tenet, dextra tenet cornucopiæ, quum necesse foret, ut omnium rerum abundantia adflueret populus Romanus, qui orbis teneret imperium, quod significat globus, quem dextro pede sedens calcat Genius. Illud imperium virtute erat inchoatum, fortuna propagatum, & victoriis consummatum, quare advolans superne dea Victoria Genium populi Romani, & ipsum victorias suas mirantem, quod adspectus retro indicat, coronat.

Ex quibus, & præsertim globo terrarum, qui dextro pedi hujus Genii populi Romani subponitur, evidenter adparet, non posse ad tam prisca reipublicæ tempora referri hos denarios, quam refert Vaillantius. Credidit enim is (Spintheris agnomen non agnoscens) cusum denarium a quæstore urbano P. Lentulo P. F. P. N. illo, qui A. V. C. DXXXIX. Siciliam provinciam sortitus, prorogata provincia, anno post cum Syphace Numidarum rege contra Pœnos ivit, pag. 321. & 322. Melius itaque Pighius tom. III. p. 356. ad A. V. C. DCXCIV. refert, quo videlicet in Hispaniis cum imperio fuit noster P. Lentulus Spinther. „ Apud „ Cæsarem (inquit) commemorat ipse Lentulus, „ se per Cæsarem provinciam Hispaniam ex præ„ tura habuisse. Reperitur & denarius P. Lentu„ li Spintheris argenteus, Oscæ in Hispania cite„ riore cusus, ut monstrat titulus: a qua civitate „ moneta argentea Oscensis dicta est, cujus fre„ quens apud Livium est mentio. Formam ejus in „ Fastis Goltzianis invenies. „ Hæc Pighius, ex quibus verbis discimus Oscæ in Hispania hunc denarium cusum esse, & quidem permissu senatus,

 unde

unde *Quæstor* Senatus *Consulto* (uti denario priori num. VI. exstat) potestatem habuit tale argentum in Hispaniæ urbe Osca signandi.

Inventis typi ratione & tempore, quo cusi hi denarii sunt, videamus cujus Lucii nepos hic Lentulus Spinther fuerit. Inveniuntur Lucii Lentuli, ex quibus alter avus nostri esse potuit, hi duo: L. Cornelius Lentulus CN. F. L. N. consul A. V. C. DXCVIII. repetundarum deinde damnatus, atque postea cum C. Censorino censor factus; & alter L. Cornelius Lentulus consul cum L. Mummio Achaico A. V. C. DCVIII. ex quibus duobus alter avus P. Cornelii Spintheris, P. F. L. N. qui hosce denarios cudit, fuisse videtur.

VII.

AVGVSTVS. Caput Augusti nudum.

Lucius LENTVLVS FLAMEN MARTIALIS. Figura seminuda stans, dextra tenens victoriolam, læva hastam transversam, cujus supra caput astrum est, coronatur a figura retro adstante, habitu pontificali, læva manu clypeo votivo innixa.

Goltzius, denarium hunc proponens ad A. V. C. DCCL. quo consul videtur fuisse hic L. Cornelius Lentulus, pro victoriola lituum in manu icunculæ alterius ponit, quam superiore quoque corporis parte vestitam facit; in utroque deceptus (ut videtur) a nummo in illis minus integro. Pertinet vero ad Lucium Lentulum, filium Lucii Lentuli viri consularis & pariter flaminis Martialis, de quo Cicero ad Atticum XII. 7. *De liberalitate dixi, quantum Publius, quantum flamen Lentulus filio.* Macrobius lib. II. Saturn. cap. IX. cœnam sumtuosam pontificis Metelli commemorat, die qua flamen Martialis inauguratus fuit idem Lentulus. Hujus filius L. Lentulus ad honores sub Augusto pervenit, quamvis pater (ut ex num. seq. VIII. patet) reipublicæ partes contra Julium Cæsarem foverat; ad patrem enim pertinet consulatus ille ultimo liberæ reipublicæ anno, quem minus adcurate Ursinus adducit in hujus denarii explicatione, quasi huic Lentulo, ad quem hic nummus pertinet, conveniret.

Typus optime quadrat in flaminem Martialem, & historiæ quoque Romanæ insigne est monumentum. Refert Vaillantius pag. 327. ad reddita a Parthis anno DCCXXXIV. signa & suspensa eadem in templo Martis Ultoris, atque propterea dicit flaminem clypeum votivum manu tenere; quod Augustus voverit una cum signis iisdem in templo illo appendendum. Icunculam itaque illam, quæ manu victoriolam tenet, Jovis Victoris esse pronunciat, & stellam, quæ super caput visitur, Jovis ejusdem esse astrum.

Explicationis hujus pars posterior mihi non adridet, neque enim Jovis Victoris ullam umbram in icuncula illa, quæ astrum habet supra caput, atque victoriam dextra præfert, agnosco. Jovis signum barbatum esse solet, hoc vero nullam barbam ostentat, neque ullum adest symbolum, quod ad Jovem referri magis quam ad quemvis deum possit. Existimo itaque Augustum in æde Martis Ultoris, post illata ibidem signa Parthica, dedicasse statuam Julii Cæsaris, cujus per adoptionem erat filius. Uti Deo hasta additur, & super caput Iulium fulget sidus, quod etiam in Fam. Sanquinia cernitur super caput Julii Cæsaris in nummo, qui ab altera parte Augusti caput habet; exstat in Fam. Sanquinia num. II. ubi supra caput Julii num. I. idem illud astrum adparet. Cur illud in templo Martis Ultoris, ubi Parthis erepta signa erant, collocaverit Augustus, prægnans erat caussa, voluntas olim Julii Cæsaris ipsius, qui secum constituerat Parthos debellare, & ignominiam pop. Rom. & Crasso illatam, ulcisci. *Destinabat* (inquit) Suetonius in Vita Cæsaris cap. XLIV. *Parthis inferre bellum per Armeniam Minorem, nec nisi ante expertos adgredi.* Unde rumor, regis ab illo ambiri nomen, ibid. cap. LXXIX. *Proximo autem senatu L. Cottam quindecimvirum sententiam dicturum: ut, quoniam libris fatalibus contineretur, Parthos, nisi a rege non posse vinci, Cæsar rex adpellaretur.* Imo huic expeditioni comes erat destinatus ipse Augustus, præmissus in Macedoniam, teste Suetonio in vita Aug. cap. VIII. *Cæsare post receptas Hispanias expeditionem in Dacos, & inde in Parthos, destinante, præmissus Apolloniam, studiis vacavit.* Quæ omnia inferunt, jure merito patris Cæsaris statuam positam fuisse ab Augusto in templo Martis Ultoris, post recepta signa & Parthos supplices factos. Perfecisse jam sibi videbatur filius, quod pater cogitaverat, & cujus ipse expeditionis & gloriæ particeps destinatus fuerat.

Exhibet itaque denarius dedicationem imaginis Julii Cæsaris, (quam ex voto suscepisse videtur Augustus, unde clypeus votivus) per flaminem Martialem L. Lentulum, idque nomine ipsius Augusti. Quantum vero gaudium Augusto fuerit natum, ex receptis signis & captivis, ubertim commemorat Dio lib. LIV. ad annum V. C. DCCXXXII. eo itaque anno votum fuit templum, perfectum viginti post annis, ut volunt, videlicet A. V. C. DCCLII.

VIII.

NER*ius* Q*uæstor* VRB*anus*. Caput Jovis Stygii sive Plutonis cum unco.

Lucius LENT*ulus Caius* MARC*ellus* CO*nSules*. Aquila legionaria inter signa militaria, quæ ex inscriptis literis H. & P. agnoscuntur esse hastatorum & principum.

Extra urbem Romam cusum esse denarium patet vel inde, quod vox ROMA non adscribatur. Cusus vero est anno illo tumultuosissimo, quo patriam invasit Cæsar, & libertatem obtrivit; & cusus quidem videtur eo tempore, quo jam in Macedoniam ex urbe fugerant consules Lentulus & Marcellus, ut ibi pecunias & militem colligerent, unde typus Patris Ditis, & signa hastatorum, legionariorum & principum, quæ ab altera denarii parte visuntur. Cum consulibus, ut alii viri principes, sic quoque Nerius, quæstor urbanus, qui denarium cudit, urbe excesserat.

TAB. III.

I.

Lucius LEN*tulus Cajus* MARC*ellus* CO*nSules*. Caput Jovis Hellanii inberbe.

Jupiter nudus, stans ante aram accensam, dextra fulmen, læva aquilam tenens, retro illum astrum visitur, & sub astro litera Q.

In Sicilia (ut recte opinatur Vaillantius) cusum hunc denarium esse typus ab utraque parte evincit. A priori parte visitur caput inberbe Jovis Hellenii seu Hellanii, qui singulari cultu Syracusis honorabatur; unde in plurimis ejusdem urbis monetis imago ejusdem seu facies, huic quæ in denario nostro occurrit persimilis, exprimitur. Inveniuntur nummi illi in Tab. Syrac. LVIII. 8. 9. 10. & LX. 11. 12. 13. 14. 15. Philippi Parutæ; ad quos nummos collegimus quæ de Jove Hellanio dicenda erant, & ibi possunt inspici pag. 343.

Jupi-

Jupiter ille, qui ab altera denarii parte stans & barbatus effingitur, videtur mihi esse Jupiter Eleutherius sive Liberator, quem pariter ingenti veneratione prosequebantur Syracusani, de quo itidem plura diximus ibidem pag. 355. & 356. Ara cultum divinum horum numinum ostendit, astrum sive stella referri debere videtur ad stellam marinam, quæ symbolum Syracusarum, ut civitatis maritimæ, fuit, unde in innumeris ejusdem monetis observatur, uti docuimus ad eundem Parutam pag. 342. 343. 363.

Literam Q. imperite Vallantius per *Quæstor* interpretatur, quum adtendere debuisset quæstoris nomen nullum adscribi, & cogitare ubi cusus fuerit denarius, nempe Syracusis, cujus urbis nummi sæpissime illam literam Q. exhibent, præsertim in illis, in quibus Pegasus, Corinthiæ originis symbolum, animadvertitur, uti patere poterit rerum egregiarum cupido lectori ex Commentariis nostris ad Parutæ Numismata, Syracus. Tab. XXXVI. 38. pag. 302. literam enim Q. apud Græcos usum habuisse figuræ recentioris K. evidenter adparere potest ex scriptura veteri quorundam nummorum Syracusanorum, quales illi sunt apud Parutam Tab. LV. 181. & 190. in quibus pro ΣΥΡΑΚΟΣΙΩΝ scribitur ΣΥΡΑϘΟΣΙΩΝ.

Idem Vaillantius dicit Lentulum consulem cognomen Cruris sive Cruscelli habuisse, idque quod crura haberet parva, & eo tantum cognomine ab aliis distingueretur. Ad hanc sententiam Vaillantium impulerunt Victorii & aliorum notæ in verba M. Cœlii, cujus ad Cicer. epistola exstat lib. VIII. Epist. quarta. *Hoc tibi non invideo* (scribit ad Ciceronem Cœlius) *caruisse te pulcherrimo spectaculo, & Lentuli Cruris repulsi vultum non vidisse. At qua spe, quam certa opinione descenderat? quam ipso diffidente Dolabella? & Hercules, nisi nostri equites acutius vidissent, pæne concedente adversario superasset.* Illis verbis significat Cœlius, Dolabellam quindecimvirum sacris faciendis fuisse factum, repulsam ferente Lentulo Crure. Accidit res C. Marcello Consule designato, illo videlicet, qui consul fuit anno ante nepotem, fratris filium, cognominem, & Cornelium Lentulum, cujus hic & præcedens est denarius. At dubium mihi est, utrum unus & idem sit homo, qui designato consule C. Marcello repulsam quindecimviratus sit passus, cum illo, qui, proximo post Marcellum consulem anno, cum nepote ejusdem C. Marcello consul factus sit. Deinde, jocari quidem potuit Cœlius in Cruris cognomine (quum simpliciter satis loquatur) quod Lentulus ille habuit, verum inde non sequitur (quod vult Vaillantius) crura parva habuisse Lentulum consulem, quod simile foret illi, si quis supponeret omnes Pompejos Strabones vitio oculorum laborasse, quoniam qui id cognomen familiæ intulit, id ex oculorum vitio fuerit adeptus. Novi ego Lentulum Cruscellum, cujus meminerunt Appianus & Valerius Maximus, verum is idem consul esse nequit, ut qui sub triumviris fuerit proscriptus; quum consul Lentulus Pompeji manibus comes ab Ægypti rege Ptolemæo sit datus. Appianus fidem uxoris Lentuli illius commemorans, hæc de illis conjugibus scribit lib. IV. Bell. Civil. p. 612. *Lentulus cum observaretur ab uxore ne sine ea fugeret, nolens periculi comitem, clam aufugit in Siciliam, & prætor a Pompejo factus, uxorem per literas certiorem fecit de salute simul & honore. Quæ postquam ubi esset maritus cognovit, frustrata matris custodiam, cum duobus servulis vili cultu victuque, quasi & ipsa ancilla, iter laboriosum peregit; donec a Rhegio Messanam transfretavit sub vesperam: ubi facile invento prætorio, reperit Lentulum non prætoris habitu, sed in cubili strato squalidum promisso capillitio, & misero victu afflictantem se uxoris desiderio.*

Illum Cruscellionem (κρύσκελλον vocat Dio Cassius) dictum fuisse testatur Valerius Maximus VI. 7. 3. *Sulpicia autem cum a matre Julia diligentissime custodiretur, ne Lentulum Cruscellionem, virum suum, proscriptum a triumviris in Siciliam sequeretur, nihilominus famulari veste sumpta, cum duabus ancillis, totidemque servis ad eum clandestina fuga pervenit. Nec recusavit seipsam proscribere, ut ei fides sua in conjuge proscripto constaret.* Ex hisce adparet (sive Lentulus ille Cruscellus seu Cruscellio filius fuerit Lentuli Cruris, de quo Cœlius in epistolis, sive quis alius ex propinquis,) cognomen familiæ fuisse; quod tamen non constare videtur an Consuli Lentulo adhæserit; multo minus illum exigua crura habuisse. Consul factus cum C. Marcello vehementer obviam ivit conatibus Cæsaris, ut non mirum sit, minus honestum de illo testimonium apud inimicum inveniri lib. I. de Bello Civili cap. 4. *Lentulus, æris alieni magnitudine, & spe exercitus ac provinciarum, & regum adpellandorum largitionibus movetur; seque alterum fore Sullam inter suos gloriatur, ad quem summa imperii redeat.* Unde etiam in lib. VIII. Belli Gallici cap. L. scribit Hirtius, insolenter gloriatos fuisse adversarios, *L. Lentulum & C. Marcellum consules creatos, qui omni honore & dignitate Cæsarem exspoliarent.* In acie Pharsalica præfuit cornu sinistro, teste Lucano lib. VII. versu 217.

——— ——— ——— Cornu tibi cura sinistri
Lentule, cum prima, quæ tum fuit optima bello,
Et quarta legione datur.

Mortem commemorat Cæsar lib. de Bello Civili III. cap. 104. *Item L. Lentulus comprehenditur a rege, & in custodia necatur.*

II.

COL*onia* VIC*trix* IUL*ia* LEP*tis*. Caput muliebre.

PR*ima*. IIVIR*is* *Lucio* NEP*ote* *Lucio* SUR*a*. Bos, coloniæ symbolum.

Julia Leptis fuit inter colonias, quas in Africa constituit plurimas Julius Cæsar, a nomine ejus Julias vocatas. Cusum vero nummum arbitror sub Augusto vel Tiberio, videtur enim illa facies muliebris esse Liviæ, seu Juliæ Augusti uxoris. Pari enim ornatu, respectu comæ, monilis &c. depingitur in nummo Coloniæ Hispaniensis Augustæ Emeritæ apud Morellium nostrum inter Numismata Impp. Tom. II. inter Liviæ nummos.

Nummum hunc ad gentem Corneliam retulit Morellius ob Suræ cognomen, quod adhæsit familiæ illius Lentuli, qui prætor tempore Catilinariæ conjurationis in carcere jussu Ciceronis est strangulatus. Qui per risum, teste Plutarcho, ita dictus fuit, a ludo sphæræ, ubi qui peccabat suram præbere debebat. Sed præter Lentulos multæ aliæ familiæ Suræ quoque cognomen habuerunt, inveniuntur enim complures Suræ in libris & marmoribus. Accius Sura, pro quo intercessit Plinius ad Trajanum imperatorem, ut prætura ornaretur, lib. X. Epist. Æmilius Sura, cujus meminit Vellejus I, 66. Brittius vel Bruttius Sura, qui nominatur Plutar-

tarcho in Sulla, ut legatus Sentii Saturnini propraetore Macedoniæ A. V. C. DCLXVII. L. L. Licinius Sura P. F. prætorianis cohortibus præfectus a Trajano, cui cariſſimus erat, Dioni commemoratur, qui conſul etiam II. fuit cum Senecione III. A. V. C. DCCCLIV. L. Licinius Sura III. vir adpellatur Trajano V. conſule A. V. C. DCCCLV. & diverſus a conſule Sura eſt, utpote C. F. non L. F. apud Gruterum p. CXCI. num. 1. Exſtat etiam lib. IV. Plinianarum epiſtolarum epiſt. 3. ad Licinium Suram. Palfurius Sura, teſte Trebellio Pollione, hiſtoricus Gallieni imperatoris vitam in literas retulit. In marmoribus vero & inſcriptionibus antiquis inveniuntur Cannii, Clœlii, Clodii Suræ, aliique quos longum eſſet omnes enumerare. Ex qua gente Sura hic, qui inſuper Priſcus dici videtur, ſit, temerarium foret adfirmare. Quod de altero duumviro Nepote itidem dictum ſit, utpote cognomen habente, quod ad plures quoque familias pertinere poteſt.

Literas PR. Patinus, qui Urſinianos nummos auxit, legit PRo. & interpretatur de L. Cornelio Nepote & L. Cornelio Lentulo Sura pro duumviris, qui a Julio Cæſare coloniæ huic deducendæ ſint præfecti. Pro duumviris in nummis nondum inveni. Duumviri deducebant colonias, non vice illorum pro duumviris. Literæ viro PR. ſignificant PR*ima*, & ad Leptin Primam referri debent, de qua ad Fam. Fulviam num. II. uberius. Facies Liviæ nummum Cæſaris temporibus abjudicat, & ad tempora Auguſti vel Tiberii, cujus adhuc ſuperſunt nummi Leptitani, revocat.

III.

MARCELLINVS. Caput Claudii Marcelli conſulis, pone illud eſt ſignum Siciliæ, tria crura.

MARCELLVS CO*nSul* QVINQ*uies*. Claudius Marcellus ſpolia opima Jovis Feretrii templo inferens.

Quamvis in Claudia gente jam locatus fuerit hic denarius, ad quam ob Marcellum illum inſignem quinquies conſulem pertinet, repetitur tamen & hic propter Marcellinum, qui hos denarios cudi in gentis ſuæ honorem fecit.

Cneus Cornelius Lentulus, ad quem denarios hos refert Urſinus, & de cujus oratoria teſtimonium dat Cicero in Bruto cap. LXX. conſul fuit cum L. Marco Philippo A. V. C. DCXCVIII. Nos vero cum Vaillantio referendos denarios putamus ad Cn. Marcellinum & quæſturam ejus A. V. C. DCLXXV. Inſpice Tab. I. num. 1. gentis Claudiæ, ubi fuſe de eo actum eſt. Quum eſſet ex gente Claudia, adoptione tranſiit in gentem Corneliam, at ob Marcelli familiam & nomen priſtinum, producto eodem nomine Marcellinus dictus eſt, ex more Romanis uſitato, unde Octavius poſt adoptionem Octavianus, Æmilius Æmilianus dicti ſunt.

IV.

Epigraphe & typus præcedenti eſt ſimilis, ſed nota reſtitutionis, quæ nummos rariores ſolet facere, adſcribitur, IMP*erator* CÆS*ar* TRAIAN*us* AVG*uſtus* GER*manicus* DAC*icus* P*ater* P*atriæ* REST*ituit*.

V.

ROMA. Caput Herculis inberbis nudum, cum pelle leonina circa humeros & clava ad collum eminente, ſupra quam clypei pictura eſt.

LENT*ulus* MAR*cellini* F*ilius*. Figura ſuccincta & turrita ſtans dextra haſtæ innititur, quam Genius coronat, in laurea.

Denarium hunc refert Vaillantius ad Cneum Lentulum Marcellinum, Publii Lentuli Marcellini, a Publio Lentulo Sura principe ſenatus adoptati, filium; & per buſtum Herculis exiſtimat exprimi ſacra Herculis ad aram maximam a Lentulo Marcellino ex ſenatus conſulto celebrata. Averſam partem pertinere putat ad ejusdem proconſulatum, quem, Appiano in Syriacis teſte, ſuccedens Scauro & Marcio Philippo, in Syria geſſit, putatque ob victorias contra Arabas crebriores ſtatuam Lentulo Marcellino, in Syria fuiſſe erectam, iſto habitu, quo typus averſæ nummi partis ſignatur. Addit etiam ſententiam amici cujusdam, credentis Tyri, urbe Syriæ (ſeu potius Phœniciæ) primaria, iſtam Lentulo ſtatuam fuiſſe poſitam, & propterea Herculis Tyrii, ut inberbis, caput in anteriori parte ſignari.

Quod ſupponit Vaillantius a Lentulo Marcellini filio ſacra Herculis fuiſſe celebrata, nullo nititur argumento, nam literæ illæ, quas in uno ex denariis (qui numero ſunt abundantes & in minutiis literarum differunt) invenit & expreſſit Vaillantius p. 349. P. E. S. C. non ſignificant *Publico Aere Senatus Conſulto* hæc ſacra a Lentulo eſſe celebrata, ſed ſimpliciter legi debent, *Pecunia* vel *Percuſſi* Ex *Senatus Conſulto*: vel ſi addas X. denarii notam in area expreſſam, erunt X*narii* *Percuſſi* E*x* *Senatus Conſulto*. At vero X ibi non denarium ſignificat, ſed literam alphabeticam, cujus loco in nummo meo pro X reperitur I. ſubſcribitur vero pariter P. E. S. C. i. e. *Pecunia* vel *Percuſſi* E*x* *Senatus Conſulto*. Hercules vero, & inberbis ille, in plurimis Romanorum nummis exprimitur.

Typum averſæ partis, ſecure nimis Goltzium & Urſinum ſecutus, vel indulgens opinioni ſuæ, aliter quoque expreſſit Vaillantius, quam in ipſis denariis, iisque ubique obviis, occurrit. Non enim in illis cernitur imperator loricatus, nudo capite, dextra haſtæ innitens, ut pinxit Vaillantius Tab. LI. num. 71. vel inſuper galea vulgari tectus, ut num. 72. ſed figura muliebris, alte ſuccincta veſte, cujus caput turrita corona cingitur; unde ſuſpicor provinciam ſub hoc habitu depingi, a Romanis contra hoſtiles inſultus defenſam, quare Genius populi Romani illam coronare videtur, & typus ipſe laurea circumdatur, ut victoriis populi Romani hæc tranquillitas reddita provinciæ demonſtretur; ad victoriam vero armis & robore opus eſt, unde latronum oppreſſor & tyrannorum exſtinctor Hercules, addito clypeo, in prima nummi parte ſignatur.

Romæ cuſos denarios ipſa vox adſcripta adſerit; & videtur typus quadrare in illum, (quem laudat Vaillantius) Cn. Lentulum Marcellinum P. F. qui prætorius cum imperio in Syriam miſſus Arabas, provinciam illam infeſtantes, coërcuit. Miſſus eſt in Syriam A. V. C. DXCVI.

VI.

Caput ſenile barbatum Herculis, ut credidit Urſinus, Jovis Olympii, ut ſentit Vaillantius, ut nobis videtur, Jovis Eleutherii ſive Liberatoris.

Lucius LENTVLVS *Caius* MARC*ellus* CO*nSules*. Diana Polymaſtos cum verubus.

Quoniam plurimi hujus generis denarii in Sicilia cuſi ſunt, ut patet ex numeris I. VI. VIII. hujus tabellæ, poſſum etiam in hujus nummi ty-

po

po accedere Vaillantio, qui, ob eximium Dianæ cultum apud Syracuſanos, exiſtimat Polymaſton ibidem quoque ſicut Epheſi cultam fuiſſe. Jovis illud caput de Jove Olympio interpretatur, cujus nobile Syracuſis fuiſſe templum extra muros tradit Plutarchus in Vita Niciæ pag. 535. *Jovis Olympii templum Athenienſibus capere cupientibus, quod multa in eo erant aurea argenteaque donaria, Nicias conſulto rem tantiſper diſtulit, dum per ejus negligentiam Syracuſani præſidium ei imponerent: ratus direptis templi opibus, nihil ad remp. utilitatis, ad ſe totius flagitii infamiam redundaturam.* Sed non minori religione Jupiter Eleutherius, ſive Liberator, in iſta urbe cultus fuit, cui & ſtatuam ad magnitudinem coloſſi erexerunt, & nummos plurimos facie ejusdem & nomine ſculptos & inſcriptos dedicarunt, expulſo tyranno Thraſybulo, uti de coloſſo teſtatur Diodorus Siculus lib. XI. cap. 72. *In Sicilia vero abrogato nuper Tyrannorum dominatu, & reſtituta per omnes urbes libertate, magna ad felicitatem incrementa fecit inſula univerſa. Dum enim in ſumma pace Siculi agrum colunt fertiliſſimum, brevi fructuum ubertas magnas illis opes accumulavit, terraque mancipiis, & pecoribus, omniquefelicitatis genere referta eſt. Magni enim ſubinde proventus accedebant, nihilque in bellorum uſus expendebatur. Sed paullo poſt rurſus in bella & ſeditiones inciderunt, cujus mali hæc fuit origo. Sublata Thraſybuli dominatione comitia agebant, in quibus de popularis gubernationis ratione conſilia tractantes, una omnes ſententia decreverant Jovi Liberatori ſtatuam ad coloſſi altitudinem adornare, & quotannis ſacra libertatis peragere, ſolennesque eo die ludos celebrare, quo profligato tyranno patriæ libertatem vindicaſſent. CCCC. præterea & quinquaginta tauros diis immolandos, & in commune civibus epulum impendendos voverant.* Nummi vero cum facie & inſcriptione Jovis Liberatoris plurimi exſtant apud Parutam noſtrum, præſertim Tab. Syrac. LXV. num. 75. 76. 78. &c. quales & nos quoque aliquot poſſidemus. Cum iſta vero facie inprimis convenit facies illa Jovis, quæ in hoc denario obſervatur, niſi quod corona capiti deſit, quod diſcrimen ſæpius in nummis adparet. Liberatoris quoque Jovis quam Olympii caput malo, quod Cæſarem tanquam Thraſybulum tyrannum conſiderantes conſules, Jovi fortaſſe Eleutherio vota fecerint pro felici rerum ſucceſſu & tyranni ejus atque reipublicæ perturbatoris excidio.

Diana Polymaſtos inſolitum in Syracuſanis & Siculis nummis eſt ſymbolum, nuſquam enim in univerſa Parutæ collectione invenitur. Potuit tamen, ut Græcum numen, in Græca urbe coli, & multa ſunt, quæ ſemel tantum in nummis, licet nuſquam reperiantur apud hiſtoriæ ſcriptores, occurrunt.

VII.

Meduſæ caput alatum inter tria crura cum totidem ſpicis, conſuetum Siciliæ ſymbolum.

LENT*ulus* MAR*cellus* CO*n*S*ules*. Statua coloſſea Jovis Liberatoris, dextra fulmen, læva aquilam tenentis. Sub aquila falx meſſoria exſtat apud Urſinum & Vaillantium, in Morelliano nummo abeſt.

Notiſſimum eſt Siciliæ ſymbolum, quod in priore hujus nummi parte proponitur. Tria crura tria ejus inſulæ denotant promontoria, Pelorum, Pachynum & Lilybæum; non vero recte extenduntur crura pedesque, ſed elevatum genu promontoriorum altitudinem demonſtrat, projecti pedes, eadem projicere ſeſe in mare longius atque extendere docent promontoria. Alæ quandoque calcibus trium iſtorum crurum adnecti ſolent in nummis Syracuſanis, cujus ſymboli rationem perſcrutati ſumus in Paruta noſtro pag. 304. Meduſæ caput, quod in medio trium crurum eſt, reſpicit originem Corinthiacam, ad quam ſignificandam ſæpius pegaſus in Syracuſanorum nummis cernitur, nonnunquam tamen Meduſæ etiam caput, ut apud Parutam Tab. XXXV. num. 27. ubi de ægide Palladis, Syracuſis eximie cultæ, capi quoque poteſt. Corinthiacam inde notat originem, quod fabulæ dicant ex cruore Meduſæ, quum a Perſeo ablatum virginis eſſet caput, pegaſum equum fuiſſe natum. Libenter illud in moneta ſua receperunt Syracuſani, atque in meditullio trium crurum poſuerunt, prudentia & conſilio res omnes geri debere docentes, atque urbem ſuam Siciliæ principem, ſicut caput in corpore, eſſe docentes. Imitati illud ſunt Panormitani, quorum plures cum hoc typo nummi apud Parutam inveniuntur, ut Tab. I. num. 4. 6. 8. 10. &c. Tres ſpicæ ſummam omnis Siciliæ fertilitatem denotant, quam meſſoria itidem falx ab altera parte exprimit in denario, quem Urſinus expreſſit, & illum ſecuti Patinus & Vaillantius. Non exſtitit vero in denario, quem depinxit Morellius, neque enim negligentia omiſſam fuiſſe falcem meus teſtatur, a quo itidem falcis figura abeſt.

Jovis Eleutherii ſive Liberatoris ab altera parte, ſtatua cernitur, coloſſea videlicet illa, quæ nummo quoque ſequenti & primo hujus tabellæ exprimitur, & cujus caput videtur num. VI. depingi. Ad Jovem enim Liberatorem revocare quoque videntur ſymbola illa, quæ (licet in genere Jovi cuivis communia) Liberatori adplicantur apud Parutam in nummis Syracuſan. Tab. LXV. num. 75. & 78. in quibus ab altera parte dei ejus caput eſt, ab altera fulmen & aquila ſeparatim expreſſa cernuntur.

VIII.

FAUSTUS. Caput Dianæ cum luna creſcente in capite; retro illud eſt lituus.

LENT*ulus* MAR*cellus* CO*n*S*ules*. Jovis Eleutherii typus idem, qui fuit in denariis ſuperioribus.

Signatus fuit hic denarius a Publio Cornelio Sulla Fauſto, dictatoris Lucii Cornelii Sullæ filio. Cooptatus fuit in collegium augurum Marcio & Marcellino coſſ. A. V. C. DCCXVII. quod indicat lituus, & teſtatur Dio lib. XXXIX. *Spinther conſul, filium ſuum Cornelium Spintherem inter pontifices referre cupiens, quum in eum ordinem jam ante Fauſtum, Sullæ filium, qui ex gente itidem Cornelia erat, adſcriptum videret, ſuum filium in Manlii Torquati genus adoptandum dedit.* Itaque eodem anno augures facti ſunt Fauſtus & Lentulus, hujus enim auguratus ad eundem annum refertur.

Ducta uxore Pompeja, Magni filia, præter privatum ex patre dictatore contra Cæſarem odium, ſoceri quoque cauſſa acceſſit, unde quum pluribus, poſt partes Pompejanorum in Africa profligatas, ignoviſſet pro clementia ſua Cæſar, huic hoſti nato parcere noluit, ſed dum cum Afranio in Hiſpanias transire parat, captum interfecit, ut eſt apud Hirtium de Bello Africano cap. XCV. *P. interim Sitius, pulſo exercitu Saburæ præfecti Jubæ, ipſoque interfecto, quum iter cum paucis per Mauritaniam ad Cæſarem faceret, forte incidit in Fauſtum, Afraniumque, qui eam manum habebant, qua Uticam diripuerant, iterque in Hiſpaniam tendebant, & erant numero circiter MD. itaque celeriter nocturno tempore, inſidiis diſpoſitis, eos prima*

luce adortus, præter paucos equites, qui ex primo agmine fugerant, reliquos aut interficit, aut in deditionem accipit; Afranium & Fauſtum vivos capit cum conjuge & liberis. Paucis poſt diebus, diſſenſione in exercitu orta, Fauſtus & Afranius interficiuntur. Pompejæ cum Fauſti liberis Cæſar incolumitatem ſuaque omnia conceſſit. Periiſſe vero extra voluntatem Cæſaris refert Suetonius in Vita Cæſaris cap. LXXV. *Neque ulli periiſſe niſi in prælio reperiuntur, exceptis duntaxat Afranio, & Fauſto, & L. Cæſare juvene. Ac ne hos quidem voluntate ipſius interemptos putant. Quorum tamen & Afranius & Fauſtus priores poſt impetratam veniam rebellaverant, & Cæſar, libertis ſervisque ejus ferro & igni crudelem in modum enectis, beſtias quoque ad munus populi comparatas contrucidaverat.*

Fauſtus itaque, partes Pompeji ſoceri & conſulum Lentuli & Marcelli ſecutus, denarium hunc & reliquos cum conſulum nominibus in Sicilia cudiſſe videtur, imo & illos, qui Tab. quinta num. III. & V. occurrunt; unde numina Sicula ſeu Syracuſana in hoc quoque ſunt denario Diana & Jupiter Liberator.

TAB. IV.

I.

RVFVS CO*n*S*ul*. *Quintus* POM*pejus* RV*fi* F*ilius*. Caput nudum Pompeji Rufi conſulis.

SVLLA CO*n*S*ul*. Caput L. Cornelii Sullæ conſulis & dictatoris nudum.

Ad hunc denarium hæc ſcribens Fulvius Urſinus: „ L. Cornelius Sulla (cujus effigies, in hujus tabellæ primo denario a Fauſto ejus filio, ut opinor, ſignata eſt) primum conſulatum geſſit cum Q. Pompejo Rufo, generi patre, anno MDCLXV. „ neſcio quo jure a Vaillantio notari potuit. Idem Vaill. ſignaſſe Pompejum Rufum filium, Sullæ & Pompeji Rufi nepotem, hunc denarium rectius ſcribit, ſed ſecure & præcipitanter nimis hæc addit pag. 356. „ Miror Urſinum in Cornelia gente Fauſtum dixiſſe hunc denarium ſignaſſe; non enim apud Romanos caput ſuum in denariis exhibere licebat, & nulli ante Julium Cæſarem hic honos a ſenatu decretus eſt. „ At vero non dixit Urſinus Fauſtum, Sullæ filium, ſuum proprium ſignaſſe vultum, ſed caput patris Sullæ. Hoc omnino licebat, prius non; &, ſi voluiſſet Fauſtus patris Sullæ caput ſignare, potuiſſet eodem jure, quo avi utriusque caput Pompejus Rufus. Erravit vero inſigniter Ericius, qui credidit in conſulatu Sullæ ipſius denarium cuſum fuiſſe.

De Pompejo Rufo, & tempore ſignati nummi, in gente Pompeja nobis ſermo erit, nunc enim de Corneliis agimus. L. Corn. Sullæ conſulis & dictatoris, uxores juxta Plutarchum quinque fuerunt, Ilia, adoleſcenti adhuc juncta, dein Ælia, Cœlia, Cæcilia Metella, & poſtremo Valeria, Meſſallæ filia, oratoris Hortenſii ſoror. Reliquit liberos Fauſtum & Fauſtam uno partu a Metella editos; & filiam quam poſt mortem ejus Valeria peperit & Poſthumam adpellavit. Fauſta Quinto Pompejo Rufo nupta primum fuit, ex quo Rufum illum ſuſtulit, qui hos nummos ſignavit, deinde C. Memmio, & tandem T. Annio Miloni, pro quo Cicero dixit. Impudica fuit femina, plures enim ſimul mœchos habebat; unde lepidum Fauſti fratris jocum refert Macrobius Saturnal. II, 2. *Fauſtus, Sullæ filius, cum ſoror ejus eodem tempore duos mœchos haberet, Fulvium Fullonis filium & Pompejum Maculam: Miror (inquit) ſororem meam habere maculam, quum fullonem habeat.* Neque ipſe moribus præſtitit, unde Ciceronis jocum locum dedit, in cujus Vita hæc narrat Plutarchus pag. 874. *Quum Fauſtus Sulla, magni illius dictatoris Sullæ filius, magnam bonorum partem decoxiſſet, & ære alieno preſſus bona quædam proſcripſiſſet, Hanc ſibi melius placere, quam paternam proſcriptionem, dixit.* Uxorem Fauſtus Sulla habuit Pompeji Magni filiam Pompejam. Pompejus ipſe olim Sullæ quoque privignam, Æmilii Scauri & Metellæ (quæ Sullæ erat conjux) filiam, repudiata Antiſtia, in torum receperat, cogente Sulla, qui Glabrioni marito prægnantem abduxerat, atque illa quidem penes Pompejum ex puerperio obiit, teſte Plutarcho in Vita Sullæ pag. 623. Pompejam illam, filiam ſuam, ipſe Pompejus quoque jam ante Fauſto Sullæ deſponſatam, promiſit Cæpioni, quod ipſe Juliam Cæſaris filiam, Cæpioni pactam, uxorem caperet, ut eſt in Pompeji Vita apud Plutarch. pag. 644. Ex Fauſto Sulla & Pompeja nata fuit Cornelia, nupta Æmilio, ex quibus nati, vir virtute & meritis illuſtris, Manius Æmilius Lepidus, & Æmilia Lepida, Auguſti Cæſaris nurus.

De Sulla dictatore diligenter omnia ſcripſit Plutarchus, apud quem vita hominis iracundi & crudelis, atque potentiſſimi & feliciſſimi in republica dominatoris, legi poteſt. Jungitur vero illi in denarii altera parte Quintus Pompejus Rufus, qui conſul fuit una cum L. Sulla A. V. C. DCLXV. & in ipſo magiſtratu occiſus eſt fraude Pompeji Strabonis, cui ſucceſſor miſſus erat. Filius, qui Fauſtam Sullæ filiam uxorem habuit, pariter periit alio tempore, vi illata a Sulpicianis ſatellitibus.

Litera A.

SVLLA CO*n*S*ul*. Caput nudum Sullæ conſulis ſive dictatoris.

BRVTVS. Caput Junii Bruti, primi conſulis, qui reges expulit.

Jure miretur quis, in eodem denario, Sullæ dictatoris, & Bruti illius antiqui, qui Tarquinios regno ejecit, capita ſignari. Unde hic nummis inter illos locum habere debet, qui, monetarii errore, diverſarum familiarum nummos permutata altera parte exhibent. Ea quoque ſententia fuit Caroli Patini, qui primus illum vulgavit in Theſauro ſuo pag. 39. hisce additis: „ In gente Cornelia reponat quislibet aut in gente Junia. Nummus indubitatæ antiquitatis, de quo nulla penitus fraudis ſuſpicio eſſe poteſt. Quo pacto & Cornelium SVLLAM & IVNium BRVTVM repræſentet, non facile eſt conjicere, niſi errore monetariorum id factum eſſe cenſeatur. Quænam enim potuit eſſe conjunctio inter duos viros, nulla affinitate conjunctos, moribusque ita diſcrepantes? Tempora non conveniunt, cum unus alio quatuor ſæculis prior vixerit. „ Docet id nos uberius ipſe Morellius, cujus verba ſunt ad Perizonium pag. 209. „ Occurrunt quandoque nummi, qui ab utraque parte genuini ſunt; ſed per errorem monetariorum duobus typis, vel duabus diverſis nummorum matricibus, ut Galli vocant, aliquando adhibitis, ex illarum conjunctione unus eſt conflatus, duas diverſas Familias falſo indicans, ex. gr. in Urſini prima editione pag. 98. caput Gentis Conſidiæ jungitur averſæ parti Gentis Flaminiæ, atque hanc ob cauſam Patinus hunc nummum, ut ſuſpectum, omiſit, quamvis poſtea in Theſauro ſuo Numismatum aliquot horum exempla

„ edi-

„ ediderit: sic & in Goltzio, alibique plura occurrunt, ac in Thesauro Schwartzburgico insignis est nummus cum aversa parte M. Antonii, conjuncta cum postica parte Gentis Pompejæ, quo haud obscure simul probari potest, nummos Pompejanos cusos fuisse illo tempore, quo pax simulata inter Sextum Pompejum & Triumviros sancita fuit. Interim ejusmodi nummi non alia continent mysteria, præter errores monetariorum, qui in nummis Consularibus frequenter accidere potuerunt. Nam infinitus prope numerus nummorum incusorum, & quidem per omnes Familias, nihil aliud nisi crebriorem typorum sive matricum tunc temporis mutationem arguit. „ Cusus itaque hic nummus videtur temporibus Marci Junii Bruti, caput enim Bruti primi consulis est, cui quum vellent monetarii jungere ab altera parte caput Servilii Ahalæ, per errorem matricem antiquiorem, quæ tum temporis adhuc superstes erat, arripuerunt, quæ quum Sullæ caput contineret, non inspecto nomine, pro capite Ahalæ Sullæ caput impresserunt. Ad tempora Pompeji Rufi, consulis Rufi filii, revocari non potest, neque enim tunc signabatur Bruti caput, quod a conjuratis demum factum est; id nisi obstaret, & si constaret aliquo propinquitatis nexu vel Pompejum Rufum Juniam attingere gentem, vel Juniam aliquo modo cum Cornelio Sulla communicare, pro monetali errore haberi non posset. Sed plura sunt exempla, & novissime in Thesauro Fridericiano pag. 229. denarium quoque protulit clariss. Liebius, qui ab altera parte præfert typum gentis Egnatiæ, ab altera gentis Aciliæ.

II.

RVFVS CO*n*S*ul*. *Quintus* POMPEI*us* *Quinti* *Filius*. Sella curulis inter sagittam & lauri ramusculum.

Quintus POMPEI*us* RVF*us*. SVLLA CO*n*S*ul*. Sella prætoria inter lituum & coronam sive lauream.

Idem Q. Pompejus Rufus, qui in primo hujus tabellæ denario vultus avorum consulum expressit, hic eorumdem honores proposuit.

Pars prior denarii tota ad Pompejum Rufum pertinet, & præturam ejus urbanam designat, sicuti spiculum & lauri ramus ad ludos Apollinares, quorum cura ad prætorem urbanum spectabat. In parte posteriori repetita eadem sella & hic honorem præturæ urbanæ Pompejo Rufo vindicare primo mihi adspectu videbatur, lituum enim & corollam ad auguratum dictatoris Sullæ ejusque victorias pertinere quivis videat. Nam cogitabam mecum, nisi sella illa curulis ad Rufum pertineat, non adscriberetur in imo ejusdem nomen, sicuti in parte priore non adscribitur nomen Sullæ, quoniam omnia symbola ibi ad solum Rufum pertinent; re tamen accuratius perpensa aliter mihi visum est, sicuti mox docebo, ubi suam Ursino laudem adseruero.

Ursinum reprehendit Vaillantius, de prætura Rufi alteram sellam interpretantem, alteram de prætura Sullæ (quam scilicet eum Vaillantius putat nunquam urbanam, sed peregrinam gessisse) pag. 356. qui ad Sullam quoque referens alteram sellam curulem, non ut prætorem sed consulem, scribit, in plurimis denariis ædilitatis & præturæ, imo & consulatus omnia quotidie symbola observari, quæ verba ea vi non pollent, ut me Ursinianæ sententiæ, vel lectionis mox proponendæ, pœniteat, imo insignem festinantis oscitantiam produnt. Scripserat Ursinus pag. 88. „ Ejusdem „ (Sullæ) prætura urbana, cujus meminit Plutarchus, in secundo denario notata est, adjecta in eo curuli sella, in qua prætores jus dicere soliti erant. „ Ad hæc Ursini verba respiciens Vaillantius ita scribere (juvat enim ipsa ejus referre verba) potuit. „ Hasce curules sellas in „ hoc denario expressas Ursinus, alteram in hac „ Cornelia gente ad Sullæ præturam, licet urbanam non gesserit, tamen refert; alteram vero „ ad Rufi consulis præturam in Pompeja gente „ revocat; cui sententiæ adstipulari non possumus, etiamsi sagitta & laurea, Apollinis insignia, Apollinares ludos in prætura Rufum edidisse denotent. Sed quid tum? nonne in plurimis denariis ædilitatis & præturæ, imo & consulatus omnia symbola simul quotidie observamus, quum Romani gesta in iis sua illustria consignare sint soliti? Quid enim lituus in Sullanis, nisi ejus auguratum denotat? quid laurea, „ nisi ejus victorias, ad consulatum aut præturam nihil spectantes, arguit? „ Pergit deinde. „ Ergo hic denarius ab eodem Q. Pompejo Rufo, Q. Pompeji Rufi junioris filio, percussus, „ ad revocandam avorum suorum in eodem consulatu collegarum memoriam, ut eorum capita in superiore, exhibuit. Nam si eorum præturam denotare voluisset, eos prætores & non „ consules nominasset, siquidem prætura consulatum præcedit, & oporteret illos præturam „ eodem tempore, ut consulatum, gessisse; quæ „ diversa admodum fuit, nam Sulla peregrinam „ gessit anno DCLX. Rufus vero urbanam anno „ DCLXII. „ Hactenus Vaillantius, qui si vel Plutarchum inspicere voluisset, statim urbanam quoque Sullæ præturam invenisset. Plutarchi verba, & multa satis de prætura ejus urbana & ipsa luce clariora sunt. Respexit enim Ursinus ad illa quæ leguntur in Vita Sullæ pag. 453. *Sulla porro bellicam gloriam sibi etiam in rebus civilibus suffecturam ratus, statim ut militaribus officiis defunctus est, populo se commisit: præturamque urbanam ambiens, repulsam tulit. Ipse multitudini culpam adscribit: cum enim amicitiam ipsius cum Boccho cognitam haberent, ratos ipsum, si ante præturam ædilitatem gereret, venationes splendidas, & bestiarum Africanarum spectacula exhibiturum: ideoque alios fecisse prætores, ut ipsum ædilitatem petere cogerent. sed videtur res ipsa ostendere Sullam repulsæ veram causam dissimulasse. Anno enim posteriore, multitudinem partim demerendo, partim pecunia corrumpendo sibi conciliata, præturam obtinuit. Itaque cum præturam gerens Cæsari minaretur, usurum se sua in illum potestate; ridens Cæsar: Recte, inquit, dicis tuam esse potestatem, emisti enim eam.* Notat deinde a prætura missum fuisse in Cappadociam ad reducendum Ariobarzanem, & Mithridatem reprimendum. Præturam itaque urbanam obtinuit A. V. C. DCLX. nam provincialem accepit anno DCLXI. atque illa sedulo quoque adnotaverat Pighius; verum in indice librorum ejus hæc Sullæ prætura urbana non exprimitur. Hinc illæ lacrymæ!

Superest conjectura mea de utriusque partis inscriptionibus, quas ego ita conjungi oportere judico, *Quintus* POMPEI*us* *Quinti* *Filius* RVFVS. Hic est ille Rufus qui denarios cudit, Rufi junioris & Faustæ filius, Rufi & Sullæ consulum nepos. Dein literas COS. in imo denarii retraho ad partem denarii alteram, & lego *Quintus* POMPEI*us* RUF*us* C*on*S*ul*. SULLA CO*n*S*ul*. Plus semel enim ostendimus in hoc opere, ita disjungi inscriptiones, ut pars, quæ adnecti debet, in aversa nummi parte locetur. Quod dicit Vaill. non consules debuisse inscribi sed præ-

tores Sullam & Rufum, ſi præturam eorundem innuere voluiſſet nepos, reſpondeo, conſulatum ex ordinariis maximum in republica libera fuiſſe magiſtratum, ideoque a potiori dignitate inſcribi; utrumque vero honorem in hoc denario exprimi, conſulatum per inſcriptionem, præturam per ſymbolum ſellæ curulis, neque opus eſt ut ſimul gesſerint eodem tempore præturam eandem, modo honore præturæ functus uterque fuerit.

III.

FAVSTVS. Caput Dianæ cum luna creſcente, retro auguratus ſignum lituus eſt, pro quo male arcus depingitur apud Begerum.

FELIX, pro quo vitio monetarii, ſicut & num. V. legitur FEELIX. Sullæ togato & in ſubſtructione ſedenti Bocchus Maurus, inberbis adhuc, ingeniculatus, olivæ ramum porrigit, ab altera parte in alterum genu prolapſus Jugurtha, bene barbatus & paludamento indutus, manus poſt terga revinctas habet, ut in triumpho ducendus.

Dianæ typus in Sicilia cuſos denarios docet, uti vidimus ad tabulæ præcedentis numerum VIII. lituus ad auguratum Fauſti pertinet, cujus nomen adſcribitur, ſicuti agnomen patris Sullæ ab altera denarii parte, ubi miræ ejus felicitatis exemplum depingitur. Abſurda enim prorſus Harduini eſt ſententia, ſcribentis ad Plinium tom. I. pag. 398. „ Hinc FAVSTVS inde FEE„ LIX hanc habet ſententiam: *Fecit Africam* „ *Vectigalem Senatui Ter Victor Sulla Feelix.* „ an ergo Africam vectigalem etiam ſenatui fecerunt conſules Lentulus & Marcellus? eodem enim jure, more Harduini, legere poſſum ſupra num. VIII. tab. præced. *Fecerunt Africam Vectigalem Senatui Ter Victores Summi* LENT*ulus* MAR*cellus* CO*n*S*ules*. Et hic & ibi idem Fauſtus intelligitur. FEELIX vero non ſcribitur per geminum E. ad majorem emphaſin, ſive ad diſtinguendum ab adjectivo nomine cognomen, ut dicit ibidem Harduinus, ſed ex culpa monetarii, in denariis enim Urſini, Morellii, Vaillantii, Begeri, & meis exſtat FELIX, pro quo in eo quem vidit Harduinus ſcriptura FEELIX incuriam monetarii oſtendit, ſicuti in gente Lollia lit. F. *Palianus* legitur, pro *Palicanus*, & LIBERTATS pro LIBERTATIS, uti recte eſt ibidem num. I.

De Felicis agnomine ad num. V. agemus. Typus vero hujus denarii illuſtris eſt, & metuendum illum Romanis hoſtem, atque artibus valentem Punicis ſimul & Romanis, Jugurtham vinctum & a Boccho ſocero proditum, depingit; Bocchus vero ipſe ſupplex pacem petit & populi Romani potentiam adorat. Hiſtoriam narrant Salluſtius in libro de Bello Jugurthino, Plutarchus, Florus, alii.

Typum denarii ex annulo Sullæ deſumſit Fauſtus; traditione enim iſta, & honore quem in Capitolio Romano ipſi habuerat Bocchus, mire elatus Sylla, inſculpta gemmæ rei geſtæ memoria, *traditione Jugurthæ* (ut dicit Plinius XXXVII. 1.) ſemper ſignavit; quæ res, & erepta Mario gloria, magnos illos viros commiſit, atque extremum, dum ipſi delirant, patriæ periculum creavit. Res nota eſt, tamen ad illuſtrandum nummum exemplis probanda. Scribit itaque Plutarchus in libello de Reip. Gerendæ Præceptis pag. 806. *Marius cum in Africa, ac rurſum in Galatia multa, opera Sullæ, feliciter geſſiſſet, progreſſus ejus ad gloriam ægre ferens, uti ipſo deſiit, planeque abjecit, ſigilli uſus præſcriptione. Etenim Sulla, cum eſſet Marii prætoris in Africa quæſtor, miſſus ab eo ad Bocchum, adduxit Jugurtham captivum, eumque ſucceſſum, utpote ambitioſus juvenis, & qui recens gloriæ guſtum percepiſſet, non tulit mediocriter: ſed imaginem rei in annulo inſculpens Jugurtham ſibi traditum, pro ſigillo geſtavit; idque ei vitio vertens Marius, hominem abjecit. At Sulla ad Catulum, Metellumque, viros bonos & Mario inimicos tranſiit, moxque Marium exegit ac dejecit civili bello, cum is fere Romam evertiſſet.* & in Vita Marii p. 411. *Bocchus rex Mauritaniæ ſocer erat Jugurthæ. Huic bellum gerenti nihil admodum opitulatus erat, infidelitatem ejus cauſatus, & incrementa timens: fugientem, ac vagantem, neceſſitateque eo compulſum, ut in ſocero ultimam ſpem reponeret, ideoque ad ſe profectum, magis verecundia ſupplicis, quam favore motus recepit, ſecumque habuit. Palam inde Mario ſe excuſare, & Jugurtham ſe non dediturum ei libere ſcribere: occulte proditionem contra hunc componere, & ad ſe vocare L. Sullam, Marii tum quæſtorem, ut à quo iſto in bello beneficiorum aliquid accepiſſet. Ubi Sulla fidem habens promiſſo venit, Bocchus ſententiam mutare, mutare inſtitutum, multosque dies ancipiti deliberatione teneri, traderetne Jugurtham, an Syllam quoque detineret. tandem proditionem primo cogitatam, ratam habuit, Sullæque Jugurtham vivum tradidit. Hoc primum fuit gravis iſtius & implacabilis inter Sullam & Marium diſſidii initium, quod parum abfuit quin Romam everteret. Multi enim, invidia Marii adducti, Syllæ Jugurtham captum adſcribebant: & ipſe Sylla traditum ſibi a Boccho Jugurtham in annulum ſuum inſculpſit, eoque ſigillo ſemper eſt uſus: ambitioſum hominem, & ſocii gloriæ impatientem, contentioſumque irritans Marium, ejus inimicorum præcipue inſtinctu: qui ut populi admirationem ſtudiaque in Marium tollerent, Metello primas maximasque belli ejus laudes, Sullæ finem adſcribebant.* In Vita etiam Sullæ ipſius pag. 452. *Cæterum diſcordia Sullæ cum Mario nova occaſione, quam Bocchi ambitio obtulit, excanduit: Is enim ut & populum Romanum demereretur, & Sullæ rem gratam faceret, imagines tropæum ferentes in Capitolio dedicavit: & juxta aureum Jugurtham Sullæ à ſe traditum. Irritatus graviter Marius, cum dejicere eas vellet, alii autem Syllam adjuvarent, & jam factionibus civitas eorum ſtudiis inflammaretur: bellum ſociale, quod diu gliſcens tum exarſit contra Romam, ſeditionem inhibuit.* Narrat eadem in Vita Marii pag. 424. *Ut vero Bocchus Numida, ſocius à Romanis appellatus, in Capitolio victorias tropæa geſtantes dedicavit, interque has imago fuit aurea Bocchi Jugurtham Sullæ tradentis: ira ſtudioque contendendi percitus, quaſi ſuorum factorum gloriam Sulla ad ſe traheret, dejicere vi ea donaria intendit, acriter quidem Sulla repugnante.* Quam gloriæ cupiditatem in Sulla taxavit quoque Valerius Maximus VIII. 14: 4. *L. autem Sulla, etſi ad neminem ſcriptorem animum direxit: tamen Jugurthæ à Boccho rege ad Marium perducti totam ſibi laudem tam cupide adſeruit, ut annulo, quo ſignatorio utebatur, inſculptam illam traditionem haberet; Et quantus poſtea! ne minimum quidem gloriæ veſtigium contemſit.*

IV.

TI*berius* CÆSAR IMP*erator* P*ater* P*atriæ*. Caput Tiberii nudum.

LA. FAVSTVS. D. C. BASSVS IIVIR. D*ecreto* D*ecurionum* P*oſuere*. Figura muliebris velata ſedens, dextra tenens pateram, læva haſtam.

Inter numiſmata imperatoris Tiberii iterum poſterior pars hujus nummi recenſetur Tab. XIII. num. 21. inter numiſmata ex ære minimo. Ibi vero literæ LA. quæ ſine diſtinctione in hac pictu-

pictura se invicem sequuntur, puncto intermedio separantur, ut L. A. discreta sint nomina. Potest itaque legi *Lucius Antistius* FAVSTVS, occurrit enim in inscriptionibus apud Gruterum pag. 241. inter tribules, qui pecuniam ad Vespasiani statuam contulerunt, illud quoque nomen scriptum. Fuerunt tamen & Antonii & Apponii Atii, Aurelii, aliique, qui Fausti cognomen tulerunt, ut ex antiquis lapidibus patet; Aquillii etiam occurrunt, ut L. Aquillius Faustus apud Reinesium pag. 803. & Fabrettum pag. 122.

HIC. EST. SEPVLTA.
PACILIA. SOSPITA PIA.
PROBA. BONIS. PROBATA.
SVMMA. QVAE.
VIXIT. FIDE. QVI. BENE. COGNO-
RVNT. COGNITAM.
BENE. EXISTVMANT. HAVE. ET.
VALE. QVAE.
OPTAS. EVENIANT. TIBI.
ET. TVIS.
L. AQVILLIVS. FAVSTVS. DE.
SVO. FECIT

Incertæ itaque familiæ hic est Faustus, & omnino nihil ad gentem Corneliam facit, intempestive interjectus, est enim vel libertini alicujus nomen, vel gentis, cujus nomen per primam alphabeti literam incipit.

De Basso duumviro res pariter incerta. Potest legi *Decimus Cæsius* vel *Cæsonius* BASSVS, & quocunque velis modo.

Uticæ cusus fuit nummus, & statuam habet Liviæ, matris Tiberii. De Uticæ coloniæ nummis vide Vaill. in extremo Tiberii.

V.

FEELIX. Caput Bocchi, regis Mauritaniæ, sine barba, lanugine circa genas prorumpente; caput diademate ornatur, & leonina humeris circumjecta unguibus ad guttur connectitur.

FAVSTVS. Diana in citis bigis, dextra tenens flagellum, quod figura litui male exprimitur in pictura Morelliana, ut & corollæ in Harduiniana; adest in Morell. luna crescens cum tribus stellis, alii quatuor sine luna ponunt.

Harduinus quidem hunc nummum depingens ad Plinii tom. I. pag. 398. illi eandem, quam supra num. III. adhibuit, dat interpretationem. Scribit vero FEELIX per geminum E. ut Morellius in hoc nummo quoque, at Ursinus & illum secuti per unum & simplex efferunt.

Felicis cognomen ab hostibus expressum, ab adulatoribus laudatum, cupide recepit Sulla, videbatur enim invidiam, quæ virtutis comes esse solet, cognomine illo amoliri posse. Patet id ex Plutarcho in lib. de sui laude &c. pag. 318. *Sulla quoque invidiam amolitus est, identidem Fortunæ mentionem faciens, & ad extremum Venusti cognomen sibi sumens. Malunt enim homines fortunæ quam virtutis laudem aliis concedere: quod illius dona bonum alienum, hujus defectum a seipsis proficisci existimant.* Uberius idem docet in Vita Sullæ pag. 452. *Sulla autem multis præclare gestis rebus, apud cives magni, apud socios maximi, apud hostes fortunatissimi imperatoris nomen invenit. Verum hoc non eo modo, quo Timotheus Cononis F. tulit. Is cum ab inimicis suis victorias, ab ipso partas, fortunæ adscribi (pingebant enim eum etiam dormientem, fortunamque interim urbes reti ipsius implicantem) morositate quadam adductus graviter ferret, quasi gloria actionum suarum ab iis spoliaretur: aliquando ad populum ex bello reversus dixit, Rei à se gestæ nullam partem fortunæ imputandam esse. Atque ambitione Timothei irritatam fortunam effecisse ajunt, ut is in posterum nullum insigne facinus ederet: sed omni successu destitutus, in offensas populi incideret, adque extremum patria excideret. At Sulla fortunatum se dici, fortunæque causa in admiratione hominum esse non modo delectatus est, sed & auxit eam opinionem, omnia fortunæ accepta referendo: sive ita se jactans, sive ita potius de fortuna sentiens. Nam & in commentariis scriptum reliquit, res, quas non ex consilio suo gessisset, sed subito occasione data aggressus fuisset, melius sibi cecidisse, quam eas de quibus probe consilia iniisse videretur. Jam cum dicit magis ad fortunam quam ad bellum se natum fuisse, videtur sane plus fortunæ quam virtuti tribuisse. Et omnino omnia sua ei deæ videtur tribuisse: quando & concordiam suam cum Metello, ejusdem dignitatis viro, & suo socero, prosperitatem quandam divinitus oblatam agnoscit.* Ob hanc eandem felicitatem se tanquam Veneris jactavit nepotulum; cui videlicet nunquam in alea atque lusu humanæ vitæ (illam enim esse dicit *quasi quum ludas tesseris* Terentius, in Adelph. IV. 7. 22.) damnosi canes, sed felix semper & lucrosa cecidisset Venus; sic enim jactus felicissimus ab aleatoribus adpellabatur; quem jactum in Apophoretis sive lib. XIV. ep. 14. sub talis eboreis ita describit Martialis,

Cum steterit nullus vultu tibi talus eodem,
Munera me dices magna dedisse tibi.

Non itaque a forma corporis sed perpetua felicitate Epaphroditi quoque nomen adsumsit; atque ad hanc felicitatem quum gemellorum ex uxore Metella partus accessisset, filium Faustum, Faustam filiam dixit, quæ illorum nomina fuere propria, quum Felix & Epaphroditus agnomina Sullæ fuerint. Testatur illa Plutarchus in Vita Sullæ pag. 473. *Omnibus confectis, rerum gestarum rationes in foro edens, haud minori diligentia fortunæ quam virtutis opera recensuit: & ad extremum ob tam prosperos eventus Felicem se cognominari jussit; Græcis scribens, aut responsa dans, Epaphroditum se (Veneri charum, & quasi Venustum) adpellavit: estque ita in tropæis ejus scriptum apud nos: L. Cornelius Sulla Epaphroditus. Et cum Metella gemellos peperisset, masculo Faustum, femellæ Faustam nomen fecit.* Cui felicitati tantum eundem confisum fuisse addit, ut, post tot cædes & rapinas rerumque subversiones, dictatura abdicare se sustinuerit & privatus obambulare. Hinc recte exclamat Appianus lib. I. Bell. Civ. pag. 416. Εὐτυχέστατος δ᾽ ἀνδρῶν ἔς τε τὸ τέλος αὐτὸ, καὶ ἐς τἄλλα πάντα, ὥσπερ καὶ ὠνομάζετο, γενέσθαι δοκῶν· εἰ δή τις εὐτυχίαν ἡγοῖτο τυχεῖν ὅσων ἂν ἐθέλοι. *Vir perpetuo juxta suum cognomen felix, si felicitas dicenda est, posse quidquid velis.* Unde merito in Sulla illud exagitavit Plinius Hist. Nat. lib. VII. cap. 44. *Unus hominum ad hoc ævi, Felicis sibi cognomen asseruit L. Sulla, civili nempe sanguine, ac patriæ oppugnatione adoptatum. Et quibus felicitatis inductus argumentis? quod proscribere tot millia civium ac trucidare potuisset. O prava interpretatio, & futuro tempore infelix! Non melioris sortis tunc fuere percuntes, quorum miseremur hodie, cum Sullam nemo non oderit? Age, non exitus vitæ ejus omnium proscriptorum ab illo calamitate crudelior fuit, erodente seipso corpore, & supplicia sibi gignente? Quod ut dissimulaverit, & supremo somnio ejus (cui immortuus quodammodo est) credamus, ab uno illo in-*

 vidiam

vidiam gloria victam: hoc tamen nempe felicitati suæ defuisse confessus est, quod Capitolium non dedicavisset. Namque *Capitolii curam* (teste Tacito Hist. III. 72.) *victor Sulla suscepit, neque tamen dedicavit: hoc solum felicitati ejus negatum.* Catulus enim dedicavit post obitum Sullæ.

Litera B.

Caput Veneris, in area ante faciem globus terrarum est.

Ab altera quoque parte nulla adest inscriptio, sed cernitur figura virilis in gramine recubans, ad quam ex adverso monticulis seu potius nubibus insidens Diana sive Luna e cœlo descendit, comite Victoria, quæ dextra palmam gerens figuræ recubanti ad latus adstat.

Similis huic denario alter est cum eodem plane typo tab. III. num. 3. sed ubi pro globo terrarum adscribitur *Lucius* BVCA. ut clarum sit unum atque eundem triumvirum monetalem utrumque signasse denarium. Variant de sensu ejus interpretes. Ad Endymionis somnium quidam, alii ad Anchisæ cum Venere concubitum retulerunt. Verum dea non Venus sed Diana est, & altera figura non virgam habet soporiferam sed palmæ ramum, & alis, ut Victoria, instructa est. Tristanus itaque, Morellius, & ex illis Vaillantius, ad gentem Corneliam retulerunt & ad Sullæ somnium, quod, minus congrue, in Africa obtigisse illi putabat Morellius in Specimine suo pag. 236. „ Ursinus in Familia Æmilia pag. „ 13. & in Julia pag. 124. hunc nummum exhi- „ bet, illumque Juliæ gentis a Venere ductam „ originem indicare existimat: quod miror, quum „ ipse in gente Cornelia somnium Sullæ narret. „ Videtur cusus eo tempore quo plurimi nummi „ fuerunt percussi, a Fausto Felice, in patris L. „ Corn. Sullæ memoriam, cujus partibus L. Æ- „ milius Buca fuit addictus. Utraque pars num- „ mi spectat ad Sullam. Caput Veneris in me- „ moriam revocat ejus libidinem, de qua Plutar- „ chus in Vita fol. 476. & quod *Epaphroditus*, id est „ *Veneri gratus*, vocari voluerit, hocque nomen „ tropæis suis inscribi jusserit, juxta eundem fol. „ 473. Aversa vero pars somnium depingit Sul- „ læ, quod Plutarchus fol. 457. ita narrat, ex „ interpr. Xylandri: *Dicitur etiam Sullæ in somniis „ se obtulisse Dea, quam ex disciplina Cappadocum „ Romani colunt, sive ea Luna, sive Minerva, si- „ ve Bellona sit. Hæc Sullæ visa est assistere, „ & fulmen tradere, jussisseque singulis nominatis „ inimicis ejus ferire. Illi icti concidere atque e me- „ dio dilabi. Hoc ostento erectus, narrat id postri- „ die collegæ, ac Romam pergit.* Videmus in num- „ mo Sullam dormientem, Deam Lunam, quam „ crescens luna in capite prodit, Victoriam pal- „ mam Sullæ offerentem. Literæ, quæ in imo „ conspiciuntur, Punicæ videntur, (nam hæc „ omnia in Africa contigerunt) rem procul du- „ bio denotantes quam nummus signat. „ Extremitates scilicet graminis, in quo dormiens recubat figura virilis, pro literis Punicis acceperat. Verum quum hæc interpretatio jure merito non placuisset Perizonio, quocum literarum crebrum cum Morellio commercium fuit, in hanc sententiam rescripsit idem Morellius lib. de Num. Cons. pag. 162. „ Quæ in Specimine meo de „ somnio Sullæ in tertium nummum Tabulæ „ III. hujus Gentis commentatus sum, Tibi, Vir „ Doctissime, non placent, nec vides, quomodo „ referri possint ad Sullam, quum ille Æmilius „ Buca IIII Vir fuerit sub Cæsare jam Dictato- „ re, eumque in ipsis nummis expresserit, nec „ ausus fuisset Sullæ memoriam & decora reno- „ vare suis in nummis sub Cæsare, qui inimicissi- „ mum expertus est Dictatorem Sullam, & ipsum „ Faustum Sullam utique interemit. Probabilia „ quidem hæc sunt, sed incerti sumus, an L. „ BVCA, qui nummum dedit, idem sit cum L. „ AEMILIO BVCA IIII Viro: hæc ergo op- „ positio ad sententiam mutandam non sufficit: „ figuræ in nummo conspicuæ, & nummi Gen- „ tis Corneliæ per omnia conveniunt cum rela- „ tione Plutarchi, ut in explicatione hujus num- „ mi somniasse vix accusari merear. Ab amico „ etiam ad me relatum fuit, Virum quendam ce- „ leberrimum atque doctissimum, & quidem ma- „ ximi moduli, (ut termino artis jocari liceat) „ tres illas figuras interpretari de Somniis Endy- „ mionis. Quamvis vero palmam de Somniis „ nemini invideam, huic tamen opinioni me ac- „ cedere non posse, palam profiteor. „ Sed docte & argute respondit Perizonius, multo potiore jure ad Julii Cæsaris felicitatem referri posse, sub quo videlicet L. Buca quatuorvir monetalis fuit. Verba ejus exstant ibidem pag. 233. „ Quæ vir „ optimus in Specimine suo pag. 236. 237. ad „ Æmiliæ Gentis Nummum Tertium Tabulæ „ III. apud Ursinum, notavit, fateor lubens mi- „ hi non probari. Interpretatur eum, ab L. Bu- „ ca cusum, de somnio quodam Sullæ, quod Plu- „ tarchus retulerit. Et sequitur hanc interpreta- „ tionem Vallantius, nec tamen Morellium, qui „ jam multis annis ante se in isto Specimine eam „ vulgaverat, in ea repetenda nominat. At mi- „ hi ratio dissentiendi fuit, quod L. Æmilium „ Bucam non reperimus in Nummis, nisi tem- „ pore Cæsaris Dictatoris, sub quo ille IIII Vir „ Monetalis fuit. Jam sub Cæsare, maximo Sul- „ læ inimico, minime videtur probabile, hunc „ hominem, qui ceteroqui Cæsaris ipsius titulos „ & decora in nummis exprimit, voluisse glo- „ riosum quoddam Sullæ somnium per publicos „ nummos ad memoriam posteritatis propagare. „ Sed ait Vir Doctus, incertum esse, utrum hic „ L. Buca idem sit, qui ille Cæsarianus. At ma- „ net probabile eundem esse, quamdiu non re- „ peritur ac ostenditur alius Monetalis, ejusdem „ plane nominis. Deinde vero nullum prorsus „ Sullæ vestigium præfert hic Nummus, nisi quod „ ex incerta hac interpretatione oritur, quæ ali- „ quanto speciosior foret, si ullo pateret indicio, „ hunc nummum ad Sullam pertinere. Deni- „ que haud satis congruit hic nummus narrato „ apud Plutarchum Sullæ somnio. Nam de- „ buisset ex eo, *fulmen* tradi dormienti, quo ini- „ micos obtereret, quod tamen nusquam hic con- „ spicitur. Fateor tamen, me certius aut specio- „ sius nihil habere, quum nulla nos inscriptio „ nummi adjuvet. Patinus refert eum ad An- „ chisen, cum quo concubuit Venus. Sed quum „ Morellius & Vallantius in nummo exhibeant „ non Venerem, sed Deam Lunam, ac dein Vi- „ ctoriam cum palma, non video qua ratione „ hæc ad illum referri possint. Crediderim po- „ tius, Cæsarem ipsum hic exhiberi, æque ac „ olim pictores Timotheum Athenis pinxerunt, „ dormientem, cui dea, noctis præses, Victo- „ riam submiserit, & in perpetuum dederit, ut „ ita continuæ Cæsaris victoriæ isthoc emblema- „ te denotentur. „

Perizonii rationibus addi potest globus terrarum in hoc denario, qui Cæsari multo magis quam

Sullæ convenit, unde in variis familiarum nummis cum respectu ad Cæsaris potentiam exprimitur, uti patere potest consulenti nummos Julii Cæsaris Tomo II. Tab. I. num. 2. 5. 12. 31. 38. Tab. IV. num. 32. 36. 37. Tab. V. num. 5. 6. 18. &c. In cujus nummis Victoriæ quoque imago sæpius observatur; Veneris autem caput ob divinam originem familiare est. Et cur non felicitas Cæsaris in nummo quoque celebretur, quæ tanta fuit, ut vota etiam præveneri t? Lucan. lib. V. versu 579. ita loquentem inducit ad turbatum navitam.

> —— —— *Italiam, si cœlo auctore recusas,*
> *Me pete. Sola tibi caussa est hæc justa timoris,*
> *Vectorem non nosse tuum: quem numina nunquam*
> *Destituunt: de quo male tunc Fortuna meretur,*
> *Quum post vota venit.*

Cæsarem enim & fortunam Cæsaris vehebat. Traditio vero illa insperata universæ classis Cassianæ nonne in dormientis quasi sinum congesta fuit? Audiamus Appianum lib. II. de Bell. Civ. pag. 482. *Tertia vero die profectus est versus Orientem, quo Pompejum fugam intendisse didicerat: eo in itinere ob triremium inopiam modicis navigiis Hellespontum trajicienti, in medio freto Cassius cum parte triremium supervenit ad Pharnacem properans: cumque posset tot triremibus hostem longe navibus imparem opprimere, horrenda Cæsaris felicitate attonitus, ratusque illum contra se navigare de industria, manus supplices e triremi tendens orabat veniam, moxque classem ei dedidit. Tantum poterat Cæsarianæ felicitatis opinio! Nec enim aliam causam facti video: nec puto præsentiorem fortunam unquam illum expertum in rebus dubiis, quam cum Cassius, vir bellicosus, cum LXX. triremibus in imparatum fortuito incidens, ne tentare quidem pugnam ausus est: & tamen hic, qui turpi metu obiter se dedidit trajicienti, post in urbe jam rerum potentem occidit: quo magis apparet tunc eum territum cessisse fortunæ extollenti Cæsarem.* Imo sic in nummo Goltziano, magni ad hanc conjecturam momenti, si de genuinitate constaret, recubanti super armorum struem Cæsari, in togæ, quem ipse expandit, sinum, lauream defert superne devolans aquila. Depingitur ille nummus Tom. II. inter Cæsaris Numism. tab. VIII. num. 15.

Memini me aliter sensisse, Vaillantio adhærentem, in gentis Æmiliæ nummo p. 13. tab. III. num. 3. sed quoniam has notas interea scribimus dum prelum fervet, dies diem docet, & mutare sententiam, ubi clarior lux adfulserit, nunquam pigebit; præsertim ubi conjecturis est agendum.

VI.

Lucius MANLI*us* PRO *Quæstore*. Caput Romæ galeatum.

Lucius Sulla IMP*erator*. Sulla, stans in quadrigis triumphalibus, dextra caduceum gerit, advolat superne Victoria cum corolla.

Denarius hic triumphi celeberrimi Sullani de Asia & rege Mithridate memoriam servans, nihil habet difficultatis. Triumphum in Vita Sullæ describit Plutarchus; & quoniam ipse per dictaturam suam videri volebat pacem populo Romano reddidisse, caduceum manu tenet, non scipionem eburneum. De L. Manlio proquæstore ejus in gente Manlia agendum erit.

VII.

Lucius SVLLA. Caput Veneris, cui ex adverso adstat Cupido nudus, dextra longum palmæ ramum tenens.

IMPER*ator* ITERVM. Guttus & lituus, auguratus insignia, ponuntur inter duo tropæa.

Extra urbem cusus est insignis hic denarius, videlicet in Græcia, & quidem (ut recte monet Vaillantius) in Peloponneso, opera Luculli. Quod quidem divinare nemo posset, nisi de Lucullo ipse testaretur Plutarchus in initio Vitæ ejusdem pag. 492. quem locum, quamvis & Vaillantius adduxerit, repetere tamen necesse est, quoniam ad intelligentiam historiæ maxime facit. *Bello Marsico juvenis audacter multa prudenterque egit: gravitatem tamen ejus magis, mansuetudinemque amplexus Sulla, ejusque opera nunquam non est arduis in rebus usus: sicut etiam in cudendo numismate. Maximam enim ejus numismatis partem, quod ad bellum Mithridaticum est in Peloponneso factum Lucullus signavit, a quo Lucullea est dicta, diuque duravit in bello, ex usu militari cito permutata.*

Cudit itaque hos denarios in belli Mithridatici usum L. Licinius Lucullus, quæstor provincialis Sullæ consulis bellum in Asia & Græcia contra Mithridatem gerentis, A. V. C. DCLXV. & postea, succedente sibi M. Terentio Varrone Lucullo fratre, legato pro quæstore apud eundem Sullam remanenti. Unde videntur cusi hi denarii A. V. C. DCLXVI. quum illustres duas victorias de exercitu Mithridatis nactus Sulla iterum imperator a suis salutatus fuit.

Refert hasce victorias, adeoque duo hæc tropæa Vaillantius ad pugnas ad Chæronæam contra Archelaum, & ad Orchomenum contra Archelaum eundem & Dorylaum Mithridatis regis duces. Verba ejus p. 353. hæc sunt: „ Sulla in Græciam „ profectus, primo ingenti prælio Archelaum, „ regis Mithridatis ducem, ad Chæronæam pro- „ fligavit, unde imperator ab exercitu adpella- „ tus, tropæum eo loco, qui Thurium dicitur, „ erexit. Deinde contra Dorylaum, Mithridatis „ novum ducem Archelao conjunctum, ad Or- „ chomenum oppidum, feliciter pugnavit, ipsius „ exercitu plane deleto, castrisque exutis, eo loco „ alterum tropæum, imperator iterum adpellatus, „ posuit, unde duo in denario tropæa. „ Hæc ille. Quæ si cum Plutarchi verbis componamus (ex illo enim historia haurienda est) inveniemus primum tropæum erectum fuisse de pugna ad Chæronæam in planicie, secundum vero in vertice Thurii de barbaris ibi circumventis; & per consequens tertium ad Orchomenum, utroque ibi duce cum exercitu Mithridatis devicto. Plutarchi enim verba hæc sunt in Vita Sullæ pag. 464. *Sulla de suis quatuordecim modo desideratos a se fuisse scribit: atque ex his duos sub vesperam rediisse. Idcirco tropæis inscripsit Martem, Fortunam, & Venerem, fassus ad victoriam non minus prosperam sibi fortunam, quam peritiam & vires conduxisse. Id tropæum de campestri pugna statuit, postquam primum Archelaus usque ad Molum amnem recessit. Alterum est tropæum in Thurii vertice positum de circundatis ibi barbaris, quod Græcis literis Homoloicho & Anaxidamo primam ejus facti laudem tribuit. De hac victoria Thebis edidit certamina, scena apud fontem Oedipodis extructa; judices certaminum ex aliis Græciæ urbibus convocavit.* Ex his clarissime adparet, bis tropæa a Sulla de victoriis contra Archelaum fuisse erecta, & tropæis prioribus, in campestribus Chæroneæ erectis, inscripta fuisse Martis, Fortunæ, & Veneris nomina, posterioribus vero, Homoloichi & Anaxidami nomina; quod Chæronensium istorum hominum opera præsidium a Thurio monte dejecisset. Victoria autem illa ad Thurium montem præcesserat victoriam ad Chæroneam.

neam. Per invios enim montium colles Chæronenses illi duo, acceptis a Sulla militibus cum præfecto Romano Hircio, barbaros adgressi loco opportunissimo depulerant, qui fugientes partim a Murena, Sullæ legato, sunt interfecti, partim ad castra Archelai ad Chæroneam confugientes omnia tanta impierunt trepidatione, ut usus illa opportunitate Sulla, imperatoriarum artium gnarus, universam Archelai pepulerit atque devicerit aciem.

Hinc itaque duo tropæa in hoc denario, hinc caput Veneris in parte priore, cujus deæ nomen uni ex tropæis in campis Chæronensibus inscripserat. Si tamen aliquis duo hæc tropæa malit capere de victoria ad Orchomenum quæ tempore posterior fuit, & ad Chæroneam, quoniam uno eodemque tempore accidit montis Thurii occupatio & victoria Chæronensis, quæ consummatio illius in monte Thurio fuit, is sciat tunc potius tria tropæa insculpturum denariis fuisse Sullam, ut fecit in annulo suo, prout testatur Dio Cassius lib. XLII. pag. ed. H. Steph. 218. ubi scribit, non credidisse Romanos rumori de Pompeji in campis Pharsalicis clade & nece in Ægypto, antequam Romam missus fuisset ejusdem annulus, ἐνεγέγλυπτο δὲ ἐν αὐτῷ τρόπαια τρία, ὥσπερ καὶ ἐν τῷ τοῦ Σύλλου. *Erant enim in illo tropæa tria insculpta, sicuti in annulo Sullæ.* Sullæ autem annulus tria habens tropæa, victorias de Mithridate (ut hoste Romanorum) tres, ad Thurium montem, in campis Chæronensibus, & ad Orchomenum celebravit, & fuisse satis magnum temporis intervallum inter pugnas Chæronensem & Orchomeniam, quo denarii in honorem prioris victoriæ duplicis cudi possent, ostendit Plutarchus, dum interea temporis de ista victoria ludos illum Thebis edidisse scribit, & audito consulem contrariæ factionis Flaccum fuisse designatum, in Thessaliam contendisse, verbo quidem ut oppugnaret Mithridatem, re, ut Flacco occurreret; quum demum nuncius adferretur, a tergo omnia a novis Mithridatis copiis vastari, quibus occurrere coactus, præclaram illam ad Orchomenum victoriam retulit. Ita enim Plutarchus in seqq. de hac victoria: *Implacabili enim ira Thebanos prosequebatur: agrique eis partem dimidiam ademptam Pythio & Olympio diis consecravit, ex reditibus persolvi eam pecuniam jubens, quam ipse abstulerat. Secundum hæc cum Flaccum contrariæ factionis consulem creatum audiret, cum exercitu Ionium mare transmittere in Thessaliam contendit: verbo quidem adversus Mithridatem, re ipsa, ut Flacco occurreret. Cum ad Meliteam pervenisset, undique multi nuncii adlati sunt, à tergo omnia vastari ab exercitu regio, qui non minor esset priore.*

Guttus seu præfericulum & lituus auguratum Sullæ denotant.

VIII.

Senatus Consulto. Caput Veneris Victricis, lauro coronatæ, pone tergum sceptrum est.

Monogramma, cujus literæ connexæ FAVSTVS videntur legi debere; legi etiam posset ANTESTIVS, sed historiæ ejus temporis prius nomen magis convenit. Exprimuntur tria tropæa cum lituo & præfericulo a lateribus.

Faustus, Sullæ dictatoris filius, Pompeji Magni gener fuit, ut supra a nobis dictum est. Patris idem demortui memoriam celebravit in illis denariis, quos num. III. & V. jam explicavimus; in hisce soceri sui etiamnum viventis tropæa & triumphos celebrat, qui quoniam ex senatusconsulto Pompejo obtigerant, hinc adduntur illud significantes literæ S. C. a parte priore.

In parte priore Veneris Victricis caput exhibetur propter ædem, quam illi deæ in theatro suo Pompejus exstruxerat. Dedicavit Pompejus templum Veneris Victricis altero consulatu suo, ut refert Plinius VIII. 7. Theatro suo conjunctum fuisse docet Ovid. Trist. III. 1:69.

Altera templa peto, vicino juncta theatro:
Hæc quoque erant pedibus non adeunda meis.

Rationem ejus rei reddit Tertullianus cap. X. De Spectaculis: *Veritus quandoque memoriæ suæ censoriam animadversionem, Veneris ædem superposuit, & ad dedicationem edicto populum vocans, non theatrum, sed Veneris templum nuncupavit; cui subjecimus, inquit, gradus spectaculorum.* Somnium, quod Pompejo obtigisse nocte ante pugnam Pharsalicam refert in Vita ejus Plutarchus pag. 655. huc quoque facit. Τῆς δὲ νυκτὸς ἔδοξε κατὰ τοὺς ὕπνους Πομπήϊος, εἰς τὸ θέατρον εἰσιόντος αὐτοῦ, κροτεῖν τὸν δῆμον, αὐτὸς δὲ κοσμεῖν ἱερὸν Ἀφροδίτης Νικηφόρου πολλοῖς λαφύροις. Καὶ τὰ μὲν ἐθάῤῥει, τὰ δὲ ὑπέθραττεν αὐτὸν ἡ ὄψις, δεδοικότα μὴ τῷ γένει τῷ Καίσαρος εἰς Ἀφροδίτην ἀνήκοντι δόξα καὶ λαμπρότης ἀπ' αὐτοῦ γένηται. Id est, *Nocte visum Pompejo est in somnis, theatrum ingresso, sibi populum plaudere, templumque se Veneris Victricis multis spoliis exornare. Hæc visio partim erexit eum, partim solicitavit nonnihil metuentem ne Cæsaris familiæ Venerem contingenti accederet a se decus & claritas.* Tria vero tropæa (quæ ex Dione ad num. VII. docuimus annulo quoque ejus insculpta fuisse) nobilissimos illos ex tribus terrarum partibus triumphos designant, quæ felicitas nulli ante illum obtigerat, quum plures ter triumphassent, de tribus vero terrarum partibus triumphum duxisset nemo. Multa ejus rei mentio apud veteres, magnifica etiam descriptio apud Plutarchum in Vita Pompeji, qui solemnitatem istam hisce claudit pag. 643. *Id vero plurimum ad gloriam fecit, quod & nulli ante Romanorum contigerat, quod tertium triumphum ex tertia orbis terrarum parte duxit. Quippe ante ipsum quoque inventi sunt, qui ter triumpharent: sed Pompejus, qui primum ex Africa, secundum ex Europa, tertium ex Asia adtulisset triumphum, de toto orbe terrarum quodammodo videbatur triumphasse.*

Lituus & præfericulum ad Fausti auguratum pertinent, qui, licet denarii typus maxime ad socerum Pompejum spectet, tamen utraque ejusdem parte respicere quoque ad avum Sullam potuit, qui eadem trium tropæorum signatura usus fuit, & Veneri, ut adjutrici ad victoriam, donum cum inscriptione misit. Utrumque memorat Appianus lib. I. de Bellis Civilib. pag. 411. Ἔπεμψε δὲ καὶ στέφανον χρύσεον καὶ πέλεκυν, ἐπιγράψας τάδε,

Τόνδε σοι αὐτοκράτωρ Σύλλας ἀνέθηκ' Ἀφροδίτη,
Ὥς εἶδον κατ' ὄνειρον ἀνὰ στρατιὴν διέπουσαν
Τεύχεσι τοῖς Ἄρεος μαρναμένην ἔνοπλον.

Id est:

Misit coronam auream & securim cum hac inscriptione:

Hanc tibi sancta Venus posuit Sulla induperator,
Quandoquidem in somnis te vidit in agmine primo
Hortantemque suos, & Martia tela moventem.

TAB.

TAB. V.

I. *&* *Litera* A.

Senatus Consulto. (In altero additur monogrammate expressum FAUSTUS.) Caput inberbe, in exuviis leonis.

Quatuor corollæ sive laureæ globum terrarum ambientes, in imo hinc acrostolium inde spica frumenti cernitur.

Gloriosus admodum horum denariorum est typus; quatuor enim coronæ (ut recte Vaillantius docuit) non ad Sullæ res gestas, sed ad Pompeji Magni laudes pertinent, & celebrant ejusdem tres insignes ex Africa, Asia, & Europa triumphos, quibus quarta additur laurea ob decus ex piratico bello adeptum; *Piratæ* enim (ut scribit Eutropius VI. 10.) *omnia maria infestabant, ita ut Romanis, toto orbe victoribus, sola navigatio tuta non esset.* Hinc acrostolium, præfectum eundem Pompejum classis & oræ maritimæ designat; spica frumenti autem, docet pulsis toto mari piratis abundantiam frugum, quas antea ibidem piratæ intercipere solebant. Orbis terrarum, hisce beneficiis a Pompejo adfectus, in medio locatur.

Caput illud, quod in leonis cernitur exuviis, sine dubio Alexandri Magni est. Conferenti enim mihi nummum primum, qui eximie conservatus in nostro museo invenitur, facies respondere visa est præstantioribus numismatis Græcis, in quibus Alexandri Magni effigies exprimitur. Signavit vero Faustus in soceri sui Pompeji Magni gratiam Alexandrum Magnum, quod & ætate adhuc juvenili videretur Alexandro non absimilis esse, & ipse ætate crescente æmulari facta ejusdem statuerit, & denique non minor orientis illo domitore visus sit, qui præter Asiam & Europam de Africa quoque triumphum duxerat. Narrat in vita ejus Plutarch. pag. 619. a quibusdam illum Alexandri nomine vocatum fuisse, & ipsum id nomen non subterfugisse. *Ab initio vultus quoque haud parum ei ad conciliandos multitudinis animos adjumenti adtulit, voci viam struens: erat enim adspectus amabilis & blandus, sed qui aliquid tamen haberet majestatis, & in florente ætate statim indoles veneranda & regius animus elucebant. Tum coma leniter rejecta, oculorumque faciles motus atque conversiones faciei similitudinem cum Alexandri regis effigie quandam verbis magis quam re adparentem efficiebant: ita ut ne Alexandri quidem adpellationem ab initio fugerit Pompejus, sed quidam per jocum eum palam Alexandrum nominarint. Itaque L. Philippus, vir consularis, Pompejo patrocinans, nihil se alienum ratione facere dicebat, quod Philippus ipse Alexandrum diligeret.* Fortunam quoque ejus cum fortuna Alexandri comparat, & propter vitam longiorem minus felicem pronunciat pag. 643. *Qui in eo sunt, ut omni ex parte Alexandro similem fuisse ostendant, nondum triginta quatuor annos eum natum fuisse affirmant: accedebat autem, si veritas rei quæritur, jam ad quadragesimum. Atque adeo præclare fuisset cum ipso actum, si vita defunctus tum fuisset, dum Alexandri adhuc utebatur fortuna.* Florentibus tamen ejusdem rebus, fortuna Alexandro parem, virtute majorem, pronunciat Cicero in oratione pro Archia cap. X. *Quid? noster hic Magnus, qui cum virtute fortunam adæquavit* &c. Imo Herculi adsimulat & Libero Patri Plinius VII. 26. *Æquato non modo Alexandri Magni rerum fulgore, sed etiam Herculis prope ac Liberi Patris.* Qui ibidem corollas hasce &c. in denario, mirifice quoque illustrat, dum ita scribit: *Postea ad tota maria & deinde solis ortus missus, hos retulit patriæ titulos, more sacris certaminibus vincentium. Neque enim ipsi coronantur, sed patrias suas coronant.*

II.

Caput Minervæ galeatum, cum ægide ad pectus, retro stat Victoria corollam super galeæ conum elevans.

SULLA IMP*erator.* Roma, sive Italia, stans, læva spiculum tenens, dextram porrigit Sullæ paludato atque ex navi jam egresso, quæ retro eundem cernitur cum anchora in sublime erecta, & armamentis compositis.

Non absimilis typus cernitur in Fam. Pompeja Tab. prima, num. III. & IV. ubi Pompejo pariter dextram Hispania porrigit. Verum ibi adventus ducis in provinciam celebratur, & ipse ut navi egrediens num. IV. depingitur. Hic vero jam extra navem Sulla est, quæ peracto itinere ut quietura designatur. Ursinus existimavit, innui senatores Romanos aliosque qui (teste Appiano) a Cinna urbe pulsi ad Sullam in transmarinis tunc partibus bellum gerentem confugerunt, & quos ille omnium rerum egenos splendide excepit & fovit. Cujus ad illum optimatium fugæ mentionem facit Plutarchus in Vita ejus pag. 166. *Hoc modo res apud Chæroneam & Orchomenum gesta fertur. Cinna autem & Carbone Romæ præclarissimos viros vi & injuria afficientibus, multi tyrannidem fugientes in Sullæ castra tanquam portum aliquem confugiebant, ac brevi temporis spatio senatus quædam forma circa ipsum exstitit. Metella etiam, cum sese & liberos haud absque difficultate furtim subduxisset, venit marito annuncians domum ejus & villas ab inimicis incensas, oransque uti rebus domesticis subveniret.* Vaillantius autem refert ad Sullæ victoris in Italiam adventum; quum videlicet metuens iram ejus senatus legationem ad illum placandum misit, ut operose narrat Appianus lib I. Bell. Civ. Possum huic accedere sententiæ, hoc enim facto quasi desideratum se a patria designat, cui Roma reduci dextram, fidei symbolum, contra inimicos & patriæ oppressores promitteret. Extra urbem vero cusus denarius est, quod Romam tunc temporis Cinna teneret, Sullæ infensissimus hostis, & eodem, ut videtur, tempore quo Egnatii nummus, qui exstat in Fam. Egnatia num. III.

Caput vero illud, quod in priori denarii parte exstat, non refero cum eodem Vaillantio ad Romam, verum ad Minervam, id enim deæ ejus tutamen, quod in pectore gerere solet, ægis ostendit. Minervam multiplici de caussa signare potuit Sulla, vel ut deam Romanis cultam, vel ob servatas Athenas deæ ejusdem delicias; gloriabatur enim plurimum eo, quod jure belli cum sævire in Athenas potuisset, isti tamen urbi præclare pepercisset, uti testatur Plutarchus in Apophtegmatis pag. 202. Σύλλας ὁ Εὐτυχὴς ἀναγορευθεὶς, τῶν μεγίστων εὐτυχιῶν ἐποιεῖτο δύο, τὴν Πίου Μετέλλου φιλίαν, καὶ τὸ μὴ κατασκάψαι τὰς Ἀθήνας, ἀλλὰ φείσασθαι τῆς πόλεως. Id est, *Sulla cognomento Felix, hæc duo maxima fortunæ munera putavit, amicitiam Metelli Pii, & quod non delevisset Athenas, sed urbi pepercisset.* Unde plurimum Lysandro prætulit Plutarchus p. 478. in Comp. Lysandr. cum Sylla. *Præter omnia vero Athenarum occupatio plurimum ad horum comparandos mores facit: quum Sulla urbem quæ pro Mithridatis potentia & principatu pugnavisset, captam a se, liberam reliquerit: Lysander autem, tanto principatu spoliatam non modo miseratus non sit, sed & populi in repub. potestate exuerit, crudelissimisque & injustis tyrannis subjecerit.*

R Po-

Potuit etiam signare Minervam, ut prudentiæ deam, quam coluerit ipse, astutia Ulyssis, Diomedis fortitudine præditus; unde Carbonem de eodem dixisse perhibet Plutarchus in Vitæ Sullæ p. 469. Ὡς ἀλώπεκι καὶ λέοντι πολεμῶν ἐν τῇ Σύλλα ψυχῇ κατοικοῦσιν, ὑπὸ τῆς ἀλώπεκος ἀνιῷτο μᾶλλον. Id est, *Bellum se cum vulpe & leone in animo Sullæ habitantibus gerentem, magis infestari a vulpe.* Vel denique Minervam effinxit, ob celebre illud somnium quod adversis partibus bellum inferenti adparuit. Plutarchus in Vita ejus p. 457. *Ferunt etiam per quietem Sullæ adparuisse deam, quam Romani colunt a Cappadocibus edocti, sive ea Luna est, sive Minerva, sive Bellona: hanc itaque imaginatus est in somnis sibi adstare, atque fulmen porrigere, nominatimque recensentem singulos ipsius inimicos, jubere ut eos feriret: illos autem ictos cecidisse, atque e medio sublatos fuisse. Hoc viso ad fiduciam erectus, die orto re cum collega communicata, Romam versus duxit.*

Hujus deæ Minervæ capiti sertum adplicat Victoria, meliori omine, quam in ludicro Pergameno accidisse Mithridati narrat Plutarchus ibibem pag. 458. *Ferunt iis diebus, quibus Sulla exercitum ex Italia abduxit, Mithridati, apud Pergamum agenti, cum alia multa divinitus oblata signa, tum Victoriam sertum gerentem desuper quibusdam machinis in ipsum a Pergamenis demissam, cum tantum non caput jam ejus contingeret, fractam fuisse, coronamque excidisse, & laceratam per theatrum deorsum ad terram delatam esse: quæ res & horrorem populo, & anxietatem Mithridati incusserit, tametsi res ejus isto tempore etiam spe lætioribus successibus ferrentur. Etenim ipse, Romanis Asia, Bithynia & Cappadocia regibus adempta, Pergami sedebat, opes, imperia, & tyrannides inter amicos dividens.*

III.

Caput Romæ cum nota denarii.

Publius SVLA. ROMA. Victoria in citis bigis.

Ratio scripturæ antiqua est, nam juxta Quintilianum libro I. non geminabant olim semivocales, & scribebant *Sula*, *Luculus* & similia, pro quibus postea *Sulla* & *Lucullus* scripserunt. Frustra itaque (ut recte censet Vaillantius) denarium hunc ad fratris dictatoris filium Cornelium Sullam, pro quo Cicero dixit, refert Ursinus, quum ad antiquiorem ex gente Cornelia pertineat. Refert itaque ad Publium Cornelium Sullam, qui Siciliæ prætor exstitit A.V.C.DLXVII. & de quo agit Livius XXXIX. 8. Cusus vero est denarius in quæstura ejusdem urbana antequam Siciliæ prætor fieret.

IV.

Caput Jani bifrontis barbatum & laureatum cum remo erecto inter tempora.

Publius SVLA. ROMA. Prora navis, æreorum nummorum veterum solitus typus.

Videtur hic nummus ad eumdem spectare Sullam, qui priorem cudit.

Sullæ cognomen adhæsisse Corneliæ genti quidam volunt, quasi diminutivum a *Sibylla*, & P. Cornelium Rufum decemvirum A.V.C.DXLI. illud Sibyllæ nomen fuisse nactum, quod illo suadente ludi Apollinares ex libris Sibyllinis primum sint instituti. Alii a *sura* deducta *surula*, inde per alterum diminutivum *sullam* derivant. Plutarchus favet illis, qui a rubro colore originem arcessunt; qualis color per maculas & pustulas erumpens Sullæ dictatoris faciem, præcipue irati, dehonestabat, unde jocum in eundem scurræ Atheniensis commemorat; quamvis in eo erret, quod dictatori ex Corneliis primo illud cognomen obtigisse scribat. Verba ejus exstant in Vita Sullæ pag. 451. *Corporis ipsius figuram ex statuis licet cernere. Oculos habuit immodice cæsios atque truces, quos & ipse faciei color terribiliores efficiebat, in qua ex albedine rubor sparsim emicabat. Atque inde ei cognomentum Sullæ factum ferunt: & Atheniensium scurrarum quidam hoc versu id notavit,*

Συκάμινον ἐσθ' ὁ Σύλλας ἀλφίτῳ πεπασμένον.

Id est,

Morum farina Sulla conspersum sonat.

V. *& seqq.*

Caput Jovis Capitolini, cum literis G. O. M. quas posteriores frustra Optimus Maximus interpretatur Vaillantius pag. 313. quum non aliter ac litera G. & in sequentibus B.O.T.S.S.F.D. & similes ad alphabetum pro lubitu a monetariis expressum pertineant.

Lucius SCIP*io* ASIAG*enes*. Jupiter in citis quadrigis, dextra tenens fulmen, læva sceptrum & habenas. Perperam punctum in ASIAG. ponitur in picturis, quod in nummis, certe meis, non exstat.

Pertinet denarius ad Lucium Scipionem, natu majorem fratrem Publii Scipionis Africani. Sicut vero hic ex Africa devicta Africani nomen adscivit; ita frater Lucius, devicto Antiocho, Syriæ rege, & pacata Asia, Asiagenis (pro quo Asiaticum nonnulli adpellant) nomen recepit. Videntur vero cusi hi denarii ad stipendium & donativum militum, quum ad triumphum Romam proficisceretur; triumphavit vero A.V.C.DLIV. Quod si G. pro C. poneretur, & constanter exstaret in omnibus ASIA. G. vel ASIA. C. ASIA *Capta* legi posse videretur, nam Eutropius IV. 5. dicit *Asiam vicisse*, pag. edit. n. 158. *Scipio Romam rediit, ingenti gloria triumphavit: nomen & ipse, ad imitationem fratris, Asiagenis accepit, quia Asiam vicerat: sicut frater ipsius, propter Africam domitam, Africanus adpellabatur. Asiam* ab eodem devictam dicit Plinius XXXIII. 12. *Asia primum devicta luxuriam misit in Italiam; siquidem L. Scipio transtulit in triumpho* &c. Ubi quoniam paullo post sequitur: *Eadem Asia donata multo etiam gravius adflixit mores, inutiliorque victoria illa hæreditas Attalo rege mortuo fuit.* inficete inde Geminam Asiam in hoc denario agnoscit Harduinus ad illum Plinii locum, ubi scribit. „ Asia hic gemi- „ na indicatur: altera Asia Minor hodie dicitur, „ ubi devictus Antiochus est: altera, quæ Syria „ sæpius adpellatur, ubi Antiochus regnabat. „ Plinius, Lib. XIII. Sect. V. *Antiocho rege, Asiaque devicta, urbis anno* DLXV. Testis etiam est „ geminæ hujus victoriæ nummus argenteus den- „ ticulatus, in museo nostro, & apud Patin. in „ Famil. pag. 90. Caput Jovis laureatum exhibet, „ ac sinistro latere litteram K. In parte aversa, „ Scipio est in quadrigis: sinistra tenet signum „ militare, dextra fulmen. Infra, L. SCIPIO: „ ASIA. G. punctis sic notatis: *Lucius Scipio: „ Asia Gemina.* In quibusdam nummis, teste „ Ursino, sine interpunctione scriptum est A- „ SIAG. Id vero alii *Asiagenes*, Ἀσιαγενὴς, alii „ *Asiagetes*, interpretati sunt, parum certe feliciter. „ Nam, ut acute Sirmondus admonuit, in Notis ad „ Sidonium pag. 128. unde in nummo Romano „ & Græcum & insolens vocabulum? Et vetus „ tamen hic error est. Nam & Livio tribuitur, „ ex vetustis codicibus, in quibus *Asiageni*, &

„ Ex-

„ Excerptis Diodori Peiresſcianis, in quibus Ἀσιαγενὴς legitur. Verum haud dubie legi oportet, ASIA *Gemina*, capta vel devicta ſcilicet „ a L. Scipione. Quamobrem in nummo quadrigæ ſculpuntur, certiſſimum geminæ victoriæ argumentum : nam pro ſimplici victoria, „ ut jam ſupra diximus, tantum bigæ ſculperentur. Nulla fingi certe poteſt cauſa probabilis, „ quamobrem Ἀσιαγενὴς, *Aſia genitus*, dicatur homo Romanus, & ex nobiliſſima quidem gente in urbe. „

Hæc Harduinus ; quem mirum eſt etiam hic ad ſingulares literas non confugere, ut more ſuo integras inde voces formet, atque inauditas fabulas. Neque tamen hæc ejus interpretatio hilo melior. Dixit *Aſiam* indicari *geminam*, & in nummo & apud Plinium, quia ibi ſcribitur, *Aſia primum devicta* &c. & mox *eadem Aſia donata*, quaſi non æque regnum Attali, quod ſub titulo teſtamenti ad ſe rapuerunt Romani, pars Aſiæ eſſet, ac illæ ditiones Aſiæ, quas bello vexaverat Antiochus. Imo dum dixit *eadem*, oſtendit, loqui ſe de Aſia, ut alia orbis parte quam Europa, ex qua plures Romanorum fuerant triumphi, qui tamen omnes nequaquam tantum intulerant in urbem luxuriæ, quantum unus ille triumphus Lucii Scipionis, tum primum devicta Aſia, ſeu magna ejus parte, & divitiis Orientis una cum luxu receptis. Quæ ipſa Aſia, ſeu pars Aſiæ, regnum Pergamenum, quum gazas Attalicas Romanis aperiret, etiam gravius mores (ut Plinius inquit) adflixit; adeoque ruentes jam dedit in omne vitium præcipites. Alterum Harduini argumentum hoc noſtro denario nititur, qui plane contra illum militat; ut enim taceam male Scipionem dici figuram illam, quæ Jovis eſt, & ridicule ſignum militare, quod omnino ſceptrum eſſe adparet, & quadrigas geminam indicare victoriam, bigas vero ſimplicem; ſcriptura illa, quæ ita interpunctata in quibusdam denariis invenitur L. SCIP. ASIA. G. refellitur melioribus nummis, qui ſcribunt L. SCIP. ASIAG. punctum illud, quod male ante literam G. ponitur, non agnoſcentibus. Imo non concipitur lectio Harduiniana *Lucius* SCIP*io* ASIA *Gemina*, juxta receptum in nummis Romanis ſcribendi modum; qui nunquam, provincia illa, quam ceperunt vel devicerunt, integre vel dimidia ſui parte ſcripta, ſubintelligunt captam vel devictam, ſed adjiciunt. Exemplo ſit in nummis Antonii triumviri ARMENIA DEVICTA. Fam. Anton. tab. ſecunda num. VI. & in nummis Impp. ut Julii Cæſaris Tab. IX. 22. 23. AEGYPTO CAPTA. & præſertim Auguſti tab. XVIII. num. 1. 2. iterum AEGYPTO CAPTA. num. 3. ARMENIA CAPTA. num. 4. ARMEN. RECEP. & denique num. 5. ASIA RECEP. Juxta quem morem receptum & ſine exceptione uſurpatum, ſcribi debuerat ASIA GEM. vel ASIA GEMINA CAPTA. ſicuti in Fam. Æmilia tab. I. lit. A. PREIVER. CAPT. &, lit. B. atque num. 1. PREIVER. CAPTV. in quibus denariis illud tanto magis eſt obſervandum propter ingentem numerum literarum, quæ integram efficiunt denarii inſcriptionem; leguntur enim præterea P. HYPSAE. AED. CVR. C. HYPSAE. COS. Litera itaque G. per ſe nullam habet ſignificationem, ſed ſuperioribus debet adnecti, quum vel more inſolito ſcripta pro *Gemina*, nullum ſenſum efficiat integrum niſi *capta* vel *devicta* ſubintelligas, quod utique per C. vel D. inſuper in nummo exprimi debuerat. Fruſtra deinde ad acutum Sirmondi (viri doctiſſimi) ingenium provocat Harduinus, quum neceſſario vel hebes ipſe vel malignus cenſendus ſit, qui poſt Jo. Fred. Gronovii doctrinam meliorem, non didicerit L. Scipionem ex Aſia devicta *Aſiagenem* æque ac *Aſiaticum* dictum fuiſſe, unde idem, qui *Aſiaticus* dicitur Livio XXXIX. 58. *Haud ita multo poſt L. Scipio ad urbem venit; qui, ne cognomine fratri cederet, Aſiaticum ſe adpellari voluit*, ab eodem Livio *Aſiagenes* vocatur XXXIX. 44. in cenſura Porcii Catonis: *In equitatu recognoſcendo L. Scipioni Aſiageni ademtus equus.* Probavit alteram hanc quoque adpellationem pluribus iisque invictis argumentis Gronovius libro Obſerv. IV. cap. XXXV. pag. 391. & ſeq. Præter Livium enim Sidonius in Panegyrico & Diodorus Siculus, atque, ut ex MSS. ipſi quoque adſtruximus, Eutropius *Aſiagenem* hunc Scipionem nuncupant. Fruſtra quoque argutatur Harduinus, hominem Romanum & nobilem Aſiagenem, tanquam in Aſia natum dici non potuiſſe; „ neque enim (verba τοῦ πάνυ Gronovii pag. „ 392. ſunt) adjectio τοῦ γενὴς ſemper nativam patriam ſignificat, quod objeciſſe mihi doctum „ virum memini, quærendumque dixiſſe (hoc „ eſt, nodum in ſcirpo) an Lucius Scipio forte „ in Aſia natus eſſet. Sic & Apollo Λυκηγενὴς, „ quaſi Λυκιηγενὴς, non quod in Lycia genitus ſit, „ ſed διὰ τὸ τὸν Ἀπόλλωνα ἐν αὐτῇ λίαν θρησκεύεσθαι, quare & Didymus Λυκηγενεῖ explicat τῷ ἐν Λυκίᾳ τιμωμένῳ. „ Oſtendit deinde pluribus exemplis productum illud γένης in quibusdam vocabulis non referri ad patriam, vel ſignificationem τοῦ *naſci*, ſed τοῦ *eſſe* habere. Quod veriſſimum eſt, nam ſicuti apud Homerum Apollo vocatur Λυκιηγενὴς, id eſt, *Lycius* non vero in *Lycia natus*, ita Ulyſſes lib. Iliad. II. verſu 173. Διογενὴς id eſt Διὸς vocatur (ſicuti *Jovius* nominari voluit Diocletianus) iſto verſu,

Διογενὲς Λαερτιάδη πολυμήχαν᾽ Ὀδυσσεῦ.

Et lib. Iliad. III. verſu 182. μοιρηγένης dicitur Agamemnon, quaſi fatalem quandam felicitatem in illo ad Trojam expugnandam duce electo agnoſceret Neſtor; id enim evincunt adpoſita fortunæ melioris vocabula :

Ὦ μάκαρ Ἀτρείδη, μοιρηγενὲς, ὀλβιόδαιμον.

Neque aliter Latine ſatis illud commode exprimas, quam, Scipionum itidem exemplo adducto, fecit Suetonius in Vita Julii Cæſaris cap. LIX. *Felix & invictum in ea provincia* (Africa) *fataliter Scipionum nomen ferebatur.* Unde de ipſo Scipione Livius XXII. 53. *Scipio, juvenis fatalis dux hujus belli.* Et pari modo de Metellorum felicitate Nævius poëta dixit apud Aſconium Pedianum *fato Metellos fieri conſules.* Et hinc ſicuti fauſta inprimis nomina captabant veteres, nomen proprium apud Polybium Moeragenis invenitur. Quem itaque Græci Aſiagenem dixerunt L. Cornelium Scipionem, illum Aſiaticum Latini dixerunt, & utrumque nomen ſcriptores Romani receperunt.

VI.

SISENA, ſemivocali juxta antiquum morem non geminata, ſcribitur enim pro SISENNA, ut *Sula* pro *Sulla* & ſimilia. Caput Romæ galeatum cum nota denarii & adſcripta voce ROMA.

CN*eus* CORNEL*ius* *Lucii Filius.* Jupiter in citis quadrigis, dextra gerens fulmen, læva ſceptrum & equorum habenas. Infra equos tritonis cernitur figura, deſuper caput ſolis obſervatur, cum luna creſcente & duabus ſtellis. De quo typo in ſupplementis Fulvii Urſini pag. 91. ita ſcriptum reliquit Carolus Patinus. „ Caput „ regis præciſum, aut caput Solis radiatum, & „ figu-

„ figura Jovis in curru, aut quid (adde *monstri*) „ simile pedibus equorum subjectum, magnum „ aliquid indicant, cujus mihi apud rerum Romanarum scriptores nullum vestigium apparuit.„ In quibus illud de capite regis præciso nugatorium est, de ceteris mox visuri sumus.

Latere aliquid singulare sub hoc typo suspicatus est Pighius; quæstorem enim provincialem A. V. C. DCXVI. commemorans Cn. Cornelium L. F. Sisennam, ejus denarios exstare dicit pulcherrimos, atque quid amplius de iis sese prolaturum in ejusdem Sisennæ ædilitate curuli promittit. Quæ itaque ibidem promisso loco Annal. tom. III. pag. 5. A. V. C. DCXX. profert hæc sunt. „ Ex argenteis cum ejus nomine cusis denariis affabre factis colligere forsan poterimus, „ Q. Lucretii collegam hunc fuisse. Ædilium „ etenim erat munditias in urbe curare, loca scilicet publica quæque purgata & lauta tenere. „ Horum igitur jussu cadavera cæsorum in Capitolio per servos publicos in Tiberim protracta „ fuisse, verisimile est. Cumque senatus ac optimates Ti. Gracchum, qui immani plebeja seditione concitata, sibi tribunatum plebis, velut „ regnum quoddam, usurpare & continuare conabatur, perduellem declarassent, atque per tumultum cum factionis suæ capitibus occidissent; in diversum scissa civitate, plebs in mœrorem & fastidia extrema delabitur, nobilitas „ autem in gaudium atque gloriam semet erexit, „ quasi giganteo quodam bello confecto, „ quemadmodum Plutarchus in Gracchorum vita, & Appian. Alexandrinus Bellorum Civilium „ libro primo diffusius declarant. Cum igitur „ jam esset in usu apud Romanos præclaræ alicujus rei memoria magistratum quemque suum „ celebrare, atque eamdem vel propria vel publica impensa nummorum in monumentis expressam posteritati relinquere; Cn. Sisennam „ Ædilem suspicor ob periculosam seditionem in suo magistratu oppressam, in decreta sibi ad „ sumptus Ædilitatis pecunia notare voluisse Jovem fulminantem e quadriga sua sub solis capite radiis coronato, gigantemque magnis repugnantium anguium spiris extentum, conterere. Quo significare videtur, Ti. Gracchum „ cum suis conjuratis in templi Capitolini limine, non tenebrosis obscurisque insidiis, sed claro justitiæ in sole, senatus auspiciis ac majestate, „ tamquam Jovis Capitolini fulmine perculsum „ & prostratum occubuisse. Sub gigante equorum ungulis subjecto scriptum nomen, CN. „ CORNEL. L. F. in altero nummi latere, „ ubi Romæ caput, & denarii solita nota X. cognomen SISENNA. ROMA. „ Hæc Pighius, quæ quidem quivis (ut arbitror) facile videbit nimis esse symbolica atque a denariorum simplicitate aliena. Typus enim Jovis, cum fulmine stantis in quadrigis, admodum vulgaris est & notus, ita ut *quadrigati* inde id genus denarii dicti sint, sicuti *bigati* qui bigas haberent. Præteriit itaque hanc conjecturam (quum & ipsa forsan displicuerit) Vaillantius, atque ipse aliam protulit pag. 347. & 348. sed non meliorem; credidit scilicet & tritonem adpositum, pertinere ad ludos Apollinares prætoris Sisennæ, quoniam ipse primus animal illud marinum oculis populi Romani in prætura sua vel ædilitate exposuisset. Verba ipsa adscribam; „ At quum esset in usu apud „ Romanos, præclaræ alicujus rei memoria magistratum quemque suum celebrare, atque eam „ in nummorum monumentis expressam posteritati relinquere; Cn. Sisenna per caput Apollinis „ radiatum & Lunam bicornem cum stella, se ludos „ Apollinis (qui erant, ut sæpius diximus, iis numinibus dicati) in prætura sua celebrasse denotare „ voluit. In parte vero inferiore expressit tritonem bisulca cauda, in memoriam illius quem Romæ primus P. Romani oculis in ipsis ludis, nisi mavis in ædilitate sua, exposuerat. *Pausanias*, „ *lib. 9.* de altero sic loquitur: *Vidi ego & alium* „ *Tritonem inter Romanorum spectacula cetera: sed* „ *hoc, qui apud Tanagræos est, magnitudine certe inferiorem.* „ Conjectura hæc admodum est invalida, & Pausaniæ illud testimonium (quod exstat apud illud scriptorem lib. IX. cap. XX. & XXI. pag. 749. & 750. ubi narrat, visum a se sceleton tritonis sine capite apud Tanagræos, in spectaculis vero imperatorum Romæ integrum, cujus etiam formam accurate describit) nihil ad tempora illa antiqua facit, nec evincit visum quoque sub prætura aut ædilitate Sisennæ Romæ tritonem, & inde in denario effictum. Sirenis est figura in denario gentis Petroniæ, an inde sequitur Sirenem illius tempore in ludis exhibitam fuisse? non magis quam sphingem, quæ in gentis Carisiæ denariis cernitur, aut stymphalidem avem fabulosam, in nummis gentis Valeriæ.

Quæsivit super hoc monstro sententiam quoque Perizonii Morellius noster pag. 207. „ Monstrum „ marinum, quod tab. V. n. VI. CORNELIAE „ familiæ in nummis sub equis visitur, idem est, „ quod in secundo nummo gentis Plætoriæ & sexto Valeriæ. Speciem quidem Nereidos illud „ præ se fert, num vero sit, pro certo affirmare „ non habeo. „ Rogo iterum an Plætorius & Valerius tritones, aut similia monstra, populo Romano ostenderint? Quæ rescripsit Perizonius pag. 286. „ De monstro marino in Corneliæ & aliarum gentium nummis videri velim Ill. Spanhemium de Usu & Præstantia num. pag. 225. „ typum non explicant, sed ad illum ablegant, qui hujus denarii ex professo non meminit, sed castigat errorem viri docti (Caroli Patini) qui in nummo gentis Cossutiæ Nereidis figuram de Sirene interpretatur, & obiter dicit, nos passim videre tritones in antiquis Græcorum & Romanorum nummis.

Ut tandem meam quoque proferam sententiam, existimo typos solis, lunæ, stellarum & tritonis, simul sumtos, denotare id quod regit terras, cœlum, & qui fluctibus suis ambit easdem, oceanum, atque adeo simpliciter significare Romanos, quorum solitus monetæ typus (Jupiter in quadrigis) in hoc denario conspicitur, celebrari tanquam universi dominos. Petronius initio carminis, quo bellum civile orditur Satyr. cap. CXIX. pag. 548.

Orbem jam totum victor Romanus habebat,
Qua mare, qua terræ, qua sidus currit utrumque.

Quibus nihil magis adpositum ad denarii typum dici potest; sidus utrumque sol & luna cum stellis suis supra quadrigas conspiciuntur, mare infra easdem ponitur, & per tritonem designatur. Symbolum enim maris esse docent numismata Syracusana apud Parutam nostræ editionis tab. XXXIX. num. 29. 30. XL. num. 31. LII. num. 153.

Inventa typi ratione progrediamur ad illum, qui credi possit cudisse denarium; ad vetusti temporis Sisennam referunt Pighius & Vaillantius, illum videlicet, qui temporibus Gracchanis vixit Cn. Cornelium Sisennam, Lucii filium, cujus quæ-

quæsturam ponunt A. V. C. DCXV. (male Vaill. DCXVI. qui & annum præturæ cum anno ædilitatis permutavit) ædilitatem DCXX. præturam DCXXIII. cui tempori scriptura SISENA pro SISENNA favere videtur. Repugnat tamen sententia Ursini, qui credidit pertinere ad filium nobilissimi historici L. Sisennæ Cn. Corn. Sisennam, quem Græciæ fuisse præpositum & in Cretam profectum fuisse narrat Dio in initio Libri XXXVI. ut Metello, qui satis improbe Cretici nomen adfectabat, persuaderet, ut mitius ageret cum Cretensibus nihil mali a populo Romano meritis, cujusque Sisennæ exercitum, quum morbo fuisset exstinctus, narrat accepisse Octavium, ut Metelli conatibus obviam iret. Acciderunt hæc post A. V C. DCLXXXIV. Iis vero temporibus semivocales jam geminari solebant; unde *Publius* SVLA, hujus tab. III. & IV. ad antiquiora pertinet tempora, quam SVLLA, quomodo triumviri & bis consulis L. Sullæ nomen scribitur in iis, qui ibidem præcedunt, denariis, ut & tabulæ præcedentis. Credi posset cusus Romæ denarius A. V. C. DCXXIII. quo prætor urbanus exstitit hic Sisenna, atque ingens Romæ fuit lætitia, propter victum captumque a Perpenna consule Aristonicum, qui armis sibi regnum Pergamenum vindicabat, & propter receptas gazas Attalicas. Jam enim ab eo tempore, quo Antiochum devicerant, orientis opes & imperium adfectabant Romani, unde non magis mirum hunc typum orbis domiti in denariis usurpasse, quam lætis auribus, in legatione præfectorum de pace, tempore Antiochi, audivisse verba, quæ recenset Livius lib. XXXVII. cap. XLV. Sed non liquet apud prætores jus monetæ fuisse; unde ad quæsturam urbanam Sisennæ pertinere videtur, & spem Romanorum, de terrarum omnium possessione conceptam.

VII.

AVGVSTVS. Caput Augusti nudum.

Lucius STATI*lius* SISENNA PROCO*n-Sul*. In laurea; sed notari debet in ipso nummo ita legi SISENNA PROCOS, L. STATI. quasi L. Statilius non idem Sisenna esset, quod adnotandum duximus, ut tyrones discant conjungere nomina, quæ aliquando interjecta dignitate separantur. Lucii prænomen apud Patinum abest.

Inter Ursinianos hunc nummum posuerat Patinus, postea, sculpta jam tabella, quum animadverteret ad Statiliam potius gentem quam Corneliam pertinere, ita scripsit: „ Septimus num„ mus ad Statiliam potius pertinet, in qua de eo „ dicetur.„ Dicere tamen de eo in gente Statilia neglexit. Vaillantius plane omisit, Sisennæ etiam cognominis in gente Statilia nulla facta mentione. Morellius noster, tabellas Ursino-Patinianas præ oculis habens, atque Patiniani moniti non recordatus, in gente Statilia præteriit, & propter Sisennæ cognomen in Cornelia perperam collocavit.

Videtur hic esse Statilius ille Sisenna, cujus mentionem facit Vellejus Paterculus Lib. II. cap. XIV. §. 3. ubi de M. Livio Druso, magnarum olim turbarum auctore, agens, ita scribit: *Quum ædificaret domum in Palatio in eo loco, ubi est, quæ quondam Ciceronis, mox Censorini fuit, nunc Statilii Sisennæ est.* &c. Scripsit Vellejus historiam suam anno XVII. Tiberii, quo vivere adhuc potuit Statilius Sisenna temporibus forsan Augusti ultimis consulatu functus; nam in Fastis nomen ejus non legitur, utpote suffecti cos. Videtur fuisse propinquus T. Statilii Tauri, qui collega fuit Augusti in octavo ejus consulatu, & altera quoque vice consul fuit cum Libone A. V. C. DCCLXIX cujusque abneptis fuit Statilia Messalina, cujus potiundæ gratia Nero maritum ejus Atticum Vestinum consulem in ipso consulatu trucidavit. Cognomen Sisennæ ostendit Tauri istius bis consulis propinquum fuisse, ut enim Tauri cognomen ab armentis est desumtum, sic Sisennæ quoque a pecudibus. *Sisenna* enim, *Siserna*, & *Siserra*, ἀπὸ Σισύρα, id est, προβάτα derivatur, quod nomen & Sisarram dicebant, teste Scaligero ad Varronem de R. R. lib. III.

Litera B.

AVGVSTVS. Caput Augusti nudum.

SISENNA PROCO*n*S*ul*. In laurea, circa quam legitur *Publio* COTTA BAL*bo* II VIR. . .

Quis hic fuerit Publius Aurelius Cotta, & utrum BAL. innuat alterum duumvirum Balbum fuisse dictum non liquet. Neque scimus ubinam proconsulari imperio functus fuerit L. Statilius Sisenna propter defectum veterum monumentorum.

VIII.

Caput Romæ galeatum cum quatuor globulis seu punctis.

CINA. & inferius ROMA. Prora navis cum quatuor itidem punctis, quæ trientem indicare solent.

Propter pondus nummi hunc trientem refert Vaillantius ad Lucium Cinnam Lucii filium, qui post minores honores pervenit ad consulatum A. V. C. DCXXVI. cum L. Cassio Longino.

Litera C.

Jani bifrontis caput, more solito expressum.

CINA. ROMA. Prora navis, ut passim.

Sextantarii ponderis esse docet Vaillantius, qui hunc & sequentem quoque exhibuit, atque refert ad patrem ejus Cinnæ, qui præcedentem trientem cudit. Hic quoque Lucius Cinna fuit dictus, & in quæstura sua solitam hanc veterem monetam signasse videtur.

Litera D.

Caput Jovis laureatum cum litera S. semissis nota.

CINA. ROMA. Prora navis, cum semissis nota.

Sextantarius hic est nummus, & cusus illo tempore, quo ad duas uncias as redactus esset, semissis vero ad unam unciam. Hunc ad Cinnæ consulis patrem pertinere judicat Vaillantius. *Cina* pro *Cinna* olim scribebatur, ut *Sisena* pro *Sisenna* & *Sula* pro *Sulla*, quum semivocales non geminarentur.

Litera E.

Caput Jovis laureatum, signum illud aquilæ, quod retro caput Jovis cernitur inpressum, ad possessorem ejus pertinuit.

CN*eus* LENTVL*us*. Aquila fulmini insistens.

Ex rudiore fabrica nummum hunc aureum in Hiſpania cuſum judicat Vaillantius, atque ad Cneum Lentulum refert, qui ex Hiſpania triumphavit, & magnam vim auri atque argenti ſecum tulit. Ejus denarios vide ſupra Tab. ſecunda num. V. & VI. itaque non opus eſt illa, quæ diximus, hic repetere.

Litera F.

EX *Senatus Conſulto.* Caput Romæ cum galea in pilei Phrygii morem formata, cum nota denarii.

CETHEGVS. ROMA. Vir nudus capro currenti inſidet, caput pileo Phrygio tegitur, dextra palmam gerit, in corona hederacea.

Hunc denarium primus protulit Hubertus Goltzius in Faſtis ad annum DXLIX. & M. Cornelio M. F. M. N. Cethego adplicuit; conſulatum is geſſit eodem anno cum Sempronio Tuditano. Ut vero innumeri ſunt inter Goltzianos, qui nullam aliam habuerunt matricem, quam antiquarii ejus cerebrum, ita hic quoque pro fictitio fuit habitus, donec in theſauro regio Verſalienſi eundem inveniret Andreas Morellius, qui quoque publicavit in Specimine ſuo pag. 238. ubi ita ſcriptum reliquit. „ Quartus tabellæ nummus argenteus gentis Corneliæ, a Golzio in Faſtis vulgatus, docet non omnes ejus nummos, quos Cl. Patinus omiſit, eſſe fictitios: hic enim indubiæ eſt antiquitatis, apud clariſſimum virum Dn. Quenel a me delineatus; ubi ad ſexaginta uſque nummos conſulares reperi, qui in Patiniano opere deſunt, aliosque nummos rariſſimos Græcos & Latinos, ex omni metallo & quavis magnitudine: diverſas enim elegantiſſimas ſeries nummorum poſſidet vir humaniſſimus. Et quamvis nunc alios poſſeſſores habeant hi ejus nummi, nihilominus beneficii collati memor, id non reticendum duxi. Hæreo autem ambiguus, an omnes illos Goltzianos nummos operi noſtro inſeram: ac tutius arbitror, illos vel omittere, vel ſic addere, ut a genuinis & veris ſeorſim extent. „ At Plinii noviſſimus illuſtrator mira ſuper eodem nugatur tomo I. pag. 692. „ Si Cethegus hic (qui ſcil. Plinio memoratur lib. XIII. cap. XIII.) intelligendus eſſet, non ſine gentis ſuæ, ſcilicet non ſine Cornelii nomine ſcriberetur; nec tali ſitu. Sententia eſt: *Cohors Equeſtris Trajani Hoſtilem Equitatum Germanorum Vicit Sexies.* Capra ſymbolum illius cohortis equeſtris fuit, quia Jovi ſacra: unde & Jovem fabulæ ferunt caprino lacte nutritum. Cohortem fuiſſe victricem & palmæ ramus, & laurea corona ſignificat: de Germanis autem equitibus, forma galeæ, qua Roma tegitur. Inde haud dubie Trajanus *Germanicus* eſt cognominatus. „ Cethegum negat aliquem intelligi poſſe, quia non adſcribitur in denario gentis Corneliæ nomen. At modo num. VIII. CINA ut & ſeq. ſine ullo quoque gentili nomine legitur, & ſolitum hoc eſt in nummis conſularibus, ut ridiculum ſit illud negare. De ſitu neſcio quid ſibi velit. Sententia de cohorte Trajani refutatione non indiget ſed probatione. Ne vero quis roget utrum capris equorum vice inſederint illi equites, ſubdole capellæ Jovis nutricis mentionem injecit, quæ tamen ubi in nummis exprimitur, ut in Valeriani Junioris, ipſum Jovem puerum ſeſſorem exhibet. Lauream coronam ipſe finxit pro hederacea, ne videlicet ebrios crederemus equites Trajani, qui capro inequitarent. Quum etiam typum deſcribit hisce „ Caput Romæ galeatum exhibet, galea deſinente in formam pilei, quem gerunt equites noſtri, *dracones* adpellati, ut & Germanici, „ neſcio cur pilei Phrygei formam abjiciat, quam in multis Romanis denariis obſervare licet.

Tolerabilior Vaillantii ſententia eſt. Duplicem illam proponit pag. 318. ſuam & amici. Amicus credebat a Cethego, ut ædili curuli, cuſum fuiſſe denarium in memoriam ludorum Liberalium, & capro inſidere Genium populi Romani, quod Baccho caper omnibus aris immoletur. Sed caper tum ſtare ad aram debuiſſet, ut in aliis nummis, non cum equite exhiberi. Vaillantius ſuſpicatur denotari tranſitum exercitus Romani per mare Ægeum ad Antiochum in Aſia oppugnandum, per capram enim Ægeum mare, reſpectu vocis Græcæ Αἴξ αἰγὸς, quæ caprum denotat, & galea quidem Phrygia ornari Genium populi Romani, tanquam Aſiæ poſſeſſorem, unde caput Romæ ſimili ornatur pileo, ſive galea, ut Aſiæ itidem domina poſt Antiochum regem ad Thermopylas devictum; coronam quoque hederaceam, ut Aſiæ ſymbolum, propterea ſignari, Baccho tutelari ejus regionis deo ſacram, unde quoque in Antonii triumviri ciſtophoris exprimitur.

Crederem, ſi aries exprimeretur, non caper, ad fabulam Phryxi reſpicere nummum, adeoque per figuram illam virilem nudam cum pileo Phrygio ipſum Phryxum exhiberi (qui, ſuperato mari, in quod ſoror Helle decidens nomen Helleſponti undæ dederat, tanquam victor erat) arieti inſidentem; ſed nummus omnino caprum, non arietem, depingit; & quum inſuſuper adſit corona ex hedera, adludi videtur ad Bacchi aliquam hiſtoriam ignotam, in ſubigenda Aſia & oriente; certe videntur Romani adumbrare per hoc figmentum fabulare voluiſſe ſuum in Aſiam tranſitum, cujus ſubinde portiunculas aliquas rapiendo non ante quieverunt, quam univerſam occupaverint.

Refero itaque denarium hunc nobilem & rariſſimum ad A. V. C. DLXIII. quo L. Scipio, qui poſtea Aſiagenis cognomen accepit, in Aſiam trajecit, atque Helleſpontum cum exercitu ſuperavit, qua re tantum terroris Antiocho injecit, ut mox pacem petierit, &, bello fractus, in conditiones a Romanis præſcriptas conceſſerit.

Ex tot vero Cethegis, qui illuſtres in republica exſtiterunt, difficile eſt dicere, quis hunc denarium ſignaverit. Duos prætores ſucceſſive adfert Livius Publios Cethegos, alterum A. V. C. DLXVIII. alterum DLXIX. quem poſteriorem colligit Pighius tom. II. pag. 286. hoc anno potuiſſe quæſturam gerere, atque ideo inter quæſtores provinciales collocat. Sed adſcripta vox ROMA oſtendit non in provincia, ſed Romæ pecuniam hanc ſignatam fuiſſe, unde forſan concludere licet, tunc quæſtorem fuiſſe urbanum iſtum Publium Cornelium Cethegum, qui prætor deinde exſtitit, & poſt præturam inter decemviros agris dandis numeratur a Livio lib. XLII. cap. IV. ſcribitur in denario CETEGVS. ſed literæ TE per lineam intermediam quæ H. efficit conjungi debent.

TAB

TAB. VI.

AVGVSTVS *ConSul* XI. Caput Augusti laureatum.

Marcus AGRIPPA *Consul*, TER*tium*. COSSVS LENTVLVS.

I.

Caput Agrippæ corona turrita & navali insigne. Imperator Augustus, qui consul exstitit XI. cum A. Terentio Varrone Murena A. V. C. DCCXXXI. in nummis ita scribitur usque ad ann. DCCXLIX. quo consulatum XII. suscepit. Agrippa vero tertium consul factus est cum Augusto VII. consule A. V. C. DCCXXVII. & passim ita in nummis scribitur. Corona autem rostrata donatus fuit ab Augusto propter insignem illam victoriam navalem de Sexto Pompejo in mari Siculo relatam A. V. C. DCCXVIII. unde passim cum isto ornatu cernitur in nummis æreis. Sed quum Romæ urbi præfectus anno DCCXXXII. absente Augusto motus civilesque discordias compressisset, quasi servator urbis, corona insuper murali exinde in denariis ornatus cernitur. Et quidem jam tantus Agrippa evaserat, ut vel occidi vel particeps imperii fieri deberet. Quare tantis viri meritis omnia tribuens Augustus, data ante in uxorem Julia filia, tribuniciam potestatem cum eodem communicavit anno DCCXXXVI. uti constat ex Dione lib. LIV. Consules hoc anno fuerunt Cneus Cornelius Lentulus & Publius Cornelius Lentulus Marcellinus. Res vero tam insignis & memorabilis ad posteritatem insigniori monumento transmitti debebat. Hinc in auro atque argento typus idem invenitur, nummi vero ipsi rari sunt, & (ut sequens) a Trajano restituti rariores.

Quoniam subscribitur capiti Agrippæ COSSVS LENTVLVS, credidit Vaillantius consulem istum Lentulum Cossum quoque adpellatum fuisse; unde in nummis Impp. Argenteis pag. 43. scribit, „ Cn. Cossus Lentulus consul cum Len„ tulo Marcellino anno DCCXXXVI. Agrip„ pam ter consulem cum Augusto XI. nummo „ (hoc scil.) copulavit, quod anno hoc Au„ gustus eidem Agrippæ genero suo tribunitiam „ potestatem communicasset.„ Idem pag. 25. hæc intellectu valde difficilia scripserat: „ Quod Augu„ stus Agrippæ tribuniciam potestatem commu„ nicasset, cum hic consulatum ageret cum Cosso „ Lentulo A. V. C. DCCXXXVI. „ ubi adparet scribere voluisse, nisi prævertisset mentem calamus, *cum Lentulus Marcellinus consulatum* &c. Isto itaque tempore credidit a Cosso Lentulo consule denarium hunc cum capitibus Augusti & Agrippæ cusum fuisse; at vero postea, quum Familias ederet, pro consule triumvirum monetalem fecit eundem Cossum Lentulum, scribens pag. 304. „ Hic vero ut triumvir monetalis dena„ rium hunc percussit, ut nos docet epigraphe „ Augusti consulis XI. cum M. Agrippa consule „ III. conjuncta; nam hic tertium consulatum „ gessit cum Augusto VII. anno DCCXXVII. „ & Augustus consulatum XI. iniit cum Teren„ tio Varrone, anno DCCXXXI. sed consules „ Lentulus eos conjunxit, quando Agrippa urbi „ Romæ præfectus est ab Augusto &c. „

Longe vero prudentior sermo Fulvii Ursini est, qui pag. 92. scribit cusos fuisse priores hujus tabellæ denarios a Cosso Cornelio Cn. F. Lentulo, qui consul fuit cum L. Calpurnio Pisone anno DCCLII. legatus Augusti anno DCCLIX. triumphalia ornamenta accepit de Isauris ex Cilicia, a quibus devictis Isauricus postea adpellatus est. Mirum vero est, Vaillantium Ursini ista verba non considerasse animo, quibus recte perpensis, neque in hoc denario aberrasset a veritate, neque in denario tertio iterum aberraisset, ibi filium pro patre ponens, & hic patrem pro filio. Revera enim hic denarius non est cusus a Cn. Cornelio Lentulo, qui consul fuit cum P. Cornelio Lentulo Marcellino, sed a filio hujus Cneii Cornelii Lentuli, videlicet Cosso Lentulo, & quidem eodem qui in tribus denariis, qui paulo post sequuntur, Cossus Cn. F. Lentulus adpellatur. Incrementa enim prima honorum filius Cossus Lentulus habuit, triumvir monetalis Cæsaris factus, quum ad summos consulatus honores pater Cneus Lentulus pervenisset.

II.

AVGVSTVS CO*nSul* XI. Caput Augusti laureatum.

Altera nummi pars typo & epigraphe eadem est quæ præcedens, sed additur in summo circulo IMP*erator* CAES*ar* TRAIAN*us* AVG*ustus* GER*manicus* DAC*icus* Pater Patri*æ* REST*ituit*.

Notum est plurimos denarios, qui veterum Romanorum virtutes & fortia facta vultusve præferrent, a Trajano restitutos fuisse, qui omnes in magno pretio apud antiquarios habentur, & minime sunt vulgares.

III.

AVGVSTVS DIVI F*ilius*. Caput Augusti laureatum.

COSSVS CN*ei Filius* LENTVLVS. Eques galea & thorace indutus, dextra tropæum insigne super humeros fert. Est vero statua equestris insistens basi navium rostris exornatæ.

Recte denarium hunc refert Ursinus ad Cossum Lentulum, Cnei filium, sed errat in eo, quod putet cudisse eundem post devictos in Cilicia Isauros & accepta ornamenta triumphalia, &, quoniam auspiciis Augusti rem gesserat, ideo ipsius Augusti statuam equestrem in denario exprimi. Vaillantius, qui, Patinum secutus, de typo denarii recte senserat in Numism. Impp. Arg. pag. 25. opima spolia A. Corn. Cossi de Tolumnio Vejentum rege celebrari, nescio quomodo fluctuat in Familiis, ubi ineptam typi hujus dat explicationem, & perverse judicat de illo qui denarium percusserit.

Ut enim de typo prius agamus, existimat ille pag. 305. statuam hanc equestrem esse Cossi Lentuli Getulici, quod cognomen nactus est a victoria Africana, in illa enim orbis parte Getulos parere Jubæ juniori recusantes in ordinem redegit, illud vero cognomen ad posteros hæreditarium transmisit. Stylobaten vero navium rostris ornari existimat, ad demonstrandum in sinu Numidico Getulos etiam mari devictos fuisse. Verum sicuti hæc statua Augusti non est (cujus nulla memoratur in historiis statua cum spoliis opimis, quum aliæ plures in denariis exstent) ita Cossi Lentuli Getulici quoque esse nequit, cujus tale factum nusquam legitur, sed referenda eadem est statua ad A. Cornelium Cossum, consulem A. V. C. CCCXXV. qui sua manu Lartem Tolumnium Vejentum regem occidit, & altera post Romulum opima spolia Jovis Feretrii templo intulit. Hoc templum vetustate collapsum ab Augusto fuisse restitutum memorant auctores, & quidem Attici monitu, in cujus vita cap. XX. ita scribit Cornelius Nepos: *Ex quo accidit, quum ædes Jovis Feretrii, in Capitolio ab Romulo constituta, vetustate atque incuria detecta prolaberetur, ut Attici admonita,*

tu, Cæsar eam reficiendam curaret. Livius quoque, ut evincat consulem & ducem exercitus fuisse Cossum eo tempore, quo spolia opima retulit, restitutoris Augusti utitur testimonio lib. IV. cap. XX. *A. Cornelium Cossum, tribunum militum, secunda spolia opima Jovis Feretrii templo intulisse, exposui. ceterum, præterquam quod ea rite opima spolia habentur, quæ dux duci detraxit; nec ducem novimus, nisi cujus auspicio bellum geritur; titulus ipse spoliis inscriptus, illos meque arguit, consulem ea Cossum cepisse. Hoc ego quum Augustum Cæsarem, templorum omnium conditorem aut restitutorem, ingressum ædem Feretrii Jovis, quam vetustate dilapsam refecit, seipsum in thorace linteo scriptum legisse audissem; prope sacrilegium ratus sum, Cosso spoliorum suorum, Cæsarem, ipsius templi auctorem, subtrahere testem.* Usus itaque illa occasione Cossus Lentulus, veteris illius A. Cornelii Cossi heroicum facinus in denariis hisce celebravit. Et certe videtur in urbe talis statua equestris eodem tempore erecta fuisse in Cossi ejusdem honorem, nam stylobatæ quoque in nummo inposita cernitur, ita ut navium rostris eadem stylobates exornata sit; quod quidem ad Cossum illum referri nequit, qui nullam navalem victoriam adipisci potuit. Suspicari possemus Augusti jussu in rostris Cossi hujus statuam equestrem fuisse positam, eumque honorem exprimi, quem insignem ipsi Augusto adhuc juveni obtigisse narrat Vellejus Paterculus lib. II. cap. LXI. §. 3. *Eum senatus, honoratum equestri statua, quæ hodieque in rostris posita ætatem ejus scripturæ indicat (qui honor non alii, per CCC. annos, quam L. Sullæ, & Cn. Pompejo, & C. Cæsari contigerat) pro populo Romano una cum consulibus designatis Hirtio & Pansa, bellum cum Antonio gerere jussit.* Sed in rostris significare passim solet locum ubi rostra sunt, ubi de statuis agitur, quæ videlicet non in ipso illo suggestu, unde verba ad populum fieri solebant, fuere positæ, sed in loco ibidem amplo & spatioso, in quo ipsa erant rostra. Deinde ipsius Augusti statua equestris, ad quam respicit Vellejus, in denariis ejusdem simpliciter sine basi illa rostrata cernitur. Unde certum est ad aliquam victoriam navalem hic adludi, quam dici quidem potest aliquis ex gente Cornelia olim consecutus fuisse, de qua non constat, sicuti de victoria navali Cossi Lentuli Getulici in sinu Numidico mera quoque conjectura est, nullo modo procedens, quod bellum id eo tempore, quo cusus est denarius, nondum fuerit gestum. Unde crediderim basin hanc rostratam nihil omnino habere commune cum ipsa statua equestri, sed referri debere ad Augusti victoriam Actiacam, ita ut jussu ipsius Augusti erecta fuerit nobilis illa statua, sive refecta, in basi vero insculpta & inscripta fuerint elogia & ipsius Cossi & restitutoris Augusti.

Superest, ut videamus a quo hi denarii cusi sint. A filio Getulici cusos opinatur Vaillantius, qui, ut a patre Cosso Lentulo Getulico distingueretur, adpellatus fuerit Cossus Cnei filius Lentulus. Verum hic insignis est error, nam pater hujus Cossi Lentuli ipse adpellabatur Cossus Cnei filius Lentulus, ut videlicet distingueret se a Cneo Cornelio Lentulo L. F. qui una cum Lentulo Marcellino consul fuit A. V. C. DCCXXXVI. uti vidimus num. I. & quem credimus patrem fuisse Cossi Lentuli Getulici, & avum Cossi Lentuli ejus, a quo hunc denarium cusum opinatur Vaillantius, quique consul agnoscitur cum Asinio Agrippa anno DCCLXXVII. seu juxta Varronem DCCLXXVIII. cujusque frater anno post consul, dictus fuisse videtur Cn. Cornelius Lentulus Getulicus, filius vero consul cum Nerone IV. anno DCCCXII. vel DCCCXIII. item Cossus Cornelius Lentulus.

Quod errandi dedit occasionem prænomen est Cossus, quod Vaillantius aliique tanquam cognomen acceperunt, atque putarunt Cossum Lentulum illum, qui hos cudit denarios, dictum fuisse Cn. Cornelum Lentulum Cossum; unde Pighius quoque tom. III. p. 531. ambigit, utrum prænomen sit an cognomen, dicitque legi in nummis & *Cossus Cn.* F. *Lentulus*, & CN. LENTVLVS COSSVS, quod posterius falsum est, & ex male inspecto denario ortum videtur. Taciti vero, quod adduxit, testimonium majoris est momenti, videtur enim illi Lentulo prænomen Cnei dare lib. Annal. IV. cap. XLIV. *Obiere eo anno viri nobiles, Cn. Lentulus, & L. Domitius. Lentulo super consulatum & triumphalia de Getulis, gloriæ fuerat bene tolerata paupertas, dein magnæ opes innocenter paratæ, & modeste habitæ.* Ubi reponi debere existimo *Cossus Lentulus* pro *Cn. Lentulus.* nam in Inscriptionibus antiquis Cossus pro prænomine, non Cneus illi datur. Apud Reinesium X. 3. p. 577.

COSSO CORNELIO L. PISONE COSS.

& apud Gruterum pag. CVII. num. 1.

COSSO CORNELIO LENTVLO
L. PISONE AVGVRE COSS.

ibidem num. 2.

COSSO CORNELIO LENTVLO
L. PISONE AVGVRE COSS.
VOTO SOLVTO.

& pag. VIII. num. 5. nepos ejusdem Cossus Cossi filius adpellatur.

I. O. M. ET GENIO
VENALIC.
PACILIVS CERDO
VOTVM SOLVIT
NERONE CAESARE
AVG. IIII.
COSSO LENTVLO COSSI F. COS.

Cossum quoque simpliciter vocat Paterculus lib. II. cap. CXVI. §. 1. & 2. *Celebri etiam opera diligentique Vibius Postumus, vir consularis, præpositus Dalmatiæ, ornamenta meruit triumphalia, quem honorem ante paucos annos Passienus & Cossus, viri quibusdam diversis virtutibus celebres, in Africa meruerant. Sed Cossus victoriæ testimonium etiam in cognomen filii contulit, adolescentis in omnia virtutum exempla geniti.* Filius iste est Cn. Cornelius Lentulus Getulicus Cos. cum C. Calvisio Sabino A. V. C. DCCLXXXIX. juxta Varronis computum. Plurimum iste a doctrina & ingenio celebratur, uti patere potest ex notis Lipsianis ad Annales Taciti IV. 44. quum decem annis Germaniæ præfuisset Caji Caligulæ jussu occisus est, & videtur illi cognomen Getulici a patre adhæsisse, ut a fratre Cosso Cornelio Lentulo distingueretur, Cossi enim prænomen ita adamasse Lentuli illi videntur, ut avus consul cum Lentulo Marcellino, filius consul cum M. Asinio Agrippa, ut nepos denique, qui consul cum Nerone IV. unum idemque prænomen tulerint, tanquam aliquo modo ad A. Cornelii Cossi illius stirpem pertinentes. Unde Cossus Cor-

Cornelius Lentulus, filius Cn. Cornelii Lentuli consulis cum Lentulo Marcellino, Lucii nepos, primus Cossi illud prænomen familiæ suæ tradidisse videtur, sicut cognomen Getulici, a victoria, quam postea, Jubæ juniori auxilium ferens, adeptus est. Cossus enim jam tum dicebatur, quum in patris consulatu, ipse triumvir monetalis Augusti, hosce denarios cuderet; & propter nominis adfinitatem, & furtivam forte insertionem in Cossorum gentem antiquissimam, vel certe adlusionem, Cossi illius præclara de Larte Tolumnio spolia in iisdem signaret. De familiarum vero nominibus, quæ quandoque in prænomina sint versa, consuli quoque potest Spanhem. Tom. II. pag. 36.

Litera B.

AVGVSTVS. Caput Augusti nudum.

COSSVS CN*ei Filius* LENTVLVS. Statua equestris eadem.

Denarius hic nihil differt a præcedente, nisi quod caput Augusti sit sine laurea.

Litera C.

Similis lit. B. sed ad equestrem statuam nota illa restitutionis Trajani solita est, hæc videlicet inscriptio, IMP*erator* CAES*ar* TRAIAN*us* AV*Gustus* GER*manicus* DAC*icus* P*ater* P*atriæ* REST*ituit*.

IV.

C*aius* CAESAR III VIR R*ei* P*ublicæ* C*onstituendæ*. Caput nudum adolescentis Cæsaris.

BALBVS PRO PR*ætore*. Clava erecta.

L. Balbum L. filium, Gadibus Hispaniæ oriundum, cum fratre Publio, belli Sertoriani tempore civitate donavit Pompejus Magnus. Bello civili inter Cæsarem & Pompejum armis abstinuit. Post varios honores tandem ad consulatum pervenit anno DCCXIII. suffectus cum P. Can. Crasso, in locum Coss. Cn. Domitii Calvini II. & C. Asinii Pollionis. Hic primus extra Italiam natus consulatum adeptus est, unde illud inter felicitatis exempla enumerat Plinius VII. 43. *Fuit & Balbus Cornelius major consul, sed accusatus, atque de jure virgarum in eum, judicum in consilium missus; primus externorum, atque etiam in Oceano genitorum usus illo honore, quem majores Latio quoque negaverunt.*

Majorem adpellat, propter nepotem cognominem ex fratre Publio, item L. Cornelium dictum, & qui pariter ad maximos pervenit honores. Peregrinitatis vero accusatus, a Pompejo, Crasso, & Cicerone (cujus adhuc exstat oratio) defendi meruit. Pompejo inprimis carus fuit, a rerum ejusdem gestarum scriptore Theophane Mitylenæo etiam adoptatus. Noluit ideo contra Pompejum arma ferre, nec sequi eundem contra Cæsarem, cui in Gallia præfectus fabrum exstiterat.

Clava erecta respicit ad Balbi originem, Gadibus enim Hercules insigni religione colebatur. Cudit vero denarium hunc pro prætore in provinciam profectus A. V. C. DCCXII.

V.

AVGVSTVS DIVI F*ilius*. Caput Augusti nudum.

LENTVLVS SPINT*her*. Præfericulum & lituus.

Publius Lentulus Spinther, filius P. Cornelii Lentuli Spintheris, viri primarii, auguris, consularis & triumphalis, vivente adhuc patre augur quoque factus est; cognoscitur vero ex hoc denario inter Triumviros monetales Augusti fuisse post annum V. C. DCCXXVI. vel, juxta Varronem DCCXXVII. quo anno Augusti adpellationem recepit Cæsar Octavianus. Instrumenta pontificalia ad ejusdem auguratum pertinent.

VI.

TI*berius* CAESAR AVGVSTI F*ilius*. MVN*icipium* CA*Laguris* IVL*ia*. Caput Tiberii nudum.

T*ito* VAL*erio* MERVLA L*ucio* VAL*erio* FLAVO AEDI*libus*. Caput bovis.

Caput bovinum innuere videtur sacrificia pro salute Tiberii a Calaguritanis peracta.

Litera D.

Sacra Bacchi cista, ex qua semiaperta anguis prorumpit, in corona hederacea cum baccis.

Publius LENTVLVS IMPERATOR. ΑΠΑμέων ΜΤΙΣΚΟΤ. Angues duo erecti, caudisque connexi, contra se invicem insurgunt, corytum & arcum habentes in medio, circa quæ ingentibus spiris volvuntur.

Numisma hoc ex genere cistophororum est, a typo partis prioris ita dictorum. Cudebantur in Asia, & M. Tullii Ciceronis quoque similis exstat in Fam. Tullia. Egimus vero de iisdem supra in Fam. Claudia tab. II. lit. C. in Appii Claudii nummo cistophoro. Qui vero in hoc nostro vocatur imperator, est Publius Cornelius Lentulus Spinther, Ciceroni inprimus amicus, ædilis Cicerone consule A. V. C. DCXC. & consul DCXCVI. Exstat ad eundem liber unus, ordine primus, epistolarum familiarium Ciceronis. Habuimus jam ejus denarios tab. III. 3. 4. 5. sed hoc numisma in honorem ejusdem cusum est in Asia, & quidem Apameæ, ut inscriptio testatur, eo videlicet tempore, quo, propter res ibidem gestas, imperator a militibus est adpellatus, unde triumphasse quoque discimus ex Ciceronis epist. ad Atticum V. *Acceperam satis celeriter Iconii per publicanorum tabellarios a Lentuli triumpho datas.* Missus vero Lentulus est proconsule in Ciliciam & Cyprum A. V. C. DCXCVIII. & postquam diu ejus inimici triumphum impediverant, videtur honorem triumphi adeptus fuisse circa finem anni DCCII.

Numisma cusum est in Syria, Apameæ, sicuti numismata Tullii Ciceronis & Appii Claudii Laodiceæ in eadem Syria, quas conjungit Cicero, adventum suum in Asiam & iter in Cappadociam atque Ciliciam enarrans Attico lib. V. ep. XX.

Litera E.

DIVVS AVGVSTVS PATER. Caput Augusti senis radiatum.

Colonia Cæsarea Augusta SCIPIONE ET MONTANO II VIR*is*. Fulmen alatum.

Illustravit pluribus hunc nummum Vaillantius in lib. de Coloniis, tom. I. pag. 21. ubi docet, temporibus Caligulæ Montanum & Scipionem fuisse duumviros Cæsareæ Augustæ, & in gratiam ejus principis nummum hunc Augusti, cum corona radiata & fulmine, divinitatis symbolis, signasse.

Litera F.

AVGVSTVS DIVI *Filius* PATER PATRIAE. Caput Augusti laureatum.

MVN*icipium* AVGVSTA BILBILIS *Lucio* COR*nelio* CAL*do* *Lucio* SEMPRONIO RVTILO II VIR*is*. Corona quernea.

Videntur Bilbilitani Augusto coronam querneam posuisse propter cives Romanos bello Cantabrico servatos. Hispanica vero hæc urbs plurima beneficia ab Augusto accepisse videtur, unde Augustæ etiam cognomen adsumsit. Duumviri hi in historia incogniti sunt. Nummus ipse Vaillantio addi potest.

Litera G.

AVGVSTVS. *Colonia Victrix Iulia* CELSA. Caput Augusti nudum in laurea, quæ nummum ambit.

Lucio COR*nelio* TERR*acina* *Marco* IVN*io* HISP*ano* vel HISP*alo* II VIR*is*. Bos, coloniæ symbolum.

Celsa, urbs fuit Hispaniæ Tarraconensis ad Iberum flu‥ium, colonia a Julio Cæsare (ut videtur) facta, unde ab illo & victoriis ejusdem dicta insuper est *Julia Victrix*. Caput Augusti laureæ coronæ inclusum exhibuit in nummis propter victoriam ejusdem de Cantabris & Asturibus. *Terracinæ* cognomen ab urbe Latia ejusdem nominis deducit Vaillantius pag. 41. Hispalum vero & Hispanum promiscue dixisse veteres, uti Asiaticum & Asiagenem, docet Scipionum cognomen apud Diodorum in Excerptis Peiresc. p. 381. ubi P. Scipionem Nasicam, virum suæ ætatis præstantissimum oriundum dicit ex ea familia, ἐξ οὗ τοὺς Ἀφρικανοὺς, καὶ τοὺς Ἀσιαγενεῖς, καὶ τοὺς Ἰσπάνους ὀνομάζεσθαι συμβέβηκεν. *Ex qua Africani, & Asiagenes & Hispani prodierunt*, quorum ille (addit) *subacta Africa, alter Asia, tertius Hispania domita, cognomen ex rebus gestis retulit*. Hic *Hispani* Græca terminatione vocantur, qui Latina *Hispali*, penultima producta, prouti *Messalæ* cognomen a capta *Messana* urbe Valerio accessit. Cornelii vero Scipiones Hispali videntur originem duxisse a Cneo Cornelio Scipione, qui mox cum fratre Publio Cornelio Scipione post res multas egregie in Hispania contra Pœnos gestas eorum fraude ibidem perierunt. Propter victorias Hispanicas uterque eorum Hispali agnomine celebratus inter Romanos fuisse videtur. Sed quum P. Scipionis filius Publius Scipio Africani multo illustrius agnomen in familiam suam intulisset, posteritas ejus Hispali agnomen non adfectavit, sed reliquit familiæ Scipionis Publii fratris; ex qua videntur fuisse Cnei Cn. Cornelius Scipio Hispalus consul A. V. C. DLXXVII. cum Q. Petilio Spurino, & L. Cornelius Hispalus prætor peregrinus A. V. C. DCXIV qui, teste Appiano, militavit sub Scipione in expugnatione Carthaginis, ubi vocatur Γναῖος Κορνήλιος ὁ Ἱσπανὸς ἐπίκλησιν. Atque Cn. Cornelius Hispalus prætoris peregrini (ut videtur) filius, quem punitum a senatu fuisse refert Valerius Maximus VI. 3. 3. ubi de severitate antiqua Romanorum agit, post exemplum enim M. Clodii, qui turpem cum Corsis pacem fecerat, subjungit: *Atque hic quidem senatus animadversionem meruerat. Cn. autem Cornelius Scipio, Hispali filius, prius quam mereri posset, expertus est: Nam cum ei Hispania provincia sorte obvenisset, ne illuc iret, decrevit, adjecta causa, quod recte facere nesciret. Itaque quæstor Cornelius propter vitam inhoneste actam sine ullo provinciali ministerio, tantum non repetundarum lege damnatus est.* At vero Hispanus vel Hispalus, qui in hoc nummo legitur ad Corneliam gentem nihil pertinet, sed ad Juniam; & coloniarum nummi passim ad familias Romanas antiquas parum faciunt, confusa nominum sub Cæsaribus nobilitate & libertinorum licentia violata. De Corn. Scipionibus Hispanis seu Hispalis excursio tantum hic facta est, ut recte utroque modo scribi HISP*anus* & HISP*alus* adpareat.

Litera H.

AVGVSTVS. *Colonia Victrix Julia* CELSA. Caput Augusti nudum, quod nonnunquam (ut ex adpicto altero ejusdem generis nummo patet) laureæ includitur.

SEX*to* CETHEGO *Quinto* POMP*onia* SECVNDINO II VIR*is*. Bos.

Cethegus illustre Corneliæ gentis cognomen fuit. Pomponia gens plebeja fuit.

Litera I.

Marcus AGRIPPA *Lucii Filius* CO*n*S*ul* III. Caput Agrippæ corona rostrata insigne.

Colonia Cæsarea Augusta SCIPIONE ET MONTANO II VIR*is*. Colonus agens boves.

Scipionis & Montani nomina indicant nummum hunc sub imperio Caligulæ fuisse cusum, ut recte docet Vaillantius tom. I. pag. 80. ubi observat ab ipso Caligula, nobilitate generis feroce, parentes suos, Germanicum & Agrippinam, signatos in nummis fuisse, ut & Augustum proavum, Agrippam vero fuisse omissum, utpote ignobilem; unde legimus apud Suetonium in Vita Caji cap. XXIII. *Agrippæ se nepotem neque credi neque dici ob ignobilitatem ejus volebat: succensebatque, si qui vel oratione vel carmine imaginibus eum Cæsarum insererent. Prædicabat autem matrem suam ex incesto, quod Augustus cum Julia filia commisisset, procreatam.* Habuit vero Agrippa uxores tres, & ex omnibus liberos, Pomponiam Attici filiam, ex qua natam filiam Vipsaniam Agrippinam Tiberius uxorem duxit, & ægre repudiavit, recepta Julia, propter imperii spem, Marcellam Octaviæ filiam, & Juliam Augusti, ex qua Julia nati L. & C. Cæsares, Agrippa Posthumus, & duæ filiæ, Julia, quæ L. Paullo nupsit, & Agrippina, Caligulæ mater, quæ Germanici uxor fuit; Agrippinam vero Agrippæ filiam videri noluit Cajus Caligula, quod odio haberet ignobilitatem generis istius Agrippæ. Id quum nescirent Cæsaraugustani, non tantum reliquos Caligulæ parentes, verum ipsum etiam Agrippam in nummis suis expresserunt, quo facto iram Caligulæ promeruisse videntur Vaillantio, ita ut non Cæsaraugustanis tantum sed & universæ Hispaniæ jus monetæ abrogaverit; neque verisimilitudine illud caret, quoniam post Caligulam nulli amplius nummi in coloniis Hispanicis cusi inveniuntur, talisque vindicta a moribus ejus monstri non abhorret.

Rarissimus hic nummus est, ut & similis, qui tomo altero apud Morell. nostrum occurrit inter Agrippæ nummos num. XX, cum nominibus duumvirorum Cæsareæ Augustæ Titullo & Montano. Neque minus rari sunt illi nummi, quos vivo

vivo Agrippa, temporibus Augusti, dedicarunt Gaditani Hispanienses; quales duos vidi in museo quondam Jacobi de Bary, quorum alter caput ipsius Agrippæ exhibebat corona rostrata insigne, cum adscripto nomine AGRIPPA, atque acrostolium ab altera parte globo impositum, cum singulari hac inscriptione MVNICI*pium* GA*ditanum* PATRON*o*. Alter vero nummus Herculis caput cum leonina & clava præferebat, & typum itidem ab altera parte acrostolii globo impositi, cum superba hac epigraphe, qua conditori suo Herculi eundem æquabant, MVNICI*pium* GA*ditanum* PAREN*ti* S*uo*.

Litera K.

GERMANICVS CAESAR C*ai* CAESARIS PATER. Caput nudum Germanici.

Colonia Cæsarea Augusta. SCIPIONE ET MONTANO IIVIR*is*. Colonus agens boves.

Litera L.

GERMANICVS CAESAR C*ai* CAESARIS PATER. Caput idem Germanici.

Colonia Caesarea Augusta. in ipsa nummi area, in circuitu, SCIPIONE ET MONTANO IIVIR*is*.

Rationem signandi hos nummos supra adtigimus. Vaillantius, qui alios cum Germanici & Caji capitibus in eadem colonia signatos adtulit pag. 136. hos non vidit. Sunt rarissimi, ut & duo sequentes.

Litera M.

AGRIPPINA M*arci* F*ilia* MAT*er* C*ai* CAESARIS AVGVSTI. Caput Agrippinæ, Marci Agrippæ ex Julia Augusti filiæ, uxoris Germanici, matris Caji Cæsaris.

Colonia Caesarea Augusta SCIPIONE ET MONTANO IIVIR*is*. Colonus agens boves.

Et hunc nummum ignoravit Vaillantius, qui sequentem, sed sine capite, ex Tristano tom. 1. p. 50. recensuit, in opere suo de Coloniis pag. 140.

Litera N.

AGRIPPINA M*arci* F*ilia* MAT*er* C*ai* CAESARIS AVGVSTI. Caput idem Agrippinæ, quæ passim major dicitur, ut distinguatur a filia Agrippina minore, matre Neronis.

Colonia Caesarea Augusta. in area nummi; in circuitu, SCIPIONE ET MONTANO IIVIR*is*.

Vide quæ supra diximus. Omnes vero hi nummi præstantissimi sunt & rarissimi.

TAB. VII.

I.

ΤΙΒερίῳ ΚΑΙΣΑΡΙ ΣΕΒΑΣΤΩ. ΚΥΔωνιατῶν. *Tiberio Cæsari Augusto. Cydoneorum.* Caput Tiberii laureatum.

ΚΑΙΣΑΡΙ ΣΕΒΑΣΤΩ Κοινὸν ΚΡΗΤΩΝ Ἐπὶ ΚΟΡνηλίȣ Λύπȣ. *Cæsari Augusto commune Cretensium sub Cornelio Lupo.*

Cydon, sive Cydonia (unde *Cydonia spicula* & *Cydonia cornus* apud poëtas) urbs celebris fuit in Creta insula. Nummos in honorem Tiberii signasse credit Vaillantius in Num. Aur. & Arg. Impp. pag. 47. propter repetundarum condemnatum Cordum, & receptam pecuniam, sub Cornelio Lupo.

Cordus iste ex gente Cæsia fuit, ejusque mentionem facit Tacitus Annal. III. 38. *Et Ancharius Priscus Cæsium Cordum proconsule Cretæ, postulaverat repetundis; addito majestatis crimine, quod tum omnium accusationum complementum erat.* Damnationem ejus persequitur lib. eodem cap. 70. *Post auditi Cyrenenses, & accusante Anchario Prisco, Cæsius Cordus repetundarum damnatur.* Ubi opportune ex Strabone & Suetonio docet Lipsius, Cretam & Cyrenas iisdem proconsulibus atque quæstoribus paruisse. Proconsule Cretæ & Cyrenarum fuit Cordus A.V.C. DCCLXXII. Quinti forsan prænomen habuisse colligas ex inscriptione aræ antiquæ grandis, quæ, ut Romæ quondam exstans, citatur a Grutero pag. DCCCCXXXIV. num. 14.

Q. CAESIVS	Q. CAESIVS
Q. F.	Q. L.
CORDVS.	HILARVS.

At vero Cornelius Lupus, sub quo hi nummi in Tiberii honorem cusi sunt, postea a Claudio imperatore interfectus fuit. Unde in turba occisorum senatorum occurrit eidem infestus apud Senecam in Apocolocyntosi pag. 834. *Deinde amici, Saturnius Luscius, & Pedo Pompejus, & Lupus, & Celer Asinius, consulares.* Damnatus fuerat hic Lupus accusante P. Suillio, cui postea pariter subverso objici videas apud Tacitum Annal. XIII. 43. *Valerium Asiaticum, Lusium Saturninum, Cornelium Lupum circumventos.*

II.

ΤΙΒέριΟΣ ΚΑΙΣαρ ΣΕΒΑΣΤΟΣ Ἐπὶ ΚΟΡνηλίȣ Λύπȣ. *Tiberius Cæsar Augustus, sub Cornelio Lupo.* Caput Tiberii laureatum.

ΘΕΟΣ ΣΕΒΑΣΤΟΣ. ΕΛΕΥΘερναίων. *Deus Augustus. Eleuthernæorum.* Caput Augusti, ut divi, radiatum.

Eleuthernæ, quæ fuit urbs Cretæ insulæ, elegantes nummulos æreos, in Apollinis honorem vetustis temporibus cusos, possidemus. Hunc vero argenteum nummum eadem ratione signavit, qua præcedentem Cydon, & sequentem Gortyna. Tiberio propter accepta beneficia, ut filio Augusti atque successori legitimo, omnes adblandiuntur.

III.

ΤΙΒΕΡΙΩ ΚΑΙΣΑΡΙ ΣΕΒΑΣΤΩ. ΓΟΡΤΥΝΙΩΝ. *Tiberio Cæsari Augusto. Gortyniorum.* Caput Tiberii laureatum.

ΚΑΙΣΑΡΙ ΣΕΒΑΣΤΩ ΚΡΗΤΕΣ Ἐπὶ ΚΟΡνηλίȣ ΛΥπȣ. *Cæsari Augusto Cretenses sub Cornelio Lupo,* subaudi in omnibus *proconsule*. Caput divi Augusti radiatum.

Sensus hujus ex prioribus patet, Gortyna enim præcipua, illo tempore, Cretæ urbs fuit. Verum olim, quum duos hujus generis nummos possideret elegantissimus P. Seguinus, veram lectionem sen-

sensumque adsequi non potuit; uti patet ex hisce ejus verbis pag. 113. seu edit. alterius pag. 123.
„ Accedit argenteus drachmalis, integerrimus, „ & cælaturæ perquam elegantis, in quo visitur „ caput Augusti radiata corona insigne, Græca „ inscriptione, ΚΑΙΣΑΡΙ ΣΕΒΑΣΤΩ ΚΡΗΤΕΣ ΕΚΟΡ-„ ΑΤ. altera in parte caput Tiberii laureatum, „ ΤΙΒΕΡΙΩ ΚΑΙΣΑΡΙ ΣΕΒΑΣΤΩ ΓΟΡΤΥΝΙΩ. sive „ ΓΟΡΤΥΝΙΩΝ.

„ In alio fere simili nummo, sed à vetustatis „ injuriis non æque defenso, à parte capitis Au-„ gusti legitur, ΚΑΙΣΑΡΙ ΣΕΒΑΣΤΩ Κ. ΓΗΓΩΝ „ ΕΚΟΡΑΤ. Sole clarius adparet, utrumque num-„ mum in Creta fuisse cusum: & priorem qui-„ dem Gortynæ, quæ hujus insulæ urbs præcla-„ ra. In posteriore vero nihil aliud designatur „ nota Κ, quam ΚΡΗΤΗ, cum insolito epitheto „ ΓΗΓΩΝ, quod post accuratam disquisitionem, „ dividendum mihi videtur in voces duas γῆ γῶν, „ *terra terrarum.* Magna siquidem Cretæ digni-„ tas, quæ omnibus Mediterranei maris insulis, „ si Siciliam exceperis, antecellit, sive propter „ Jovis incunabula, sive propter centum urbes „ quibus habitabatur, unde Hecatompolis dicta; „ sive etiam propter fertilitatem. Quas Cretæ „ laudes luculenter Virgilius expressit:

„ *Creta Jovis magni medio jacet insula ponto,*
„ *Mons Idæus ubi, & gentis cunabula nostræ.*
„ *Centum urbes habitant magnas, uberrima re-*
„ *gna.*

„ Gortynam vero, cujus mentio fit in nummo, „ quæque jus civitatis suæ Tiberio tribuisse vide-„ tur cum cognomine ΓΟΡΤΥΝΙΩ, certum est in-„ ter præcipuas Cretenses urbes numeratam fuis-„ se; notas illas ΕΚΟΡΑΤ in nummo exaratas, us-„ que adhuc non intelleximus.„

Reprehendit hasce Seguini conjecturas ut vanas Harduinus in lib. de Numm. Urb. & Pop. 259. & 260. atque Operum ejusd. pag. 86. irridet etiam, quum tamen & ipse literis ΕΧΟΡΑ (ut perperam legerunt Occo & Patinus) perversum tribuat sensum, & ibi pag. 260. & in voce ΑΡΟΧΕΩΝ pag. 72. nam literæ illæ perperam lectæ illi sunt pro Ε. ΚΟΡ. Α. i. e. Ἐπὶ ΚΟΡνηλίȣ Λύπȣ. unde prudenter in repetita editione utrobique sententiam illam induxit. Fallitur insuper in illo, quod integre scribat in nummis legi ΑΤΠΟΤ, quum tantum priores literæ, una vel duæ, in nummis occurrant.

IV.

ΤΙΒΕΡΙΩ ΚΑΙΣΑΡΙ ΣΕΒΑΣΤΩ ΕΠΙ ΚΟΡνηλίȣ ΛΥπȣ. *Tiberio Cæsari Augusto, sub Cornelio Lupo.* Caput Tiberii laureatum.

ΣΥΝΚΛΗΤΩ ΚΡΗΤΕΣ. ΚΥΔωνεατῶν. *Senatui Cretenses. Cydoneorum.* Caput Senatus Romani barbatum & velatum. Nummus argenteus hic maximi moduli est, & rarissimus.

Sub eodem proconsule Cornelio Lupo Cretenses hoc numisma percusserunt, & quidem in urbe Cydonia, unde duplex inscriptio, altera populi Cretensis, altera civium Cydoniæ urbis. In illo reverentiam suam exhibent Tiberio & Senatui Romano.

V.

ΤΙΒΕΡΙΩ ΚΑΙΣΑΡΙ ΣΕΒΑΣΤΩ ΕΠΙ ΚΟΡνηλίȣ ΛΥπȣ. *Tiberio Cæsari Augusto, sub Cornelio Lupo.* Caput laureatum Tiberii.

ΣΥΝΚΛΗΤΩ ΚΡΗΤΕΣ. ΚΥΔΩΝΕΑΤΩΝ. *Senatui Cretenses. Cydoneorum.* Caput Senatus Romani idem.

Similis omnino est præcedenti, nisi quod nomen urbis Cretensis, sive civium ejusdem, integre scribatur; & tertio casu non primo Senatus nomen exhibeatur. Senatum Romanum sæpius in nummis Græcorum inberbem pingi cernimus, prouti certe inberbes Romani temporibus Imperatorum ante Hadrianum & Antoninos fuerunt. Quæri itaque potest, cur barbatus in Cretensium nummis? Respondeo illud factum respectu judicis & regis Minois Cretensis, cui in hisce nummis Senatum Romanum comparaverunt, adulatione decora, præsertim si respicias ad judicii severitatem, qua condemnatus fuerat Cæsius Cordus, male de ista insula meritus.

VI.

TIberius CAESAR DIVI AVGVSTI Filius AVGVSTVS. Caput Tiberii laureatum.

MVNicipium ERGAVICA. Caio CORnelio FLORO L. CAElio ALACRE IIVIRis. Bos infulatus, qui propter infulam capiti inpositam sacrificium pro salute Cæsaris denotat, in sequenti nummo sine infula simpliciter coloniæ symbolum est.

Ergavica, fuit urbs Celtiberorum in Hispania Tarraconensi, Livio *nobilis & potens* dicta, de qua ut & nummo hoc egit Vaillantius pag. 109. Duumviri hi in historiis non occurrunt.

VII.

Præcedenti similis, sed literarum positura differat; bos vero sine infula depictus simpliciter coloniam esse Romanam urbem hanc ostendit.

VIII.

TIberius CAEsar DIVI AVGusti Filius AVGVSTus IMPerator ConSul IIII. Caput Tiberii nudum.

PERMISsu Publii DOLABELLAE PROCOnSulis. Figura muliebris velata, sedens, dextra duas spicas tenet, læva hastam. Literæ ultimæ in nummo detritæ & per punctulos quasi CRO a Morellio, a Vaillantio CP signatæ, varie concipi possunt, & legi per P. P. S. C. *Posuere Suffetes Carthaginienses*, vel P.P.D.D. *Posuere Decreto Decurionum*, quales exstant cum alterius proconsulis vel magistratus nomine apud Vaill. pag. 128. 129. 130. 131. vel potius, ex sequenti nummo, hæ literæ reponi debent CPCA SDO. In Africa enim signatum fuisse hunc nummum patet ex Dolabellæ proconsulatu. Consul fuit sub Augusto A. V. C. DCCLXII. vel juxta Varronem DCCLXIII. una cum Junio Silano; diu postea, videlicet anno DCCLXXVI. Junio Blæso, in Africæ administratione, ut proconsule successit. Vide de eodem plura apud Vaill. de Coloniis pag. 132.

Statua illa Liviæ est, cujus numen, ut frugum matris, & tanquam novæ Cereris venerari Africa videtur, regio fertilissima. De urbe, ubi cusus fuerit nummus, statim accuratius agemus.

IX.

TIberius CAEsar DIVI AVGusti Filius AVGustus IMPerator Pater Patriæ COnSul IIII. Caput Tiberii nudum.

PERMISsu Publii CORNELIi DOLABELLAE PROCOnSulis. CP CASDD. Mercurius cum petaso in capite & talaribus pedibus adnexis, cætera nudus, scopulis insidet, dex-

dextra caduceum alatum tenens, læva scopulis iisdem innixus.

Ingens de hoc numismate, præclaro sane, dubitatio est inter antiquarios, cui civitati adscribi debeat, quum aperte nullius in eodem mentio occurrat. Operæ pretium est eorundem sententias & ipsa verba proponere, ut tanto certius veritas investigari possit. Morellius, de interpretatione anxius, hæc ad Perizonium perscripserat, in sæpius laudato libello pag. 193. „ Joh. Vaillant, „ quo in re nummaria vix versatior alter, inter „ nummos Coloniarum, Tiberii unum evulgavit, „ hujus inscriptionis: PERMIS. P. DOLA- „ BELLAE PRO. COS. eundemque in Africa „ signatum non sine ratione existimavit. Alius „ habetur in Anglia maximi fere moduli, cujus „ ichthyocollam mihi humanissime submisit Il- „ lustriss. Spanhemii ex sorore nepos nobiliss. „ Bonnetus, hanc sustinentem epigraphen: PER- „ MIS. P. CORNELI DOLABELLAE „ PRO COS. quam sequuntur septem literæ „ aliæ detritæ, quæ tamen hæ videntur: CPC „ ASDD. In area cernitur Mercurius nudus „ ac elegantissime effictus, inter has majoris for- „ mæ literas C. P. Quia vero hic nummus ex „ Morea sive Peloponneso in Angliam fuit trans- „ latus, exinde nonnulli hanc conceperunt opi- „ nionem, cusum illum fuisse in Colonia Pa- „ trensi: sed cum hæc urbs in nummis illius tem- „ poris C. A. A. P. Colonia Aroë Augusta Pa- „ trensis, communiter audiat, & nummus Drusi „ apud cl. Vaillantium p. 134. cum capite Mer- „ curii in Africa provincia percussus videatur, „ litem hanc meam non faciam, sed ejus decisio- „ nem peritioribus relinquam. „ Cui hæc respondit Perizonius pag. 271. 272. „ In nummo „ *P. Dolabellæ Procos.* Africæ, literas, quas se „ vidisse illi inscriptas ait Morellius, C. P. inter- „ posito Mercurio nudo, ac dein CASDD. „ legendas & explicandas putem, *Curaverunt Po-* „ *ni Coloniæ Augustæ Saldes* vel *Sabratæ Decurio-* „ *nes.* In Nomine ipso Coloniæ forsitan erra- „ vi, at reliqua hoc modo constituenda, vix du- „ bito. Sunt autem istæ coloniæ in Africa, ubi „ & Promontorium Mercurii erat, in quo sita „ Urbs Clupea. Vide Plinium N. H. V. 4. „ Cui explicationi nequaquam adsentiri possum, præteriit enim literas initiales, quæ post COS. sequuntur, scilicet C. P. adtendens tantum ad literas easdem C. P. quibus intermedius cernitur Mercurius.

Aliam conjecturam proposuit Begerus, qui putat Carthagine signatum fuisse nummum & a Cajo & Publio Cassiis statuam ibidem Tiberio, habitu Mercurii, permissu proconsulis Dolabellæ fuisse positam. Argumenta, quibus id adstruere conatur, & numisma ipsum, exstant tom. III. Thes. Brand. pag. 92. 93. „ Rarissimum hoc „ Numisma est, infit ARCHAEOPHILVS, „ idque ob caput Tiberii, quod rarius exprimi „ solet, Noscitur enim non effigie tantum, sed „ & inscriptione: TI. CAE. DIVI AVG. F. „ AVG. IMP. . . . . Quid autem de- „ signet Mercurium, cum tamen hunc nullum „ insigne determinet? Galerus, inquit DVLO- „ DORVS, in capite *alatus* est, aliique ac Mer- „ curio dari nequit, Imo & Caduceum manu „ præferentem deprehendo, licet iniquitas tem- „ poris hic Numisma valde corruperit. Sit ita, „ excepit ARCHAEOPHILVS, unde autem „ tu statuam hanc Tiberio positam demonstras? „ An ex Tiberii facie? Non ex hac tantum, re- „ spondit DVLODORVS, sed etiam ex Per- „ missu Romani Proconsulis, ita enim inscriptio „ PERMIS. P. CORNELI. DOLABEL- „ LAE PROCOS. C. P. CAS. DD. C. P. „ Dolabella Proconsul, inquit ARCHAEO- „ PHILVS, etiam in Numismate Tiberii apud „ Cl. Vaillantium legitur, quamvis alia cum fi- „ gura, & inscriptione in fine mutila: sed is Nu- „ misma licet in Africa signatum ex nomine „ Proconsulis asserat, qui Tacito memoratur, ta- „ men quod nomen civitatis in eo detritum fue- „ rit, inter incerta posuit; indeque mirari su- „ bit, unde tu Carthagine propositum signatum „ asseras? Ex simulacro Mercurii, respondit „ DVLODORVS, adjectisque ei literis C. P. „ has enim, cum prioribus junctas, quid inter- „ pretaberis, si non: *Cajus & Publius Cassii Decu-* „ *riones Carthagine Posuerunt?* non quod nulla in „ Africa civitas fuerit, cujus nomen à litera C. „ inceperit, sed quod nulli harum tanta ratio fue- „ rit Mercurium signandi, ac Carthaginensibus. „ Ego potius pro Clupea sentirem, inquit AR- „ CHAEOPHILVS; Plinio enim teste, *Clupea* „ *in Mercurii Promontorio sita erat.* Clupea, re- „ spondit DVLODORVS, non Colonia, sed „ eodem Plinio teste, *libera* fuit. Carthaginem „ autem coloniam jam Cæsar deduxerat, id quod „ ex Dione patet, nostroque numismati non pa- „ rum opitulatur. „ Addit deinde ut dubium de rupibus, quibus insidet Mercurius, solvat. „ Carthago, respondit DVLODORVS, licet „ in promontorio Mercurii non jacuerit, haud „ tamen procul ab eo distabat; Mercurium sane „ impense eam coluisse, vel hoc argumento esse „ posset, quod promontorium hoc ditione sua „ comprehendit, ipsaque Clupea Straboni *Car-* „ *thaginensium urbs* vocetur. Non alium autem „ hic intelligi debere Mercurium, quam eum, „ qui in promontorio colebatur, ex ipso nummo „ palam est. Saxo enim insidet, non perpendi- „ culariter jacenti, sed prono, & cum apice, „ cui Mercurius insidet, quasi in mare proten- „ so. „ Hæc Begerus. Nemini tamen obscurum est, literas illas C. P. CAS. D. D. C. P. etiam ita posse legi, *Caius Publius* CAS*sii*, *Decreto Decurionum Curaverunt Poni.* Verum ut ad Carthaginem & veram nummi lectionem veniamus, ibi præter decuriones fuerunt suffetes, quomodo maximus apud Pœnos olim dicebatur magistratus, qui Romanorum consulibus non valde erat absimilis, uti docte adstruit Vaillantius de Coloniis pag. 72. & 131.) retento adhuc prisco (quod ex Oriente defluxerat) vocabulo *Sophetim* i. e. *judices.* Et hinc nummi Carthaginenses sub Julio Cæsare quidem habent decuriones, sed suffetes sub Tiberio, uti patet ex nummis apud Vaillantium pag. 2. in Julio Cæsare, ubi hæc ad capita Julii Cæsaris & Augusti, conditorum atque instauratorum est inscriptio, EX *Decreto Decurionum Colonia Julia Carthago* XXXVI. scil. *anno.* In nummo Neronis pag. 169. C. I. C. A. D. D. id est *Colonia Julia Carthago Antiqua Decreto Decurionum. Antiqua* enim ibi vocatur, ut a Carthagine Hispanica, quæ *nova* dicta est, distinguatur. Sic & in Aurelio pag. 257. literis tantum initialibus, ut passim, *Colonia Julia Carthago Antiqua Decreto Decurionum.* Eodem modo in Commodo pag. 302. Nonnunquam vero dignitas reticetur, & solummodo coloniam Carthaginem significantes literæ ponuntur, ut in nummo Agrippinæ majoris pag. 140. *Colonia Julia Carthago* GENIVM scil. *populi Romani colit.* Adpingitur enim Genius cum patera

& cornucopiæ, qui idem depictus cernitur in nummo Antonini Pii pag. 243. cum temone navis, & cornucopiæ, & inscriptione pleniore, *C*olonia *Julia Carthago Antiqua* GENIO *P*opuli *R*omani. Præter decuriones, tempore Tiberii non tantum sed & Augusti, Carthagine suffetes fuisse nummi ostendunt, & a Vaillantio publicati & recens nunc ex Morellii mente edendi. Apud Vaill. pag. 131. & inter Tiberii nummos æreos magni moduli lit. A. & B. statua sedentis est Liviæ, quæ dextra pateram, læva tenet hastam, cum hac inscriptione P. S. S. C. id est *P*osuere *S*uffetes (sive potius *P*osuere *S*ignum *S*uffetes) *C*arthaginenses, *Caio Lollio Marco Domitio* II VIR*is*. Ad quos recte conjicit idem Vaillantius referendum esse Augusti nummum propter obscuritatem inter incerta ab eodem relatum pag. 71. in quo videtur esse statua Augusti galeati & paludati, dextra hastam tenentis, atque impositi cippo, cui inscribuntur literæ P. SS. C. & cujus integra inscriptio superiori simillima hæc est, *P*osuere *S*uffetes (malo iterum *Signum S*uffetes) *C*arthaginenses, *Caio* LOLL*io Marco* DOM*itio* ITE*rum* II VIR*is*. Imo Augusti quoque tempore suffetes fuisse dictos docet Vaillantio incognitus nummus, quem in gente Egnatia num. IV. & Lit. D. visuri sumus, cum hac inscriptione *M*arco EGN*atio Quinto* OCT*avio* II VIR*is*, S. P. S. C. & in altero P. S. C. quæ literæ indicare videntur *S*uffetes *P*osuere *S*ignum *C*arthagine. vel, *P*osuere *S*ignum *C*arthagine, subintellecto *suffetes*. Inscriptio ipsa in laurea exstat; sed videtur intelligi signum illud, quod, Carthagine positum Augusto sub his duumviris a suffetibus, exprimitur in nummo modo descripto C. Lollii & M. Domitii duumvirorum.

Ex omnibus hisce collatis adparet Carthagine a suffetibus & Augusto & Liviæ statuas positas atque dedicatas fuisse. Cur non idem Tiberio præstiterint, quem progrediente adulatione sub specie Mercurii coluerint? Nummum itaque Begerianum, cujus hæc est epigraphe PERMIS. P. CORNELI DOLABELLAE PROCOS. C. P. CAS. D. D. C. P. non ut ille legit *Cajus Publius* CASS*ii* &c. sed ita suppleri debere existimo, PERMI*ssu* P*ublii* CORNEL*i* DOLABELLAE PROCO*nSulis Curarunt Poni Carthaginis Antiquæ Suffetes Decreto Decurionum Coloniæ Patrono*. Suffetem vero isto tempore fuisse C. L. Gavium quendam docet numisma insigne, quod exstat inter Numismata maximi moduli Pisana, quorum luculentam editionem eruditis illustratam observationibus exspectare me literis suis jussit summe amicus mihi Dom. Albertus Mazzolenus. A parte capitis hæc adest inscriptio, TI*berius* CAE*sar* DIVI AVG*usti Filius* AVG*ustus* IMP*erator* VIII. CO*nSul* IIII. ab altera vero parte eundem Mercurii typum cum hac epigraphe, PERMIS. P. DOLABELLAE PROCOS. C. L. GAVIO C. A. S. C. I. P. Quas literas sic interpretor, PERMIS*su Publii* DOLABELLAE PROCO*nSulis Caio Lurio* (vel *Lucretio*, *Lucilio*, vel simili) GAVIO *Carthaginis Antiquae Suffete Coloniae Iuliae Patrono*. Discimus ex nummo hoc singulari, quo tempore fuerit erecta Carthagine statua Tiberio viventi habitu Mercurii, videlicet spatio intermedio A. V. C. DCCLXXI. DCCLXXII. vel DCCLXXIII. Imperator enim VIII. dictus est Tiberius victis a Germanico Cheruscis A. V. C. DCCLXIX. consul III. cum Germanico Cæsare II. factus est A. V. C. DCCLXXI. & consul IIII. cum filio Druso Cæsare II. A. V. C. DCCLXXIV. unde suspicor positam hanc fuisse statuam A. V. C. DCCLXXII. quo civitates Asiæ terræ motu dirutas restituit, & Carthago forsan vel aliquod beneficium ab eodem recepit, vel talem munificentiam in principe suo mirata est. Discimus insuper suffetem fuisse Gavium quendam, ex nescio qua gente, cujus litera initialis L. tantum exprimitur. Cognomen hic est Gavius, quod alias nomen gentis esse solet, ut in P. Gavio Cossano, Gavio Silone, M. Gavio Apitio aliisque, qui recensentur apud Glandorpium pag. 379. Lucius Gavius, Bruti in Asia, tempore Ciceronis procurator ibidem commemoratur, cujus diminutivum Gavianus & Gaviana quoque in antiquis lapidibus occurrit. Nisi Gaviones fratres vel consanguineos aliquis malit simul fuisse suffetes, ut legi debeat *Cajo Lucio* GAVIO*nibus* &c.

Discimus insuper patronum coloniæ Juliæ Carthaginis adpellatum fuisse Tiberium, quod singulare aliquod beneficium ejusdem innuit, & novum in coloniarum & municipiorum nummis non est, prouti docuimus ad M. Agrippæ nummum tab. præced. lit. I. exstare rarissimos ejusdem Agrippæ nummos in municipio Gaditano percussos, in quibus non tantum patronus municipii Gaditani vocatur, verum etiam parens, tanquam alter Hercules Gaditanus, cujus effigies in posteriore nummo adparet, cui Agrippam Gaditani comparaverunt, sicuti Carthaginenses sub Mercurii specie in hisce nummis Tiberium honorarunt.

X.

Caius CAESAR AVG*ustus* GERMANICVS IMP*erator*. Caput Caligulæ laureatum.

MVN*icipium* AVG*usta* BILBILIS *Caio* CORN*elio* REFEC*to Marco* HELV*io* FRONT*one* II VIR*is*. Corona quercea.

Bilbilis Hispaniæ Tarraconensis urbs fuit, cujus duumviri Fronto & Refectus ex stirpe Corneliorum & Helviorum imperatori Caio recens imperium adepto gratulantur benignitatem illam quæ novos principes passim comitari in principiis solet. Unde Suetonii istum locum ex cap. XV. adducit Vaill. p. 146. *Pari popularitate damnatos relegatosque restituit; criminumque, si qua residua ex priore tempore manebant, omnium gratiam fecit.*

XI.

Caius CAESAR AVG*ustus* GERMANICVS IMP*erator* PATER PATRIAE. Caput Caligulæ nudum.

Colonia Caesarea Augusta SCIPIONE ET MONTANO II VIR*is*. Colonus agens boves.

Pertinet hic nummus ad illos quos vidimus supra tab. VII. lit. K. L. M. N. ubi vide quæ diximus, de hoc etiam consule Vaill. de Colon. pag. 147. ubi docet Saldubam mutato nomine Cæsaraugustam dictam a conditore coloniæ Augusto fuisse.

CORNVFICIA.

Dicta videtur a *cornu* & *faciendo*, & fuit *Cornuficia* gens plebeja, quæ quoque *Cornificia* a scriptoribus dicitur.

I.

Caput Jovis Ammonis cornutum.

Quintus CORNVFI*cius* AVGVR IMP*erator*,

tor. Cornuficius ſtans habitu augurali coronatur a Junone Soſpita, ſive (ut alii ſcribunt) Siſpita.

Quintus Cornuficius denarios hos in Africa percuſſit, ibi enim erat cum imperio, atque a ſenatu provinciam eandem acceperat. Inde Jovis Ammonis cum cornu arietino caput expreſſit. Fuit hic Cornuficius vir inſignis, pacis bellique artibus clarus, unde creberrima ejus mentio apud Ciceronem in Epiſtolis, cujus etiam collega in auguratu & competitor in conſulatu extitit. In bello civili Cæſaris partes ſecutus eſſe videtur, & is ipſe cujus bellica induſtria laudatur apud Hirtium de Bello Alexand. cap. XLII. *Sub idem tempus in Illyrico eſt incommodum acceptum: quæ provincia ſuperioribus menſibus retenta non tantum ſine ignominia, ſed etiam cum laude erat. namque eo miſſus æſtate cum II. legionibus Q. Cornificius Cæſaris quæſtor pro prætore, quamquam erat provincia minime copioſa ad exercitus alendos, & finitimo bello ac diſſenſionibus vaſtata & confecta, tamen prudentia ac diligentia ſua, quod magnam curam ſuſcipiebat, ne quo temere progrederetur, & recepit, & defendit. namque & caſtella complura locis editis poſita, quorum opportunitas caſtellanos impellebat ad decurſiones faciendas, & bellum inferendum, expugnavit; eaque præda milites donavit: quæ etſi erat tenuis, tamen in tanta provinciæ deſperatione erat grata, præſertim virtute parta:* Interfecto autem Cæſare acta triumvirorum Antonii, Lepidi & Cæſaris minime probavit, unde ad illum plurimos ex proſcriptis ſeſe recepiſſe dicit Appianus B. Civ. lib. IV. p. 610. *Quotquot igitur effugere potuerunt, apud Caſſium Brutumque habebant receptaculum, aut apud Cornuficium in Africa, hunc quoque ſtantem à republica.* Itaque inde milites quoque Sexto Pompejo in Sicilia agenti ſubmiſiſſe dicitur Dioni lib. XLVIII. pag. 419. & vi atque armis creditam a ſenatu provinciam contra T. Seſtium pro virili defendiſſe, pag. 421. Sextium adpellat Appianus; atque Cornificium, quem Dio cum nummis Cornuficium. Narrat vero idem operoſe belli. ejus exitum & Cornuficii interitum, lib. IV. B. C. p. 620. Res vero ita geſta fuit. *Africæ Romani alteram provinciam vocant veterem, ademptam Carthaginienſibus: alteram, quæ prius regnum Jubæ fuerat, a C. Cæſare occupatam, ideo novam adpellant: quæ eſt Numidia. Hanc Sextius regens, nomine Cæſaris, denuntiabat Cornificio, ut vetere ſibi decederet, quod ex triumvirali diviſione univerſa Africa deberetur Cæſari. Ille negabat ſe ſcire quid triumviri inter ſe diviſerint: æquum eſſe nequis ſenatus injuſſu decedat provincia, quam a ſenatu accepiſſet. Habuit autem exercitum in hoc bello & genere armorum præſtantiorem & virorum numero: nam Sextiani plerique levi armatura utebantur: quapropter expedite obeuntes mediterranea in partes ſuas cogebant: & Sextius a Ventidio Cornificii duce cum majoribus copiis occurrente obſeſſus eſt. Lælius quoque, alter Cornificii dux, ingreſſus Sextii provinciam, Cirtam obſedit in ea. Omnes hi per legatos petebant ſocietatem auxiliaque regis Arabionis & Sittianorum, qui ita vocantur ob cauſam hanc. Sittius Romæ accuſatus non expectato judicio profugit, collectiſque ex Italia & Hiſpania copiis trajecit in Africam. Erat tum bellum inter Africæ regulos: horum nunc hunc, nunc illum juvit auxilio: cumque ſemper vincerent quibuscunque ſe conjungeret: clarum nomen Sittius adſecutus eſt, & exercitum ſuum rei militaris egregie peritum reddidit. Cæſari quoque Pompejanos in Africa bello perſequenti adſuit, & Saburam Jubæ ducem occidit: pro quibus meritis accepit a Cæſare agrum Manaſſe, non totum, ſed partem ejus optimam. Manaſſes Arabionis hujus fuerat pater, Jubæ amicus & ſocius: ejus ditionem Cæſar partim huic Sittio, partim Boccho regi Maurorum donaverat: Sittius portionem ſuam diviſit ſuis militibus. Arabio tunc in Hiſpaniam ad Pompeji filios ſe contulit: poſt necem vero Cæſaris in Africam reverſus, ſubinde Afrorum auxilia Sex. Pompejo ſubmittebat: quos ubi jam exercitatos recepit, Bocchum expulit, Sittium per inſidias ſuſtulit: & quamvis Pompejanos his de cauſis amaret, a factione tamen eorum abſtinuit, ut fortunæ favore deſtituta, propenſior in Sextium, per quem captabat Cæſaris gratiam. Sittiani quoque eaſdem partes ſecuti ſunt, quippe memores paternæ amicitiæ. Itaque auctus animis ac opibus Sextius, non paſſus ſe diutius oppugnari, in æquum locum produxit copias: in qua pugna Ventidius cecidit: exercitus duce orbatus terga vertit. Sextio perſequente & cædente aut vivos capiente quotquot aſſequebatur. His nuntiatis Lælius obſidionem Cirtæ ſolvit, & recepit ſe ad Cornificium. At Sextius hoc ſucceſſu elatus, Uticam & ipſum Cornificium petiit, caſtra metatus eſt in proximo quamvis minores haberet copias. Ibi Lælio cum equitatu ad ſpeculandum a ſuis miſſo, Sextius Arabionem cum ſuis equitibus juſſit occurrere: ipſe cum expeditis peditibus hoſtem equeſtri prælio intentum invaſit a latere, tantumque tumultum excivit, ut Lælius nondum victus, timens ne intercluſus non poſſet ſe retro ad ſuos recipere, occuparit in medio tumulum: Arabio extremis refugientium cæſis, corona eum tumulum cinxerit. Hoc viſo Cornificius plures eduxit ut Lælio ſuccurreret. Sextius inſecutus à tergo eum adgreſſus eſt: ille converſis ſignis repugnavit valde laborioſe. Interim Arabio miſſis quibusdam adſuetis prærupta ſcandere, clam obrepſit in caſtra Cornificii: Roſcius eorum cuſtodiæ præpoſitus, militi ſe jugulandum præbuit; Cornificius non ferens hoſtem, in tumulum ſe recipiebat ad Lælium, neſciens caſtra amiſſa: in eo conatu equitum Arabionis incurſu oppreſſus eſt. Id videns ex editiore loco Lælius ſeipſum interemit: occiſis ducibus exercitus diffugit. Proſcripti, qui apud Cornificium fuerant, alii trajecerunt in Siciliam, alii quo quisque potuit. Sextius Arabionem & Sittianos donavit multis manubiis, urbes omnes venia data recepit in fidem Cæſaris.* Intermedio iſto tempore, quo Sextius a copiis Cornuficii fuit obſeſſus, atque partes ejus ubique profligatæ, cuſi hi denarii videntur, in quibus Conuficio titulus imperatoris datur.

Pars averſa auguratum ejus indicat, & originem forſan generis ex Lanuvio. De typo Junonis Soſpitæ in gente Procilia agendum erit.

II.

Caput Cereris Africanæ, ſpicis redimitum, quas alii editores neglexerunt.

Epigraphe & typus ab altera parte idem cum præcedente eſt.

Africanæ Cereris mentio eſt apud Tertullianum ad Uxor. lib. I. cap. VI. *Ceterum viduas Africanæ Cereri adſiſtere ſcimus, duriſſima quidem oblivione matrimonii adlectas*, & Exhortatione ad Caſtitatem cap. XIII. *Fœminas vero Cereris Africanæ, cui etiam ſponte abdicato matrimonio adſeneſcunt, exinde ademto contactu maſculorum, usque ad oſcula filiorum.* & de Monogamia cap. XVII. *Cereris ſacerdotes viventibus etiam viris & conſentientibus amica ſeparatione viduantur.*

III.

In omnibus nummo ſecundo eſt ſimilis, ſed, rarum alias, rariorem efficit reſtitutio Trajani; unde inſcribitur in circulo IMP*erator* CAES*ar* TRAIAN*us* AVG*uſtus* GER*manicus* DAC*icus* *Pater Patriæ* REST*ituit*.

In

In hoc denario a Trajano restituto Patinus & Vaill. aquilam clypeo Junonis Sospitæ insidentem exhibent, quæ in prioribus duobus apud eosdem abest. In iis tamen quoque observari nummi Morelliani docent. Aquila vero quum nihil pertineat ad Junonem, unde in Procíliæ quoque nummis ab eodem Junonis clypeo abest, in hisce ad prioris partis nummi primi typum referri debet, videlicet ad Jovem, cujus ales & armiger aquila esse fingitur.

COSCONIA.

Gens Cosconia videtur fuisse plebeja, tribunatum enim plebis gessisse legitur. Occurrunt vero Cosconii plures; M. Cosconius, tribunus militum in acie cæsus, belli Punici II. anno XVI. C. Cosconius, prætor bello sociali; Cn. Cosconius, qui proconsule in Illyricum missus Dalmatiæ magnam partem & Salonas recepit. C. Cosconius prætor Cicerone consule, qui proconsule quoque in Hispaniam missus est, aliique.

I.

Lucius COSCO*nius Marci Filius*. Caput Romæ galeatum cum nota denarii.

Lucius LIC*inius* CN*eus* DOM*itius*. Mars nudus in bigis, dextra tenens hastam; læva clypeum, habenas, & lituum militarem.

Vidimus jam denarium hunc in gente Aurelia num. V. ubi a Scauro percussum similem agnovimus, repetitur etiam in aliis, ut Pomponia, Poplicia, Porcia, videnturque omnes illarum familiarum homines, in denariis iisdem memoratis, triumviri monetales fuisse sub censura Cn. Domitii Ahenobarbi & L. Licinii Crassi, quorum nomina in omnibus illis denariis sub iisdem bigis scribuntur, quum nomen triumvirorum monetalium ad Romæ caput positum inveniatur. Ahenobarbus hic atavus Neronis imperatoris fuit, de quo Crassus, vir facetus & mire promtus, dixisse fertur, *Non esse mirandum, quod barbam haberet aheneam, cui os ferreum, & cor plumbeum esset*, ut in Neronis Vita cap. II. testatur Suetonius. Censuram hi non sine jurgiis & rixis plurimis gesserunt, utpote ingenio admodum dispares. Bonas tamen res multas sanxerunt, & circa pecuniam quoque aliquid statuisse videntur, unde nomen eorum in denariis notatum legitur. Censuram una inierunt A. V. C. DCLXI. atque per quatuor annos gesserunt, unde plures triumviri monetales eorum simul signarunt nomina.

Hunc L. Cosconium, qui in denario Marci filius dicitur, statuit Vaillantius fuisse fratrem Cn. Cosconii prætorii. Agnoscit eundem hunc quæstorem provincialem A. V. C. DCXLV. tribunum plebis DCL. Unde miror quomodo undecim vel duodecim minimum post annis scribat sub censoribus Domitio & Crasso triumvirum monetalem fuisse, qui utique magistratus inter primos honorum gradus & tyrocinia censeri debet. Ursino quoque adsentiri non possum, qui Lucium hunc filium facit M. Cosconii tribuni militum, qui cecidit in pugna contra Magonem Annibalis fratrem, ut narrat Livius XXX. 18. A. V. C. DL. nimis enim longum est spatium ad annum DCLXI. vel seqq. quo filius primos honores auspicaretur. Credo itaque filium fuisse M. Cosconii illius, qui A. V. C. DCXVIII. prætor in Macedoniam missus, prospere in Illyrico cum Scordiscis, Thraciæ populis, pugnavit, ut Livii Epitome docet lib. LVI.

COSSVTIA.

Familiam Cossutiam fuisse equestrem docet Suetonius in Vita Cæsaris, ubi cap. I. narrat Cossutiam, virginem divitem ex familia equestri, Cæsari adhuc prætextato per patrem Julium fuisse desponsatam, sed Cæsarem, mortuo patre, dimissa eadem, alias conditiones & Cinnæ quater consulis adfinitatem quæsivisse.

I.

CAESAR DIC*tator* PERPETVO. Caput Cæsaris laureatum & velatum.

Caius MARIDIANVS. Venus Victrix stans, dextra tenens victoriolam, lævo cubito innixa clypeo super globum posito.

Qui in hoc denario C. Maridianus, is in sequenti Cossutius Maridianus vocatur. Unde patet pertinere hos denarios ad Maridium quendam, qui adoptione transierit in Gentem Cossutiam, & propterea prolongato priori nomine gentilitio cognomen Maridiani receperit. Adfinis videtur fuisse per adoptionem Cossutiæ virginis a Cæsare dimissæ; patrem putat Ursinus, quem recte refellit Vaillantius, qui credidit hunc ipsum Maridium sive Maridianum a patre Cossutiæ adoptatum fuisse; quod incertum est. Illud est certum, fuisse inter quatuorviros (quos ampliato numero antiquiore ternario instituit Cæsar) qui sub Cæsare dictatore cum ejusdem effigie denarios cuderunt, fuerunt vero illi, præter hunc C. Cossutium Maridianum, Buca, Regulus & Flaminius, quorum omnium adhuc exstant denarii.

Caput Cæsaris laureatum cernitur, concesso illi ex decreto Senatus jure laureæ perpetuo gestandæ. Velatum idem est propter religionem pontificatus summi, unde Symbola ejusdem honoris adduntur in denario sequenti.

II.

CAESAR PARENS PATRIAE. Caput Cæsaris pontificis maximi & dictatoris laureatum & velatum, cum apice & lituo.

Caius COSSVTIVS MARIDIANVS, in area nummi per transversum, & in circuitu, *Auro Argento Aere Flando Feriundo.*

Inter honores, quibus Cæsarem cumulavit senatus, etiam adpellatio patris sive parentis patriæ fuit, ut notum est ex historiis. Ciceroni antea ex vero adfectu & ex meritis fuerat inditum, propter servatam rempublicam; Cæsari, per adulationem, propter eandem oppressam.

III. *Lit.* A. *& seqq.*

SABVLA. Caput Medusæ alatum, quód pro diademate circumambiunt angues, qui juxta collum sub mento capita exserunt.

Lucius COSSVTI*us Cai Filius*. Bellerophon equo pegaso insidet, dextra tenens spiculum. Ad oram varii cernuntur numeri, IIII. XI. XII. XXI. XXII. XXV. XXXII. XXXXI. qui forsan pertinent ad numerum dierum, quibus hæc moneta cusa fuit.

Bellerophon Corinthi perpetuum est symbolum, cui Medusæ jungitur caput, quia ex resecto capite & sanguine ejusdem creditur natus fuisse equus alatus, unde & ala temporibus Medusæ additur, nisi malimus id propter claritatem

formæ

formæ ejusdem factum fuisse. Agnoscuntur hinc denarii hi pertinere ad Corinthi laudabilem instaurationem, quam A.V.C. DCCX. recensens Dio, una cum Carthaginis reædificatione, meritis ob id laudibus Cæsarem ornat, lib. 43. pag. 270.

Hujus coloniæ deducendæ cura L. Cossutio Sabulæ videtur data fuisse, & ob eam caussam tanta vis denariorum signata fuisse, ut pluribus matricibus (quæ per numeros exprimi videntur) opus fuerit, ad præstandos sumtus, ut res tam magnifica perficeretur. Filium hunc naturalem Cossutii equitis, fratremque Cossutiæ, sponsæ quondam Cæsaris, fuisse judicat Vaillantius, qui, ut a fratre adoptivo Maridiano distingueretur, cognomen Sabulæ adsumserit. Inter quatuorviros monetales eundem non fuisse judico, quoniam quatuor illorum nomina jam recensuimus, neque ullum denarium cum vultu Cæsaris percusserit, sed hosce tantum, in quibus Corinthi antiqua nobilitas & nova celebritas depingitur & recensetur.

IV.

Caput Veneris.

Caius COS*sutius*. *Caius* CAR*rinas*. Flos rosa, sive balaustium; prout in Rhodiorum nummis passim pingitur.

Adjecit hunc quinarium Patinus ad gentem Cossutiam, dubitans utrum ad Cosconiam pertinere possit, cui abjudicat, quoniam tunc per COSC. non COS. scriberetur. Male vero putavit Sirenem exprimi, male etiam Nereidem Spanhemius pag. 225. & edit. sec. pag. 253. Rhodiorum enim depingi symbolum deprehendit Morellius, unde scribit ad Perizon pag. 171. „ Sirenem aut Tritonem, qui num. 4. in Gente „ COSSVTIA occurrit, Rhodiorum rosam sive balaustium esse, instituto nummi accuratiori examine, deprehendi.„ De ipso vero nummulo nihil exstat inter responsa Perizoniana, ut nec apud Vaillantium, qui eundem (nescio cur) omisit.

Difficile est divinare, quo tempore cusus fuerit hic quinarius & a quibus. Cossutium priorem vocat Patinus; sed de posteriori tacet. Puto illum Carrinatem dictum fuisse, inter Carrinates enim complures Caji prænomen habuerunt. Cajus Carrinas seu Carinas legitur fuisse inter duces Carbonianos a Sulla interfectos. Appian. Bell. Civ. lib. I. pag. 408. *Postridie Marcius & Carrinas e fuga retracti sunt, quibus victor non pepercit ut civibus, sed amborum capita præcisa misit Lucretio, circumferenda circa Prænestinorum mœnia.* C. Carrinas, illius Carrinatis (ut videtur) filius, prætor Iberiæ sub C. Cæsare dictatore, a Sexto Pompejo victus est; triumphavit idem A. V. C. DCCXXIV. post victoriam Actiacam de Morinis & Suevis, Appian. libb. IV. & V. Dio lib. LI. C. Albius C. F. Carrinas, idem cum præcedente, ex Appiano statuitur a Pighio A. V. C. DCCVIII. Hispaniam ulteriorem obtinuisse, prætor ibi constitutus a C. Cæsare post devictos Pompejos; fuere enim Carrinates ex gente Albia.

Rhodi cusum fuisse hunc quinarium statuo ex balaustio sive rosa flore, quæ fere semper hac pictura in Rhodiorum modo nummis observatur. Cusum vero suspicor bellis civilibus, in usum exercitus Cassiani; eo tempore quo sub Servilio legato C. Cassii quoque cusi sunt illi denarii, qui in gente Cassia exhibentur tab. II. num. 1. 2. in quorum primo aperte idem balaustium cernitur; cura vero cudendæ monetæ videtur fuisse penes hosce Cajum Cossutium & Cajum Albium Carrinatem aliunde nobis incognitos, unde Albiæ familiæ hic etiam unicus nummulus inseri potest, cujus alios nisi ex fide Goltzii non habemus.

CREPEREIA.

Familia hæc equestris fuit, cujus admodum exigua ad nos notitia pervenit. *Creperum* idem quod dubium significare antiqui grammatici notarunt, unde apud Lucretium v. 1295. *Creperi certamina belli.* Inde *Crepereius* derivari potuit. Roci cognomen a colo obtinuit, ut recte observatum Vaillantio; antiquum enim usum hodieque vocabulum id penes nostrates obtinet, quibus *een rook vlas*, *een rook hooi*, certa quantitas lini & fœni est, unde colus nobis dicitur *een spinrokken*, descenditque inde verbum *rokkenen*, quod significat linum circum colum convolvere. Fuit & Rocus cognomen T. Romilii Vaticani, consulis A.V.C. CCXCVIII.

I.

Caput Veneris Anadyomenæ, cujus madidi salis æquore crines super nudos fluitant humeros; adest piscis & litera D.

Quintus CREPER*eius* *Marci* *Filius* ROCUS. Neptunus, insistens currui a duobus equis marinis tracto, dextra tridentem tenet, læva habenas. Desuper est litera Π. nisi sit litera D.

Ursinus, Vaillantius, & Begerus victoriam aliquam mari reportatam ab hoc Crepereio Roco fuisse credunt, eamque per Neptuni currum designari. Conjecturæ nullum ex historia fundamentum additur, atque ita ut proponi sic sperni potest. Conjecturæ conjecturam opponamus, sed quæ tamen habet, in quo niti possit. Vidimus in Cossutiæ gentis nummo tertio coloniæ a Julio Cæsare Corinthum deductæ Symbolum. Nulla ibi Corinthi mentio; sed quoniam Bellerophon in Corinthiorum nummis invenitur, nemo dubitat quin ad Corinthiacam coloniam iste nummus spectet. Non minore jure & hunc nummum eandem designare coloniam arbitror. Exempla adducamus, quibus utraque pars hujus denarii Corintho vindicetur. Inter nummos Augusti apud Vaill. pag. 46. & Morellii nostri inter æreos tertiæ magnitud. num. 21. cernitur unus, qui Neptunum itidem exhibet, bigis equorum marinorum insistentem, dextra quidem habenas tractantem, læva tridente minantem; ubi ex Pausania Neptunum tutelarem fuisse Deum Corinthi egregie demonstrat idem Vaill. & certamine inito inter Solem seu Apollinem & Neptunum, disceptatore Briareo, Soli quidem promontorium urbi imminens, Neptuno vero Isthmum fuisse adjudicatum. Locus apud Pausaniam exstat in Corinthiacis pag. 86. Adduntur ibidem duumviri, seu potius unus ex illis, nomine P. Flaccus.

Neque dubitari potest, quin Venerem quoque Pelagiam, Aphroditen, sive Anadyomenem, eodem respectu in priori denarii parte signaverit Crepereius, quum ejus deæ insignis cultus ibidem, atque, teste Pausania, delubrum & marmoreum fuerit signum. Imo inter nummos, quos Agrippinæ Claudii dedicavit Corinthus, occurrunt tres numero, qui varia duumvirorum nomina, unum tamen omnes habent typum Veneris Anadyomenis, & quidem nudæ, ut modo ex spuma maris natæ, manu vero capillos utpote madidos stringentis, & tritonas, marem & fœminam, pro equis marinis quos habet Neptunus, propellentem. Duumviri sunt Q. Fulvius & L. Annius in primo, in secun-

secundo Q. Flaccus, solus, in tertio M. Silanus item solus. Denique in Nerone idem occurrit typus pag. 174. cum duumviris iisdem Q. Annio L. Fulvio.

Ex quibus omnibus existimo, licere jam concludere, caput illud muliebre non esse Thetidis vel Nereidis, ut credebat Begerus Thes. Brand. tom. II. p. 553. sed Veneris Anadyomenæ, quæ Corinthi colebatur; & ab altera parte non exprimi fictitiam aliquam nescio cujus Creperei victoriam navalem, sed tutelarem Isthmi Corinthiaci Deum Neptunum. Amplius addo, hunc Q. Crepereium M. F. Rocum, atque L. Cossutium C. F. Sabulam primos fuisse urbis Corinthi novæque coloniæ sub Julio Cæsare duumviros, quorum nomina exprimuntur, nondum vero dignitas duumviratus, quoniam in æreis solum illud fieri nummis usus & experientia docet. Atque ita denario huic ignotam hactenus ex historicis lucem adfudisse me arbitror; & inde, ratione temporis, filius Marci Creperei (quem inter graves judices laudat Cicero in Verrinis, loco ab eruditis adlato) hic Lucius Crepereius Rocus esse potuit.

II.

Caput idem cum litera E. & sepia pisce.

Quintus CREPEREI*us* ROCVS. Typus Neptuni idem cum litera E.

In hoc denario non inscribitur *Marci Filius* sicut in reliquis. Piscis in primo, sepia in secundo hoc, symbola sunt Veneri, & præsertim marinæ, convenientia.

III.

Similis primo, sed pro litera D. est litera C. atque ita integrum alphabetum (ut in plurimis denariis) expressum fuisse videtur.

IV.

Similis præcedenti, sed utrimque est litera F. & post Veneris caput floris calyx est primum protuberantis, quod symbolum Veneris quoque nativitati est congruum. *Quintus* male pro *Caius* exstat in denarii hujus pictura apud Gorlæum.

V.

Similis, cum litera H. ab altera tantum parte. Quid sit illud quod retro caput Veneris cernitur, mihi hactenus est incognitum.

VI.

Similis, cum litera B. ab utraque parte; ad caput Veneris adest testudo, quod & animal est aquatile, & domesticam curam muliebrem, Veneremque castam designare potest.

CREPVSIA.

Gens admodum obscura, unde patricia fuisse haud videtur. Nusquam in historiis mentio ejusdem exstat; derivatum nomen videtur a crepusculo, seu luce obscuriore.

I.

Lucius CENSORIN*us*. Caput muliebre comtum & velatum, quod putat Libertatis esse Vaill. nos ad Junonem Monetam pertinere existimamus.

Caius LIMETA*nus*. *Publius* CREPVSI*us*. Dea eadem, utraque manu tenens habenas, celeres regit bigas. Vaillantius, qui credidit pileum in læva manu esse, opinione sua falsus fuit.

Hosce tres simul triumviros fuisse monetales recte eruditi judicasse videntur; collegarum familiæ, Marcia, ex qua Censorinus, Mamilia, ex qua Limetanus, notiores quam Crepusia hæc, ex qua Publius monetalis, fuerunt. Crediderat Ursinus L. Marcium Censorinum illum hic innui, qui consul factus est A. V. C. DCCXIV. C. Mamilium Limetanum illum esse, qui Sallustio laudatur a justitiæ cultu; quos ratione temporum discrepare nimium Vaillantius docuit pag. 87. ita ut pater consularis Marci hic Censorinus quidem esse potuerit, non vero is ipse.

Ad Libertatem deam dixi Vaill. caput deæ retulisse, quod, sicuti in Cassiæ gentis denariis tab. I. num. 8. pileum altera manu figura muliebris in bigis teneat, ita hic quoque pileum se vidisse in nummo crediderit. Verum secus est in denariis. In Cassiano enim denario altera manu libera & nuda elevat pileum Libertas, in hisce omnibus, quotquot depingi videas & observes, utraque manu lora equorum tenet imago muliebris; quare Junonem Monetam ab utraque parte depingi credo, quod typus simplex per se, ubi nulla illustrior res suppetebat, monetalibus triumviris convenerit.

II.

Lucius CENSORIN*us*. Caput idem Junonis Monetæ.

Publius CREPVSI*us*. *Caius* LIMETAN*us*. Juno eadem in bigis, utraque manu tenens habenas; sunt vero lororum extremæ partes e læva dependentes, quas Vaillantius falso suspicabatur pilei referre figuram.

Nihil hic denarius a priori discrepat, nisi quod Crepusii nomen ante illud Limetani in parte posteriori ponatur, quodque ejusdem Limetani nomen una literula auctius exhibeatur.

III.

AED*iles* PL*ebis*. Caput Cereris spicis redimitum.

Marcus FAN*nius*. *Lucius* CRIT*onius* P. A. Ædiles duo sellis insidentes pro dividundo frumento; ante eosdem spica frumenti est.

Morellius noster, Ursini tabulas secutus, in gente Crepusia hunc denarium posuerat, (postea vero, errorem animadvertens, suo etiam loco posuit) qui tamen ad gentem Critoniam pertinet, non ad Crepusiam. Dubitanter quoque id Ursinus fecerat, dum addit. „ Secundo autem de- „ narii nota CRT. si Crepusius significatur, „ perspicuum erit Crepusiam gentem plebejam „ fuisse, ex qua L. Crepusius ædilis plebis fue- „ rit. „ Acturi itaque de hoc nummo sumus in gente Critonia.

IV.

Caput laureatum Vejovis sive Jovis Axuris, ita dicti quod inberbis fingeretur; is apud Campanos colebatur. Adsunt sceptrum, fulmen & litera O.

Publius CREPVSI*us*. Eques dextra tenens jaculum; adsunt notæ numerales XXIII.

Publius hic Crepusius idem est cum præcedente, sed hosce denarios ab eodem in quæstura cusos fuisse credit Vaillantius, non quum triumvir monetalis esset, quoniam collegarum nomina non exprimuntur. Videtur autem cum Ursino existimare equitem illum equestrem designare statuam alicui ex Crepusiis quondam erectam, licet altum de omnibus hisce apud Scriptores sit silentium.

At vero sicuti Campanum proprie numen fuit Jupiter Axur, ita Crepusium credo ex Campanis originem traxisse, atque ab altera parte numen patrium & religionem monstrasse, ab altera vero vir-

virtutem bellicam antiquorum Campanorum prædicare voluisse. Fuere vero Campani equites insignes, quod vel unus ille Livii locus demonstrat, ubi docet ad ferociam eorum (dum Capua obsidebatur) comprimendam, primum excogitatum a Romanis fuisse ut velites in legionibus essent. Livius Lib. XXVI. Cap. IV. *Ceterum in multis certaminibus equestria prœlia ferme prospera faciebant: pedites superabantur. sed nequaquam tam lætum vincere, quam triste vinci ulla parte erat, ab obsesso & prope expugnato hoste. Inita tandem ratio est, ut quod viribus deerat, arte æquaretur. ex omnibus legionibus electi sunt juvenes maxime vigore ac levitate corporum veloces. eis parmæ breviores, quam equestres, & septena jacula quaternos longa pedes data; præfixa ferro, quale hastis velitaribus inest. eos singulos in equos suos accipientes equites assuefecerunt, & vehi post sese, & desilire perniciter, ubi signum datum esset. Postquam assuetudine quotidiana satis intrepide visum est fieri; in campum, qui medius inter castra murumque erat, adversus instructos Campanorum equites processerunt. ubi ad conjectum teli ventum est, signo dato velites desiliunt. pedestris inde acies ex equitatu repente in hostium equites incurrit: jaculaque cum impetu alia super alia emittunt. Quibus plurimis in equos virosque passim conjectis permultos vulneraverunt. pavoris tamen plus ex re nova atque inopinata injectum est: & in perculsum hostem equites invecti, fugam stragemque eorum usque ad portas fecerunt. Inde equitatu quoque superior Romana acies fuit. Institutum, ut velites in legionibus essent. Auctorem peditum equiti immiscendorum, centurionem Q. Navium ferunt: honorisque id ei apud imperatorem fuisse.*

V. VI. *&c. cum nummis tabulæ sequentis usque ad* XXVII.

Hi omnes conveniunt cum præcedente, inter sunt se similes, & differunt tantum notis numeralibus & signis monetariorum sive officinarum in quibus cusi sunt. Numeri, qui inveniuntur, hi sunt CCCCLXXVI. CCLXV. XXVI. XXXVIII. XL. V. LXVIII. LXXXII. ΘXII. CXVII. CXXX. CXLIII. CLVII. CLXII. CLXXXXVIIII. CCII. CCXXXII. CCLXVII. CCLXXXX. CCLXXXXIII. CCCXIII. CCCCVII. CCCCXXXI. CCCCLVII. CCCCLXXVI. Minores typi, seu signa monetariorum sunt concha, stella, cornucopiæ, ala, falx, fulmen, spica, apex, folium platani vel fruticis aquatilis, papaver, rosæ calyx, lacerta, rastrum, prora navis, cornucopiæ & similia, nam meus corollam & ciconiam exhibet; denarii nota additur num. II. Tab. alterius, & monogramma Romæ num. VII. Plures præterea alphabeticæ literæ exprimuntur; quæ omnia videntur pertinuisse ad monetarios, ut matrices denariorum inter se dignoscerentur.

CRITONIA.

AED*iles* PL*ebis*. Caput Cereris spicis ornatum.

Marcus FAN*nius*. *Lucius* CR*itonius* P*ublico* A*rgento*. Ædiles duo sellis insidentes pro dividendo frumento, quod spica ante illos posita innuit.

Mirum est ita fluctuasse Vaillantium, ut literas P. A. in Fam. hac Critonia pag. 376. *Publico Argento* explicet, abiens vero inde in Fannia pag. 435. *Primi Aediles* legat. Verum hunc celeberrimi viri errorem jam castigavit Spanhemius tom. II. pag. 153. & 154. ubi ejusdem alterum quoque errorem de ædilibus Cerealibus ostendit, ad quæ lectorem ablego.

Ædilis plebis fuit Critonius A.V.C. DCCIX. Antonio & Dolabella consulibus, quo tempore primum sex ædiles creati sunt, ex quibus duo erant patricii, quatuor plebeji. Ad posteriores pertinent Critonius hic & collega ejus Fannius, prouti prioris partis inscriptio docet. Critonii vero nomen in meo denario sic scribitur, ut in literis CRT. super ultimam literam T. adpareat media linea producta, quod indicet literam I. subintelligi debere.

Hic est ille Critonius, de cujus ædilitate & ludis in isto honore editis, hoc Appiani testimonium viri docti post Pighium tom. III. pag. 467. adduxerunt. *Interea tempus ludorum instabat, quos editurus erat ædilis Critonius, & Cæsar patri sellam auream atque coronam parabat, id quod illi ex senatus consulto in perpetuum ludis omnibus decretum fuerat. Cumque ædilis negaret se passurum, honorari Cæsarem in iis ludis quos ipse sumptu suo faceret, Cæsar illum ad Antonium duxit, ut ad consulem: consul ad senatum super ea re se dixit relaturum. Cæsar indignatus: Refer, inquit, ego interim sellam proponam. Id Antonius exasperatus prohibuit: nec hoc contentus, prohibuit etiam ludis proxime secutis, quos Cæsar ipse celebrabat, in honorem Veneris Genitricis institutos, quando ædes ei in foro & forum ipsum a patre dedicatum est.* Exstant hæc apud Appianum Lib. III. de Bell. Civ. pag. 544. Unde patet partium Antonii hunc L. Critonium fuisse.

Diximus ad num. III. gentis Crepusiæ Morellium vidisse (postquam jam a chalcographo æri incisus denarius esset) illum nummum spectare non ad gentem Crepusiam, sed Critoniam. Illud ostendunt verba ejusdem in libello de Numm. Consularib. pag. 173. „ Ex plurimis novis a me producendis, & ordine alphabetico inserendis Familiis duas tantum nominabo. Una est CRITONIA, ab Ursino jam quidem in tertio nummo gentis CREPVSIAE, eodem cum secundo nummo gentis FANNIAE adducta, ipsi tamen & aliis hactenus ignorata. Nam literæ L. CRT. in ipso conspicuæ, quid volunt aliud, quam Ædilem CRITONIVM, de quo Appianus Lib. III. & quidem tam clare, quasi nummum ipsum explicare voluisset, huncque locum jam observavit Pighius tom. III. pag. 467. in quo Romanorum annalium conditore maxima erat diligentia, ita, ut ex ejus laboribus quam plurima discere possimus, & memoria tanti viri omnibus gratissima esse debeat. „ Dubitabat tamen Cl. Perizonius an posset ad Critoniam referri gentem, & de Curtia suspicabatur, ut ostendunt verba ejusdem in Respons. pag. 249. „ Nummum, quem Ursinus ad *Crepusiam* gentem retulit, tu, vir celeberrime, *Critoniæ* adscribis: nec male, si notula quædam ex litera T. emergens declaret omissam literam I. Accedit, quod *Critonii ædilis*, ut mones, qui statim post mortem Cæsaris ludos edidit, meminerit Appianus III. B. Civ. cui addo Ciceronem ad Atticum XIII. 21. qui *Critonium* quendam illo ipso tempore nobis memorat. Ceterum neque dissimulabo, quid mihi in mentem dudum venerit de hoc nummo, in quo, ut editur, exhibentur hæ tantum literæ L. CRT. Credidi ergo, latere in iis nomen *Curtii*, scriptum, ut scribitur in nummis gentis Curiatiæ, CVRT. Considerandus est diligenter ipse nummus, & simul pensitandum, an videatur cusus eo demum anno, quo Cæsar periit, & quo ille *Critonius* fuit Ædilis pl. Facile

„ cile ceteroquin auctoritate Appiani inductus „ in tuam concessero sententiam. „ Ad hasce Perizonii dubitationes respondit optime Morellius, & docuit minime ad Curtiam sed omnino ad Critoniam gentem pertinere. Verba ejus exstant in eodem libello pag. 295. „ De iis, quæ „ de nummo gentis hujus scripsi, vix ambigi po„ test, etiamsi notula quædam ex litera T emer„ gens, non adpareat; quia tres literæ consonan„ tes absque vocali pronunciari non possent, at „ omissa necessario I. esse debet, nam reliquæ non „ potuissent omitti sine adjecta aliqua lineola. „ Nummus alias obvius est, illumque sæpissime „ vidi, & CVRT. nullo modo in illo comparet, „ sed simpliter L. CRT. „ Jam vero ego quoque quæsito illo Perizonii respondere possum de notula quadam ex litera T. emergente, videlicet omnino talem præferre denarium meum, optime conservatum, in quo super transversam illam lineam literæ T. emergit in ejusdem medio productio lineæ mediæ & rectæ, quæ sursum sese elevans supra literam T. ibi latitudinem istam facit & quasi punctualem densitatem, quam litera I. in suprema sui parte habere solet.

CVPIENNIA.

Patricia an plebeja fuerit non constat, nulla ejus mentio apud antiquos, præterquam tempore Ciceronis & Horatii, vetustior tamen fuisse credi æquum est propter simplicitatem typi, qui in secundo nummo observatur.

I.

Caput Jovis laureatum cum nota semissis.

Caius CVP*iennius*. ROMA. Prora navis cum nota semissis.

Cupiennios prænomen Caji habuisse patet ex epistola Ciceronis ad C. Cupiennium, quæ exstat in extremo Lib. XVI. epistol. ad Atticum; ubi paternam ejusdem Cupiennii jam olim laudat secum amicitiam; Cupiennium eundem vere forsan Ursinus conjicit patrem fuisse illius Cupiennii, qui Horatio notatur ut matrimoniorum corruptor, Satyrar. I. 36.

—— —— *Mirator cunni Cupiennius albi.*

Cognomen Liboni fuisse posteriori Cupiennio notat Porphyrio, Horatii vetus interpres, Cumis oriundo, & Augusti familiaritate claro.

Typus nummi vulgaris est, tempus & quis percusserit, incerta.

II.

Caput Romæ galeatum, cum denarii nota & cornucopiæ.

Lucius CVP*iennius*. ROMA. Dioscuri in equis.

Typus hic simplex, & vetustioribus reipublicæ temporibus usitatus, suadet ut ad aliquem Cupiennium Ciceronis amico vetustiorem referatur, qui in quæstura urbana denarium hunc signaverit.

CVRIATIA.

Curiatiam gentem fuisse plebejam patet ex C. Curiatio, illo tribuno plebis inpudentissimo, qui Brutum & P. Scipionem Nasicam consules A. V. C. DCXV. in vincula duci jusserat. Idem homo abjectissimus Serapionis victimarii cognomen ob faciei similudinem Nasicæ adfricuerat.

I.

TRIGE*minus*. Caput Romæ cum denarii nota.

Caius CVR*iatius*. ROMA. Figura muliebris in citis quadrigis, dextra habenas tenet equorum, læva scipionem eburneum cum aquila insistente; adstat a tergo Victoria quæ eandem coronat.

In postico hujus denarii typo Ursinus, Patinus, Vaillantius aliique facem inponunt manui figuræ muliebris, quæ quadrigis insistit; Morellius distincte scipionem pinxit, in cujus summo aquila est, videturque is typus magis convenire cum sequenti denario, in quo sceptrum manibus gestat. In hac diversitate quum meum quoque consuluissem museum, detritiorem in summa parte denarium inveni, quam ut dignosci a face altera figura posset. Credo tamen Romam ipsam victricem deæ habitu & in hoc & in sequenti denario expressam esse; Diana Lucifera enim (quam hic depingi putat Vaillantius) passim in bigis non in quadrigis cernitur. Et tamen quum Dianam depingi dixisset Vaillantius coronatam a Victoria supra currum stante, mox quasi sui penitus oblitus, censet Curiatium, qui nummum hunc percusserit, voluisse revocare in memoriam aliquam victoriam, quam quis ex familia sua reportaverit, dum eum in quadrigis a Victoria coronatum exhibuit. Vellem magis sibi constare, quam passim facit, nobilem antiquarium.

C. Curiatius, Publii & Sexti nepos, A. V. C. DCX. in quæstura provinciali dicitur Vaillantio denarium hunc signasse, quod refutare ipse denarius videtur, in quo subscripta vox ROMA. docet in urbe & a quæstore urbano hanc monetam cusam fuisse. Illud certum est, hunc Curiatium vindicasse sibi antiquorum Curiatiorum, qui ex Albanis profecti a Tullo rege in civitatem adsciti erant, nobilitatem, unde cognomen *Trigemini* in denariis quoque expressit, tanquam ortum ducens ex illis tergeminis fratribus, qui cum totidem Horatiis pugnantes succubuerant, & casu suo patriæ quidem cladem, Romæ vero victoriam adtulerant. Quam ipsam Romam (non vero Lunam Luciferam) in hoc & sequenti denario triumphantem in quadrigis & a Victoria coronatam exhibuit hic Curiatius, utpote jam diu Romanus, quique patriam antiquiorem cum meliore & splendidiore commutasset. Quapropter irasci an miserere debeam Harduinianæ conjecturæ nescio, sicut omnia antiquitatis monumenta, ita hujus quoque denarii sensum mirifice depravantis. Verba Harduini hæc sunt ad illa Plinii VII. 3. *Tergeminos nasci certum est, Horatiorum Curiatiorumque exemplo.* „ Quoniam (inquit commentator) tergemini na„ ti sunt Horatii Curiatiique, & in nummis anti„ quis legitur, C. CVR. & TRIGE. qui num„ mi delineantur a Patino, in Famil. pag. 97. „ num. 1. & 2. imprudenter in iisdem putant „ aliqui se pictam videre familiam Trigeminorum. „ Atqui profecto, quamvis tergemini nati sint „ Horatii Curiatiique; non potuit propterea *Tri„ geminus* aut cognomen esse singulorum in una „ familia, aut Curiatiorum potius quam Hora„ tiorum, vel e converso. Patini nummus ex „ una parte caput Romæ Victricis exhibet: re„ tro TRIGE. In regio simili, qui & apud „ Gorlæum exstat pag. 30. est TRIG. Impera„ tor in curru quadrijugo triumphali, scipionem „ sinistra consularem tenet, cujus in apice Roma„ na aquila est, imperii symbolum: a Victoria „ retro volitante coronatur imperator. Sub qua„ dri-

„ drigis, C.CVR. in alio C. CVR.F. *Caius Curius filius*, triumvir monetalis, ſed non *Curiatius* eſt. Infra ROMA. Eſt hic TRIG. vel „ TRIGE. id, quod ipſa pictura paginæ alterius „ in his nummis admonet: TR*ajanus Imperator* „ GE*rmanicus*. Nihil certius aut ſimplicius. „ Vereor etiam ut *trigeminus* Latine dici poſſit „ pro *tergemino*. „

Hæc Harduinus: imprudentiam jam illorum interpretum & rectum Harduini videamus judicium. Negat cognomen Trigemini ſingulorum in una familia eſſe poſſe quamvis tergemini ſint nati qui primitus ita dicti fuerint. Contrarium hiſtoriæ & nummi demonſtant. In gente Aburia (uno exemplo res confici poterit) agnoſcuntur M. Aburius Geminus pater, tribunus plebis A.V.C.DLXI. M. Aburius Geminus M.F. tribunus pariter plebis, A. V.C.DXCVIII. In priori nummo GEM*inus* a parte capitis quoque ſcribitur, ſicuti hic TRIGE*minus*. Atque in Aburiorum familia fratres Marcus & Cajus Aburii fuerunt Gemini, ſive gemelli, non item filius Marci Marcus, qui tamen, ut ab aliis Aburiis diſtingueretur, cognomen quod a ſorte naſcendi pater fuerat nactus, ad poſteros propagavit, licet ipſe ſolus ſine fratre, ſimul & eodem partu prodeunte, natus fuerit. Sic Didymi complures ſunt dicti, quorum parentes ſimiliter ex ſua ſorte naſcendi cognomen poſteris tradiderunt. Quod addit Curiatiis non plus quam Horatiis vindicari poſſe, illud non aufert Curiatiis cognomen, quod etiam Horatiis adplicari ſimili jure poteſt. Imperatorem vero in curru triumphali (non eſt vero currus triumphalis, qualis lente ſolet procedere, ſed ſunt citæ quadrigæ, unde ipſi denarii quadrigati dicti ſunt) quod faciat Harduinus contra denariorum fidem pro figura muliebri, illud neceſſe fuit, ut Trajano ſcilicet vindicari poſſit. Scipio conſularis (pro qua tamen pictor ejus male faciem exhibet) tam ipſi urbi Romæ, (in qua maxima poteſtas erat conſularis) reipublicæ liberæ tempori) quam imperatori convenit. De triumviro monetali Curio, nugæ! quis in Trajani nummis triumviros monetales novit, niſi ex cerebro Harduini natos? Nec illam ſimplicitatem agnoſco in lectione TR*ajanus Imperator* GE*rmanicus*. non enim *Germanicus* in Trajani nummis per GE. ſed per G. vel GER. vel GERM. exprimi ſolet; & denique nemo vereatur, utrum æque Latine *Trigeminus* dicatur ac *Tergeminus*, qui cognomen Tricipitini in eadem republica viguiſſe meminerit, imo, portam quoque *Tergeminam* æque & *Trigeminam* (ut Valerio Maximo vocatur IV. 7. 2.) dictam, Romæ exſtitiſſe.

Curiatiæ gentis nomen factum etiam eſt cognomen, unde in inſcriptione antiqua apud Fabrettum Cap. III. num. CCCXXIV. pag. 170. noſcitur C. SCAEVIVS CVRIATIVS conſulibus Gætulico & Calviſio Sabino A. V. C. DCCLXXVIII. Repertus vero is lapis eſt inter Vejorum rudera, continetque Venjentani municipii pſephiſma.

II.

TRIGE*minus*. Caput Romæ galeatum.

Caius CVR*iatii* (vel CVR*iatius*) *Filius*. Roma dea in citis quadrigis, dextra habenas equorum tenens, læva ſceptrum, coronatur a Victoria pone adſiſtente.

Hujus denarii eadem eſt explicatio cum præcedenti; ſed merito, ut inſuetum, notat Vaillantius ſcribi hic Cajum Curiatii filium, quum paſſim prænomen potius patris, quam nomen gentilitium in nummis inveniatur. Credit idem cuſum fuiſſe denarium a famoſiſſimo illo tribuno plebis; qui A.V.C.DCXV. conſules (ut ſupra diximus) in carcerem duci juſſit, & ſcurrile Serapionis nomen Scipioni Naſicæ, alteri ex conſulibus, dedit, de quo Cicero de Legib. Lib. III. Cap. IX. *Quid juris bonis viris Ti. Gracchi tribunatus reliquit? Etſi quinquennio ante, D. Brutum & P. Scipionem conſules, quos, & quantos viros! homo omnium infimus & ſordidiſſimus, tribunus plebis C. Curiatius, in vincula conjecit: quod ante factum non erat.*

Hunc hominem, quum ſordidiſſimum & infimum omnium vocet Cicero, vix eſt ut credamus ab antiquis illis Curiatiis traxiſſe originem. At vero inſerere ſeſe in veterem nobilitatem & aliena adfectare decora, id quidem perfamiliare multis Romanis fuit. Unde non mirum, ſi ipſe ille Curiatius, qui pro faſtu ſacroſanctæ tribunitiæ poteſtatis conſulibus etiam vim parabat, primus in familia ſua præ cæteris veterem Albanorum Curiatiorum adfectaverit nobilitatem, illorumque imagines familiæ ſuæ, alias obſcuræ & deſpectæ, homo ſuperbiſſimus inſeri voluerit; filius vero ejuſdem Caji Curiatii, quum & ipſe Cajus vocaretur, in hoc denario ſcribi potius voluerit *Caius* CVR*iatii Filius*.. quam *Caius* CVR*iatius Cai Filius*, ut videlicet agnoſceretur filius iſtius potiſſimum Curiatii, cujus nomen gratioſum apud plebem propter inauditam erat impudentiam. Potuit inde filius quoque facile quæſturam urbanam adipiſci, unde ad illum potius quam ad patrem nummos hos refero.

Diſſimulare tamen nolo eſſe aliquid quod objici poſſit, videlicet non Curiatiam gentem ſed Curiam intelligi poſſe, ſuſpicionem enim de gente Curiatia primum natam fuiſſe ex cognomine illo fratrum Curiatiorum; qui tergemini quum eſſent contra totidem Horatios pugnaverunt. Præterea CVRIAT*iam* potius ſcribi in denario debuiſſe quam CVR*iatiam*, ſi ad gentem iſtam ſpectaret; nunc vero eodem jure ad Curiam gentem referri poſſe, ex qua videlicet C. Curius eques, publicanus, legitur fuiſſe pater C. Rabirii Poſtumi, quem defendit Cicero, in cujus oratione cap. II. & XVII. mentio ejuſdem C. Curii fit. Potuiſſe inſuper & C. Curium, quicunque is fuerit, qui in quæſtura ſua hunc nummum cudit, una cum duobus fratribus in lucem prodire, & inde Trigeminus in nummo dici, adeoque non Romam Deam, ſed Junonem Monetam in quadrigis exprimi. Cui opinioni adverſari nolim, ſi ex hiſtoriis aliquis C. Curius Trigeminus elici poſſet; tunc vero legi inſcriptionem ſic malim, *Caius* CVR*ius Filius* TRIGE*minus*.

III.

Caput Herculis inberbis in leonis rictu cum tribus punctis ſive globulis, qui monetæ pretium deſignant.

Caius CVR*iatii* (vel CVR*iatius*) *Filius*. vel *Caius* CVR*ius Filius*. ROMA. Navis prora, ſupra quam graditur Victoria ſertum & corollam portans; ad latus adſunt tres globuli, qui quartam aſſis partem ſive quadrantem denotant, qui (uti Vaillantius obſervat) tribus olim, dum as libram penderet, unciis conſtabat, ideoque per tria puncta exprimebatur, ſed tandem bello Punico ſecundo ad unciam imminutus eſt, & ſic drachmas duas adſequitur, ita ut quartam unciæ partem quadrans hic pendeat.

De navali aliqua victoria cogitari poſſet, quam vel Curius aliquis, vel Curiatius reportaverit, vel potius ut quæſtor urbanus expreſſerit, niſi Victoria ſolenne Romanorum eſſet ſymbolum, qui

qui etiam bigas victoriatas, nulla eo tempore victoria adepta, percusserunt, unde etiam in sequentibus nummis nulla super proras victoria adparet.

IV.

Caput Minervæ sive Romæ galeatum. Adsunt iterum tres globuli.

Caius CVR*iatii* vel *Caius* CVR*ii Filius.* ROMA. Prora navis, ut in præcedente, sed sine Victoria.

Litera A.

Caput Jovis laureatum cum nota semissis.

Caius CVR*iatii Filius* vel *Caius* CVR*ius Filius.* ROMA. Prora similis cum nota semissis.

Omnes hi nummi ad eundem quæstorem urbanum spectare videntur, sive ille ex gente Curia sive Curiatia, sive Curtia fuerit.

CVRTIA.

Gentem Curtiam plebejam fuisse docet tribunatus plebis Q. Curtii illius, cujus nummi ex hac gente supersunt. Q. Curtius enim cum M. Junio Silano, eodem illo, qui omnes hosce nummos pariter cudit, tribuni plebis recensentur a Pighio tom. III. pag. 20. A. V. C. DCXXIII. Claudio Pulchro & Perperna consulibus.

I.

Quintus CVRT*ius.* Caput Romæ galeatum cum nota denarii.

Marcus SILA*nus.* ROMA. Literæ L. & A. invicem connectuntur. Jupiter in citis quadrigis, dextra fulmen tenens, læva sceptrum & habenas.

Duo hic triumviri monetales memorantur, sicuti tres in sequentibus. Experientia ipsa enim docet in nummis ex ternario illo numero modo duos, aliquando unum, sæpe tres simul inscribi. Jupiter vulgaris denariorum typus est, & quidem quadrigis vectus, unde *quadrigati* nomen acceperunt, sicuti *bigati* a bigis.

II.

CN*eus* DOMI*tius.* Caput Herculis inberbe in rictu leonis.

Marcus SILA*nus. Quintus* CVRTI*us.* Clava Herculis media inter arcum & sagittam.

Cn. Domitius & M. Junius Silanus collegæ hic Q. Curtii in triumviratu monetali recensentur. Hercules vero, ut Romanorum numen, sæpius in ærea moneta adparet, modo inberbis modo barbatus, nisi, ubi inberbis fingitur, de Aventino, filio Herculis, unde Romæ Aventino monti nomen, accipere placet. Arma Herculis, clava, arcus, sagitta, sæpius in Græcorum populorum & antiquorum Italiæ colonorum, id est Græciæ Magnæ, nummis conspiciuntur, quibus aliquando etiam pharetra additur.

III.

CN*eus* DOMIT*ius.* Caput Apollinis laureatum, dependentibus cirris.

Quintus CVRT*ius.* SILAN*us.* Lyra Apollinis.

Addidit nummulum hunc æreum Ursinianæ collectioni egregius antiquitatis vindex Carolus Patinus. Credidit idem muliebre esse caput, unde de Diana est interpretatus. Dubitat vero Vaillantius pag. 382. an non potius ad Majam Mercurii, qui lyram invenisse dicitur, matrem, sit referendus. Dubitationem omnem & errorem sustulit Morellius, qui accuratius inspecto archetypo Apollinem agnovit & depinxit, cui lyra in innumeris nummis antiquis adjungi solet. Apollinem vero, ut Herculem, Jovem aliosque Deos promiscue, in ærea præsertim moneta, exprimere soliti fuerunt Romani.

Verum quoniam circa illa tempora, quibus simul magistratus gesserunt Curtius & Silanus atque etiam Domitius, inciderunt ludi sæculares in honorem Apollinis & Dianæ, valde probabilis videtur Vaillantio Patini conjectura, nummulum hunc spectare ad insignem illam ludorum sæcularium celebritatem, quam ad consulatum Æmilii Lepidi & Aurelii Orestis refert Censorinus. Fuerunt autem illi consules A. V. C. DCXXVII. sive DCXXVIII. ex Varronis supputatione & Censorini. Nam illa sæcularium ludorum quarta juxta eundem Censorinum fuit celebritas. Verba Censorini exstant in libello de Die Natali cap. XVII. *De quartorum ludorum anno triplex opinio est. Antias enim, & Varro, & Livius relatos esse prodiderunt, L. Marcio Censorino, M. Manilio consulibus, post Romam conditam anno* DCV. *At Piso Censorinus, & Cn. Gellius, sed & Cassius Hemina, qui illo tempore vivebat, post annum factos tertium adfirmant, Cn. Cornelio Lentulo, L. Mummio Achaico consulibus, id est anno* DCVIII. *In Quindecimvirorum autem Commentariis notantur sub anno.* DCXXVIII. *M. Æmilio Lepido, L. Aurelio Oreste consulibus.* Sed mendosa & obscura sibique contraria Vaillantii sunt verba in gente Curtia & Domitia; postquam enim pag. 381. præcipitanter Censorini posuisset annum (nisi typorum ibi, quod malo, sit vitium) DCXVII. vel DCXVIII. enumerans pro DCXXVII. vel DCXXVIII. ita pergit. „ Triumviri nostri hoc „ etiam anno monetariæ rei præfuisse potuerunt. „ Siquidem Q. Curtius & M. Silanus postea iidem „ anno DCXIX. vel DCXX. prætores urbani memorantur. „ Ubi iterum error est in numeris, & scribi debet DCXXIX. vel DCXXX. Videtur voluisse Vaillantius, Curtium, Silanum & Domitium fuisse triumviros monetales anno DCXXVII. vel DCXXVIII. eosdem videlicet Curtium & Silanum, qui annis duobus post prætores urbani facti sunt, & simul tribuni plebis fuerunt anno DCXXIII. quo eodem anno tertius ex iisdem Cn. Domitius ædilis plebis fuerat. At vero nequaquam credibile est tres illos, ex quibus unus ædilis plebis, duo vero tribuni plebis fuerant anno DCXXIII. quatuor post honores illos annis factos fuisse triumviros monetales, & deinde duobus annis post prætores urbanos. Quum multo rectius procedat, primum quidem illum magistratum minorem triumviratus monetalis gestum fuisse ab iisdem ante triumviratum plebis & ædilitatem plebis, a quo altero majore honore deinde aliquot annis post non iterum ad minorem sunt detrusi, sed ad præturam urbis evecti. Imo Domitius A. V. C. DCXXVI. prætor urbanus agnoscitur, & apud ipsum Vaillantium in nummo gentis Domitiæ, apud illum quidem septimo, pag. 389. recensetur. Quomodo igitur Vaillantio post istos honores statui possunt triumviri monetales. Quod tamen in eadem gente Domitia pag. 388. primo dubitanter, deinde claris verbis statuit idem Vaillantius. „ Imo & illum „ (Domitium) triumvirum monetalem cum M. Si-

„ Silano & Q. Curtio declarant ipsius denarii, de „ quibus in gente Curtia diximus, nempe eos „ tres eodem tempore in magistratu fuisse; sed „ quo anno fuerint triumviri monetales, incer- „ tum. „ At sex lineis post ita scribere sustinuit. „ Hoc muliebre caput Patinus eo loco „ Dianæ tribuit, & ad ludos sæculares spectare „ auguratur, qui celebrati sunt, ex Censorino, „ anno DCXXVII. vel DCXXVIII. quo tempo- „ re hi triumviri monetales magistratum suum ge- „ rere debuerunt. „ At vero luce meridiana clarius adparet, non potuisse eo anno magistratum illum gerere, sed diu ante; unde sequitur nullo modo hunc nummulum ad ludos sæculares pertinere, sed Apollinem, deum Romanorum, velut in aliis nummis Herculem & Jovem, simpliciter signatum a triumviris hisce monetalibus fuisse.

IV.

CN*eus* DOMI*tius*. Caput Jovis cum nota semissis.

Marcus SILA*nus*. *Quintus* CVRTI*us*. Clava Herculis.

In hoc nummo cultum Jovis & Herculis conjunxerunt triumviri monetales, quod sæpissime in antiquis nummis fieri videas.

Potest hic Q. Curtius ratione temporis credi pater fuisse C. Curtii illius Posthumi, familiaris Ciceronis, & cujus fit mentio in Epistolis ejusdem. Qui quum temporibus Sullanis omne patrimonium amisisset, reditu in patriam per Ciceronem impetrato, a Cæsare etiam in senatum adlectus est; quemque, cum unicam modo possessionem haberet reliquam ex bonis paternis, commendavit Cæsaris legato Q. Valerio, qui divisioni agrorum erat præfectus, ne ipsi adimeretur unici agelli possessio, ut inde ordinem senatorium a Cæsare concessum, tueri posset, lib. XIII. epist. V. *C. Curtio ab ineunte ætate familiarissime sum usus. Ejus & Syllani temporis injustissima calamitate dolui: &, cum iis, qui similem injuriam acceperant, amissis omnibus fortunis, reditus tamen in patriam voluntate omnium concedi videretur, adjutor incolumitatis fui. Is habet in Volaterrano possessionem, cum in eam, tanquam e naufragio reliquias contulisset. Hoc autem tempore eum Cæsar in senatum legit: quem ordinem ille, ista possessione amissa, tueri vix potest. Gravissimum autem est, cum superior factus sit ordine, inferiorem esse fortuna: minimeque convenit, ex eo agro, qui Cæsaris jussu dividatur, eum moveri, qui Cæsaris beneficio senator sit.*

D I D I A.

Didia gens plebeja eruditis videtur, propter legem sumtuariam, quæ, a Didio (tribuno, ut creditur plebis) lata, inde Didia adpellatur Macrobio lib. II. Saturn. cap XIII. Gessit tamen honores in republica atque ad consulatum pervenit.

I.

Caput Romæ galeatum cum nota denarii & monogrammate, quod separatis literis ROMA esse dignoscitur.

Titus DEIDI*us*. Duæ figuræ viriles, quarum altera vestita, accinctaque gladio, & clypeo armata, dextram elevat, qua vitem tenet, vel, ut aliis placet, flagellum seu scuticam, atque illa castigat figuram alteram e regione seminudam, gladio & clypeo armatam, & prælongum quid humero gestantem. *Deidius* antique pro *Didius* scribitur.

Singularis hujus nummi typus (ut est re vera) visus est antiquariis; & varias elicuit interpretationes. Primus protulit Hubertus Goltzius ad annum DCLV. in Fastis pag. 159. quo anno consul Titus Didius T. F. S. N. provinciam sortitus est Hispaniam citeriorem. Sed quum eodem anno recens adhuc esset memoria victoriæ Siculæ de servis fugitivis, sic ut Manius Aquillius, cujus virtute fuerat confectum bellum, repetundarum eodem anno reus, non alia via justam avaritiæ & rapacitatis pœnam evaserit; quam per ostensa judicibus honesta ibidem pro republica accepta vulnera; dubium reliquit Goltzius, utrum Didii res gestas in Hispania, an servilis victoriæ memoriam describi hoc typo crediderit. Qui post illum denarium hunc contemplatus est Sebastianus Ericius, nobilis Venetus, dubitat, utrum ad prosperam ejusdem Didii contra Celtiberos pugnam sit referendus, an memoriam contineat belli secundi servilis in Sicilia, & victoriæ Romanorum contra fugitivos. „ Namque flagellum (uti versa ex Italico pag. 160. ejus verba sonant) quo servum „ percutit figura armata, designat superatos a po- „ pulo Romano in Sicilia servos fugitivos. „ Tertius, Pighius, tomo Ann. II. pag. 493. ad A. V. C. DCXV. aperte & constanter ad bellum servile typum revocat, unde hujus quoque denarii sola auctoritate nixus, patrem Titi Didii, qui consul contra Hispanos sive Celtiberos profectus est, Titum Didium Sexti filium prætorem provincialem constituit, & eo tempore, quo Eunus ille Syrus novos motus serviles in Sicilia excitabat, Siciliam sortitum credit. „ Ex dictis autem (addit dein- „ de) T. Didii nummis colligimus, ipsum quas- „ dam servorum rebellium copias non tam gladiis „ atque telis armato milite, quam scuticis & fla- „ gris servilibus profligasse: atque talis victoriæ „ memoriam in denariis ab ipso promulgatam esse. „ Videtur enim in his miles Romanus armis in- „ structus non pilo vel gladio, sed multifida scu- „ tica seminudum, longo scuto sudeque repu- „ gnantem, barbarum cædere & prosternere. „ Ursinus disciplinam militarem restitutam a Didio auguratur, & per centurionem vite punientem militem intelligit disciplinam militarem acrius a T. Didio S. F. qui contra Celtiberos missus est, exercitam, pag. 91. ubi de vite centurionis operosius loquitur; illamque sententiam sequitur Begerus Thes. Brand. II. pag. 554. ad quem Didium tamen pertinere putet non addit. Vaillantius quoque pag. 383. centurionem esse pronunciat, qui militem plectat; explicat vero de T. Didio T. F. S. N. qui prætor provincialis sortitus est Illyricum A. V. C. DCXXXIX. quo Porcius Cato consul a Thracibus profligatus, & cujus exercitus fere totus internecione deletus est. Hosce Thracas, & ex illis Scordiscos ferocissimos homines, vicit Didius, atque triumphum ex iisdem postea meruit. Credit itaque Vaillantius exercitum, male obtemperantem, castigatione sua & severitate in officio retinuisse Didium, atque ita victoriam fuisse consecutum, disciplinamque militarem restitutam typo huic insolito originem dedisse.

Spanhemius in præstantissimo opere de Usu & Præst. Num. tom. I. p. 229. alias quoque duorum virorum doctorum recenset sententias, Thomæ Reinesii & Adami Ruperti, ex epistolis eorundem mutuis XXIII. & XXVII. pag. 673. Credidit Reinesius nummum referri debere ad T. Didium qui de Scordiscis e Thracia triumphavit, vel ad alterum ei cognominem, qui ex Hispania de devictis in ca Celtiberis triumphavit, ac, in alterutro ex illis præliis, ad militem Romanum perti-

nere

nere scutica cædentem barbarum. Rupertus vero novam protulit sententiam, prorsus absurdam, de qua videri etiam potest doctus editor tom. II. operis Spanh. in Præf. p. V. & VI. Credidit videlicet quidem ad T. Didium, qui ex Scordiscis triumphavit, pertinere denarium, sed typum ejusdem exprimere lanistam, qui unum ex Thracibus captivis ad ludum gladiatorium erudiat, atque aberrantem ab arte, scutica percutiat. Spanhemius vero ipse in Pighii concedit sententiam, sed dicit recte a Ruperto & aliis referri denarium ad illum Didium qui de Scordiscis triumphavit. Repudiat itaque illorum sententiam, qui de vite centurionis explicant, & bello fugitivorum vindicant, & pro scutica seu flagello sumit illud quod in manu militis est, pro sude illud quod altera figura seminuda retinet. Adfert vero hæc argumenta; quod ordinaria fuerit pœna ob delictum Romani militis non grave; quod Plinius honori esse dicat hoc genus pœnæ, utpote in cive usitatum XIV. 1. ideoque res tam levis indigna sit signari in nummo Romani proprætoris, bis etiam triumphalis ac semel consulis. At, quum servile bellum in Sicilia anno V. C. DCXLIX. excitum, medio proinde tempore inter reportatos ab hoc T. Didio de Scordiscis ex Macedonia A. V. C. DCXL. juxta Fastos, ac postea de Celtiberis ex Hispania, A. V. C. DCLX. triumphos inciderit, nihil obstare putat, quominus in tanta scriptorum ejus temporis penuria in eo quoque bello, quod demum quarto anno a Manio Aquillio proconsule confectum fuit, aliquod decus contra servos fugitivos sit consecutus.

In hac sententiarum varietate ipsos denarios consulere & accuratius inspicere volui, ut viderem num ad scuticæ magis figuram quam ad vitis accederet id quod figura altera dextra elevat, tum etiam quid sit illud, quod figura seminuda super humerum ferat. Animadvertebam vero illud, quod dextra elevat prior figura, non male vitem adumbrare, est enim ea vitis natura, ut crescendo circumvolvat sæpe ramus ramum ex eodem trunco provenientem, & deinde in plures sese ramusculos spargat, quod juxta nummi nitidioris typum, etiam observavit Begerus loco supra adducto, apud quem, sicuti & in illis denariis quos ego inspexi, tam longum non est lignum illud rectum, quod manu tenet figura prior. Deinde quoniam virgis cædebatur miles peregrinus, civis vero vite, quam centurio gestare erat solitus, potuit aliqua esse similitudo in genere instrumenti, quo pœna exercebatur; ad virgas vero & earum formam accedere ex omni ligno maxime visa est vitis, in nodosos complures ramusculos dividere sese solita. Id quod figura seminuda dextra manu humero impositum gerit, lignum videbatur oblongum, ex quo vallum erigere solebant Romani. Lignum illud vallare credebam esse quod portaret miles gregarius, pro ratione operis, seminudus, clypeum tamen tenens, ut miles esse dignoscatur. Illum militem segnius operi incumbentem vite cædere centurionem (nam ex clypeo quoque dignoscitur ad militiam pertinere) sed leviter vestitus adparebat, ut operas militum circumiens; sic typum hujus denarii illustrare videbatur versus Juvenalis Sat. VIII. 247.

Nodosam post hæc frangebat vertice vitem,
Si lentus pigra muniret castra dolabra.

Laudari itaque hic opinabar T. Didium T. F. S. N. qui de Scordiscis triumphavit, a disciplina militari, qua corruptum licentia militem ad labores bellicos duravit, & fœdam Porcii Catonis stragem egregia victoria compensavit. Laus illa quum aliorum tum Scipionis apud Florum II, 18. *Sed tunc acrius in castris, quàm in campo, nostro cum milite, quam cum Numantino, præliandum fuit. Quippe adsiduis & injustis & servilibus maxime operibus adtriti, ferre plenius vallum, qui arma nescirent; luto inquinari, qui sanguine nollent, jubebantur. Ad hoc scorta, calones, sarcinæ, nisi ad usum necessariæ, amputantur. Tanti esse exercitum, quanti imperatorem, vere proditum est. Sic redacto in disciplinam milite, commissa acies: quodque nemo visurum se unquam speraverat, factum est, ut fugientes Numantinos quisquam videret.* Ubi nota *ferre vallum.* Hæc, inquam, ipsorum nummorum adspectus primo obtutu significare mihi videbatur; sed quum non plane satisfaceret illa conjectura, & meminissem meliorem hujus typi explicationem nescio cujus libri lectione memoriæ obversari, tandem in illam incidi, quam mox auctoribus suis vindicabo, si prius viderimus quo jure victoria contra fugitivos Didio competat, in Sicilia ut vult idem vir ill. reportata. Excitavit secundum illud bellum servile Athenio, teste Floro III. 19. postquam Eunus jam a Rupilio debellatus esset. Duravit idem per annos quatuor, cladesque & eventum describit Florus his verbis: *Vix dum respiraverat insula, cum statim a servis, & Syro reditur ad Cilicem. Athenio pastor, interfecto domino, familiam ergastulo liberatam sub signis ordinat. Ipse veste purpurea, argenteoque baculo, & regium in morem fronte redimita, non minorem, quam ille fanaticus prior, conflat exercitum: acriusque multo, quasi & illum vindicaret, vicos, castella, oppida diripiens, in dominos, in servos infestius, quasi in transfugas, sæviebat. Ab hoc quoque prætorii exercitus cæsi; capta Servilii castra, capta Luculli. Sed Aquilius Perpernæ usus exemplo, interclusum hostem commeatibus ad extrema compulit: communitasque copias armis, fame facile delevit: dedidissentque se, nisi suppliciorum metu voluntariam mortem prætulissent. Ac ne de duce quidem supplicium exigi potuit, quamvis in manus venerit: quippe dum circa deprehendendum eum multitudo contendit, inter rixantium manus præda lacerata est.*

Primo itaque anno victus fuit prætor Servilius, secundo Lucullus item prætor, tertio Aquillius melius pugnavit, quarto, (quum prorogata Aquillio provincia esset,) bellum ab eodem confectum fuit. Ubi igitur Didio hic locus aut dignitas? Vera hujus denarii explicatio, cujus modo memini, invenitur apud Jacobum Gronovium, ex paterna penu depromta, Tomo III. Antiq. Græc. littera ZZZZ. „Recte eum nummum refert Ursinus ad eum, qui anno urbis DCLV. „consul fuit, quum anno DCXXXIX. prætor „cum Thracibus & Scordiscis bellavit aliisque ad „Hebrum Pontumque gentibus, quas intra Thraciam repulit, ut diserte scribit Florus, quo „minus suspicari in eo oportebat de animadversione in exercitum, quem egregie se gessisse hinc „patet. His in locis celebratissima erat Sindorum Scythica propago, cui occasionem dedit „tertia Scytharum in Asiam sub Medico Imperio expeditio, qui *quum annis octo a conjugibus „& liberis abfuissent, servili bello domi excipiuntur. „Quippe*, ut Justini verbis reliqua huc convenientissima enarrem, *conjuges eorum longa exspectatione „virorum fessæ, nec jam teneri bello, sed deletos ratæ, servis ad custodiam pecorum relictis nubunt, qui „reversos cum victoria dominos, velut advenas, „armati finibus prohibent. Quibus cum varia victoria fuisset, admonentur Scythæ mutare genus pu-* „*gnæ,*

" *gnæ, memores non cum hostibus sed cum servis præliandum; nec armorum sed dominorum jure vincendos: verbera in aciem, non arma adferenda, omissoque ferro virgas ac flagella, cæteraque servilis metus paranda instrumenta, probato omnes consilio, instructi sicut præceptum erat, postquam ad hostem accessere, inopinantibus verbera intentant: adeoque perculerunt, ut quos ferro non poterant metu verberum vincerent, fugamque non ut hostes victi, sed ut fugitivi servi capesserent.* Habes verum flagelli conspectum: habes dominum servumque eodem modo vestitum instructumque: habes servum cum gladio sidentem ad verbera flagellorum, & adductum sub ense vides torpere ensem, ut de ea re dicit Claudianus. Utque Herodotum & Polyænum omittam, habes quod scribit Latinus Pacatus in Panegyrico huc alludens: *Nam si olim domini adversum rebelles servos dimicaturi flagra in aciem detulerunt, tantaque vis conscientiæ fuit, ut ab inermibus vincerentur armati, & qui obtulerant mortibus pectora, darent terga verberibus.* Sic igitur

" *Degeneresque ruunt Sindi, glomerantque paterno*
" *Crimine, nunc etiam metuentes verbera, turmas.*

" ut de eis Valerius Flaccus. Cum quorum vel subole aliqua vel vicinia quum bellavisset egregie hic Didius, inde gloriam suæ familiæ merito petivit ejus posteritas, aut ipse hanc monetam signari curavit. Hanc interpretationem cum ex patre didicissem, ita notare placuit. " Ad quæ notari volo vestitum esse dominum, servum vero nudum, perperam enim nudus pectora dominus in tabella Gronov. exprimitur.

Cusus videtur denarius Romæ, post reditum T. Didii ex Illyrico, ut inde forsitan remuneraretur miles, victoriæ ejusdem comes, in triumpho T. Didii.

II.

CONCORDIA. P*ublius* FONTEIUS CAPITO III VIR. Caput Concordiæ velatum.

VIL*la* PVB*lica* T*itus* DID*ius* IMP*erator.* Ædificium villæ publicæ columnationibus suis suffultum.

Villa publica amplum, &, ut ex denario quoque patet, insigne fuit ædificium; cujus mentionem facit Livius IV. 22. *Eo anno C. Furius Pacilus, & M. Geganius Macerenus censores villam publicam in campo Martio probaverunt.* Hostium legati, forsan etiam alii, quos tutum non æstimabant in urbem intromittere, audiebantur ibi atque excipiebantur. Liv. XXXIII. 9. *Macedones deducti extra urbem in villam publicam, ibique illis locus & lautia præbita.* Necesse vero erat, ut nonnunquam ædificaretur, tempore prolapsa. Quare non absurdam judico Vaillantii sententiam, qui existimat ex manubiis belli Celtiberici instauratam villam fuisse a Tito Didio, & propterea illius nomen adscribi. Ciceroni postea idem munus obvenit, ut patet ex epist. ad Attic. IV. 16. *Efficiemus rem gloriosissimam; nam in campo Martio septa tribunitiis comitiis marmorea sumus, & tecta facturi: eaque cingemus excelsa porticu, ut mille passuum conficiatur. Simul adjungetur huic operi villa etiam publica. Dicis, quid mihi hoc monumentum proderit? ad quid laboramus res Romanas?* Quod quam ipse gloriosum duxerit, verba ejus docent.

Verum nummus insuper docere videtur Concordiæ deæ sacram fuisse villam publicam; ejus enim caput in anteriori parte cernitur, & aptum numen est rei in usum publicum exstructæ. Ut enim simul ædem Concordiæ a Didio renovatam cum Vaillantio putem, vix inducor.

Imperatoris titulus in Didii nomine adscribitur, quem, si non in Illyrico, ante in Hispania meruerat, ubi sub eodem militasse Sertorium, præter Plutarchum in ejusdem Sertorii vita, scribit etiam Sallustius apud Gellium II. 27. *Magna gloria tribunus militum in Hispania T. Didio imperatore.* Cæsus postea Didius est A.V.C. DCLXIV. in bello sociali, IV. idus Junias, eodem die quo consul Rutilius, sed anno sequenti, unde Ovid. VI. Fastor. versu 567.

Proximus annus erat, Pallantide cæsus eadem
Didius hostiles ingeminavit opes.

De Fontejo loco suo agendum erit.

III.

Denarius hic idem est cum præcedente, sed errore monetali (ut nonnunquam videmus, nam & nos similem habemus nummum ex Fam. Plautia num. I.) bis incudi subjectus, partem capitis bis repræsentat in eadem nummi parte priore.

DOMITIA.

Gens Domitia in Ahenobarbos & Calvinos distincta fuit; dicitur Vaillantio plebeja sed inter patricios referuntur Ahenobarbi, qui una cum Calvinis in nummis occurrunt. De Ahenobarbis necesse est audire Suetonium. Verba ejus sunt in Vita Neronis cap. I. *Ex gente Domitia duæ familiæ claruerunt, Calvinorum, & Ænobarborum. Ænobarbi auctorem originis, itemque cognominis habent L. Domitium, cui rure quondam revertenti juvenes gemini augustiore forma ex occursu imperasse traduntur nunciaret senatui, ac populo victoriam, de qua incertum adhuc erat, atque in fidem majestatis adeo permulsisse malas, ut e nigro rutilum ærique adsimilem capillum redderent. Quod insigne mansit & in posteris ejus, ac magna pars rutila barba fuerunt. Functi autem consulatibus VII, triumpho, censuraque duplici, & inter patricios adlecti, perseverarunt omnes in eodem cognomine. Ac ne prænomina quidem ulla præterquam Cn., & L. usurparunt, eaque ipsa notabili varietate, modo continuantes unumquodque per ternas personas, modo alternantes per singulas. nam primum, secundumque, ac tertium Ænobarborum Lucios, rursus sequentes tres ex ordine Cneos accepimus, reliquos non nisi vicissim tum Lucios, tum Cneos.* De felicitate quoque ejus gentis testimonium exhibet Vellejus Paterculus lib. II. cap. X. *Notetur Domitiæ familiæ peculiaris quædam & ut clarissima, ita artata numero felicitas: IV. ante hunc nobilissimæ simplicitatis juvenem Cn. Domitium* (Cn. F. Cn. N. qui Arvernos vicit) *fuere singulis omnino parentibus geniti. Sed omnes ad consulatum sacerdotiaque, ad triumphi autem pene omnes pervenerunt insignia.*

I.

L*ucius* COSCO*nius* M*arci* F*ilius.* Caput Romæ galeatum cum denarii nota.

L. LIC*inius* CN*eus* DOM*itius.* Vir nudus in bigis, dextra hastam vibrans, læva parmam tenet & lituum militarem. Martem patrem populi Romani designare typus videtur.

In familiæ haud unius denariis hic typus occurrit, prouti sub censura, quam quatuor gesserunt annis L. Licinius Crassus & Cn. Domitius, plures & varii fuerunt triumviri monetales, ex gente Aurelia, Æmilia, Cosconia, Poblicia, Pomponia, Porcia.

Domitius hic inter majores Neronis memorandus, atavus fuit imperatoris istius, patrem habuit Cn. Domitium Cn. F. Cn. N. qui pontifex factus fuit oppido adolescens, & Allobrogas & Arvernos domuit, cuique illud competere docet ex Livio Glandorpius, quod perperam filio huic tribuit Suetonius in Neronis Vita cap. II. quod elephanto per provinciam vectus fuerit. Avus Cn. Domitius Cn. F. L. N. consul A. V. C. DXCI. cum P. Lentulo, quum consules ejus anni P. Scipio Nasica & C. Marcius Figulus, vitio facti, abdicassent. Atavus Cn. Domitius L. F. L. N. consul A. V. C. DLXII. Cujus pater, avus & atavus Lucii prænomina, ut notat Suetonius, gesserunt. Atavus vero primus propter *barbam tactu irrufatam*, ut loquitur Tertullianus in Apolog. cap. XXII. pag 223. Ahenobarborum cognomen, cum barba plerumque rufa, ad posteros omnes transmisit.

Gesta hujus Domitii non admodum probavit populus Romanus teste Val. Maximo IX. 6, 3. ut utilia magis quam decora. *Cn. autem Domitium summi generis, & magni animi virum, nimiæ gloriæ cupiditas perfidam existere coëgit. Iratus namque Bituito regi Arvernorum, quod cum suam, tum etiam Allobrogum gentem, se etiam tum in provincia morante, ad Q. Fabii successoris sui dexteram confugere hortatus esset, per colloquii simulationem accersitum, hospitioque exceptum vinxit, ac Romam nave deportandum curavit. Cujus factum senatus neque probare potuit, neque rescindere voluit, ne remissus in patriam Bituitus bellum renovaret. Igitur eum Albam custodiæ causa relegavit.*

II.

M*arci* AVREL*ii*. ROMA. Caput Romæ galeatum cum denarii nota.

SCAVRI. Subtus L*ucii* LIC*inii*. CN*ei* DOM*iti*. Typus ut supra; nam, etsi clavam credebamus ad gentem Aureliam in hoc eodem denario num. V. accuratiore examine vidimus esse lituum militarem, cujus typus accurate admodum exprimitur in Fam. Junia tab. tertia num. VI.

III.

C*aius* MALLE*olus* C*ai* F*ilius*. Caput Romæ galeatum, cum nota denarii.

L*ucius* LIC*inius*. CN*eus* DOM*itius*. Typus idem.

IV.

L*ucius* POMPONI*us* CN*ei* F*ilius*. Caput idem Romæ.

L*ucius* LIC*inius*. CN*eus* DOM*itius*. Typus idem.

V.

L*ucius* PORCI*us* LICI*nus*. Caput Romæ idem.

L*ucius* LIC*inius*. CN*eus* DOM*itius*. Typus idem.

De Triumviris monetalibus, qui in hisce denariis memorantur, consule familias Cosconiam, Aureliam, Pobliciam, Pomponiam, Porciam.

VI.

Caput Romæ galeatum, retro quod spica frumenti est, ante illud denarii nota cernitur.

CN*eus* DOM*itius*. ROMA. Victoria in bigis, sub equis venator est leonem conficiens.

Recte Ursinum reprehendit Vaillantius, quod denarium hunc avo Neronis tribuerit, ille enim Lucius vocabatur, at noster in nummo Cneus dicitur. Unde pertinet potius ad Cneum Domitium Cn. F. L. N. qui fuit avus Cnei illius Domitii censorii, ad quem spectabant præcedentes denarii, adeoque atavi Neronis imperatoris avus. Ad quem etiam refert Pigius Annal. tom. II. pag. 381. Consul fuit cum P. Lentulo A. V. C. DXCI. Verum hic denarius cusus a Domitii ejus posteritate, exprimit tempus, quo ædilis curulis fuit, id est anno DLXXXV. docetque denarii typus, illum venationes populo præbuisse suis sumtibus, quum alioqui nota S*enatus* C*onsulto* fuisset addita. Meruit autem venatio exprimi in denarii typo, quod tum primum ejusmodi esca oculis Romanæ plebis objici cœperit. Spica retro Romæ caput curam annonæ denotat, cujus vilitatem videtur idem Domitius procurasse.

VII.

AHENOBAR*bus*. Caput nudum Cnei Domitii Ahenobarbi, qui Neronis imperatoris fuit abavus.

CN*eus* DOMITIVS IMP*erator*. Prora navis, supra quam tropæum erectum est.

Cneus Domitius Ahenobarbus, qui denarium hunc extra Romam cudi jussit, filius fuit L. Domitii Ahenobarbi, qui successor Cæsari destinatus, Corfinii ab eodem captus & dimissus fuit, quique postea in acie Pharsalica periit; nepos Cn. Domitii consularis & censorii. Inter Domitios optimus hic numeratur a Suetonio in Vita Neronis cap. III. *Reliquit filium omnibus gentis suæ procul dubio præferendum. Is inter conscios Cæsarianæ necis, quanquam insons, damnatus lege Pedia, cum ad Cassium Brutumque se propinqua sibi cognatione conjunctos contulisset, post utriusque interitum classem olim commissam retinuit, auxit etiam, nec nisi partibus ubique profligatis M. Antonio sponte, & ingentis meriti loco tradidit. Solusque omnium ex iis qui pari lege damnati erant restitutus in patriam, amplissimos honores percucurrit. Ac subinde redintegrata dissensione civili, eidem Antonio Legatus, delatam sibi summam imperii ab iis quos Cleopatræ pudebat, neque suscipere, neque recusare fidenter propter subitam valetudinem ausus, transiit ad Augustum, & in diebus paucis obiit, nonnulla & ipse infamia adspersus; nam Antonius eum desiderio amicæ Serviliæ Naidis transfugisse jactavit.* Hic, Bruto & Cassio adfinis, iratus insuper, quod lege Pedia, quanquam insons, inter percussores Cæsaris relatus esset, pro republica stetit, & bellum mari præsertim contra triumviros gerens, Cæsaris copias navales plurimum adflixit. Docet hoc Appianus Bell. Civ. lib. V. pag. 797. & 798. *Ænobarbus quoque cum septuaginta navibus & duabus legionibus, adjuncta etiam sagittariorum funditorumque manu, & nonnullis velitibus ac gladiatoribus vagando per mare Ionium vastabat regiones agnoscentes triumvirorum imperium: & cum adpulisset Brundisium, triremes Cæsarianas partim cepit, partim cremavit, & Brundisinis intra mœnia compulsis, agros depopulatus est.* Unde cum Coccejo Nerva de eodem ita expostulat Octavianus lib eodem pag. 707. *Brundisini ipsi & relictum ibi propter Ænobarbi populationes, præsidium centurionesque injussu suo excluserunt Antonium fœderatum communi hosti Pompejo, & adducentem Ænobarbum parricidam, publico judicio damnatum proscriptumque, qui post Philippensem pugnam oppugnavit Brundisium, & adhuc circumquaque populatur Ionii maris litora: qui naves meas cremavit, & Italiam prædatus est.* Caussam vero ejus ita peroravit Coccejus ibid. paullo post: *Ænobarbus non est e parricidis, damnatus ab infensis judicibus, ne conscius quidem illius consilii: quod si ut Bruti amicum indignum venia ducimus, videndum est ne ferme omnibus infensi simus.* Contulerat enim ad Antonium sese post fractas reip. opes & mortem Bruti atque Cassii, Asinii opera, ut refert Appian. p. 700. adjutus; & tunc de reconciliatione inter Cæsarem &

& Antonium agebatur. Inter cujus conditiones etiam erat, ut Antonius Ahenobarbum aliquo ablegaret, pag. 708. quod factum quoque fuit, dum illum Antonius cum potestate misit in Bithyniam, ut ibidem exstat pag. 709. Memorabilis vero est illa classis Domitianæ ad vires Antonianas accessio, quam sic persequitur Appianus pag. 703. *Ceterum Antonius Fulviam Sycuone reliquit languidam, & solvens Corcyra navigavit per Ionium mare cum non magnis copiis, classe vero ducentarum navium quas in Asia confecerat. Audito autem quod Ænobarbus cum classe ac magno exercitu iret sibi obviam, qui credebatur a nonnullis non fore constans in inchoato fœdere, damnatus enim fuerat ut conspirationis in Cæsarem conscius, ideoque relatus in proscriptorum numerum, & Philippensi prælio contra Cæsarem Antoniumque steterat: nihilominus pergebat navigare cum quinque optimis navibus, ne videretur diffidere, jussis reliquis ex intervallo subsequi. Quumque jam in conspectu esset Ænobarbus, cum omnibus copiis universaque classe propinquans concito remigio, extimuit Plancus, adstans Antonio: censuitque sistendum cursum, & prætermittendos qui explorarent fidem viri dubiam: ille respondit, se malle mori deceptum fœdere, quam evadere specimine pavoris edito. Jamque è propinquo agnoscebant se invicem & petebant naves prætoriæ conspectis insigniis, cum primarius lictor Antonii stans in prora, ut mos est, sive oblitus quod vir dubiæ fidei habens ipse quoque proprium exercitum adventaret, sive generosa quadam usus superbia, ut subditis aut inferioribus occurrentibus imperavit detrahere insignia: fecerunt illi, & navem adpulerunt ad latus navis Antonii. Secuta deinde salutatione inter ductores, milites Ænobarbi Antonium adpellarunt imperatorem, & Plancus vix recepit animum. Antonius recepto in suam navem Ænobarbo, ad Poloënta adpulit, ubi erant Ænobarbi terrestres copiæ: ibi Ænobarbus imperatori cessit suo tentorio.*

Antonio adhæsit Domitius usque ad prælium Actiacum, ubi omnia ad Cleopatræ nutum agi videns, & eum, qui secutus est, belli exitum prævidens, ad Cæsarem se adplicuit; *Virque clarissimus* (Velleji verba sunt lib. II. cap. LXXXIV.) *Domitius, qui solus Antonianarum partium, nunquam reginam, nisi nomine salutaverat; maximo & præcipiti periculo transmisit ad Cæsarem.* In illum tamen magnanimitatem suam ostendit Antonius; teste enim Plutarcho in Vita Antonii pag. 177. *Et Domitium humaniter tractavit, invita quidem Cleopatra. Cum enim is jam febricitans parvum lembum conscendisset, eoque ad Cæsarem abiisset, indigne ferens, omnia tamen impedimenta, una cum amicis & famulis, ei misit. Sed Domitius, quasi eum detectæ perfidiæ ac proditionis pæniteret, mox mortem cum vita commutavit.*

Patet ex hisce facile quo tempore egregius hic denarius cusus sit, cur tropæum navale exhibeat, & cur denique ipsius Domitii Ahenobarbi præferat caput. Cusus est videlicet bello civili quod contra Brutum Cassiumque gesserunt Antonius & Cæsar, & quoniam eo tempore Brutus, libertatis vindex, non tantum Bruti illius antiqui, qui reges ejecerat, sed & suam imaginem in nummis signabat, imitatus illud est Ahenobarbus, qui tropæum navale addidit propter captas & crematas triremes Cæsaris, uti hanc ejus victoriam agnoscit Appianus.

VIII.

ANT*onius* IMP*erator* III VIR R*ei*P*ublicæ* C*onstituendæ*. Caput M. Antonii nudum cum lituo.

CN*eus* DOMIT*ius* AHENOBARBVS IMP*erator*. Prora navis, desuper quam stella est.

Postquam ad Antonium transiisset Domitius, jam non amplius suam imaginem signavit, sed M. Antonii triumviri & auguris, ut lituus indicat. Imperatoris tamen titulum, quem (ut videtur) victoria illa navali contra Cæsarem fuerat nactus, retinuit. Navis proram signavit, utpote classi præfectus; stellam, quæ desuper cernitur, navis prætoriæ forsan nomen esse credit Vaillantius. Ad Solis astrum verius pertinere existimo, & denotare, hosce denarios Rhodi (ubi cultus & colossus erat Apollinis) cusos ad usum classis Antonianæ.

TAB. II.

I.

ROMA. Caput Romæ galeatum cum denarii nota.

CN*eus* DOMI*tius*. Jupiter in lentis quadrigis, dextra ramum gerens, læva fulmen & equorum habenas.

Fulvius Ursinus hunc denarium refert ad Cn. Domitium Ahenobarbum, qui proconsule ex Hispania triumphavit A. V. C. DCCXXI. fatetur tamen referri etiam posse ad illum Cn. Domitium qui anno DCXXXIII. sive DCXXXIV. proconsule de Gallis Arvernis triumphavit. Goltzius protulit ad A. V. C. DCCXXI. atque itidem triumpho Domitii Proconsulis ex Hispania adsignavit. Verum ille Domitius (ut modo vidimus num. VII. & VIII. tabulæ præcedentis) inscribitur cum cognomine familiæ suæ Ahenobarbus. Unde rectius videtur Vaillantius retulisse ad antiquiorem Domitium, videlicet illum, qui de Arvernis triumphavit & regem Gallorum Bitultum, sive Bituitum, ante currum duxit A. V. C. DCXXXIII. Errat tamen in eo Vaillantius, quod Goltzii picturam secutus, imperatorem togatum in curru exprimat, scipionem consularem tenentem læva & palmæ ramum dextra, quod omnino contra denariorum fidem est, qui Jovem exhibent, dextra gerentem ramum laureum, ut sæpe in nummis, læva vero fulmen, uti recte pinxit Morellius & denarii mei confirmant.

II.

PANORMITANORVM. Caput Augusti senile radiatum.

CN*eo* DOM*itio* PROCO*n*S*ule*. . . . . . . Capricornus. Subtus Siciliæ est nota tria crura cum capite Medusæ in medio.

In memoriam Divi Augusti (quod corona radiata indicat) nummum hunc cudit Panormus colonia ab eo quondam facta. Hinc Latina inscriptio PANORMITANORVM. Cusus vero nummus est post obitum Augusti, sub Tiberio Imperatore, proconsule Siciliæ Neronis (postea Imperatoris) patre Cn. Domitio. Hic quum consul fuerit cum A. Vitellio A. V. C. DCCLXXXIV. sive DCCLXXXV. necesse est post illud tempus hunc nummum cusum fuisse, in quo idem Domitius proconsule dicitur. Consideravimus & nos hunc nummum inter Parutæ Panormitanos, & Vaillant. in libro de Coloniis pag. 58. At vero imperite Patinus ad illum Domitium refert, qui Cæsari, nondum adhuc Augusto, paullo ante pugnam Actiacam accessit, & mox

mox eſt mortuus; quique hujus Cn. Domitii avus exſtitit.

III.

CN*eus* DOMI*tius*. Caput Herculis, in leonis exuviis.

M*arcus* SILA*nus*. *Quintus* CVRT*ius*. Clava Herculis jacens inter arcum & ſagittam.

Vidimus jam hunc nummum in gente Curtia, & videtur pertinere ad eundem Cn. Domitium, cujus denarium habuimus num. I. hujus tabellæ, qui valde adoleſcens pontifex factus eſſe dicitur. Hunc vero nummum æreum cudit, quum triumvir monetalis eſſet cum Curtio & Silano.

IV.

OSCA. Caput barbarum, quale in Hiſpaniæ nummis ſæpius obſervatur. In hoc quidem Morellii denario aliiſque monili ornatur, ſed ego vidi etiam denarios hujus Domitii, in quibus nudum collum ſine monili exhibetur.

DOM*itius* C*on*S*ul* ITER*um* IMP*erator*. Inſtrumenta Pontificalia; apex, culter mactatorius, adſpergillum & capeduncula.

Omnes conſentiunt ad familiam Domitiorum, quibus cognomen Calvinorum adhæſit, hunc denarium pertinere; cuſumque eſſe juſſu Cnei Domitii Calvini, qui conſul fuit cum M. Valerio Meſſala A. V. C. DCC. Bello deinde civili inter Cæſarem & Pompejum exorto, Cæſaris partes Domitius hic ſecutus eſt. Tempore autem quo Dyrrachium obſedit Cæſar, Domitius ab eodem in Macedoniam miſſus, expulſus inde a Fauſto, acceptis Locrenſibus Ætoliſque, cum iis in Theſſaliam profectus eſt, atque ibi Scipionem, qui alterum Cæſaris ducem Caſſium Longinum acie vicerat, duobus præliis profligavit, & urbes aliquot cepit, ut narrat Dio Caſſius lib. XLI. pag. 199. At poſt Pharſalicam pugnam contra Pharnacem, Mithridatis filium, Ponti regem miſſus, haud ita proſpera fortuna uſus eſt; collatis enim ſignis inferior fuit, & Pharnaces quidem ἐνίκα πάνυ λαμπρῶς. *egregie admodum vicit*, ut dicit Appianus de Bell. Civ. lib. II. pag. 484. Mox tamen Cæſar ipſum Pharnacem devicit, atque hunc Domitium, ipſe alio feſtinans, reliquit ad belli reliquias conficiendas; qui Pharnacem in urbe Sinope obſedit, atque ad deditionem & pacem coëgit, ut eſt apud eundem Appianum in lib. de Bello Mithrid. pag. 254. Iterum conſul factus eſt A. V. C. DCCVI. cum Aſinio Pollione, atque Cæſari Octaviano inter triumviros adhærens, legatus Cæſaris in Hiſpaniam fuit miſſus, atque ibi Ceretanos rebellantes domuit, ita ut triumphum inde meruerit, & ex manubiis ejus belli palatium reſtituerit, uti docet Dio lib. XLVIII. pag. 436. 437. ubi ſeveritatem ejus & diſciplinam militarem collaudat, atque narrat, quam facete Cæſarem eluſerit, repoſcentem ſigna, quæ ab eodem commodato acceperat, ut palatium ex manubiis reſtitutum iiſdem pro tempore decoraret.

Hujus Domitii imaginem credidit Vaillantius nummo huic inſculptam eſſe. In quo egregie fallitur. „Vel ipſa (inquit) Domitii effigies eſt, „ vel Deus Oſcæ urbis patrius.„ Nullius enim vivi imperatoris imaginem denariis inſculptam invenimus, talis videlicet qui ſub majore, ut Domitius ſub Cæſaris, imperio erat conſtitutus. Si voluerat imaginem viventis ſignare, unum ex triumviris expreſſiſſet. Nam quod Cn. Domitius Ahenobarbus imaginem ſuam ſignavit num. VII. tabulæ præcedentis, alia res eſt; militiæ navalis dux erat pro republica, ſicuti Brutus militiæ terreſtris, neque poteſtati alicujus erat ſubjectus; itaque ut Brutus ſuam imaginem, ita Ahenobarbus quoque ſuam in denariis expreſſit. Eſt itaque Hiſpani dei caput, & Oſcenſe numen patrium rectius adpellari poteſt.

De averſa hujus nummi parte ita ſcribit Perizonius ad Morell. p. 288. & 289. „ Nummus ille „ Domitii haud dubie nobis memorat Cn. Domitium Calvinum, qui *coſ. iterum* fuit ſub triumviris, & tertio anno poſt triumphavit de „ Hiſpanis. Vide Faſtos Triumphales & Vellejum Paterc. II. 78. Hinc *Imperator* in Nummo dicitur, & *Oſcæ*, urbis Hiſpanicæ, nomen in altera ejus parte exprimitur. Quare „ autem pontificatus inſignia in hoc nummo adpareant, incertum, forſan in honorem Lepidi „ III Virorum primi, qui pontifex max. tunc „ erat, vel quia inter majores Domitiorum fuit „ tempore Marii Cn. Domitius pontifex max. „ populi ſuffragio creatus, vel denique quia ipſe „ etiam pontifex, licet non maximus, forſan „ fuit.„ In quibus miror ſcribi, fuiſſe inter majores Domitiorum tempore Marii Cn. Domitium pontificem maximum populi ſuffragio creatum; qui utique non fuit inter majores Domitii hujus Calvini, ſed inter majores Domitiorum qui Ahenobarbi fuerunt adpellati, atque hoc ipſo cognomine a Domitiis Calvinis ſolebant diſtingui. Domitius quoque ille Ahenobarbus, qui legitur fuiſſe tribunus plebis C. Mario III. conſule, videtur plebejo ſe adoptandum dediſſe (ſicuti poſtea Clodius fecit) ut ulciſci injuriam poſſet ſibi illatam, quod patris pontificatum perdidiſſet.

Melius itaque ſtatui poſſe credo, Domitium hunc Calvinum ipſum inter pontifices fuiſſe relatum, atque inde ab altera ſui nummi parte ejusdem inſignia poſuiſſe.

De argento Oſcenſi vide quæ diximus in gente Cornelia tab. III. num. VI. & lit. A.

V.

Caput Romæ galeatum cum nota denarii.

CN*eus* DO*mitius*. ROMA. Dioſcuri in equis.

Simplex denarii typus & inſcriptionis brevitas ad antiquiores Domitios denarium hunc revocat, ut recte ſtatuit Vaillantius, qui ad quæſturam Cnei Domitii L. F. L. N. Ahenobarbi refert, & putat etiam adludi ad proavi L. Domitii hiſtoriam, barbamque ejus Dioſcurorum occurſu ex nigra flavam factam.

VI.

Caput Herculis leonis exuviis amictum, retro ſunt tres globuli, qui pretium æris ſive nummi denotant, videlicet quadrantem.

CN*eus* DOME*tius*. ROMA. Prora navis, cum iiſdem tribus globulis.

Et hunc nummum ad primum Domitiorum, qui Cnei prænomen inter Ahenobarbos tulit, refert Vaillantius. Notari vero debet in nummo, quem vidit Morellius literam E. quoque adparere extremo cruri literæ M. adnexam, quam non expreſſerunt reliqui. Unde patet antiquioribus temporibus Dometios fuiſſe dictos, qui deinde Domitii dicti fuerunt.

Poſt varios honores ad conſulatum pervenit Cn. Domitius cum L. Quinctio Flaminio A. V. C. DLXI.

VII.

AVG*uſtus*. *Caius* CAES*ar* C*on*S*ul* DES*ignatus*. *Lucius* CAES*ar* CO*n*S*ul* DES*ignatus*. Statua

tua Augusti velati capedunculam manu tenentis, media inter statuas filiorum Caji & Lucii.

CAESAR*ea* AVGVSTA. CN*eo* DOM*itio* AMP*lo* *Caio* VET*tio* LANG*uido* IIviris. Non enim ultima litera Q. est, sed G. ut patet ex collatione hujus typi inter tab. Numm. Augusti tab. XXVI. num. 7. & 8. Vexillum aræ impositum inter duo manipulorum signa totidem aris inposita.

Numisma hoc quod admodum insigne est, & post Patinum vulgatum a Vaillantio tom. I. pag. 29. cusum est a Colonia Hispanica Cæsarea Augusta, sita ad Iberum amnem, in Hispania Tarraconensi. Urbs hæc Salduba antea dicta, jus coloniæ & nomen suum ab Augusto recepit. Itaque complures Nummos in Augusti atque universæ ejus familiæ honorem percussit. Imo benefactorem suum, tanquam præsens numen venerata, statuas Augusto erexit habitu pontificis summi (utpote Lepido jam mortuo) capedunculam porrigentem Cajo, ut inter pontifices adlegando. Idque fecerunt eo tempore, quo, sobole sua fidens, consules designaverat ex Agrippa & Julia nepotes Cajum & Lucium. Ad quem vero annum referendum hoc numisma sit docet alter Cæsareæ Augustæ nummus, cum iisdem duumvirorum nominibus, quem adduxit Vaillantius pag. 24. atque nitidius, cum capitis etiam parte depinxit Morellius paullo inferius num. IX. ubi ad Augusti caput tribunitia potestas XX. adscribitur. Altera pars numismatis plurimam lucem capit ex typo simili, quem in alio Cæsareæ Augustæ nummo protulit Seguinus, & vulgavit etiam atque explicuit Vaillantius tom. I. pag. 22. Eadem enim signa militaria ibidem conspiciuntur, sed cum aliis duumvirorum nominibus; adscribuntur vero legiones ex quibus deducta hæc colonia fuit, videlicet LEG. IV. LEG. VI. LEG. X. Pro capite vero Augusti, vel statuis, ut in hoc nummo, typus coloniæ vulgaris, arator sive colonus boves agens conspicitur. Unde concludit Vaillantius istam coloniam partim ex plebe, partim ex veteranis deductam fuisse; de quo mox ad num. X. visuri sumus.

Duumviri, qui in hoc numismate memorantur, sunt CN*eus* DOM*itius* AMP. quod ultimum nomen potest esse non tantum *Amplus*, sed & *Ampæus*, *Ampelius*, *Ampelion*, *Ampianus*, *Ampius*. Omnia enim ista nomina in veteribus inscriptionibus occurrunt. *Ampliati* etiam complures in iisdem cognoscuntur. Verum & hic & alter duumvir, CA*ius* qui VET*tius*, vel VET*urius* LANG*uidus* videtur esse, nobis in historia non occurrunt. Priorem tamen ex gente Domitia, vel ejusdem libertinis fuisse adparet.

VIII.

IMP*erator* CÆSAR DIVI F*ilius* AVGVSTVS CO*n*S*ul* XII. Caput Augusti laureatum.

Colonia V*ictrix* *Julia* CEL*sa* CN*eo* DOMITIO *Caio* POMPEIO II VIR*is*. Bos coloniæ symbolum.

Julia Celsa Hispaniæ urbs in Ilergetibus fuit. Hujus duumviri, nomine tantum nobis cogniti, duodecimum consulatum Augusto gratulantur, quem ideo in nummo adscripserunt. De consulatibus Augusti scribens Suetonius cap. XXVI. dicit illum multis consulatibus, cum deferrentur, recusatis, *duodecimum magno*, *id est*, *septendecim annorum intervallo*, *& rursus tertium decimum biennio post ultro* petiisse: *ut Cajum & Lucium filios amplissimo præditus magistratu*, *suo quemque tirocinio deduceret in forum*. Simul itaque cum consulatu hoc XII. gratulantur Augusto Juliæ Celsæ cives togam virilem a Cajo nepote sumtam, magnasque spes de futuris juvenis istius honoribus.

IX.

IMP*erator* AVGVSTVS TRIB*unitia* POTES*tate* XX. Caput Augusti laureatum.

CN*eo* DOM*itio* AMP*lo* *Caio* VET*tio* LANG*uido* II VIR*is* Colonus agens boves.

Iidem hic occurrunt duumviri, qui num. VII. in præclaro isto numismate scribuntur, quod statuas Augusto ut pontifici maximo, atque filiis, ut consulibus designatis, erectas exhibet, ut & signa legionum quarum veterani in hanc coloniam sunt deducti. Verum hic nummus insuper ostendit quo tempore statuæ illæ Augusti & filiorum fuerint erectæ, videlicet potestate tribunitia imperatoris Augusti vigesima, quæ juxta Varronis computum incidit in A. V. C. DCCLXXV. & consulatum Augusti XII. quem in Juliæ Celsæ nummo itidem celebratum fuisse modo vidimus.

X.

AVGVSTVS DIVI F*ilius*. Caput Augusti laureatum.

CAESAR*aea* AVGVSTA CN*eo* DOM*itio* AMP*lo* *Caio* VET*tio* LANG*uido*. Vexillum aræ inpositum.

Quando colonia militaris deducebatur, cum signis, aquilis, primis ordinibus & tribunis deducebatur. Unde Hyginus (cujus locum adduxit Vaillantius tom. I. de Colon. p. 194.) *Multis legionibus contigit bellum feliciter transigere*, *& ad laboriosam agriculturæ requiem*, *primo tyrocinii gradu pervenire*: *nam cum signis & aquilis & primis ordinibus ac tribunis deducebantur*. Deinde ubi esset ventum ad locum coloniæ condendæ aram exstruebant, supra quam sacra facerent, priusquam aratro terminos urbis designarent, quod faciebat velatus ritu Sabino bovem & vaccam agens; sacrificio peracto vexillum legionis nomen præferens super aram collocabatur, sicuti in hoc nummo fieri videmus, quod & sæpius ad similes nummos monuit Vaillantius, & tom. I. pag. 28. fusius, addens hunc Ciceronis locum ex Philipp. II. in M. Antonium: *Casilinum coloniam deduxisti*, *quo erat paucis annis ante deducta*, *ut vexillum videres*, *& aratrum conduceres*.

At nescio quo jure sæpius laudatus idem Vaillantius coloniam hanc Cæsareæ Augustæ partim ex plebe, partim ex militibus legionum, quorum signa adduntur num. VII. deductam statuat tom. I. pag. 22. Quod enim colonus agat boves simpliciter coloniæ typum designat, non vero evincit ex plebe deductam fuisse. At vero, quum vel ab eadem vel ab altera parte symbolum aliquod addatur, quod ad legiones & militiam pertinet, tum patet coloniam illam esse militarem. Sic in illo (quem ibi explicat Vaillantius) nummo, ab altera parte adsunt signa legionum & manipulorum; unde patet coloniam esse militarem. Sic in aliis nummis, ut e. g. Antiochiæ, apud eundem in Titi nummo colonus iste qui boves agit, vexillum manu elevat, ubi tamen ipse Vaillantius nullam plebis facit mentionem, sed recte agnoscit militarem coloniam & legionum laboriosam agriculturæ requiem.

XI.

Caput Jovis laureatum, cum nota semissis.

CN*eus* DOMI*tius*. ROMA. Ratis, cum nota semissis.

Cusus hic nummus æreus videtur ab eodem Cneo Domitio, qui signavit argenteum num. primo hujus tabellæ.

DVRMIA.

Gens hæc nova fuit, veteribus incognita, quæ ſub Auguſto Romæ inclaruiſſe ex denariis cognoſcitur.

I.

Marcus DVRMIVS III VIR. HONORI. Caput Honoris.

CAESAR AVGVSTVS. *Senatus Conſulto.* Quadrigæ triumphales, ex quibus flos apertus ſurgit.

Notum eſt, Auguſtum æreæ monetæ cudendæ facultatem ſenatui reliquiſſe, aureæ vero & argenteæ ſibi ſumſiſſe. Inde triumviri monetales, qui in æreis leguntur nummis, ad ſenatum ſpectant; qui vero exſtant in aureis atque argenteis, agnoſcuntur eſſe triumviri monetales Cæſaris.

Inter illos triumviros monetales fuit M. Durmius, quem certum eſt honorem illum (qui creditur fuiſſe annuus) geſſiſſe cum Manio Aquillio Floro, prouti denarii utriusque oſtendunt, qui habent typos complures iner ſe ſimiles, atque ad easdem hiſtorias reſpicientes. Aquillius (ut in denariis gentis Aquilliæ cerni poteſt) hujus nummi partem averſam expreſſit num. VII. nummi quinti, num. XI. nummi ſexti, num. VIII. IX. XII. & nummi ſeptimi numero VII. At pro Honoris capite, quod paſſim Durmius denariis ſuis imprimit, Virtutis caput habet Aquillius. Et in hoc quidem denario currus triumphalis cum flore cernitur, de quo typo in ſimili Aquilliæ gentis nummo egimus ſupra pag. 34. Neque mirum videri debet in Durmii denario Aquillii Flori aliquem typum cerni, quum ambo ſimul eodem anno fuerint triumviri monetales, atque unanimi conſenſu hosce typos inpreſſerint.

II.

CAESAR AVGVSTVS. Caput Auguſti nudum.

Marcus DVRMIVS III VIR. Aper ſpiculo transfixus.

Ad ludos ſæculares retulerat Urſinus, & illum ſecutus eſt Vallantius in Num. Impp. usque ad Poſtumum pag. 25. ſed in Familiis pag. 404. ex Dionis lib. LIII. rectius docuit deſignari hoc & ſequenti denario venationes, quas, præter ludos equeſtres, natalibus Auguſti ædiles ediderunt.

III.

CAESAR AVGVSTVS. Caput Auguſti nudum.

Marcus DVRMIVS III VIR. Leo cervum diſcerpens.

Spectat ad easdem venationes, de quibus ad nummum præcedentem diximus.

IV.

CAESAR AVGVSTVS. Caput Auguſti quernea corona inſigne.

Marcus DVRMIVS III VIR. Pagurus papilionem volantem acetabulis adprehendens.

Recte viderunt viri docti adumbrari hoc ſymbolo celebre illud Auguſti dictum σπεῦδε βραδέως. Corona vero quernea hic Auguſti caput coronat propter cives ſervatos, cujus rei gratia in ſequenti quoque nummo adparet cum rei ipſius ſignificatione.

V.

Marcus DVRMIVS III VIR. HONORI. Caput Honoris inter duo aſtra.

AVGVSTO OB *Cives Servatos.* In corona quernea.

Reſtitutis ſignis Craſſo a Parthis ereptis, atque redditis captivis, civicam meruiſſe Auguſtus merito eſt viſus, unde caput ejus civica coronatur in denario præcedenti, & in hoc titulus una cum corona exprimitur.

Honoris & Virtutis capita in Durmii & Aquillii collegarum denariis expreſſa videntur, quoniam inter reliquas ſacras ædes hæ quoque ab Auguſto reſtitutæ fuiſſe videntur. Ex aſtris duobus alterum ad Julium Cæſarem ſpectare videtur & ad Sidus Iulium; alterum ad ipſum Auguſtum tanquam novum Apollinem.

VI.

Marcus DVRMIVS III VIR. HONORI. Caput idem Honoris ſine aſtris.

CAESAR AVGVSTVS SIGN*is* RECE*ptis.* Parthus genuflexus ſigna reddens.

Hiſtoria nota eſt, & in Aquillia quoque gente expreſſa.

VII.

Marcus DVRMIVS III VIR. HONORI. Caput Honoris.

CAESAR AVGVSTVS. Auguſtus imperator ſtans in curru a duobus elephantis tracto, dextra lauri ramum tenet, læva ſceptrum.

Patet hoc typo Indorum ad Auguſtum legationem deſignari; ſed oratorem exprimi ipſum, bigis elephantorum, ut Indum vectum, & oleæ ramum prætendentem, quod Vaillantio viſum eſt, non credo. Typus eſt Indiæ quaſi debellatæ, & ad pacis & fœderis conditiones fama rerum Auguſti compulſæ. Huic rei indicandæ ipſe imperator Romanus exprimitur, cui typus Indiæ pacatæ nullus aptior convenit, quam bigæ elephantorum, quibus vehatur.

Omnes vero hi denarii cuſi ſunt A. V. C. DCCXXXIV. juxta Varronem, (typorum vitio DCXXXIV. eſt apud Vaill. pag. 404.) conſulibus M. Appulejo & P. Silio Nerva. Eo enim anno tanta celebritas & lætitia publica titulos Auguſto Parthiæ & Indiæ ad obſequium redactæ contulit; atque publice & privatim Romanis, propter reddita ſigna & captivos, atque dies ludorum feſtos, iſte annus fuit feſtus & memorabilis.

EGNATIA.

Gens fuit plebeja, & (ut videtur) e recentioribus; Egnatiorum, patris & filii, qui a triumviris proſcripti mutuis vulneribus conciderunt, meminit Appianus lib. IV. Ciceroni memorantur L. Egnatius Rufus, eques Romanus, quem Gallioni, proconſuli Ciliciæ commendat lib. Epiſt. XIII. 43. 44. 45. 73. qui pater forſan fuit iſtius Egnatii, qui poſt ædilitatem & præturam populi favore adeptam, ad conſulatum non tantum ſed & ad necem Auguſti adſpirare auſus fuit, uti Dio, Vellejus & Suetonius narrant. Meminit etiam Cicero Egnatii Maximi in Epiſt. ad Att. XIII. 34. ut & Egnatii Sidicini ad Attic. VI. 1. Ad Egnatios Maximos videtur pertinuiſſe Egnatia Maximilla, quam a fide in maritum laudat Tacitus Annal.

nal. XV. 71. ut quæ virum in exsilium secuta fuerit. Maximi in denariis adhuc inveniuntur.

I.

MAXSVMVS. Cupidinis protome, cum alis, arcu & pharetra.

Caius EGNATIVS CN*ei Filius* CN*ei Nepos*. Jupiter Gamelius & Juno Zygia sive Pronuba in templo duarum columnarum, desuper fulmen Jovis symbolum est, ut & pileolus (qui male globi forma effingitur) tegumentum (ut Vaillantius vult) Junonis Pronubæ, & ad latus columnæ alterius nota numeralis VI.

De typo denarii nihil Ursinus & Patinus scribunt, eum qui cudit, existimat Ursinus esse illum Egnatium Maximum, cujus in Epistolis ad Atticum meminit Cicero, libro scil. XIII. epist. XXXIV. *Id potes per Egnatium Maximum.* Idem is videtur esse, qui simpliciter Egnatius dicitur lib. VI. epist. ad Att. XII. *Egnatius Romæ est.* & XVII. 18. *Quintus frater laborat, ut tibi, quod debet, ab Egnatio solvat: nec Egnatio voluntas deest: nec parum locuples est* &c. Filium aut nepotem forsan Cn. Egnatii ejus suspicatur Patinus, qui res Romanas scripsit, & cujus laboribus sese adjutum Aurelius Victor fatetur. Dubitat Vaillantius, utrum sit noster hic idem cum Egnatio illo, qui quæstor M. Crassi in bello Parthico fuit, & deserto imperatore cum trecentis equitibus fugit, quem Ignatium vocat Plutarchus in Vita Crassi pag. 561. *Unus Ignatius cum trecentis equitibus ad Carras media nocte pervenit, Romanoque sermone compellatis vigilibus, cum inaudirent, Coponio urbis præfecto indicare jussit, magno prœlio Crassum cum Parthis decertasse: nihil præterea addens, neque suum nomen edens, ad Zeugma contendit, suosque eripuit; male tamen ob desertum imperatorem audivit.* Egnatium adpellat Appianus eadem narrans in Bello Parth. p. 191. Patrem Egnatii idem Vaillantius opinatur fuisse Cn. Egnatium tribunum plebis A. V. C. DCLXVII. In quibus secutus est Pighium, qui tom. III. pag. 378. Egnatio illi, qui ex clade Crassiana in Syriam aufugit, Caji prænomen dat, & quæstorem inter Crassi duces in Parthico bello constituit A. V. C. DCXCVI. Hujus itaque Caji pater esse potuit Cneus Egnatius, quem quæstorem facit Pighius A. V. C. DCLXXV. & exheredatum a patre, item Cneo Egnatio, docet Cicero, sed ita, ut pater a censoribus L. Gellio & Cn. Corn. Lentulo senatu sit motus A. V. C. DCLXXXIII. filius vero, quem exhæredaverat, retentus. Verba Ciceronis inveniuntur in Oratione pro Cluentio cap. XLVIII. *Unum etiam est, quod me maxime conturbat, cui loco respondere posse vix videor, quod elogium recitasti de testamento Cn. Egnatii patris, hominis honestissimi, videlicet, & sapientissimi, idcirco se exheredasse filium, quod is ob Oppianici damnationem pecuniam accepisset. De cujus hominis levitate, & inconstantia, plura non dicam. Hoc testamentum ipsum, quod recitas, ejusmodi est, ut ille, cum eum filium exheredaret, quem oderat, ei filio coheredes homines alienissimos conjungeret, quem diligebat. Sed tu, Atti, consideres, censeo, diligenter, utrum censorum judicium grave velis esse, an Egnatii. Si Egnatii: leve est, quod censores de ceteris subscripserunt. ipsum enim Cn. Egnatium, quem tu gravem esse vis, ex senatu ejecerunt. sin autem censorum: hunc Egnatium, quem pater censoria subscriptione exhæredavit, censores in senatu, cum patrem ejicerent, retinuerunt.*

Patet ex illis Ciceronis verbis Cneum illum Egnatium, Cnei filium, virum honestum fuisse, cujus rationem præ patre etiam censores severi & justi habuerunt. Filius ejus potest credi hic Cajus, qui temporibus Ciceronis & bellorum civilium, atque in medio triumvirorum furore & proscriptionibus vixisse colligitur, & cujus forsan frater is est, qui una cum patre mutuis ictibus inter proscriptos periisse narratur ab Appiano. Hunc enim Cneum tum quidem non periisse ut credam typi horum denariorum efficiunt, in quibus omnibus pilei est figura, quod signum libertatis est receptæ. Bruti itaque & Cassii partibus addictus esse potuit hic Cajus Egnatius, & propterea in omnibus denariis hisce pilei typum adponere. Typus vero Jovis & Junonis ad Græcam aliquam urbem spectat, in qua cusi nummi sunt.

Sed & altera conjectura subit, priori (ut mihi videtur) præferenda. Inter gentis Corneliæ nummos denarii Cornelii Sullæ dictatoris & bis consulis, non Venerem tantum sed & Cupidinem præferre solent, qui stans ante Veneris caput cernitur Tab. V. num. VII. unde potius suspicor C. Egnatium fuisse partium Sullanarum, atque in ejus gratiam, ut Felicis & Epaphroditi, signasse hos denarios, in quibus omnibus vel Cupidinis, vel Veneris, vel utriusque simul aliqua habetur ratio. Cusos autem omnes arbitror in Græcia, dum corrasa undique pecunia pararet ad Italiam transire Sulla, ut a servitute Carbonis & Cinnæ aliorumque hominum violentorum urbem & Italiam liberaret. Hinc pileus (pulcherrimum promissæ & speratæ libertatis indicium) in omnibus hisce denariis studiose adpingitur. Extra Romam vero cusi sunt, unde abest vox ROMA. & pictura Jovis Gamelii & Junonis Zygiæ docent in urbe illa Græca, in quacunque cusi sint denarii, templum & cultum numinum illorum fuisse eximium.

Pertinent itaque ad A. V. C. DCLXIX. quo expeditionem ex Asia & Græcia contra inimicos in Italia paravit Sulla. Potuit inde hic C. Egnatius fuisse frater Cn. Egnatii, qui tribunus plebis fuit A. V. C. DCLXVII. & patruus Cnei istius, quem a patre exhæredatum fuisse diximus; hic quum esset inter quæstores Sullæ, ad usum belli civilis denarios hosce cudisse videtur.

Et in hoc quidem Jovis Gamelii & Junonis Zygiæ signa exprimi, facile Vaillantio concesserim, de quo Jove Gamelio videri potest Gyraldus pag. 105. de Junone Zygia idem pag. 120. ita dicta videlicet ἀπὸ τοῦ ζεύγνυσθαι τὸ θῆλυ τῷ ἄῤῥενι. In Oriente cultam eximie fuisse Apulejus docet pag. 112. ed. Pricæi, lib. VI. in oratione Psyches ad Junonem: *Quam cunctus Oriens Zygiam veneratur, & omnis occidens Lucinam adpellat.* Quam eandem, Gameliam dictam, Athenis colendam dedisse, & Gamelionem mensem ex ejus nomine vocasse Cecropem ex Phavorino docet p. 120. Gyraldus; unde forsan non errabimus si Athenis, quibus captis pepercit Sulla, cusum denarium dicamus.

Litera A.

Similis præcedenti, sed pro numero VI. ad latus scribitur numerus XII.

Vaillantius, qui hunc tantum denarium vidit, per literas hasce numerales XII. pretium vel annos designari existimat. „Pretium (inquit) monetæ, ut denarium duodecim assibus commutari denotet, ut secundo bello Punico ad XVI. auctos in Atilia & Aufidia gente vidimus. Si ad annos, a voto pro æde constituenda, duodecim usque ad ejus exstructionem confluxisse „suspi-

„ suspicamur." Hæc Vaillantius, ex quibus patet, illum de æde aliqua Jovis Gamelii & Junonis Zygiæ, quæ Romæ fuerit, cogitasse, & ad dedicationem illius ædis hunc denarium spectare. De denarii pretio quoque accepit Harduinus ad Plinium tom. I. pag. 265. sed uterque fallitur. Nota enim numeralis simpliciter ad monetarios pertinet, & innumeræ ejusmodi notæ numerales (ad matricum forte distinctionem) in nummis consularibus inveniuntur. Imo pro XII. nummus præcedens habet VI. & alius, quem ipse servo, VIII. Verum Harduinus insuper mirabilem, pro more suo, typi hujus & sequentium habet interpretationem, quam audiamus. „ Syria hæc maritima „ est, cujus mentio est in nummis tribus Egnatiæ „ gentis, perperam, (opinor) hactenus intelle- „ ctis. Sunt ii argentei in museo nostro, & apud „ Patinum in Famil. p. 103. Primus exhibet Cu- „ pidinis caput alatum, cum pharetra & arcu; „ symbolum principis amici ac fœderati, pro so- „ ciis bellum gerentis. Epigraphe, retro; „ MAXSVMVS. Templum in quo Juppiter „ stat, supra templum posito fulmine parte dex- „ tra, qua stat ille; & e regione, Astaroth dea „ Sidoniorum uti appellatur IV Reg. XXIII. „ 13. cum pileo, indice libertatis, supra tem- „ plum similiter posito, parte sinistra, ita ut „ deæ vertici immineat. Infra C. EGNATIVS „ CN. F. latere sinistro, CN. N. *Cnei filius Cnei* „ *nepos.* Dextro denique XII. denarii pretium, „ quod tunc fuit assium duodecim. Alter habet „ caput Concordiæ, retro Cupido alatus, veluti „ stringit Deæ monile, *son collier de perles.* Re- „ tro, MAXSVMVS. Imperator in curru bi- „ jugo, Victoria supervolitante, & coronam por- „ rigente. Infra C. EGNATIVS CN. F. CN. „ N. Tertius exhibet caput Libertatis: retro pi- „ leus est, libertatis index: retro MAXSV- „ MVS. Inter duos temones, qui sunt situs ad „ mare indices, stant Juppiter & Astaroth, cum „ hastis, Jove pedem proræ navis imponente, „ Victoria deam Astaroth coronante. Infra C. „ EGNATIVS CN. F. Latere sinistro CN. N. „ Pro Jove & Astaroth quidam hic arbitrantur „ Honorem & Virtutem hic jungi; & MAX- „ SVMVS scriptum esse pro MAXIMVS at- „ que istud cognomen fuisse Gentis Egnatiæ. „ Sententia his litteris comprehensa hæc est: „ MAX*ima Severi Victoria*, *Maritimæ Vota Sy-* „ *riæ*. Hæc illa est, quæ in nummis Severi Im- „ peratoris, VICT. PART. MAX. *Victoria* „ *Parthica maxima* inscribitur: quæ pulsis nimi- „ rum Parthis urbes Syriæ maritimas, alioqui li- „ beras, Romano revinxit Imperio, atque ut ita „ dicatur, Jovi Capitolino Astaroth Syrorum „ Deam reconciliavit. Nam id ea Numina in „ nummis picta significant; ut temones & proræ „ navium, urbes maritimas denotant. Liberas „ eas fuisse pileus hic signatus admonet. Quam „ ob causam Virgilius cecinit in laudibus Au- „ gusti:

„ ——— *Victorque* VOLENTES
„ *Per populos dat jura.*

„ Egnatius triumvir monetalis fuit, & (ut glo- „ riatur) filius ac nepos triumviri. „

Quod in hoc denario nostro de Cupidinis symbolo dicit, placere nulli poterit; quod deam Astaroth Jovi jungat, par est non bene comparatum, deaque Sidoniorum illa alio habitu in nummis occurrit. Neque parvum illud signum quod inter duo majora cernitur num. III. & seqq. Victoria est sed Cupido. MAXSVMVS vero pro MAXIMVS scriptum fuisse apud veteres, ut AXSIVS & ALEXSANDRIA, negari non potest. Ad Severum illepide nos ablegat Harduinus. Urbes liberæ pileum nunquam in nummis signant, sed titulum, & ἐλευθέρας se vocant; & denique non satis capio, an velit Harduinus liberas redditas a Romanis, ut ea scil. libertas pileo significetur, an vero quæ prius liberæ erant Romanorum imperio subditas, ob quam causam nequaquam pileus illis convenire poterat. Patrem & avum Egnatii quod etiam triumviros monetales credat fuisse Hardinus, nisi probet, neutiquam credemus.

II.

MAXVMVS. Caput Veneris, ad cujus collum dependens Cupido monile Deæ disponit & firmat.

Caius EGNATIVS CN*ei Filius* CN*ei Nepos.* Figura virilis in lentis bigis, cui advolans Victoria coronam capiti inponit. Retro bigas est pileus.

Veneris typus & Cupidinis ut ad Sullæ tempora & honores hos denarios revocem faciunt. Pileum etiam hic expressit Egnatius, quasi is foret Sulla, qui oppressam Romam per Marianos liberaturus esset a servitute Cinnæ & Carbonis. Ideo etiam non Romam ipsam (ut fieri in bigatis solet) expressit bigis insistentem, sed Sullam, cui, sicuti jam plures palmæ ex Africa & Asia erant, ita etiam advolans Victoria de omnibus inimicis victoriam & lauream promittit. Vaillantius credidit egregium aliquod factum alicujus ex majoribus Egnatii exprimi, qui ideo tanquam triumphans depingatur. Verum quadrigis vehebantur triumphatores, unde & ipse Sulla trimphans, pacis restitutæ symbolum, caduceum, tenens manu, quadrijugis vectus coronatur a Victoria, similiter ut in hoc denario nostro advolante, in Fam. Cornelia tab. quinta num. VI.

III.

Caput Deæ Libertatis, (quamvis Veneris malit Vaillantius) retro quod pileus cernitur.

Caius EGNATIVS CN*ei Filius* CN*ei Nepos.* Duæ figuræ stantes hastatæ, quarum altera videtur esse Virtus capite galeato, læva tenens parazonium, altero pede premens leonis, ut Vaillantius voluit, caput, apri vero juxta Morellii picturas, ut nobis ex nostris optime servatis denariis videtur, caput illud, quod solebat formari in summa parte litui militaris, quodque in innumeris denariis adparet, ut prioribus gentis Domitiæ aliisque, & præsertim Juniæ tab. tertia num. VI. Hinc & inde prora navis est cum remo erecto iisdem inposito.

Honoris & Virtutis ædem Marcellus vovit bello Gallico ad Clastidium, uti ex Livio patet XXVII. 27. *Marcellum aliæ atque aliæ objectæ animo religiones tenebant. In quibus quod quum bello Gallico ad Clastidium ædem Honori & Virtuti vovisset, dedicatio ejus a pontificibus impediebatur: quod negabant unam cellam amplius quam uni deo rite dedicari; quia si de cœlo tacta, aut prodigii aliquid in ea factum esset, difficilis procuratio foret: quod utri deo divina res fieret, sciri non posset. neque enim duobus, nisi certis deis, rite una hostia fieri. ita addita Virtutis ædes approperato opere: neque tamen ab ipso ædes eæ dedicatæ sunt.* Lactantius quoque lib. I. cap. XX. *Ab hoc illud M. Marcelli de consecratione Honoris atque Virtutis, honestate nominum differt, re congruit.* Virtus autem galeata fingitur & hastata, sicuti

ficuti paſſim in nummis antiquis, ubi parazonium quoque, ut in hoc denario tenet, & pede altero vel globum vel galeam premit, quod & orbem Romanorum virtuti ſubjecerit, & arma contra nitentium populorum obtriverit, ficuti in hoc denario litui militaris ſummitatem (quod inſtrumentum bellicum ex antiquiſſimis erat) pede premit, non vero leonis caput, vel apri, ut Vaillantius & Morellius crediderunt. Honos illi adpingitur, habitu honeſto & ad pompam decoro; haſtam quoque, ut divinitatis ſymbolum, dextra tenet, ſed cur Cupido ſummum haſtæ ejus tangat & quaſi regat, ſive in manus Honoris tradat, ſi quæratur aliquis, ſymbolice pro me reſpondere poteſt Gyraldus, cujus verba ſunt in Syntagmate de Diis pag. 34. „ Ego aliquando rogatus, quomodo effingerem „ deum Honorem, ita reſpondi: quod deam Vir- „ tutem ipſum fingerem præcedere, & dein ad eam „ Honorem a Cupidine duci; idque ex re ipſa e- „ licui. Nihil enim aliud eſſe videtur honor, „ quam quem ex virtute ipſa adſequimur. Nam „ & vidimus Honoris ædem poſt Virtutis templa „ poni ſolere. „ Malim tamen ſtatuere per Cupidinem hic iterum ad Sullæ fortunam adludi, qui deus inde ſolus in I. denario exprimitur, & cum matre Venere in II. cum Virtute & Honore in hoc III. ut doceat, Sullæ virtutem minime deſertum iri a propitio ſuo numine, verum certiſſime adepturam honorem debitum, & perſtituram in eo dignitatis loco, a quo dejicere fraudulenter atque violenter conabantur inimici, qui Marianarum erant partium, Cinna & Carbo, qui que cum iis Italiam atque exercitus ibidem tenebant.

Neque errabimus forſan, ſi dicamus Sullam, in omnibus Marianæ gloriæ æmulum, ſive Egnatium (ut Sullæ placeret) reſpexiſſe ſimul ad Mariana Honoris & Virtutis, quæ plurimum laudat Vitruvius lib. III. de Architect. cap. I. pag. 40. *Habeatque ambulationem circa cellam ædis, quemadmodum eſt in porticu Metelli Jovis Statoris Hermodi, & ad Mariana Honoris & Virtutis, ſine poſtico a Mutio facta.* & in fine Præfat. lib. IV. pag. 126. *Nec tamen a Coſſutio ſolum de his rebus ſcripta ſunt deſideranda, ſed etiam a C. Mutio, qui magna ſcientia confiſus, ædes Honoris & Virtutis Marianæ cellæ, columnarumque & epiſtyliorum ſummetrias, legitimis artis inſtitutis perfecit.*

Quod ad latera in navium proris remi erigantur, nequaquam Syriam maritimam (ut ſtulte ſomniavit Harduinus) ſpectat, ſed videtur indicare Sullæ in Italiam adventum formidandum ſane inimicis ſuis; hoc indicat remus in utraque navis prora erectus, ficuti anchora in ipſius Cornelii Sullæ denario erigitur quoque in navi quieſcente tab. ſexta num. II. ubi per anchoram erectam, ficuti hic per remum erectum, docemur, in ſtatione claſſem eſſe Sullæ, & expoſitos jam in terram milites, quibus dignitatem ſuam omnibus modis tueri nitebatur Veneris ille & Cupidinis cura felix Sulla.

Eodem itaque tempore & hunc Egnatii denarium, & illum imperatoris Sullæ cuſum crediderim; primo videlicet ejus in Italiam adventu, ut ſtatim pecuniam haberet ad manum, qua ſuos ſibi retinere milites faventes & copias hoſtiles poſſet corrumpere. Adeoque omnia in hisce Egnatii denariis, quum ad neminem melius quam ad Sullam ejusque facta referri poſſint, Egnatium quoque ex ducibus vel quæſtoribus Sullæ fuiſſe exiſtimo.

Litera B. C. *&c.*

Denarii hi & inſcriptionem habent eandem & typos eosdem qui num. III. inveniuntur; ſed in eo diſcrepant, quod literas quasdam alphabeticas habeant, ad alterum remum adpoſitas, videlicet has, P. more Græco Π. ſcriptam, E. H. I. meus inſuper R. habet, & ſic omnes literæ, ut in multis denariis Familiarum, expreſſæ fuiſſe videntur.

IV.

Caput Auguſti nudum cum lituo.

Marco EGN*atio* *Quinto* OCT*avio* II VI-R*is* *Signata* *Pecunia* *Senatus* *Conſulto*. in laurea.

Literas initiales & ſingulares in nummi poſteriore parte expreſſas S. P. S. C. ita legit Vaillantius pag. 408. *Sumtibus Publicis, Senatus Conſulto* & cum Fulvio Urſino exiſtimat hunc M. Egnatium eundem eſſe cum illo M. Egnatio Rufo, quem conſpiraſſe in Auguſtum Dio, Paterculus, & Suetonius ſcribunt, atque ſceleris meritas pœnas dediſſe. Putat præterea eosdem fuiſſe duumviros ædium ſacrarum locandarum, faciundarum, & dedicandarum, & corollam illam deſignare auream, publicis ſumtibus conflatam, atque in templi (cujus curam hi duumviri habuerint) honorem & dedicationem inſerviiſſe.

Verum nummus hic non fuit Romæ cuſus, ſed in aliqua colonia, atque Egnatius ille & Octavius in colonia iſta duumviri fuerunt. Hi permiſſu Senatus Romani (cui jus ſignandæ monetæ æreæ conceſſerat Auguſtus) nummos hosce percuſſerunt, ad quod factum Senatus Conſulto opus habuiſſe adparet. Quæ quoque ſententia fuit clariſſ. Perizonii in libello de Numm. Conſularibus pag. 276. ubi quum literas, P. S. S. C. quas in Lolliæ familiæ nummo interpretatus fuit Vaillantius per *Poſuere Suffetes Carthaginenſes* explicuerat, aliter legi debere docuiſſet, hæc (& mox ſimilia de Egnatii hoc nummo) ſubjungit. „ Putem itaque literas illas ſic potius exponendas. „ At vero multi coloniarum nummi occurrunt, qui nuda duumvirorum vel magiſtratuum nomina adſcripta habent, non adpoſita urbe vel colonia, in qua cuſi ſunt. Sic SISENNA PROC*onSule* & *Lucius* STATI*lius* in laurea poſita nomina, itidem inter Auguſti nummos occurrunt. *Cajus* VAR*ius* RUF*us*, SEX*tus* JUL*ius* POL*lio* II VIR*i* *Quinquennales*. ut & *Caius* AQUINUS MELA, *Lucius* BÆBIUS POLLIO II VIR*i* QUIN*quennales*, aliique inter ejusdem Auguſti nummos. Crediderim igitur Egnatium & Octavium duumviros Corinthi fuiſſe, illa enim colonia lauream coronam habet apud Vaill. tom. I. pag. 44. cum inſcriptis itidem duumvirorum, ſed quinquennalium, Æbutii & Heraclidis nominibus. M. Egnatium vero diverſum omnino fuiſſe a Rufo parricida exiſtimo, & Octavium forſan ex libertinis Octavii, imperatoris Auguſti patris.

Litera D.

Caput Auguſti nudum, ante quod lituus eſt.

Marco EGN*atio*, *Quinto* OCT*avio* II VIR*is*. *Pecunia Senatus Conſulto* ſcil. *percuſſa*, vel *Percuſſa SenatusConſulto* ſcil. *pecunia*. in laurea.

Nummi ſenſus idem eſt qui præcedentis, ipſe vero nummus tertii eſt moduli, quum præcedens ille ſecundi ſit moduli, atque aliorſum converſum caput Auguſti habeat.

Sequitur jam num. V. apud Urſinum ex Patini additione nummus æreus quadrans, cum capite Herculis & prora navis, inſcriptus MAX*imus*; quem, tabellas Urſinianas ſecutus Morellius in Egnatia quoque familia collocaverat, adjectis inſuper tribus aliis, ſed quoniam ad gentem Fabiam ſpectant, cui Maximi quoque cognomen fuit, ad illam retulimus. Viderat hoc & Vaillantius, ſcribens ideo pag. 408. „ Obſervan„ dum, quintum nummum cum voce MAX. in „ Fabiam gentem eſſe translatum, ad quam ille „ pertinet. „ Neque tamen in illa gente apud Vaillantium invenitur, ſed loco ejus eſt nummus Goltzianus, tab. LXI. num. 9. cum capite Jani bifrontis & Victoria proræ navis inſiſtente, atque inſcriptione Q. MAX.

EGNATULEIA.

Familiæ Egnatuleiæ (quæ vox diminutiva eſt ab Egnatia) plebejæ, ut videtur, mentionem faciunt Cicero, qui L. Egnatuleium quæſtorem & ducem quartæ legionis plurimum collaudat, & Spartianus in Severo, a quo imperatore occiſum commemorat Egnatuleium Honoratum cap. XIII. quem inter complures nobiles ſenatores enumerat, quos indicta cauſſa occidit Severus. Alios ex lapidibus profert Urſinus.

I.

Caius EGNATULEIUS *Cai* F. *Quæſtor.*
Caput Apollinis laureatum.
ROMA & litera Q. Victoria componens tropæum, & clypeo eidem adpenſo inſcribens.

Quinarium hunc Urſinus refert ad patrem L. Egnatulei (qui Cæſaris & poſtea Octavii partes ſecutus eſt) & de quo mentionem facit Cicero in Philippicis, Orat. III. cap. 3. ubi quum legionem Martiam laudat, quod ab Antonio defecerit & ad rempublicam ſe contulerit, commemorat itidem legionem quartam, & ducem ejus L. Egnatium, quem ad Cæſarem ab Antonio quoque deſciviſſe ait & juvenem fortiſſimum vocat. Verba ejus hæc ſunt. *Hujusce legionis virtutem imitata quarta legio duce L. Egnatuleio quæſtore, cive optimo, & fortiſſimo, Cæſaris auctoritatem, atque exercitum perſecuta eſt. Faciundum eſt igitur nobis, P. C. ut ea, quæ ſua ſponte clariſſimus adoleſcens atque omnium præſtantiſſimus geſſit, & gerit, hæc auctoritate noſtra comprobentur: veteranorumque, fortiſſimorum virorum, tum legionis Martiæ, quartæque mirabilis conſenſus ad remp. recuperandam, laude, & teſtimonio noſtro confirmetur: eorumque commoda, honores, præmia, cum conſules deſignati magiſtratum inierint, curæ nobis fore, hodierno die ſpondeamus.* Iterum ejus mentionem facit, & de præmiis ob id factum decernendis, Orat. ead. cap. ult. *Cumque legio Martia Albæ conſtiterit, in municipio fideliſſimo, & fortiſſimo: ſeſeque ad ſenatus auctoritatem, populique Romani libertatem contulerit: quod pari conſilio, eademque virtute legio quarta uſa, L. Egnatuleio duce, cive egregio, ſenatus auctoritatem, populique Romani libertatem defendat, ac defenderit: ſenatui magnæ curæ eſſe, ac fore, ut pro tantis eorum in rempubl. meritis honores eis habeantur, gratiæque referantur: ſenatui placere, uti C. Panſa, A. Hirtius, conſules deſignati, cum magiſtratum, inierint, ſi eis videbitur, primo quoque tempore de his rebus ad hunc ordinem referant, ita uti e repub. fideque ſua cenſuerint.* Præmium vero ipſum Egnatio ob id decretum perſequitur orat. V. cap. 19. *Nec vero de L. Egnatuleio fortiſſimo, & conſtantiſſimo cive, amiciſſimo reip. ſilendum arbitror: ſed tribuendum teſtimonium virtutis egregiæ, quod is legionem quartam ad Cæſarem adduxerit, quæ præſidio conſulibus, ſenatui, populoque Rom. reique pub. eſſet. ob eam cauſam placere, uti L. Egnatuleio triennium ante legitimum tempus magiſtratus petere, capere, gerere liceat. In quo, P. C. non tam commodum tribuitur L. Egnatuleio, quam honos. in tali enim re ſatis eſt nominari.*

Vaillantius Urſini hac ſententia prolata, de nummi neque tempore, auctore, vel typo aliquid pronunciare audet. Scrupulum etiam injicit eruditiſſ. Liebius, qui, præter quinarium hunc, protulit in Theſauro Fridericiano pag. 229. denarium hujus Egnatulei, qui ab altera parte caput quoque Apollinis exhibet, & inſcriptionem *Caius* EGNATULEI*us Cai Filius Quæſtor.* ab altera vero, MANius ACILIUS IIIVIR. VALETU*dò*, cum dea Hygeia, columnæ innixa, & ſerpentem manu tenente. Unde ſuſpicatur vir doctiſſimus nummorum nihil ad ſe invicem pertinentium partem priorem poſterioremque ex matricum permutatione conjunctas fuiſſe, quales errores nonnunquam in veteri moneta Romana deprehendi ab antiquariis obſervatum eſt. Inde vero concludit (quoniam ſcilicet hæ matrices eodem tempore in uſu fuerint) hunc C. Egnatium æqualem ſtatui oportere Manio Acilio; quem tribunum plebis ſtatuit Pighius anno DXCII. & conſulem ſuffectum anno DXCIX. Vaillantius; adeoque longe differre a L. Egnatuleio, Julii Cæſaris quæſtore, Ciceroni laudato, quem filium hujus Caji fuiſſe conjectat Urſinus. Ut aliter ſentiam, & ad tempora Egnatulei revocem Aciliam, atque ſerius utroſque vixiſſe exiſtimem, idem ille ab amiciſſimo mihi Liebio adductus & depictus denarius facit, cujus rationes jam adferam.

In quinarii altera parte cernitur litera Q. Hunc alii (inquit Vaillantius pag. 409.) *quæſtorem*, alii *quinarium* deſignare autumant, ſed objicit, quinarii notam eſſe V. ad indicandum quinque aſſes illum valere, prouti ſcilicet X. denarium denotare ſolet; unde concludit ipſe, literam Q. notam eſſe monetarii. At vero ſcire harum deliciarum ſtudioſos velim, literam Q. maxime propriam eſſe nummis in Sicilia & quidem Syracuſis ſignatis, in cujus urbis innumeris argenteis numiſmatis, quæ plerumque pegaſum exhibent, invenitur. Indicat vero Corinthiacam ejus urbis originem, & literæ K. vicem obtinet, uti pluribus ad Parutæ numiſmata, & in hoc quoque opere plus ſemel monui, & ſcire volentibus index indicare poterit. Quare auguror Quinarium hunc in Sicilia fuiſſe cuſum a quæſtore Cæſaris Octaviani C. Egnatulejo, & quidem poſtquam univerſa Sicilia expulſus eſſet Sextus Pompejus. Quum vero mox ex Sicilia poſt inſignem illam victoriam ad urbem properaverit Octavianus, uti docet Appianus lib. V. pag. 745. facile fieri potuit, ut matrices denariorum (nam & denarios quinariis hisce ſimiles ſignaſſe Egnatuleium docet denarius Fridericianus) Egnatii quæſtoris & Acilii triumvirii monetalis invicem ita permutatæ fuerint, ut diverſæ utriusque partes fuerint conjunctæ. Neque enim video, cur Manius Acilius magis triumvir ædibus ſacris reficiendis (quam Vaillantii ſententiam propoſui ſupra pag. 3.) agnoſcatur, quam triumvir monetalis; horum enim fuit monetam cudere, illorum aliud officium; neque video probari a Vaillantio poſſe, quod paſſim ſtatuit, jus monetæ cudendæ apud triumviros illos ædibus ſacris reficiendis quoque fuiſſe.

Tropæum quidem cernitur ab altera quinarii par-

parte, in quo clypeus observatur cui Victoria inscribit; & quid? nisi hunc vel similem titulum, quem eodem fere tempore, redeunte ex Sicilia Cæsare, statuæ ejusdem auratæ pro rostris inscripsit senatus ὅτι τὴν εἰρήνην ἐστασιασμένην ἐκ πολλοῦ συνέστησε κατά τε γῆν καὶ θάλασσαν. *Ob pacem post diuturna bella terra marique redditam.* In ipsa quinarii pictura recte Vaillantium increpat Liebius, quod vitiosam potius eorum qui ante se idem fecerant, delineationem repetierit, quam ex fide ipsorum quinariorum, qui sane vulgares & ubivis obvii sunt, fecerit; quod in opere Vaillantii de Nummis Consularibus sive Familiarum novum non est, quum in eo omnia præcipitanter egerit, ut Morellium nostrum, simile opus edere molientem, præveniret. Velum enim a Vaillantio aliisque ponitur pro lituo militari, qui in omnibus ejusmodi quinariis ad alteram tropæi partem (sicut & in nostris integerrimis) exprimitur. Obscurior vero & detrita magis fuisse videtur in nummis Ursini atque Patini, ita ut velum depingi crediderint.

E P P I A.

Eppia gens inter equites, teste Cicerone Epist. ad Atticum VIII, 11. recensita fuit. Eppios aliquot ex veteribus lapidibus protulit Ursinus, hos scilicet.

Q. EPPIVS. Q. F. COR. RVF.
ϴ. CLODIA. C. L. SILENIO.
ϴ. EPPIA. L. F. PAVLLA VOTE
NNIANA. MATER.
EPPIA. M. F. POLLA.

EPPIVS. P. F. FAB. RVFVS.
MIL. COHOR. II. PRAET.
T. F. I. ARBITR. &c.

Quibus addimus hanc ex Fabretto Inscript. III. 357. pag. 177.

D. M.
P. EPPIO. P. F. VOL. APRONI
ANO. VIXIT. ANN. XXXIX
P. EPPIVS. P. F. VOL. PISTORIA
NVS. PRAEFECTVS. FABR. LEG.
III. PARTH. ET. EPPIA. MAT. FEC.
IN. FR. P. X. IN. AGR. PED. XVII.

Diminutivum Eppiæ est Eppuleia, sicuti Egnatiæ Egnatuleia. Eppuleiam Ampii nominat Cicero Epist. ad Fam. VI. 12.

I.

Quintus METEL*lus* SCIPIO IMP*erator*. Caput Africæ exuviis elephantinis tectum, subtus est spica frumenti cum aratro.

EPPIVS LEG*atus Fieri Curavit.* Statua Herculis clavæ innitentis.

M. Eppius, reipublicæ partes secutus, Scipionem imperatorem in Africam secutus est, ejusque (ut hic denarius docet) legatus fuit. Profligatis vero ibi partibus vita a Cæsare est donatus, ut testatur Hirtius de Bell. Africano cap. LXXXIX.

Vidimus jam hunc denarium in gente Cæcilia tab. secunda num. VIII. Africæ frugiferæ symbolum ab altera parte est, ab altera cultus ibidem Tyrii Herculis. Literæ F. C. ad denarios potius quam ad statuam Herculis spectant, atque indicant Eppium Scipionis legatum fieri curasse hos denarios, & pro stipendio militari ejusdem jussu in Africa cusos fuisse.

II.

Caput Jani barbatum & laureatum cum columna, seu ara sublimiori & rotunda intermedia, ex cujus summo serpens, ovi figuram spiris amplexus, erumpit.

EPPIVS. ROMA. Prora navis.

Ante Morellium prava & inemendata hujus nummi ærei sive assis pictura fuit. Quod ipse docet Morell. in Epist. ad Perizon. p. 171. „ Ara „ cum imposito serpente media inter duas Jani fa„ cies deest in secundo Familiæ EPPIAE num„ mo, quod idem & in septimo gentis RV„ BRIAE accidit. Unde enasci posset conje„ ctura, fuisse ex hisce familiis legatos ad accer„ sendum ex Epidauro Æsculapium missos; sed „ ad rem medicam potius nummos hosce perti„ nere reor, comprobante id Plinii testimonio, „ Rubrios inter celeberrimos Medicos apud prin„ cipes recensentis. „ Sed, præter aram & serpentem, observari etiam ovum illud debet sive figura ovi, circa quam serpentis cauda in gyrum flectitur. Inter monumenta vetera, quæ indefesso studio & nunquam satis laudanda industria e tenebris eruerunt antiquarii, spectatur singulare aliquod apud Fabrettum pag. 282. Visitur ibi lapis sepulchralis, in quo figura virilis stans pateram ad libationem dextra tenet, quam invergit. Additur hæc inscriptio.

A. HERENNVLEIVS.
HERMES. FECIT.
CONIVGI. BENE.
MERENTI. IVLIAE.
L. F. LATINAE. SI
BI. ET. SVIS. POSTERISQVE. EO-
RVM.

Ad latera vero aræ utraque cernuntur duo serpentes cristati ovum ore adprehendentes, quem typum caute omisisse Sponium Miscell. sect. I. art. IV. dicit Fabrettus, ne divinando fatigaretur. Ipse vero Fabrettus suspicatur, postquam sibi, & uxori adhuc in humanis agenti Hermes hanc memoriam constituit, vel longævitatem hac expressione in votis habuisse, vel ut ex concordia illa quasi maritali serpentum, conjuges iuproles adhuc, sobolem sibi augurarentur ex ovo prodeuntem tanquam principio & originario fonte generationis, juxta Plutarchum Quæst. Convival. VII. 3. Displicuere hæ interpretationes Montefalconio, qui in Antiquitatibus suis Tom. II. pag. 270. aliam profert, & ad Ægyptiorum theologiam respici existimat. „ Veteres (inquit) Ægyptii bo„ num principium, quod mundum fecisset, agno„ scebant, idque ἀλληγορικῶς exprimebant per ser„ pentem ovum ore tenentem, quod ovum crea„ tum mundum significabat. Hic itaque serpens, „ qui ovum tenet ore, bonum principium erit, „ quod mundum fecit ipsumque sustentat. Quo„ niam vero Ægyptiorum pars maxima duo prin„ cipia admittebant, alterum bonum, alterum„ que malum, totaque religio Ægyptiaca, au„ ctore Plutarcho in Iside & Osiride, hoc car„ dine volvebatur, dicendum erit, serpentem il„ lum alium, qui cauda nixus & erectus primo „ ser-

„ ſerpenti opponitur, imaginem eſſe mali principii, mundum a bono principio auferre nitentis.„ Præter haſce ex Plinio nova interpretatio dari poſſet. Verba ejus ſunt lib. XXIX. cap. III. pag. ed. Hard. 501. *Præterea eſt ovorum genus in magna Galliarum fama, omiſſum Græcis. Angues innumeri æſtate convoluti, ſalivis faucium corporumque ſpumis artifici complexu glomerantur, anguinum adpellatur. Druidæ ſibilis id dicunt in ſublime jactari, ſagoque oportere intercipi, ne tellurem adtingat. Profugere raptorem equo: Serpentes enim inſequi, donec arceantur amnis alicujus interventu. Experimentum ejus eſſe, ſi contra aquas fluitet vel auro vinctum. Atque, ut eſt magorum ſolertia occultandis fraudibus ſagax, certa luna capiendum cenſent, tamquam congruere operationem eam ſerpentium, humani ſit arbitrii. Vidi equidem id ovum mali orbiculati modici magnitudine, cruſta cartilaginis, velut acetabulis brachiorum polypi crebris, inſigne Druidis. Ad victorias litium, ac regum aditus, mire laudatur: tantæ vanitatis, ut habentem id in lite in ſinu equitem Romanum e Vocontiis, a Divo Claudio principe interemtum non ob aliud ſciam.* Atque ita liceret colligere hunc Herennuleium Hermetem ex Galliis fuiſſe, atque ope iſtius ſpumæ, ſeu ovi, crediſſe ſe ſingulare quid adeptum fuiſſe vel adepturum, cujus originem ideo in lapide ſculpi voluerit. Verum, quoniam in priore monumenti parte vir ſacrificans conſpicitur, & a vivo Hermete poſitum fuerit monumentum, crediderim potius ſacrificium ibi eſſe Hecates, illumque precari per annos aliquot ſuam ſuorumque ſalutem a Dea Triformi, cui præter canes etiam ſerpentes ſacri fuerunt; ovum vero illud luſtrale eſſe, quod *cœnam Hecates* adpellare erant ſoliti.

At vero hæc nihil ad nummum noſtrum, in quo non duo ſerpentes, ſed unus cernitur ovo (quod dimidium exſtat) circumvolutus. Non dubito, quin ad Æſculapii ſacra ſpectet hic typus, cui deo ſacer fuit gallinaceus, & cui gallina, teſte Feſto in voce *Inſula*, immolabatur; quod fiebat poſt receptam valetudinem, uti docuimus ad Tertulliani Apolog. cap. XLVI. p. 381. Erat autem hæc avis Æſculapio ſacra, utpote quæ plurimum confert illis qui ex morbo recentes ſunt, quod idem cum ova præſtent, recte typum ejus dei ſerpentem ovum comitatur. Utrum vero hic Eppius legatos illos, qui Epidaurium deum Romam advexerint, aliqua cognatione adtigerit, incertum eſt; illud certius ſtatui poſſe videtur, Romanos poſt receptum Æſculapium, perinde, ut reliquos deos, Martem, Minervam, Herculem, ita Æſculapium quoque in moneta ſua ærea ſignaviſſe, cujus Æſculapii vultus, quoniam propter barbam Jano erat ſimilis, ad differentiam, contenti Janum ſolito more expreſſiſſe, cultum Æſculapii, per aræ, ſerpentis & ovi ſymbolum addiderunt. Advectus Romam fuit Æſculapius A. V. C. CCCCLXII.

Eppius, qui nummum in quæſtura urbana cudit, utrum idem ſit cum Eppio legato Metelli Scipionis, neſcio. Videtur mihi antiquior fuiſſe. Eppius ille, antequam legatus Scipionis fieret, gliſcente primum inter Cæſarem & Pompejum bello civili, Minturnis fuit, Ciceronis partibus ſtudens, qui illum *vigilantem hominem & induſtrium* adpellat in epiſtola ad Cn. Pompejum, quæ ſubjungitur epiſt. undecimæ lib. VIII. ad Atticum.

EPRIA.

Epria gens apud antiquos non memoratur, unde patet fuiſſe plebejam & novam. L. Eprius Chilo viator tribuni plebis occurrit apud Gruter. p. DCXXVII. num. 9.

ΘΕΟΝ ΣΥΝΚΛΗΤΟΝ. *Deum Senatum*, ſcil. colunt Cyprii. Caput ſenatus Romani habitu juvenili.

ΚΥπρεωι ΑΝΘΥπάτῳ ΕΠΡΙΩ ΜΑΡΚΕΛΛΩ Γ. *Cyprii Proconſuli Eprio Marcello anno tertio*, ſubintellige, monetam hanc percuſſerunt. Figura muliebris ſtans, veſte ſuccincta, dextra globum ſive pomum tenens, læva haſtam.

Inter Veſpaſiani nummos, quaſi cum capite Veſpaſiani, recenſet etiam Eprii Marcelli hunc nummum Vaillantius pag. 20. atque ita deſcribit, „ ΕΠ. ΜΑΡΚΕΛΛΩ ΑΝΘΥΠΑΤΩ ΚΥ. *Sub Marcello* „ *proconſule, Cypriorum.* Figura ſuccincta ſtans, „ dextra vexillum. „ & in margine notat, eſſe ex theſauro regio. Vereor autem, ne is ipſe hic nummus ſit, qui ex cimelio Abbatis Seguini ad muſæum regis Chriſtianiſſimi transvectus eſt una cum reliquis omnibus viri ejusdem; neque enim depingere inde neglexiſſet Morellius, atque inter Veſpaſiani nummos ponere, ſi caput Veſpaſiani adeſſet, ubi tamen non comparet. Nam & minus adcurate idem Vaillantius p. 309. inter proconſules ſub Claudio enumerat Marcellum, ex Cypriorum nummis, qui inter Claudianos nummos tamen non comparet. Fuit vero inſignis hic, de quo nunc ſermo eſt, nummus, olim a P. Seguino publicatus in Select. Numiſm. pag. 103. Cujus verba, quum egregie ad ejusdem illuſtrationem faciant, ſubjungemus. „ Eprius Marcellus, cujus nomine inſignitur nummus, multum a reipublicæ temporibus diſtat: „ ſed quia famoſus ævo Neronis & Veſpaſiani, „ ideo minime prætereundus. Neque ullus dubitandi locus, quin noſter nummus ad ipſum pertineat: quippe alterum nacti ſumus, cum capite Titi, eodem typo, eademque prorſus inſcriptione in averſa. Ex quibus patet utrumque nummum ejus eſſe Eprii Marcelli, qui ſub „ Nerone & ſucceſſoribus floruit. Fuit acri vir „ eloquentia, accuſator Thraſeæ Peti, quem *virtutem ipſam* vocat Tacitus. In eum magna vi „ invectus eſt Marcellus, annuente Nerone, & „ accuſationis præmium reportavit quinquagies „ ſeſtertium. Nerone mortuo, pluribus actionibus impetitus eſt in ſenatu ab Helvidio Priſco „ Thraſeæ genero, qui ſoceri necem ulciſci Eprii delatoris ruina nitebatur: ac primum quidem imperante Galba, cujus cum eſſet dubia „ voluntas, & multi e ſenatu deprecatores intercederent, omiſſa eſt actio. Sed repetita res iterum „ pari exitu, imperante Veſpaſiano, cum egregie „ ſe tueretur Eprius: donec Domitianus Cæſar, „ patre ac Tito fratre abſentibus, frequenti ſenatu, abolendam præteritorum memoriam cenſuit, perorante etiam pro accuſatoribus Muciano. Unde Quintilianus in Dialogo de Oratoribus ait: *Quid aliud infeſtis patribus nuper Eprius Marcellus quam eloquentiam ſuam oppoſuit? qui accinctus & minax, diſertam quidem, ſed inexercitatam, & ejusmodi certaminum rudem Helvidii ſapientiam eluſit.* „ Pro conſule Cyprum „ inſulam rexiſſe, colligi poteſt ex notis ΑΝΘΥ. „ & ΚΥ. quæ ΑΝΘΥΠΑΤΩ & ΚΥΠΡΙΩΝ deſignant: „ & ex figura Veneris pomum geſtantis, quam „ Cyprii præ aliis venerabantur. Quamvis enim „ figura illa virilis adpareat, militari habitu & „ veſtitu, ſiniſtra haſtam gerens: nihilominus „ Veneri tribuenda videtur, quæ ἐνόπλιος, hoc „ eſt, armata, colebatur à Lacedæmoniis aliisque populis, & maſcula dicebatur, teſte Macrobio ſuper Virgilii *Æneid.* II. verſu,

„ *Deſcen-*

„ *Deſcendo, ac ducente deo flammam inter &*
„ *hoſtes*
„ *Expedior.* „

Quoniam proconſule Cyprum rexit, credat forte quiſpiam, eum ex conſulibus ſuffectis fuiſſe, prouti in præturæ quoque honorem ſuffectus fuit, ita ut ne per integrum diem quidem illum geſſerit. *Adactus Silanus ejurare magiſtratum, & reliquus præturæ dies in Eprium Marcellum collatus eſt.* Notat vero opportune Spanhemius ad populi provincias miſſos quidem fuiſſe ſub nomine proconſulum præſides, Tom. II. pag. 471. & 472. ſed prætorios etiam viros, & qui conſulatum non geſſiſſent, cum ſolito proconſulis titulo, pag. 587. & 590. Atque ita, ut prætorius quoque, miſſus fuerat in Cyprum Eprius, provinciam populi, pro qua Dalmatiam receperat Auguſtus, teſtibus Dione & Strabone, ibidem pag. 589. a Spanhemio recenſitis.

Partem averſam de Venere Cypria quoque capit Spanhemius, quæ & Ἀφρόδιτος (ut natura virili, licet veſte muliebri) iisdem dicebatur. Verum nihil obſtat, quo minus ipſam quoque Romam in Venere ſua adumbrare Cyprii voluerint, utraque ſuccincta tunica & militari depingi poterat; quod malum, formæ præmium, in manu Veneris eſt, id globus ſive orbis terrarum, merces virtutis, in manu Romæ eſt, haſta utrique divinitatis eſt ſymbolum. Atque ita, ſicuti plurimæ Aſiæ urbes Græcæ ab altera parte ΘΕΟΝ ΣΥΝΚΛΗΤΟΝ ab altera ΘΕΑΝ ΡΩΜΗΝ depinxerunt, ita Cypri, quoque & Senatum & populum, cujus provincia erant, hac adulatione ſibi benenovolos reddere voluerunt, atque ideo in honorem Eprii Marcelli quoque, ut qui jam tertio anno proconſulare apud illos habuit imperium, nummos illos percuſſerunt, & nomen ejus in tertio caſu extulerunt, quum ſecundo caſu alias ſcribi ſoleat. ΕΠ. vel ΕΠΙ ΕΠΡΙΟΥ &c. unde in nummo Veſpaſiani quoque non ΕΠι legere debuerat Vaillantius, ſed ΕΠρέπῳ. Quod & in Seguino de hoc nummo notavit Harduinus de Numm. Urb. & Pop. pag. 274. edit. pr. In editione vero auctiore ſuam quoque de typo hoc prodit ſententiam, quam amplecti nequaquam poſſum. Ita vero ſcribit. „ ΑΝΘΥπάτῳ. ΕΠΡΙΩ
„ ΜΑΡΚΕΛΛΩ Γ ΚΥπρέιοι ſubintellige ἀνέθηκαν. ut in
„ Smyrnæorum nummo & alibi dicturi ſumus.
„ *Eprio Marcello proconſuli tertium Cyprii poſuere.*
„ Non vidit ita legi oportere Seguinus, a quo
„ hic nummus adfertur pag. 91. Stat ipſe Epri-
„ us militari habitu ac veſtitu; læva haſtam;
„ pateram, ut videtur, dextra gerit. Statua pe-
„ deſtris eſt, quam Eprio Marcello Cyprii po-
„ ſuere. Tacitus libro XIII. Annalium cap. 33.
„ pro ΚΥ. legit in hoc nummo ΛΥ. & Lyciæ Pro-
„ conſulem fecit: Cypri Proconſulatum, quem
„ ter geſſit Eprius, ut nummi docent, ne ſe-
„ mel quidem commemorat. „ Hæc Harduinus. Contra Harduinum diſputat nummus, qui muliebrem non virilem dat faciem, pomum non pateram repræſentat. Tacitus, vir conſularis, nummis non opus habuit, ut ex iis (quemadmodum poſt tot veterum abolita monumenta nos jam facere cogimur) magiſtratus & provincias ſcrutaretur. Res ſui fere temporis conſcripſit, & in omnium adhuc recenti memoria. De Eprio itaque Lyciæ, non Cypri, tum rectore hæc habet Annal. XIII. 23. *Pro Eprio Marcello, a quo Lycii res repetebant; eo usque ambitus prævaluit, ut quidam accuſatorum ejus exilio multarentur, tanquam inſonti periculum feciſſent.* Conjungitur ibi Eprius P. Celeri, quem Aſia accuſabat, & Coſſutio Capitoni, quem Cilices in jus vocabant. Geſta hæc ſunt A. U. C. DCCCX juxta Varronis computum; ſequenti enim mox anno narrat Tacitus Neronem imperatorem III. conſulem fuiſſe, collega M. Valerio Meſſala. At vero, cur mitti in Lyciam non potuit idem, qui poſtea majori provinciæ Cypro præfectus fuerit, aditum ad honorem alterum illi ſuppeditante ipſa illa ambitus abſolutione, qua de inimicis triumphavit, tanquam qui ipſi inſonti periculum feciſſent? Ex Provinciis vero, quas illo loco commemorat Tacitus, primam Aſiam; in qua Ilium, id eſt Troja, inter Aſiæ XII. provincias enumerat auctor libelli de Provinciis Romanis, a nobis Eutropio adjectus, pag. 564. inter quas Lycia ibidem pag. 565. enumeratur. At inter Orientis provincias decem, Cilicia juxta montem Taurum, & Cyprus collocatur. Dicit porro Harduinus (quaſi id pro nova ſua opinione ſit) mentionem feciſſe Tacitum ex mala nummi lectione Lyciæ, at nullam feciſſe mentionem Cypri, quam (prout Harduinus interpretatur literam Græcam numeralem Γ.) ter, ibi proconſulatum gerens, rexerit Eprius Marcellus. At vero illum nego ter Cyprum rexiſſe, id eſt ter in illam inſulam miſſum fuiſſe Eprium. Longe enim aliud eſt *tertium* (ut rectius idem Harduinus jam ante interpretatus fuerat in editione priori pag. 275.) quam *ter*. Quid vero magis rationi conſentaneum eſſe poteſt, quam præſidum annos in nummis provinciarum adſcribi, ſic ut pro prorogato diutius ibi imperio plures literæ numerales ex alphabeto occurrant. Sed neque potuit Eprii ejusque provinciæ facere mentionem Tacitus, niſi per occaſionem. Habuit illam, reſpectu Lyciæ, non reſpectu Cypri. Lycii repetundarum accuſarunt Eprium, & ſic, quemadmodum Celeris & Coſſutii memorat reatum, ita Eprii quoque in ſimili cauſſa mentionem facit. Quod in illo ut Lyciæ rectore locum habet, non item ut Cypri, cujus, ut Cypri, mentionem Tacitus injiceret, ratio nulla fuit; & plurima quotidie ex nummis diſcimus, quorum mentionem apud auctores veteres fieri non videmus.

FABIA.

Gens Fabia, patricia majorum gentium, id peculiare habuiſſe videtur propter Fabii Celeris cum Romulo amicitiam, ut ex illa potiſſimum flamines Quirinales eligerentur; quod Fabii Pictoris denarii nos docere videntur. In plures familias & cognomina diſtincta hæc gens fuit. In nummis agnoſcuntur Labeones, Maximi, Pictores, Adriani, Hiſpanienſes; a faba nomen acceperunt Fabii & maximi atque utiliſſimi reipublicæ viri fuerunt.

I.

LABEO. ROMA. Caput Romæ galeatum.

Quintus FABI*us*. Jupiter in quadrigis, dextra fulmen tenens, læva ſceptrum & equorum habenas. Sub equis prora navis eſt.

Inter Fabios Labeones primus fuit hic, cujus in hoc denario nomen occurrit; qui dictus fuit Q. Fabius Labeo, & cujus filius videtur fuiſſe is, quem laudat Cicero in Bruto cap. XXI. quem ibi confert cum Ser. Fabio Pictore. Pater vero Q. Fabius, Labeo inſcriptus in hiſce denariis, prætor claſſi præfectus fuit A. U. C. DLXIV. ſeu, juxta Varronem DLXV. Hinc apud Livium XXXVII. 50. *Prætores deinde ſortiti ſunt Q. Fa-*

bius Labeo classem &c. Sed ubi cum classe in Asiam venit Fabius, pax jam Antiocho concessa erat, res tamen ab eo in Creta insula atque alibi gestas, & navalem inde triumphum ejusdem commemorat Livius in extremo libri XXXVII. Ipsa Livii verba quoniam denarios hos illustrant, subjiciam: *Eodem fere tempore, & Cn. Manlius consul in Asiam, & Q. Fabius Labeo prætor ad classem venit. Ceterum consuli non deerat cum Gallis belli materia. mare pacatum erat, devicto Antiocho. Cogitanti itaque Fabio, cui rei potissimum insisteret, ne otiosam provinciam habuisse videri posset; optimum visum est, in Cretam insulam trajicere. Cydoniatæ bellum adversus Gortynios Gnosiosque gerebant, & captivorum Romanorum atque Italici generis magnus numerus in servitute esse per totam insulam dicebatur. Classe ab Ephesso profectus, quum primum Cretæ littus attigit, nuncios circa civitates misit, ut armis absisterent, captivosque in suis quæque urbibus agrisque conquisitos reducerent, & legatos mitterent ad se, cum quibus de rebus ad Cretenses pariter Romanosque pertinentibus ageret. Nihil magnopere ea Cretenses moverunt, captivos, præter Gortynios, nulli reddiderunt. Valerius Antias ad quatuor millia captivorum, quia belli minas timuerunt, ex tota insula reddita scripsit: eamque caussam Fabio, quum rem nullam aliam gessisset, navalis triumphi impetrandi ab senatu fuisse. A Creta Ephesum Fabius rediit: inde tribus navibus in Thraciæ oram missis, ab Æno & Maronia præsidia Antiochi deduci jussit; ut in libertate eæ civitates essent.*

Narrat præterea Valerius Maximus VII. 3, 4. *Eundem, quum a rege Antiocho, quem bello superaverat, ex fœdere icto dimidiam partem navium accipere deberet, medias omnes secuisse, ut eum tota classe privaret.* Quæ tamen in omnibus non conveniunt cum Livii de eadem re verbis. Apud quem consul lib. XXXVIII. cap. 39. *Q. Fabio Labeoni, qui classi præerat scripsit, ut Patara extemplo proficisceretur: quæque ibi naves regiæ essent concideret cremaretque. Profectus ab Epheso quinquaginta tectas naves aut concidit, aut incendit.* Ex conditione enim fœderis cap. ibid. 38. relinqui regi decem naves actuariæ debebant. Addit Livius, Telmessum eadem expeditione (territis subito adventu classis oppidanis) ab eodem Labeone receptam fuisse.

Ex quibus omnibus patet, recte navis proram sub equorum pedibus in quadrigato hoc denario poni, quoniam omnis ejus potestas navalis fuerat, & classem Antiochi adfligendo Romanas vires auxerat.

Litera A.

In omnibus similis hic denarius est illi, qui modo præcessit, nisi quod prora navis aliter sit conversa, atque non sub ventre equorum, ut in præcedenti, sed sub pedibus anterioribus ponatur.

Litera B.

Senatus Consulto. Caput Jovis Capitolini laureatum, adponitur ex alphabeto prima littera, quæ monetarii nota est.

Quintus FABI*us*. Jupiter in quadrigis ut supra, sub equis est prora navis.

Docet denarii hujus typus ex senatusconsulto cusos fuisse omnes hosce denarios, qui memoriam Fabii Labeonis, & navalis ejusdem triumphi continerent, utpote gloriosi Romanorum rebus & utilis.

Pervenit hic Q. Fabius Labeo postea ad consulatum, teste Livio XXXV. 49. una cum M. Claudio Marcello A. U. C. DLXX. Idem, L. Valerio Flacco pontifice mortuo A. U. C. DLXXIII. quum multos pestilentia, & inter illos sacerdotes aliquot, absumsisset; in ejus locum est suffectus. At (ut ex fine capitis videtur liquere) Pontifex maximus factus fuit M. Æmilius Lepidus, quamvis multi clari viri petiissent (inter quos Labeonem quoque nostrum consularem fuisse credo) defuncto pontifice maximo, exitu ejusdem anni, C. Servilio Gemino. Quod noto, ne quis credat pontificem maximum quoque Q. Fabium Labeonem fuisse.

II.

Quintus MAX*imus*. ROMA. Caput Romæ galeatum.

Cornucopiæ, cum fulmine per transversum, coronæ ex lauru, glandibus, & spicis contextæ inclusum.

Plurimis ex gente Fabia, quibus Maximi cognomen fuit, prænomen etiam Quinti fuit. Hinc merito diffident sibi antiquarii, cui ex tot Fabiis hunc & sequentem denarium adsignent. Ursinus referri posse putat ad Q. Fabium Maximum, qui consul cum C. Trebonio A. U. C. DCCVIII. in magistratu est mortuus, & cui per unum diem successit ridiculus consul Caninius Rebilus. Vaillantius ad Q. Fabium, cognomine Eburneum ob candorem dictum, refert, cui puero in cunis fulmine natis icta fuit, unde & pullus Jovis audiit. Ad cujus casus memoriam fulmen exprimi credidit idem Vaillantius, & hunc quidem denarium in ædilitate ejusdem cusum fuisse, & ob id ubertatis habere symbola, sequentem vero in ejusdem prætura, atque inde in eodem ad ludos Apollinares respici. Begerus vero satis confidenter Q. Fabii Maximi prudentem cunctationem exprimi pronunciat, in Observat. & Conject. ad Antiq. Numism. pag. 34. & Thes. Brand. tom. II. pag. 535. cujus ibidem adductæ vel collo obtortæ rationes non tanti apud me sunt, ut dictatori huic in re antiquaria acquiescendum putem. Symbolum prudentis cunctationis non cornucopiæ cum fulmine, sed fulmen cum deo Terminali vel delphinus cum anchora est, sicuti typos illos rei convenientes cernere licet inter Augusti imperatoris nummos tab. IX, 13. XV, 12. & Fam. Durmia num. IV. Credo itaque singularem quandam ubertatem ejus anni, quo cusa fuerint hæc numismata, indicari, quo videlicet beneficio Apollinis, id est, solis, cujus in proximo denario est effigies, & caliditate aëris, cujus fulmen symbolum est, sub Jove videlicet placido, maximus frugum fuerit proventus; unde non tantum cornucopiæ frugibus plenum exprimitur, verum additur corona typum ambiens ex foliis, floribus, glandibus, & spicis contexta; docens hominibus & animalibus uberem istum annum fuisse & summa fertilitate beatum. Romæ cusi sunt denarii a quæstore urbano Q. Fabio Maximo, a quo, & quo anno, difficile est definire.

III.

ROMA *Quintus* MAX*imus*. Caput Apollinis laureatum, cum nota denarii, & dei signo lyra.

Typus præcedenti similis, nisi quod desinet glandes, olim hominum, nunc pecorum tantummodo pabulum.

De sensu hujus denarii diximus ad præcedentem. Solis sive Apollinis beneficio terræ ubertas accedit, hinc symbolum ejus dei in nummo hoc,

hoc, lyra scilicet, ne alii nisi Apollini caput adjudicetur.

IV.

Caput Jovis laureatum.

Quintus FAB*ius*. Figura militaris, stans habitu succincto, dextra tenens pateram, læva hastam, retro illam scutum est, ante cernitur monogramma quod urbem Panormum indicare mihi videtur.

Credidit Vaillantius pag. 423. nummum hunc cusum fuisse sub prætore Siciliæ Q. Fabio Serviliano A. V. C. DCVII. atque Panormitanos, quamvis jurisdictioni Romanæ exemtos, tamen, ut moneta sua apud Romanos quoque in usu esset, signasse nomen prætoris, atque conjunxisse deum Romanorum Jovem cum Marte suo. Ego aliter, sensi in Parutæ Sicilia Numismatica, omnes scilicet hosce nummos, qui satis multi numero occurrunt, pertinere ad coloniam militarem, quam illuc misit Augustus, postquam solus rerum potitus est. Hinc similes nummi passim in anteriori parte capita habent numinum Græcorum, quæ Panormi colebantur, ut Jovis, Minervæ, Apollinis, Dianæ &c. in posteriori vero figuram Militarem (cui in Morelliana pictura torosum & muliebre nimis pectus datur) dextra pateram tenentem, læva hastam. De qua videri potest Introductio nostra in numismata Panormitana pag. 51. 52. & tabulæ apud Parutam VI. VII. VIII. in quibus passim ejusmodi nummi (adjecto nonnumquam aratro, coloniæ symbolo ut VII. 61.) occurrunt. Et sic Quintus Fabius in hoc nummo, & apud Parutam VII. 68. L. Postumius apud eundem num. 69. Cato tab. VIII. num. 72. & infra in gente Porcia, dicendi sunt triumviri istius coloniæ deducendæ, vel, adjecto M. Aurelio, cujus nomen per monogramma scribi videtur tab. VII. num. 70. quatuorviri. Opponi tamen potest, omnes coloniarum nummos (si Antiochenses paucosque alios excipias) Latinam inscriptionem non Græcam monetæ suæ adponere, imo ipsam Panormum jam coloniam factam Latinis litteris Panormitanos se scripsisse in nummis, in quibus ab altera parte Augusti est caput, ab altera Liviæ, cum inscriptione, hinc AVGVS. inde PANORMITANORVM. apud Parutam nostrum tab. VI. num. 54. 55. Verum respondeo, Panormum deductam fuisse coloniam, non ut in reliquas solebant urbes Romani, dirutas vel incolis exhaustas, sed adhuc pro ratione belli civilis, quod Siciliam exhauserat, satis habitatam ab incolis Græce loquentibus. Unde quamvis postea semper (utpote colonia) Latinis literis monetam signaverit; tamen tunc ad adventum triumvirorum vel quatuorvirorum deducendæ coloniæ, & coloniæ militaris ipsius, cudisse nummos, in quibus lingua sua suisque litteris gratias agerent Augusto, propter jus coloniæ, quod ob sua in illum merita ipsis concesserat Augustus. Quare tab. VII. 61. ubi aratrum, coloniæ symbolum, figuræ huic militari adponitur, insuper monogramma cernitur, quod, ex duabus literis connexis N. & P. constans, Panormum efficit, si lineolam in summo & medio ejusdem agnoscamus. Additur non connexa sed solitaria littera K. quæ Καίσαρει significat vel Καισάρεια, ita ut in illo nummo, Græce inscripto, vel ipsa Panormus colonia Cæsarea vocetur, vel, ut colonia ab eodem instituto gratias agat, illique nummos suos dedicet. Patera, quam figura militaris manu tenet, ad sacrificia tum peragenda spectat.

Q. Fabius autem in hoc nummo signatus potest is esse, qui sub Augusto postea consulatum gessit A. V. C. DCCXLIII. cum Iulio Antonio, & videtur is esse, de quo agit Quintilianus lib. VI. cap. III. pag. 543. *In metalepsin quoque cadit ratio dictorum: ut Fabius Maximus, incusans Augusti congiariorum, quæ amicis dabantur, exiguitatem, heminaria esse dixit.*

V. *& Lit.* C. *& seqq. duæ picturæ.*

Caput Romæ galeatum cum denarii nota; in sequentibus adscribuntur literæ N. C. E. alphabeticæ.

Numerius FABI*us* PICTOR QUIRIN*alis*. ROMA. Roma sedens, capite galeato, veste induta longiore, dextra tenet apicem pontificalem, læva hastam, *quirin* antiquitus dictam, lævo cubito clypeo innititur, cui inscribuntur literæ QVIRIN. quæ cur QVIRI*nalis* a me reddantur, mox ratio adferetur.

De Fabio, cujus nomen denario inscribitur, primum agendum erit, de typo deinceps. Inter cognomina gentis Fabiæ etiam illud Pictoris fuit, quod primum tulisse narratur C. Fabius, qui ædem Salutis, quam, A. V. C. CCCCXLVI. dedicavit C. Junius Brutus Bubulcus censor, votam ab ipso jam ante bello Samnitum, gratuita pinxit opera, & nomen suum operi adscripsit. De religiosa hac ejus diligentia & magnificentia satis abjecte loquitur, Phidiæ mercenariis manibus conferens, Valerius Maximus VIII. 14: 6. *Illa vero etam a claris viris interdum ex humillimis rebus petita est. Nam quid sibi voluit C. Fabius nobilissimus civis? qui cum in æde Salutis, quam C. Junius Bubulcus dedicaverat, parietes pinxisset, nomen his suum inscripsit. Id enim demum ornamenti familiæ consulatibus, & sacerdotiis, & triumphis celeberrimæ deerat. Ceterum sordido studio deditum ingenium, qualemcunque illum laborem suum silentio obliterari noluit: Videlicet Phidiæ secutus exemplum, qui clypeo Minervæ effigiem suam inclusit, qua convulsa, tota operis colligatio solveretur.* Honestius illud Plinii, gravioris auctoris, testimonium Lib. XXXV. cap. 4. *Apud Romanos quoque honos mature huic arti contigit. Siquidem cognomina ex ea Pictorum traxerunt Fabii clarissimæ gentis, princepsque ejus, cognominis ipse, ædem Salutis pinxit anno urbis conditæ CCCCL. quæ pictura duravit ad nostram memoriam, æde Claudii principatu exusta.* C. Fabii Pictoris filii fuisse videntur C. Fabius Pictor consul A. V. C. CCCCLXXXIV. ad quem judice Vaillantio referri debent denarii num VI. & seqq. atque Numerius Fabius Pictor, cujus hic Vaillantio eidem denarius est, quique illum falso una cum C. Fabio fratre legationem ad Ptolemæum obiisse credidit. Valerius Maximus Numerii hujus laudat continentiam ut & senatus liberalitatem. Verba Valerii hæc sunt lib. IV. 3, 9. *Atque huic animi ejus judicio Q. Fabius Gurges, N. Fabius Pictor, Q. Ogulnius subscripserunt: qui legati ad Ptolemæum regem missi, munera, quæ ab eo privatim acceperant, in ærarium, & quidem prius quam ad senatum legationem referrent, detulerunt: de publico scilicet ministerio nihil cuiquam, præter laudem bene administrati officii, accedere debere judicantes. Jam illud humanitatis senatus, & attentæ majorum disciplinæ indicium est: data sunt enim legatis, quæ in ærarium reposuerant, non solum patrum conscriptorum decreto, sed etiam populi permissu, eaque legatis quæstores prompte unicuique distribuerunt. Ita in iisdem Ptolemæi liberalitas, legatorum abstinentia, Senatu sac populi Roma-*

ni æquitas debitam probabilis facti portionem obtinuit. Erroris caussa Vaillantio fuere vitiosæ editiones quædam ita scribentes *Q. Fabius Gurges*, *C. N. Fabii Pictores* &c. Consulatum tandem hic N. Fabius Pictor gessit cum D. Junio Pera, A.V.C. CCCCLXXXVII. quo anno suspicatur Vaillantius cusum hunc denarium fuisse, quia consulibus prima cura argenti signandi data fuit.

Typus nummi singularis est, & exhibet figuram sedentem cum apice sacerdotali & hasta. Quirini (i.e. Romuli) ipsius imaginem flaminis apicem manu tenentis, ad id sacerdotium indicandum, in denario exprimi credidit Ursinus pag. 108. (quem sequitur Spanhemius, Romulum, ut mox ex testimonio ejus patebit, vocans) neque aliter sensit ipse Vaillantius, unde scribit pag. 429. „ Vox QVIRIN. in clypeo, nihil aliud quam „ *Quirinus* explicari potest; ergo Quirinum se„ dentem denotat; quamvis autem prolixa barba „ non sit ornatus, ut in Memmia exhibetur, ju„ venis etiam depingi potest. Tenet apicem, ut „ Quirinalis flaminis symbolum, sinistra hastam „ seu quirim, unde Quirinus est dictus, galea ar„ matus est, ut insignis bellator. „ Imo ante Vaillantium Pighii, qui literam F. pro N. C. vel E. invenit, eadem fuit sententia. Pluribus enim hunc typum illustrans, tom. II. pag. 61. ita scriptum reliquit: „ N.FABIVS N.F. C. N. Pictor, „ filius N. Pictoris consulis anno CDXXCVII. „ & nepos C. Fabii Pictoris principis familiæ, a „ quo cognomen hoc profluxisse suo loco diximus. Ejus opinor exstare nummos argenteos, „ in quibus nomen sic legitur: N. FABI. N.F. „ PICTOR. ROMA. F. tamen litera studio vi„ detur transposita in alia nummi parte juxta Ro„ mæ deæ caput galea alata tectum; sed caussa „ non liquet. Et hic igitur, ut adparet, avi „ sui æmulus, gloriam sibi suisque ex picturæ stu„ dio conciliare voluit, & cognomini suo satisfa„ cere, Quirini dei imaginem, ac ædem sacram „ picturis ornando Quirinali in colle, sicut avus „ salutis ædem ornarat. Ejus itaque facti sui me„ moriam in argenteis, uti tum moris fuit, pro„ mulgare voluisse, testantur nummi plures, qui „ nunc etiam extant antiquissimi, litterarum ac ima„ ginum formis sæculum suum nobis indicantes. „ Habent in una facie caput, ut dixi, deæ Ro„ mæ cum nota F. in altera Quirinum ipsum in „ solio regali sedentem, cum galea jubata in capi„ te, paludamento sive toga, ut melius adparet, „ a thorace in femora pedesque defluente; quo „ simul Romulum armatum, Quirinumque to„ gatum noscas. Hic sinistra tenet hastam, pri„ sca voce Sabina, Quirin vocatam, a quo Ro„ mulo inter Divos relato nomen inditum est Qui„ rinus, sicut in ejus adstante scuto scriptum est „ QVIRIN. Insignia sunt hæc quidem divini„ tatis, cum veteres ab origine rerum, ut ex Pom„ pejo Trogo Justinus tradit, hastas pro diis co„ luerint immortalibus, atque Festo Pompejo te„ ste, viri fortes hac honoratissime donarentur; eo „ quod imperii atque armorum summam usque „ notabit, sub illaque captivos, & manubias ven„ dere, & hostes subjugare moris fuerit. Dextera „ vero manu tutulum cum apice flaminis tenet, „ ostendens se post Jovem atque Martem Patrem „ a populo Romano sacrificiis solemnibus, & pe„ culiari sacerdote flamine honorari. Erat etenim „ tutulus flaminum sacerdotum proprius pileus „ cum apice lana coronato talis, sicut in numis„ mate videtur, sine quo sacrificare, festisve diebus „ in publicum prodire, nefas ipsis erat. Et talem „ fuisse ex M. Varrone de Lingua Lat., Pompejo „ Festo & Servio Grammatico discere est. Fit ita„ que verisimile, quasi cum ex numismate, tum „ ex auctoribus, Quirinales flamines aliquot in „ gente Fabia celebres atque illustres fuisse; nec „ non eumdem Quirinum inter gentilicia sacra re„ ligione quadam privata semper coluisse Fabiam „ gentem, quod hæc Romulo vivo in terris valde „ chara familiarisque fuerit. Constat a Romulo „ Fabium quemdam ob summam in exequendis „ mandatis promptitudinem cognomine celerem „ vocatum fuisse, & cum suæ civitatis Rem„ publicam constitueret, CCC. equitum no„ bilissimorum ad sui corporis custodiam selecto„ rum ducem ac Tribunum factum: quo Celeres „ equites illi quoque sunt adpellati, quemadmodum „ ex Auctore de viris illustribus, Eusebii Chronico, „ Dionysio, & aliis intelligi datur. „ Ego vero adfirmo, ex accurata ipsius denarii inspectione, esse figuram muliebrem, longa indutam tunica, plane uti depinxit Morellius, neque potuisse Romulum sive Quirinum aliter in hoc nummo pingi, quam in illo Memmii, neque enim Quirini nomen accepit Romulus nisi post mortem, mutato, novorum deorum ritu, nomine. Ovid. Fastor. II. 475.

Proxima lux vacua est: at tertia dicta Quirino.
Qui tenet hoc nomen Romulus ante fuit.
Sive, quod hasta quiris priscis est dicta Sabinis,
Bellicus a telo venit in astra deus.
Sive suum regi nomen posuere Quirites;
Seu quod Romanis junxerat ille Cures.

Unde *novus Quirinus* dicitur versu 507.

—— —— *Prohibe lugere Quirites,*
Nec violent lacrymis numina nostra suis.
Thura ferant, placentque novum pia turba Quirinum,
Et patrias artes, militiamque colant.

Ubi vero cum Remo jungitur, per prolepsim ita vocatur apud Virgilium Æneid. I. 296.

—— —— *Remo cum fratre Quirinus*
Jura dabunt.

Si itaque Quirinus in hoc denario adpellaretur & vocaretur Romulus, omnino, ut in Memmii denario, barbatus pingi (qui illorum temporum mos erat, ut ex Numæ quoque patet facie) debuerat. Non itaque Romulus est, sed ipsa Roma, quæ quidem hoc sacerdotium in conditoris sui honorem institutum laudat, dum ipsa sacrum apicem manu tenet, nam literas non per QVIRIN*us* explicari debere censeo, sed per QUIRIN*alis*, ut subintelligatur FLAMEN; prouti dignitas illa respectu Martis integre legitur scripta in nummo Lentuli, flaminis Martialis tab. inter Corneliæ gentis denarios tertia, num. VII. LUCIUS LENTULUS FLAMEN MARTIALIS. Quæ inscriptio viros doctos quasi manu ducere debuerat ad hujus lectionem & verum intellectum. Neque movere quemquam debet, quod non in nummi ambitu, sed clypei area hic scribatur titulus, quum id solitum fuerit monetariis, ut, si ambitus nummi non caperet omnia, cuilibet picturæ ex typis repræsentatis, id quod supererat insererent; imo id facerent quoque licet plurimum in ora nummi spatium vacaret. Sic in Fam. Cæcilia tab. prima num. III. nomen Metelli in media rate scribitur ita, METELLVS. atque iterum ibidem tab. secunda in signa-

signaturis A. B. C. in ipsis ratibus pariter scribuntur nomina M. METELLVS & M. METEL. IMP. & C. METELLVS. id quod luculento etiam exemplo docuimus ad gentis Caniniæ nummum III. ubi pars inscriptionis est in ora nummi, pars in cippo, cujus typus in ipso nummo exprimitur; in ora videlicet hæc, *Lucius* CANINIVS GALLUS III VIR. in ipso cippo reliqua *Caii Cæsaris* AVGVSTI. Quæ quum ibi quoque non intellexerint interpretes, nihil nisi nugas canoras produxerunt, ut cerni potest supra pag. 70.

Spanhemius, qui de Romulo quoque icunculam sedentem intelligi voluit, ad illustrationem denarii hæc scripsit tom. II. pag. 25. sive edit. prioris, cujus verba damus, pag. 515. „ Ita NVMERII prænomen peculiare genti Fabiæ tradit auctor libelli Valerio adjuncti. NVMERII *sola patritia gens usa est Fabia prænomine.* Testes adhuc ejus rei luculenti denarii gentis Fabiæ, qui soli prænomen illud exprimunt, N. FABI PICTOR, ac in clypeo, quem Romulus, ut volunt, tenet, cum flaminis apice (qua de re paullo infra) QVIRINVS, seu *Numerius Fabius Pictor Quirinalis*, pro quo in antiquis editionibus legebatur, *M. Fabius* &c. M nempe loco N, quod prænomen illud *Numerii* vulgo foret minus notum, surrogato. Neque enim alius quærendus, cui nummus ille imputari debeat, neque etiam cum Ursino, duo diversi Fabii Quirinales existimandi sunt, quos ibi è Livio recenset, sed unus idemque statuendus, qui nempe anno DLXIV. Flamen Quirinalis inauguratus fuit; anno autem DLXXXVII. Coss. M. Claudio Marcello & C. Sulpicio Gallo mortuus.

Verum in illis illustr. Spanhemius Fabii posterioris putat hunc esse denarium; non ejus qui Pictoris (ita primi dicti) fuerit filius, aut qui A. V. C. CCCCLXXXVII. consul fuerit, sed qui centum post annis fuerit mortuus, & integra ætate post illum vixerit. At vero huic Numerii prænomen ex sola datur conjectura, quoniam pro *Quinto*, quod illi prænomen per *Q.* literam initialem dat Livius, quædam editiones antiquæ habent *M.* sive *Marcum*, quod facili errore potuit reponi pro minus cognito nomine N. sive Numerio. At vero tota hæc conjectura nititur eo fundamento, quod Q. Fabius Pictor, *flamen Quirinalis* Livio scribatur XXXVII. 47. *Prætores exinde facti, duo Q. Fabii, Labeo & Pictor (flamen Quirinalis eo anno inauguratus fuerat) M. Sempronius Tuditanus* &c. Eod. lib. c. L. *Q. Fabius Pictor, flamen Quirinalis Sardiniam.* Lib. XLV. cap. 44. *& flamen Quirinalis mortuus, Q. Fabius Pictor.* ubi recte J. Fr. Gronovius ex prioribus Livii locis Q. pro M. quod alii habent, reponit, præeunte in nota super hunc locum Sigonio. Quasi vero ille Q. Fabius Pictor flamen Quirinalis esse itidem non potuerit, ut ante centum fere annos Numerius Fabius Pictor fuerat. Imo recte videtur Vaillantius pag. 429. statuere hoc sacerdotium jam inde a Romuli consecratione proprium & hæreditarium exstitisse Fabiæ genti, ut quæ ab intimis Romulo & maxime addicta illi fuisset. Unde stata illi genti sacrificia in Quirinali colle commemorant Livius & Valerius Maximus; atque Fabii Dorsonis, ut flaminis Quirinalis, vel munere ejus fungentis, audax facinus commemorant. Utriusque adscribam verba, ut ex iis occasio detur altius in Fabiorum Pictorum gentem inquirendi. Livius lib. V. cap. 46. *Romæ interim plerumque obsidio segnis, & utrimque silentium esse; ad id tantum intentis Gallis, ne quis hostium evadere inter stationes posset: quum repente juvenis Romanus admiratione in se cives hostesque convertit. Sacrificium erat statum in Quirinali colle genti Fabiæ; ad id faciendum C. Fabius Dorso, Gabino cinctu sacra manibus gerens quum de Capitolio descendisset, per medias hostium stationes egressus, nihil ad vocem cujusquam terrore remve motus, in Quirinalem collem pervenit. ibique, omnibus solenniter peractis, eadem revertens similiter constanti vultu graduque, satis sperans propitios esse Deos, quorum cultum ne mortis quidem metu prohibitus deseruisset, in Capitolium ad suos rediit: seu attonitis Gallis miraculo audaciæ, seu religione etiam motis, cujus haudquaquam negligens est gens.* Verba Valerii hæc sunt lib. I. cap. I. exemplo II. *Eadem reipublicæ tempestate C. Fabius Dorso memorabile exemplum servatæ religionis dedit. Namque Gallis Capitolium obsidentibus, ne statum Fabiæ gentis sacrificium interrumperetur, Gabino ritu cinctus, manibus humerisque sacra gerens, per medias hostium stationes, in Quirinalem collem pervenit: ubi omnibus solenni more peractis, in Capitolium post divinam venerationem victricium armorum, perinde ac victor, rediit.* Ibi manibus humerisque sacra gerens dicitur, sicuti exemplo ibid. decimo, urbe a Gallis capta, flamen Quirinalis virginesque Vestales *sacra onere partito* tulisse dicuntur, ut ad Cære oppidum in tuto eadem deponerent. Ex quibus elici posse videtur Fabium Dorsonem patrem una cum Vestalibus & Quirini simulacro Cære sese contulisse, atque ibi mansisse per obsidionem Capitolii; filium vero, cui post patrem hæreditas istius sacerdotii competebat, dignum illud flamine Quirini & Romanum facinus patrasse, ut tanquam præsentibus adhuc omnibus sacris diisque, & tranquilla urbe, per medios hostes, in monte Quirinali, loco ad id destinato, solemni ritu Quirino sacra faceret.

In Fabiorum jam, qui Pictores dicti sunt, inquiramus originem. Primus eorum fuit C. Fabius M. F. propter ædem Salutis ab ipso depictam novo cognomine Pictor dictus; pinxit ille ædem Salutis, Plinio teste, A. V. C. CCCCL. Ergo ante picturam illam aliud cognomen habuit, videlicet Dorsonis, in qua familia Fabiorum Quirinales flamines inveniuntur. Dorsonum enim illa familia fuit, uti ex Livii & Velleji adlatis locis patet. Pater ergo C. Fabii Pictoris fuit M. Fabius Dorso C. F. ut Pighio recensetur Annal. tom. I. p. 300. Consul cum Sergio Sulpicio Camerino A. V. C. CCCCVIII. vel, ut voluit Diodorus, alios annales secutus, quadriennio ante, cui jam seni filius iste natus videtur, qui tot annis post, ipse quoque in senium vergens, ad consulatum pervenisse legitur. Abavus C. Fabius Dorso exstitisse videtur is ipse, cujus audaciam & pietatem mirati Galli incolumem patria sacra in monte Quirinali peragere siverunt. Capta enim urbs est & obsessum Capitolium A. V. C. CCCLXIII. quo tempore quum juvenis dicatur Livio C. Fabius Dorso, filius illi facile fuisse potuit, qui factus est quadraginta quinque post annis consul, scil. A. V. C. CCCCVIII.

Inventa sic forsan & demonstrata antiquiore Fabiorum Pictorum prosapia, genus & posteros aliquot Fabii qui primus Pictor dictus fuit, videamus. Duos illi filios adsignavimus C. Fabium & Numerium Fabium Pictores. C. Fabius Pictor C. F. M. N. consulatum gessit cum Q. Ogulnio Gallo A. V. C. CCCCLXXXIV. annis XXXIV. post pictam ædem Salutis a patre, qui ho-

honores non ambiiſſe videtur, ſed vitam quietam & umbratilem, ut pingendi ſtudio addictiſſimus, egiſſe. Numerius Fabius Pictor C. F. M. N. fratris magis exemplum quam patris ſecutus, honores curules quoque concupivit, & ſeptem poſt fratrem annis conſulatum adeptus eſt cum D. Junio Pera A. V. C. CCCCLXXXVII. Habuit frater Cajus Fabius filium Quintum, nobilem illum & antiquiſſimum inter Latinos hiſtoricum, qui dictus fuit Q. Fabius Pictor C. F. C. N. qui teſte Appiano in Annibalicis poſt cladem Cannenſem oraculum Apollinis ſciſcitatum Delphos miſſus eſt, de quo pag. 329. ſic ſcribit. Ἡ δὲ βουλὴ Κόϊντον μὲν Φάβιον, τὸν συγγραφέα τῶνδε τῶν ἔργων, ἐς Δελφοὺς ἔπεμπε, χρησόμενον περὶ τῶν παρόντων. *Senatus Q. Fabium, qui & ipſe harum Annibalicarum rerum hiſtoriam conſcripſit, Delphos ad oraculum miſit ſciſcitaturum de præſenti rerum ſtatu.* Unde recte deducit, conſummatiſſimæ vir doctrinæ, Jo. Ger. Voſſius de Hiſt. Lat. lib. I. pag. 13. Fabium hiſtoricum filium fuiſſe C. Pictoris, qui conſul cum Ogulnio fuit, & nepotem Fabii, qui ædem Salutis pinxit. Conſul vero pater hiſtorici fuit A. V. C. CCCCLXXXIV. vel juxta Varronem A. V. C. CCCCLXXXV. clades Cannenſis accidit A. V. C. DXXXVII. annis LIII. poſt C. Fabii Pictoris, patris hiſtorici Fabii, conſulatum. Neque enim ſcripſiſſe tantum hiſtoriam ejus temporis, ſed & vixiſſe eodem tempore clariſſime teſtatur Livius XXI. 7. ubi de pugna ad Traſimenum ita ſcribit: *Hæc eſt nobilis ad Traſimenum pugna, atque inter paucas memorata populi Romani clades. Quindecim millia Romanorum in acie cæſa ſunt; decem millia ſparſa fuga per omnem Etruriam, diverſis itineribus Romam petiere. Mille & quingenti hoſtium in acie, multi poſtea utrimque ex vulneribus periere. Multiplex cædes utrimque facta traditur ab aliis. Ego præterquam quod nihil hauſtum ex vano velim; quo nimis inclinant ferme ſcribentium animi; Fabium æqualem temporibus hujusce belli potiſſimum auctorem habui.*

Numerius Fabius Pictor filium habuit ſibi cognominem Numerium, qui quæſtor provincialis agnoſcitur A. V. C. DIX. & cui hunc denarium adſignavit Pighius tom. II. pag. 61. de quo etiam agit Voſſius lib. cit. pag. 14. ubi ex Cic. lib. I. de Divinatione cap. I. Annales ejusdem Græcos citat. *Hisque adjungatur etiam Æneæ ſomnium, quod in Numerii Fabii Pictoris Græcis Annalibus ejusmodi eſt.*

Huic itaque Numerio Fabio Pictori quæſtori provinciali, vel patri ejus, adſignari denarius debet, non tamen in quæſtura provinciali, ſed urbana cuſus, quod adſcripta vox ROMA teſtatur. Pro filio facit Pighius, cui ideo potiſſimum adſtipulari poſſum, quod ultra quæſturam perveniſſe non legatur, contentus, ut videtur, honore flaminis Quirinalis, quem hic denarius illi, ut genti Fabiorum, & familiæ ex illa Dorſonum prius, deinde Pictorum, vindicat; erat enim inter ſacerdotia majora & patriciis propria. Otium ſecutus, ut Q. Fabius Pictor hiſtoricus, patruelis, Græcos Annales rerum Romanarum, quos citat Cicero, ſcripſiſſe videtur.

At, quum hic Numerius Fabius (poſt quem nulli Numerii inter Fabios occurrunt) inprolis (ut videtur) A. V. C. DLXIII. ſenex obiiſſet, & ſacerdotium illi genti hæreditarium in Pictorum manere deberet familia; flamen Quirinalis creatus eſt Q. Fabius Pictor, Pighio ex conjectura Q. F. Q. N. quem Voſſius lib. cit. p. 13. patrem fuiſſe Servii Fabii Pictoris, qui *& juris, & literarum, & antiquitatis, bene peritus* dicitur Ciceroni in Bruto cap. XXI. Itaque ille Quintus Fabius Pictor (cujus prænomen perperam Spanhemius, aliique illum ſecuti, quique ante eosdem idem tentaverunt, ut videre eſt apud Pigh. tom. II. pag. 290. ſollicitarunt) qui A. V. C. DLXIII. flamen factus Quirinalis, Numerio Fabio Pictori ſucceſſit, filius vel nepos fuit Q. Fabii Pictoris hiſtorici, qui Eutropio lib. III. pag. ed. noſtræ 109. interfuiſſe dicitur bello Gallico, quod geſtum eſt conſulibus C. Attilio Regulo & L. Æmilio Paullo A. V. C. DXXVIII. Quinti Fabii Pictoris, ut flaminis Quirinalis (quod alias in Fabia gente novum non erat) mentionem facit Livius occaſione jurgii iſtius memorandi, quod inter flaminem hunc & pontificen ſummum P. Licinium interceſſit occaſione provinciæ Sardiniæ, ad quam jure prætorio ex facta ſortitione A. V. C. DLXIV. proficiſci volebat Fabius, prohibebat vero Licinius, quod Italia excedere & abeſſe a ſacris illi non liceret. Rem geſtam narrat Livius lib. XXXVII. cap. 51. *Priusquam in provincias prætores irent, certamen inter P. Licinium pontificem maximum fuit, & Q. Fabium Pictorem flaminem Quirinalem, quale patrum memoria inter L. Metellum & Poſtumium Albinum fuerat. Conſulem illum cum C. Lutatio collega in Siciliam ad claſſem proficiſcentem, ad ſacra retinuerat Metellus pontifex maximus; prætorem hunc, ne in Sardiniam proficiſceretur, P. Licinius tenuit, & in ſenatu & ad populum magnis contentionibus certatum eſt: & imperia inhibita ultro citroque, & pignora capta, & multæ dictæ, & tribuni adpellati, & provocatum ad populum eſt. Religio ad poſtremum vicit; & dicto audiens eſſe flamen pontifici juſſus: & multæ ex juſſu populi remiſſæ. Ita provinciæ ereptæ prætorem magiſtratu abdicare ſe conantem, patres auctoritate ſua deterruerunt: & ut jus inter peregrinos diceret, decreverunt.*

VI. *& ſeqq. ut &*

Litera D. & ſeqq.

Caput muliebre turritum & velatum, cum hisce literis EX. A. PV. In aliis tantum literæ alphabeticæ K. C. M. S. Ξ. Φ. Ω. cernuntur.

Caius FABI*us Cai Filius.* Victoria in citis bigis. Sub equorum pedibus anterioribus avis cernitur.

Singularis hujus denarii eſt typus, & mira doctorum virorum in exponenda eadem hallucinatio, quorum nemo mihi videtur percepiſſe, vel ubi locorum cuſus ſit, vel a quo Fabio. Urſinus p. 108. non dubitat, quin pertineat ad C. Fabium C. F. Pictorem, qui cum Q. Ogulnio Gallo conſul fuerit A. V. C. CCCCLXXXIV. quo quidem anno argento ſignato populus Romanus ex S. C. primum uti cœpit; unde litera EX. A. PV. explicat EX *Argento* PV*blico*. Avem vero equis ſuppoſitum, buteonem eſſe credit, Fabiis Buteonibus magis convenientem, unde miratur, quid in hoc denario faciat. Dubitationem tolli credidit Patinus ibidem, quod nota hæc non ſit perpetua, ſed ciconia etiam occurrat, cujus figura multum a buteone, qui accipitris quædam ſpecies eſt, diſtat. Verum ego, qui meum & plurimos contuli denarios, neque buteonem, neque ciconiam eſſe adfirmo, ſed in omnibus exprimi avem ſtruthiocamelum, de quo typo mox uberius acturi ſumus. Goltzius Urſino ſuffragatur in Faſtis p. 82. ad A. V. C. CCCCLXXXIV.

at

at male ciconiam avem depinxit, ficuti ibin Vaillantius. Cum illis facit quoque Sebaftianus Erizzus, qui pag. 5. hunc denarium etiam confideravit, & caput quidem (de quo nihil Urfinus vel Patinus) deæ Cybeles effe credidit, literas EX A. PV. quoque interpretatur EX A*rgento* PV*blico*, ex aliis denariis fcilicet Romanis in quibus AR*gentum* PVB*licum* legitur. At vero idem infuper credidit C. Fabium hunc Buteonem quoque fuiffe adpellatum, ideoque ad nomen fuum adludentem, pro profpero omine avem illam in hac moneta pofuiffe, quod apud Plinium X. 8. hanc hiftoriam legiffet: *Accipitrum genera XVI. invenimus. Ex iis circon claudum altero pede profperrimi augurii nuptialibus nogotiis & pecuariæ rei. Triorchem a numero teftium, cui principatum in auguriis Phæmonoë dedit: buteonem hunc adpellant Romani, familia etiam ex eo cognominata, cum profpero aufpicio in ducis navi fediffet. Æfalona Græci vocant, qui folus omni tempore adparet: cæteri hyeme abeunt.* Verum diverfæ ex gente Fabia fuere familiæ Pictorum & Buteonum. Neque minus confidenter Vaillantius p. 427. & 428. ad eundem C. Fabium Pictorem Numerii Fabii Pictoris fratrem & C. Fabii ex Pictoribus primi filium refert. De capite vero pronunciat, non quidem effe Romæ, quæ femper galeata, ut bellatrix & dea, depingitur, fed Alexandriæ Ægypti urbis, quæ fcilicet ita depingatur in gente Æmilia num. XVII. inter Vaillantii nummos, inter Morellianos tab. I. num. 8. idque confirmat ibis (inquit) in averfa parte, peculiare Ægypti, ut omnes norunt, fymbolum. Signatum vero hoc typo denarium credidit, ut legationem fuam, cum fratre Numerio, ad potentiffimum Ægypti regem Ptolemæum Philadelphum, ante triennium initam, pofteris commendaret. „ Nam (propria jam viri verba fubtexam) „ quum rex, ad petendam fenatus populique Ro„ mani amicitiam, per legatos mififfet, anno „ CCCCLXXX. fcribit Zonaras, lib. Ann. II. „ Romanos ea regis comitate delectatos, viciffim „ legatos ad regem mififfe. Eorum nomina pro„ fert Val. Maximus lib. IV. cap. 3. *Q. Fabius* „ *Gurges, Cajus Numerius Pictor, Q. Ogulnius le*„ *gati ad Ptolemæum miffi.*„ Speciofa, hæc fateor, rei antiquariæ etiam non ignaris, videri poffunt, verum inani conjecturæ primum ornamenta detrahamus, deinde fublato fulcro totam proruamus. Caput illud non eft urbis Alexandriæ, quia fimile illi, prout credidit Vaillantius, nequaquam eft; qui mecum dignetur infpicere ipfos denarios elegantiffimæ fabricæ, qui Æmilii Lepidi honores celebrant, & caput Alexandriæ exhibent, reperiet plane fic in ipfo exftare denario, uti Morellii exacta manus depinxit; caput quidem effe turritum, fed nequaquam velatum, ut hoc, prouti credidit Vaill. pag. 32. neque etiam dependente ad cervicem velo, uti confideravit Oifelius pag. 149. verum ut reginæ urbium diademate regali cinctum, quod fub turrita corona caput & frontem cingens lemnifcos ad collum ita fparfos & fluitantes habet, ut folent capita regum Syriæ in nummis eorundem. Denarii vero ejus explicationem, paucorumque, qui proxime eundem locantur, lector in Addendis eft inventurus; eram enim morbo gravi oppreffus, quum inprimeretur folium illud, in quo meæ ad denarios illos erant interpretationes, unde a typothetis omiffas tum quidem animadvertere non potui. Deinde ibis non eft illa avis, cujus picturam abunde docent Hadriani imperatoris numismata, quæ Ægyptum provinciam non uno modo cum ifta avi repræfentant, habet enim longum roftrum, quod illi a Vaillantii fculptore adpingi potuit, fed præter denariorum fidem, qui omnes juxta Morellii picturam breve illi roftrum faciunt. Denique ibis, caputque Alexandriæ, & univerfa legatio ad Ptolemæum regem, nituntur falfo fundamento, verbis videlicet Valerii Maximi male lectis & pejus intellectis. Docuimus ad præcedentem denarium in quibusdam Valerii codicibus male legi *Q. Fabius Gurges, C. N. Fabii Pictores, Q. Ogulnius* &c. unde nafci poterat error de duobus fratribus ad Ptolemæum miffis Cajo & Numerio Pictoribus, & una cum iis Q. Fabium Gurgitem; verum opinio falfa ita Vaillantii obnubilavit cogitationes, ut citans etiam verba Valerii Maximi, prout in melioribus fefe habent editionibus, non viderit fuo fe refutari teftimonio.

Sed tempus eft, ut & noftram proferamus conjecturam; avem itaque primum confiderari volumus, ita ut in ipfis denariis fefe habet, & eximie in Morellii typis exprimitur; roftro breviore eft, neque figura ftantis, ut paffim ibis in Hadriani nummis, & ciconia in denariis gentis Cæciliæ & Antoniæ, fed cum impetu & nifu currentis, quod præ magnitudine corporis volare nequeat, expreffa. Illa natura eft ftruthiocamelorum. Plinius lib. X. cap. 1. *Sequitur natura avium, quarum grandiffimi & pene beftiarum generis, ftruthiocameli Africi vel Æthiopici, altitudinem equitis infidentis equo excedunt, celeritatem vincunt: ad hoc demum datis pennis, ut currentem adjuvent: cætero non funt volucres, nec a terra tolluntur.* Ad Africam itaque nos ablegant Plinius & ftruthiocamelus, ubi fi C. Fabium inveniamus, actum de reliquorum conjecturis erit. Ingentem itaque antiquitatem & prærogativam dum huic denario detrahimus, plus veritas quam ftudium valeat. Creditum fuit femper, hosce denarios fuiffe primos, qui Romæ ex argento fignati fint, adeoque relati funt ad A. V. C. CCCCLXXXIV. quo fignato argento uti inceperunt Romani. Ego vero ducentos fere annos iisdem abrogo, cenfeo enim cufos fuiffe in Africa, A. V. C. DCLXIX. confulibus L. Cornelio Cinna III. & Cn. Papirio Carbone; & quidem a Cajo Fabio, quem ex denario difcimus Caji fuiffe filium, quique Adriani nomen apud fcriptores obtinet. Nofcitur vero ifte C. Fabius Adrianus ex Livio, Cicerone, Valerio Maximo & Orofio. Livius in Epitome lib. LXXXIV. *Q. Metellus Pius, qui partes optimatium fequutus erat, quum in Africa bellum moliretur, a C. Fabio prætore pulfus eft: fenatusque confultum per factionem Carbonis & Marianarum partium factum eft, ut omnes ubique exercitus dimitterentur.* Idem in Epitome lib. LXXXVI. *Quum C. Marius, C. Marii filius conful ante annos viginti per vim creatus effet, C. Fabius in Africa, propter crudelitatem & avaritiam, in prætorio fuo vivus exuftus eft.* Valerius Maximus lib. IX. cap. 9. ex. 2. *Illam vero ultionem & fenatus, & confenfus omnum adprobavit. Cum Hadrianus cives Romanos, qui Uticæ confiftebant, fordido imperio vexaffet, idcircoque ab his vivus effet exuftus; nec quæftio ulla in urbe hac de re habita, nec querela verfata eft.* Orofius lib. V. cap. 20. *Fabius vero Adrianus, cui imperium proprætore erat, regnum Africæ fervorum manu adfectans, a dominis eorum apud Uticam, congeftis farmentis, cum omni familia vivus incenfus eft.* Ciceronis locus, in quo huic Adriano Verrem comparat, de farmentis item loquitur, quamvis enim longiora ejusdem fint verba, adducam tamen, ut pœna Adriani ex periculo Verris tanto magis elucefcat. Conatus fuerat Verres Philodami (qui princeps Lampfacenorum erat) filiam vi ftuprare & rapere. Vim vi repulerat Philodamus, facta-

factaque res manifeſta erat, itaque (verba ſunt Ciceronis lib. I. in Verrem cap. 27.) *Poſtridie mane homines in concionem veniunt, quærunt, quid optimum factu ſit; pro ſe quisque, ut in quoque erat auctoritatis plurimum, ad populum loquebatur. inventus eſt nemo, cujus non hæc & ſententia eſſet & oratio:* Non eſſe metuendum, ſi iſtius nefarium ſcelus Lampſaceni ulti vi manuque eſſent, ne ſenatus populusque R. in eam civitatem animadvertendum putaret. *Quod* ſi hoc jure legati populi R. in ſocios, nationesque exteras uterentur, ut pudicitiam liberorum ſervare ab eorum libidine tutam non liceret: quidvis eſſe perpeti ſatius quam in tanta vi atque acerbitate verſari. *Hæc cum omnes ſentirent, & cum in eam rationem pro ſuo quisque ſenſu, ac dolore loqueretur: omnes ad eam domum, in qua iſte diverſabatur, profecti ſunt: cædere januam ſaxis, inſtare ferro, ligna & ſarmenta circumdare, ignem ſubjicere cœperunt. Tum cives Rom. qui Lampſaci negotiabantur, concurrunt: orant Lampſacenos*, ut gravius apud eos nomen legationis quam injuria legati putaretur: *ſeſe intelligere hominem illum eſſe impurum, ac nefarium: ſed quoniam nec perfeciſſet, quod conatus eſſet, neque futurus eſſet Lampſaci poſtea: levius eorum peccatum fore, ſi homini ſcelerato pepercIſſent, quam ſi legato non pepercIſſent. Sic iſte multo ſceleratior, & nequior, quam ille Adrianus: aliquanto etiam felicior fuit. Ille quod ejus avaritiam cives Romani ferre non potuerant, Uticæ domi ſuæ vivus exuſtus eſt: idque ita illi merito accidiſſe exiſtimatum eſt, ut lætarentur omnes neque ulla animadverſio conſtitueretur: hic ſociorum ambuſtus incendio, tamen ex illa flamma periculoque evolavit.* Nominat eundem hunc Adrianum rurſus Cicero, & ſimile item Verris periculum, quod per avaritiam ejus atque ſocordiam prædones duce Heracleone pulcherrimam claſſem Romanam ad Pelorum incendiſſent, lib. V. in Verrem cap. 36. *Excipitur ab omnibus ejusmodi clamore, ut ei Lampſaceni periculi ſimilitudo verſaretur ante oculos; hoc etiam majus hoc videbatur, quod in odio ſimili multitudo hominum hæc erat maxima. Tum iſtius acta commemorabantur: tum flagitioſa illa convivia: tum adpellabantur a multitudine mulieres nominatim: tum quærebatur ex ipſo palam, tot dies continuos, per quos nunquam viſus eſſet, ubi fuiſſet, quid egiſſet: tum imperator ab iſto præpoſitus Cleomenes flagitabatur: neque quidquam propius eſt factum, quam ut illud Uticenſe exemplum de Adriano, transferretur Syracuſas, ut duo ſepulcra duorum prætorum improborum, duabusque in provinciis conſtituerentur. verum habita eſt a multitudine ratio temporis, habita eſt tumultus, habita etiam dignitatis, exiſtimationisque communis, quod is eſt conventus Syracuſis civium Rom. ut non modo illa provincia, verum etiam hac rep. digniſſimus exiſtimetur.* Ad priorem Ciceronis locum hanc adnotationem profert Aſconius, qua docet, quo tempore Adrianus ille vixerit: *Cinnanis temporibus cum C. Fabius Adrianus, ut alii ajunt, legatus, ut alii putant, proprætore, vel prætor, provinciam obtineret Africam, Uticæ in prætorio ſuo vivus uſtus eſt; quod corrupto ſervitio. civitatis illius de principum nece conſpiraſſe diceretur. Sed opportune Tullius cauſam facit illatæ necis in Adriano, & inultam mortem ejus oſtendit: quem dicit oratorie non in hoſpitio, ſed domi ſuæ vivum crematum; & ille ſic dixit, ut de notiſſimo videretur loqui.* At C. Fabius Adrianus prætor in provinciam Africam a Cinnanis miſſus eſt, Cinna & Papirio Carbone conſulibus A. V. C. DCLXIX. quo anno Q. Cæcilium Metellum Pium, qui pro republica Africam quoque obtinebat proconſule prorogato imperio, eamque armis retinere conabatur, vi expulit. Anno ſequenti DCLXX. Scipione & Norbano conſulibus, quum prolato imperio eandem obtineret provinciam proprætore, fœde illam vexavit & diripuit, unde anno tertio A. V. C. DCLXXI. C. Mario juniore & Papirio Carbone III. adhuc in imperio verſans, civili tum maxime furente bello, debitas ſcelerum pœnas perſolvit, vivus cum ſuis exuſtus. Fuitque Uticenſibus hoc facinus impunitum, tum propter ipſius Fabii nequitiam, tum quod contraria mox factio, Sullana videlicet, rerum potiretur, quæ Cinnanos & Carbonianos omnes undique ad ſupplicium conquirebat.

Jam vero Fabius Adrianus miſſus in Africam eſt eo tempore quo rerum potiebantur Cinna & Carbo, tum conſules per vim facti; hi juſſerunt Fabium, ut pro retinenda commiſſa ſibi provincia contra Metellum Pium ibidem pecuniam ſignaret, omniaque quæ e re viderentur ageret. Unde, ut auctoritate publica contra Metellum, & qui partes ejus ſequebantur, munitum ſe oſtenderet Fabius, in quibusdam denariis ſuis adponi has literas juſſit EX A. PV. quæ non debent explicari ex *Argentu* PV*blico*, vel ex *Argento* PV*ro*, quod commentum quoque Vaillantii omni caret fundamento, ſed EX *Auctoritate* PV*blica*. Eo enim more docuit Cl. Liebius meus in Theſ. Frideric. p. 392. in antiquis Romanorum ponderibus ſæpe legi EX. A. Q. I. R. P. V. i. e. EX *Auctoritate Quinti* I*unii* R*uſtici* P*rætoris* V*rbani*. itemque EX A. D. C. A. i. e. EX *Auctoritate* D*ivi* C*aeſaris* A*uguſti*. Qui idem Vaillantii explicationem de hoc nummo ſibi non placere ſatis oſtendit, & cui ſi conjectura noſtra (ut opinor) probetur, præ multorum adplauſu unus ſatis erit.

Supereſt jam ſola facies illa muliebris, quæ velo & turrita corona exornatur; hanc ego neque Cybeles neque Alexandriæ, neque ipſius adeo Uticæ vel Africæ (quod elephantinis exuviis ornari ſolet) caput eſſe exiſtimo, ſed Cæleſtis, quæ dea peculiariter apud Afros culta fuit, ab Aſſyriis, ut videtur, recepto numine. Occurrit dea hæc in Severi & Caracallæ nummis, inſcriptis INDVLGENTIA AV*Guſtorum* IN CARTH*aginem*. In illis leoni inſidet dea, dextra fulmen tenens, læva ſceptrum; caput vero non tantum corona turrita ſed velo etiam in humeros defluente tegitur, prouti ex meliuscule ſervatis nummis, quales & ego nitidiſſimos habeo, patere poteſt. Cultum vero ejus innuit Tertullianus in Apolegetico cap. XXIV. p. 238. *Unicuique etiam provinciæ & civitati ſuus deus eſt, ut Syriæ Atargatis, ut Arabiæ Duſares, ut Noricis Belenus, ut Africæ Cæleſtis:* ubi in notis noſtris cultum ejus deæ, & ampliſſimum quod in ipſa Carthagine habuit templum, poſtquam placuit Romanis veterem urbem inſtaurare, pluribus docuimus. Et ſic ſtruthiocamelus inter aves Africæ eſt ſymbolum, ut ibis Ægypti; dea Cæleſtis Afris propria, C. Fabius C. F. Adrianus ille, qui bello civili Sullano vivus ad Uticam exuſtus eſt, & literæ alphabeticæ modo Latinæ, modo Græcæ, matricum & monetariorum notæ ſunt; cuſi vero denarii ſunt ex auctoritate publica, quam ſibi arrogabant Cinna & Carbo, ſuæque factionis ducibus largiebantur.

In uno ex denariis qui ſequuntur nullo notatis numero, octavo ſcil. poſt hunc, litera O. cernitur, quæ alphabetica eſt, uti Q. in aliis, (quam Quæſtorem ſignificare arbitrabatur Vaill.) uti R. &c. Ægyptiaca vero inde myſteria exſculpſit Pighius tom. I. p. 452. „ Cæterum ut ad monetarium argumentum, a quo deflexeram, revertar, non temere videntur Romani confecto Tarentino bello, & Pyrrho repulſo, Junonis Mone-

„ netæ suæ cultum ac honorem provexisse, de-
„ æque imaginem impressisse, ut cæterorum nu-
„ minum, in argenteis denariis. Quemadmodum
„ in bigatis factum videmus, in quibus & nomen
„ exstat quatuorviri, cujus cura signati fuere;
„ quod tale est: L. FLAMIN. CHILO. IIII VIR.
„ PRI. FL. hoc est, quatuorvir primus flando,
„ scilicet, argento præfectus. Qui titulus indicare
„ videtur, hunc L. Flaminium primum vel sorte vel
„ suffragio creatum inter quatuorviros, qui argen-
„ ti signandi provinciam obtinuere primi. Ejus-
„ dem, nisi fallor, & exstant alii cum solo no-
„ mine sic inscripto L. FLAMIN. CHILO.
„ Habent in una parte victoriam, quæ bigam re-
„ git; in altera propriam Romani numismatis no-
„ tam Romæ Deæ caput, & nomen adscriptum
„ ROMA. & denarii notam X. Deæ comam orna-
„ tissima premit galea, bellatricem namque deam
„ ac Martiam volebant videri: & ejus statuas omnes
„ Amazonum masculorum habitu militari forma-
„ bant. Galeam ejus semper a temporibus utrim-
„ que supra aures alarum præpetes pinnæ deco-
„ rant, insinuantes, sublimia, & expedita con-
„ silia cum executione celeri semper imperio &
„ rebus bellicis præsentia, & parata esse debere.
„ Similes hisce memini me vidisse inter antiqua
„ numismata patroni mei illustrissimi cardinalis
„ Granvellani: qui postea videntur cusi fuisse ab
„ hujus, ni fallor, majore filio in quæstura: in qui-
„ bus ita nomen signatum &c. L. FLAMIN. L.
„ F. CHILO. Colligere est insuper ex antiquissi-
„ mis ejus sæculi denariis hujus anni & sequen-
„ tium aliquot consulibus primam curam argenti
„ signandi fuisse datam, atque additos his duos
„ collegas e senatu, qui sublevarent simulque ne-
„ gotio præessent, quatuor virosque sic factos.
„ Reperimus enim quosdam consulum auctoritate
„ & auspiciis cusos cum eorum, ut apparet, nomi-
„ nibus. Sunt enim quidam ita notati. C. FABI.
„ C. F. EX. A. PV. hoc est, ex argento publico.
„ Qui habent insuper & alia signa quæ videntur
„ indicare, publico quonam ex argento cusi fue-
„ re: nimirum, ex illo, quod Ptolemæus Ægy-
„ pti Rex Romanis dono miserat per legatos suos,
„ cum, ut suo loco diximus, fœdus ac amicitiam
„ cum eis pacisceretur ante triennium; ac mune-
„ ra quidem tunc plane regia Romano populo mi-
„ sisse, Zonaras auctor est. Signati autem sunt
„ cum effigie matronæ velo & corona turrita de-
„ coræ, quæ Alexandria est Ægypti præcipua
„ regia. In altero latere visuntur item Ægyptia
„ sacra symbola quædam sub biga victoriæ, ibis,
„ scilicet, avis, & annulus in dyade, inter duo
„ puncta, scilicet, dependens ab uno, & vergens
„ in alium. Ibis autem in Ægyptiis Hieroglyphicis
„ inter alia notat & regem, & Ægyptum ipsam,
„ quia huic regioni propria & familiaris est. In
„ ea namque sola nascitur, nec ejus fines excedit,
„ & exportata moritur inedia. Pro hac quidem
„ patria sua pugnat contra serpentes & venena. Ut
„ Orus, Aristoteles, Ælianus de animalibus, &
„ Ammianus Marcellinus accuratius scripsere.
„ Quare regem quoque designat cujus officium
„ est amare, & non defererepatriam: eandemque
„ defendere a noxiis, & expurgare a criminum ve-
„ nenis. Cor quoque majus quam pro corporis
„ magnitudine habet, ideoque Mercurio Ægy-
„ ptiorum ter maximo numini sacra avis habeba-
„ tur, cordis atque orationis rectori, in cujus hasta
„ vel sceptro regio, ut & in Apollinis, caput Ibidis
„ formatum videmus in ænea tabula Hieroglyphi-
„ ca XII. Deorum Bembiana. Verum hæc expo-
„ nere diffusius, non est hujus loci. Annulum au-
„ tem binario clausum fœderis, fidei atque socie-
„ tatis inter plures vinculum notare, manifestum
„ est; quia binarius est numeri initium atque mul-
„ titudinis, ac primum vinculum justitiæ & so-
„ cietatis. In matrimoniis contractis annulus sa-
„ ne pronubus, amoris, fidei, atque societatis æ-
„ quæ vinculum legitimum semper significasse,
„ palam est. „ En quantos in simpulo fluctus! Pighium non nominavit Vaill. sed tamen & hic & alibi plura ex ejus messe in suum derivavit horreum.

VII.

Caput Romæ galeatum cum denarii nota.

C.F.L.R.Q.M. ROMA. Victoria in citis quadrigis, dextra gerens corollam, læva habenas tenens.

Certum est denarium hunc triumvirorum monetalium nomina exhibere; sed quum illa prioribus tantum literis signentur, non magis ad Fabiam gentem, quam Fanniam, Farsuleiam, Fonteiam, Furiam &c. adcommodari potest, quod & Vaillantius vidit, & ideo inter incertos locari debere judicavit. Vide tamen & nostram de illo sententiam in Fam. Marcia num. I. Tabulæ tertiæ.

VIII.

Caius ANNI*us* T*iti* F*ilius* T*iti* N*epos* PRO-CO*nSule* EX *Senatus* C*onsulto*. Caput Junonis Monetæ in corona.

Lucius FABI*us* L*ucii* F*ilius* HISP*aniensis* Q*uæstore*. Victoria citas quadrigas agens dextra palmam tenet, læva equorum habenas.

Annium proconsulem in familia Annia denarii quoque nominant; quæstores ejus fuerunt Tarquitius & Fabius. Fabius hic Lucius dicitur, Lucii filius, cognomine Hispaniensis, vel filius (ut statuit Vaillantius) vel adfinis Lucii Fabii Hispaniensis, qui, unus e proscriptis, Sertorio adhæsit, extremæque ejus cœnæ inter conjuratos adfuit, uti testatur Sallustius apud Servium ad Virg. Æneid. lib. I. versu 702. *Igitur discubuere: Sertorius inferior in medio; super eum L. Fabius Hispaniensis senator ex proscriptis: in summo Antonius; & infra scriba Sertorii Versius: & alter scriba Mæcenas in imo, medius inter Tarquitium* (vel *Tarquinium* ut ed. postr. legit.) *& dominum Pepernam.* Tempus quo cusi sunt hi denarii ex Plutarcho colligi potest, qui T. Annii expeditionem contra Sertorianos commemorat in Vita Sertorii pag. 571. ubi fugam Sertorii in Hispaniam describit: *Ut vero cognovit Sullam Roma potitum, ac de Marii & Carbonis factione actum esse: missum iri statim contra se ducem exercitumque existimans, Pyrenæos montes obsedit, misso eo Livio Salinatore cum sex millibus legionariorum militum. Paulo post C. Annius a Sulla missus, cum Livium dejici de præsidio posse desperaret, ad radices Pyrenæi animi incertus consedit. Sed cum Calpurnius cognomento Lanarius quidam Livium per dolum necasset, militesque juga Pyrenæi deseruissent, Annius montibus superatis magna cum manu obviis quibusque secum acceptis contra Sertorium proficiscebatur. Sertorius autem pugnæ conserendæ impar cum tribus millibus Carthaginem novam aufugit. indeque conscensis navibus ad eam Africæ partem, quæ Maurusia dicitur, trajecit. Ibi cum barbari milites nullo ordine aquatum progressos adorti, permultos eorum occidissent, rursus in Hispaniam navigavit, repulsusque a littore, navibus prædatoriis Ciliciis ad se venientibus, Pityusam insulam aggressus est, Anniique præsidio ejecto obtinuit. Paulo post eodem Annius cum navibus multis, & armatorum quinque millibus advenit. Cum eo Sertorius, tametsi levibus, & non ad robur, sed ad celeritatem paratis uteretur, navali prælio decernere statuit.* Tempestate disjecta classe fugit inde in Hispaniam Sertorius. Acciderunt ita-

 que

que hæc ſublata Carbonis & Marii factione paullo poſt A. V. C. DCLXXI. quo duo illi conſules perierunt; miſſuſque dux Annius quæſtores habuit Tarquitium & Fabium hunc, a quibus ingens vis pecuniæ ſignata eſt, qua uterentur ad bellum tam grave, quod ſibi cum fortiſſimo & callidiſſimo Romanorum Ducum Sertorio fore facile prævidebat Sulla. Victoriam in quadrigis pro felici omine expreſſerunt, vel poſt occupata Pyrenæi juga pulſumque ex locis natura munitis Sertorium. Urſinus putat eundem hunc eſſe Fabium cum eo qui Sertorianis partibus ſtuduit, quod fieri non potuit, niſi ſtatuatur hic idem Fabius Sullæ poſtea partes reliquiſſe, atque ad Sertorium transfugiſſe, & propterea a Sulla proſcriptus fuiſſe; etiam Romæ multos fuiſſe, qui tacite faverint Sertorio, patere poteſt ex ſcrinio illo epiſtolarum, quod a Perpenna ſibi traditum generoſe combuſſit Pompejus Magnus, ut Plutarchus & alii teſtantur.

TAB. II.

IX.

Caput Herculis in leonis exuviis, retro quod tres ſunt globuli, qui quadrantem hoc monetæ genus eſſe indicant.

MAX*imus*. ROMA. Dimidia ratis, cum tribus globulis ſive punctis ſimilibus.

Hunc & ſequentes nummos ad Egnatiam gentem retulerat Morellius, & cum iiſdem in eadem collocaverat tabella ænea, qua ſecta, hosce nummos ſub Fabia gente, ad quam pertinent, collocavimus. Pertinent vero ad Fabios Maximos, prouti inſcriptum cognomen Maximi docet.

Omnes hosce nummos ad eundem Fabium Maximum, qui Quintus in ſequentibus inſcribitur, pertinere exiſtimo, ſed quum plures ex illa familia fuerint, qui Quinti habuerint prænomen, difficile eſt divinare, ad quem Quintum Fabium Maximum pertineant. Fabiorum is, qui primus Maximus dictus fuit, Quinti quoque prænomen habuit, a quo viro M. Fabii Ambuſti, ter conſulis & dictatoris filio, conſule quinquies, triumphali ter, cenſorio, & ob id merito maximo, plures ex poſteris Quinti nomen geſſerunt, inter quos Quintus Fabius Maximus Gurges ob patrimonium devoratum dictus, Q. Fabius Maximus Allobrogicus, Q. Fabius Maximus Verrucoſus & Cunctator, qui & Ovicula adpellatus eſt. Filius quoque ejus & nepos juvenes mortui, ita dicti ſunt. Puto tamen nummos hosce pertinere ad Q. Fabium Maximum Verrucoſum, atque cuſos eſſe poſt tempus, quo Saguntino bello provocante Romanos Annibale miſſi Carthaginem legati ſunt, qui bellum vel pacem portarent, & inter illos Q. Fabius jam conſularis. Rem geſtam & legationem narrat Livius lib. XXI. cap. 18. *His ita comparatis, ut omnia juſta ante bellum fierent, legatos majores natu, Q. Fabium, M. Livium, L. Æmilium, C. Licinium, Q. Bæbium, in Africam mittunt ad percunctandos Carthaginienſes, Publicone conſilio Annibal Saguntum oppugnaſſet? & ſi, id quod facturi videbantur, faterentur, ac defenderent publico conſilio factum, ut indicerent populo Carthaginienſi bellum. Romani poſtquam Carthaginem venerunt, quum ſenatus datus eſſet, & Q. Fabius nihil ultra quam unum, quod mandatum erat, percunctatus eſſet; tum ex Carthaginienſibus unus princeps:* Vana Romani, *inquit. &c.* Itaque princeps hujus legationis Fabius fuiſſe videtur, qui & bellum illis excuſſo ſinu togæ, quo bellum pacemve ſe ferre dixerat, denunciaſſe legitur cap. XIX. *Legari iidem* (ſequitur) *a Carthagine, ſicut his Romæ imperatum erat, in Hiſpaniam, ut adirent civitates, ut in ſocietatem pellicerent, aut averterent a Pœnis, trajecerunt.* Atque inde in Galliam tranſierunt, ut eſt cap. eodem in fine. Ergo claſſe profecti ut in Africam ita in Hiſpaniam ſunt, eamque profectionem indicant tres ſimul naves, quæ conjunguntur mox in nummo lit. F. ſignato, prouti fit in nummo itidem æreo gentis Bæbiæ II. atque Vibiæ tab. ſecunda num. VIII. & tab. tertia num. I. & II. in quo ultimo capita Dioſcurorum pileata cum ſtellis exprimuntur pro felici navigationis omine, ſicuti pilei eorundem cum ſtellis in Fabii noſtri nummo modo adducto; alias enim ratis ſive prora ejuſdem communis veterum nummorum typus eſt.

Legatio hæc Fabii & ſociorum contigit A. V. C. DXXXV. P. Cornelio Scipione & Tito Sempronio Longo conſulibus, quum capta & diruta Sagunto, omnis Italia ad ſpem metumque Carthaginenſis belli ſecundi erecta eſſet atque trepidaret.

Neque tamen exiſtimet quisquam eo anno cuſos fuiſſe hos nummos; contrarium enim pondus nummi docet. Eſt ille uncialis, quo pondere demum cudi cœperunt Q. Fabio Maximo, eodem hoc legato antea, dictatore, id eſt A. V. C. DXXXVI. poſt cladem ad Traſimenum acceptam, annoque poſt hanc legationem, tum enim aſſem Romanum, qui ad duas uncias erat redactus tempore belli Punici primi, iterum imminuerunt & uncialem fecerunt, uti diſerte teſtatur Plinius lib. XXXIII. cap. 3. pag. 611. *Librale autem pondus æris imminutum bello Punico primo cum impenſis reſpublica non ſufficeret, conſtitutumque ut aſſes ſextantario pondere ferirentur.* Ubi mox ſequitur: *Poſtea, Annibale urgente, Q. Fabio Maximo dictatore, aſſes unciales facti: placuitque denarium ſedecim aſſibus permutari.*

Litera E.

Caput idem Herculis quod ſupra.

Quintus MAX*imus*. ROMA. Prora navis cum tribus globulis.

Pictura tantum navis differt, & Quinti prænomen Maximo additur.

Litera F.

Caput Jani geminum laureatum, cum remo ad tempora exſtante.

Quintus MA*ximus* ROMA. Tres navium proræ; ad latus ſunt pilei Dioſcurorum cum ſtellis ſuperpoſitis.

Adparet ex hoc nummo (uti modo docuimus) ad Q. Fabium Maximum conſularem, dictatura poſtea & repetito ſæpius conſulatus honore functum, Cunctatoris nomine notiſſimum, hunc & reliquos nummos referendos eſſe. Cuſi vero ſunt A. V. C. DXXXVI. juſſu Q. Fabii dictatoris, qui in reliquis quidem vulgarem typum ratem expreſſit, ſed in hoc exſtare voluit cauſſam belli Punici ſecundi, & injuriæ a Pœnis illatæ, violatam videlicet pacem, & legatos Romanorum ferociter repulſos; quorum quum ipſe unus, & princeps fuiſſet, nomen quoque ejus adſcribitur.

Li-

Litera G.

Caput Mercurii petaso alato ornatum, cum duobus globulis.

MA*ximus*. ROMA. Prora navis cum trientis nota duobus globulis.

Literæ M. & A. connexæ Fabium Maximum eundem denotant qui in præcedente nummo *Quintus* MA*ximus* inscriptus fuit.

T A B. III.

I.

ΦΑΒΙΟΣ ΜΑΞΙΜΟΣ. *Fabius Maximus*. Caput Augusti nudum.

ΙΕΡΑΠΟΛΕΙΤΟΝ. ΤΡΥΦΩΝ. *Ierapolitarum Tryphon.*

„ Parvulum æreum, sed raritate & opere insi„ gnem, hic apponemus, cum capite juvenili, „ & inscript. ΦΑΒΙΟΣ ΜΑΞΙΜΟΣ. In aversa legi„ tur, ΙΕΡΑΠΟΛΕΙΤΩΝ. ΤΡΥΦΩΝ.

„ Quamvis immensa me teneret cupido, sin„ cerum veteris illius herois Fabii Maximi vul„ tum in nummis reperire, ob præstantem viri „ famam & virtutem, qui cunctando, & Han„ nibalis impetus eludendo, rem Romanam resti„ tuit, veritatis tamen amor, quominus illum „ in hoc nummulo cælatum credam, prohibet: „ siquidem vultum illum ad Augustum Cæsarem „ pertinere potius censeo, & ipsius honori cu„ sum ab aliquo e Fabia gente, Augusto ipsi „ coævo. Quin & ex inscriptione postica, A„ siæ proconsulem, aut Syriæ præsidem licet „ conjicere. Hierapolis enim, cujus mentio in „ nummo, in Phrygia & Phœnicia reperitur, „ quarum prior Asiæ civitas, altera Syriæ. Sed „ quia duos Fabios imperante Augusto, eodem „ fere tempore, in Fastis legimus, nempe *Pau„ lum Fabium Q. F. Maximum* anno V. C. „ DCCXLII. & *Q. Fabium Q. F. Maximum* an„ no sequenti, utrius sit hic nummus, non tan„ tæ sum ego temeritatis ut disceptandum aggre„ diar, donec plura de eorum actis & muneri„ bus me veterum scripta & monumenta docue„ rint. „ Verba hæc sunt Seguini p. 99. Puto autem nummulum pertinere ad Fabium Maximum, Ovidii fautorem eximium, amicum Augusti, consulem A.V.C. 743. cui arcanum illud de juniore Agrippa, uxori male creditum, caussa exitii fuit.

II.

IMP*erator* DIVI F*ilius*. Caput Augusti laureatum, ante quod est lituus.

CÆSAR*ea* AVGVSTA *Quinto* MAXIMO ITER*um Caio* VALENTINO IIVIR*is*. Colonus agens boves.

Cæsarea Augusta, urbs Hispaniæ Tarraconensis, notissima est apud geographos, colonia facta ab Augusto, & ex nomine conditoris vocata. Duumviri hi ignoti sunt, nam. Maximi cognomen non Fabiis tantum sed & aliis pluribus fuit proprium. Invenitur hic nummus etiam sine lituo ad Augusti caput.

III.

IMP*erator* AVGVSTVS. MVN*icipium Calaguris Iulia*. Caput Augusti nudum.

Marco ANTONI*o Lucio* FABIO IIVIR*is*. Bos.

Calaguris urbs fuit Hispaniæ Tarraconensis ad Iberum fluvium, inter oppida civium Romanorum recensita a Plinio lib. III. cap. 3. Videri de illa potest Vaill. tom. II. pag. 30. Facta est municipium tempore veteris Latii, deinde vero a Julio Cæsare suffragii jure donata Julia vocata est, sicuti Bilbilis ob idem jus ab Augusto acceptum Augusti nomen nacta fuit. Duumviri qui inscribuntur nomine tantum noti sunt.

IV.

MVN*icipium* CAL*aguris* IIVIR*is*. Caput Augusti nudum.

Marco ANTON*io Lucio* FABI*o*. Bos.

Ad eosdem duumviros spectat; discrimen illud est, quod capite tantum, non adscripto nomine, agnoscatur Augustus, quod Juliæ nomen non adscribatur, quodque nomina duumvirorum ab hac, dignitas ab illa parte scribantur.

F A B R I C I A.

Gens Fabricia plebeja fuit, Q. enim Fabricium, tribunum plebis, Ciceroni studuisse invenimus ut in patriam revocaretur. Luscini cognomen habuit, quod diminutivum est a Lusco.

I.

PATE . . . . . Anguis in spiras erectus. PATERNVS integre scribit Vaillantius.

PR*æfecto Lucio* FABRICIO. Tabella in medio nummi fornici, quasi ponti, superposita, in qua inscriptum Fabricii illud nomen legitur.

Præter Morellium eundem vel similem nummum Vaillantius & Harduinus viderunt. Harduinus pro solita innovandi libidine legit P*rotector Augustodunensium* T*raianus* E*dua* R*estituta* N*egotiatorum* V*ota* S*uscepit*. de reliquis literis L. FABRICI. PR. silet, atque addit, pro salute Trajani, quam Epidaurius anguis repræsentat, hæc vota suscepta fuisse. Magni vero erroris arguit Vaillantium, quod sine auctore Paterni cognomen Fabricio det, ut videre est in notis ad Plinii lib. XXXIII. cap. 11. pag. 630. quasi ipse auctores ullos suæ haberet lectionis insulsæ & insanæ. Si vero voluisset reprehendere Vaillantium historica fide id fieri debuisset, ut certe in hujus nummi explicatione reprehendi potest. Putat enim vir clariss. nummum spectare ad L. Fabricium, patrem ejus, qui Fabricium pontem faciendum curavit, unde inscriptio hodieque in arcu pontis, quem nunc Quatuor Capitum vocant, quique Tiberinam insulam urbi Romæ conjungit, inserta ponti cernitur. At vero pater ille Lucii dictus fuit Cajus, & Vaillantius inscriptionem citans contra fidem lapidis improvide ponit L. FABRICIVS L.F. CVR. &c. vulgo enim inscriptio ita se habet

L. FABRICIVS. C. F. CVR. VIAR.
FACIVNDVM COERAVIT.
Q. LEPIDVS M'F. M. LOLLIVS M. F. COSS.
EX S. C. PROBAVERVNT.

Sic enim exstat apud Pighium tom. III. pag. 516. Apud Gruterum pag. CLX. num. 3. adjicitur

EIDEMQVE
PROBAVIT.

Majori autem cum cura considerans Fabrettus pag. 240. lib. III. Inscript. DCXL. ex utroque latere æqualem dicit esse repetitam hanc inscriptionem

L. FABRICIVS C. F. CVR. VIAR.
FACIVNDVM COERAVIT.

in-

intermedias vero has lineas legi

IDEMQVE
PROBAVIT.

Reliqua vero de consulibus non exstare in ipso lapide confirmat, nec scire se, unde Smetius illa addiderit. Satis hinc constat Caji Fabricii, non vero Lucii filium fuisse istum L. Fabricium, qui curator viarum fieri quoque curavit pontem istum, qui ab illo Fabricio nomen obtinuit. Putat deinde Vaillantius L. illum Fabricium Paternum, patrem ejus qui pontem fecit, prætorem in provincia Achaja exstitisse, cujus provinciæ symbolum sit serpens Epidaurius in hoc nummo signatus ob solenne Æsculapii templum quinque milliaribus ab Epidauro distans.

Mihi illa sententia minus probatur, quod nulla Epidauri in nummo sit mentio, quod serpens Epidaurius non evincat cusum semper apud Epidaurios nummum, quod tabella illa, cui Fabricii nomen inscribitur, de nihilo posita haud videatur. Credo itaque aliquem ex posteritate L. Fabricii ejus, qui pontem fecit, in præfectura sua renovasse monumentum nobile, quod majores sui in urbe Roma faciendum curassent, & ideo illum L. Fabricium Paternum, ab altera quidem parte posuisse Fabricii nomen inclusum laminæ sive tabellæ, sive lapidi, prout in ipso ponte lapidi inserto inscriptum erat, positumque supra unum ex fornicibus, qualem fornicem mihi sub tabella videre videor, ab altera vero parte posuisse Epidaurium serpentem, cujus typi non levis in hoc nummo causa est. Tiberinam insulam ponte Fabricio urbi conjunxit L. Fabricius. Æsculapii præsertim cultu nobilis illa insula erat; quod itaque aptius symbolum ad indicandum pontem, quo insula Tiberina (in quo templum erat Æsculapii) urbi jungeretur, a L. Fabricio fieri potuit, quam serpens ille divinus, cujus in urbem adventus tot publicis & privatis monumentis celebratus fuit. Cur vero potissimum in insula Tiberina Æsculapio fanum ædificatum fuerit inquirit Plutarchus in Quæst. Rom. Qu. XCIV. *Cur Æsculapii fanum extra urbem est? An quia salubrius extra, quam intra urbem degi putant? nam Græci quoque fere locis puris & sublimibus posita Æsculapii habent sacraria. Aut quod deum illum Epidauro arcessitum venisse Romam existimant? Epidaurii autem non in urbe, sed procul inde templum Æsculapii habent. Aut quod angue apud insulam e trireme egresso & e conspectu hominum sublato, ipsum deum arbitrantur locum sui templi indicasse?*

Prænomen C. & L. familiaria fuisse in Fabriciorum familia docet inscriptio vetus Albæ Pompejæ inventa, apud Gruterum pag. MXCIII. 10.

C. FABRICIVS L. F. CAM. AED. SIBI ET M. FABRICIO L. F. CAM. LIGVRI FRATRI AED. T. F. I.
PHILETVS ET FVSCVS L. F. C.

Tempus, quo pons Fabricius exstructus est, docet Dio Cassius lib. XXXVII. pag. 56. anno videlicet DCXCII. quo quæstio quoque fuit de pollutis sacris ob adulterium P. Clodii cum C. Cæsaris uxore. Mox enim subjunxit: Τότε μὲν ταῦτα ἐγένετο, καὶ ἡ γέφυρα ἡ λιθίνη ἐς τὸ νησίδιον τότε ἐν τῷ Τιβέριδι ὂν φέρουσα κατεσκευάσθη, Φαβρικία κληθεῖσα. *Præter hæc quæ in id tempus inciderunt, pons quoque lapideus ad insulam, quæ in Tiberi exstat, pertingens, exstructus, Fabriciusque dictus est.* Male itaque refertur ad A. V. C. DCCXXXII. & consules Q. Æmilium Lepidum & M. Lollium, ex errore Smetii, quem secuti sunt alii, quemque recte αὐτόπτης lapidis considerator Fabrettus sustulit.

L. Fabricius, a quo pons Fabricii denominatus fuit, C. F. nepos esse potuit C. Fabricii Luscini, qui prætor exstitit A. V. C. DLVIII. & genus duxisse videtur a C. Fabricio Luscino, clarissimo viro, consule A. V. C. CCCCLXXI. & iterum CCCCLXXV.

Denarii quidem, qui circumferuntur cum capite L. Fabricii & ipso ponte, falsi sunt & ad Paduanos relegandi.

II.

AVGVSTVS DIVI F*ilius*. Caput Augusti laureatum.

CAESAR*ea* AVGVSTA Q*uinto* STATIO M*arco* FABRICIO II VIR*is*. Colonus agens boves.

Præter nomina nihil de Fabricio hoc vel Statio nobis innotuit.

FABRINIA.

I.

Gentis Fabriniæ nemo inter veteres mentionem facit.

Caput Herculis in leonis exuviis cum clava ad collum. Retro tria sunt puncta quæ quadrantem esse indicant.

M*arcus* FABRINI*us*. ROMA. Prora navis cum eadem quadrantis nota.

Quæstorem urbanum fuisse hunc M. Fabrinium nummi denotant. Cusi sunt tempore belli Punici secundi, quod ex pondere æris colligitur. Ut ipsa familia, sic & M. Fabrinius hic plane incognitus est.

II.

Caput Mercurii petaso tectum, cum tribus globulis vel punctis, quæ quadrantis nota est. Caduceus ad humeros adest.

M*arcus* FABRINI*us*. ROMA. Ratis prora cum quadrantis iterum nota, quæ per tres globulos exprimitur, quoniam tres significabat uncias, easque valebat, quamvis ipse as libralis olim jam tempore belli Punici secundi ad unam unciam redactus esset.

III.

Caput Romæ galeatum, cum quatuor globulis, unde triens esse colligitur, qui quatuor valebat uncias.

M*arcus* FABRINI*us*. ROMA. Prora navis, cum iisdem quatuor notis.

Ex Morellio, qui justam fere nummi depinxit magnitudinem, patet errasse Vaillantium, dum quadrantem esse credidit, atque a parte capitis tres tantum notas addidit, ab altera vero nullas posuit, sive quod nummus ejus fuerit detritior, sive quod non satis adtenderit.

FADIA.

Gens Fadia plebeja fuit, ex Cicerone maxime cognoscitur, præter enim T. Fadium illum, cujus tribuni plebis opera ab exsilio revocatus fuit Cicero, & de quo agit de Red. in Senat. cap. VIII. & Ep. ad Attic. III. 23. meminit L. Fadii ædilis Arpini ad Attic. XV. 15. S. Fadii, discipuli Niconis Epist. VII. 20. Q. Fadii Galli de Finib. II. 17.

17. & 18. Q. Fadii cujusdam libertini, qui socer Antonii fuit II. Philipp. 2. Fadiæ, ejusdem filiæ Philipp. XIII. 10. militis etiam Pompejani, qui Gadibus a L. Corn. Balbo vivus exustus fuit, Epist. X. 32. C. Fadii filiæ ad Att. XVI. 11.

I.

Caput Minervæ galeatum.

Lucius FAD*ius*, *Lucius* SAT*urninus*, vel SAT*rienus*. Duæ dextræ junctæ.

Gentem hanc Arpinate oriundam censet Vaillantius, unde Ciceroni Arpinati T. Fadius quæstor lectus videtur, & L. Fadius Arpinas, ædilis eidem dicitur XV. ad Atticum 15. cui posse adsignari nummulum hunc credit idem, si municipiis Italiæ minutam monetam signare concessum fuerit. Manus junctas de concordia ædilium Fadii & Saturnini explicat.

Ardua foret quæstio demonstrare utrum in municipiis Italicis minuta moneta signata fuerit, quum vicina Roma illi rei satis providere potuerit, & magnam pecuniæ copiam per innumeras officinas procurare. Unde melius forsan ad tempora Julii Cæsaris referetur hic nummulus. Is enim pro triumviris monetalibus instituit quatuorviros monetales, ex quibus duo, Lucius Fadius & Lucius Saturninus, vel Satrienus, in hoc nummulo conjungi potuerunt. In Cæsaris præterea denariis argenteis tab. III. num. 29. & 30. a L. Æmilio Buca quatuorviro (ut ibi adscribitur) monetali percussis, dextræ similiter junctæ, ad concordiam Cæsaris cum senatu demonstrandam, conspiciuntur. Propinquus L. Fadii Arpinatis, ædilis ibidem fuisse videtur, & forsan is ipse, nisi de cognatione Antonii, & de Q. Fadii familia cogitare malimus, Cæsari ab Antonio commendata, Fadii filia enim fuit Fulvia, Antonii uxor.

FANNIA.

De gente Fannia sic scribit Vaillantius „ Fannia gens plebeja, sed consularis; uno Ciceronis testimonio, ad Atticum ep. 13. lib. XVI. *In præsentia mihi velim scribas, quibus coss. C. Fannius M. F. tribunus plebis fuit.* „ Secutus est mendosos codices qui *coss.* pro *censoribus* habent. Potuerat inspicere hæc Fulvii Ursini verba, „ Fanniam gentem plebejam fuisse, vel hoc uno Ciceronis, lib. XVI. ad Att. ep. 13. constat. *In præsentia*, inquit, *velim mihi scribas, quibus censoribus C. Fannius M. F. tribunus plebis fuerit, videor mihi audisse P. Africano L. Memmio censoribus.* „ De censoribus, quorum tempore C. Fannius fuit prætor, agit Cicero, non de consulibus. Consules ex illa gente fuerunt C. Fannius Strabo A. V. C. DXCII. & filius cognominis A. V. C. DCXXXI. qui & ante tribunus plebis fuerat.

I.

ROMA. Caput Romæ galeatum, adest denarii nota.

Marcus FAN*nius Cai Filius*. Victoria in citis quadrigis, dextra corollam tenens, læva equorum habenas.

Inter Fannios, quorum plerique Caji prænomen habuerunt, præter M. Fannium tribunum plebis A. V. C. DLXIX. alii duo inveniuntur Marci Fannii C. FF. Prior filius fuit C. Fannii tribuni plebis istius, qui A. V. C. DLXVI. ex rogatione Petiliana duci in carcerem L. Scipionem Asiagenem repetundarum reum permisisset nisi collega Gracchus intercessisset. Frater idem exstitit C. Fannii Strabonis, qui ad consulatum pervenit A. V. C. DXCII. postquam & ipse tribunatum plebis gessisset. Uterque filius M. Fannii illius Cajus dictus fuit, quorum alter eloquentia fuit celebratus. M. Fannius posterior C. F. prætor A. V. C. DCLXXII. quo anno Cicero Sex. Roscium parricidii reum defendit, filius videtur fuisse C. Fannii; qui minorem filiam Lælii Sapientis Læliam uxorem habuit, prioris adeo M. Fannii nepos. Utri horum adsignandus sit denarius avo an nepoti non liquet. De priore præter tribunatum plebis, quem gessit, nihil legitur, posterior ad præturam quoque post alios honores pervenit. Quæstura uterque functus esse videtur; adscripta enim vox ROMA docet a quæstore urbano cusum denarium fuisse. Typi simplicitas, Victoria in quadrigis, priori, cujus pater Scipioni Asiagenæ suppetias ferre noluit, magis convenire videtur.

Vaillantius alium novumque M. Fannium C. F. comminiscitur, sic enim scribit pag. 435. „ M. Fannius, qui denarium cudit, Caji filius perhibetur, & Caji Fannii, qui cum M. Nonio Suffenate proprætore cum imperio consules & Cn. Pompejum secuti sunt in Græciam A. V. C. DCCIV. frater fuit; quorum pater videtur fuisse L. Fannius Strabo, quem Luculli legatum narrat Dio lib. XXXV. in cujus aliquam victoriam M. Fannius, ejus filius, memor, in denariis, quos quæstor urbanus percussit; Victoriam in quadrigatis solitis coronam ex lauro gerentem expressit. „ Hæc Vaillantius; non advertens refragari sibi denarii ipsius inscriptionem. In eo enim C. F. dicitur M. Fannius, quem ille una cum fictitio fratre Cajo Fannio L. Fannii filium facit.

II.

AED*iles* PL*ebis*. Caput Cereris spicis coronatum.

Marcus FAN*nius Lucius* CRIT*onius*. Duo ædiles sedentes supra sellas, ante illos frumenti spica est, retro illos duæ sunt literæ P. A. quæ explicari possunt P*ublica* A*uctoritate*, sed potius significare videntur P*ublico* A*rgento*.

De hujus denarii explicatione & Vaillantii errore satis superque diximus ad Familiam Critoniam, ibi enim idem denarius repetitur, quo lectorem ablegamus.

At Marcus Fannius, ædilis plebis cum L. Critonio, nullum patris nomen in hoc denario exhibet, & tempus, quo Critonius Ædilis plebis exstitisse dicitur, videlicet A. V. C. DCCIX. longissime abit ab illo M. Fannio C. F. cui priorem denarium adsignavimus. Neque potest idem hic M. Fannius esse M. Fannius C. F. prætor eo anno, quo juvenis etiamnum Cicero primam in publico caussam pro Roscio Amerino egit. Prætura enim ejus incidit in A. V. C. DCLXXII. & ante honorem illum quæstura urbana functus jam fuerat. Itaque credibile est hunc M. Fannium M. Fannii prætoris filium vel adfinem fuisse.

FARSVLEIA.

Gens Farsuleia adeo obscura est, ut præter lapides duos, quos adtulit Ursinus, pag. 111. nemo ex veteribus illius meminerit. In illis L. Farsulei Rufi & Q. Farsulei Vesperis occurrit mentio, Mensores vero, quos denarii agnoscunt, nusquam exstant.

I.

Et sequentes hujus tabellæ denarii.

MENSOR. Caput Junonis Monetæ, ut vult Vaillantius, cum typo monetali; ut nobis videtur, deæ Libertatis cum pileo. Adscribitur *Senatus Consulto.*

Lucius FARSVLEI*us*. Figura militaris galeata stat in bigis, læva hastam tenens & equorum habenas, dextram vero porrigit figuræ togatæ in bigas, antiquo more, a parte posteriori adscendenti. Sub equis sunt numeri CXI. vel LXXVI. CXIX. XC. CIV. &c. vel scorpio. Sunt vero hæc signa monetariorum, quales numeri etiam post deæ caput inveniuntur. Quum enim tot centena denariorum millia a Romanis cusa fuerint, plures adhibendæ fuerunt officinæ & matrices, illæque his notis & numeris distinguendæ.

Quoniam in una ex inscriptionibus antiquis a Fulvio adlatis L. Farsulejus Rufus ex colonia Julia Sutrina esse dicitur, censet Vaillantius hanc gentem inde oriundam venisse Romam, atque hunc L. Farsulejum Mensorem, ubi ad quæsturam urbanam pervenit, vel potius triumviratum monetalem, uti visuri sumus fam. Furia num. I. significare hoc typo voluisse, sibi aditum ad honores patuisse per legem Juliam A. V. C. DCLXIV. qua civitas data est Latinis sive sociis populi Romani, ad bellum Sociale finiendum.

Et certe immensus notarum numeralium numerus, atque tot matrices ad signandam pecuniam, ostendunt rem singularem hoc typo exprimi; & ipse typus nihil commodius innuere potest quam civitatem Italiæ datam a Roma victrice. Ideo Roma tamquam bellatrix dea fingitur stans in curru; Italia togato cive Romano exprimitur, ut quæ jus omne civitatis jam adipisceretur; illam in bigas recipit porrecta dextra Roma, ut solebant bellatores amicitia sua dignos secum in currum aliquando recipere, cujus & plura exempla apud Homerum aliosque prostant, tum in sacris, II Reg. X. 15. & 23. ubi porrecta manu Jonadabum Rechobi filium in currum suum Jehu recipit. Credo itaque isto tempore & in gratiam ejus reconciliationis Romanorum & Italici nominis populorum cusos hos denarios fuisse, L. Farsulejo Mensore tunc quæstore urbano, vel triumviro monetali, qui a priore nummi parte caput Deæ libertatis expressit, quod vere jam libertas populi Romani constituta videretur, sociis Italici nominis in idem jus togæ & magistratuum gerendorum honorem receptis.

FLAMINIA.

Gens Flaminia plebeja fuit; qui ex ea in denariis comparet cognomen Cilonis vel Chilonis habuit, quod & sine adspiratione *Cilo* & cum adspiratione *Chilo* in iisdem scribitur, prout modo addere modo omittere Romani solebant. Discrimen tamen grammatici statuunt, & *cilones* a capitis longioris vitio, *chilones* a labiorum densitate & prominentia, qui iidem *labeones* dicti sunt, appellari contendunt.

I.

ROMA. Romæ caput galeatum cum nota denarii.

Lucius FLAMINI*us* CILO. Victoria in citis bigis, dextra corollam protendens, læva equorum habenas tenens.

Pighius tom. II. pag. 97. denarium hunc credit pertinere ad A. V. C. DXIX. quo ipsi inter quæstores provinciales recensetur L. Flaminius L. F. Cilo, & addit videri sibi filium fuisse L. Chilonis illius, qui inter quatuorviros primos flandi argenti fuerat, prouti suo loco latius demonstrasse sese dicit. Innuit autem tom. I. pag. 452. confecto bello Tarentino & pulso Pyrrho Junoni Monetæ honorem restitutum, signatamque in nummis Deam fuisse, „quemadmodum (inquit, innuens sequentem nummum num. II.) in bigatis factum videmus, in quibus & nomen exstat quatuorviri, cujus cura signati fuere; quod tale est L. FLAMIN. CHILO IIII VIR PRI. FL. hoc & *quatuorvir primus flando*, scil. argento præfectus; qui titulus indicare videtur hunc L. Flaminium primum vel sorte vel suffragio creatum inter quatuorviros, qui argenti signandi provinciam obtinuere primi. Ejusdem, nisi fallor, & exstant alii cum solo nomine sic inscripto L. FLAMIN. CILO. Habent in una parte Victoriam, quæ bigam regit, in altera propriam Romani numismatis notam Romæ deæ caput, & nomen adscriptum ROMA, & denarii notam X." Ex quibus Pighii verbis patet bis eundem vel ter errasse, primo quod denarios, qui ab uno eodemque Flaminio cusi sunt, patri alterum, filio alterum tribuat, dein quod deæ Monetæ faciat caput quod est Veneris, tertio quod ad tam antiqua tempora reipublicæ referat hunc Flaminium atque institutionem quatuorvirorum monetalium, qui, ternario numero aucto, quatuor demum a Julio Cæsare sunt instituti, uti docet num. III. Vaillantius quoque dupliciter in denario hoc errare videtur. Typum enim esse putat Veneris Victricis, quæ coronam gerat in bigis decurrentibus, signatæ in Cæsaris, qui a Venere genus repetebat, gratiam. Signatum vero credidit a quæstore L. Flaminio Cilone, qui postea novo honore quatuorviratus monetalis a Cæsare auctus alios cudit denarios, quales num. III. cum Cæsaris effigie videmus.

Opinioni de Venere omnes denarii, meliusculе servati, reclamant, in quibus alata agnoscitur Victoria, quam & ego in meis clare conspexi & in suis agnoscere potuisset Vaillantius, nisi festinans, sculpi in alia, quam ipse erat, regione curasset nummos ad Ursiniana & Patiniana exemplaria non semper adcurata. Verisimile deinde haud est L. Flaminium post quæsturam urbanam jam gestam, relatum fuisse a Cæsare inter quatuorviros monetales; ratio enim augendi istum numerum Cæsari fuit, quod tot hominibus fides ejus esset obstricta, ut collegia omnia ampliare necesse esset, ut singulis aliquid largiri posset. Itaque alios quæstores urbanos alios quatuorviros monetales creavit. Hunc vero denarium antiquiorem credimus, & a patre Lucio Flaminio Cilone cusum in quæstura urbana, sicuti idem in provinciali signavit eum qui est num. IV.

II.

IIII VIR PRI*mus* FL*avit*. Caput Veneris.

Lucius FLAMIN*us* CHILO. Victoria in bigis, dextra tenens corollam, læva equorum habenas.

Quum suppleret atque augeret Cæsar numerum magistratuum, minores etiam magistratus auxit; inter quos etiam triumviri monetales erant. Verba Suetonii, quæ post Ursinum Vaillantius quoque adducit, exstant in Vita Cæsaris cap. XLI. *Senatum supplevit: patricios adlegit: prætorum, ædilium, quæstorum, minorum etiam magistratuum numerum ampliavit.* Quæ verba si melius considerasset idem Vaillantius, non quæstorem primo, deinde, novo honore auctum, quatuorvirum

mone-

monetalem hunc Flaminium adpellasset. Inter minores enim magistratus hic honos fuit, quæstura a Suetonio inter majores numeratur.

Quatuorviri hi sub Cæsare leguntur in nummis ejus L. Flaminius Chilo, L. Æmilius Buca, L. Mussidius Longus, & C. Cossutius Maridianus, pro quo minus recte Ursinus ponit C. Vibium Varum, cujus denarii tempore triumvirorum cusi sunt. IIII VIR PR*Imus* hosce denarios flasse dicitur Flaminius, non, ut credidit Vaillantius, quod „ ille primus designatus ex quatuor anni „ initio magistratum iniit, „ quasi per quatuor partes annum inter se quatuorviri monetales divisissent; sed quod voluerit ostendere, aucto monetalium collegio a Julio Cæsare, sese fuisse inter quatuor primos, qui aucto illo ternario numero magistratum hunc minorem gessissent.

Victoria Cæsari perpetua fuit comes, unde in denariis sub principatu ejus cusis, ut aptus typus exprimitur.

III.

Caput Julii Cæsaris laureatum, sine epigraphe.

Lucius FLAMINIVS IIII VIR. Figura muliebris stolata, stans, dextra caduceum tenens læva hastam.

Inter reliquos honores a senatu in Cæsarem congestos notum est fuisse quoque illam supremæ potestatis notam, ut ipsius imagine pecunia signaretur. Inter nummos tum signatos hic quoque fuit, quod ostendit Flaminii nomen, qui in denario præcedente gloriatur sese ex primis illis quatuorviris, quos Cæsar instituerat, unum fuisse. Illud indicaverat literis his PR. FL. propter quarum explicationem Ursinum reprehendit Vaillantius, qui suspicatus fuerat PR. FL. significare PR*imus* FL*amen*, & sic primum flaminem Julii eundem Flaminium Chilonem fuisse. Verum minus candide id fieri a Vaillantio videbit, qui Ursinum ipsum inspexerit. Illam enim de primo flamine conjecturam primam facit, sed ut verisimiliorem deinde alteram (quam totam suam facit Vaillantius) proponit, quod scilicet C. Flaminius fuerit unus ex primis quatuorviris monetalibus a Julio Cæsare institutis, quam Suetonii deinde testimonio quoque confirmat.

Dea quæ in denario exprimitur Felicitas est, quæ, uti Victoria, perpetua Julii comes fuit.

IV.

C*ai* CONSIDI*i* NONIANI. S*enatus*C*onsulto*. Caput Veneris Erycinæ myrto coronatum.

Lucii FLAMIN*ii* CHILO*nis*. Victoria in citis bigis, dextra corollam gerit, læva habenas equorum tenet.

Caput hoc Veneris Erycinæ simillimum est illi, quod in gente Considia vidimus num. V. Ibi pluribus typum Veneris Erycinæ in nummo Romano, & cur S.C. adscriberetur nota, illustrare conati fuimus. In Sicilia vero cusum fuisse denarium existimamus, & ex S.C. refectum fuisse templum Veneris Erycinæ, atque tum temporis quæstorem in Sicilia exstitisse C. Considium Nonianum. Ex hoc denario alterius quoque quæstoris nomen discimus, atque collegæ Noniani, videlicet L. Flaminium Chilonem, qui quum uno ante anno in quæstura urbana signasset denarium cum Romæ capite, qui num. I. exstat, & urbis adscriptum nomen habet, in quæstura provinciali hunc alterum signavit. Quamvis enim passim in provincias singulas singuli mitterentur quæstores, in Siciliam tamen duo mittebantur, quæ, quoniam ut duplex considerabatur provincia, vetus & nova, duos habebat quæstores, quorum alter Lilybæi, alter Syracusis morabatur.

Cilonis sive Chilonis mentionem invenimus apud Ciceronem Epist. Fam. lib. VI. ep. 20. quæ est ad Toranium tunc exulantem scripta tempore belli Hispaniensis. *Multa præterea metuo, quæ cum Cilone nostro communicavi.* Quem Cilonem eundem esse puto illum, qui, sicuti & Toranius, ad quem scripsit Cicero, in proscriptione triumvirali periit, suo timore agnitus. De eo enim sic scribit Appianus lib. IV. B. Civ. pag. 605. *Cilo autem* (Κίλων) *& Decius egressi curiam, ut resciverunt proscripta sua nomina, priusquam eos quis adgrederetur, trepide fugiebant per portam, quos cursus ipse centurionibus obviis prodidit.* Potuit hic esse Flaminius ille, qui quatuorvir monetalis sub Julio Cæsare fuit, potuit esse alius. At hic L. Flaminius Chilo antiquior statui debet, pater videlicet vel avus ejus, qui sub Julio Cæsare honorem istum gessit. Ad patrem libentius retulerim, quod artificium nummi convenire videatur cum denariis, qui in honorem Cornelii Sullæ in Sicilia cusi sunt, cujus forsan temporibus C. Considius Nonianus & L. Flaminius Chilo quæstores in Siciliam missi sunt.

Vaillantium de Considio & Flaminio, ut duumviris sacris ædibus reficiendis, disputantem, neque hic neque in gente Considia audiendum esse puto. Perperam idem Victoriam in bigis, quod solitum bigatorum symbolum est, de Venere interpretatur, quum alas in denario non animadverterit.

FLAVIA.

Gens Flavia, plebeja sed consularis, a flavo colore ita dicta, Pusiones, Fimbrias, Alphios aliosque tulit; nullos ex illis nummi ostentant, sed Brutianarum partium Flavium quendam cum dimidiato cognomine HEMIC.

I.

Caput Romæ galeatum cum denarii nota.

FLAVS. ROMA. Diana bicornis in bigis, dextra coronam gestans, læva tenens habenas.

Inter incertos a Vaillantio hic denarius relegatur, quum non constet pertinere ad Flaviam gentem, (cognomen enim Flavii multis fuit commune) & quod desit prænomen, certò ad aliquem ex Flaviis referri non potest.

II.

C. FLAV*ius* HEMIC. LEG*atus* PRO-PR*ætore*. Caput Apollinis cum lyra sive cithara.

Quintus CAEP*io* BRVT*us* IMP*erator*. Victoria coronans tropæum.

In hoc denario quid per vocem *Hemic.* sit intelligendum, magnopere dubitant viri eruditi. Credidit Cl. Perizonius THEMIS esse scriptum Dissert. III. quæ conjectura, quum contra nummos sit, neque Vaillantio placuit, neque Morellio; unde hic aliquid amplius ab amico postulat lib. de Numm. Consf. p. 139. „ Quod si vir clarissimus „ certiora nonnulla observaverit, quam in Dissertatione III. p. 248. jam nobis propinavit, eorum communicationem expeterem. Sunt enim „ in nummo gentis Flaviæ quædam, de quibus „ mihimetipsi non satis constat. Moneo igitur, „ in illo nummo distincte reperiri caput Apollinis „ cum lyra. Et quamvis plurimos hujusmodi „ nummos viderim, non tamen satis accurate „ per-

„ perſpicere potui, an legendum ſit HEMIS an „ HEMIC. Interim perſuadeor initium hoc eſſe „ cognominis cujusdam Apollinis a loco deſumpti, „ & ſi conjecturæ locus eſt dandus, forte ab Hemiſſenis in Cœle Syria, ſive ab Hemichara, „ oppido Siciliæ, deducti, quo ſignificaretur, „ C. Flavium, qui nummum cuſit, in hisce locis „ magiſtratum aliquem geſſiſſe; ſi vero hæcce „ non ſatis cuidam placeant, illi, ipſum Apollinem roget, ſuaderem, qui in nummo conſpicitur. „ Reſpondit Perizonius & ad Morellii quæſita, & ad Vaillantii cenſuram his verbis pag. 244. & 245. „ Nummum *C. Flavii* ita edidit „ Urſinus vel Patinus, ut videatur caput feminæ, „ hirſuta & ſparſa coma, præferre, cum adpoſita „ cithara, & adſcripta voce HEMIS. Quæ vox „ cum nihili ſit, credidi editorem non animadvertiſſe transverſam lineolam priori parti literæ „ H impoſitam, unde oriretur THEMIS; atque „ adeo exhiberi hic nobis vatem Carmentam, „ matrem Euandri, quæ & *Themis* fuit dicta. Sed „ Vaillantius expreſſit in eo caput Apollinis, & „ literas HEMIC. unde corruere ait meam ſententiam. Non ergo obniti ultra conabor, imprimis quum & Morellius eadem fere teſtetur, „ cui idcirco reſpondi, Me ex illo HEMIS vel „ HEMIC extricare nihil poſſe, quod ullam habeat veri ſpeciem. Nam quod Vaillantius ex „ illo facit *Hemicyclum*, h. e. ſellam ſemicircularem, id vero eſt aliquid velle dicere, qualecunque id tandem ſit, ne nihil plane dicas, & „ arripere quamcunque Latinam vocem, quæ ab „ hisce literis incipiat. Quid enim huc facit talis ſellæ, cujus nullum in nummo veſtigium adparet, nomen? Crediderim potius cum Morellio, literas hasce declarare cognomen vel novum & ignotum hujus Flavii, undecunque derivatum, vel Apollinis in Macedonia aut Beſſorum terris culti. „ Hæc Perizonius, neque mihi illud HEMIC*yclus* probatur, quum magis ad typum nummi accedat, ſi legamus HEMI-C*hordus*, ad quod Flavii cognomen adludere poteſt Apollo cum cithara ſua chordis inſtructa.

De altera nummi parte viſuri ſumus ad Bruti nummos & familiam Juniam. Putat vero Urſinus hunc Cajum Flavium eſſe eundem, quem ut inimiciſſimum ſibi in exitu belli Peruſini occidi curavit Cæſar Octavianus una cum Canutio, Clodio Bithynico aliisque, ut docet Appianus lib. IV. B. C. pag. 700. Cujus etiam Flavii meminiſſe in Bruto ait Plutarchum, verbaque ejus adducit. Graviſſime vero fallitur Urſinus, dum Flavium in bello Peruſino a Cæſare Octaviano interfectum confundit cum Flavio cujus interitum deflevit Brutus. In vita enim Bruti, ubi poſtremam ejus pugnam deſcripſit, hæc addit Plutarchus pag. 1008. Μετὰ δὲ μικρὸν τῶν ἐν μάχῃ περὶ αὐτοῦ πεσόντων ἑταίρων ἕκαστον ὀνομάζων, μάλιστα τῇ Φλαβίου μνήμῃ καὶ τῇ Λαβεῶνος ἐπεστέναξεν. Ἦν δ᾽ αὐτοῦ πρεσβευτὴς ὁ Λαβεών, ὁ δὲ Φλάβιος, ἔπαρχος τῶν τεχνιτῶν. *Mox ſingulos amicos, qui ante oculos ſuos ceciderant in acie, nominans, præcipue Flavii mentione & Labeonis ingemuit. Legatus ejus fuit Labeo, Flavius præfectus fabrorum.* Interfectus itaque in Philippis in poſtrema Bruti pugna, non potuit is eſſe, quem aliquanto poſt, diſſidio civili orto, in Italia, occidit Cæſar.

Unum tamen ex illis fuiſſe illum, qui denarium hunc cudit crediderim. Vaillantius priorem elegit, de quo & de cujus interitu apud Appianum legitur, verſione ejusdem Latina, ut puto, motus; interpres enim C. Flavium vocat, qui in Græcis non ita plane exprimitur. Legitur enim ibi in princip. pag. 700. Ἕως ἀνῃρέθησαν, καὶ ἦσαν οἱ μάλιστα Καίσαρος ἐχθροί, Καννύτιός τε καὶ Γάϊος καὶ Φλάβιος, καὶ Κλώδιος ὁ Βιθυνικός, καὶ ἕτεροι. *Donec interfecti eſſent, qui inimiciſſimi erant Cæſaris, Canentius, & Cajus, & Flavius, Clodius Bithynicus & cæteri.* Non ſolet prænomina ponere Appianus, vel raro admodum, quare igitur, cum reliquis, Canutio & Clodic, prænomina non addat, Flavio illud Caji adderet. Præterea per καὶ a Flavio diſtinguitur Cajus, καὶ Γάϊος καὶ Φλάβιος, unde adparet eſſe corruptum Γάϊος pro aliquo nomine familiæ nobilis, quod Φάβιος vel aliud eſſe potuit. Flavios hosce Appiani & Plutarchi fratres vel conſanguineos fuiſſe credo, quorum ille Plutarchi, quamvis præfectus fabrum dicatur fuiſſe Bruto in pugna Philippenſi, tamen nihil impedit, quo minus eo tempore, quo bellum parabat Brutus, & undique ex provinciis pecunias corradebat, in aliqua ex illis fungi potuerit munere legati proprætore; & cuſus videtur denarius in urbe aliqua Græca, ubi eximius Apollinis cultus erat, ſive Rhodi ſive alibi. Rhodiorum vero nummi nunquam citharam Apollini addunt, ſed nummi Mitylenæi aliarumque Græcarum urbium illud facere ſolent. Sed adi quoque quæ adferimus ad nummos Fam. Juniæ tab. tertia num. II.

III.

AVGVSTVS DIVI F*ilius*. Caput Auguſti laureatum.

C*olonia* V*ictrix* I*ulia* CEL*ſa* L*ucio* BACCIO MAN*io* FESTO II VIR*is*. Bos coloniæ ſymbolum.

Nummum hunc ob cognomen Feſti inter Familiarum nummos referri a Morellio puto. Ad colonias vero pertinet, & coloniarum nummi parce in Familiis exprimi debent, quum homines illis inſcripti ſint admodum incerti, & parum aut nihil ad veterem Romanam nobilitatem pertinentes. Julia Celſa urbs eſt Hiſpaniæ Tarraconenſis ad fluvium Iberum, colonia a Julio Cæſare facta eſſe videtur, quod nomen ejus indicat;

FONTEIA.

Fonteja gens, quamvis inſigni & temporibus iſtis uſitata ambitione genus ſuum ad Fontonem Jani filium referret, plebeja fuit. Ex ea enim fuerunt tribuni plebis P. Fontejus Balbus A. V. C. DLXXX. C. Fontejus Capito A. V. C. DCXLVII. M. Fontejus C. F. Capito A. V. C. DCLXIX. aliique complures, ut & P. Fontejus Capito A. V. C. DLXXIX. ex quo genus traxiſſe & nomen videtur is P. Fontejus, homo plebejus, cui vix viginti annos nato, qui pater ejus eſſe poterat, P. Clodius adoptandum ſe dedit, ut tribunus plebis ipſe fieri poſſet, & Ciceronem urbe expellere.

I. & *ſepq.*

non adſcripto numero.

Caput Jani geminum laureatum, ſed fine barba, adſunt litera M. & denarii nota. Qui ſequuntur literas habent D. E. H. I. P. Q. R. T.

C*aius* FONT*eius*. ROMA. Triremis cum remigantibus & ſtante ad puppem gubernatore, atque diademate regali (quod notari debet, ut neglectum ab Urſino, Patino, aliisque præter Gorlæum, qui depinxit item Tab. XVIII. Num. 1.) dependente a puppi.

Ad

Ad C. Fontejum Manii F. refert Urſinus, quem conſulem ſuffectum ſcribit A. V. C. DCCXX. temporibus ſcilicet Auguſti; at Vaillantius ad C. Fontejum Man. F. qui tempore belli Jugurthini vixit, atque inter quæſtores provinciales recenſetur a Pighio A. V. C. DCXLII. cui itidem Pighius hosce denarios vindicat. Oportet vero, ut uno ante anno denarii hi cuſi ſint, videlicet ſub finem A. V. C. DCXLI. quæſtore tum urbano eodem hoc C. Fontejo, quum jam omnia præpararet populus Romanus, ut validum Jugurthæ bellum inferret, propter occiſum fratrem Atherbalem & ſpretam Romanorum legationem, indicto jam hac de cauſſa bello. Oportebat itaque, ut numeroſa compararetur claſſis, qua tantæ transveherentur in Africam copiæ; ad hujus inpenſas magnam denariorum vim cudit C. Fontejus, tum temporis quæſtor urbanus, ut adſcripta vox ROMA teſtatur, quæ docet, non in provincia ſed Romæ pecuniam hanc ſignatam fuiſſe.

Sed duo in hoc denario notanda veniunt: caput Jani inberbe & a puppe juxta acroſtolium fluctuans & dependens diadema regale. Non enim in Man. Fonteji, qui ſequuntur denariis, aliisve cernas tale diadema ad navis puppem adpingi; & tamen accurate & magnifice in meis aliorumque denariis, plane ut depinxit Morellius, delineari video. Credo itaque additum propterea, quod hac expeditione ultum irent Romani injurias regum, mortemque cruentam Hiempſalis, & crudelem Atherbalis interitum, contra mortalium ſceleratiſſimum Jugurtham. Vel potuit etiam cuſus eſſe denarius anno ante, quæſtore urbano C. Fontejo, videlicet A. V. C. DCXL. quo decretum fuerat, *uti decem legati regnum, quod Micipſa obtinuerat, inter Jugurtham & Atherbalem dividerent*, teſte Salluſtio in Jugurth. Bello cap. XVI. cujus legationis principem ait fuiſſe L. Opimium. Janus olim barbatus, quum tonderentur Romani, tonſus etiam, ſive inberbis (ut obſervat Vaillantius) in nummis exhiberi cœpit.

II. *& ſeqq.*

aliquot ſine numero adpoſito.

Capita Deorum Penatium laureata & jugata; cum ſtellis, adeſt denarii nota.

MAN*ius* FONTEI*us*. Triremis; adeſt gubernator ſedens ad puppem, remum torquens, cujus manu clavum tenet. Verum debuerat a Morellio remi pars inferior retro puppem exhiberi, prouti clare denarius meus exhibet & pictura Gorlæi tab. XVIII. num. 3. Exſtat præterea in hoc Morellii litera R. & in ſequentibus A. G. H. I. K. X. alphabeticæ matricum notæ, ad quas quoque pertinere credo tria puncta in hoc denario & inf. lit. A. tres itidem, quatuor, & ſex in aliquot præcedentibus ſub Jani inberbis capite.

Capita Deorum Penatium Urſinus & Vaillantius Caſtoris & Pollucis eſſe crediderunt, tanto magis, quod triremis in altera denarii parte cernatur. Certum tamen eſt illos erraſſe, neque aliorum Deorum eſſe capita quam Penatium, quod tribus probo argumentis. Primum ſuppeditat denarius, qui infra num. A. exprimitur, qui huic per omnia eſt ſimilis, niſi quod juxta capita ſcribatur P. P. id eſt *Penates* vel *Penates Patrii*. Secundum, ſimiles plane nummi familiarum Antiæ & Sulpiciæ. in Fam. Antia num. II. ubi capita Penatium pariter ſunt jugata, ſed pro laurea habent diadema, & adſcribitur DEI PENATES. Tab. ſecunda num. III. familiæ Sulpitiæ itidem jugata ſunt & laureata, ibique adſcribitur D. P. P. id eſt *Dei Penates Patrii* in cujus familiæ tab. prima num. V. ſine incſriptione nominis, plane ut in hoc de quo agimus, denario, delineantur capita jugata, laureata, & cum ſtellis deſuper poſitis; quos ibi quoque Dioſcuros ſunt interpretati; imo & haſtati illi, qui ſtantes in ejusdem Sulpitiæ familiæ denariis tab. prima num. IV. & lit. B. exprimuntur, æque Penates eſſe poſſunt ac Dioſcuri, nam & de Diis Penatibus, quinam ita vocandi eſſent, multum etiam apud veteres (uti patere poteſt ex Macrobio Saturn. III. cap. 4.) fuit diſputatum, & haſtatos fuiſſe depictos docet Servius ad Virg. Æn. II. 325. pag. ed. Maasv. 448. *Quos tamen Penates, alii Apollinem & Neptunum volunt; alii haſtatos eſſe, & in regia poſitos tradunt. Tuſci Penates Cererem, Palem & Fortunam dicunt.* Imo & Caſtor & Pollux quoque Penatium vocabulo innui potuerunt, quod ſatis confirmant Servii verba ad Virg. Æn. III. 12.

Cum ſociis, natoque, Penatibus & Magnis DIS.

Sunt vero hæc: *Idem Varro & alii complures Magnos Deos adfirmant ſimulacra duo virilia, Caſtoris & Pollucis, in Samothracia ante portum ſita, quibus naufragio ſoluti vota faciebant.* Ad quem Virgilii locum doctiſſimus grammaticus Varronis locum adducit Deos Magnos a Penatibus non diſtinguentis, *Varro quidem* (inquit) *unum eſſe dicit, Penates & Magnos Deos: nam & in baſi ſcribebatur* MAGNIS DIIS. Ex quibus omnibus adparet minus recte Dioſcuros dici hoc nummo exprimi, quum ſint Penates, & licet Penates ſint Caſtor & Pollux, tamen hic non venire eo reſpectu generali, quo navigantium dicuntur numina, ſed ſpeciali, quo Romani imperii ſoſpitatores Penates reipublicæ & vere Magni Dei adpellari apud cultores ſuos merebantur. Tertium argumentum peto ex typo nummorum, qui num. III. & literis A. B. C. exprimuntur. ibi (ſicut viſuri ſumus) caput Vejovis, ſive Laris populi Romani ab altera parte, ab altera pilei Dioſcurorum, occurrunt non reſpectu Deorum nauticorum, ſed uti revera in hisce denariis conſiderantur Deorum Magnorum, & antiquorum imperii Romani Penatium. Plura de his in familia Sulpitia.

A typo denarii nunc transeamus ad illum cujus nomen inſcribitur. Is eſt Manius Fontejus, qui alius non eſt ab illo qui Caji filius dicitur num. III. &c. Manii Fonteji plures in hiſtoria Romana occurrunt, videlicet Man. Fontejus prætor A. V. C. DLXXXVII. Man. Fontejus quæſtor provincialis in Hiſpania A. V. C. DLXXXIX. Man. Fontejus quæſtor provincialis A. V. C. DCLXIV. quem repetundarum reum Cicero defendit, quum ex prætura procos. prorogato imperio Galliam Narbonenſem obtinuiſſet A. V. C. DCLXXVII. Denarium hunc Urſinus refert ad Manium Fontejum, illum forte pro quo Cicero dixit, accuſante M. Plætorio, quem patrem facit Urſinus C. Fonteji Capitonis conſulis A. V. C. DCCXX. cui denarium num. I. adſignaverat. At, quoniam de re navali ſub Man. Fontejo, a Cicerone defenſo, in tota Romana ejus ævi hiſtoria nihil habetur, Manium Fontejum, qui denarium ſignavit, duumvirum navalem fuiſſe opinatur, qui A. V. C. DLXXII. ad tutelam oræ maritimæ, quod piratæ Italiam infeſtarent, creati ſunt juxta Liv. lib. XL. cap. 18. *Nec rei navalis cura omiſſa. duumviros in eam rem conſules*

creare jussi, per quos naves viginti deductæ navalibus sociis civibus Romanis, qui servitutem servissent, complerentur: ingenui tantum in iis præessent. Inter duumviros ita divisa tuenda denis navibus maritima ora, ut promontoriam iis Minervæ, velut cardo, in medio esset: alter ad dexteram partem usque ad Massiliam, lævam alter usque ad Barium tueretur. „ In cujus (addit Vaillantius) memoriam videntur cusi denarii, cum trireme prætoria & nomine Man. Fonteji, qui uni præerat; & in parte anteriore Castor & Pollux signati sunt, quod ipsi mare piratis liberarint, & ob id dii maris habiti sint; & stella insigniuntur, quod felix omen sit navigantibus in tempestate. „ At vero a Vaillantio adductus Livii locus ostendit illo tempore duumviros rei navalis a consulibus fuisse creatos, non vero inter illos duumviros Fontejum fuisse; neque enim nominat istos duumviros, quod nihil magnopere memorabile gessisse videantur, quum contra lib. eodem XL. cap. XXVI. nominentur duumviri, quorum auspiciis aliquid acciderat, quod dignum annalibus nomen eorum faciebat. *Duumviri navales creati, C. Matienus & C. Lucretius, navesque iis ornatæ sunt; Matienoque, cujus ad Gallicum sinum provincia erat, imperatum, ut classem primo quoque tempore duceret in Ligurum oram, si quo usui esse L. Æmilio atque ejus exercitui posset.* Unde mox cap. XXVIII. *Et a C. Matieno duumviro naves ejus generis in Ligustina ora duæ ac triginta captæ sunt.* Nominatur etiam C. Furius alio tempore duumvir navalis lib. XLI. cap. 1. *Profectus ab Aquileja consul, castra ad lacum Timavi posuit. imminet mari is locus. Eodem decem navibus C. Furius duumvir navalis venit.* At nusquam Livio Fontejus inter duumviros navales commemoratur. Sufficiens argumentum navis, sive triremis, non est, ut inde duumvir navalis statuatur Manius Fontejus, quum ea ratione Fontejus is, si quis duumvir navalis fuerit, eodem jure Caji prænomen habere potuerit, quoniam Caji Fonteji denarii itidem triremem exhibent. Castorem & Pollucem vero in his denariis debere considerari ut Deos Penates jam satis docuimus.

Superest ut nostram proferamus conjecturam. Eundem hunc Manium Fontejum credimus denarios cudisse qui num. III. & litt. B. C. occurrunt, in quibus se Caji filium nuncupat. Manius Fontejus C. F. vero quo tempore vixerit nos docet denarius signatus lit. D. in quo signatus a priore parte typus denarii Egnatii Maximi nos revocat ad tempora Sullæ, cui & Egnatius ille & noster quoque Fontejus adhæsisse videntur, de quo pluribus ad illum denarium.

Manius Fontejus C. F. Man. N. prætorius (fuit enim familia illa continuis præturis clara & sub Augusto demum ad consulatum pervenit) rexit A. V. C. DCLXXVI. provinciam Galliam Narbonensem prorogato imperio A. V. C. DCLXXVII. & tertio quoque anno eandem A. V. C. DCLXXVIII. Sulla exercitu navibus imposito, contra Carbonis & Marii factionem bellum gesturus venit in Italiam A. V. C. DCLXIX. atque Brundusii exercitum exposuit, ausus cum triginta armatorum millibus adversus ducenta amplius hostium millia & quindecim inimicissimos belli duces progredi. Receperant se jam ante ad Sullam in Græciam optimi & nobilissimi quique Senatores. Inter quos una cum Egnatio Maximo hunc Manium Fontejum omnino fuisse suspicor, atque quæstoris sub eodem munere functum tantam horum denariorum vim in Græcia signasse (unde ROMA, quæ vox alias inscribi solet, abest) & quidem cum triremi prætoria, ut profectio Sullæ indicaretur, atque Diis Penatibus, sive quod Lanuvio gens Fonteja esset oriunda, sive potius quod antiqui juris senatorii vindex Sulla ejectos pridem urbe magistratus penatibus suis esset redditurus, & rempublicam in integrum esset restituturus.

Litera A.

Penates Patrii. Capita Deorum Penatium jugata & laureata, cum stella in vertice; adest denarii nota.

MAN*ius* FONTEI*us*. Triremis prætoria cum tribus punctulis sive notis monetariorum, ut videtur, sive matricum insignibus.

Adscriptæ literæ P. P. non sinunt nos dubitare, quin Penates Patrii in prioribus quoque denariis, huic simillimis, exprimantur, inter fundamenta itaque conjecturæ nostræ vel maxime hic nummus est, cujus inscriptioni contradici nequit.

III.

MAN*ius* FONTEI*us* C*ai* F*ilius*. Caput Vejovis laureatum, subtus est fulmen, dei ejus symbolum.

Ab altera parte nulla est inscriptio, sed cernitur capellæ vel hirco inequitans Cupido, supra quem pilei sunt deorum Penatium sive Dioscurorum, subtus vero Bacchicus est thyrsus, omnia in corona myrtea.

Pighius hunc denarium refert ad quæsturam provincialem nostri Manii Fonteji, quam ex conjectura ponit A. V. C. DCLXIV. Annal. tom. III. pag. 228. „ Ejus (inquit) reperiuntur argentei denarii, in quibus Caji filius dicitur, in hac quæstura cusi cum Apollinis capite & genio in capra. Hunc (addit) omnes minores suos magistratus, excepta prætura provinciali in urbe gessisse ante oculos populi Romani atque judicum suorum, testatur Cicero in oratione, qua eundem defendit. Debuit igitur & quæsturam obtinuisse. „ Debuit certe, sed ut nos putamus, & hic etiam adstruit denarius, sub Sulla, tempore ejus in Italiam expeditionis.

Typi in hoc denario expressi sunt Vejovis caput & Cupido capellæ insidens, de quibus ad nummum sequentem.

Litera B.

MANI*us* FONTEI*us* C*ai* F*ilius*. Caput Vejovis cum fulmine, ut supra, sed additur monogramma quod conjunctis & dispositis in ordinem literis legi debet APO*llo*. Typus aversæ partis similis est præcidenti.

Denarium hunc explicavit Vaillantius pag. 450. ubi ex plerorumque apud Gellium lib. V. cap. 12. sententia Vejovem hunc Apollinem esse docet. Verba Gellii hæc sunt : *Simulachrum igitur dei Vejovis, quod est in æde, de qua supra dixi, sagittas tenet, quæ sunt videlicet paratæ ad nocendum. quapropter eum deum plerique Apollinem esse dixerunt; immolaturque illi, ritu Cumano, capra: ejusque animalis figmentum juxta simulachrum stat; propterea Virgilium quoque ajunt, multæ antiquitatis hominem sine ostentationis odio peritum, numina læva in Georgicis quoque deprecari; significantem quandam vim esse hujuscemodi deorum in lædendo magis quam in juvando potentum. Versus Virgilii hi sunt:*

In

In tenui labor, at tenuis non gloria, si quem
Numina læva sinunt, auditque vocatus Apollo.

Addit deinde idem Vaillantius cusum fuisse a Manio Fontejo hunc denarium, ut notaret se, duumvirum sacris ædibus reficiundis, restituisse templum Vejovis, quod erat in regione urbis VIII. inter arcem & Capitolium prope Asylum; & restaurato templo sacrificium fuisse factum, atque capellam Vejovi immolatam fuisse. Hæc ille, & sic solet Vaillantius, ubi aqua hæret, passim ad deorum ædes refectas confugere. At si capella Vejovi immolanda, cur insidet illi Cupido, cur thyrsus ad pedes in ima parte nummi ponitur, cur myrtea corona nummum ambit? Notum est Sullæ, qui postea dictaturam sumsit, in gente Cornelia & Egnatia inveniri plures denarios, in quibus, ut Epaphroditus & cura Veneris, Cupidinem signavit, vel in ejus gratiam & adulationem quæstores expresserunt. Sic Fam. Cornel. tab. quinta num. VII. Egnatia num. I. II. III. &c. idque varietate singulari, modo stantem, volantem modo, etiam monile matris collo adaptantem. Hic vero capellæ seu capro insidentem faciunt, prouti is lusus esse puerilis solet; vel si lubet reconditum magis sensum sectari ex thyrso Bacchi erit quærendus, quem male Vaillantius mutavit in duo acrostolia, quum in meis tribus, scil. num. III. lit. B. & C. quos possideo, omnibusque quos viderim thyrsus sit, non acrostolia. Posset itaque thyrsus & capra significare sacrificium, quod Baccho fieri solebat animali illo vitibus noxio, unde elegans versuum Eveni parodia apud Sueton. in Vita Domitiani cap. XIV.

Κἤν μὲ φάγης ἐπὶ ῥίζαν, ὅμως ἔτι καρποφορήσω,
Ὅσσον ἐπισπεῖσαι Καίσαρι θυομένῳ.

Quod videlicet Evenus ad caprum dixerat id ad Cæsarem, edictum de excidendis vineis meditantem, urbani homines transtulerant. Eveni versus Latine sic se habent, expressi ab Ovidio Fastor. I. ℣. 357.

Rode caper vitem: tamen hinc, cum stabis ad aram,
In tua quod fundi cornua possit, erit.

Atque ita tacite minaretur inimicis suis Sulla, sævirent quidem nunc in nobiles ferro Mariano & Cinnano, adfore se mox victorem felicem, qui illos, ut capellas, Baccho destinatas victimas, esset immolaturus. Quam ille iracundiam suam egregie exercuit, neque finem sævitiæ suæ neque modum statuens. Spectat huc quoque Vejovis caput, cujus, in vindicta Sullæ, ira metuenda erat. Pilei cum stellis ad Dioscuros spectant ut Penates Patrios; myrtea corona Sullæ rursus convenit felici illi & Veneris nepoti.

Litera C.

Nihil differt a prioribus, nisi quod ad latera capellæ positos habeat Dioscurorum pileos, qui alias supra Cupidinem capræ insidentem collocantur.

Litera D.

MAXSVMVS. Caput Libertatis, retro quod pileus est.

Typus aversæ partis est similis præcedenibus.

Prior denarii hujus pars collata cum num. III. familiæ Egnatiæ clare docet ad idem tempus esse referendos gentis Egnatiæ illos & hosce Fontejæ denarios, ad Sullæ videlicet expeditionem & in Italiam adventum. Nam vel hic denarius ad gentem Egnatiam est relegandus, ut dicamus C. Egnatium Maximum una cum Manio Fontejo eundem signasse in postica denarii parte typum Cupidinis capræ insidentis, vel permutatas utriusque matrices fuisse, quod accidisse nonnunquam in hisce consularibus monetis & alias & ad gentem Egnatuleiam docuimus. Consulat itaque lector illa, quæ ad dictum Egnatiæ gentis nummum protulimus.

IV.

Publius FONTEIVS *Publii Filius* CAPITO IIIVIR. Caput juvenile galeatum, mentum prima lanugo vestit; pone cernitur tropæum.

MAN*ius* FONT*eius* TR*ibunus* MIL*itum*. Eques galeatus decurrens, dextra hastam in barbaros humi prostratos vibraturus. Hæc Vaillantii descriptio est. Verum mihi integerrimum denarium meum consulenti figura quidem equestris laureata visa est, qui vero sub equo inter se depugnant, eorum uterque vulneratus videtur & in alterum genu prolapsus, sed ita ut posterior jam plane sit exanimatus, utpote cujus galea & clypeus jam retro tergum jaceant; alterius, qui, galea tectus caput, lævam cum clypeo elevet, atque dextra ensem in pectus adversarii adigat, adeoque simillimus est meus denarius picturæ Morellianæ, nisi quod in illa perperam dipingatur aversus victoris militis vultus, sed hæc minuta in denariis vix apte dignosci possunt.

Publii Fonteji P. F. Capitonis, qui denarium hunc & sequentes cudit, ætas primum, dein magistratus indagandus est. Ætas colligi potest ex denario inf. num. V. in quo Titi Didii imperatoris fit mentio; qui proprætore de Scordiscis Thraciæ populis triumphavit A. V. C. DCXL. proconsule vero de Hispanis A. V. C. DCLX. Periit vero idem Didius quatuor annis post in bello Sociali sive Italico A. V. C. DCLXIV. Unde patet circa A. V. C. DCLX. cusos hosce denarios a P. Fontejo Capitone fuisse. Hunc itaque Fontejum filium facit Vaillantius P. Fonteji Capitonis, qui apud Livium A. V. C. DLXXXIV. prætor Sardiniam obtinuisse dicitur; nepotem vero ejus Ursinus; & melius nostra opinione. Octoginta enim annis integris distant prætura avi & triumviratus nepotis, & distare possunt calculo rite posito, quod absurdum foret filio ex Vaillantii sententia tribuere.

Sicuti ætas itaque Fonteji hujus facile invenitur, ita magistratum quoque indagemus. Vaillantius ad sacras ædes refectas iterum delabitur, putatque triumvirum fuisse muris, turribus, ædificiisque publicis reficiendis. Nos triumvirum monetalem fuisse credimus, penes quos quum esset facultas & jus cudendæ monetæ, alii intelligi non possunt, quum simpliciter IIIviri nomen denariis inscribatur.

Triumvir itaque monetalis P. Fontejus Capito eo anno (uti nobis videtur) quo de Celtiberis Hispanis triumphavit T. Didius, ex priore denarii parte reipublicæ gloriam publicam, a posteriore, domus suæ privatam insculpsit. Agnosco ita-

itaque in parte priore caput Martis Tropæophori, cujus rei gratia tropæum ad cervicem Romani istius numinis surgit, respectu videlicet Hispaniensis triumphi. Ab altera vero parte, quæ inscribitur MAN*ius* FONT*ejus* TR*ibunus* MIL*itum*, credo per armatum equitem indicari ipsum T. Didium ducem ex paludamento agnoscendum, in cujus conspectu Manius Fontejus tribunus militum rem præclare contra Hispanos egerit, ita ut, licet jam præ vulneribus in alterum genu prolapsus, aliquem tamen ex ducibus hostium occiderit, eique cæso detraxerit arma, quæ in rei testimonium post terga Manii Fonteji tribuni militum cernuntur. Is vero Manius Fontejus frater Publii fuisse videtur, & forte postea ex vulneribus mortuus, unde eo libentius memoriam fortitudinis fraternæ hoc denario consecravit Publius.

Litera E.

Similis plane est præcedenti, nisi quod pictura militum pugnantium sub equo aliquantum discrepet, quam tamen discrepantiam ortam puto ex iis qui primi denarium illum depinxerunt, quum minus recte posituram pugnantium & galeæ jacentis figuram contemplarentur, ut in exiguis istis lineis fieri solet. Ipse enim Morellius hunc ex nummo non delineavit, sed mutuatus est a Gorlæo, apud quem Tab. decimaoctava num. II. tali pictura exhibetur, qui ideo a se positum denarium suum testatur, quod Fulvianus inscriptione careret; unde patet in reliquis fuisse similem.

V.

P*ublius* FONTEIVS CAPITO IIIVIR. CONCORDIA. Caput deæ Concordiæ velatum.

T*itus* DIDI*us* IMP*erator*. VIL*la* PUB*lica*. Villæ publicæ ædificium.

De villa publica & T. Didio jam dictum est in familia Didia, ut & de Concordia Dea. P. Fontejum Capitonem tempore Didii vixisse, & occasione triumphi ejus & manubiarum cudisse hunc denarium, ut triumvirum monetalem, supra adstruere conati sumus.

VI.

FONTEIVS CAPITO FROPR*ætore*. Capita jugata Antonii & Cleopatræ.

M*arcus* ANT*onius* IMP*erator* CO*n*S*ul* DESIG*natus* ITER*um* ET TERT*ium* III VIR R*ei*P*ublicæ* C*onstituendæ*. Triremis prætoria cum velo.

Hunc Fontejum Capitonem docent antiquarii esse eundem, quem Horatius ex intimis Antonio fuisse notavit.

. . . . Capitoque simul Fontejus, ad unguem
Factus homo, Antoni non ut magis alter amicus.

Antonii itaque partes secutus, Cleopatram illi adduxit, cujus gratia in Syriam erat missus, postquam jam ducta Octavia Cæsari reconciliatus fuerat Antonius, uti narrat in Vita ejus Plutarchus; substituit eundem sibi consulem Antonius A. V. C. DCCXX. Præfectus vero classi, ut videtur Phœniciæ, nummum hunc signari fecit in honorem Antonii & Cleopatræ, apud quos gratia plurimum valebat.

Patrem fuisse C. Fonteji Capitonis, qui consul fuit sub Augusto cum Germanico Cæsare A. V. C. DCCLXV. existimat Glandorpius, potuitque fuisse avus L. Fonteji Capitonis, consulis A. V. C. DCCCXII. sub Nerone, qui postea Germaniæ præses sub initium imperii Galbæ cæsus est.

VII.

DIVVS AVGVSTVS CYTHERONTE II VIR*o*. Caput Augusti radiatum.

VICTORIA AVGVSTI. CAPITONE ITER*um* II VIR*o*. Victoria gradiens, dextra sertum gerit, læva palmam.

Corinthi signatum fuisse hunc & sequentem nummum arbitror, quæ & Vaillantii fuit sententia ad Messalinæ nummum pag. 162. similiter Cytherontis II viri nomen inscriptum habentem. Unde etiam colligi potest tempus, quo cusi hi nummi sunt, imperante videlicet Claudio; nam præter adductum ibi Vaillantio Claudii & Messalinæ nummum, in quo Cytherontis nomen legitur, vidi etiam alios, qui Capitonis pro Cytheronte nomen haberent, quorum unum quoque Haymius in Thesauro Britannico publicavit. Expunxit vero Vaillantius hosce nummos ex numero eorum qui ad Familias pertinent; & recte, spectant enim ad colonias. Capitonis cognomen Fonteji soli non gesserunt, homines vero, qui in coloniis magistratum gesserunt, plerumque nobis ignoti sunt.

Litera F.

DIVVS AVGVSTVS CAPITONE II VIR*o*. Caput Augusti radiatum.

VICTORIA AVG*usti* CYTHERONTE II VIR*o*. Victoria ut supra.

Litera G.

DIVVS AVGVSTVS CAPITONE II VIR*o*. Caput Augusti radiatum.

VICT*oria* AVG*usti* CYTHONTE II VIR*o*. Victoria ut supra.

Omnes hi nummi cusi videntur in victoriam Claudii Britannicam, quare & Britannici filii matrem Messalinam alii quoque eorundem duumvirorum, quales & ipse servo, nummi expresserunt, & in hisce Augusti, Romani imperii ampliatoris, & Claudii proavi, effigiem addiderunt.

Litera H.

Caput Jovis Capitolini cum nota semissis.

C*aius* FONT*eius*. ROMA. Additur nota semissis.

Antiquitatem hujus gentis demonstrat hic semissis uncialis, qui docet pondere suo (ut recte observavit Vaill. pag. 448.) cusum sese fuisse tempore belli Punici primi, quo assis pondus ad sextantarium reductus est, & semissis ad pondus unciale. Eo itaque tempore quæstor fuit iste Cajus Fontejus, cujus hic est uncialis semissis; adeoque antiquiores in republica Fontejos substituunt nummi, quam invenire in historicis potuit diligentissimus Pighius, qui T. Fontejum, legatum postea P. Cornelii Scipionis procos. in Hispania contra Pœnos, quæstorem agnoscit provincialem A. V. C. DXXXIV. anno uno ante bellum Punicum

cum secundum, primum agnoscit inter illos, qui magistratus Romæ gessisse leguntur. Fuit vero hic noster Cajus Fontejus quæstor urbanus, cum hunc nummum cudit, pater forsan Caji Fonteji Crassi, qui in Hispania cum tribus millibus hominum prædatum profectus, ab Hasdrubale circumventus, per medias hostium stationes prorupit, uti narrat Frontinus Strategematum lib. I. cap. 5. & V. cap. 5.

Litera I.

Caput Romæ galeatum cum quatuor globulis, qui trientem id genus monetæ esse indicant.

Caius FONT*eius*. ROMA. Ratis dimidia cum totidem globulis trientis nota.

Spectat ad eundem Fontejum, qui præcedentem semissem percussit. Triens vero dicitur, quod tertia pars sit libræ, quatuor vero uncias ex lege pendere debeat. As enim XII. habebat uncias, semissis VI. triens IV. Mansit vero idem nomen & pretium, licet imminuto bello Punico primo & sæpius postea pondere.

F U F I A.

Fufia gens plebeja cognomen habuit Caleni ab oppido Calibus, Campaniæ Felicis, unde Calenus deducitur. Cicero ejus municipii Caleni mentionem facit II. Agrar. 31. idem lib. Ep. ad Fam. lib. IX. epist. 13. cum municipio Caleno magnam sibi necessitatem esse ait. Ex illa gente fuit Q. Fufius Calenus tribunus plebis A. V. C. DCXCII. consul deinde cum P. Vatinio A. V. C. DCCVI. L. Fufius Calenus, post alios honores prætura etiam functus A. V. C. DCLXVIII. alius ab illo L. Calenus Ciceroni memoratus II. in Verr. 8. item Calenus, quem nominat ep. ad Attic. XVI. 11. qui duo posteriores alius tamen gentis esse possunt.

I.

CALENI. HO*nos*. VIRT*us*. Capita juncta Honoris & Virtutis, hoc galeatum, illud laureatum.

CORDI. ITAL*ia*. *Roma*. Italia & Roma stantes, dextras jungunt; illa, habitu matronæ stola indutæ, læva tenet cornucopiæ; hæc, habitu militari, veste succincta, læva sceptrum tenet, pede globum calcans; retro Italiam in area nummi est caduceus. Consulto etiam museo meo inveni Romæ, ut reginæ orbis, caput diademate in hoc denario cingi, cujus fluitantes fascias ad occiput videas quoque in pictura Morelliana.

Nobilis hic typus redintegratam indicat interruptam bellis civilibus concordiam inter Italiam & Romam, postquam videlicet finem habuerunt, vel bellum Italicum seu Sociale, ob negatum civitatis jus, vel *duo bella funestissima; Italicum, quod & Sociale dictum est; & Civile: quæ ambo tracta sunt per annos decem: consumserunt ultra* CL. *millia hominum; viros consulares* XXIV. *prætorios* VII. *ædilitios* LX. *senatores fere* XX. uti scribit Eutropius lib. V. cap. 9. Posteriori tempore cusum arbitratur Vaillantius, A. V. C. DCLXXII. quum videlicet ex lege Cornelia viginti primum quæstores creati essent, inter quos Fufium Calenum & Mucium Cordum fuisse credit Vaillantius, consulibus L. Cornelio Sulla II. & Q. Cæcilio Metello Pio, post dictatoris Sullæ triumphum Mithridaticum. Sed verius forsan aliquot annis hujus denarii signati tempus anticipandum est; ut videlicet referatur ad A. V. C. DCLXIV. & legem Juliam de civitate sociorum. Romani enim post atrox cum Italicis populis bellum, quum indies novi adcrescerent hostes, sociique in fide labarent, de jure aliquid remittendum censuerunt, & prudenter primum socios data civitate Romana confirmarunt, deinde dubios & nutantes populos recuperarunt, & ipsos denique hostes sibi reconciliarunt, callide tamen vim civitatis datæ enervantes, uti docet Appianus lib. I. de Bello Civ. pag. 379. *Dum hæc ad mare superum geruntur, diversa parte Hetrusci Umbrique una cum aliis quibusdam finitimis ad defectionem spectabant, invitati successu partium. Quo novo metu accedente senatus ne circumquaque hostibus cingeretur solicitus, litoribus quæ Cumas inter & Urbem sita sunt, imposuit præsidia, tum primum libertis ob virorum inopiam admissis in militiam: sociis vero qui etiam tum in officio manerent decrevit jus civium, quod præcipue concupitum erat omnibus, & decretum id dimisit circa Hetruriæ populos, excipientes avidissime. eo beneficio & amicos devinxit amplius, & dubios in fide retinuit, & hostem similia sperantem mitiorem reddidit. hos novellos cives populi Rom. non in* XXXV. *tribus, quot tunc erant, distribuit, ne veteres in suffragiis vincerentur numero, sed redactis eis in decurias, novas alias tribus conscripsit in quibus illi postremi ferrent suffragia, & sæpe supervacui fierent: quod veteres illæ* XXXV. *plusquam dimidium tribuum conficerent. quod consilium sive tunc non animadversum est, sive socii contenti modico tum non requirebant amplius, postea tamen deprehensum novarum seditionum fuit materia.* Et pag. 382. *Atque ita bellum sociale maxima contentione gestum est hactenus, donec universa Italia civitatem Romanam adepta est, absque Lucanis & Samnitibus, qui tamen aliquanto post pariter compotes voti facti sunt. Digesti sunt autem in suas tribus, quemadmodum supra dictum est de aliis sociis, ne permixti veteribus civibus ut numero ita suffragiis vincerent.* Ex hac conjectura unum idemque tempus adsignari potest huic Caleni atque Cordi denario & illi, quem, eandem ob caussam, cum alio typo, sed ad civitatis communicatæ legem respiciente, cusum vidimus a Farsulejo in gente ista num. I. & sic triumviri monetales eodem tempore fuisse colligi possent Farsulejus, Calenus & Cordus.

In hoc denario Romam, ut reginam orbis & Italiæ, agnoscit ipsa Italia, hinc globus pedi subjicitur, caput vero diademate cingitur. Roma autem ubertatem Italicæ agnoscens terræ opes ejus libenter cum virtute sua vult conjungere, cujus pacis symbolum est caduceus. In templo forsan Virtutis & Honoris aliqua res ad fœderis hujus solennitatem pertinens transacta fuit; certe virtuti Romanæ, quæ bellatrix dea ab utraque exprimitur parte, ingens accedebat honos ex Italiæ ubertate frugibus virisque opulentissima.

Restat, ut in ipsum Calenum inquiramus: L. Fufius Calenus agnoscitur prætor A. V. C. DCLXVIII. cusus denarius hic censetur a Vaillantio A. V. C. DCLXXIII. a nobis DCLXIV. Quocunque ex iis anno cusus sit; Fufius Calenus, qui denarium hunc signasse creditur, patrem habere potuit L. Fufium Calenum, & vel anno DCLXIV. monetalem triumviratum incrementum habuisse honorum, vel anno DCLXXIII. quæsturam, numero istius collegii aucto, sub Sulla. Si vero idem sit cum Q. Fufio Caleno, anno DCXCII. tribuno & DCCVI. consule, summum istum honorem sero

ro & in senectute adeptus est. Obiisse videtur A. V. C. DCCXIII. consularis ille Q. Fusius Calenus, Antonianarum partium dux, quem ut & filium ejusdem commemorat Appianus lib. V. Bell. Civ. pag. 700. *Erant & aliæ sub Alpibus Antonianorum copiæ, quibus Calenus præerat: Has Cæsar aliquo modo cogitabat in partes suas pertrahere, suspecto jam Antonio: ut aut amico servaret eas, aut contra hostem multum virium adsumeret. Sed, dum cunctatur & honestam occasionem quærit, Calenus fato functus est, Cæsar occasione arrepta profectus eo, tum exercitum occupavit, tum Galliam Hispaniamque Antonii provincias, Fusio Caleni filio per metum omnia dedente sine certamine.* Harduini conjecturam si quis inspicere amat, illam ex notis ejus Plinianis tom. I. pag. 246. transscribam, nam refellere supervacaneum est. „ Nummus est ex auro & argento in „ familia Fufia & Mucia ab Ursino, Patino „ & aliis, sed male collocatus. Est idem argen- „ teus in Museo nostro. Parte priore capita „ duo exhibet: alteri applicitum, hinc HO. *Honos.* „ inde VIR. *Virtus:* infra * KALENI. Stel- „ lula hic præfixa priorem hanc esse nummi „ aream & epigraphen admonet, posteriorem „ alteram KALENI, autem sic interpretare: „ *Karthago Africæ Libera Edicto Neronis Imperatoris. Karthaginem Africæ* scribi oportuit, „ uti a Plinio appellatur, Cap. XXXVI. Sect. „ XLVIII. ne Carthago Hispaniæ, ut ab eo- „ dem alibi vocatur, hic intelligeretur. Sic „ in nummo inscripto HIPPO NE LIBERA „ legendum esse proxime moniumus, HIP- „ PO. *Neronis Edicto* civitas LIBERA. „ Vide & nummum inscriptum PAULLIN. „ de quo diximus ad l. III. sect. X. In hu- „ jus vero nummi adversa superficie, dextro „ latere stat Italia, quæ sinistro brachio cor- „ nucopiæ tenet: retro caduceus est: Sinistro „ Roma stat, quæ sinistra sceptrum gerit, dextro „ pede calcat orbem Romanum. Hinc ITA. *Italia* inde RO. *Roma.* infra CORDI hoc est „ *Concordia orbis Romani Decus Italiæ.* cusus hic „ nummus est temporibus Vitellii & Galbæ. „ Est apud Plinium lib. XXVIII. sect. IV. „ *Olenus Calenus.* at ex patria, non ex cognomi- „ ne gentilitio novimus sic esse appellatum. „

II.

Colonia Iulia Nova Carthago EX *Decreto Decurionum.* Caput nudum M. Antonii, pone illud labyrinthus est.

Tito FUFIO *Marco* AIMILIO II VIRIS. Caput Cæsaris nudum.

Cusus hic nummus est Carthagine Nova, urbe Hispaniæ Citerioris maritima, quum res inter Antonium & Cæsarem essent pacatæ, unde eorum vultus, ut in pluribus nummis, conjunguntur. Titus Fufius vel ex propinquis Fufii, ducis partium Antonii fuisse videtur, vel libertus ejusdem.

FVLVIA.

Fulvia gens, plebeja sed consularis, plurima habuit cognomina, nummos ejus Goltzius complures produxit sed fidei parum sinceræ; Morellius, Ursinum secutus, unum tantum Fulviæ gentis denarium vidisse videtur.

I.

ROMA. Caput Romæ galeatum.

CN*eus* FOUL*vius.* *Marcus* CAL*idius*, vel CAL*vinus*, vel CAL*visius*, Q*uintus* ME*Tellus.* Victoria in citis bigis, dextra coronam gerens, læva equorum regens habenas.

Triumviri fuerunt monetales, & communi opera denarios cuderunt illi, quorum nomina inscribuntur. Sed in tanta Fulviorum multitudine definiri nequit, quis hic Cneus Fulvius sit. Commentum Vaillantii de triumviris mensariis paucos, ut puto, quibus placet, inveniet.

II.

COL*onia* VIC*trix* IVL*ia* LEP*tis.* Caput Romæ galeatum.

PR*ima.* P*ublio* SALPA M. FVLVIo II VIR*is.* Bos cornupeta, coloniæ symbolum.

M. Fulvius & P. Salpa qui fuerint, frustra forsan quæramus; de urbe, ubi cusus nummus, res melius succedet. Nullum dubium est, quin Leptis Africæ urbs intelligatur. Fuere autem duæ isto nomine in Africa; altera collocatur a Mela lib. I. cap. 8. juxta Adrumetum & Clupeam, altera ad Syrtin majorem, quæ distinctio a Plinio quoque servatur, qui posteriorem Magnam Leptin vocat tom. I. pag. 247. priorem vero a Tyriis conditam adserit tom. I. pag 264. ed. Hard. Vocatur Leptis colonia in nummo nostro, & quidem Julia Victrix, unde patet a Julio Cæsare deductam huc fuisse coloniam; inter urbes enim Africanas, quæ conditoris Julii nomen receperunt, enumeratur etiam Julia Leptis a Vaillantio tom. I. pag. 272. sed nummum coloniæ nullum adduxit, quod cum capite imperatoris alicujus in promtu non esset. Ad quam itaque Leptin dicemus nummum pertinere, quamve ex duabus factam fuisse a Julio coloniam? Ego quidem de priore & antiquiore accipiendam puto, de ea videlicet, quæ cum Clupea & Adrumeto a Mela recensetur, quamque Tyriorum coloniam agnoscit Plinius lib. V. cap. 19. pag. 264. *Tyrus, quondam insula, prealto mari septingentis passibus divisa, nunc vero Alexandri oppugnantis operibus continens; olim partu clara, urbibus genitis Lepti, Utica, & illa, Romani imperii æmula, terrarum orbis avida, Cathagine.* Sic & Phœnicum colonias in Africa considerat *Hipponem, Leptin aliasque urbes maritimas* Isidorus Orig. lib. XV. cap. 1. Pro argumentis mihi sunt nobilitas illa generis, a Tyriis & Phœniciis oriunda, dein ratio Geographiæ, prior enim freto Gaditano enavigantibus occurrit, propter quas rationes *prima* quoque in nummis adpellari videtur. Literas enim PR. quæ in nummis nullo puncto discernuntur, non possunt scribi PR*imi*, ut dicant primos fuisse urbis ejus duumviros hosce Fulvium & Salpam, neque PR*imo*, ut cognomen sit Fulvii. Exstant enim apud Morellium nostrum tres alii nummi, quorum primus hanc præfert inscriptionem PR. II. VIR. L. NEP. L. SVR. alter PR. QVIN. M. FVL. COTA. tertius a parte priore legit C. V. I. L. PR. II. VIR. C. BALBO L. PORCIO. id est, *Colonia Victrix Iulia Leptis* PR*ima* II VIR*is Caio* BALBO *Lucio* PORCIO. Neque enim in nostro nummo primi duumviri dici possunt Salpa & Fulvius, si in aliis idem titulus competat L. Porcio, & C. Balbo, atque L. Nepoti & L. Suræ. Ergo nummi hi cusi sunt in colonia Julia Victrici Lepti Prima. Habent vero vel caput Romæ, ut hic Morellianus, cui parem in museo nostro servamus, vel Victoriæ, vel Liviæ; unde omnes existimo tempore cusos fuisse Julii Cæsaris, vel Augusti; nam in illis ad fam. Cornel. tab. quarta num. II. Liviæ agnovimus faciem, nisi quis Veneris malit, ut ad Julii quoque tempus referatur.

III.

III.

COL*onia* VIC*trix* IVL*ia* LEP*tis.* Caput Victoriæ humeris alatis.

PR*ima.* *Quinto* VIN*icio* (ita legendum puto; intercidit, vel subintelligitur, ut num. VI. vox II VI-R*is*) *Marco* FV*lvio* COTA. Colonus agens boves.

Reddidi jam rationem, cur literas PR. ad urbem Leptin censeam pertinere, & PR*ima* easdem integre legi debere. Occurrit vero in nummis Julii Cæsaris Fam. Clouviæ Victoriæ non dissimile caput humeris alatis.

Victricem hanc coloniam Juliam Leptin adpellatam fuisse existimo, quod in bello Africano promte ad obsequia Julii parata, egregie Pompejanorum minas spreverit & retuderit; quamvis ante Cæsaris adventum coacta fuerit Scipioni & Jubæ obsequium præstare. Quæ cuncta docet Hirtius Lib. de Bello Africano. Ut primum enim teste eodem cap. VII. bellare in Africa cœpit Cæsar, atque Kal. Januariis castra ad Ruspinam posuit, *mox inde movit, & pervenit ad oppidum Leptin liberam civitatem, & immunem. Legati ex oppido veniunt obviam: libenter se omnia facturos, quæ vellet, pollicentur. Itaque, centurionibus ad portas oppidi, & custodiis impositis, ne quis miles in oppidum introiret, aut injuriam faceret cuipiam incolæ, non longe ab oppido secundum litus facit castra. Eodem naves onerariæ, & longæ nonnullæ casu advenerunt. reliquæ, ut est ei nunciatum, incertæ locorum Uticam versus petere visæ sunt.* Paullo post cap. X. *Cæsar ad III Non. Jan. castra movet: Leptique VI cohortium præsidio cum Saserna relicto, ipse rursus, unde pridie venerat, Ruspinam cum reliquis copiis convertit.* Obsidione dein Labienus Leptin cinxit, atque vi irrumpere tentavit, verum, acriter defendente urbem præsidio, spe sua frustratus est; idem cap. XXIX. *Labienus interim cum parte equitatus Leptim oppidum, cui præerat Saserna cum cohortibus III, oppugnare, ac vi irrumpere conabatur: quod a defensoribus propter egregiam munitionem oppidi, & tormentorum multitudinem, facile & sine periculo defendebatur: quod ubi ejus facere equitatus sæpius non intermittebat; & quum forte ante portam turma densa adstitisset; scorpione accuratius misso, atque eorum decurione percusso, & ad Decumanam defixo, reliqui perterriti, fuga se in castra recipiunt.' Quo facto postea sunt deterriti oppidum tentare.* Verum quidem est Cæsarem inter reliquas civitates Africæ multatas aliquam quoque pœnam ob vetus delictum Lepti irrogasse; sed tunc vel maxime pecunia illi opus erat, cum enim venisset, (ut ait Hirtius cap. XCVII.) *Uticæ, ibi bonis venditis eorum, qui sub Juba Petreioque ordines duxerant, item Thapsitanis* HS XX. *millia, conventui eorum* HS XXX. *millia, Adrumetanis* HS XXX. *conventui eorum* HS L. *millia, multæ nomine, imponit. Civitates, bonaque eorum ab omni injuria rapinisque defendit. Leptitanos, quorum superioribus annis Juba bona diripuerat, & ad senatum questi per legatos atque arbitris a senatu datis, sua receperant, tricies centenis millibus pondo olei in annos singulos multat, ideo quod initio per dissensionem principum societatem cum Juba inierant, eumque armis, militibus, pecunia juverant. Tisdritanos, propter humilitatem civitatis, certo numero frumenti multat.*

Postea tamen civitati bene de se meritæ beneficium rependit; neque enim aliam fuisse Leptin ex vicinis apud Hirtium urbibus adparet.

IV.

CN*eus* VOC*onius* S. T. F. Caput Augusti laureatum.

CN*eus* FVL*vius* *Cnei* scil. filius. Bos supra quem lunæ crescentis est figura, infra sunt literæ veteres Hispanicæ.

Ad nummos incertos & Hispanienses est ablegandus.

V.

IMP*erator* AVGVST*us* PATER PATRIAE. Caput Augusti laureatum.

MVN*icipium* *Calaguris* *Iulia* *Caio* FVL*vio* RVTILO M. *Licinio* CAPEL*la* II VIR*is.* Bos coloniæ symbolum.

Calaguris, urbs Hispaniæ Tarraconensis, plurimos nummos Augusto dicavit. Duumviri hi homines sunt ignoti.

VI.

AVGVSTVS DIVI F*ilius* PONT*ifex* MA-X*imus* PATER PATRIAE. Caput Augusti laureatum.

VRB*s* VIC*trix* OSCA SPARSO ET CELERE scilicet duumviris. Miles hastatus & galeatus feroci equo insidens, decurrit.

Osca urbs fuit Hispaniæ Tarraconensis in Ilergetibus, hodie Huesca, retenta veteri adpellatione. Victricem adpellatam credit Vaillantius lib. de Colon. p. 55. quod ejus quasi deditione victor contra Pompeji legatos Cæsar extitisset; idque hactenus verum credo, quod ad victoriam plurimum illi profuerit equitatus Oscensis, qui in hoc atque omnibus ejus urbis nummis commendatur.

Collocavit hunc nummum Morellius in gente Fulvia, quod Sparsus quorundam ejus gentis cognomen sit. Sic Fulvius Sparsus rhetor occurrit apud Senecam Suasor. XXIX. Sparso etiam cuidam ut judici scriptorum suorum scribit Plinius lib. IV. ep. 5. & lib. VIII. ep. 3. Non soli vero Fulvii illud gesserunt, nam & Sex. Domitius Sparsus aliique in Inscriptionibus occurrunt.

VII.

IMP*erator* CAESAR TI*berius* AVGVS*tus* DI-VI AVGVSTI F*ilius.* Caput Tiberii laureatum.

Municipium *Calaguris* *Iulia* *Lucio* FVL*vio* SPARSO, *Lucio* SATVRNINO II VIR*is.* Bos, coloniæ symbolum.

Quum Calaguritani cum Oscensibus fuerint contributi, juxta Cæsarem de Bello Civ. lib. I. cap. 60. nihil mirum Fulvios Sparsos modo in Oscensium inveniri nummis, modo Calaguritanorum. Hic L. Fulvius Sparsus videtur fuisse filius Sparsi, qui in præcedenti nummo occurrit.

VIII.

TI*berius* CAESAR DIVI AVG*usti* *Filius* AVGVSTVS. Caput Tiberii laureatum.

MVN*icipium* *Calaguris* *Iulia* *Caio* CELERE *Caio* RECTO II VIR*is.* Bos, coloniæ symbolum.

Et hic C. Celer filius Celeris videtur, cujus in præcedente nummo Oscensi mentio facta est.

IX.

MVN*icipium* CAL*aguris* IVL*ia.* TI*berius* CAESAR DIVI AVG*usti* *Filius* AVG*ustus.* Caput Tiberii nudum.

Caio CELERE *Caio* RECTO II VI-RI*s.* Caput bovis.

Iidem sunt duumviri. Caput bovis sacrificium denotat, quod ludis Megalensibus in coloniis, juxta Vaill. p. 102. fieri solebat.

X.

NERO CLAV*dius* CAES*ar*. Caput Neronis laureatum.

GEN*ius* COL*oniæ* COR*inthi*. *Quinto* FVL*vio* FLACCO II VIR*o*. Figura togata stans, dextra tenens pateram, læva cornucopiæ.

Corinthii in hoc nummo Neronem ut tutelarem urbis suæ Genium celebrant, & sub ejusdem habitu depingunt. Duumvir hic Q. Fulvius Flaccus fuit cum L. Annio, quocum nummos quoque in honorem Agrippinæ, Neronis matris, signavit, uti cerni potest apud Vaill. tom. I. pag. 164. 165.

XI.

OCTAVIAE NERONIS AVG*usti*. Caput Octaviæ.

GEN*ius* COL*oniæ* COR*inthi*. *Quinto* FVL*vio* FLACCO II VIR*o*. Octavia sub habitu deæ, ut Genius coloniæ Corinthi, dextra tenet pateram læva cornucopiæ.

Rarissimus hic nummulus vultum habet infelicis Octaviæ, Claudii & Messalinæ filiæ, quam, occisa matre Agrippina, & ducta Poppæa, relegavit primum Nero, deinde & occidit. Vivente adhuc Agrippina hi nummi cusi sunt.

FVNDANIA.

Fundania gens plebeja fuit. Occurrunt enim in illa C. Fundanius, ædilis plebis cum Tib. Sempronio; & M. Fundanius, ædilis plebis cum L. Villio Tappulo; & M. Fundanius, tribunus plebis coss. L. Valerio M. Catone A. V. C. DLVIII.

I.

Caput Jovis Capitolini laureatum.

Caius FVNDA*nius*, *Quæstor*. Victoria coronans tropæum, in cujus imo est lituus militaris & captivus ingeniculatus revinctis post tergum manibus.

Consentiunt antiquarii pertinere hunc quinarium ad C. Fundanium socerum M. Varronis; qui videtur quæstor fuisse P. Cornelii Scipionis Africani in bello Numantino; & prorogat aquæstura A. V. C. DCXXI. quo Numantia capta & diruta a Scipione fuit, victoriatos hosce quinarios cudisse. In iis tropæum est de Numantinis.

II.

Caput Romæ galea alata decorum; retro illud cernitur litera alphabetica R.

Caius FVNDAN*ius* *Quæstor*. Jupiter in quadrigis triumphalibus, dextra sceptrum, læva fulmen tenens, figura minor equis insidet dextra palmam gerens humeris incumbentem.

Monumentum hoc est triumphi Numantini, quem petiit & adeptus est Scipio, alterum ab Africano, atque egit A. V. C. DCXXI. Sed iste gloriam majorem Scipioni quam fisco fructum adtulit, defuerunt enim de quibus triumpharetur, & defuit, quod in triumphi pompa ostenderetur, ut docet Orosius lib. V. cap. 7. *Novissime spe desperationis in mortem omnes destinati clausam urbem ipsi introrsum succenderunt: cunctique pariter ferro, veneno, atque igne consumti sunt, Romani nihil ex his penitus habuere victis præter securitatem suam; neque enim eversa Numantia vicisse se magis Numantinos: quam evasisse dixerunt: unum Numantinum victoris catena non tenuit, unde triumphum dederit Roma non vidit. Aurum vel argentum: quod igni superesse potuisset apud pauperes non fuit. Arma & vestes ignis absumpsit.*

Jovi votum fecisse Scipionem credit Vaillantius; ideo Jovem quidem curru vehi, Scipionem victorem equis currum trahentibus insidere.

III.

ROMA forsitan legendum ex literis residuis OM. Caput Romæ galeatum ut supra.

Caius FVNDAN*ius* *Quæstor*. Jupiter in quadrigis triumphalibus ut supra, cum Scipione equis insidente.

Similis hic denarius est præcedenti præter literas a parte capitis; duo, qui sequuntur sine numero vel nota, literam H. & D. habent; unde patet H. Hispaniensem monetam non posse significare, sed tantum literam alphabeticam & matricis esse notam. Meminit C. Fundanii cujusdam, cui pecunia ex hæreditate L. Octavii Nasonis persolvenda erat, Cicero lib. I. Epist. ad Q. Fratrem, ep. II. Utrum ex ejus posteritate sit, incertum est.

FVRIA.

Furia gens Fusia primum dicta pronunciatione antiquiore, dein Fouria & Furia, ex antiquissimis fuit. Divisa in plures stirpes & familias partim patricia fuit, partim plebeja. Ex patriciis occurrunt in residuis denariis Purpureones, Crassipedes & Phili, Brocchus utrum plebejæ familiæ fuerit an patriciæ incertum est.

I.

Caput Romæ galeatum, adest denarii nota.

PVR*pureo* ROMA. Diana in bigis, cum luna crescente in capite, desuper concha Tyria est.

Quum minus recte scorpionem pro concha Tyria alii edidissent, ut Ursin. Patin. Vaillantius, Morellius docuit ratione cognominis concham Tyriam exprimi, epist. ad Periz. pag. 172. „ Male Patinus in primo Familiæ FVRIAE „ nummo FVR. reposuit pro literis PVR, ab „ Ursino ita recte datis, ac nihil aliud, quam „ initiales cognominis PVRPVREO exponen„ tibus, cujus certissimum indicium in ipso „ nummo deprehendimus, concham scilicet Ty„ riam, purpuram ex se generantem, minime „ vero scorpionem, quem insculpserunt." Respondit Periz. ibid. pag. 249. ad ista: „ Similiter „ primus *Furiæ* gentis nummus, quem itidem „ possideo, exhibet liquido ΓVR, antiqua scri„ ptura literæ P, non FVR. Cæterum supra „ currum, inter caput aurigæ & equorum, „ conspicuum est animalculum, fere rotundum, „ & multorum pedum. Vaillantius tamen eo„ dem modo, quo Patinus nummum hunc „ edidit." De animalculo vero falli Perizonium, qui spinas conchæ pedes animalculi putasse videtur, ostendit Morellius pag. 295. „ In „ primo Furiæ gentis nummo inter capita equo„ rum & aurigam non animalculum est, sed cer„ tissime conchylium, ex cujus cruore fiebat „ purpureus color, quo alluditur ad cognomen „ hujus Gentis: PVRPVREO. Conchylium „ istud alias sæpissime exhibetur in Tyriorum „ nummis, ceu patet ex Vaillantii Coloniis, u„ bi figura illius recte omnino exhibetur To„ mo I. pag. 71. „

Tempus cusi nummi ante omnia indagandum est,

ut sic melius deinde in ipsum Furium Purpureonem inquirere possimus. Cognoscitur tempus ex æreo asse, qui inf. lit. C. signatur, estque ponderis uncialis, unde statim cognoscitur, una cum hoc denario nostro cusus esse bello Punico secundo. Inde nequaquam referri potest ad Spurium Furium Purpureonem, quæstorem provincialem A. V. C. DIV. ut judicat Vaillantius. Romæ enim, non in provincia cusi sunt denarii hic & qui est positus infra lit. B. & omnino tempore belli Punici secundi, cujus initio ad unciam as Romanus redactus est; ideoque post A. V. C. DXXXV. quo cœpit bellum illud longe gravissimum, quærendus est Furius ille, qui nummos hos omnes percussit. Nullus itaque dubito, quin pertineant ad L. Furium Purpureonem, virum plane insignem, & sub Claudii Marcelli, magni imperatoris, disciplina probatum, quique summos honores adeptus egregiam patriæ navavit operam. Namque A. V. C. DLIII. coss. P. Sulpicio Galba C. Aurelio Cotta, missus cum exercitu a consule Cotta prætor ipse contra Amilcarem Pœnum & Gallos Cremonam obsidentes, egregia edita pugna, exercitum hostilem, cæso duce, delevit, unde & supplicatio per triduum habita & triumphus illi decretus est, magna C. Aurelii Cottæ consulis invidia, qui iram adversus prætorem, quod se absente pugnasset, haud clam tulit, ut notat Livius lib. XXXI. cap. 47. ubi & triumphus ejus describitur cap. XLIX. Triumphavit iterum de Gallis Boiis consul cum M. Marcello A. V. C. DLVII. Plura de eodem apud Livium & alios legi possunt.

Hic L. Furius Purpureo videtur hunc denarium cudisse in quæstura urbana, quæ provincialem ejus exiguo tempore præcessit. Ponitur vero provincialis ejus quæstura a Pighio tom. II. pag. 204. A. V. C. DXLVI. triennio enim ante tribunus militum fuerat sub Marcello consule. Quæsturam vero urbanam inter tribunatum illum & quæsturam provincialem gessit.

II.

AED*ilis* CVR*ulis*. Caput Cybeles turribus ornatum. retro illud pedis est figura; Crassipedes enim a tumore pedum ita dicti sunt.

P*ublius* FOVRIVS CRASSIPES. Sella curulis.

Furios, qui Crassipedis cognomen habuerunt, duos tantum in historia antiqua memoratos invenias, reliquos temporis injuria obliteravit. Alter horum Marci prænomen habuit, & bis prætor Galliam deinde Siciliam rexit A. V. C. DLXI. alter Ciceronis gener fuit, cui Tulliolam suam, mortuo priore marito Pisone, collocavit. Verum ejus prænomen nescitur. A quo differre videtur tertius Crassipes, cujus mentionem facit Cicero ad Att. lib. VII. ep. 1. & lib. IX. ep. 11. biennium post generi Crassipedis mortem. *Pridie autem apud me Crassipes fuerat, qui se prid. non. Martias Brundisio profectum, atque ibi Pompejum reliquisse dicebat: quod etiam, qui VIII. idus illinc profecti erant, nuntiabant. Illa vero omnes, in quibus etiam Crassipes, qui prudentia potis attendere, sermones minaces, inimicos optimatium, municipiorum hostes, meras proscriptiones, meros Sullas? quæ Lucceium loqui? quæ totam Græciam? quæ vero Theophanem: & tamen omnis spes salutis in illis est; & ego excubo animo, nec partem ullam capio quietis.*

Utrum vero nummus ad generum Ciceronis an aliquem alium pertineat, definire difficile est. Ædilem curulem fuisse constat ex inscriptione & sella curuli. Caput Cybeles ad ludos Megalesios in Matris Magnæ honorem celebratos pertinere existimat Vaillantius. Ego vero existimo cusum nummnm a tertio illo Crassipede & ædilem fuisse A. V. C. DCCVIII. quo ædiles plebis fuerunt Fannius & Critonius, quorum denarios supra vidimus.

Litera A.

Similis est præcedenti, & in eo tantum differt, quod planta pedis aliter collocetur.

III.

Marci FOVRII *Lucii Filii*. Jani caput biceps & barbatum.

PHILI. ROMA. Roma galeata & stolata, stans, læva hastam transversam gerit, dextra coronat tropæum, in cujus imo duo sunt clypei & totidem litui militares, quorum alterum male aquilam legionariam credidit esse Vaillantius.

Inter Philos ex gente Furia nullus nobis occurrit in historia, qui Marci prænomen gerit. Quærendum tamen recte existimant antiquarii in prosapia P. Furii Phili, qui A. V. C. DXXX. de Gallis Liguribus triumphavit. Hunc tres statuunt habuisse filios: Publium, qui ex Hispaniensi prætura repetundarum fuit damnatus, Cneum, & Lucium, qui prætor exstitit A. V. C. DLXXXII. & tertio post anno mortuus est. Lucii hujus filium statuunt Marcum, qui hunc denarium percussit, & in eo triumphales honores & tropæa de Gallis, quæ avus ejus statuerat, repræsentavit.

Præclara illa de Gallis victoria fuit, ita ut ex clypeis eorumdum in urbe residuis post cladem ad Cannas acceptam sex millia hominum armaverit dictator Junius. Ita enim Livius lib. XXIII. cap. 14. *Et sex millia hominum Gallicis spoliis, quæ triumpho C. Flaminii translata erant, armavit.* Triumpharant vero simul, unaque victoriam adepti fuerant Flaminius & Philus, sed Flaminii magis hac in re mentio apud scriptores, Livium, Polybium, Zonaram, Orosium, quod ejus in senatum contumacia singularis erat, ut qui contra mandata ejus & auspicia rem gesserat, & in magistratu permanserat. Unde legas apud Orosium lib. IV. cap. 13. *Eodemque anno Flaminius consul, contemtis auspiciis, quibus pugnare prohibebatur, adversum Gallos conflixit, & vicit. In quo bello novem millia Gallorum cæsa, decem & septem millia capta sunt.* Uberius rem gestam describit Plutarchus in Vita Marcelli pag. 299. *Flaminio autem & Furio coss. cum magnis copiis adversus Insubres profectis, amnis qui per Picenum labitur, sanguine fluere visus, apud Ariminum tres lunas adparuisse annunciatum est, & augures, qui comitiis consularibus auspicio observarant, vitio & inauspicato creatos consules dixerunt. Itaque statim senatus missis in castra litteris eos accivit, ut e vestigo reversi magistratu se abdicarent, priusquam aliquid pro consulari potestate adversus hostem egissent. Litteras has cum accepisset Flaminius, non prius aperuit, quam collatis signis barbaros fudit, & in agrum eorum incursionem fecit. Redeunti inde multis cum spoliis, non est obviam proditum a populo, sed quod litteris non statim obtemperasset, easque ludibrio habuisset, parum abfuit, quin triumphus negaretur: statim post triumphum abjurare consulatum cum collega, & privatus esse coactus est.*

Hinc factum credit, Vaillantius quod in denario Roma cernatur coronans tropæum, non vero Victoria, ut in aliis denariis, quod scilicet plebis & militum studio, contra optimatum volunta-

tem, triumphus consulibus decretus esset. Marcus Furius, qui signavit, quæstor urbanus eo tempore, quo signati sunt denarii, fuit, & Jani caput barbatum expressit pro more illorum temporum; nam postea etiam inberbis Janus pingi cœpit, Romanis deorum habitum ad tonsuram sui temporis reformantibus.

Addere lubet Harduini de hoc denario paradoxon. In notis ad Plinium tom. II. pag. 103. ita scripsit „ Ad hanc gentem Furiam nummus per„ tinet argenteus e Museo nostro, & apud Pati„ num, p. 117. num. III. in quo Jani bifrontis „ imago est, cum epigraphe, M. FOVRI „ L. F. Tropæum portis civitatis impositum: „ hinc aquila legionaria, unde Roma stans ga„ leata sinistra hastam gerit, sive sceptrum, „ dextra coronam imponit tropæo. Retro RO„ MA. Infra, P-ILI pro Phili. Non est hic „ Furius cognomine Philus. Certe si nomen his „ literis designaretur, *Philius* esset, non *Philus* „ ut SERGI scribi solet, pro *Sergius*, & cete„ ra similiter omnia. At hæc sententia est: *Mar„ cus Fourius Lucii Filius Philippis Legionem Impo„ suit*, præsidiariam scilicet, post prælium Phi„ lippense, A. V. C. DCCXII. „

At non adtendit Harduinus nomina propria in Romanorum denariis non semper in primo casu, sed secundo etiam efferri. Sic in Fam. Flamin. num. IV. *Cai* CONSIDI*i* NONIANI, & *Lucii* FLAMIN*ii* CHILO*nis*. Ita PHILI hic non est PHIL*Ius*, sed in generandi casu positum; plane ut mox num. IV. *Lucii* FVR*ii* CN*ei Filii* BROCCHI.

IV.

BROCCHI III VIR*i*. Caput Cereris spicis coronatum, inter spicam & frumenti granum.

Lucii FVRI*i* CN*ei Filii*. Sella curulis inter duas fasces cum securibus.

L. Furius Brocchus Cnei filius vocatur; prætorem eum fuisse ex sella curuli & fascibus additis, eodemque tempore triumvirum extraordinarium fuisse creatum ad emendas fruges, censet Vaillantius, idque spicam & frumenti granum atque Cereris caput confirmare credit. Cnei se filium vocat; Cneos vero plures tribunos plebis agnoscit cum Pighio Vaillantius. Apud Pighium enim A. V. C. DLXXII. occurrit tribunus plebis Cn. Furius Cn. F. Cn. N. Brocchus. Hujus filium fuisse Lucium hunc credit Vaillantius, & esse potuit; tribunus plebis enim & ipse legitur A. V. C. DCXVII. atque notabilem istam rogationem tulit cum collega Atilio, ut pacis Numantinæ auctores hostibus dederentur, recipiente in se noxam illam consule C. Mancino. Præturam gessit A. V. C. DCXXII. Sed ego a triumviro monetali cusum existimo, nepote L. Furii prætoris, neque enim prætores signabant pecuniam, sed præturam & ædilitatem aliosque honores majorum nepotes in denariis exprimere solebant.

Brocchi cognomen ab oris extuberantia & dentibus prominentioribus natum adfirmant, unde Lucilii versus apud Nonium ex Coleri emendatione.

Brocchus bovillanus dente adverso eminulo uno,
Hoc est rhinoceros.

Fuit ex ea gente is cujus propter adulterium pœnam recenset Valerius Maximus VI. I. 13. *Cn. etiam Furium Brocchum, qui deprehenderat, familiæ stuprandum objecit.*

Litera B.

Caput Romæ galeatum, denarii adest nota.
PVR*pureo*. ROMA. Dioscuri in equis.

Vide quæ diximus ad num. I.

Litera C.

Caput Jani geminum & barbatum cum modio in vertice.

PVR*pureo*. ROMA. Prora navis cum nota assis, quæ per lit. I. obliquam & densiorem depicta fuisse videtur. De Furio Purpereone vide quæ diximus ad num. I.

Litera D.

. . . . Epigraphe erosa est, sed, ex collatione alterius nummi ex gente Arria, videtur fuisse *Lucio* ARRIO PEREGRINO II VIR*o*. In illo enim Furius hic ponitur in parte priore vice versa. Caput Augusti senis radiatum.

Lucio FVRIO LABEONE II. VIR*o*. COR*inthus*. Templum sex columnarum, in cujus epistilio inscribitur AVGVSTVS.

Caput Augusti radiatum notat post apotheosin Augusti cusum nummum fuisse, videlicet sub Tiberio; templum præterea & divinos honores eundem apud Corinthios habuisse. Templi prospectum nummus hic & similes alii præbent. Furii Labeones in historia ignoti sunt.

Litera E.

IVLIA . . . . . supple AVGVSTA. Caput Juliæ sive Liviæ, uxoris Augusti Tiberii matris.

Lucio FVRIO LABEONE II VIR*o* COR*inthus*. Templum Augusti idem.

In gratiam Tiberii viva adhuc Livia nummos hosce cudisse videntur Corinthii eodem tempore, id sequens Tiberii nummus & iidem duumviri inscripti docent.

Litera F.

TIBERIO CAESARI. Caput Tiberii laureatum.

Lucio FVRIO *Caio* CRISPO II VIRIS COR*inthus*. Templum idem Augusti, in quibus omnibus inscriptionem AVGVSTVS poni, Vaillantius in opere de Coloniis non animadvertit.

GALLIA.

Gallia gens fuit plebeja, Luperci habuisse cognomen ex nummis colligitur.

I.

CAESER AVGVSTVS TRIBVNIC*ia* POTEST*ate*. Caput Augusti nudum.

Caius GALLIVS LVPERCVS III VIR *Auro Argento Aere Flando Feriundo*. In area *Senatus Consulto*.

Quum divideret Augustus provincias inter se & populum, auream atque argenteam quoque monetam suis triumviris signandam dedit, æreæ cura senatui relicta. Hujus posterioris generis tres moduli inveniuntur, primæ, secundæ, & tertiæ magnitudinis. Primæ plerumque civicam cum lauri ramis vel globo atque capricorno habent; secundæ civicam, vel ipsius Augusti caput; tertiæ,

tiæ, incudem cum triumvirorum nominibus. In hoc secundi moduli numismate cernitur Augusti caput; & quia senatui relicta erat imaginariæ libertatis illud signandi æris jus, literæ S. C. i. e. *Senatus Consulto* ab altera parte leguntur.

Inter illos triumviros fuit hic Cajus Gallius, qui se Caji filium in tertio nummo vocat. Inter tribunos plebis A. V. C. DCLXXII. recensetur C. Gallius Lupercus, quem quæstorem provincialem agnoscit Pighius A.V.C. DCLXXVI. Hujus nepos videtur fuisse C. Gallius Lupercus, qui hæc numismata cudit, & de avo ejusdem loqui existimo Valerium Maximum scribentem lib. VI. cap. 1. exc. 13. *Sempronius Musca C. Gallium deprehensum in adulterio flagellis cecidit.* Certe A. V. C. DCLXVI. inter tribunos plebis enumeratur A. Sempronius Musca, quod cum ætate patris hujus C. Gallii optime convenit. Avum vero Gallii nostri credit Vaillantius fuisse C. Gallium tribunum plebis A. V. C. DCLXXII. pro argumento adferens, quod A. V. C. DCCXXVII. demum Augusti nomen adsumserit Cæsar. Atque intervallum annorum plus minus sexaginta illud confirmare videtur. Enumerantur tempore Cæsaris triumviri, Q. & M. Gallii fratres, qui patrueles hujus Caji Gallii Luperci fuisse videntur. Utriusque Gallii mentionem faciunt Appianus & Suetonius. Appianus lib. III. Bell. Civ. pag. 587. *Per eosdem dies Q. Gallius, frater Marci, degentis cum Antonio, tunc urbanus prætor, a Cæsare impetravit Africam provinciam: vi usque malo dolo agere, a collegis prætura submotus est: domum ejus diripuit populus, senatus capitalem in eum protulit sententiam. Cæsar eum jussit ad fratrem abire, qui nave conscensa nusquam postea comparuit.* Quæ ultima hausta esse ex ipsius Cæsaris scriptis patet clarissime ex Suetonio in vita Aug Cap XXVII. *Q. Gallium, Prætorem, in officio salutationis tabellas duplices veste tectas tenentem, suspicatus gladium occulere, nec quidquam statim, ne aliud inveniretur, ausus inquirere, paullo post per centuriones militum raptum e tribunali servilem in modum torsit, ac fatentem nihil jussit occidi, prius oculis ejus sua manu effossis. Quem tamen scribit colloquio petito insidiatum sibi, conjectumque a se in custodiam, deinde urbe interdicta dimissum, naufragio, vel latronum insidiis periisse.* Frater Marcus Gallius sub Augusto obiit, hærede Tiberio instituto, ut refert Suetonius in Vita Tiberii Cap. VI. *Post reditum in Urbem a M. Gallio, Senatore, testamento adoptatus, hæreditate adita, mox nomine abstinuit, quod Gallius adversarum Augusto partium fuerat.* Filii fuerunt Q. Gallii, qui a M. Calidio de ambitu accusatus, a Cicerone est defensus oratione, quæ a plurimis, ut Quintiliano, Hieronymo, aliis, laudatur, sed hodie non exstat.

Luperci cognomen pluribus gentibus familiare fuit, desumtum a Lupercis sacerdotibus; agnoscuntur enim in libris & inscriptionibus Antonii, Afranii, Atilii, Calpurnii &c. Lupereiani quoque & Lupercilli.

II.

AVGVSTVS TRIBVNIC*ia* POTEST*ate.* in corona quernea, sive civica.

Caius GALLIVS LVPERCVS IIIVIR *Auro Argento Aere Flando Feriundo.* In area *Senatus Consulto.*

III.

OB CIVIS SERVATOS. Media vox in corona civica est. Hinc & inde laurei sunt rami, ut passim in Augusti nummis.

Aversa pars præcedenti similis est. Vide quæ ad Num. I. diximus.

GELLIA.

Gellia gens, utrum patricia an plebeja fuerit, non constat, equestris & consularis tamen fuit, cognomina habuit Poplicolæ & Cani.

I.

Caput Romæ galeatum cum denarii nota, in corona laurea.

CN*eus* GEL*lius.* ROMA. Quadrigæ decurrentes, quibus insistunt duæ figuræ, altera a dextris muliebris est, quam amplectitur dextra vir galea & clypeo armatus. In Ursini & Patini picturis figura illa muliebris galeam supra caput virile læva tenet, quæ quum in Vaillantiano quoque sculpta fuisset, mutata dein (ut ex nigriore colore sculpendi peritis manifestum est) fuit in coronam lauream, quum navalem voluisset ipse Vaillantius, ut ex hisce ejus verbis adparet. „ Roma coronam navalem supra ejus caput imponere videtur. „ Explicat vero denarium de Cneo Gellio Cn. Pompeji Magni in bello maritimo contra piratas legato (cui Fulvius quoque adsignaverat, & de quo Florus Lib. III. Cap. 6. *Gellius Tusco mari impositus.*) Credit vero Pompejum depingi figura illa virili clypeata & galeata; & sic judicat cusum hunc denarium A. V. C. DCLXXXVII. ab illo Cnei Pompeji legato Cneo Gellio, inque illo gloriam illam de pulsis mari piratis a Pompejo partam celebrari.

Sed neque in Morellii pictura (nummus enim ad manum non est) coronam ullam super caput galeatæ figuræ cerno, neque moris invenio in denariis duces Romanos galea & clypeo armatos ita depingi, nec denique Cnei prænomen Florus adsignat illi Gellio, qui unus e tot Pompeji Magni in isto bello legatis fuit. *Quippe cum classibus suis & socialibus Rhodiorum abundaret, pluribus legatis atque præfectis utraque Ponti & Oceani ora complexus est. Gellius Tusco mari impositus: Plotius Siculo: Gratidius Ligusticum sinum: Pompejus Gallicum obsedit: Torquatus Balearicum: Tiberius Nero Gaditanum fretum, qua primum maris nostri limen aperitur. Lentulus Libycum; Marcellinus Ægyptium; Pompeji juvenes Adriaticum; Varro Terentius Ægæum & Ponticum; Pamphylium Metellus; Asiaticum Cæpio; ipsas Propontidis fauces Porcius Cato; sic obditis navibus, quasi portam, obseravit.* Inter Gellios vero, qui Cnei habuerunt prænomen, agnoscitur Cn. Gellius, qui temporibus M. Catonis Censorii vixit, ut patet ex verbis Auli Gellii Noct. Attic. Lib. XIV. Cap. 2. *Suadeo hercle tibi, utare M. Catonis prudentissimi viri consilio: qui in oratione, quam pro L. Turio contra Cn. Gellium dixit, ita esse a majoribus memoriæ traditum observatumque ait, ut si, quod inter duos actum est, neque tabulis neque testibus planum fieri possit; tum apud judicem, qui de ea re cognosceret, &c.* Ubi paullo post ipsa Catonis verba hæc adducuntur. *Nunc si sponsionem fecisset Gellius cum Turio,* NI. VIR. MELIOR. ESSET. GELLIVS. QVAM. TVRIVS, *nemo, opinor, tam insanus esset, qui judicaret meliorem esse Gellium quam Turium; si non melior Gellius est Turio, potius oportet credi unde petitur.* Præcipue vero memoratur scriptoribus antiquis Cn. Gellius historicus, qui ante Livium annales scripsit, & nomine suo citatur ab Aulo Gellio Noct. Attic XIII. 21.

&

& XVIII. 12. landatur quoque a Cenſorino Cnei prænomine Cap. XVII. & ſæpiſſime Gellius dicitur Dionyſio Halicarnaſſeo, nonnunquam prænomine addito, quod ibi quidem nomini poſtponitur, ut in fine Libr. II. pag. 136. ubi Γέλλιος Γναῖος dicitur ſcripſiſſe unicam Numæ Pompilio fuiſſe filiam, ex qua Ancus Marcius natus eſt. Nomini vero præponit lib. eodem pag. 100. ubi de Sabinarum raptu agit, Γναῖος ἢ Γέλλιος &c. Gellium hunc cum Fabio & aliis antiquis ſcriptoribus jungit Cicero Divinat. I. 26. De Legib. I. 2. Utrum idem hic ſcriptor Annalium cum Cn. Gellio ſit, cujus hic eſt denarius, non liquet; alius certe eſt a Sexto Gellio, item hiſtoriarum ſcriptore, ſive qui edidit libellum de Origine gentis Romanæ Aurelio Victori laudatum.

Obſcurus itaque hujus denarii eſt ſenſus; ſed conjecturam meam (ut puto haud improbabilem) adferam, meliora docenti manus ſubmittam. Figura illa, quam muliebrem exiſtimant, virilis mihi videtur, & quidem togata, ex quo veſtitus genere muliebrem depingi figuram viri docti crediderunt. Hanc figuram togatam amplectitur altera armata, & ſecum eodem curru vehit. Quid aptius conjunctio hæc denotare poteſt quam finem belli Socialis? quod non ante exitum invenit, quam Italicis quoque populis jus civitatis Romanæ fuit conceſſum. Itaque hic Roma quidem, ut bellatrix Dea clypeo & galea armatur (unde & victrici lauru in anteriore denarii parte caput ejuſdem galeatum in ambitu nummi cingitur) Italia vero honorem togæ recens adepta, togata exprimitur. Idque adeo clarum facit inſpectio denarii, qui in gente Farſuleja occurrit, ut non ovum ovo poſſit eſſe ſimilius. Ibi adſcendenti Italiæ togatæ, atque ita a ſervitute (unde Libertatis ibi in anteriore parte caput) liberatæ, manum vixtrix & armata Roma porrigit, ut in bigas adſcendat. Hic una quadrigis, & eodem, quo ibi habitu, vehuntur, fuitque hæc res tam memorabilis, ut & bigatis & quadrigatis nummis exprimere voluerint Romani, atque ad poſteritatem transmittere, prout factum eſt a quæſtoribus urbanis Farſulejo & Gellio.

II.

Marcus ANT*onius* IMP*erator* AVG*ur* III VIR R*ei*P*ublicæ* *Conſtituendæ* *Lucius* GELL*ius* Q*uæſtor* *Provincialis.* Caput nudum M. Antonii triumviri, pone quod eſt præfericulum, auguratum Antonii reſpiciens.

CAESAR IMP*erator* PONT*ifex* CO*n*S*ul* IIIVIR R*ei*P*ublicæ* *Conſtituendæ.* Caput nudum Cæſaris, pone quod lituus eſt pontificatum ejus denotans.

Denarius hic in familia Gellia reponitur propter Lucium Gellium, in cujus quæſtura provinciali cuſus fuit eo tempore, quo amici inter ſe erant Antonius & Cæſar. Ipſe vero Gellius homo fuit fidei inconſtantis, & nulli eorum, quibus ſeſe adjunxerat, fidus; notarunt enim jam Urſinus & Vaillantius poſt necem Cæſaris a Bruto atque Caſſio, quibus inſidias erat machinatus, transiiſſe ad Antonium, ab Antonio ad Cæſarem, uti teſtatur Dio lib. XLVII. Plutarchus in vita Antonii aliique. Conſul jam ante diſſidium Antonii & Cæſaris fuerat cum M. Coccejo Nerva A. V. C. DCCXVIII. juxta computum Varronis. Filium fuiſſe L. Gellii Poplicolæ conſularis & cenſorii, quem in oratione pro Sextio cap. L. laudat Cicero, credit Glandorpius.

III.

ΜΕΣΣΑΛΙΝΑ ΣΕΒΑΣΤΗ ΝΕΑ ΗΡΑ. Caput Meſſalinæ, Claudii conjugis, ſpicis duabus ad pectus erumpentibus, adpellatur vero hic in inſcriptione *Meſſalina Auguſta nova Juno.*

ΓΕΛΛΙΟΣ ΡΟΥΦΟΣ ΑΝΘΥΠΑΤΟΣ. ΝΕΙΚΑΙΕΩΝ. *Gellius Rufus proconſule. Nicæenſium.* Ædificium pulcherrimum, veluti porticus, vel theatrum, quod duas columnationes ſibi invicem habet inpoſitas, ſingulas quaternarum columnarum ſerie conſtantes; in infima baſi ſuperſunt literæ . . . . ET. P. . . . . quas non animadvertit Vaillantius in pictura & recenſione hujus nummi, quem dedit inter nummos Græcos pag. 14. ubi titulo ſtupendæ raritatis exornat.

Gellius Rufus, qui in hoc nummo legitur, cognoſcitur ex eodem Bithyniæ fuiſſe rector titulo proconſulis, Nicæa enim (ubi cuſus nummus eſt) Bithyniæ urbs eſt. Bithynia autem in provinciarum diviſione ab Auguſto facta, usque ad Hadrianum, populi Romani fuit provincia, & proconſularis, una ſcilicet ex decem populi provinciis, ad quas regendas viri prætorii mittebantur, ſicuti oſtendit Spanhemius pag. 565. ed. minoris & tom. II. pag. 592. majoris, ubi quoque recenſentur ex nummis & ſcriptoribus aliquot ejus provinciæ rectores, quibus addi poteſt hic Gellius Rufus, de quo alias altum apud veteres eſt ſilentium; niſi forte is ſit, qui Membiades vocatur in epigrammate Græco, quo ſuſpenſa ejuſdem militaria dona bellicæ deæ celebrantur ab Eutolmio Illuſtrio, quodque exſtat lib. VI. Anthologiæ cap. 25.

Κνημίδας, θώρηκα, σάκος, κόρυν, ἔγχος, Ἀθήνῃ
Ῥοῦφος Μεμβιάδης Γέλλιος ἐκρέμασεν.

Ocreas, thoracem, clypeum, criſtam, haſtamque Minervæ ſuſpendit Rufus Memmiades Gellius.

Reliqua ad hunc nummum pertinentia viſuri ſumus Tom. II. inter Meſſalinæ Auguſtæ nummos.

GESSIA.

Gens Geſſia ſero innotuit, neque admodum illuſtris fuit. Occurrit Geſſius quidam in Inſcript. Antiquis apud Gruterum pag. CMXIX. num. 15. & alter cognomine Baſſianus pag. CXXII. num. 1. At Geſſius Florus, inter reliquos illuſtrior, procurator Judææ fuiſſe legitur ſub Nerone apud Tacit. lib. V. Hiſt. cap. 10. & Joſephum in libris de Antiq. p. 977. & 981. & de Bello Jud. p. 179. 181. 182. 183. 185. edit. noviſſimæ; qui quum Clazomenius fuerit, ſicuti & Geſſius ille Philopatris, cujus in ſequentibus nummis mentio fit, Græcus fuiſſe videtur. Igitur vix inter Romanas familias locum ſibi vindicare Geſſii poſſunt.

I.

ΚΛΑΥΔΙΟΝ ΣΕΒΑΣΤΟΝ ΑΓΡΙΠΠΙΝΑΝ ΣΕΒΑΣΤΗΝ. *Claudium Auguſtum & Agrippinam Auguſtam.* ſcil. *colit.* Capita adverſa Claudii imperatoris laureatum & Agrippinæ, Neronis matris, comtum.

Αὖλος ΓΕΣΣΙΟΣ ΦΙΛΟΠΑΤΡΙΣ. ΖΜΥρναίων. *Aulus Geſſius Philopatris Smyrnæorum.*, i. e. patriæ amans. Nemeſis Smyrnæorum habitu Victoriæ alatæ gradiens, dextra veſtem ad pectus adtollit, læva demiſſa caduceum alatum tenet.

Gratulati hoc nummo novas nuptias principi Claudio ſunt Smyrnæi, ideoque Claudii & Agrippinæ ſimul ſignarunt imagines. Nemeſis conſuetum hujus urbis in nummis eſt ſymbolum.

II.

II.

. . . . Capita adversa Neronis & Agrippinæ.

ΖΜΥρναίων. ΕΠΙ Αὔλου ΓΕΣΣΙΟΥ ΦΙΛΟΠΑΤ . . . . *Smyrnæorum sub Aulo Gessio Philopatri.* Homerus sedens, dextra hastam tenet divinitatis symbolum.

Patet ex hoc atque sequenti nummo Gessium istum magistratu summo in urbe Smyrna fuisse functum extremis Claudii temporibus, ut qui modo Claudium cum Agrippina, nunc vero eandem Agrippinam cum Nerone exhibeat.

III.

ΝΕΡΩΝΑ ΣΕΒΑΣΤΟΝ. *Neronem Augustum.* Caput Neronis nudum, ut in præcedenti itidem nummo, qui videtur inscriptus fuisse ΝΕΡΩΝΑ ΣΕΒΑΣΤΟΝ ΑΓΡΙΠΠΙΝΑΝ ΣΕΒΑΣΤΗΝ. *Neronem Augustum & Agrippinam Augustam.*

Αὖλος ΓΕΣΣΙΟΣ ΦΙΛΟΠΑΤΡΙΣ. ΖΜΥρναίων. *Aulus Gessius Philopatris* scilicet (quod in prioribus duobus quoque est subintelligendum) *colit. Smyrnæorum.*

Homerus sæpius in Smyrnæorum nummis exhibetur, natales enim poëtæ magno studio hæc Ioniæ civitas sibi vindicavit, delubro quoque illi, ut numini, dedicato, in quo hæc statua sedentis effigie dedicata illi fuisse videtur. Qui veteres norunt nummos sciunt Smyrnam Græce scribi per literam initialem Σ non tantum, sed & Ζ & vetus est illa injuria, quam sibi litera illa Σ. ablatam ab altera Ζ conqueri possit.

GRANIA.

Granii complures in historia Romana occurrunt, & reipublicæ tempore, & sub Cæsaribus; Tacito enim memorantur Granius Marcellus Bithyniæ prætor, Granius Marcianus Senator, & Granius Sylvanus. Temporibus Marii Q. & C. Granii una cum C. Mario apud Appianum lib. I. pulsi Italia a Sullanis dicuntur, cujus Marii privignus quoque unus ex Graniis fuisse narratur. Temporibus vero M. Drusi, violenti istius tribuni plebis, præconis Q. Granii promtitudo & dicacitas mire celebrata fuit, ut ostendit Cicero in Bruto cap. XLIII. & XLVI. Granii vero qui in sequentibus coloniarum nummis memorantur, ex posteritate fuisse videntur Graniorum Marianorum, vel generis libertini.

I.

MVN*icipium* CAL*aguris* JVLIA. AVGVSTVS. Caput Augusti laureatum.

Caio GRAN*io* BROC*cho* *Lucio* BAEB*io* PRISCO IIVIR*is*. Bos, coloniæ symbolum.

Cusus nummus est in Hispaniis; colonia, quæ cudit, est Calaguris, sita in Hispania Tarraconensi, ad Iberum amnem. Municipium vocatur, utpote quæ reipublicæ tempore jura veteris Latii acceperit, uti docet Vaill. tom. I. pag. 30. Juliæ deinde cognomen a Julio nacta est, a quo suffragii jure donata fuit. Julius vero multas in Hispaniam colonias deduxit. Granius quis fuerit, quidve gesserit, nemo facile dixerit. Hunc vero & sequentem nummum ignoravit Vaillantius.

II.

MVN*icipium* CAL*aguris* IVL*ia*. Caput Augusti nudum.

Lucio GRANIO *Caio* VALERIO IIVIR*is*. Bos, coloniæ symbolum.

Familiam Graniam potentem fuisse apud Calaguritanos docent diversi homines, qui sub Augusto ex Graniis ibi magistratum gesserunt, L. & C. Granii.

HERENNIA.

Herennia gens plebeja, sed tamen consularis fuit. C. Herennius enim, tribunus plebis, Sulla consule, Sallustio apud Gellium memoratur lib. X. cap. 20. quem partes postea Sertorianas secutum, eundem esse cum Herennio, quem in Hispaniis occidit Pompejus, existimat Glandorpius. C. Herennius alter Sexti F. itidem tribunus plebis, qui Clodium ad plebem traducere studuit, ut homo nequam traducitur a Cicerone lib. I. ad Attic. ep. 18. & 19. Ad consulatum pervenerunt M. Herennius A. V. C. DCLX. cum C. Valerio Flacco, & M. Herennius, forte M. F. A. V. C. DCCXIX. suffectus ex Kal. Novemb. atque Herennius Pollio, quem inter patronos laudat, & virum consularem adpellat Plinius Epistol. lib. IV. ep. 9.

I. II. III. *& sequentes.*

PIETAS. Caput deæ Pietatis, adest litera K. monetalis, sicuti in aliis T. D. N. O. P. V. A.

Marcus HERENNI*us*. Juvenis nudus senem magna festinatione humeris ferens. Adest in aliis litera Π vel E. G. M. T. K. P.

Typus pietatem fratrum Catanensium respicit, quod clare patere potest ex collatione nummorum, qui Catanæ cusi sunt, & exstant apud Parutam in Sicilia Numism. edit. nostræ tab. XXXI. num. 43. & 45. & tab. XXXII. num. 51. ubi similis gestus est senis dextram adtollentis, & ignes rapidos pietatemque filii mirantis. Recte itaque contra Ursinum senserunt Vaillantius ad hunc nummum, & Perizonius ad Morell. p. 286. referri typum debere ad juvenem Catanensem, non ad Æneam. Æneæ enim pietas similis depicta in nummo gentis Juliæ tab. prima num. V. longius ab hujus nummi delineatione discedit.

In Sicilia cusum numisma videtur, unde ad præturam provincialem M. Herennii prioris, qua A. V. C. DCLVI. statuit Siciliam fuisse sortitum, refert Vaillantius.

HIRTIA.

Hirtia gens plebeja fuisse creditur, nam A. Hirtius inter tribunos plebis a Fastorum conditoribus refertur.

Caius CAESAR CO*n*S*ul* TER*tium*. Caput Pietatis velatum.

Aulus HIRTIVS PR*ætor*. vel PR*æfectus*. Instrumenta pontificalia, lituus, urceus, & securis.

A Hirtius, cujus nomen aureo huic nummo inscribitur, illustrissimus in historia Romana est. Is videlicet, qui postea, consul cum collega Vibio Pansa, fraude Octaviani, in prælio contra Antonium apud Mutinam cecidit. Ciceroni & populo Romano carissimus fuit. Cæsari jam ante tam acceptus, ut Commentariis quoque ejus supremam manum imposuerit, & ab ipso ad præturam promotus sit; unde forsan literæ PR. in nummo. Forsan inquam, nam ego potius legi velim PR*æfectus*, quam PR*ætor*. Ex sex enim præfectis, quos urbi præfecisse Cæsarem scribit Dio Cassius lib. XLIII.

XLIII. quum in Hiſpanias proficiſceretur, unus fuit Clovius, qui PRAEF*ectus* inſcribitur fam. Julia IV. 22. alter hic videtur fuiſſe Hirtius, qui literis duabus tantum dicitur PR*æfectus*; tertius Plancus, qui fam. Jul. V. 1. integrius ſcribitur PRAEF*ectus* VRB*i*. & auream cudit monetam, ſicuti Clovius æream, Hirtius vero noſter itidem auream; Regulus argenteam. Ille enim quartus cognoſcitur inter præfectos urbi fam. Livineia I. 3. ubi PRAEF*ectus* VR*bi* ſcribitur. Quintus & ſextus fuiſſe videntur Ceſtius & Norbanus. Vide fam Norban. num. I.

Prætorem fuiſſe Hirtium tertio Cæſaris conſulatu, id eſt A. V. C. DCCVII. ſtatuunt; quo anno numerum prætorum auxit Cæſar, & pro octo, qui jam a Sullanis fuerant temporibus, decem conſtituit. Utrum vero hoc anno prætor urbanus an provincialis fuerit Hirtius, non concordant. Urbanum faciunt Pighius tom. III. p. 454. & Vaill. tom. I. pag. 487. provincialem mavult Urſinus p. 121. cui nummus favere videtur, neque enim vox ROMA adſcribitur, quæ paſſim in urbe cuſis adeſſe ſolet. Provinciæ vero, quas præfecti Cæſaris hoc anno obtinuerunt, hæ ſunt: Siciliam Allienus, Gallias duo Bruti, Achajam Sulpicius, Africam novam Salluſtius, Illyricum Vatinius (Syriam Baſſus ipſe contra Cæſarem occupaverat, Hiſpanias Pompeji liberi) Aſiam Cornuficius, Illyricum Vatinius. Sed non opus eſt Hirtii prætorii provinciam quærere; non enim juſſu illius, ut prætoris, cuſus eſt nummus, ſed ut Urbi una cum aliis, juxta Dionem, præfecti; quod confirmant reliquorum præfectorum Urbi denarii & nummi. Pietatem deam & inſtrumenta pontificalia depingit. Quod in Cæſaris, ut clementis victoris, laudem factum eſſe patet; inimicis omnibus enim pepercit vitamque largitus eſt, exceptis Fauſto, Sullæ filio, & Afranio, quos præter voluntatem ejus occiſos fuiſſe quidam tradiderunt.

HORATIA.

Horatia, gens patricia & vetus atque conſularis, præter notiſſimos illos fratres tergeminos, patrueles etiam fratres, ex iisdem oriundos, tulit, qui Pulvilli & Coclitis cognomen habuerunt. Et a M. Horatio Pulvillo, qui L. Bruto in conſulatu ſuffectus eſt, capitoliumque dedicavit, deſcenderunt Horatii Pulvilli, quorum conſulatus & honores a Livio aliisque memorantur. At P. Horatii Coclitis, qui in obſidione Porſennæ urbem Romam ſervavit, ſuſtinens vim hoſtium; donec pons a tergo intercideretur, haud ita numeroſa poſteritas fuiſſe legitur, vel certe parum de honoribus ejusdem conſtat.

I.

COCLES. Caput Romæ galeatum cum denarii nota.

ROMA. Dioſcuri in equis.

Inter vetuſtiſſimos Rom. reipublicæ denarios hunc eſſe numerandum brevitas inſcriptionis, ratio ſignandi, & Dioſcurorum typus oſtendunt. Fruſtra vero dubitant quidam, an jure ad Horatiam gentem referri poſſit, ut enim taceam Urſini & Vaillantii conſenſum, inepta quoque iſta dubitatio Morellio atque Perizonio viſa eſt. Quorum ille ita ſcripſit p. 208. „ Neque deſunt, „ qui binis oculis nolunt agnoſcere Coclitem, & „ concedere, eum ad gentem Horatiam pertinere, dicendo, Horatiam illam veterem „ familiam hoc cognomine inſignem, jam extinctam fuiſſe illo tempore, quo nummus „ cuſus videtur. Inquirendum ergo eſſet ulterius, an alii familiæ tribuendus. " Hic vero in hæc verba reſpondit pag. 286. „ *Cocles* „ in Nummo ab Trajano reſtituto, ad quem „ alium referri queat, aut debeat, quam ad „ Horatium illum vetuſtum, urbis Romæ „ ſervatorem, non video. Nam licet nobiliſſima hæc & patricia familia dein deſierit, „ tamen illuſtrium ex ea hominum memoriam fuiſſe in nummis repetitam, nihil a „ moribus publicis alieni habet. Nam & ſic „ Fauſtulus, T. Tatius, Numa, Ancus, Brutus, Ahala in nummis poſtea expreſſi repe- „ riuntur. Aliam certe familiam *Coclitis* cognomine inſignem ignoro.

Dolendum vero eſt inſcriptionis brevitatem parere obſcuritatem; in quæſtura vero urbana ab aliquo ex Horatiorum Coclitum ſtirpe cuſum fuiſſe denarium eſt certiſſimum.

II.

COCLES. Caput idem Romæ cum denarii nota.

ROMA. Typus idem, ſed in circuitu ſcribitur IMP*erator* CAES*ar* TRAIAN*us* AV*Guſtus* GER*manicus* DAC*icus* Pater Patriæ REST*ituit*.

Multa præclara veterum monumenta etiam in nummis reſtituta a Trajano fuiſſe notum eſt omnibus. Ne itaque nobiliſſimæ familiæ Horatiorum Coclitum intercideret memoria, ab eodem proviſum eſt.

III.

COCLES. Caput Romæ ut ſupra.

ROMA. Dioſcuri ut ſupra, verum ſub Dioſcuris caput eſt humanum, in circuitu iterum legitur, IMP*erator* CAES*ar* TRAIAN*us* AV*Guſtus* GER*manicus* DAC*icus* Pater Patriæ REST*ituit*.

Caput humanum Orientis eſſe puto, quod crebro in Trajani atque etiam Hadriani nummis viſitur; unde patet cura Trajani in reſtituendo, qui plures etiam matrices magnificentiæ ſuæ teſtes adhiberi voluit. Sed quoniam peculiari Commentariolo hunc denarium illuſtravit Patinus, isque raro ſit obvius, huic operi inſerere eundem non inutile putavi. Ita ſe habet.

ILLUSTRISSIMO

AC

REVERENDISS.

D. D. JOHANNI BRACCESIO

ABBATI ROMANO

CAROLUS PATINUS.

„ INgenui eſt animi res ut ſunt libere dicere, „ inquiebat Abderites Democritus; Quæ tibi debeo ſolvere non poſſum, quod operibus „ meis beneficia erga me tua compenſare ne- „ queo. Unum tamen poſſum, fateri ſcil. quod „ illa Tibi debeam. In urbe Orbis Regina olim „ degenti mihi, Tu Bibliothecam, cimeliarchia, Te ipſum aperuiſti, cujus me æternum „ fore memorem Te ſcire cupio. Utrique pro- „ ſpe-

„ spere eveniet, si Te hilari, ut soles, animo „ excepisse audiverim, quod de celeberrimo „ numismate nuper meo facto, amplissimo no„ mini Tuo inscribere decrevi.

„ Egregium illud eruditæ antiquitatis argu„ mentum nuper largita est ars mea medica. „ Quamprimum enim se consiliis meis libera„ tum persensit quispiam, quo vexabatur mor„ bo Indico (Neapolitanum vocant Galli, „ Gallicum Neapolitani) honorarium præ„ buit, deficientibus forte nummis recen„ tioribus, nummos aliquot veteres argenteos, „ quos in secretioribus loculis sibi servaverat. „ Ut olim me juvenem pudebat accipere, pu„ duit postea recusare. Gratum igitur oblatum „ munus suscepi, quod mihi tanto gratius ac„ cidit, quod inter cæteros nummos COCLES „ oculis meis apparuit. Similis prorsus fortuna „ GALLIENAE AVGVSTAE nummum au„ reum mihi obtulit, cui VBIQVE PAX „ erat inscripta.

„ Sed ad COCLITEM redeo. Nusquam „ proco, pulchrior amasia visa est: Illam „ non esse dubitabam quam contrectabam, „ qua fruebar, neque enim similem num„ mum unquam intueri licuerat, multo mi„ nus possidere. Ab Illustriss. Fulvio Vrsino „ inter FAMILIAS ROMANAS vulgatus „ erat, Horatiæ gentis singulare monumentum, „ cujus fidem opportune meus hic nummus li„ berat. Illum cum ceteris ex superbo Farne„ siorum Principum cimeliarchio descripserat, „ quem porro apud ipsos deesse mœrens audio. „ Petrus Seguinus Fidemiensis Abbas, amicus „ olim noster incomparabilis, νυῦ ἐν ἁγίοις, se „ omnem insumpsisse operam illi conquirendo „ frequenter ipse nobis asseruit, attamen illam „ frustra impendisse fatebatur. Mihi quidem „ magni illius thesauri fama percito, quem Pau„ lus III. Pontifex Max. immani cura & im„ pensa coëgit, illum investigare non licuit, „ etsi bis Parmam profecto, quod nondum ab„ solutum esset numismatibus disponendis mu„ sæum; lubenter tamen se hujus copiam præ„ stiturum affirmante Sereniss. Principe. Cæ„ terum Farnesianum hoc monumentum neuti„ quam id esse quod ad meas pervenit manus, „ plurima faciunt ut credam, tum diversa typi „ scalptura, meus quippe nummus ea parte præ„ cessit Fulvianum; tum extans in meo supra „ Fulvianum muliebris capitis simulacrum quod „ ad pedes equorum collocatum est.

„ Quanta raritate censendus sit celeberrimus „ hic meus nummus, ex eo intelligi potest, „ quod nemo mortalium, quantum quidem „ sciam, parem possideat: Nemo scriptorum „ præter Fulv. Vrsinum ejusdem fecerit men„ tionem. Neque puduit Illustriss. Petr. Se„ guinum, qui majorem, quam ullus unquam „ privatus, nummorum antiquorum seriem co„ piamque congesserat, hunc sibi conti„ nuo defuisse palam fateri. Hæc sunt „ ejus verba ad Illustriss. Equitem Roma„ num Franciscum Gottifredum, in SELE„ CTIS NVMISMATIBVS impressa pag. „ 203. *Sed tibi præsertim debere me profiteor se„ riem Familiarum Romanarum non ignobilem, „ quippe me impulisti ad colligendos eorum nummos, „ quos Consulares appellant multi, de quibus Ful„ vius Vrsinus tam præclare & erudite scripsit, „ ut exinde nomen æternum sibi comparaverit. Quod „ Te duce, feliciter adeo consecutus sum, ut omnium „ familiarum centum sexaginta quatuor numero, „ quas in lucem edidit, sola mihi desit* HORA„ TIA *non sine spe illam recuperandi, &c.* Ne„ que minus integritati hujus mei nummi tri„ buas, quam raritati: Præterquam quod enim „ a peritissimo artifice scalptus est, qui Pyrgo„ telem Dioscoridemque superasse videtur, nul„ lius characteris linea in eo desideratur, nulla „ circuli fissura, nullus metalli color, quem „ adulterantium fraudes irridens vetustas sola „ numismatibus conciliare solet.

„ Romæ caput nummo impressum est, qualis ab „ Athenæo & Ovidio PVLCHRA, Virgilioque „ PVLCHERRIMA visa est. Oculorum fulgore „ intuentium corda penetrat, & eadem suavissi„ ma suæ frontis serenitate reficit. Os ipsi su„ blime datum est, quo oracula sua & leges „ dignius orbi pronuntiaret, capillorum cincinnis „ miram ei gratiam conciliantibus. Quo minus „ mirandum sit, illam a Græcis utcunque victis, „ ΚΑΛΗΝ dictam fuisse. Galea porro illa est, qua „ vires suas vel tacita declaret. Bellatrix ab O„ vidio, Claudiano & Sidonio dicta est, & FE„ ROX ab Horatio: INVICTAM multi „ nummi prædicant: MARTIS VRBS cele„ bratur Martiali, & TEMPLVM BELLICO„ SI MARTIS, Plutarcho. VICTRIX ap„ paret in nummis, quæ ab Ovidio sæpe hoc „ epitheto indigitata est. Quanta hæc sunt, quæ „ galeam ejus stabiliunt, roboris symbolum, a „ quo nomen ipsi datum fuisse conjicio: Soli„ nus quippe Vrbium Reginam hanc *primum* „ VALENTIAM Latinis, & ΡΩΜΗΝ a Græ„ cis appellatam fuisse tradidit L. I. Litera X. „ retro posita pretium nummi declarat, jux„ ta illud Plinii L. XXXIII. c. 3. Argentum „ signatum est anno Vrbis CDXXCIV. *Q. O„ gulnio C. Fabio Coss. quinque annis ante primum „ bellum Punicum. Et placuit denarius pro decem „ libris æris, quinarius pro quinque, sestertius pro „ dipondio & semisse.* Notum quippe Antiqua„ riis plurimos nummos Coss. occurrere, qui„ bus decem, quinque & duas æris libras cum „ media indicari manifestum est notis his X. V. „ LLS. insignitos.

„ COCLES præcipuum est nummi orna„ mentum. *Hostium victor & fluminis*, ut scri„ bit Paul. Diacon. c. I. Illius historiam a„ bunde tradit T. Livius Lib. II. cujus par„ tem transcripserat in gente HORATIA „ nunquam satis laudandus Fulv. Vrsinus, *Pons „ sublicius iter pæne hostibus dedit, ni unus vir „ fuisset* HORATIUS COCLES *(id muni„ mentum illo die fortuna urbis Romanæ habuit) „ qui positus forte in statione pontis, cum captum „ repentino impetu Janiculum, atque inde citatos „ decurrere hostes vidisset, trepidamque turbam „ suorum arma ordinesque relinquere: reprehensans „ singulos, obsistens; obtestansque deum & homi„ num fidem testabatur, nequicquam deserto præ„ sidio eos fugere, si transitum pontem a tergo re„ liquissent, jam plus hostium in Palatio Capi„ tolioque, quam in Janiculo fore. Itaque mo„ nere, præcipere, ut pontem ferro, igni, quacun„ que vi possent, interrumpant; se impetum „ hostium quantum corpore uno posset obsisti, ex„ cepturum. Vadit inde in primum aditum pontis; „ insignisque inter conspecta cedentium pugnæ ter„ ga, obversis cominus ad ineundum prælium ar„ mis, ipso miraculo audaciæ obstupefecit hostes. „ Duos tamen cum eo pudor tenuit, Sp. Lartium „ ac T. Herminium, ambos claros genere factis„ que. Cum his primam periculi procellam, „ & quod tumultuosissimum pugnæ erat, pa„ rum-*

„ *rumper ſuſtinuit : deinde eos quoque ipſos, exigua parte pontis relicta, revocantibus, qui reſcindebant, cedere in tutum coëgit. Circumferens inde truces minaciter oculos ad proceres Etruſcorum, nunc ſingulos provocare, nunc increpare omnes, ſervitia Regum ſuperborum, ſuæ libertatis immemores, alienam oppugnatum venire. Cunctati aliquandiu ſunt, dum alius alium, ut prælium incipiant, circumſpectant; pudor deinde commovit aciem, & clamore ſublato undique in unum hoſtem tela conjiciunt : quæ cum in objecto cuncta ſcuto hæſiſſent, neque ille minus obſtinatus ingenti pontem obtineret gradu, jam impetu conabantur detrudere virum, cum ſimul fragor rupti pontis, ſimul clamor Romanorum alacritate perfecti operis ſublatus, pavore ſubito impetum ſuſtinuit. Tum* COCLES, *Tiberine pater, inquit, Te Sancte precor, hæc arma & hunc militem propitio flumine accipias. Ita hic armatus in Tiberim deſiluit, multisque ſuper incidentibus telis, incolumis ad ſuos tranavit : rem auſus plus famæ habituram ad poſteros, quam fidei. Grata erga tantam virtutem civitas fuit : ſtatua in Comitio poſita : agri quantum uno die circumaravit, datum. Privata quoque inter publicos ſtudia eminebant : Nam in magna inopia, pro domeſticis copiis unusquisque ei aliquid, fraudans ſe ipſe victu ſuo, contulit : &c.* Eadem de COCLITE narrant Dionys. Halicarnas. L. IV. Valer. Max. L. III. c. 1. & Plutarchus *in Poblicola.* Victor, *de Viris Illuſtrib.* Paulus Diac. *hiſt. Miſ.* L. I.

„ Sunt qui credant HORATIO COCLITI id nominis obtigiſſe, non quod oculum alterum bello amiſerit, ſed quod naſus ipſi ſub fronte ita depreſſus demiſſusque erat, ut nullum fere inter oculos diſcrimen exſtaret; ipſaque ſupercilia commixta invicem confuſaque fuerint. Qua corrupta loquendi conſuetudine factum eſt, ut Cyclops diceretur etiam COCLES. Ita tamen Aur. Victor, *de Viris Ill.* HORATIUS COCLES *illo fuit cognomine, quod in alio prælio oculum amiſerit.* Memoranda eſt ejus reſponſio objiciente calamitatem in pede, quam dum Hetruſcorum impetum retunderet, paſſus eſt; *per ſingulos gradus,* inquiebat, *admoneor triumphi mei.*

„ Averſus nummus equites duos ad bellum properantes refert, Caſtorem & Pollucem, Σοτῆρες, propitios Romanorum Deos, quos in candidis equis prælio Romanorum contra Latinos interfuiſſe fama tradidit, referente Floro L. I. c. XI. De iis hæc cecinit Prudentius, *in Symmachum* L. I.

„ ——— *Gemini quoque fratres*
„ *Corrupta de matre nothi, Ledeïa proles,*
„ *Nocturnique equites, celſæ duo numina Romæ.*

„ Id innuente Plinio L. VII. *cap.* 21. his verbis; *Caſtores Romani numinum fuere præſagia,* quare ſtellis inſignitos eos fuiſſe antiquitas prodidit. Caſtores caſſides in capite geſtare ſtellarum apicibus inſignes refert Apulejus *Metam.* L. X. Quarum originem ita explicat Plinius L. II. c. 36. *Stellæ geminæ ſalutares, & proſperi curſus prænunciæ, quarum adventu fugari diram illam ac minacem, appellatamque Helenam, ferunt : & ob id Caſtori & Polluci id numen aſſignant, eosque in mari invocant :* quod quidem ornare videtur D. Pauli teſtimonium Act. XVIII. vſ. 11. *Navigavimus,* inquit, *in navi Alexandrina, quæ in inſula hyemaverat, cui erat inſigne* CASTORVM. Quo nomine ſtellas, de quibus agimus, indicatas fuiſſe veriſimile eſt, nummum noſtrum illuſtrantes. *Sic fratres Helenæ lucida ſydera,* apud Horatium. Neque nummo noſtro deſunt ſpectabiles pilei, a quibus Caſtores, *pileati fratres* a Catullo dicti ſunt. Quod enim Lacones fuere, quibus pileatis militare mos fuit, id nomen ſortiti ſunt. Meminit Pauſ. *in Lacon.* Dioſcurorum templi perantiqui, in quo ipſi juvenes equis albis inſidentes ſpectabantur, a quibus forte nummi typus ductus eſt. Eos præterea genuine deſcripſiſſe videtur Pap. Statius.

„ ——— *Chlamys huic chlamys ardet & illi,*
„ *Ambo haſtile gerunt, humeros exertus uterque,*
„ *Nudus uterque genas, ſimili coma fulgurat aſtro.*

„ Cujusnam ſit caput illud humeris tenus, in ima nummi parte ad pedes equorum effictum; ut nullus, quod ſciam vidit, ſic ſcriptor nullus declaravit. Placet equidem illud eſſe Clœliæ virginis, tum hiſtoriæ COCLITIS affinitate permoto, tum maxime T. Livii, Plinii, Florique auctoritatibus meam conjecturam roborantibus. Hæc ſunt T. Livii verba L. II. *Ita honorata virtute, fæminæ quoque ad publica decora excitatæ.* CLOELIA *virgo una ex obſidibus, cum caſtra Etruſcorum, forte haud procul ripa Tiberis locata eſſent, fruſtrata cuſtodes, dux agminis virginum inter tela hoſtium Tiberim tranavit, ſoſpitesque omnes Romam ad propinquos reſtituit. Quod ubi Regi nuntiatum eſt, primo incenſus ira, oratores Romam miſit, ad* CLOELIAM *obſidem depoſcendam, alias haud magni facere : deinde in admirationem verſus, ſupra* COCLITES *Mutiosque dicere id facinus eſſe, & præ ſe ferre, quemadmodum ſi non dedatur obſes, pro rupto ſe fœdus habiturum : ſic deditam inviolatam ad ſuos remiſſurum. Vtrinque conſtitit fides, & Romani pignus pacis ex fœdere reſtituerunt, & apud regem Etruſcum non tuta ſolum, ſed honorata etiam virtus fuit, laudatamque virginem parte obſidum ſe donare dixit, ipſa quos vellet, legeret. Productis omnibus elegiſſe impuberes dicitur, quod & virginitati decorum, & conſenſu obſidum ipſorum probabile erat, eam ætatem potiſſimum liberari ab hoſte, quæ maxime opportuna injuriæ eſſet. Pace redintegrata, Romani novam in fœmina virtutem novo genere honoris, ſtatua equeſtri donavere.*

„ Plinii autem hæc ſunt *Lib.* XXXIV, *cap.* 6. *Pedeſtres ſtatuæ ſine dubio Romæ fuere in auctoritate, longo tempore. Equeſtrium tamen origo perquam vetus eſt, cum fœminis etiam honore communicato.* CLOELIAE *enim ſtatua eſt equeſtris; ſeu parum eſſet eam toga cingi, cum nec Lucretiæ nec Bruto, qui expulerant reges, propter quos* CLOELIA *inter obſides, decerneretur. Hanc primam &* HORATII COCLITIS *publice dicatam crediderim : ante ſibi ac Sibyllæ Tarquinium, & reges ſibi ipſos poſuiſſe veriſimile eſt, niſi* CLOELIAE *Piſo traderet ab his poſitam, qui una obſides fuerant, redditis a Porſena in honorem ejus.* In hoc Plinii loco, COCLITIS & CLOELIAE quis non videt conjunctionem in ſtatuis? eamque ex nummo cur non confirmaremus? Accedit & alter

„ Pli-

„ Plinii locus L. XXXIV. c. 5. *Alia causa & „ alia auctoritas major in* HORATII COCLI- „ TIS *statua, quæ durat hodieque, cum hostes a „ ponte sublicio solus arcuisset.*

„ Sic scribit Florus L. I. c. 10. *Tunc illa „ Romana prodigia atque miracula* HORATIVS, „ *Mutius*, CLOELIA : *quæ nisi in annalibus „ forent, hodie fabulæ viderentur &c.* Ita vero „ post Aurelium Victorem c. XIII. P. Diacon. „ *Misc lib.* I. *Satua ei equestris ex senatus consul- „ to data est.* Neque tamen ita certum facio, „ illud esse CLOELIAE caput, ut cæteris con- „ jecturis per me quidquam detrahatur. Tres „ alias ipse afferam, prima Libertatem profert, „ deam a Romanis, vel ab incunabulis, perdite „ amatam, cultamque. De ea sic T. Livius, „ L. II. *Non in regno populum Romanum, sed in „ libertate esse.* Revera & ore & habitu conve- „ niunt apprime, tum exiguum istud nummi „ nostri caput, tum Libertatis facies, quæ in „ pluribus antiquis occurrit; præsertim in gen- „ te IVNIA *n.* I. Alteram historia Horatiorum „ celebrat, quorum postremus Curiatiorum vi- „ ctor lugentem sororem ob sponsi sui necem, „ quasi decoris familiæ, virtutisque Romanæ „ immemorem necavit, ut fuse videre est apud „ Dion. Halic L. III. Florum L I. c. 3. Victorem „ c. 4. Hujus autem caput ideo expressum esset, „ quod gloriam familiæ Horatiæ declararet, ne- „ mini parcentis, cum de patriæ salute ageretur. „ *Ei quippe proprium est*, inquit idem Dion. Halic. „ L. II. *& patrium, ire obviam*, servitutemque „ vi audaciaque maxima declinare. Tertio sim- „ plicem esse monetariorum notam, nihil vetat, „ cujus generis multiplices in plerisque nummis „ cernuntur. Gratus esset felicior Oedipus, qui „ ob solutum ænigma gratias maximas a nobis „ reciperet, & pro Jove Inventore haberetur. „ Interim liceat CLOELIAM in exiguo typo „ & suspicere & mirari.

„ ROMA infra scripta est, quæ pro dignitatis „ suæ more, monetæ pretium & pondus sua præ- „ sentia declararet ac sponderet.

„ Circa typum inscriptio est, quæ numisma- „ tis originem explicat. IMP*erator* CAES*ar* „ TRAIAN*us* AV*Gustus* GER*manicus* DAC*icus* „ *Pater Patriæ* REST*ituit*. Horatii Coclitis mo- „ numentum illud olim nudum & simplex, seu „ absque ulla restitutionis nota ab aliquo Horatiæ „ gentis signatum fuisse, mihi nullum est du- „ bium; etsi neque illud vidisse unquam licue- „ rit, neque a quoquam visum intellexerim: „ At quot alia periisse verisimile est? hoc qui- „ dem certo cusum fuisse, ex restitutione abunde „ patet. Nummos autem plerosque, ne dicam om- „ nes, ab eodem Imperatore restitutos simpliciter „ etiam observavimus, quos ne tempus rerum „ edax posteris eriperet, Trajanus ad illustrium „ facinorum ampliandam famam, apposite & „ benigne restituit. Votis porro suis abunde sa- „ tis cavisse non videtur, cum per quindecim „ sæcula, HORATII COCLITIS honos pæne „ fuerit sepultus, utpote unico hoc, quod re- „ stitutionis memoriam servat, superstite monu- „ mento. Quidni & alia restituerit nobis ignota, „ nec nisi seris nepotibus revelanda? unus certe „ requiritur Romanus imperator, qui illustres „ viros facinoraque eximia restituat: At ille non „ deest, literarum perpetuus æstimator, & be- „ nignissimus reparator LEOPOLDVS semper „ Augustus: Is enim unus est, qui optimus im- „ perator optimi imperatoris cœpta adimplere „ queat, quique cimeliarchia nostra ditando, „ immortalem gloriam, quam ultro peperere „ eximiæ ejus virtutes, non contemnenda hac „ accessione augere queat. Cur, quæso, rario- „ ribus consulum aut imperatorum nummis ab „ ipso restitutis, hæc non apponeretur epigra- „ phe? IMP. CAES. LEOPOLDVS AVG. „ P. P. REST. Ego quidem, si eruditorum „ suffragia non desint, id aggredi, proponere, „ & a Sacra Cæsarea Majestate, qua par est sub- „ missione, efflagitare, non intermittam.

„ Superesset, ut HORATIVM illum desi- „ gnaremus, qui COCLITIS facinus honorifi- „ ce nummi commemoratione decoravit. Illum „ ignorare me lubens fateor: neque enim ullum „ ejus gentis in magistratu constitutum legisse „ memini, ab eo anno quo populus Romanus „ argento signato uti cœpit, scilicet V. C. ut „ notat Plin. CDXXCIV. spem tamen non ab- „ jeci illum, qualis fuerit, consequemdi.

„ Hanc de HORATII COCLITIS nummo „ Epistolam condigno argumento ornasse mihi vi- „ debor, si ei subjunxerim aureorum argenteo- „ rumque nummorum indicem, quos ab eodem „ optimo principe Trajano restitutos observavi.

EX AVRO.

„ DIVVS IVLIVS. Caput Julii Cæsaris „ vide *Thesaurum Patini* p. 2.

„ IMP. CAES. TRAIAN. AVG. GER. „ DAC. P. P. REST. Victoria gradiens, digi- „ tum ori admovens, caduceum dextra tenens, „ serpente ad ejus pedes se erigente. Vide *Fa- „ milias Romanas Patini* p. 313.

„ DIVVS IVLIVS Caput Julii Cæsaris.

„ IMP. CAES. TRAIAN AVG. GER. „ DAC. P. P. REST. Venus innixa co- „ lumnæ, galeam dextra, hastam sinistra „ tenens: ad cujus pedes clypeus.

„ CAESAR. DIVI F. Caput Augusti.

„ AEGYPTO CAPTA Crocodilus.

„ IMP. CAES. TRAIAN. AVG. GER. „ DAC. P. P. REST.

„ TI. CLAVD. CAES. AVG. GERM. P. M. „ TR*ib. Pot.* P. P. Caput Claudii laureatum.

„ IMP. CAES. TRAIAN. AVG. GER. „ DAC. P. P. REST.

„ *Dea Salus* dextra pateram, sinistra cor- „ nucopiæ tenens.

„ DIVVS VESPASIANVS Caput Vespa- „ siani.

„ IMP. CAES. TRAIAN AVG. GER. „ DAC. P. P. REST. sedes curulis supra „ quam fulmen. Vide *Thes. Pat.* pag. 8.

„ DIVVS VESPASIANVS. Caput Vespa- „ siani.

„ IMP. CAES. TRAIAN. AVG. GER. „ DAC. P. P. REST. Tropæum.

„ T. CAES. VESPASIANVS AVG. Ca- „ put Titi.

„ IMP. CAES TRAIAN. AVG. GER. „ DAC. P. P. REST. sedes curulis supra „ quam fulmen.

„ T. CAES. VESPASIANVS AVG. Ca- „ put Titi.

„ IMP. CAES. TRAIAN. AVG. GER. „ DAC. P. P. REST. Tropæum.

„ DIVVS NERVA AVG. Caput Nervæ.

„ IMP. CAES. TRAIAN. AVG. GER. „ DAC. P. P. REST. Manus junctæ.

„ DIVVS NERVA AVG. Caput Nervæ.

„ IMP. CAES. TRAIAN. AVG. GER.

„ DAC. P. P. REST. Thenſa a duobus ele-
„ phantis vecta, in qua vehitur Imperator.

EX ARGENTO.

„ Caput Pietatis, ut in Cæciliæ Familiæ
„ nummo. XIII.
„ Q. C. M. P. I. Elephas. IMP. CAES.
„ TRAIAN. AVG. GER. DAC. P. P.
„ REST. Vide *Theſaurum Patini*, p. 37.
„ VEST. Q. CASSIVS, ut in CASSIAE
„ fam. num. V.
„ A. C. *Templum Veſtæ :* IMP. CAES.
„ TRAIAN. AVG. GER. DAC. P. P. REST.
„ MARCELLINVS, ut in CLAVDIAE
„ fam. num. I. & CORNELIAE num. XX.
„ MARCELLVS COS. QVINQ. Imp.
„ deferens opima ſpolia ad templum Jovis.
„ IMP. CAES. TRAIAN. AVG. GER.
„ DAC. P. P. REST.
„ AVGVSTVS. Vide Theſaurum Patini.
„ p. 37.
„ COSSVS LENTVLVS.
„ Figura equeſtris. IMP. CAES. TRAIAN.
„ AVG. GER. DAC. P. P. REST.
„ AVGVST. COS. XI. ut in CORNE-
„ LIAE fam. num. XLII. & VIPSANIAE
„ num. VIII.
„ M. AGRIPPA COS. TER. COSSVS
„ LENTVLVS. Caput Agrippæ roſtrata co-
„ rona ornatum. IMP. CAES. TRAIAN.
„ AVG. GER. DAC. P. P. REST.
„ Caput Cereris, ut in CORNVFICIAE
„ fam. num. III.
„ Q. CORNVFICI. AVGVR. IMP. Ju-
„ no Soſpita coronans augurem Cornuficium.
„ IMP. CAES. TRAIAN. AVG. GER.
„ DAC. P. P. REST.
„ COCLES. Caput Romæ, in HORA-
„ TIA familia.
„ ROMA. Caſtor & Pollux equites, ad
„ quorum pedes caput muliebre, forte Clœ-
„ liæ. IMP. CAES. TRAIAN. GER. DAC.
„ P. P. REST.
„ Veneris Caput ; ut in IVLIAE fam.
„ num. V.
„ CAESAR. Aeneas Anchiſem gerens. IMP.
„ CAES. TRAIAN. AVG. GER. DAC.
„ P. P. REST.
„ LIBERTAS. Caput Deæ, ut in IV-
„ NIAE-fam. num. II.
„ BRVTVS. Conſul gradiens cum tribus
„ lectoribus. IMP. CAES. TRAIAN. AVG.
„ GER. DAC. P. P. REST.
„ Caput ſolis ; ut in LVCRETIAE fam.
„ num. III.
„ L. LVCRETI. TRIO. Septem ſtellæ
„ circum Lunam. IMP. CAES. TRAIAN.
„ AVG. GER. DAC. P. P. REST.
„ Caput Mercurii, ut in MAMILIAE fam.
„ num. III.
„ C. MAMIL. LIMETAN. Vlyſſes. IMP.
„ CAES. TRAIAN. AVG. GER. DAC. P.
„ P. REST.
„ C. MEMMIVS C. F. QVIRINVS ; ut
„ in MEMMIAE fam. num. I.
„ MEMMIVS AED. CERIALIA PREI-
„ MVS FECIT. Ceres ſedens. IMP. CAES.
„ TRAIAN. AVG. GER. DAC. P. P.
„ REST.
„ DOSSEN ; ut in RVBRIAE fam.
„ num. II.
„ L. RVBRI. Thenſa. IMP. CAES.
„ TRAIAN. AVG. GER. DAC. P. P.
„ REST.
„ DOS. ut in RVBRIAE Fam. num. V.
„ L. RVBRI. Thenſa, ut in fam. Rom. pag.
„ 314. IMP. CAES. TRAIAN. AVG. GER.
„ DAC. P. P. REST.
„ ACISCVLVS. Caput Solis ; ut in VA-
„ LERIAE fam. num. V.
„ L. VALERIVS: Luna in biga. IMP.
„ CAES. TRAIAN. AVG. GER. DAC. P. P.
„ REST.
„ IMP. GALBA. Caput Galbæ Imp.
„ LIBERTAS, ſtans pileum dextra tenens.
„ IMP. CÆS. TRAIAN. AVG. GER. DAC.
„ P. P. REST.
„ Hæc mihi academicis medicisque operibus
„ occupatiſſimo ſcribere vix licuit, quibus veterem
„ meam obſervantiam perennisque obſequii teſ-
„ ſeram palam facerem. Neque enim mihi æquum
„ viſum eſt, altori quam tibi Romano fortiſſimo,
„ fortiſſimi Romani HORATII COCLITIS
„ nummum inſcribere : Ea itaque quantulacun-
„ que ſint boni conſules, etiam atque etiam
„ rogo.
„ E Muſæo noſtro Patavino, ipſo Quirinalium
„ die, ſeu *ſtultorum feſto*, quem larvati perſona-
„ tique homines etiamnum celebrant, quique
„ Kal. Mart. duodecimus eſt, MDCLXXVIII.

IV.

HORATIVS. Caput Horatii Poëtæ.
ALSAN. Vir equum capiſtro ducens, equus palma in vertice capitis exornatur.

Nihil ad Familias Romanas nummus hic facit ; eſt enim ex genere Contorniatorum, qui temporibus Conſtantinorum & poſtea cuſi ſunt, omnesque ad circi ſpectant ludicra certamina, quibus ad inſaniam usque & principes illi & populus dediti fuerunt. Videntur tamen conſervaſſe vultus virorum in literis, ſicuti aliorum in bellis clarorum, quos paſſim e bibliothecis petere in promtu erat. Sed ars ſculpturæ tum multum degeneraverat.

HOSIDIA.

Hoſidiæ gentis, incertum patriciæ an plebejæ, mentionem Appianus, Dio Caſſius, Tertullianus & Inſcriptiones Antiquæ faciunt. Sub Claudio imperatore unus ex illa gente triumphalia inſignia promeruiſſe legitur. Cognomen Getæ habuit.

I.

GETA III VIR. Caput Dianæ cum pharetra & arcu ad humeros.
Caius HOSIDI*us Cai Filius*. Aper telo transfixus adcurrente cane.

Hic Hoſidius filius iſtius Getæ fuiſſe videtur, quem proſcriptum a triumviris teſtatur Appianus ſervatum a filio fuiſſe, qui patri funus tanquam mortuo paraverat. Habuiſſe etiam puto cognominem filium Cajum Hoſidium Getam, quem teſtatur Dio triumphalia ornamenta ſub Claudio imperatore meruiſſe.

Cudit hosce denarios ut triumvir Cæſaris Auguſti, in quibus recte videtur Vaillantius agnoſcere venationes celebratas natalibus Auguſti A. V. C. DCXXXIV. ſive, ut alii numerant, DCXXXV. atque ob typorum in denariis ſimilitudinem concludit idem recte eodem anno mino-
rem

rem hunc magistratum gessisse cum Durmio; in cujus denariis quum ostenderimus Aquillium quoque eodem tempore honore isto functum fuisse, habemus tres ejusdem anni triumviros monetales, ex denariis suis dignoscendos, Aquillium, Durmium, & Hosidium.

II.

GETA IIIVIR. Caput simile Dianæ, sed quod ornatu differt.

Caius HOSIDI*us Cai Filius.* Typus similis.

Pictura tantum descrepat; novi aliàs nihil in hoc nummo occurrit.

HOSTILIA.

Gens Hostilia, utpote ex Hostiliis antiquis, cognatione regem Romanorum tertium Tullum Hostilium adtingens, clarissima in republica fuit & consularis. Tulli enim regis avus fuit Hostus Hostilius, inclytæ virtutis vir, parentes Hostus & Hersilia. Divisa hæc gens fuit in cognomina Catonum, Mancinorum, Sasernarum & Tubulorum. Sasernæ soli & Tubuli in nummis inveniuntur. Mancinos ex plebe fuisse docet C. Hostilius Mancinus tribunus plebis A. V. C. DCVII. de reliquis non constat.

I.

Caput dei Pavoris arrectis præ horrore comis, atque omnibus faciei lineamentis ad pavorem compositis; retro clypeus cernitur.

Lucius HOSTILIVS SASERN*a.* Bigæ, quas auriga moderatur, dextra tenens habenas, læva scuticam adtollens. In ipsis bigis stat figura læva tenens clypeum, dextra hastam vel jaculum, ut vim instantium propulsaturus, stat enim aversus ab auriga, ut fugere eundem cum equis adpareat. In hujus denarii delineatione bis a Morellio, vel cœlatore ejus, peccatum est; pro scutica enim vel flagro facem gestare videtur auriga, & collum dei Pavoris monile perperam ambit in parte priore, quod abesse, & pro eo non advertisse pictorem laciniam vestis ad collum, clarissime meus optime servatus, aliique, quos inspexi, demonstrant.

Quoniam Hostilii genus suum referebant ad regem Tullum Hostilium, vel certe ejusdem gentis cum illo sese jactarent; hinc nihil mirum si ferocissimi istius bellatoris gesta in hisce denariis celebrentur, ut recte omnes agnoverunt antiquarii. Hinc denariorum typum mire illustrat Livius, qui narrat Lib. I. Cap. 7. regem Tullum, commisso inter Romanos & Vejentes prælio, ubi nunciatum est Albanos descicere; & pallere & pavere Romanos ob eam rem videret, in re trepida templum Pavori & Pallori vovisse. Quibus idem Pallorios & Pavorios Salios postea instituisse legitur. Quos deos *novos* vocat Augustinus, & cum Febri conjungit Lib. IV. Cap. 15. De Civitate Dei, & alibi: *Hostilius certe rex deos & ipse novos, Pavorem atque Pallorem propitiandos non introduceret, si felicitatem deum nosceret & coleret:* Alibi *somnia Tulli Hostilii* & *teterrimos hominum adfectus*, ut Lib. VI. cap. 10. Imagines itaque eorumdem rex in templis & quidem has ipsas dedicavit, *figurasse* enim deos istos dicitur Lactantio Lib. I. cap. 20. *Pavorem, Palloremque Tullus Hostilius figuravit, & coluit. Quid de hoc dicam? nisi dignum fuisse, qui semper deos suos, sicut optari solet, præsentes haberet.*

Scutum, sive clypeus, ad caput Pavoris ponitur, sicuti lituus (non baculus cum capite asinino, utrumque respectu armorum Leptitanorum, ut putavit Vaillantius) ad caput Palloris, quod primi in acie perstringi oculi soleant, & pavor inde oriri, sicuti ex auditu sæpissime pallor; unde animi istos adfectus ex utroque in timido orientes egregie descripsit Virgil. sub Anchisæ persona lib. II. Æn. versu 730.

> - - - - *Subito quum creber ad aures*
> *Visus adesse pedum sonitus: genitorque per umbram*
> *Prospiciens, Nate, exclamat, fuge nate: propinquant,*
> *Ardentes clypeos atque æra micantia cerno.*

Hinc Pavor deus clypeum retro caput habet, Pallor vero lituum militarem, ad cujus stridorem pallere paventes & timidi solent.

Ab altera primi hujus denarii parte auriga citus bigas inpellit, tanquam festinans effugere. Insistit vero vir armatus clypeo & hasta propulsaturus proxime accedentes. Hujus picturæ tres invenio explicationes, quarum quum nulla mihi satisfaciat, & ipse quartam subjungam. Vaillantius tom. I. p. 497. stantem figuram regem ipsum interpretatur, armatum, qui in hostes telum vibraturus depingitur, tamquam victor in curru. Adjicit deinde conjecturam amici, qui credidit jaculantem hunc virum Horatium esse, unum ex trigeminis, regem vero Hostilium in curru sedentem exhiberi. Begerus tom. II. p. 557. inter fugæ metum pugnantem agnoscit, & ideo Martis retro pugnantis bigas cerni. At quomodo inter fugæ metum pugnans depingatur hic rex Tullus? vel rex sedeat ad habenas, Horatius, miles privatus ex curru pugnabit? denique quomodo de ipso Tullo rege ex curru pugnante, cum Vaillantio, capi typus potest? Fugientis bigæ omnino habitus est, ideo flagello equos incitat auriga, insistens pugnator terga vertit ad aurigam, frontem ad hostes, quibus premi illum necesse est, ut ab illis armis se defendat, tutamque sibi fugæ viam præstet. At vero si Tullus rex pugnans depingeretur, ad aurigam facies versa fuisset, ut sic directa fronte in hostes irrueret. Neque dici potest depingi Tullum pugnantem inter fugæ metum, quum nullum metum in eo agnoscant Livius & Dionys. Halicarn. sed præsentem animum & consilium intrepide & opportune sumtum ad hostes (ut fecit) feliciter opprimendos. Sed neque Martis retro pugnantis bigas, ut commentitias, agnosco, verum simpliciter fugam hostium exprimi, in qua, dum pavent, necesse est, ut equos ad fugam inpellant, armis salutem suam, etiam fugientes, tueantur.

Hunc vero denarium, & sequentes tres, signavit Lucius Hostilius Saserna, qui (ut in eo conveniunt antiquarii) vixit temporibus Julii Cæsaris, & una cum fratre partibus ejus in bello civili adhæsit. Mentio enim utriusque fit apud Hirtium lib. de Bello Afric. cap. X. *Itaque, relicto ibi* (scil. Ruspinæ) *P. Saserna, fratre ejus, quem Lepti proximo oppido reliquerat cum legione, jubet comportari ligna in oppidum complurima.* Sic ex Cæsare prænomen fratris Sasernæ discimus, at ex nummis hisce prænomen ejus quoque Sasernæ, qui Lepti præfuit, ut & nomen gentis, ex qua fuerunt Hostilii. Sasernam enim alterum fratrem, narrat Hirtius cap. XXIX. acri obsidione, sed frustra, pressum a

Labie-

Labieno fuisse. *Labienus interim cum parte equitatus Leptin oppidum, cui præerat Saserna cum cohortibus* III. *oppugnare, ac vi irrumpere conabatur.* Unde, sicuti Considius, dux partium Scipionis, Adrumeti signavit denarios, quos in Considia gente vidimus, ita Lepti hosce signavit, dux partium Cæsaris, Saserna, ut recte auguratur Vaillantius. Superstites iidem Sasernæ Cæsari fuerunt, & Antonii partibus adhæserunt, unde inter Antonianos senatores enumerat contemtim Cicero Philipp. XIII. cap. 13. *Est quidem alter Saserna; sed omnes tamen tantam habent similitudinem inter se, ut in eorum prænominibus errem.* De quo eodem forte dicit ad Att. XV. 2. *Saserna, collega dignus.* Fratres autem hi L. & P. Sasernæ videntur fuisse ex posteritate nobilissimorum de agricultura scriptorum Sasernarum, patris & filii, qui Varroni & Columellæ memorantur, & quorum insuper ætatem indigitat Plinius lib. XVII. cap. 23. *Sequitur arbusti ratio, mirum in modum damnata Sasernæ patri filioque, celebrata Scrofæ, vetustissimis post Catonem, peritissimisque.* Ex iis Scrofa Sasernis posterior fuit, eundem enim, ut suis viventem temporibus, & ejusdem secum studii, colloquentem adhibet Varro, atque Sasernarum, ut qui ante se fuerant, mentionem idem Varro coram eo injicit de R. R. lib. I. cap. 2. *Scrofa, Disjungamus igitur, inquit, pastionem a cultura, & siquis quid vult aliud. Anne ego, inquam, sequar Sasernarum patris & filii libros?* Sasernæ vero unius ex illis Columella meminit lib. I. cap. 1. *Idque etiam non spernendus auctor rei rusticæ Saserna videtur adcredidisse. Nam eo libro, quem de agricultura scriptum reliquit, mutatum cœli statum sic colligit* &c.

II.

Caput dei Palloris; retro illud est lituus militaris.

Lucius HOSTILIVS SASERNA. Diana peculiari ritu vestita, dextra cervam cornibus tenet, læva sceptrum vel longum venabulum.

Lepti cusus hic a Saserna denarius videtur habere aliquid Leptitanis peculiare; numen videlicet Dianæ, prout ibi colebatur. Cernitur capite radiato, dextra tenens cervam cornibus, læva sceptrum, sive venabulum. Quod quidem cervæ symbolum ad Palloris Pavorisque, deorum, effecta referri potest, sed melius ad Dianam venatricem revocatur, ut quæ crebro cum cervis pingi solet. Sed illud notandum puto, in meis, quos servo, denariis non effingi inferiorem deæ partem ita, ut, Ursinum secutus aliosque, fecit Morellius, femoribus & pedibus nempe tibiarum surarumque figuram quasi braccatarum referentibus, sed ita, ut a parte ubi femorum initium poni solet, sensim uno trunco ad pedes usque decrescat figura, in metæ inversæ formam, quæ, tanquam ex taxo arbore tenues utrimque fibras clare repræsentat, adeoque ab inferiori parte plane hermæ figuram refert.

III.

Caput Veneris coronatum, sed utrum myrtus an laurea sit dignoscere nequeo; imo fasciam gemmis seu margaritis distinctam pingi debuisse verisimile sit ex iis, quæ adferemus ad fam. Jul. tab. quinta num. IV.

Lucius HOSTILIVS SASERNA. Victoria gradiens, læva caduceum fert, dextra longum palmæ ramum tenet super humeros ubi in quatuor ramusculos dispergitur. Ursinus, Vaillantius, & Begerus tropæum pro palmæ ramusculis depingunt, sed ipse denarius (ut litem dijudicem) mihi ad manus non est.

De victoria regis Tulli Hostilii Ursinus & Begerus capiunt, & de pace Fidenatibus data caduceum explicant. Sed melius ad Cæsarem & ejus in Africa res referre videtur Vaillantius, utpote ad quem Cæsarem, Veneris ex Julo progeniem, sine dubio Veneris caput spectat. „ Victoria (inquit) caduceum; felicitatis symbolum, Cæsaris felicitatem denotans, & illa tropæum gerens, ad illud jamjam de adversariis & hostibus erigendum." Verum non futura sed facta jam in hoc denario designari mihi videntur. Quum nempe Scipione, Juba, Catone superato debellasset in Africa Pompejanæ cladis reliquias Cæsar, idem Saserna, qui duos præcedentes denarios cudit, hunc quoque signavit, ut clementiam simul & victorias Cæsaris indicaret, clementiam per pacis symbolum caduceum, omnibus enim inimicis, quantum in se fuit, clementer ignovit; victoriæ vero ejus quum aliæ ex aliis fuerint propagatæ, non mirum si in plures ramusculos dispergatur ingens palmæ ramus, quem super humeros Victoria attollit.

IV.

SASERNA. Bustum dei Palloris, manu dextra ad mentum supposita, qui cogitabundi ritus est; retro lituus militaris conspicitur.

Lucius HOSTIL*ius*. Literæ postremæ TIL. in monogrammate exprimuntur. Septa cum cancellis, pontem transeunt tres figuræ togatæ, quibus male longior coma tanquam muliebris adpicta est, sunt enim cives Romani, qui togati ponticulum in septis transeunt ad suffragia ferenda.

Septa hic & pontem atque cancellos depingi patet ex collatione denariorum, qui occurrunt in gente Licinia tab. prima num. VIII. & Mussidia tab. prima num. II. & seqq. licet pro ratione temporis vel instituti aliquantum varient. In hoc vero denario, sicuti Palloris caput ad relatam modo Tulli regis de Fidenatibus victoriam spectat; sic novus hic typus respicit modum, quo rex factus est. Quem egregie describit Dionystius Halicarnass. in initio lib. III. Τύλλος Ὁστίλλιος ἀνὴρ δικαστήριος, ὃς ἀπεδείχθη βασιλεὺς ψήφῳ τε πολιτικῇ διενεχθείσῃ περὶ αὐτοῦ κατὰ νόμους. *Tullus Hostilius, vir industrius, qui tum rex legitimo civitatis suffragio declaratus est.* Regum enim primus Romulus, cæso fratre Remo, per vim regnavit; secundus, Numa Pompilius patrum decreto (ut notat idem Halicarn. lib. II. p. 120.) ad regnandum accitus est. Tertius vero, Tullus Hostilius per universi populi suffragia ad regnum pervenit, unde plebem quoque egregie juvit, diviso inter egenos agro magno & ubere, quem jam a Romulo sibi exceperant reges ex manubiis, ut ex ejus proventu deos colerent & regii nominis splendorem augerent; verum Tullus permisit dividi viritim inter Romanos inopes, professus patrimonium sibi sufficere in sacrificia sumtusque domesticos, ut tradit idem Dionys. Halicarn. lib. III. pag. 137. Regnum itaque Tullus justissimo more est auspicatus, per suffragia populi electus, & fortissime gessit; hostibus formidandus, ut deorum munere victor, suis colendus, ut æquus & justi tenax. Quæ cuncta hisce typis exprimi existimo.

V.

Caput Romæ galeatum.

Lucius Hostilius TVB*ero*, in laurea, inferius legitur ROMA.

Primus

Primus denarium hunc edidit Patinus, sed ad gentem Heliam pertinere credidit, inque ea collocavit pag. 120. quod perperam ab eo factum fuisse docuit Perizon. Differt. III. p. 220. & pertinere ad L. Hostilium Tubulum; cujus conjecturam laudant Spanhem. de Usu & Præst. Num. tom. II. p. 17. & Morell. de Nummo Consular. p. 136. & 163. ubi dignam hanc correctionem acutissimo clarissimi viri ingenio pronunciat. At ipse Perizonius ibid. ad Morell. p. 235. scribens, accusat Vaillantii dissimulationem; inque eo (ut sæpe alii) candorem desiderat. „ Nummum (inquit) sequentem, inscriptum „ L. H. TVB. Patinus edidit primus, & quia „ non intelligebat, magno errore legit L. *Helius Tubero*, atque ita retulit ad gentem *Heliam*, quæ nulla fuit, nisi quod in corruptissimis codicum exemplaribus & editionibus „ sæpe *Helius* occurrat positum pro *Ælius*, quæ „ familia est notissima & Tuberonis cognomen „ habuit. At hoc agnitum est jam dudum ab „ omnibus eruditis, & in melioribus edd. emendatum. Ostendi ergo multis rationibus ex „ historia & solitis antiquissimorum nummorum titulis, pertinere eum ad gentem Hostiliam, cui *Tubulus* fuit cognomen. Vide me „ hæc pluribus demonstrantem in Dissertationum Triade pag. 222. Res enim est satis certa. Arripuit ergo hanc expositionem Vaillantius, & ad gentem Hostiliam istum quoque refert nummum, sed solito suæ elegantiæ more, quasi furtim huic genti ultimo loco, quum nummus sit antiquissimus & antiquissimi hominis, adjicit; & solum sine ulla „ interpretatione prætermittit, ne scil. eum, „ unde didicerat ad istam gentem illum pertinere, sequi videretur, aut nominare cogeretur. Licet ceteroqui, quando dissentit etiam „ in rebus levissimis, illam Dissertationum Triada vel ejus Auctorem nominatim refutare non „ dedignetur. Quam alienum autem id a genuina & vera sit elegantia, lectorum judicio „ lubens permiserim." Pertinet itaque quinarius hic ad L. Hostilium Tubulum illum, qui quum A. V. C. DCXI. coss. L. Metello Q. Maximo, ut prætor quæstionem inter sicarios exerceret, tam aperte pecuniis se corrumpi passus est, ut in judicium postea vocatus, statim in exilium abierit, & ab exilio ob scelera arcessitus, ne in carcere moreretur, venenum biberit. Signatus vero videtur denarius hic in quæstura ejusdem urbana, quam ante præturam justo tempore & ordine gessit.

I T I A.

Gens Itia plane ignota est, nisi (ut multi volunt) Iccii perperam vocentur, qui Itii scribendi sunt. M. Iccius nominatur Ciceroni Orat. III. Philipp. cap. X. & C. Iccius Plinio Nat. Hist. lib. I. & lib. XXXVI. Amicus quoque ille Horatii, ad quem scripsit, lib. I. od. 29. Iccius dictus fuit. Qui vero olim Itii, postea Ittii, & denique Iccii, adpellari potuerunt.

I.

Caput Romæ cum denarii nota.

Lucius IT*Ius*. ROMA. Dioscuri in equis.

Typi hujus simplicitas docet antiquis jam reip. temporibus hunc denarium fuisse cusum, quæstore urbano Lucio Itio. Cujus, præterquam in hoc denario, nusquam aliqua mentio occurrit.

I V L I A.

Gens Julia, illustrissima, ut ab Iulo, Æneæ filio, originem trahens, inter patricios majorum gentium fuit. In denariis occurrunt familiæ Cæsarum & Bursionum. Fuere & plebeji, Libones dicti; Bursiones, utrum patricii an plebeji fuerint, non constat.

I.

Caput Romæ galeatum cum denarii & anchoræ nota.

SEX*tus* IVLI*us* CAISAR. Roma in bigis, utraque manu habenas tenet; adstat a tergo Victoria illam coronans.

Goltzius, qui primus nummum edidit, pro Roma virilem exhibere figuram videtur in Fastis suis pag. 136. ad A. V. C. DXCVI. quo anno consul cum L. Aurelio Oreste fuit Sextus Julius Cæsar, cui hunc denarium adjudicat. Eidem adscribit Vaillantius, verum credidit exhiberi in bigis Venerem a Cupidine retro stante coronatam. Ursinus figuram exhibet muliebrem, Romam scilicet, bigis insistentem, quæ dextra manu corollam teneat, læva equorum habenas. Adstat eidem a tergo Victoria non tantum corollam supra Romæ caput protendens, verum humeris quoque impositum palmæ ramum gerens. Refert is ad illum Sextum Julium Cæsarem, qui consul fuit cum L. Marcio Philippo A. V. C. DCLXII. sive, ut ibi juxta Livium scribitur, DCLX. adeoque paullo ante bellum sociale.

Quum plurimi inter Cæsares Sexti prænomen habuerint, difficile est definire ad quem Sextum pertineat hic denarius. Ad A. V. C. DLXXXIII. refert Vaillantius pag. 500. quo scilicet cusum suspicatur a Sexto Cæsare quæstore, quum consuli A. Hostilio Mancino bellum contra Macedoniæ regem Perseum obvenisset, & cusos esse denarios ad impendia classis, quod scilicet docere videtur adposita ad caput anchora. Verum Sextus Cæsar eo tempore fuit quæstor provincialis non vero quæstor urbanus, ut videre est apud Pighium tom. II. pag. 371. a quæstore urbano autem signatum denarium esse docet adposita vox ROMA. Anchora quoque non semper maritimam denotat expeditionem, quum sæpius officinæ nota sit; denique victioriam aliquam navalem & anchora & Romæ in bigis habitus designare videtur; at Mancini consulis res eo tempore in Macedonia gestæ tam fuere modicæ, ut ignominiam nominis Romani veriti patres, legatos ad res inspiciendas in Macedoniam miserint, & Mancinum ocius in urbem ad comitia revocaverint.

Verum si ad expeditionem navalem (ut potest) referri debeat anchora, certum tamen est, victoriam aliquam esse relatam eo anno, quo Sextus Cæsar quidam quæstor urbanus fuit; coronatur enim Roma a Victoria, neque simpliciter vel illa in bigis, vel in iisdem dea Victoria (ut alias) sola cernitur. Invenitur vero inter quæstores urbanos Sextus Julius Cæsar Sex. F. Sex. N. A. V. C. DCXXII. quo in Sicilia debellatum est, & bello fugitivorum tandem non sine magna Siciliæ & totius Italiæ clade suprema manus inposita est. Ad illum igitur & victoriam Siculam pertinere denarius potest, quamvis propter tot Sextos certi quid adfirmari secure non possit.

Idem Sextus prætor urbanus factus eſt A. V. C. DCXXX. coſſ. T. Flaminio Q. Metello, uti docet Cicero Pro Domo cap. LIII. *Quid, cum Licinia virgo Veſtalis, ſummo loco nata, ſanctiſſimo ſacerdotio prædita, T. Flaminino, Q. Metello*, COSS. *aram, & ædiculam, & pulvinar, ſub ſaxo ſacro dedicaſſet, non eam rem ex auctoritate ſenatus ad hoc collegium Sex. Julius prætor retulit? cum P. Scævula, pontif. Max. pro collegio reſpondit, quod in loco publico Licinia*, C. F. *injuſſu populi dedicaſſet, ſacrum non videri eſſe. Quam quidem rem quanta ſeveritate, quantaque diligentia ſenatus ſuſtulerit, ex ipſo* S. C. *facile cognoſcetis. Recita* S. C. SENATVS CONSVLTVM. *Videtisne, prætori urbano negotium &c. Caiſar* pro *Cæſar* more antiquo ſcribitur, ut *Aimilius* pro *Æmilius* & ſimilia.

II.

Caput Romæ galeatum, retro quod nota numeralis XVI. eſt.

Lucius IVLI*us*. ROMA. Dioſcuri in equis.

Quum in principio denarius decem aſſes valeret, bello Punico ſecundo auctum ejus pretium eſt. *Poſtea*, dicit Plinius lib. XXXIII. cap. 3. *Hannibale urgente, Q. Fabio Maximo dictatore, aſſes unciales facti: placuitque denarium ſedecim aſſibus permutari, quinarium octonis.* Hinc pro nota denarii X. quæ paſſim cernitur, nota ſedecim aſſium XVI. in quibusdam denariis obſervatur, ut in hoc Juliæ gentis, primo gentis Titiniæ, primoque tab. II. gentis Valeriæ, quin & quinarium vidiſſe ſe teſtatur Anton. Auguſtin. Dialogo I. nota VIII. inſignitum, quum alias litera numeralis V. ſolita quinariorum nota ſit, uti cerni poteſt ex Incertis tab. IV. litt. D. E. F. Manſit auctum ita denario pretium; unde, qui ſub Antonino Pio vixit Voluſius Mæcianus, p. 877. *Denariis primo decem aſſes valebat, unde & nomen traxit: quinarius, dimidium ejus, id eſt, quinque aſſes: unde & ipſe vocatur. ſeſtertius, duos aſſes & ſemiſſem, quaſi ſemis tertius.* & paullo poſt ſubjungit: *Nunc denarius ſedecim; victoriatus & quinarius octo: Seſtertius, quatuor aſſes valet.* Verum permanente aucto pretio denarii & quinarii, nota illa XVI. non diu denariis adpoſita manſit, ſed priſca nota X. iterum adponi cœpit, quod reſidui denarii innumeri teſtantur.

Quibus præmiſſis, tempus cuſi hujus denarii melius indagari poterit, videlicet non longe poſt Fabium dictatorem, adeoque tempore belli Punici ſecundi. Unde recte concludit Vaillantius, non poſſe cum Fulvio Urſino revocari tempus cuſi hujus denarii ad illum L. Julium Cæſarem, qui conſul fuit cum P. Rutilio Lupo A. V. C. DCLXII. adeoque fere CXXX. annis poſt initia belli Punici ſecundi. Tum enim nota conſueta X. ſive denarii rurſus adponebatur, & in deſuetudinem abierat nota XVI. Ducit itaque nos forma denarii antiqua & typus ſimplex Dioſcurorum, una cum nota XVI. ad L. Julium Cæſarem illum, qui primus Lucii prænomen apud ſcriptores antiquos gerit; quem circa tempora Sexti Cæſaris illius, qui tribunus militum ſub L. Æmilio Paullo adverſus Ligures pugnavit A. V. C. DLXXIII. vixiſſe colligit Glandorpius, & ex illo Vaillantius; qui orationis quoque, quam pro iſto Lucio Cæſare habuerit M. Cato Priſcianum teſtem adducunt. Mentio ejus fit apud Priſcianum lib. X. pag. 892. ed. Putſch. *Cato pro L. Cæſare ad populum.* Ab hoc Cæſare Lucii, qui poſtea in Cæſarum familia fuerunt, originem traxiſſe, vel certe prænomen, videntur. Ipſe, ut quæſtor urbanus denarium cudit, verum geſta ejus in obſcuro ſunt.

III.

Caput Romæ galeatum; pone illud ſpica frumenti eſt.

Lucius IVLI*us*. Victoria in citis bigis.

Videtur cuſus hic denarius in quæſtura provinciali Lucii Julii Cæſaris, ſive in Sardinia illa fuerit, ſive in Sicilia. Alteram enim ex inſulis iſtis frugiferis addita ad caput Romæ ſpica deſignare videtur. Fuere vero Lucii inter Cæſares plurimi. Præter antiquiorem illum Lucium, de quo modo dictum eſt ad num. II. cognoſcitur L. Julius Cæſar, quæſtor provincialis A. V. C. DLXIII. ædilis curulis A. V. C. DLXVIII. prætor provincialis Galliæ Ciſalpinæ A. V. C. DLXX. Tertius ex Luciis Cæſaribus proquæſtore fuiſſe A. V. C. DCXXI. creditur, ædilis curulis A. V. C. DCXXVI. prætor provincialis A. V. C. DCXXXI. Tertii hujus Lucii filius fuiſſe videtur L. Julius Cæſar L. F. Sex. N. qui conſul fuit A. V. C. DCLXIII. & cenſor poſtea cum P. Licinio Craſſo, quique bello ſociali magnas res contra Samnites geſſit. Incertum vero eſt, ad quem ex hisce Luciis Juliis denarius hic pertineat, quum non exprimantur apud ſcriptores provinciæ, in quibus quæſturam geſſerint.

IV.
& Litt. A. *usque ad* L.

CAESAR. Caput Romæ galeatum, adeſt litera alphabetica Π Græcorum, in aliis ſeqq. B. Γ. inverſum, præterea D. F. K. L. N. S. præter quas in aliis denariis aliæ quoque literæ inveniuntur, rectæ vel inverſæ.

Lucius IVLI*us Lucii Filius.* Venus in bigis Amorum, ſub quibus concordiæ ſignum lyra eſt. Literæ adſunt alphabeticæ, ut ſupra, ad diſtinctionem matricum.

Non eſſe tam antiquum hunc denarium & huic ſimiles, quam quos jam ex gente Julia adtulimus, patet ex typo quæſitæ a Veneris progenie nobilitatis, adeoque nequaquam ſimplici, adſcripto præterea patris nomine, quo priores carent. Variæ vero eruditorum de hoc denario ſunt ſententiæ.

Goltzius, Ericius & Vaillantius, adjudicant illum L. Cæſari L. F. L. N. S. Pron. qui conſul fuit cum C. Marcio Figulo A. V. C. DCLXXXIX. Fulvius Urſinus ad filium Lucii hujus, qui conſul cum Figulo fuit, refert, Lucium Julium Cæſarem, qui contra Cæſarem in Africa ſtetit, & Catoni Uticenſi proquæſtore fuit. Begerus, qui novam conjecturam de capite Julii Cæſaris dictatoris juvenili protulit, in ejus gratiam a L. Julio ſignatum eſſe credit, ſed quis ille Lucius Julius Cæſar fuerit, non addit, quod in primis adſtrui debuerat.

L. Julius L. F. L. N. S. Pron. poſtquam conſul fuiſſet cum C. Marcio Figulo, legatus tamen ire in Gallias C. Cæſari, dictatori poſtea, propinquo ſuo non dubitavit. Meminit ejus Cæſar de B. G. lib. VIII. cap. 65. *Ad hos omnes caſus proviſa erant præſidia cohortium duarum & viginti, quæ ex ipſa coacta provincia ab L. Cæſare legato ad omnes partes opponebantur.* Hujus fuiſſe filium, qui a Pompejanis partibus ſtetit, docet idem Cæſar lib. I. de B. Civ. narrans cap. VIII. quomodo ad ſe Ariminum venerit, & Pompeji res contra Cæſarem geſtas excuſaverit.

Unde

Unde postea Pompejanis sese adjungens reliquiis, Clupea, cui urbi præfectus erat, adventante Curione, excessit, teste Dion. lib. XLI. p. 193. & cum Catone Uticæ sese tenuit, cui proquæstore fuisse legitur apud Hirtium de B. Afr. cap. LXXXVIII. ubi moriendi impetum sumens Cato narratur liberos suos *L. Cæsari, qui tum ei proquæstore fuerat*, commendasse. De quo Lucio Cæsare mox idem Hirtius ita scribit: *Quo* (Catone) *interfecto, L. Cæsar, ut aliquid sibi ex illa re auxilii pararet, convocato populo, concione habita, cohortatur omnes, ut portæ aperirentur: se in Cæsaris clementia magnam spem habere. Itaque portis patefactis Utica egressus, Cæsari imperatori obviam proficiscitur.* Pepercisse vitæ ejus Cæsarem narrat cap. LXXXIX. *Cui in itinere fit obviam L. Cæsar, subitoque se ad genua projecit, vitamque sibi, nec amplius quidquam, deprecatur. Cui Cæsar facile, & pro sua natura & instituto, concessit.* Periit tamen postea, injussu quidem Cæsaris, ut innuere videtur Suetonius, sed voluntate & arte, ut docet Dio Cassius. Nullos enim inimicorum Cæsaris periisse nisi in prælio adfirmat Sueton. in vita Julii cap. LXXV. *Exceptis dumtaxat Afranio & Fausto & L. Cæsare juvene, ac ne hos quidem voluntate ipsius interemtos putant: quorum tamen & priores post impetratam veniam rebellaverant, & Cæsar, libertis servisque ejus ferro & igni crudelem in modum enectis, bestias quoque ad munus populi comparatas contrucidaverat.* Verum ex arte magis rem tractat Dio Cassius ita scribens lib. XLIII. p. 248. *L. autem Cæsarem, cognatum suum, ultroque sibi supplicem factum, tamen quod toto bello contra se stetisset, primum causam suam dicere jussit, eo consilio ut judicio victum condemnasse videretur: Verum, quum eum sua voce morti addicere vereretur, judicio suspenso, post paulo per insidias hominem interemit. Si quos enim Cæsar secum habebat, quorum consuetudine non capiebatur, eos partim ab adversariis interfici haud ægre passus est, partim per suæ ipsorum partis homines inter præliandum occidi jussit. Neque enim aperte de omnibus, qui ipsum læsissent, vindictam exigebat: sed si qui erant, quibus nullum satis magnum crimen objicere, ut pœnas de iis sumeret, poterat, eos latenter e medio tollebat.*

Hosce Lucios Cæsares, patrem & filium, cognomines, quoniam confundit in Onomastico Glandorpius, p. 423. putans etiam patrem, legatum quondam Cæsaris in Gallia, interfuisse bello Africano, & proquæstore Catoni adfuisse Uticæ, ex Cicerone distinguemus paullo accuratius, ut videamus cui ex illis duobus, patri an filio, hi denarii adscribendi sint. Pater Lucius Cæsar, ut reipublicæ amantissimus, plurimum Ciceroni probatur, uti disci potest ex ejusdem Oratione pro Plancio cap. XXI. pro Sulla cap. XIX. VI. Philipp. cap. V. & XI. Philipp. cap. VIII. tum Epist. ad Famil. lib. IX. Ep. 14. & ad Attic. XIV. 17. Hinc constantia ejus, quæ præ affectibus valuit in Cethego damnando, laudatur Ciceroni Orat. IV. in Catilin. cap. VI *Nisi vero cuipiam L. Cæsar, vir fortissimus & amantissimus reipub. crudelior nudiustertius est visus, cum sororis suæ, fœminæ lectissimæ, virum præsentem, & audientem, vita privandum esse dixit, cum avum jussu COS. interfectum, filiumque ejus impuberem, legatum a patre missum, in carcere necatum esse dixit. Quorum, quod simile fuit factum? quod initum delendæ reipub. consilium? largitionis voluntas tum in repub versata est, & partium quædam contentio.* Avus autem maternus Lucii Cæsaris fuerat Fulvius Flaccus, qui Gracchanæ factionis socius una cum filio fuerat jussu Opimii consulis interfectus. Cujus sententiæ & in rempublicam amoris iterum mentionem facit, invectus in Antonium, ut illi, avunculo suo, valde dissimilem, Philipp. II. cap. VI. *L. Cæsar, avunculus tuus, qua oratione, qua constantia, qua gravitate sententiam dixit in sororis suæ virum, vitricum tuum? hunc tu cum auctorem & præceptorem omnium consiliorum, totiusque vitæ debuisses habere; vitrici te similem quam avunculi esse maluisti. Hujus ego consiliis alienus consul usus sum: tu sororis filius; ecquid ad eum unquam de repub. retulisti?* Neque tamen ita Reip. deditus fuit, ut affectus suos plane negligeret, præsertim si spes aliqua ad meliorem mentem redeundi in illis superesset. Quo pertinere puto, quæ de illo ad Cn. Plancum scribit Cicero lib. X. ep. 28. *L. Cæsar, optime sentit: sed quod avunculus est, non acerrimas dicit sententias.* Atque ut tunc de Antonio, ex sorore nepote, non plane desperabat; sic nihil mirum legatum illum Cæsari in Gallias ivisse, ut adfini suo; atque filium ejus potissimum fuisse adhibitum a Pompejo, ut proficisceretur Ariminum ad Cæsarem, atque de conditionibus pacis & concordiæ cum eodem ageret; id enim præter Cæsaris, quod supra jam adduximus, testimonium, confirmat Cicero lib. VII. ep. ad Atticum ep. 14. *L Cæsar mandata Cæsaris detulit ad Pompejum ad* VIII. *Kalend. cum is esset cum* COSS. *Theani. Probata conditio est, sed ita, ut ille de his oppidis, quæ extra suam provinciam occupavisset, præsidia deduceret. Id si fecisset, responsum est, ad urbem nos redituros esse, & rem per senatum confecturos.* At vero filium eundem nequaquam laude patri parem facit, uti colligi potest ex epist. quæ ibidem præcedit XIII. *L. Cæsarem vidi Minturnis ad* VIII. *Kal. Febr. mane cum absurdissimis mandatis, non hominem, sed scopas solutas, ut id ipsum mihi ille videatur irridendi causa fecisse, qui tantis de rebus huic mandata dederit: nisi forte non dedit, & hic, sermone aliquo arrepto, pro mandatis abusus est.* Negat enim *tantis de rebus* huic mandata danda fuisse. Quamvis enim simpliciter L. Cæsarem adpellet, patet tamen ex historia filium fuisse. De cujus fato parum prospero loquitur lib. IX. ad Fam. ep. 7. *Volebam prope alicubi esse, si quid bonæ salutis,* σύν τε δύ' ἐρχομένω. *nunc quum confecta sunt omnia, dubitandum non est, quin equis viris. Nam, ut audivi de L. Cæsare F. mecum ipse: Quid hic mihi faciet patri?* Pater certe Lucius supervixit filio, ut ex Philippicis Ciceronis abunde constat, imo ipsi Ciceroni superstes fuit, quoniam soror ejusdem Julia, Antonii triumviri mater, contra filii furorem eundem in media proscriptione tutata est. De ipsa proscriptione sic Appianus lib. IV. Bell. Civil. pag. 595. *Primus autem proscripsit Lepidus, & primus proscriptus est frater ejus Paullus: secundus proscripsit Antonius, & secundus proscriptus est avunculus ejus Lucius, quia hi primi sententiis suis hostes eos judicaverant:* De sorore vero Julia, & quomodo fratrem servaverit ibid. pag. 610. *Lucium vero Antonii avunculum soror nec dissimulanter apud se habuit, centurionibus & hanc diu reveritis ut matrem imperatoris; tandem cum pararent irrumpere, mulier se in forum projecit: & sedenti pro tribunali cum collegis Antonio, Meipsa, inquit, imperator indico, quæ Lucium receptum habeo, & habebo donec nos ambos interimas: quando eadem pœna indicta est recipientibus. Respondit ille, bonam eam sororem esse, verum matrem parum piam: debuisse enim non nunc servare Lucium, sed tunc ei obstare, cum ipsius filium hostem judicaret. Effecit tamen ut Plancus consul plebiscito Lucejum pœnæ eximeret.*

Ad unum ex hisce duobus, patrem vel filium, spectare denarios hosce existimo; patri Vaillantius aliique adjudicant, sed qua caussa & occasione & ubi signaverit, silent. Filio adsignat Ursinus. Si cui placet filio addicere; videtur is dum proquæstore Catoni fuit in Africa signasse (extra urbem enim signati sunt) ad stipendium militis Pompejani; & Venerem signasse cum Amoribus, ne solus Cajus Cæsar stirpis istius suæ nobilitatem, & tutelam Romani imperii divinam jactaret. Verum ego puto cusos esse in Galliis per quæstorem provincialem, adeoque jussu legati Cæsaris, Lucii Julii; qui quum per eandem cognationem ad Venerem & Æneam atque Iulum, cum cognato suo Cajo Julio Cæsare, qui Gallias regebat, pertineret, pulcherrimo hoc typo usus est, ut utriusque nobilitatem & concordiam indicaret, id gemini Amores, id lyra testantur. Ovid. Fast. IV. 1.

Alma, fave vati, geminorum mater Amorum.

Valerius Flaccus VII. 171.

Tum Venus aligerum mater sic fatur Amorum.

Cernitur hic ex descriptione Horatii Carm. I. Od. II. vsu 33.

—— —— *Erycina ridens,*
Quam Jocus circumvolat & Cupido.

Lyra in nummis Trajani Græce inscriptis, ubi quoque gemina visitur, insidente noctua, concordiam prudenti consilio servatam designat; geminæ eædem in denario gentis Scriboniæ num. III. IV. & lit. C. concordiam pariter respiciunt inter nobile par fratrum, L. Æmilium Paullum & L. Æmilium Lepidum, vel inter Augustum & senatum.

At novus Oedipus huic denario accessit Begerus, qui in Observ. suis & Conjecturis pag. 46. Cæsaris juvenis adhuc succulentam faciem, quæ seni postea in laxas concessit rugas, expressam existimat. In quo invento sibi placens, repetit conjecturam suam Tom. II. Thes. Brand. pag. 601. Romæ quoque ornatu & facie, quæ in ipso est denario, tantum a pictore disponi & figurari jussa, quantum abesse a vera dignoscetur, si cum nummis ipsis, satis obviis, comparetur. Debebat scilicet aliquantum ad Cæsaris lineamenta accedere. Aures conjecturæ præbebo & advertere animum incipiam, si quis mihi designet istum L. Julium L. F. qui signaverit nummum, quis & qualis fuerit. L. Cæsar filius, inimicus Cæsaris, & ab illo in Africa occisus esse nequit. L. Cæsar pater, consularis jam & ante legatus Cæsaris, nullum cudendæ monetæ munus obire potuit. In Galliis signasse legatum per quæstores, quis dicere ausit, Cæsare tum adhuc privato, quum viventis imaginem nequaquam monetæ imprimere liceret. Caput Romæ est, & si cum aliis ejusdem artificii denariis comparetur, cuivis adparebit, esse muliebre, ipsius scilicet deæ Romæ, non vero Julii Cæsaris.

V.

Caput Veneris.
CAESAR. Æneas humeris senem Anchisem ferens, dextra Palladium præferens.

Notus typus est pietatis Æneæ, ad quem per Iulos, Alba Romam transvectos per regem Tullum, & inter patricios majorum gentium adscritos, originem suam referebat Cæsar. Denarii hi in Galliis videntur cusi esse.

Litera M.

Caput idem Veneris.
CAESAR. & in circuitu IMP*erator* CAES*ar* TRAIAN*us* AVG*ustus* GER*manicus* DAC*icus* P*ater* P*atriæ* REST*ituit*. Typus idem.

Notum est denarios, qui typum aliquem insigniorem præferebant, restitutos a Trajano imperatore fuisse. Sunt vero nummi omnes, hoc modo restituti, rarioribus adscribendi.

VI.

Lucius BVCA. Caput Veneris.
Sine epigraphe. Figura virilis dormiens, sive recubans, cui ex adverso rupibus insidens, vel descendens potius nubibus vecta cernitur Diana, noctis symbolum, velum manu super caput adducens; descendit insuper Victoria dextra palmam ferens.

Similis fere nummus perperam in gente Cornelia ad Sullanos relatus fuit, videlicet tab. IV. lit. B. ubi vide, quæ ad illustrationem ejusdem congessimus pag. 126. Videtur vero depingi a quatuorviro monetali Cæsaris Buca ipse Julius Cæsar dormiens, cui dea noctis Diana sive Luna per Victoriæ deæ ministerium palmam victricem, in sinum demittit. Nota enim ipsius Cæsaris ore prolata vox est, *Fortuna Cæsaris.*

VII.

lit. N. & *seqq.*

Caput Veneris. Litera D. in aliis E. F. M.
EX S*enatus* C*onsulto*. Cornucopiæ in laurea.

Cusi videntur hi denarii post victoriam Cæsaris Africanam, quum post triumphum epulum populo exhibuisset, & (uti ex Dionis lib. XLIII. docuit Vaillantius) extra ordinem frumentum & oleum addidisset. Caput Veneris, ut passim, originem Cæsaris respicit; laurea, victorias Cæsaris designat; cornucopiæ rerum omnium abundantiam, quam ex liberalitate Cæsaris & sperata pace sibi quisque pollicebatur; & S*enatus* C*onsultum* in denario expressum denotat honorem ab amplissimo ordine propterea Cæsari habitum.

VIII.

Caput Veneris.
Duplex cornucopiæ colligatum, cum litera Q.

Literam Q. Cæsaris quæstorem indicare putat Vaillantius, ut ita distinguatur hic nummus, tanquam a quæstore Cæsaris cusus, a nummo præcedenti, qui ex S. C. cusus est. Verum litera Q. ita simpliciter, & sola posita, vix ad quæstorem, nedum ad quæstorem Cæsaris pertinere potest. Docui plus semel in hoc opere Q. literam sæpissime in Syracusanis inveniri nummis, & ibi pro K. poni, atque Corinthiacam significare coloniam; unde puto in Sicilia quoque jussu Cæsaris signatam hanc pecuniam fuisse, qua ibi fruges emerentur, quas pro magnificentia sua & liberalitate populo Romano distributurus ipse esset Cæsar.

TAB.

TAB. II.

I.

CAESAR IMP*erator*. Caput Julii Cæſaris laureatum, retro quod inſignia pontificatus, lituus & capeduncula conſpiciuntur.

Marcus METTIVS. Venus Victrix ſtans, dextra victoriolam præfert, læva haſtam puram tenet, cubito vero lævo initítur clypeo, qui globo inpoſitus eſt. In area litera monetalem matricem vel officinam ſpectans B. invenitur.

Venerem in primis coluit Cæſar, unde in ſingulorum quatuorvirorum monetalium denariis dea illa, ad quam originem ſuam referebat Cæſar, conſpicitur. Hæc enim in præliis periculoſiſſimis pro teſſera illi fuerat, & huic ſubactum terrarum orbem acceptum ferebat.

II.

CAESAR IMP*erator* P*ontifex* M*aximus*. Caput Cæſaris laureatum, retro quod luna creſcens cernitur.

Lucius AEMILIVS BVCA. Venus ſtans, dextra tenet victoriolam, læva haſtam.

Inſcribitur in hoc denario Cæſar pontifex maximus, quo ſpectant ſymbola præcedentis denarii, lituus & capeduncula. In hoc adpingitur luna creſcens; quoniam Cæſar, ut pontifex maximus, *faſtos correxit, jam pridem vitio pontificum per intercalandi licentiam adeo turbatos, ut neque meſſium feriæ æſtati, neque vindemiarum autumno competerent.* ut ſcribit Suetonius in Vita ejus cap. XL.

III.

CAESAR IMP*erator*. Caput Cæſaris laureatum.

Lucius AEMILIVS BVCA IIIVIR. Dextræ junctæ.

Dextræ junctæ concordiam Cæſaris & ſenatus innuere videntur: decrevit enim plurimos honores ipſi ſenatus, invitus quidem, ſed domino non peſſimo.

IV.

CAESAR IMP*erator*. Caput Cæſaris laureatum. Retro illud ſtella eſt.

Publius SEPVLLIVS MACER. Venus Victrix, dextra victoriolam præferens, læva haſtam, in cujus ima parte ſtella cernitur.

Stellam hanc refert Vaillantius ad ſidus Iuli, quod Dio lib. XLV. deſcribit fulſiſſe inter ſeptentrionem & occaſum, quod nonnulli cometem vocaverunt, atque ad apotheoſin Cæſaris retulerunt. Verum ego hic paria cum Vaillantio aliisque, qui idem ſentiunt, nequaquam facio. Stella enim iſta crinita depingitur infra tab. VII. num. 5. & litt. E. F. ut & in gente Sanquinia num. I. & II. at vero hic denarius vivente Cæſare a quatuorviro monetali Sepullio cuſus eſt. Refero itaque ad faſtorum correctionem; quæ per lunam creſcentem in II. denario expreſſa fuit, in hoc per aſtrum ſolis, *Annumque* (addit Suetonius loco citato) *ad curſum ſolis adcommodavit, ut trecentorum ſexaginta quinque dierum eſſet, & intercalario menſe ſublato, unus dies quarto quoque anno intercalaretur.*

Et hinc Antiocheni, repudiata æra Pompejana priſtina, ob beneficia a Cæſare accepta, non tantum epocham ſuam ab ejus anni ordinatione orſi ſunt, ſed & ipſam illam temporis reſtitutionem per arietem ad aſtrum reſpicientem expreſſerunt, ut in Silani nummis videre eſt in gente Junia tab. quarta num. III.

V.

CAESAR DIC*tator*. Caput Julii Cæſaris laureatum; retro illud eſt præfericulum, pontificatus inſigne.

Marcus ANTO*nius* IMP*erator* R*ei*P*ublicæ* C*onſtituendæ*. Caput nudum Marci Antonii, retro quod lituus eſt auguratum ejusdem denotans.

Julius Cæſar, ſumta dictatura (pro more dictatorum antiquorum, qui magiſtros equitum dixerunt poteſtatem ſuæ proximam) M. Antonium imperatorem reipublicæ conſtituendæ dixit, quemadmodum ſe ipſum fecerat dictatorem reipublicæ conſtituendæ. Unde in utriusque conſulatu A. V. C. DCCX. cuſum hunc denarium cum Vaillantio exiſtimamus.

VI.

CAESAR*i* DICT*atori* PERPETVO. Caput Cæſaris laureatum & velatum.

Caius MARIDIANVS. Venus Victrix dextra tenens victoriolam, lævo cubito clypeo innixa, qui globo impoſitus cernitur.

Uti ſupra num. I. fecit M. Mettius, ſic pari typo C. Maridianus item in hoc denario divinitus conceſſam Cæſari victoriam & rerum omnium dominium oſtentat. Haſta abeſt, ſed vitio ſculptoris id factum videtur; illam enim ut divinitatis ſymbolum in eodem hoc denario obſervare licet inter numiſm. Cæſaris tomi II. tab. III. num. 5. & 38. Cuſi ſunt hi denarii A. V. C. DCCX. ſive ultimo Cæſaris, quo dictaturam perpetuam adſumſerat.

VII.

Sine epigraphe. Caput Cæſaris laureatum.

Lucius BVCA. Caduceus & faſces decuſſatim poſitæ, deſuper dextræ junctæ cernuntur, & ad latera ſecuris & globus.

Deſignant hi typi juſtitiam, religionem, & concordiam, quæ quamdiu vigeret inter Cæſarem, rerum potientem atque pontificem maximum, & ſenatum Romanum, pax toto orbe Romano futura ſperabatur & felicitas ſumma.

VIII.

CAESAR*i* DICT*atori* PERPETVO. Caput Cæſaris laureatum.

Lucius BVCA. Venus Victrix ſedens, dextra victoriolam præfert, læva haſtam tenet ſuper humeros inclinatam.

Vaillantius, qui alium & diverſum ab hoc denarium ſpectaſſe videtur, Cæſarem velato capite expreſſit tab. LXXIII. num. 32.

TAB. III.

I.

CAESAR*i* DICT*atori* PERPETVO. Caput Julii Cæſaris laureatum.

Lucius BVCA. Venus Victrix ſtans more ſolito.

II.

CAESAR*i* DICT*atori* PERPETVO. Caput Cæſaris laureatum.

Lucius BVCA. Typus ſimilis eſt prioris tabulæ num. VII. quæ vero ibi ad latera ſunt, hic in ſumma & ima parte nummi cernuntur.

III.

CAESARi DICTatori PERPetuo. Caput Cæſaris laureatum, retro quod lituus cernitur, ad pontificatum quoque pertinens.

Lucius BVCA. Venus Victrix ſedens cum haſta & victoriola.

Denarii hi prolixiori interpretatione non indigent; idem enim typus plus ſemel ſupra jam obſervatus eſt.

IV.

Caius CAESAR IMPerator COnSul ITERum. Caput Veneris.

Aulus ALLIENVS PROCOnSule. Figura nuda, lævum brachium veſte involutum tenens, dextra manu Siciliæ ſymbolum tria crura tenet, atque inſuper proram ratis dextro pede premit. Figuram de Genio populi Romani capio, non de muliere, neque enim muliebris eſt; Neptuno adſignari quoque poteſt, licet ſymbola ejus, delphinus & tridens, abſint, nam pro illis ratem pede præmit, dextra Siciliæ habet ſymbolum, ut maximæ in mari Mediterraneo inſulæ.

De A. Allieno, qui in hoc nummo memoratur, egimus jam ad gentem Allienam pag. 15. Cæſar autem conſul iterum fuit A. V. C. DCCVI. juxta Varr. juxta Marm. Capitol. DCCV. quo tempore proconſule Siciliam obtinuit Allienus, ibique denarium hunc ſignari fecit. Cæſar vero licet pluries imperator a militibus fuerit ſalutatus, ſimpliciter imperator in denariis ſuis inſcribitur, at ſucceſſores ejus plerumque repetitiones tituli ejusdem exprimere ſolent, & Imp. II. III. IV. & ſic porro ſcribuntur.

V.

COnSul TERTium DICTator ITERum. Caput Cereris ſpicis exornatum.

AVGVR PONTifex MAXimus. Inſtrumenta pontificalia capeduncula, adſpergillum, præfericulum, lituus; ad cujus litui latus litera D. conſpicitur in pictura Morelliana, quæ quoque in denario, quem ipſe ſervo, adparet.

Iniit Cæſar conſulatum tertium una cum M. Æmilio Lepido A. V. C. DCCVIII. calendis Januariis, ſed jam ante, priori anno dictaturam ſuſceperat ſecundam; itaque initio anni conſul III. dictator II. vel iterum dicebatur. Verum eodem anno, devictis in Africa Pompejanis, tertium dictator adpellatus fuit Cæſar, in qua Lepidum, collegam in conſulatu, magiſtrum equitum dixit, ut contra Urſinum ex Dione obſervat Vaillantius tomo I. p. 509.

Cæſar autem peracto triumpho præter conſuetas liberalitates extra ordinem frumentum oleumque populo dedit, uti docuimus ad tab. primam num. VII. illamque donationem confirmat hic denarius, in quo caput cernitur deæ frugiferæ ſive Cereris, ſpicis coronatum: quare litera D. quæ abeſt a picturis Urſini & Vaillantii forſan *Dedit* vel *Diviſit* vel *Diſtribuit*, in hoc denario deſignat, ut ita dicatur Cæſar (cujus nomen ſubintelligitur) in hoc conſulatu ſuo tertio, quum tertiam inſuper dictaturam, præter alios auguratus & pontificatus maximi honores, iniret, Cererem (cujus deæ caput in nummo eſt) id eſt frumentum populo Romano dediſſe, diviſiſſe, vel diſtribuiſſe. Vel potius ad literas alphabeticas, ut matricum notas, ſpectat.

VI.

Caius CAESAR COnSul TERtium. Caput Cæſaris laureatum & velatum.

Aulus HIRTIVS PRaefectus. Inſtrumenta pontificalia, lituus, præfericulum, & ſecuris.

De Aulo Hirtio ad gentis Hirtiæ nummum jam vidimus; ad hunc vero duo ſunt notanda; videri ſcilicet perperam ſignum AR. pro AV. adponi, quum non ex argento, ſed ex auro nummus obſervetur, quare inter aureos, non vero argenteos tom. II. inter Cæſaris nummos a Morellio relatus eſt; deinde perperam Cæſaris laureatam & velatam pingi faciem, quum velata Pietatis deæ facies pingi debuiſſet. Duplex hujus conjecturæ mihi fons eſt; prior quod neque Vaillantius talem nummum inter Cæſaris nummos recenſeat, neque Morellius inter eosdem depingat, quod ſignum eſt, non vidiſſe ſeſe in muſeis talem nummum. Morellius itaque in hujus delineatione Urſinum p. 128. atque Goltzium in Faſtis p. 179. ſecutus eſt, ut & Vaillantius, qui tamen Pietatis caput in Commentariis ſuis agnoſcit p. 509. Alter conjecturæ meæ fons hic eſt. Invenitur in denario hoc Hirtii aureo (argentei enim non inveniuntur) duplici pictura caput Pietatis delineatum. Altera pictura deæ caput elegans & muliebri filo atque decora & juvenili magis depingit facie, prouti in nummis Cæſaris tom. II. num. 6. & 7. egregie cerni poteſt, cujus ſimillimam picturam obſervavi in nummo, qui quondam fuit apud nobiliſſ. Marckium. Altera vero ejusdem deæ caput ſenile magis delineatum exhibet, neque tam tenerum, nec iſto juventæ decore exornatum, qualem nummum ipſe in muſeo meo ſervo. Hanc itaque faciem Cæſaris eſſe crediderunt, & comam adſcititiam, in fronte extentam longius atque explicatam, lauream eſſe crediderunt; nec me movet caput Morellianum, quod ad amuſſim Cæſarem exprimit, illud enim non ad nummum ipſum factum eſt, quem talem non vidit, ſed ex alio ſimili & tab. præced. num. VI. repetitum. Quibus nummos ipſos hos aureos inſpicere datum eſt, vera me dixiſſe deprehendent, ſicuti illa facies, quam in fam. Hirtia exhibuit Morellius, nequaquam tam tenera eſt, quam illa quæ inter nummos Cæſareos invenitur, ſed magis ſevera & illi, quem nos ſervamus, ſimilior atque adcommodatior.

VII.

CAESARi DICTatori PERPETVO. Caput Cæſaris laureatum.

Publius SEPVLLIVS MACER. Venus Victrix ſtans more ſolito, in inferiori parte haſtæ aſtrum ſolis cernitur.

Diximus ad num. IV. tabulæ præcedentis, aſtrum illud ſpectare ad correctionem anni, quam Cæſar, ut pontifex ſummus, fecit, ubi vide quæ notavimus.

VIII.

Caput Veneris vitta ſive faſcia crinali cinctum.

CAESAR IMPerator. Tropæum elegans, in cujus imo cernuntur lituus militaris, clypeus, gæſa Hiſpanica & rotæ currus cum loris & axe ejusdem, quæ male ab antiquariis tanquam clypei depicta fuerunt.

Refert Vaillantius denarium hunc ad victorias Cæſaris in Hiſpaniis, & recte, poſt domitos ſcilicet Gallæcos & Luſitanos, ubi tropæum erexit, & imperator a militibus, quos præda ditaverat, ſalutatus eſt, uti ex Plutarcho ibidem demonſtrat tom. I. pag. 505. Veneris enim caput ſignavit ante-

antequam nummos cum sua imagine signare illi a senatu fuit permissum.

TAB. IV.

I.

Caput Veneris cum Cupidine ad collum, qui monile collo deæ adaptat.

CAESAR. Tropæum cum clypeis & lituis militaribus, ad inferiorem partem adsident figuræ lugentes, vir & mulier, tanquam captivi.

Victoriam de Gallis & Germanis hoc denario exprimi credibile est, ut Gallia quidem muliere mœsta exprimatur, Germania habitu barbari istius, qui manibus post terga revinctis ferociter ad erecta spolia & sua quondam arma respicit. Notari vero debet errasse chalcographum in minutiis quibusdam; muliebris enim figura in hoc & sequenti nummo III. non velata depingi debuit, sed passis atque solutis capillis, prouti in nitidissimis meis observavi, ex quibus etiam didici in priore nummo capillum, qui ad verticem deæ est, nimis fluxum exhiberi, quum in nodum colligi debeat.

II.

Caput Veneris monili baccato & corona quernea exornatum; retro illud sunt literæ IIT. quæ Vaillantius explicat II. id est, *secundum* vel *alterum* tropæum.

CAESAR. Tropæum erectum, in cujus imo sedet barbarus, manibus revinctis, atque ad tropæum respiciens.

Ingeniosa est Vaillantii conjectura, qua tropæum de Pharnace respici putat, sed quæ contra dici possint, item quæ pro eadem, in medium adferam. Conjecturæ ejus unicum fundamentum sunt literæ IIT. quas explicat *secundum tropæum*; Cæsar enim quum per religionem vereretur destruere Mithridatis de Triario erectum ante tropæum, quod Marti esset consecratum, secundum tropæum in eodem loco erexit, atque suum tropæum tropæo Mithridatico opposuit. Verum hoc tropæum dici Latine a Cæsare secundum non potuit, nisi ipse quoque primum statuerit ante tropæum. Potuerat ita explicare Vaillantius & lectiones utriusque partis conjungere II T. CAESAR. id est, *alterum Tropæum* CAESAR*is*. ut ita prius tropæum diceretur Mithridatis, alterum vero hoc & oppositum Cæsaris. Verum sicuti *secundus* & *secundum* per literas II. efferri solet, sic *alter* & *alterum* non item. Deinde notæ istæ IIT. possunt esse notæ matricum vel officinarum, prouti in Calpurnia gente tab. quinta & sexta plures tales inveniuntur, ut numeri sive notæ TVI. TXII. TXIIII. TVI. TVII. &c. in quibus omnibus litera ista T. invertitur & pro L. ponitur; quod legi in hoc denario æque literam istam inversam docet, debere, sicuti in illis omnibus, & quidem hoc modo ⅂II. non vero IIT. ut tropæi nulla sit mentio. Neglexit quoque Vaillantius argumentum, quod ex quernea corona, respectu Veneris, non Pietatis, ut facit p. 508. capere potuerat, qua pictores horum denariorum credunt ornari caput Veneris, quod Pietatis esse caput minus recte credidit idem Vaillantius. Veneri Servatrici civium Romanorum quernea corona adaptari potuerat propter victoriam de Pharnace & cives Romanos Ponticæ servituti subductos atque liberatos; verum studiosius contemplanti coronam illam Veneris, quæ in hoc denario occurrit, ut & num. IV. visum potius est diadema gemmis & unionibus distinctum; prouti num. IV. capillus circa verticem in nodum colligitur, qui floris quasi aperti ex gemmis contexti figuram exhibet. Imo sequens statim denarius num. III. nodum eundem collectum exhibens stellæ figura gemmas habet dispositas. Unde crediderim tale donum forsan Veneri, deæ tutelari suæ & adjutrici, imo generis sui matri, ex manubiis dedicatum a Cæsare fuisse; atque ideo tali ornatu in quibusdam nummis conspici tanto magis, quoniam in fam. Hostilia num. III. eandem gemmeam fasciam sive coronam, in L. Hostilii Sasernæ nummo, deæ caput gestet; quamvis ibi quoque male exprimatur. Legatus autem Cæsaris fuit ille Saserna. Et cur non diademate tali caput Veneris ornaverit Cæsar, cui thoracem quoque ex Britannicis margaritis, subscripto elogio, dedicavit, ut narrat Plinius lib. IX. Hist. Nat. pag. 523. edit. Hard. *In Britannia parvos atque decolores nasci certum est: quoniam Divus Julius thoracem, quem Veneri Genetrici in templo ejus dicavit, ex Britannicis margaritis factum voluerit intelligi.* Insulam enim illam spe margaritarum petiisse scribit Suetonius in Vita ejus cap. XLVII.

Tropæum, quod ab altera parte erectum cernitur, de Germanis esse videtur, vir enim barbarus & barbatus, nudus, manibus post terga revinctis ad suspensa arma respicit, sicuti in præcedenti denario & item sequente.

III.

Caput Veneris Reginæ (quam falso Junonem putavit Vaillantius) retro cujus caput sceptrum cernitur, ante faciem vero lituus ad auguratum Cæsaris spectans, & Cupidinis imago ad pectus deæ exsurgentis & circa collum ejusdem ludentis. Cupidinis hanc imaginem (quamvis in pictura nummi expressam) neglexit Vaillantius, & inde ad perversam de Junone Regina opinionem prolapsus est.

CAESAR. Tropæum elegans (ipsius quoque denarii elegans fabrica est) in cujus imo Gallia, habitu mulieris lugentis, & Germania, habitu viri barbari, nudi & ad tropæum respicientis, depinguntur.

Denarii hujus explicatio eadem est, quæ primi denarii; nodus vero, quo capillus Veneris ad verticem colligitur, opere gemmato in stellæ figuram pulchre exornatus est, & quasi de industria (uti ex denario meo animadverti) ita collocatus, ut adversus in oculos incurrat nodus ille gemmatus, qui, ratione posituræ, obliquam modo sui partem ostendere debebat. Unde patet, voluisse Cæsarem, ut ornamentum illud deæ, ex sua forte liberalitate profectum, in omnium incurreret oculos. Flosculus pro stella depingitur apud Begerum Thes. Brand. tom. II. p. 558. contra denariorum fidem.

Litera A.

Caput Cleopatræ, reginæ Ægypti, cum sceptro ad tergum & Cupidine ad pectus ludibundo.

ΚΛΕΟΠΑΤΡΑΣ ΒΑΣΙΛΙΣΣΗΣ. Duplex cornucopiæ, in area nummi insuper est monogramma, quod integre lectum locum designat, ubi nummus cusus est, Cyprum scilicet, inscribitur enim ΚΥΠΡΙων. *Cypriorum*, resolutis literis quæ invicem connectuntur.

Quan-

Quantopere Cleopatram inter reliquas reginas dilexerit Cæsar, ostendunt datum illi Ægypti regnum, honores Romæ quoque habiti, & filius Cæsarionis nomine vocatus. Sueton. cap. LII. *Dilexit & reginas, inter quas Eunoën Mauram, Bogudis uxorem, cui, maritoque ejus plurima & immensa tribuit, ut Naso scripsit, sed maxime Cleopatram. Cum qua & convivia in primam lucem sæpe protraxit, & eadem nave thalamego pæne Æthiopia tenus Ægyptum penetravit, nisi exercitus sequi recusasset, quam denique accitam in Urbem non nisi maximis honoribus præmiisque auctam remisit, filiumque natum adpellare nomine suo passus est. Quem quidem nonnulli Græcorum similem quoque Cæsaris & forma, & incessu tradiderunt, M. Antonius agnitum etiam ab eo senatui adfirmavit.* Unde mirari non debemus, si in hoc nummo Veneris ipsius habitu Cleopatra occurrat, & adumbratus forsan filius Cæsaris Cæsario (quem illi pepererat Ægypti regina) sit per ludentem ad matris colla & pectus Cupidinem.

IV.

Caput Veneris cum corona quidem quernea, sed quam ex denariis nostris putamus esse gemmeam, quæ corona capillos circa verticem in nodum gemmeum, adinstar rosæ apertæ, connectit. Collum exornatur monili baccato, ut num. II. quum præter baccas istas sive uniones pendulæ quoque gemmæ adsint num. I. Retro caput Veneris in hoc denario cernuntur notæ LII. i. e. LII. de quibus egimus ad num. II.

CAESAR. Tropæum erectum, ad cujus latus est securis, pontificatus in Julio Cæsare symbolum.

In tropæo hoc ab altera trunci parte dependet clypeus, ab altera lituus militaris, quem passim Vaillantius minus recte putat esse baculum cum capite asinino, genus scilicet armorum. Pietatis idem hic agnoscit caput in parte anteriore, quod tamen Veneris est. Tropæum ipsum ad Gallos vel Germanos spectare videtur.

V.

Caput Vestæ velatum, retro quod capeduncula cernitur, &, ut in denariis II. & IV. notæ monetales LII.

CAESAR. Tropæum erectum inter corollam lauream & clypeum oblongum, quæ hinc inde in area nummi cernuntur; tropæum ipsum in dextro trunco clypeum habet rotundum, in sinistro gladium parvum sed lato ferro Hispaniensem.

Non dubito, quin ad Hispanienses Cæsaris victorias hic quinarius spectet, domitosque ibidem Gallæcos, Lusitanos, aliosque populos. Cantabricus enim plane gladiolus est, qui ad lævam tropæi partem suspenditur, quod ad oculum patere potest ex nummis gentis Carisiæ, cum aliis, tum præcipue tab. tertiæ num. III. sicuti clypei Hispanici atque rotundi figura ex tab. ejusdem gentis secunda, num. II. & V. Missus vero est Cæsar in Hispaniam cum imperio, quum prætura urbana fuisset defunctus, ut testatur Sueton. cap. XVIII. *Ex prætura ulteriorem sortitus Hispaniam, retinentes creditores interventu sponsorum removit, ac neque more, neque jure, antequam provinciæ ornarentur, profectus est, incertum metune judicii, quod privato parabatur, an quo maturius sociis implorantibus subveniret. Pacataque provincia, pari festinatione, non exspectato successore, ad triumphum simul consulatumque discessit. Sed cum editis jam comitiis ratio ejus haberi non posset, nisi privatus introisset Urbem, & ambienti ut legibus solveretur multi contradicerent, coactus est triumphum, ne Consulatu excluderetur, dimittere.* Res in Hispaniis tropæo dignas gessisse patet, quod triumphi honorem postulaverit, sed propter consulatus petitionem omiserit. In Hispaniis itaque a quæstore ejus cusum hunc quinarium existimo A. V. C. DCXCII. ad triumphum enim Hispaniensem de Pompeji liberis nequaquam referendum puto; ut pontifex enim, neque dictatoris adhuc aut majori prætura provinciali titulo gaudens, signari quinarium hunc jussit, in quo pontificatus & Vestæ (cujus imaginem addidit) insigne simpuvium sive capedunculam expressit; multo minus ad Ponticum de Pharnace tropæum spectare potest, quum arma, quæ ad tropæum suspenduntur, manifeste sint Hispanica, scutum vero Romanum ad ancilis incisi figuram sit ab altera parte in area, ab altera corona laurea, victoriæ symbolum. Omnia vero sacra pontifici maximo suberant, & hinc ancile, simpuvium, & Vestæ caput in hoc nummulo conspiciuntur.

VI.

Caius IVLIVS CAES*ar* IMP*erator* CO*n*S*ul* III. Caput Julii Cæsaris nudum.

IMP*erator* CAES*ar* TRAIAN*us* AVG*ustus* GER*manicus* DAC*icus* P*ater* P*atriæ* REST*ituit*. Venus seminuda stans, lævo cubito columnæ innititur, dextra manu cassidem cristatam præfert, læva hastam transversam tenet; ante pedes est clypeus.

Inter plures res laudabiles, quas imperator Trajanus, bello & pace clarus, gessit, numerantur etiam restitutiones veterum monumentorum, neque ædificiorum tantum, sed & nummorum, quibus nobiliorum apud Romanos familiarum decora continerentur, vel facta nomini Romano gloriosa inscripta erant. In memoriam itaque fundatoris imperii Cæsarum Romanorum, cum alios, tum hunc quoque aureum denarium restituit & renovavit. Quæ quum dico, verbum REST*ituit*, quod in ejusmodi denariis lego, neminem puto aliter capere posse, quam exstitisse olim denarium talem aureum (licet jam non inveniatur) cum eodem ab utraque parte typo, prout aureus hic a Trajano restitutus cernitur, quod exemplis confirmari non indiget, quum passim sint obvia, & nummi duo sequentes ejus rei testes sint. Quæ tamen notari debent propter explicationem, quam huic denario adjunxit Vaillantius tom. I. pag. 529. in qua dicit, Trajanum dictatoris præcipue caput sine corona expressisse, tanquam inter deos relatum, & quamvis consul quintum in nummis suis vocetur Cæsar, potissimum illum adpellasse tertium tantum, quod alios titulo tenus tantum gesserit; Venerem quoque ipsi comitem adjunxisse, tanquam quiescentem, postquam progeniem (Julium Cæsarem scilicet) in deorum numerum evexerit. At vero non potuit aliquem pro lubitu suo typum comminisci Cæsarive adplicare Trajanus, præter illum quem in eo invenerat nummo, quem restitutum volebat, alias verbum REST*ituit* nequaquam addidisset, quod supponit renovationem nummi antiquioris vel deficientis ob paucitatem, vel typi gloriosioris. Caput itaque Cæsaris Trajanus finxit nudum, non ut inter divos relati (cometen enim tum addidisset, vel pro sui temporis ratione coronam radiatam) verum prout invenerat in nummo quem restitui volebat. Quod quidem sine exemplo in Cæsaris effigie non est, nam tomo

mo Operis hujus II. tab. VI. num. 7. in nummo (quem ipse quoque possideo, præclari artificii & pulcherrima ærugine viridi conspicuum) æreo, capita Julii Cæsaris & Augusti exhibentur, utraque nuda & sine corona, prouti ibidem num. XXI. itidem Julii caput corona caret. In aureis vero & argenteis nummis id perrarum esse, dubitare nemo potest, quum omnes, qui passim inveniuntur, laureatum Julii caput exhibeant. Cujus rei hanc caussam fuisse existimo. Cæsar A. V. C. DCCVII. cos. III. reversus in urbem a bello Africano, quoscunque, & plures quam concupiverat, honores, a senatu consecutus est, inter quos fuit unum decretum ut pecunia ejus imagine signaretur, & alterum, jus illi tribuens laureæ perpetuo gestandæ. Quæ duo decreta quum diversis diebus facta fuisse videantur, statim ad primum illud decretum nummi aliquot aurei cum imagine Cæsaris, tum III. consulis, cusi sunt, sed mox subsequente decreto de laurea perpetuo gestanda, omnes Cæsaris nummi post illud decretum cusi laureatum eundem exhibuerunt. Quod mirum non est, si adtendamus ad Suetonii verba in Vita ejus cap. XLV. eum calvitiei deformitatem iniquissime tulisse adfirmantis, sæpe obtrectatorum jocis obnoxiam expertum. *Ideoque* (addit) *& deficientem capillum revocare a vertice adsueverat: & ex omnibus decretis sibi a senatu populoque honoribus, non aliud aut recepit aut usurpavit libentius quam jus laureæ perpetuo gestandæ.* Quæ quidem calvities Cæsaris & revocatio capillorum eximie in hoc aureo denario conspiciendam sese præbet. Venus quoque hic non quiescit ea de caussa, quod progeniem suam (Julium) in cœlum evexerit, vixit enim Cæsar cos. III. quum nummus is cuderetur, ad cujus exemplar hic a Trajano restitutus fuit; verum quiescit ut dea victrix, posito clypeo, galeam quoque capiti detrahens, quam ostentat populo Romano, tanquam pacem in posterum ipsi procuratura. Unde hoc ad deam Lucretii votum lib. I. vs. 30.

Effice, ut interea fera mœnera militiai
Per maria ac terras omnes sopita quiescant.
Nam tu sola potes tranquilla pace juvare
Mortales, quoniam belli fera mœnera Mavors
Armipotens regit, in gremium qui sæpe tuum se
Rejicit, æterno devinctus volnere amoris;
Atque ita suspiciens tereti cervice reposta
Pascit amore avidos inhians in te, dea, visus!
Eque tuo pendet resupini spiritus ore.
Hunc tu, diva, tuo recubantem corpore sancto
Circumfusa super, suaves ex ore loquelas
Funde, petens placidam Romanis, incluta, pacem.

VII.

CAESAR. Elephas draconem calcans.

Capeduncula, adspergillum, securis, apex, signa Cæsaris pontificalia.

Elephantem in Cæsaris nummis quidam signari putarunt, quod avus Cæsaris, occiso in Africa elephante, qui *Cæsar* ibidem adpellabatur, Cæsaris cognomen acceperit. Verum diu ante avum Julii, cognomen illud familiæ isti hæsisse probarunt viri docti. Errarunt & alii, qui ad certamina elephantorum ab illo ut dictatore, Romam reverso, exhibitum, referunt. Melius illi qui ad Africam subactam pertinere judicant. Africæ enim & elephas & draco symbolum esse solent. Videntur itaque hi denarii cusi esse in memoriam victi Scipionis & Jubæ A. V. C. DCCVII. & quidem magno numero (inveniuntur enim crebriores) ut inde stipendia & donativa militibus, qui expeditioni illi adfuerant, persolverentur.

Litera B.

IMP*erator* CAES*ar* TRAIAN*us* AVG*ustus* GER*manicus*, DAC*icus*, *Pater Patriæ* REST*ituit.* Elephas draconem calcans.

Instrumenta eadem pontificalia.

Victo Juba, regnum ejus in provinciæ formam redegit Cæsar, adeoque adauxit imperium Romanum. Hinc typus ille, ut imperio Romano gloriosus, quamvis sat multi tales exstarent denarii, a Trajano renovatus est.

Litera C.

CAESAR. verum literæ per monetarii incuriam luxatæ & male sunt dispositæ. Elephanti duo.

Instrumenta pontificalia, quibus insuper clypeus (quo ancilia forsan exprimuntur) additur. Rudioris omnino fabricæ, quod & securis & apicis pictura ostendunt, ut forsan ad monetæ veteris adulteratores priscos sit referendus denarius, vel summa festinatione in Africa cusus.

Per duos elephantos exprimi potest duplex Africa, & illa videlicet Africæ pars, quam, a Pompejanis insessam, recepit Cæsar, & illa, quæ Jubæ paruerat; quam, occiso eodem, in provinciæ formam redegit; utramque ita Romano imperio vindicans. Clypeus vel ancile, quod instrumentis pontificalibus additur, indicat, curam illorum, sicut omnium religionum, pertinuisse ad pontificem maximum.

VIII.

CAESAR DIC*tator* TER*tium.* Caput Victoriæ humeris alatis, retro illud solis astrum est.

Caius CLOVI*us* PRAEF*ectus.* Minerva tropæophora gradiens, cum serpente ad pedes, dextra manu tropæum super humeros adtollit, læva clypeum tenet, in quo Medusæ caput est, prominent a tergo tria gæsa Hispanica, dependente sub clypeo lacinia vestis, ut solet aliquando a cubito deæ Minervæ promitti. Male vero a pictoribus figura ejusdem excepta est, sicuti docuimus ad hunc ipsum nummum in gente Clovia, unde pleniorem haurire notitiam eruditum lectorem jubemus.

Signatus Romæ hic nummus æreus videtur, ab uno ex præfectis urbi Cajo Clovio. Victoriarum omnium Cæsaris breve continet compendium, uti diximus ad gentem Cloviam, nam postquam rediisset in urbem Cæsar, magnificentissimos illos triumphos, quatuor quidem antea eodem mense, novissimum vero quintum de Pompeji liberis & Hispania Romæ egit. Deinde conversus ad reipublicæ curam fastos correxit; unde astrum illud referendum magis mihi videtur ad astrum solis & fastorum correctionem, quam ad stellam Veneris, quoniam in nullis conspicitur Cæsaris nummis, nisi qui cusi sint vel eo anno quo Cæsar fastos correxit, vel postea; quum tamen Veneris caput sæpius ante illud tempus, sed sine stella eadem in nummis ejusdem compareat.

TAB. V.

I.

Caius CAES*ar* DICT*ator* TER*tium*. Caput Victoriæ cum humeris alatis.

Lucius PLANC*us* PRAEF*ectus* VRB*i*. Urceus, qui ad Cæsaris pontificatum maximum spectat.

De L. Planco in gente Munatia agendum erit. Moneta vero hæc cusa videtur eodem tempore, quo Hirtius, itidem præfectus, suam signavit, uterque enim ad pietatem Cæsaris & dignitatem pontificatus respexit, & eodem anno cusam quoque fuisse æream Clovii monetam testatur Victoriæ simile caput nummis istius præfecti insculptum; ut & aureos nummos Cestii & Norbani, de quibus infra in gente Norbana.

II.

CAESAR DICT*ator* QVART*um*. Caput Cæsaris laureatum, retro illud lituus auguralis est.

Marcus METTIVS. Juno Lanuvina caprinis tecta exuviis, stat in bigis decurrentibus, dextra hastam tenens, læva clypeum.

Dictaturam quartam iniit Cæsar, juxta Varronis computum, A. V. C. DCCIX. unde tempus cusi denarii patet. Mettius vero, unus ex triumviris monetariis, Junonem Lanuvinam passim in monetis suis (ut in gente Mettia cerni potest) signavit, ad indicandam gentis suæ ex urbe Lanuvio originem. Ludi vero Circenses, de quibus loquitur Vaill. p. 519. & 520. a Julio Cæsare editi, non magis per bigas hasce significantur, quam per alias, quibus Roma passim insistere solet; opportune enim idem mox agnoscit solitos fuisse Romanos in bigis & quadrigis numina, quæ præcipue colebant, exprimere.

III.

CAES*ar* DIC*tator* QVAR*tum*. Caput Veneris.
CO*nSul* QVINC*tum*. in laurea.

Ostendit denarius hic aureus, (ut recte argumentum inde deducit p. 512. Vaillantius) dictaturæ, quam quartum suscepit Cæsar, tempus nondum fuisse finitum, quum quintum consulatum, cujus hic denarius monumentum est, susciperet. Consulatus enim erat magistratus ordinarius, quem Calendis Januariis inibant, at dictatura, magistratus erat extraordinarius, quem inibat is qui dictator fiebat, eo ipso die, quo dictator renunciatus esset; & hinc Cæsaris dictatura quarta modo cum quarto ejus consulatu, modo cum quinto conjungi potuit, quod idem de dictatura ejus tertia &c. ut ibidem docet Vaillantius, observari debet. Quintum consulatum iniit Cæsar A. V. C. DCCX. quo a conjuratis idibus Martiis fuit confossus.

IV.

Caput Cæsaris laureatum.

Lucius MVSSIDIVS LONGVS. Gubernaculum navis, globus, cornucopiæ, caduceus & apex sive albogalerus.

Hisce typis designavit triumvir monetalis Mussidius imperium orbis, quod penes Romanos sub Julio Cæsare erat terra marique (quæ per cornucopiæ & gubernaculum navis exprimuntur) pace & pietate (quorum caduceus & apex sunt symbola) in quibus conservandis concorditer laboraret Cæsar & senatus, conservari.

V.

Caius CAESAR. Caput deæ velatum & modio tectum.

IMP*erator* CAESAR. vel IMP*eratori* CAESAR*i*. Inscribitur in peristylio arcus triumphalis, in cujus summa parte ipsius Augusti est currus triumphalis.

Refert denarium hunc Vaillantius pag. 532. ad A. V. C. DCCXLVII. quo scribit Dio lib. LV. p. 553. Cajum, Augusti filium, & Pisonem, isto anno consulem, pro Tiberio, tum etiam consule, sed ad bellum Germanicum profecto, ludos pro Augusti reditu votos fecisse. Unde concludit idem Vaillantius, arcum quoque triumphalem Augusto curante Cajo fuisse erectum; quum non ipsius Augusti, sed deæ caput, Pietatis, ut ille putat, ut nos, Concordiæ, in priore nummi parte adpareat, & inscribatur ibi non Cæsaris Augusti, sed Caji Cæsaris nomen.

Sententia hæc non absurda videtur; narrat enim amplius Dio in istis quæ proxime præcedunt p. 552. Augustum misso ad Germanicam expeditionem & Cantabricam Tiberio cum exercitu, adjuncto copiis militaribus nepote suo Cajo, imperatoris nomen recepisse, & propter Caji præsentiam pecunias militibus largitum fuisse. Verba Dionis hæc sunt: Ὁ δ' οὖν Αὔγουστος τοῦτό τε ἐποίησε, καὶ τοῖς στρατιώταις ἀργύριον, οὐχ ὡς κεκρατηκόσι, καίτοι τὸ τοῦ αὐτοκράτορος ὄνομα καὶ αὐτὸς λαβών, καὶ τῷ Τιβερίῳ δούς, ἀλλ' ὅτι τὸν Γάϊον ἐν ταῖς γυμνασίαις τότε πρῶτον συνεξεταζόμενον σφίσιν ἔχον, ἐχαρίσατο. Id est, *Augustus præterea militibus, non quidem victoriæ nomine (quamquam & ipse imperatoris nomen acceperat, & Tiberio dederat) sed quod Cajum, tunc primum militaribus exercitiis deditum, secum habebant, pecuniam largitus est.* Inscribitur itaque hic, tanquam debellatis hostibus & Cantabris subactis, Augustus imperator scilicet XIV. & Cajus utpote expeditionis istius comes, qui quasi titulum istum avo Augusto adquisiverat, dedicare arcum istum triumphalem potuit.

Litera D.

Caput Augusti nudum.

Arcus triumphalis idem, qui in præcedenti nummo exstat, in aversa hujus parte pariter cernitur, cum iisdem quadrigis & inscriptione IMP*erator* CAESAR. vel IMP*eratori* CAESAR*i*.

Quamvis nummus hic ad familias proprie non spectet, utpote inter imperatorios Augusti referendus, clarum tamen est, additum fuisse a Morellio ad illustrationem præcedentis, ut adpareat, non alia quam Augusti tempora nummum istum præcedentem num. V. spectare posse. Depingitur itaque hic arcus triumphalis, erectus Augusto A. V. C. DCCXLVII. propter Germanos & Cantabros aliosque populos debellatos, quæ quidem expeditio contigerat A.V.C.DCCXLVI. quo ipse Cæsar Augustus in Gallias profectus fuerat, quumque hoc anno rediisset, ludi votivi pro felici reditu Augusti celebrandi erant ab anni ejus consulibus Ti. Claudio Nerone, privigno Augusti, atque Cn. Calpurnio Pisone, eodem qui postea, sublato per venenum Germanico, desertus a Tiberio, mori coactus fuit. At quum Tiberius propter novos motus in Germaniam fuisset profectus, in dedicatione quidem hujus arcus triumphalis locum ejus suppleviffe videtur Cajus Cæsar, uti nummus præcedens egregie docet; tanto speciosiore titulo, quoniam ipse Cajus (ut ex

ex Dione docuimus, quod Vaillantius non adtigerat) rudimenta militiæ ſuæ iſto bello poſuiſſet. Præterea una cum Piſone conſule ludos votivos pro reditu Cæſaris, per abſentiam ejuſdem Tiberii, Cajum eundem feciſſe luculentus teſtis idem Dio eſt loco ſupra adducto. Unde honos quidem Cajo Cæſari, ut nepoti Auguſti, in auro habitus eſt, ſed marmori inſcriptus quoque debitus honor privigno Auguſti Tiberio, tum conſuli, & qui debebatur illi titulus & votorum ſolutio, ut monſtrat titulus baſis marmoreæ Romæ erutæ anno MDXLVII. & ad caput agonalis Circi prope S. Apollinarem repertæ, cujus mentionem facit diligentiſſimus Annalium Romanorum ſcrutator Pighius tom. III. p. 526. Smetius item XVII. 9. Boiſſard. tom. IV. 141. & Gruterus XI. 1.

TI. CLAVDIVS TI. F. NERO
PONTIFEX COS. ITERVM
LVDOS VOTIVOS PRO REDITV
IMP. CAESARIS DIVI F. AVGVSTI
PONTIFICIS MAXIMI
IOVI OPTIMO MAXIMO FECIT
EX S. C.

VI.

CLEMENTIAE CAESARIS. Templum IV. columnarum, in conum deſinens.

Publius SEPVLLIVS MACER. Deſultor in equis, quorum uni inſidet, alterius læva manu habenas tenet, dextra tenens flagellum; retro eundem in area nummi cernuntur corona laurea & palmæ ramus.

Certum eſt in hoc denario præclaram ſervari memoriam templi Clementiæ in honorem Julii Cæſaris dedicati, cujus mentionem faciunt Dio Caſſius & Plutarchus; ſed ita, ut ex eorum ſcriptis nequaquam adcurate tempus & annus, quo dedicatum fuerit illud templum, poſſit colligi. Nam Dio Caſſius lib. XLIV. p. 243. inter cumulos honorum Cæſari decretos in hæc verba finit, Καὶ τέλος Δία τε αὐτὸν ἄντικρυς Ἰούλιον προσηγόρευσαν, καὶ ναὸν αὐτῷ τῇ Ἐπιεικείᾳ αὐτοῦ τεμενισθῆναι ἔγνωσαν, ἱερέα σφίσι τὸν Ἀντώνιον, ὥσπερ τινὰ διάλιον, προχειρισάμενοι. *Denique Jovis ipſi cognomentum palam impoſuerunt: templumque ei Clementiæ dedicari juſſerunt, ſacerdotioque ejus Antonium, quaſi flaminem dialem aliquem, præfecerunt.* Verum ante p. 242. præmiſit ſeſe honores Cæſari decretos eo loco ſimul recenſiturum, εἰ δὲ μὴ πάντα ἅμα ἐκυρώθη. *Licet non omnes ſimul ipſi decreti fuerint.* ex quibus patet, tempus, quo decretum hoc templum fuerit, ex Dionis verbis erui non poſſe. Plutarchus in Vita Cæſaris pag. 754. Ἐπεὶ τά γε ἄλλα, τῶν ἐμφυλίων αὐτῷ πολέμων πέρας ἐσχηκότων, ἀνέκλητον παρεῖχεν· καὶ τότε τὸ τῆς Ἐπιεικείας ἱερὸν οὐκ ἀπὸ τρόπου δοκοῦσιν χαρισήριον ἐπὶ τῇ πρᾳότητι ψηφίσασθαι. *Quando in cæteris bellis, quæ ab eo geſta ſunt, civilibus transactis, irreprehenſibilem ſeſe præſtitit. Ac Clementiæ quidem ædem tunc non immerito ad honorandum lenitatem Cæſaris decreviſſe eos dicas.* Adjungit deinde, quomodo pluribus hoſtibus ſuis ſalutem dederit, quosdam etiam ex iis honoribus auxerit. Ex hisce vero Plutarchi verbis aliquid amplius quam ex Dione colligi poſſe videtur; poſt peracta ſcilicet bella civilia templi iſtius honorem decretum fuiſſe, adeoque poſt devictos (quod ultimum Cæſari bellum civile fuit) in Hiſpania Pompeji liberos. Eos devicit A. V. C. DCCVIII. quum Lepido collegæ in conſulatu urbis cuſtodiam commiſiſſet, eique ſex ex præcipuis amicorum adjunxiſſet, ut urbi præfectos. Quare videndum nobis, utrum hic denarius cuſus fuerit A. V. C. DCCVIII. an DCCIX. an denique DCCX. quo idibus Martiis in curia fuit confoſſus, an denique poſtea. Ardua res inventu primo adſpectu viſa mihi fuit, verum cogitare cœpi, conſtitutis quatuorviris monetalibus, ſuoque illis anno adſignato, multum lucis adfulgere inde Cæſaris noſtri nummis poſſe. Inveniuntur inſtituti a Cæſare quatuorviri monetales, ſinguli in familiarum ſuarum nummis, L. Æmilius Buca, C. Coſſutius Maridianus, L. Flaminius, P. Sepullius Macer. Ex hisce IIII Vir in denariis ſuis inſcribitur L. Æmilius Buca fam. Æmil. III. 7. 8. & cognoſcitur ſignaſſe monetam anno quo dictatura perpetua Cæſari decreta erat, tab. ibid. III. lit. A. anno itaque urbis conditæ DCCX. L. Coſſutius Maridianus infra num. VII. & fam. Coſſutiæ num. II. non quidem ſcribitur in nummo IIII vir, ſed ejuſdem munus *Auro Argento Aere Flando Feriundo* una cum nomine in area nummi exprimitur, & eo ipſo tempore, quo parens patriæ Cæſar, & in primo ejuſdem gentis denario ſimul dictator perpetuus dicebatur. Quare & hic nummus A. V. C. DCCX. cuſus eſt. Tertius in ordine L. Flaminius, iterum IIII Vir inſcriptus, ad eundem annum referri debet, videlicet DCCX. licet capiti Cæſaris nulla epigraphe addatur. Hic enim eſt, qui in Fam. Flaminia num. II. oſtendere voluit ſua ætate auctum fuiſſe illud collegium, ſeque fuiſſe unum ex illis qui PR. FL. i. e. primi, ut quatuorviri, monetam ſub Julio Cæſare flaverint. Atque ita tres habemus quatuorviros, qui omnes A. V. C. DCCX. magiſtratu iſto functi fuerunt; unde concludimus auctum fuiſſe illum magiſtratum a Cæſare anno ultimo vitæ ſuæ, qui fuit A. V. C. DCCX. nam IIII Viri monetales, qui in denariis leguntur, L. Livineius Regulus, L. Livinei præfecti urbi F. Muſſidius Longus T. F. & P. Clodius; non tempore Julii Cæſaris, ſed triumvirorum Antonii, Lepidi, & junioris Cæſaris, iſto honore functi fuerunt. Cæteri, qui nummos in honorem Julii Cæſaris percuſſerunt, non ut magiſtratus monetales, qui minores dignitate quam reliqui erant, id fecerunt, ſed reſpectu muneris alterius, quod etiam tamen tale jus monetæ illis tribuebat. Ut enim de Voconio Vitulo quæſtore deſignato taceam, qui Auguſti temporibus vixit, & non Julii Cæſaris; tanquam præfecti urbis (quos ſex, vel, ſecundum alios, octo enumerat Dio Caſſius) monetam auream, argenteam, æream ſignarunt L. Plancus, A. Hirtius, L. Ceſtius, C. Norbanus, L. Livineius Regulus, C. Clovius, Q. Oppius, de quibus egimus in gente Hirtia, aliisque. Verum ſupereſt adhuc quartus ex ordine quatuorvirorum monetalium, qui A. V. C. DCCX. a Julio Cæſare inſtituti, ultimo ejus quo interfectus eſt anno iſtum magiſtratum geſſerunt. Invenimus, qui Cæſaris imagine, & in ejus honorem ſignarunt nummos, præter eos, quos enumeravimus, M. Mettium, L. Muſſidium Longum, &, cujus jam denarios explicamus, P. Sepullium Macrum. Certe ille M. Mettius videtur fuiſſe ante IIII Viros inſtitutos monetæ præfectus, ut & L. Muſſidius Longus, cujus tredecim cernuntur nummi cuſi in honorem Cæſaris, fam. Muſſidiæ tab. I. Alius omnino fuiſſe videtur ab hoc L. Muſſidio Longo is, qui Titi filius adpellatur, temporibusque triumvirorum IIII Vir monetalis adpellatur ibidem tab. ſecunda num. I. II. III. quique potuit prioris Muſſidii ex fratre nepos fuiſſe; nam Muſſidium illum vetuſtiorem exiſtimo extitiſſe una cum M. Mettio III virum Monetalem, qui more ſolito pecuniam ſignarunt ante inſti-

tutos IIII viros; ex tredecim enim ejus Mussidii denariis, qui in gente illa tab. I. occurrunt, quatuor caput Julii Cæsaris habent, nulla addita epigraphe, unde dignosci possit annus, quo cusi sint; si vero post mortem Cæsaris, in initio triumviratus cusi fuissent, ut vult Vaillantius tom. II. p. 157. vel epigraphe Divi, vel aliquod signum divinitatis, ejus fuisset additum. A quo Mussidio aperte videtur se distingui velle, qui sub triumviris reip. constituendæ denarios cudit, L. Mussidius Longus, qui in cunctis illis denariis, qui tab. secunda num. I. II. III. occurrunt, studiose Titi sese filium vocat, quum patris nomen in nullo ex tredecim denariis Mussidii prioris inveniatur. At vero P. Sepullius Macer, de quo jam nobis sermo est, agnoscitur ex familiæ Sepulliæ nummo III. signasse denarios Cæsare jam dictatore perpetuo, adeoque A. V. C. DCCX. quo interfectus fuit; quo occiso, quum per reliquum anni tempus in magistratu illo maneret Sepullius, Antonii quoque videri potest signasse imaginem, ut ostendunt denarius num. IV. & nummus æreus lit. B. Consul enim tum erat Antonius, summumque adeo in imperio Romano magistratum gerebat, aususque fuit pati ut denarii nummique cum imagine sua (exemplo Julii Cæsaris) signarentur, vel quia jam ante Cæsar ipse, dictator reipublicæ constituendæ creatus, Antonii, quem imperatorem reipublicæ constituendæ nominaverat, imaginem cum sua sociaverat, prouti ex Vaillantii sententia docuimus ad fam. Anton. tab. quinta num. II. pag. 26. Vel quia jam ipse nihil modicum cogitabat Antonius, potuit & hosce omnes nummos pati signari a Sepullio, & illum ipsum, qui exstat in fam. Antonia tab. quinta, num. II. utpote pertinentem ad honorem suum, qui omnibus reliquis in imperio præferendus esset post Cæsarem, a quo dictatore jam ante magister equitum, sive, ut tunc loquebantur, imperator constituendæ reipublicæ fuisset creatus, atque ita tantum non successor ipsi destinatus.

Neque tamen hoc probabile mihi videtur, quum eo tempore annoque urbem tenentes illi, qui Cæsarem occiderant, permissuri non fuissent illum honorem vel Cæsari vel Antonio haberi. Forte itaque duo fuere Sepullii Macri, prior IIII monetalis anno Cæsaris ultimo, alter triumvirorum tempore, & eo anno, quo ducta in uxorem Octavia, convenit inter Cæsarem Octavianum & Antonium. Vide quæ dicturi sumus ad familiæ Sepulliæ num. IV. & seqq. ubi ex Dione ostensuri summus ad A. V. C. DCCXIV. juxta illum, hos nummos pertinere, quo ludos celebrarunt, quos contra percussores Cæsaris voverant.

Præter templi ipsius faciem, docet nummus ludorum Circensium editionem, adeoque iterum præclarum antiquitatis monumentum continet, Circenses videlicet ludos, neque tamen puto cum Vaillantio tomo I. p. 525. innui illos, quos dedisse ipsum Cæsarem ait Suetonius in vita ejus cap. XXXIX. Sed quos ediderit Antonius in dedicatione istius templi, ipso forsan natali Julii Cæsaris, qui incidebat in diem XII. Julii mensis, qui ab illo nomen acceperat, lege ferente ipso quondam Antonio, ut notat Macrobius Saturnal. lib. I. cap. XII. ubi de mense Quintili agit; *Sed postea* (inquit) *in honorem Julii Cæsaris dictatoris, legem ferente M. Antonio, M. filio, consule, Julius adpellatus est; quod hoc mense ad quartam idus Quintiles Julius procreatus sit.* Neque sane mirer, si Circenses quoque ludi natalibus Cæsaris celebrandi inter reliquos honores fuerint adjecti, quum etiam decreverint inter tot immodicos honores, *thensam & ferculum Circensi pompa*, uti testatur in Vita ejus Suetonius cap. LXXVI. ubi mox addit *adpellationem mensis e suo nomine*; imo quum disertis verbis inter honores illi decretos interserat Dio pag. 242. Τά τε γενέθλια αὐτοῦ δημοσίᾳ θύειν ἐψηφίσαντο. *Sacra publice fieri natali ejus die jusserunt.*

Litera E.

CL*ementiae* CAESAR*is.* Templum idem Concordiæ, sub quo, in infima denarii parte, scribitur PVTEAL.

MACER. Eques desultor.

Macer simpliciter in denario hoc dicitur, qui in præcedente P. Sepullius Macer; prouti itidem cognomen tantum ejusdem Macer exprimitur in ultimo gentis Sepulliæ nummo, æreo, in quo Antonii velati imago occurrit lit. B. At, quod magis notabile in hoc denario spectandum se exhibet, est subscriptio PVTEAL; quæ nos evidenter docet, præter templum hoc Clementiæ in Cæsaris honorem erectum atque dedicatum, aram quoque Cæsari ut clementi numini fuisse positam. Puteal enim nihil aliud quam aram designare potest, uti evidenter docuerunt viri docti ad puteal Scribonii Libonis, de quo in familia Scribonia nobis agendum erit. Neque mirum Cæsari jam post mortem consecrato puteal, sive aram, erectam fuisse, quum vivo etiamnum ejusmodi honores senatus decreverit: *Templa, aras, simulacra juxta deos, pulvinar, flaminem, lupercos, adpellationem mensis e suo nomine.* prouti enumerantur a Suetonio in Vita ejus cap. LXXVI.

VII.

CAESAR PARENS PATRIAE. Caput Cæsaris laureatum & velatum, cum lituo & albo galero, auguratus & pontificatus maximi insignibus.

Caius COSSVTIVS MARIDIANVS *Auro Argento Aere Flando Feriundo.* In area nummi per transversum, ut & in oris ejusdem.

C. Cossutius Maridianus, uti paullo ante docuimus, fuit inter quatuorviros monetales, qui ultimo Julii Cæsaris anno sive A. V. C. DCCX. eo magistratu functi fuerunt, quum dictatoris quartum & parentis patriæ nomina Cæsar recepisset.

VIII.

DIVI IVLII. Caput Cæsaris laureatum cum adposito lituo augurali.

Quintus VOCONIVS VITVLVS. Vitulus stans.

Post mortem Julii Cæsaris argenteum hunc denarium signatum fuisse DIVI IVLII inscriptio docet, docet insuper aureus Q. Voconii Vituli ejusdem denarius, in quo caput Cæsaris, Divi filii, cum prima adhuc lanugine signatur; docet item aureus & rarissimus denarius, quem ipse possideo, in quo non tantum Cæsaris Octaviani cernitur eadem facies, verum etiam *Quæstor* DESIGN*atus Senatus Consulto* adpellatur idem Voconius, prouti in nummo ipsius Julii facie insignito, qui exstat in gente Voconia num. I. eodem illo, qui mox tab. VI. sequitur.

De Voconio Vitulo, qui ad nomen suum adludens vitulum expressit, visuri sumus in gente Voconia.

TAB. VI.

I.

Caput Cæsaris laureatum. Non additur epigra-

graphe, quia cusus a quæstore designato temporibus Octaviani Cæsaris, non indigebat adponi nomen divi, quod pro lubitu in aliis adponebatur, ut ex antecedenti nummo patet, vel omittebatur, uti ex hoc liquet.

Quintus VOCONIVS VITVLVS *Quæstor* DESIGN*atus Senatus Consulto.* Vide familiam Voconiam.

II.

Caput Cæsaris laureatum.

Lucius FLAMINIVS IIII VIR. Felicitas stans, dextra caduceum tenens, læva hastam.

Interpretationem hujus denarii dat Dio Cassius lib. XLIV. pag. 242. ubi inter reliqua decreta senatus addit illud quoque fuisse de nova curia exstruenda. Βουλευτήριόν τέ τι καινὸν ποιῆσαι προσέταξαν, ἐπειδὴ τὸ Ὁστίλιον, καίπερ ἀνοικοδομηθὲν καθῃρέθη· πρόφασιν μὲν τοῦ ναὸν Εὐτυχίας ἐνταῦθα οἰκοδομηθῆναι, ὃν καὶ ὁ Λέπιδος ἱππαρχήσας ἐξεποίησεν· ἔργῳ δὲ, ὅπως μήτε ἐν ἐκείνῳ τὸ τοῦ Σύλλου ὄνομα σώζοιτο, καὶ ἕτερον ἐκ καινῆς κατασκευασθὲν, Ἰούλιον ὀνομασθείη. *Utque novam curiam exstrueret. Erat enim curia Hostilia quum refecta fuisset, denuo destructa, eo verbo, quod ibi templum Felicitatis ponere instituissent: quod Lepidus quum magister equitum esset, absolvit: sed re ipsa ob hanc causam; ut ne in eo quidem loco Syllæ nomen superesset, ac nova curia, Julia vocaretur.*

III.

Caput Julii Cæsaris laureatum, a cujus altera parte lauri ramus cum baccis cernitur, ab altera caduceus alatus.

Lucius LIVINEIVS REGVLVS. Taurus feroci impetu saliens.

Tristanus a Sancto Amante Comment. Histor. tom. I. pag. 32. credidit cusum hunc denarium fuisse Cæsare jam dictatore perpetuo creato, atque taurum validum & ferocientem exprimi, ut symbolum regis potentis & symbolum dominationis validæ. Verum nunquam in nummis antiquorum facile ad symbolicas explicationes est confugiendum, nisi ubi historia deficit. Cæsar non fuit dictator perpetuus, quum nummum hunc signari fecit Livinejus; verum eo quo signavit tempore tertium dictator Cæsar fuit, atque, ultimo illo sibique periculosissimo bello Hispaniensi cum Pompeji liberis confecto, in urbem rediit, atque, ut Fasti docent, ex Hispania mense Octobri triumphavit. Discedens vero in Hispaniam (uti sæpe diximus) commissa Lepido urbis cura, sex præfectos urbi fecerat; inter quos fuisse quoque L. Livinejum Regulum ex denariis gentis Livinejæ aperte patere potest.

Hic itaque L. Livinejus Regulus, ut præfectus urbi, Cæsari de victoriis suis gratulatus est hoc denario, in quo a parte capitis laureus ramus cum baccis cernitur, in memoriam victoriarum omnium, & præsertim novissimæ de reliquiis belli civilis; addidit idem pacis symbolum caduceum, quoniam pacatus jam erat orbis Romanus, atque omnia Cæsaris potentiæ, nemine hiscente, subjecta.

Taurum ferocem Vaillantius censet pertinere ad ludos & spectacula, atque venationes, quas plus semel editas a Cæsare fuisse & splendidissimas innuit Dio Cassius lib. LIII. Cujus sententiæ suæ fundamentum, non spernendum, petit ex Plinio; cujus hæc verba sunt lib. VIII. cap. 46. *Thessalorum gentis inventum est, equo juxta quadrupedante cornu intorta cervice tauros necare: primus id spectaculum dedit Romæ Cæsar dictator.* Primus, qui id fecerit, Plinio dicitur Cæsar, ideoque in hoc ejus nummo feroci impetu se attollens taurus cernitur; postea enim spectaculis ejusmodi & Claudius & Nero oculos populi Romani paverunt. Suetonius in Claudio cap. XXI. *Exhibuit præterea Thessalos equites, qui feros tauros per spatia circi agunt, insiliuntque defessos, & ad terram cornubus detrahunt.* Dio de Nerone: Ἐν δέ τινι θέᾳ ἄνδρες ταύρους ἀπὸ ἵππων, συμπαραθέοντες σφίσι, κατέστρεφον. *Quodam spectaculo homines equis insidentes, juxta tauros currentes vecti, eos occiderunt.* Prout in ejusdem excerptis exstat apud Xiphilinum pag. 166.

IV.

& sequens nullo notatus numero.

Senatus Consulto. Caput Julii Cæsaris laureatum. In eo, qui sequitur, nota illa senatus consulti abest.

TIberius SEMPRONIVS GRACCVS QVAESTOR DESIG*natus. Senatus Consulto.* Signum militare, aquila legionaria, aratrum, & decempeda.

Typus hic symbolum est coloniarum, quas ex Senatus Consulto deduxisse complures Julium Cæsarem adscriptæ literæ S. C. ostendunt. Cusi vero hi denarii sunt post mortem Cæsaris, uti in Familia Sempronia visuri sumus.

V.

Caput Veneris vel Junonis, retro illud cernitur S. semissis nota.

VALENTIA. Duplex cornucopiæ cum stella & litera S. semissis nota.

Retulit huc hunc nummum Morellius, tanquam ad Julium Cæsarem spectantem; credens innui coloniam ejus Juliam Valentiam in Hispaniis, de qua Plinius lib. III. cap. 3. *Regio Edetanea amœno prætendente se stagno, ad Celtiberos recedens. Valentia colonia,* III *M. passuum a mari remota. Flumen Turium &c.* Vel coloniam Gallicam, quæ Ptolemæo Geographiæ lib. II. pag. 51. (in alia & opt. edit. Bertii 55.) ut Segalaunorum urbs celebratur, atque sicuti paullo ante colonia agnoscitur Nemausus in Aricomiis, Οὐαλεντία Κολωνία dicitur. Verum erravit vir optimus, neque enim ad tempora Julii Cæsaris, vel nummos imperatorum pertinet, sed pertinet ad nummos urbium; quos quum semper magno studio collegerim, & millia aliquot ejus generis, ut plurimum inedita & incognita, possideam, sic urbis Valentiæ, quæ ad Magnam Græciam referenda est, septem variis typis insignes nummos possideo; in quibus signandi ars & ratio, atque adposita ponderis signa, ut sunt semissis, trientis, & similia, ostendunt ad vetustiora tempora urbiumque nummos & hunc & similes esse referendos.

VI.

Caput Veneris.

COL*onia Laus* IVL*ia* COR*inthus.* Bellerophon pegaso insidens Chimæram domat.

Colonias varias duxisse Julium historia docet, sed in primis Carthaginem & Corinthum: unde posterior urbs Laus Julia dicta fuit, atque elegantissimos nummos in honorem Cæsaris percussit, cum capite Veneris, ut hic est, aut ipsius Julii, ut sunt tres sequentes, qui quidem vivo Cæsare cusi sunt; alii enim, in quibus Augusti etiam caput invenitur, sub successore Cæsaris cusi sunt.

Eodem vero anno, videlicet DCCX. colonias & Carthaginem & Corinthum deductas fuisse Dio lib. XLIII. testatur.

Litera A.

LAVS IVLI*a* CORINT*hus*. Caput Julii Cæsaris laureatum.

Lucio CERTO AEPPI*o* *Caio* IVLIO II VIR*is*. Pegaso insidens Bellerophon Chimæram oppugnat.

Nota est de Bellerophonte, Pegaso, & Chimæra fabula. Heroem vero illum, ut Corintho oriundum, passim in monetis suis Corinthii celebrarunt, vel passim symbolum ejusdem, equum Pegasum, nummis suis insculpserunt, ita ut inde nomen monetæ Corinthiacæ datum fuerit. Pollux lib. IX. cap. VI. §. 76. pag. 1049. Πῶλον δὲ, τὸ νόμισμα τὸ Κορίνθιον, ὅτι Πήγασον εἶχεν ἐντετυπωμένον. *Et pullus quidem dicta est moneta Corinthiaca, quod Pegasum insculptum haberet.*

Julium illum, unum ex duumviris, crediderim libertum C. Julii Cæsaris fuisse, unde & nomina patroni sui gerit.

VII.

LAVS IVLI*a* CORINT*hus*. Caput Cæsaris laureatum.

Lucio CERTO AEPPIO *Caio* IVLIO II VIR*is*. Bellerophon Pegaso insidens sine adpicta Chimæra.

Litera B.

LAVS IVLI*a* CORINT*hus*. Caput Cæsaris laureatum.

Lucio CERTO AEPPIO *Caio* IVLIO IIVIR*is*. Pegasus frenatus.

Frenatus in hoc nummo, ut & superioribus, exhibetur Pegasus, quod frena pati illum docuerit Minerva, atque ita domitum Bellerophonti tradiderit. Hinc *Frenatricis* sive *Chalinitidis* cognomine dea illa culta a Corinthiis fuit, ut testatur Pausanias lib. II. cap. IV. pag. 119. Τοῦ μνήματος δέ ἐστιν οὐ πόῤῥω, Χαλινίτιδος Ἀθηνᾶς ἱερόν. Ἀθηνᾶν γὰρ θεῶν μάλιστα συγκατεργάσασθαι τά τε ἄλλα Βελλεροφόντῃ φασὶ, καὶ ὡς τὸν Πήγασόν οἱ παραδοίη, χειρωσαμένη τε καὶ ἐνθεῖσα αὐτὴ τῷ ἵππῳ χαλινόν. *A sepulcro non multum distat Frenatricis Minervæ fanum. Minervam etenim ajunt præ cæteris diis Bellerophonti quum aliis in rebus opitulatam, tum vero a se domitum, freno jam imposito, Pegasum dedisse.*

VIII.

Caput Augusti nudum.

Caio IVLI*o* II VIR*o*. In laurea, seu potius myrtea corona.

Caput evidenter Augusti est. Julius vero ille, videtur filius fuisse Caji Julii, qui sub Cæsare cum duumviro L. Certo Æppio nummos percussit & cognomen Heraclidis habuisse videtur; quod elicio ex nummo alio Augusti, quem exhibet Morellius inter Augusti nummos tab. XXXVI. num. 9. & 10. ubi pariter in corona, sed laurea, hæc legitur inscriptio, *Publio* AEBVTIO *Caio* IVLIO HERA*Clide* II VIR*o* QVI*nquennali* ITER*um*. Corona myrtea in hoc nummo est propter nuptias M. Antonii & Octaviæ, sororis Cæsaris, de quibus in nummo sequenti.

Litera C.

CORINT*hus*. Caput M. Antonii nudum.

Publio AQVINO *Caio* IVLIO II VIRIS. Figura muliebris sedens, dextra tenens pateram, læva sellæ innixa.

Nummus hic insignis videtur cusus fuisse eo tempore, quo concordia viguit inter triumviros Cæsarem & Antonium, anno videlicet DCCXIV. sive (ut alii numerant) DCCXIII. quo, mortua Fulvia, Octaviam uxorem duxit Antonius. Eo tempore quum duumviratum Corinthi gererent P. Aquinus & C. Julius, egregie hoc nummo novam inter triumviros concordiam reipublicæ gratulati sunt, expressa ab altera parte M. Antonii effigie, ab altera ipsius Octaviæ, quæ, tanquam ipsa dea Concordia, sedens libationes pro utriusque, mariti & fratris, propensa voluntate & salute facit. Postea vero, Antonio a reipublicæ & imperii partibus amoto, alter ex hisce C. Julius scilicet, qui tempore triumvirorum hunc & præcedentem nummum cudit, iterum factus est duumvir, prouti ostendit ejusdem nummus inter nummos Augusti tab. XXXVI. num. 9. & 10. ubi nomen Augusti adpositum testatur cusum eo tempore fuisse numisma, quo solus jam Cæsar, Augusti adsumto nomine, rerum potiebatur.

Litera D.

NERO CLAVD*ius* CAES*ar* AVG*ustus*. Caput Neronis laureatum.

COR*inthus* *Caio* IVLIO POLYAENO II VIR*o*. Corona ex apio, cui inscribitur ISTHMIA.

Isthmii vocati fuerunt ludi illi, qui in honorem Neptuni singulis quinquenniis celebrabantur Corinthi, urbe pulcherrima in ipsis augustiis peninsulæ Peloponnesi, ubi terris adhæret, sita, destructa quondam a Mummio Achaico, sed a Julio Cæsare colonia Romana facta. Unde, reddita solennium certaminum celebritate, corona victorum solita ex apio in hoc nummo cernitur. Familia Julia non una Corinthi jam a fundatoris Julii tempore videtur exstitisse; habuimus enim supra in notis ad num VIII. cognomen Heraclidis, sicuti in hoc nummo ut & sequentibus Polyæni.

Litera E.

NERO CLAVD*ius* CAES*ar* AVG*ustus*. Caput Neronis nudum.

COR*inthus*. *Caio* IVLIO POLYAENO II VIR*o*. Bellerophon, læva manu clypeum tenens, dextra frenum corripiens equi Pegasi.

Frenum volucris equi corripit Bellerophon, impositum Pegaso a Minerva. Facit illud meliore successu, quam Bargyllus socius fecit, qui, quum corripere eundem vellet, ictu calcis interiit. Unde Bargylæ, urbi Cariæ, nomen. Stephanus Byzantinus in illa voce. Ὠνομάσθη δὲ ἀπὸ Βαργύλου, ὃς πληγεὶς ὑπὸ Πηγάσου, τελευτᾷ. Βελλεροφόντης δὲ ἀνιαθεὶς ἐπὶ τῷ ἑταίρῳ, πόλιν ἔκτισε Βαρ-

Βαργυλίαν. *Nomen habet a Bargylo, qui a Pegaso ictus interiit. Bellerophon autem ob amici casum tristatus, urbem Bargyliam condidit.* Videntur hac pictura Neroni, tanquam heroi Bellerophonti, blandiri voluisse Corinthii.

Litera F.

NERO CAESAR .AVG*ustus* IMP*erator.* Caput Neronis laureatum.

COR*inthus.* *Caio* IVL*io* POLYAENO II VIR*o* QVI*nquennali* ADVE*ntus* AVG*usti.* Navis prætoria cum vexillo & remigantibus.

Celebratur hoc typo Neronis imperatoris in Græciam atque ipsam urbem Corinthum adventus. Notum enim est, quanta ambitione laudem musicæ aliarumque artium ludicrarum, tanti principis studio indignarum, stolide adfectaverit.

TAB. VII.

I.

BVTHR*otum.* AVGVSTVS. Caput Augusti nudum.

Publio POMPONIO *Caio* IVLI*o* II VI-R*is Quinquennalibus.* Pons elegantissimus cum tribus fornicibus.

Hunc nummum primus edidit Carolus Patinus atque inseruit inter Fulvii Ursini numismata, verum admodum incuriose atque præter veram nummi picturam delineatum. Expressit eundem Vaillantius, prout apud Patinum invenit, tab. LXXVI. num. 67. atque insuper tanquam ex argento sit, non ex ære, notam argentei perperam addidit, & pro Patino Fulvium posuit. In libro vero de Coloniis tom. I. pag. 19. meliorem aliquanto nummi picturam dedit, sed ita rudem & imperfectam, ut adpareat, nummum admodum detritum ab eodem visum fuisse. Morellius vero, ex thesauro regio nactus integriorem, pulcherrimam nobis ejus dedit delineationem & hic, & inter nummos Augusti tab. XLIV. num. 12. & 13. ubi litera Q. quæ hic omissa est, additur quinquennalem duumvirum fuisse Pomponium significans.

Patinus, quum literæ retro caput Augusti evanidæ essent, pro BVTHR. ex iis fecit CAESAR. & ab altera parte, ubi lineolæ obscuræ nomen P. Pomponii. oculis auferrent, credidit poni debere currum triumphalem. His deceptus Vaillantius tom. I. pag. 532. credidit arcum depingi triumphalem cum tribus fornicibus, qui apud Corinthios in honorem Augusti erectus fuerit. Immemor fuit vir præstantissimus, meliorem se jam ante hujus nummi dedisse interpretationem in libro de Coloniis tom. I. p. 19. ubi opportune docet a Colonia Romana Buthroto signatum fuisse nummum, urbemque illam Epiri conditoris sui imaginem expressisse ab altera parte; ab altera vero pontem, ab eodem exstructum in commoditatem urbis in sinu Ambracio super fluvium Acherontem. Cujus pontis & mirabilis ejusdem structuræ mentio est apud Plinium lib. IV. cap. 1. *In Epiri ora castellum in Acroceruniis Chimæra, sub eo aquæ regiæ fons. Oppida Mæandria, Cestria: flumen Thesprotiæ Thyamis: colonia Buthrotum, maximeque nobilitatus Ambracius sinus, faucibus spatiosum æquor accipiens longitudinis* XXXIX M. *pass. latitudinis* XV. M. *In eum defertur amnis Acheron e lacu Thesprotiæ Acherusia profluens* XXXVI. M. *pass. inde, & mille pedum ponte mirabilis omnia sua mirantibus.*

II.

Caput dei Triumphi (ut nobis videtur) alatum & laureatum; retro illud tridens cernitur cum duobus spiculis.

Lucius IVL*Ius* BVRSIO. Victoria in citis quadrigis, dextra corollam prætendens, læva habenas tenens equorum.

Litera A.

Caput idem Dei Triumphi; retro illud tridens cum cornucopiæ cernitur.

EX *Argento Publico.* Vel EX *Auctoritate Publica.* Typus idem.

Infra tab. IX. viginti quinque inveniuntur hujus Julii Bursionis denarii, omnes a se invicem signis quibusdam discrepantes; ad quos quum pervenimus, & hos & illos illustrare conabimur; Vaillantii enim opinio nullam veritatis speciem habet.

III.

CAESAR III VIR R*ei*P*ublicæ Constituendæ.* Caput Cæsaris Octaviani nudum.

Sella curulis, supra quam laurea reposita cernitur. Ipsi sellæ inscriptum est CAESAR*i* DIC*tatori* PER*petuo.*

Recte viri docti sellam hanc curulem cum imposita corona ad honores Cæsari dictatori decretos referunt, prout apud Ursinum, Vaillantium, & Spanhemium cerni potest; de quo more plura dicemus ad ipsius Cæsaris nummos. Coronam illam ex auro & gemmis fuisse docent scriptores, laureæ tamen habuisse imaginem non absurde suspicatur Ursinus, addo baccas lauream ex gemmis potuisse confici, & ita lauream illam adpellari potuisse coronam ex auro & gemmis. Notari quoque velim pedes sellæ curulis, qui non simpliciter sunt facti, ut in aliis sellis curulibus, verum adinstar cornucopiæ, quibus ipsis magnificæ Cæsaris largitiones atque munera cerealia, ab illo, tanquam deo, data populo, exprimi potuerunt. In Trajani præsertim & Hadriani, aliorumque imperatorum nummis hanc sellarum & sedilium picturam imitati deinceps sunt monetarii.

Litera B.

IMP*erator* CAESAR DIVI F*ilius* III VIR ITER*um* R*ei*P*ublicæ Constituendæ.* Caput Cæsaris Octaviani nudum.

Caio CAESAR*i* DICT*atori* PERPET*uo* EX *Senatus Consulto.* Sella eadem curulis cum imposita corona.

Duo in hoc denario observanda sunt; primum, quod repetitus honoris titulus fuerit sub Cæsare iterum triumviro; & novus nummus cusus, diversus ab illo, quem in priore triumviratu signaverat. Additur enim hic ex *Senatus Consulto* positam hanc sellam fuisse. Deinde pro lubitu monetarii partem inscriptionis poni in ora nummi, partem in ipsa sella curuli; quod notari volo ad confirmationem nostræ explicationis de inscriptio-

ptione nummi Caninii Galli, ſupra pag. 70. in quo L. Caninius Gallus III VIR. C. Cæſaris Auguſti vocatur, ita ut pars inſcriptionis in circuitu ſit nummi, pars ipſa incude in nummo expreſſa contineatur.

Litera C.

Caius CAESAR DICT*ator* PERP*etuus* PONT*ifex* MAX*imus*. Caput Julii Cæſaris laureatum.

Caius CAESAR CO*n*S*ul* PONT*ifex* AVG*ur*. Cæſaris Octaviani caput nudum.

Ut de tempore cuſi hujus denarii aurei (quem in gaza Marckiana quoque obſervavi, & inde accuratius aliquantum, quam hic datur, depinxi) conſtet; ſciendum eſt, non inſcribi C. Cæſarem Octavianum IIIvirum, ut in aliis, ſed conſulem. Conſulatum vero vi rapuit, dolo & fraudibus ociſis in acie & per medicos ex vulnere Hirtio & Panſa conſulibus; conſul itaque factus eſt ante juſtum tempus, annos viginti natus, quod nunquam ante Romæ contigerat. Iniit magiſtratum menſe Sextili, qui Auguſti poſtea ab eodem nomen accepit, quamvis Vellejus Paterculus ad XIV. Kal. Octobris rejiciat. Per duos certe menſes tantum geſſit: Conſulatum enim ejus *bimeſtrem* adpellat Plancus in epiſt. ad Ciceronem lib. X. epiſt. 24. Nam quum ante anni exitum, conſpiratione cum M, Antonio & Æmilio Lepido facta, triumviratum perdendæ reipublicæ capeſſeret, conventum inter illos eſt, ut ſola III viratus poteſtate contentus, deponeret Conſulatum, atque collegis ſuis æquaretur; prouti ex Appiano patet, qui in initio libri IV. de B. Civ. conveniſſe illos ait in inſula plana fluvii Labinii, atque ibi per integrum biduum habito colloquio ſtatuiſſe inter alia de communi ſententia, ut Cæſar conſulatum in reliquum anni Ventidio cederet. Hisce itaque duobus menſibus intermediis cuſum aureum hunc nummum exiſtimo, utpote in quo conſulem ſeſe vocet, non vero triumvirum. Neque mirari debemus id honoris & ſuperbiæ ſibi ſumſiſſe Cæſarem, jam nihil modicum cogitantem, ut ſuam, adhuc in vivis & magiſtratu, imaginem ſignari in nummo una cum imagine patris adoptivi faceret, quum civile nihil a tali expectari potuerit vel debuerit, cujus in rapiendo conſulatu hanc dat deſcriptionem Suetonius in Vita ejus cap. XXVI. *Magiſtratus atque honores & ante tempus, & quosdam novi generis, perpetuosque cæpit. Conſulatum* XX. *ætatis anno invaſit, admotis hoſtiliter ad Urbem legionibus, miſſisque qui ſibi nomine exercitus depoſcerent, cum quidem cunctante ſenatu Cornelius, centurio, princeps legationis, rejecto ſagulo oſtendens gladii capulum, non dubitaſſet in curia dicere. Hic faciet, ſi vos non feceritis.* Pontifex & augur in nummo adpellatur, in illud videlicet collegium ab avunculo Cæſare una cum Antonio adſcitus; unde ejusdem, ut pontificis, præclara mentio apud Ciceronem Philipp. V. cap. 17. *Sed ſæpe ſpero fore, hujus adoleſcentis ornandi, honorandique & nobis, & populo Rom. poteſtatem. hoc autem tempore ita cenſeo decernendum. Quod C. Cæſar, C. F. pont. propr. ſummo reip. tempore milites veteranos ad libertatem populi R. cohortatus ſit, eosque conſcripſerit: quodque legio Martia, Quartaque ſummo ſtudio, optimoque in remp. conſenſu, C. Cæſare duce, & auctore, remp. libertatem populi Rom. defendant, defenderint: & quod C. Cæſar, propr. Galliæ provinciæ cum exercitu ſubſidio profectus ſit: equites ſagittarios, elephantos in ſuam, populique R. poteſtatem redegerit, difficillimoque reip. tempore, ſaluti, dignitatique populi Ro. ſubvenerit: ob eas cauſas ſenatui placere, C. Cæſarem, C. F. pontificem, proprætorem, ſenatorem eſſe, ſententiamque loco prætorio dicere: ejusque rationem, quæcunque adpetet, ita haberi, prout haberi lege liceret, ſi anno ſuperiore quæſtor fuiſſet.*

IV.

DIVOS IVLIVS. Caput Julii Cæſaris laureatum.

CAESAR DIVI F*ilius*. Caput Cæſaris Octaviani nudum.

Complures invenimus nummos, quos ſignari fecit Cæſar Octavianus, antequam Auguſti adſumeret nomen. In plerisque illorum Divi filium ſeſe vocat, quod fecit præcipue, ut oſtenderet jus ſuum hæreditarium ad omnia Cæſaris, ipſumque imperium, & gratus præ cæteris, potentiam ambientibus, eſſet apud omnes, quibus grata Cæſaris erat memoria.

Litera D.

DIVI F*ilius*. Caput Cæſaris Octaviani nudum cum ſtella ſub mento.

DIVOS IVLIVS. In laurea baccifera. In infima ora neſcio quod inſtrumentum conſpicitur, & nomen PIVS.

Sæpe animum meum cogitatio ſubiit, quid hic ſibi nummus velit, in quo nomen PIVS ut & neſcio quod inſtrumentum conſpicitur. Paſſim in cimeliis cernuntur hi nummi Cæſaris Octaviani, qui caput ejus exhibent, quale in hoc nummo cum aſtro (quod ad Apollinem referendum judico, cujus numine plurimum gaviſus ſemper eſt) atque laurea illa divi Julii nomine inſcripta, quæ ab altera nummi parte obſervatur. Ipſe quoque talem poſſideo. Verum illud notatu dignum eſt, quod in infima nummi ora aliquid inſuetum oculis ſeſe offerat. Binas conjecturas meas proponam, quarum poſteriorem maxime locum ſuum tueri poſſe confido. Cuſus hic nummus fuit circa A. V. C. DCCXIV. vel, quod eo anno coactus fuerit Cæſar a populo Romano fœdus facere cum Sexto Pompejo, qui inſulis Sicilia atque Sardinia, horreis populi Romani, per Menam libertum occupatis, famem Italiæ indixerat; ut ſic communi opera cuſus nummus fuerit, in quo ad ſignificandam concordiam mutuam, patris Julii memoriam, ut Divi, inſcripſerit Cæſar, Pompejus vero peitatem pariter ſuam & in patrem & in cives oſtentans, Pium ſeſe (quo nomine ſæpe in nummis dicitur) vocaverit. Altera expoſitio ſimplicior eſt, & propterea magis mihi arridet; eaque hæc eſt. Occurrunt nobis in veterum nummorum acervis complures nummi & argentei & ænei, qui per feſtinationem & errorem monetariorum, quum non rudes & plani eſſet orbiculi, ſed cuſi jam nummi, iterum incudi ſubjecti fuerunt, & aliqua ſui parte, antequam errorem ſuum operarii animadverterent, novum typum & non ſibi congruum acceperunt. Illud præſertim animadvertitur in denariis ejusdem generis & typi; cujus rei exemplo eſſe poteſt denarius gentis Didiæ num. III. & ipſe non tantum ſimiles conſulares ex argento poſſideo, verum etiam æreos imperatorum, & populorum Græciæ. Rarius tamen in diverſorum

rum nummis illud occurrit; cujus tamen erroris hic exemplum videtur esse. Quum enim in Sicilia Sexti Pompeji monetarii, præter auream atque argenteam monetam, signarent quoque (ut notum est) æream; illi, putantes sese orbem sive æs rude subjicere incudi, signatum jam cum Augusti effigie nummum subjecerunt; qui quamvis leviter tactus ab incudis inpressione, tamen in ora sua Pompeji cognomen PIVS adhucdum ostendit; ut & figuram aliquam, quam matrici insculptam signare in nummo Pompejani monetarii voluerant. Illa vero mihi videtur non alia esse quam sella curulis, cujus quidem in æreis nummis extra Romam cusis passim informis facies esse solet. Patebit id conferenti nummos similes Familiæ Porciæ lit. F. Pupiæ, num. I. II. III. Verum nummum ipsius Sexti Pompeji cum hoc typo hactenus nobis invidit temporum injuria, aliquando forsitan e terræ visceribus eruendum.

V.

CAESAR AVGVSTVS. Caput Augusti cum corona quernea.

DIVVS IVLIVS. Stella crinita sive Julium sidus.

Augustus, victo ad Actium Antonio, & solus rerum potitus, ostendere hoc & pluribus ejusdem generis numismatis voluit, mortem patris sui Cæsaris jam omnibus modis esse vindicatam, servatorem sese civium merito esse adpellatum, adeoque patri quidem in cœlis inter astra honorem, sibi in terris obtingere, ut qui divisum imperium cum Jove haberet, post fata inter sidera quoque recipiendus.

Litera E.

CAESAR AVGVSTVS. Caput idem.

DIVVS IVLIVS. Stella eadem crinita; verum & facies Augusti & stellæ figura alio ordine posita sunt.

Litera F.

CAESAR AVGVSTVS Caput idem.

DIVVS IVLIVS. Stella eadem crinita; sed hic nummus in typorum tantum figuura differt.

VI.

IMP*erator* CAESAR DIVI F*ilius* III VIR ITER*um* R*ei*P*ublicæ* C*onstituendæ*. Caput Cæsaris Octaviani nudum, cum prima lanugine.

C*on*S*ul* ITER*um* ET TER*tium* DESIG*natus*. Templum quatuor columnarum, inscriptum DIVO IVL*io*, supra quam inscriptionem astrum cernitur. In ipso templo est statua Julii Cæsaris togati, lituum dextra tenentis; ad dextrum templi latus ara est in ipsa nummi area.

Exhibetur in hoc & sequenti denario templum, quod secundo suo consulatu, quum tertium designatus esset, exstruxit & dedicavit Cæsar Octavianus, iterum triumvir reipublicæ constituendæ. Consul vero factus est secundum A. V. C. DCCXXI. tertium consulatum gessit A. V. C. DCCXXIII. juxta Varronis computum, nam alii annum unum retro numerant. Stat in templo lituum tenens Cæsar, & capite (in nummis certe) velato. Ara ad divinitatem ejus spectat, astrum quoque consecrationem ejus videtur innuere.

Litera G.

IMP*erator* CAESAR DIVI F*ilius* III VIR ITER*um* R*ei*P*ublicæ* C*onstituendæ*. Caput idem Augusti.

CO*n*S*ul* ITER*um* ET TER*tium* DESIGN*atus*. Templum idem Divi Julii cum statua & inscriptione eadem; sed in area nummi juxta templum pro ara est capeduncula.

Capeduncula sacerdotes & flamines Julio Cæsari ab Augusto additos spectat, adeoque symbolum quoque est divinitatis.

Litera H.

Senatus Consulto. Caput Julii Cæsaris laureatum.

CAESAR DIVI F*ilius*. Pax stans, dextra manu oleæ ramum præferens, læva tenens cornucopiæ.

Hunc denarium cusum existimo eo tempore, quo de pace inter Sextum Pompejum & triumviros convenerat, adeoque esse referendum ad A. V. C. DCCXIV. Fame enim & armis civilibus fatigari Romani tranquillitatem & ubertatem pristinam respiciebant. Utramque promittit Cæsar, facta jam pace cum Sexto Pompejo; id oleæ ramus, id cornucopiæ, symbolum & sequela pacis ostendunt.

T A B. VIII.

CAESAR III VIR R*ei*P*ublicae* C*onstituendæ*. Caput Martis Ultoris galeatum, cum sceptro ad tergum.

Senatus Consulto. Aquila legionaria juxta tropæum, inter duo signa militaria.

Patinus caput, quod est in priori nummi parte ad Martem Ultorem refert, minus recte Vaillantius ad ipsum Cæsarem Octavianum. Marti vero Ultori templum exstruxit victis patris sui percussoribus, sed post publicatum jam forum, quod inter judicialia erat tertium. Sueton. in Vita ejus cap. 29. *Publica opera plurima exstruxit, ex quibus vel præcipua, forum cum æde Martis Ultoris, templum Apollinis in Palatio, ædem Tonantis Jovis in Capitolio. Fori exstruendi caussa fuit hominum & judiciorum multitudo, quæ videbatur non sufficientibus duobus etiam tertio indigere. Itaque festinantius, necdum perfecta Martis æde, publicatum est, cautumque ut separatim in eo publica judicia, & sortitiones judicum fierent. Ædem Marti bello Philippensi pro ultione paterna suscepto voverat. Sanxit ergo ut de bellis, triumphisque hic consuleretur senatus, provincias cum imperio petituri hinc deducerentur, quique victores rediissent huc insignia triumphorum inferrent.* Cusus ergo hic denarius est, nondum exstructo illo templo, sed suscepto voto, si daretur a diis mortem patris ulcisci, cujus egregium erat initium & felix auspicium victoria Philippensis, cujus gratia tropæum statuit militum virtute (ut docent adposita signa militaria cum aquila legionaria) acceptum, atque Marti Ul-

Ultori, cujus facies in priore denarii parte cernitur dedicata, ejusque rei testificandæ gratia, velut in publica lætitia, *Senatus Consulto* cusos fuisse hos denarios inscriptio testatur.

Litera I.

IMP*erator.* Caput Romæ galeatum.

CAESAR. Clypeus votivus, cui Cæsaris illud nomen inscriptum est, cum duabus hastis retro eundem decussatim positis.

Animadversione dignus a Morellio (confirmata Goltziana fide) publicatus hic nummus est. In eo enim Cæsar IMP*erator* vocatur, nullo alio titulo addito. Unde patet cusum eundem fuisse A. V. C. DCCXI. quum post victoriam Mutinensem die Aprilis XVIII. imperatoris titulum a militibus acceperat. Ibi enim fortissime dimicaverat, & plurimum ad victoriam contulerat, auctoritate sua evocatis ad bellum hoc veteribus patris militibus, ut testatur Suetonius in Vita ejusdem Augusti cap. X. *Veteranos simul in suum ac reip. auxilium quanta potuit largitione contraxit. Jussusque comparato exercitui pro prætore præesse, & cum Hirtio ac Pansa, qui consulatum susceperant, D. Bruto opem ferre, demandatum bellum tertio mense confecit duobus præliis. Priore Antonius eum fugisse scribit, ac sine paludamento equoque post biduum demum adparuisse. Sequenti satis constat non modo ducis, sed etiam militis functum munere, atque in media dimicatione, aquilifero legionis suæ graviter saucio, aquilam humeris subiisse, diuque portasse.*

II.

DIVI F*ilius.* Victoria festinans, dextra sertum gerit, læva temonem, ante pedes palmæ surgit ramus.

IMP*erator* CAESAR. Navis prætoria, subducta anchora, cum velo & remigantibus.

Spectat quinarius hic victoriam Actiacam de ultimo illo hoste, qui solus Cæsaris potentiæ modum statuebat, Antonio. Navali ad Actium pugna victoriam illam adquisivit Cæsar; hinc temonem Victoria tenet, atque navis prætoria ab altera parte conspicitur. Palma quoque negligenda non est; cujus certe miseram interpretationem dat Vaillantius tom. I. pag. 531. „ Qua de re (in- „ quit) Victoria pro tropæo, coronam imponit „ ramo palmæ, Ægypti symbolo. „ At Romæ, non Ægypti symbolum hic requirebatur. Melior longe interpres Dio Cassius, cujus hæc quinarii hujus aptissima est elucidatio lib. XLIV. p. 234. ubi de Cæsare & postrema illa pugna Hispaniensi contra Cn. Pompejum juniorem ita scribit. : Τοῦτον γὰρ τὸν πόλεμον τελευταῖον κατώρθωσε, καὶ ταύτην τὴν νίκην ἐσχάτην ἀνείλετο. καίπερ οὐδὲν ὅ, τι οὐχὶ καὶ τῶν ἄλλων τῶν μεγίστων καταπράξειν ἐλπίσας, διά τε τἆλλα, καὶ οὐχ ἥκιστα ὅτι βλαστός τις ἐκ φοίνικος ἐν τῷ τῆς μάχης χωρίῳ ὄντος εὐθὺς ἐπὶ τῇ νίκῃ ἐξέφυ· καὶ οὐ λέγω μὲν ὅτι συνέφερέ πῃ τούτῳ ἀλλ' οὐκ ἐκείνῳ γε ἔτι ἀλλά τῷ τῆς ἀδελφῆς αὐτοῦ ἐγγόνῳ τῷ Ὀκταουΐῳ· συνεστρατεύετό τε γὰρ αὐτῷ, καὶ ἐκ τῶν πόνων τῶν τε κινδύνων αὐτοῦ ἐκλάμψειν ἔμελλεν. *Id postremum bellum ab eo confectum est, hancque ultimam victoriam reportavit; quamquam quasvis res maximas se perfecturum speraret, cum aliis de caussis, tum quod ex eo loco in quo pugnatum fuerat, statim a victoria germen palmæ enatum esset. Id vero non Cæsari quidem, sed Octavio, sororis Cæsaris nepoti, faustum omen fuit, qui tunc cum Cæsare militabat: eratque futurum ut ex suis laboribus periculisque magnum splendorem consequeretur.* Germen itaque palmæ, quod in quinario hic ante pedes Victoriæ nascitur, implevit præsagium, quod sibi frustra Julius adaptabat, in Cæsare Octaviano, subactis omnibus adversariis, & victo demum ad Actium ipso Antonio.

III.

AVGVR PONTIF*ex.* Caput Jovis Ammonis.

IMP*erator* CAESAR DIVI F*ilius.* Victoria globo insistens dextra corollam prætendit, læva palmam fert super humeros.

Recte videtur sentire Vaillantius, denarium hunc referens ad Pinarium Scarpum; qui, præfectus ab Antonio copiis Africanis atque Parætonio, quæ urbs, propter insignem Jovis Ammonis cultum, Ammonia quoque dicebatur, desperatis Antonii rebus ab eodem ad Cæsarem descivit, atque, sicuti antea nummos Antonio, cum symbolo Africæ & urbis Parætonii, quæ & Ammonia dicebatur, signaverat, sic nunc novo domino blanditur, atque imperium orbis universi per Victoriam globo insistentem illi gratulatur. Parta erat eadem victo ad Actium Antonio, atque eodem in Ægypto occiso, deficientibus, ut fit, ad victorem certatim fidissimis antea Antonii ducibus.

IV.

DIVVS JVLIVS. Caput Julii Cæsaris laureatum, quod sine laurea Vaillantii cælator exhibuit, incuria illud factum fuisse adparet ex ipsius Vaillantii inscriptione.

IMP*erator* CAES*ar* TRAIAN*us* AVG*ustus* GER*manicus* DAC*icus* Pater Patriæ REST*ituit.* Victoria Pacifera gradiens dextra vestem ad pectus attollit, læva demissa caduceum alatum gestat, ad pedes progreditur serpens.

Perperam Vaillantius de bulla cum principis imagine, quam scilicet deosculetur Victoria, disputat tom. I. p. 530. & in Numm. Impp. pag. 6. est enim lacinia vestis, quam ad pectus adtollit Victoria, uti passim Nemeses in Smyrnæorum nummis depingi solent, atque ipsa hæc Victoria Pacifera depingi solet in nummis præsertim Claudii, & deinde aliorum quoque imperatorum. Claudium inprimis nomino, cujus nummi tales ex auro exhibentur in nummis ejusdem Tom. II. tab. IV. num. 13. ex argento tab. V. num. 11. 12. Unde suspicor, denarium hunc aureum, quem divi titulus docet post mortem Julii signatum fuisse, cusum fuisse jussu Claudii imperatoris, qui genus suum ad Augustum, atque ita ad Julium quoque referebat. Præclarum illud monumentum intercidere noluit Trajanus, quare signatum jam antea (quod non advertit Vaillantius) nummum, & a Claudio (ut nos opinamur) profectum, restitui curavit, qui intercidisset plane, nisi Trajano procurante restitutus superesset.

Typus Victoriæ Paciferæ docet adquiri victoriam prudentia & felicitate, pacem vero reddi non posse, nisi excisis qui turbent quietem publicam.

Litera K.

Caput Apollinis laureatum, cui nulla additur Inscriptio, quia ipse Cæsar Octavianus Apollinis numen ejusque similitudinem plurimum adfectavit.

IM-

IMP*erator* CAESAR. Colonus agens boves.

Refspicit hic denarius ad coloniam a Cæſare Octaviano Carthaginem in Africam deductam. Acta videlicet omnia patris ſui Julii confirmare factaque ejus imitari Octavianus ſtuduit, Colonias vero Corinthum & Carthaginem, nobiliſſimas olim urbes & vetuſtiſſimas fecerat Julius Cæſar A.V.C. DCCX. uti ex Dione lib. XLIII. & nummis ejusdem Cæſaris æreis conſtat. Verum Lepidus triumvir in civilibus diſcordiis, ut militarem ſuam potentiam firmaret, magna colonorum parte Carthaginem orbaverat. Denuo itaque colonis frequentavit Auguſtus, teſte eodem Dione lib. LII. pag. 494. Καὶ Καρχηδόνα ἐπαπῴκισεν, ὅτι ὁ Λέπιδος μέρος τι αὐτῆς ἠρημώκει, καὶ διὰ τοῦτο τὰ δίκαια τῆς ἀποικίας σφῶν λελυκέναι ἐδόκει. *Carthaginem quoque denuo coloniam deduxit, quia Lepidus, quum partem ejus habitatoribus orbaſſet, jus coloniæ ſuſtuliſſe videbatur.* Contigit hæc Carthaginis inſtauratio altera A.V.C. DCCXXV.

Litera L.

DIVO IVLIO. Caput Julii Cæſaris laureatum, cum paludamento ad pectus atque ſtella ſive Julio ſidere ad frontem. In area ſunt connexæ literæ PE.

Sine epigraphe. Jupiter Capitolinus, dextra fulmen, leva haſtam tenens, baſi inſidet juxta montes ſive colles Romæ urbis; ad dextrum ejus latus aræ lemniscis ornatæ aquila inſiſtit. Accedit ad Jovem vir habitu militari equum adducens.

Nummus hic eſt ex genere Contorniatorum, qui cuſi ſunt ſæculis Conſtantinorum & Theodoſiorum. Ad ludos & ſpectacula atque munera (ut tunc vocabant) illorumque *felicem reparationem*, uti in nummis quoque ejus temporis exſtat, omnes ſpectant. Unde equi traductio in hoc nummo. Scripſimus olim peculiarem libellum de hisce Contorniatis, ab illo vero tempore plures collegimus, quibus inſigniter augeri corum nummerus poſſet. Literæ iſtæ connexæ difficulter ſolvi poſſunt, forſan voti inſtar conceptæ efficiunt vocem PE*rennent.*

Litera M.

ΚΑΙΣΑΡ. *Caeſar.* Victoria, globo inſiſtens, dextra coronam porrigit, læva palmam fert.

ΘΕΣΣΑΛΟΝΙΚΕΩΝ. *Theſſalonicenſium.* In corona quernea cum fructubus ſive glandibus.

Theſſalonicenſes complures nummos in honorem Auguſti & familiæ Juliæ percuſſerunt. Hunc vero ſignarunt, ut gratularentur Cæſari Octaviano dominium orbis, ſuperato ad Actium Antonio, atque ſervatis ita (ut adulatio ferebat) ceſſantibus motibus publicis, civibus.

T A B. IX.

I. II. III. IV. *usque ad* XXV.

Caput dei Triumphi alatum & laureatum cum cincinnis crinium contortis. Retro illud tridens cernitur cum capite Neptuni vel potius perſona ſcenica.

Lucius IVLI*us* BVRSIO. Victoria in citis quadrigis, dextra corollam præferens, læva equorum tenet habenas, ſubtus cernitur litera A.

Magnus horum denariorum eſt numerus, & inſignis varietas typorum illorum minuſculorum, qui plerumque ad monetarios ſpectare ſolent; quos ſtudioſe & hic & alibi paſſim in hisce Familiarum nummis addidit & depinxit Morellius. Qua re ille fecit, ut Vaillantii errores facilius detegere poſſimus, qui ſæpe, ad minutias illas non adtendens, alienas a veritate denariis explicationes adjungit; quod non dictumvelim (ſicuti & alia ejusmodi, quæ paſſim in hoc libro dicere ipſa veritas me cogit) quaſi immortalibus viri laudibus & meritis obtrectem, ſed, ut quid verum ſit melius inveſtigetur, utque non temere in ſuſpenſo hoc ſcribendi genere antiquariis fidant minus magisve in hisce deliciis exercitati.

Retro caput dei Triumphi in omnibus denariis tridens cernitur, verum paſſim alia quædam ſigna adjiciuntur. Tab. ſeptima, num. II. duæ ſagittæ, ibid. lit. A. cornucopiæ adjiciuntur. In hujus tabellæ denariis cernas addi perſonas ſcenicas num. I. II. III. globum ſive pateram, ſeu rotam num. IV. XX. delphinum, num. V. XIV. lacertam, num. VI. fulmen, num. VII. hydrum piſciculum devorantem, num. VIII. Mercurii caduceum, num. IX. XII. arcum, num. X. equinum pedem, num. XI. & ludos equeſtres ſive circenſes, num. XV. bilancem, num. XIII. hermæ genus, num. XVI. cochleæ caput cum collo, num. XVI. vitis folium, num. XVIII. canem, num. XIX. anchoram, num. XXI. galeam cum fibula, num. XXII. parmam num. XXIII. ſpicam, num. XXIV. palmæ ramum, num. XXV. Præter hæc & alia quoque ſunt. Vaillantius ſuum cum capite bovis exhibuit. Meus caput aſini vel litui militaris exhibet; alter meus florem. Vidi & alios, qui haberent ſpiculum, vel aquilam, vel alias ſimiles notas. Numeri quoque varii obſervantur, uti in hujus tabellæ denariis decimoquarto & ſeq. exſtant XVII. XXX. XXXXV. ⅭXXXXVII. in meo cum capite aſini CXX. . . . . in altero meo cum flore ⅭII. quæ nota evincere quoque videtur falſitatem expoſitionis, de tropæo ſecundo ad denarios II. IV. V. tabulæ quartæ in gente hac Julia. Denique, non ſimplices tantum literæ alphabeticæ A. F. V. animadvertuntur, ſed & duæ, quaſi nominis cujusdam priores, BV. FV. CE. DE. NE. IO. RO. RA. Hasce ſyllabas deſignare nomina officinarum exiſtimo; typos minores, ut delphinum, larvas ſcenicas & ſimilia ad monetariorum notas referendas credo, ſed ita forſan, ut vel ad aliquid tum factum adludant, vel locum ubi ſignati denarii ſunt deſignent. Numeros illos matricum eſſe puto, ita ut ultra ducentas matrices, prouti ex altero meo patere poteſt, ſimul cudendæ monetæ ab uno quidem monetario adhibitæ fuerint.

Hæc præfati intendamus animum, ſi forte eruere poſſimus, ubi cuſi hi denarii fuerint, a quo, qua occaſione, & quo tempore. Urſinus p. 136. aliquam Burſionum victoriam innui putat, & in aliis pone caput Mercurii (illud enim in priore parte poni credidit) adjici ſignum quoddam, quod ad indicandum Burſionum cognomen, & unde dictum fuerit, adpoſitum judicat. Veſtigiis Urſini totus hic inſiſtens Vaillantius, inveniſſe ſe illud ſignum exiſtimat tom. I. p. 535. „ Mercurius, inquit, mercatorum deus perhibe„ tur, & bos pone ejus caput ad cognominis in„ dicationem pertinere videtur. *Byrſa*, unde *Bur„ ſio*, corium dicitur, & forſan Julius ille fuit „ coriarius, qui bovis coria concinnaret. „ Riſum

ſum tenetis amici? Itaque Julius non tantum Burſio, ſed & Delphinius & Aſininus & Fulmineus & aliis nominibus dici potuit, ſi ab adpoſitis minuſculis hisce typis cognomen ejus deducendum eſt. Cuidam T. Munatio Planco cognomen fuiſſe Burſæ, vel jocularíter datum a Cicerone, patet ex Ep. lib. VII. ep. 2.

Locum, ubi hi denarii cuſi fuerint, extra urbem quærendum exiſtimo, in nullo enim vox ROMA adſcribitur. Puto in Sicilia cuſos fuiſſe & quidem Syracuſis: quod ut putem, non modo me inpellunt permulti denarii Romanæ reipublicæ tempore in Sicilia cuſi, verum minores quoque illi typi, qui omnes fere in Syracuſanorum nummis, illiusque adeo urbis officinis proprii, inveniuntur. Provoco ad Parutæ mei Siciliam Numismaticam. Perſona ſcenica, quæ in prioribus hujus tabellæ denariis eſt, invenitur inter nummos Syracuſanos Tab. XLV. num. 77. delphinus in Tabb. ſeqq. num. 145. 149. 160. &c. fulmen, num. 157. &c. caduceus, num. 123. arcus, num. 119. herma, num. 102. 109. canis, num. 143. 144. clypeus ſeu rota aut diſcus, num. 110. anchora, num. 88. galea, num. 106. 107. 108. parma, num. 167. ſpica vero, hydrus aliaque id genus ſymbola, in innumeris Syracuſanorum aliorumque Siculorum inveniuntur nummis; in quibus, num. 136. 139. adverti quoque aquilam, quam adpictam dixi in diverſo a Morellianis denario; ut & florem, qui in meo eſt, num. 91. aliisque; denique bovis illud caput, unde Burſionis, quaſi a Byrſa, nomen deflexit Vaillantius, num. 144. & 158. ſicuti num. 100. vir eſt bovem ad ſacrificium adducens. In quibus omnibus illud inprimis notari debet, eſſe minores typos, qui quaſi parergon quoddam & emblema majoribus adjiciuntur, prout in hisce quoque denariis cerni videmus, & omnes illos nummos Syracuſanos pariter inter ſe ex argento & ejusdem eſſe molis & magnitudinis, quamvis longe quidem hisce denariis ponderoſiores ampliores que.

Is qui omnes hos denarios cudit, L. Julius Burſio vocatur. Ingentis vero victoriæ teſtes eſſe eosdem denarios patet non tantum ex deæ Victoriæ quadrigis, verum etiam dei Triumphi capite. Imperium maris eadem victoria adſertum populo Romano fuiſſe per anchoram exprimi credo, quæ in omnibus hisce denariis retro Triumphi caput adparet. Unde ſuſpicor cuſos fuiſſe omnes hosce denarios Syracuſis & in Sicilia a quæſtore ibidem provinciali, vel uno ex Scipionis imperatoris quæſtoribus, eo tempore, quo diruta Carthago, maris imperium (quod hactenus ambiguum inter duas illas urbes fuerat) perpetuum urbi Romæ ceſſit. Everſa vero fuit illa urbs A. V. C. DCVII. atque deſiit æmula imperii orbis terrarum exſiſtere. Ex Sicilia vero in Africam trajecit Scipio, &, Romam rediens, per Siciliam itidem profectus eſt, quæ quaſi præſidiaria Romanorum erat provincia. In ea igitur ad triumphi Africani uſum tam immenſa denariorum vis cuſa fuiſſe videtur, curante L. Julio Burſione, qui cognomen illud nactus forſan eſt ab oppugnatione arcis Byrſæ, munitiſſimi totius Carthaginis loci, atque illo cognomine, dato forſan, quod inter primos in munitionem illam irruperit, in denariis hisce ſuperbire voluit. Familiam ejus numeroſam haud fuiſſe patet, quod nusquam in veteri hiſtoria cognominis ejus mentio occurrat.

I V N I A.

Gens Junia patricia fuit temporibus regum, eos tamen, qui ſuperſunt in nummis, plebejæ fuiſſe familiæ tribunatus plebis teſtantur. Voluerunt tamen Bruti originem ſuam ad illum antiquum Tarquiniorum expulſorem referre. Præter Brutos inveniuntur in nummis Libones a libo dicti, & Silani a ſilo producti, vel a ſilano aquarum ſic vocati.

TAB. I.

I.
AHALA. Caput Servilii Ahalæ nudum.
BRVTVS. Caput L. Junii Bruti nudum.

Brutum & Ahalam (barbatos, juxta antiqui temporis morem) in denariis ſuis ſignavit M. Junius Brutus, percuſſor Cæſaris & liberandæ patriæ auctor, quoniam per matrem Serviliam reipublicæ tutatorem, & Spurii Melii, regnum adfectantis, occiſorem, Servilium Ahalam adtingebat, paternum vero genus ad Brutum, qui reges expulit, referebat. Hæc illum exempla ad cædem Cæſaris, alia de ipſo & meliora meriti, impulerunt. Lucii enim Bruti iſtius veteris in omnium Romanorum ore laus erat. Cicero ad Herenn. lib. IV. cap. 53. *Quod ſi nunc L. ille Brutus reviviſcat, & hic ante pedes veſtros adſit, non hoc utatur oratione? Ego reges ejeci, vos tyrannos introducitis: ego libertatem, quæ non erat, peperi: vos partam ſervare non vultis: ego capitis mei periculo patriam liberavi, vos liberi ſine periculo eſſe non curatis.* & de Oratore lib. II. quamvis ibi de alio Bruto, J. Cti filio, agatur. cap. LV. *Brute, quid ſedes, quid illam anum patri nuntiare vis tuo? quid illis omnibus, quorum imagines duci vides? quid majoribus tuis? quid L. Bruto, qui hunc populum dominatu regio liberavit? quid te facere? cui rei, cui gloriæ, cui virtuti ſtudere?* Quare ad omnes Brutos ſtudium & ardorem patriæ liberandæ tyrannorumque odium transfert idem Cicero Philipp. III. cap. 4. *Hoc vero recens edictum D. Bruti, quod paullo ante propoſitum eſt, certe ſilentio non poteſt præteriri; pollicetur enim, ſe provinciam Galliam retenturum in ſenatus populique Rom. poteſtate. O civem natum reipublicæ, memorem ſui nominis, imitatoremque majorum! neque enim Tarquinio expulſo, majoribus noſtris tam fuit optata libertas, quam eſt repulſo Antonio retinenda nobis. Illi regibus parere jam à condita urbe didicerant: nos poſt reges exactos ſervitutis oblivio ceperat. Atque ille Tarquinius, quem majores noſtri non tulerunt, non crudelis, non impius, ſed ſuperbus habitus eſt, & dictus. Quod nos vitium in privatis ſæpe tulimus, id majores noſtri ne in rege quidem ferre potuerunt. L. Brutus regem ſuperbum non tulit: Decimus ſceleratum, atque impium regnare patietur Antonium?* Et inter præcipua conjurationis capita M. & Decimus Bruti, ad hanc ipſam priſtinam gentis gloriam excitati leguntur apud Sueton. in Julio cap. LXXIX. *Subſcripſere quidam L. Bruti ſtatuæ, Utinam viveres. Item ipſius Cæſaris ſtatuæ, Brutus quia reges ejecit conſul primus factus eſt, hic quia conſules ejecit rex poſtremo factus eſt. Conſpiratum eſt in eum a LX. amplius, C. Caſſio, Marcoque, & D. Bruto principibus conſpirationis.* Bruti vero cognomen antiquiori illi Junio adhæſit ex ſimulata & ſalutari ipſi ſtultitia, quem minime Brutum fuiſſe, & facta ejus declarant & illud Ciceronis in

in Bruto cap. XIV. *Quis enim putet aut celeritatem ingenii L. Junio Bruto illi, nobilitatis vestræ principi, defuisse? qui de matre suavianda ex oraculo Apollinis tam acutè, arguteque conjecerit? qui summam prudentiam simulatione stultitiæ texerit? qui potentissimum regem, clarissimi regis filium expulerit; civitatemque perpetuo dominatu liberatam magistratibus annuis, legibus, judiciisque devinxerit? qui collegæ suo imperium abrogaverit, ut e civitate regalis nominis memoriam tolleret; quod certe effici non potuisset, nisi esset oratione persuasum.* Et de Oratore lib. I. cap. 9. *Quid; exactis regibus, (tametsi ipsam exactionem mente, non lingua, perfectam, L. Bruti esse cernimus) sed deinceps omnia, nonne plena conciliorum, inania verborum videmus?* Nobilitatis suæ principem illum Brutum (ut ait Cicero) prædicabant. *L. Brutus patriam liberavit, præclarus auctor nobilitatis tuæ.* Verba Cicer. sunt Tusc. Quæst. lib. IV. cap. 1. Quamvis enim ad invidiam Brutorum, post cædem Cæsaris, opprobrium eorundum nobilitati inurere voluerint Cæsariani, stant tamen pro eadem Cicero & Plutarchus. Hic Philipp. I. cap. 6. *Fuerit ille L. Brutus, qui & ipse regio dominatu remp. liberavit, & ad similem virtutem, & simile factum stirpem in prope quingentesimum annum propagavit.* Ille, in Vita ipsius Bruti pag. 984. *Paternum genus nonnulli, Bruto ob interemptum Cæsarem haud obscure infensi, negant ad eum Brutum pertinere, qui reges ejecerit: quippe ei necatis filiis nullam relictam prolem: sed hunc Brutum cujusdam filium Bruti dispensatoris plebejum nuper adeo ad capessendos magistratus processisse. Posidonius autem adultos jam Bruti filios, ita ut narratur, a patre occisos affirmat: relictum autem tertium, adhuc infantem, & ab eo Brutorum genus propagatum: & vero quosdam, qui eo genere orti essent, viros illustres, suo qui vixissent tempore, similitudinem formæ in statua prisci Bruti expressam facie sua retulisse.*

Servilii Ahalæ, ut dixi, caput ab altera denarii parte est, quoniam mater M. Junii Bruti ex Servilii Ahalæ posteris erat, teste ibidem Plutarcho. *Mater Bruti Servilia ad Servilium Ahalam genus refert, qui, cum Sp. Mælius tyrannidem adfectaret, populumque concitaret, sub ala gladium ferens in forum processit, Mæliumque prope adsistens tanquam si colloqui vellet, eo ictum interfecit. Et de hac quidem gentilitatis parte nihil est controversiæ.* Ad horum igitur simul cognationem adludens Cicero lib. XIII. ad Atticum ep. 40. scripsit: *Ubi igitur* φιλοτέχνημα *illud tuum, quod vidi in Parthenone, Ahalam & Brutum?* &c, quo nihil magis adpositum ad denarium hunc dici posse, post Ursinum reliqui notaverunt, Philipp. II. cap. 11. *Etenim si auctores ad liberandam patriam desiderarentur illis auctoribus, Brutos ego impellerem, quorum uterque L. Bruti imaginem quotidie videret, alter etiam Ahalæ?*

II.

LIBERTAS Caput deæ Libertatis.

BRVTVS. Consulis processus inter duos lictores cum fascibus & securibus præeunte accenso.

M. Junius Brutus, restituendæ libertatis auctor, in priore denario vultum principis familiæ suæ expressit, in hoc honorem ejusdem, ut qui primus post expulsos reges consul factus est. Hinc subscriptum Bruti nomen, & accensus consulem atque lictores præiens. Errorem enim Begeri, qui duos consules Brutum & Poplicolam exprimi credidit jam refutavit Spanhemius tom. II. pag. 93. Accensus, minister erat Consulis, ab *acciendo* ita dictus, quod ad nutum consulis præsens, ubi procederet, adesse semper deberet, quodque accire & advocare quos juberet consul debebat. Utatur *accenso atque lictoribus*, hosce, ut in nummo, conjungens, inquit Cicero II. de Legib. cap. 24. Maximus in republica honos consulatus, maxima laus L. Bruti; non potuit typus magnificentior in denariis Brutorum inprimi. Cicero in Orat. pro Plancio cap. 25. *Honorum populi finis est, consulatus: quem magistratum jam octingenti ferè consecuti sunt. Horum, si diligenter quæras, vix decimam partem reperias gloria dignam. Sed nemo unquam sic egit, ut tu. Cur iste fit consul? quid potuit amplius, si L. Brutus esset, qui civitatem dominatu regio liberavit? Honore nihil amplius, laude multum.* Itaque hunc quoque typum restitutione dignissimum judicavit Trajanus.

Littera A.

LIBERTAS. Caput deæ Libertatis.

BRVTVS. Typus ut in præcedente nummo, sed adscribitur in circuitu, IMP*erator* CAES*ar* TRAIAN*us* AVG*ustus* GER*manicus* DAC*icus* *Pater* *Patriæ* REST*ituit*.

Optimus princeps Trajanus, quum præclara reipublicæ monumenta nollet intercidere, etiam hunc denarium restituit. Adparet vero illum alterius denarii, quam qui nunc passim exstat, exemplar fuisse secutum; monile enim, quod collum deæ in priore exornat, in hoc abest; accensus quoque in priore alteram manum, quasi calandi officio fungens, exserit, in hoc vero & dextram insuper adtollit, in qua chartulas complicatas tenet. Quod vero fascia caput ejus accensi cingat in priori numismate, cælatoris est erratum, & in ipsis nummis aliter sese res habet.

III.

Caput Romæ galeatum cum denarii nota & capite asini, quod retro collum cernitur.

Marcus IVNI*us*. ROMA. Dioscuri hastati in equis.

Dioscurorum typus antiquitatem nummis Familiarum conciliare solet, unde ad altiora reipublicæ tempora adsignatio hujus denarii spectat. Fuere vero complures ex familia Junia Brutorum, qui Marci prænomen habuerunt. M. Junius Brutus, qui ad consulatum pervenit A. V. C. DLXXV. & quæstor provincialis fuit A. V. C. DLII. M. Junius Brutus, qui quæstor provincialis legitur A. V. C. DXCV. & postea tribunus plebis atque ædilis exstitit, ut recentiores taceam. Ad unum ex his spectare denarium credo, non quidem in quæstura provinciali, sed ante in urbana cusum, quod addita vox ROMA indicat. Asini caput mihi ad Brutorum cognomen spectare videtur, quod, ut indecorum, in nummis expressum, nemo cavilletur, quum furii Crassipedes pedem tumescentem, alii aliud, quod similiter in dedecore poni posset, signaverint ad nominis sui originem indicandam, M. Junius Brutus id fecit, ut ab aliis Juniis, qui Libonis, Peræ, & similia gerebant cognomina, discerneretur.

IV.

Caput Romæ cum nota denarii.

Caius IVNI*us* *Cai* *Filius*. ROMA. Dioscuri hastati in equis. Ad Junios cognomine Libones esse referendum hunc denarium patet ex sequenti, quem vulgavit Gorlæus.

 Lite-

Litera B.

LIBO. Caput Romæ galeatum, cum denarii nota.

Caius IVNI*us Cai Filius.* ROMA. Dioscuri haſtati in equis.

Libonis cognomen familiæ complures geſſerunt, Julia, Livia, Marcia, Scribonia, in nummis, & apud ſcriptores inſuper Potillii, Annii, Cupiennii, Septimii, Statilii; & cognomen a libo, placentæ genere, deductum videtur. Quod hactenus neſcivimus, Junios quosdam Libones quoque vocatos fuiſſe docere videtur hic denarius; ex quibus ortus hic Cajus Junius Libo, Caji filius, vetuſtis reipublicæ temporibus, ut quæſtor urbanus, hosce denarios ſignavit, at quo anno id factum, quisve ille fuerit, altum apud omnes eſt ſilentium. Si id verum, fruſtra Vaillantius inter Brutos quærit, quem Gorlæanus hic nummus ad Libones pertinere docet. Quamvis forſan non erraverim, ſi Libonem & Junium diverſos ſtatuam, & ſimul fuiſſe triumviros monetales. Sæpe enim modo cognomen tantum ponitur. Sic IIIviri monetales ſimul eſſe potuerunt Scribonius Libo, C. Junius C. F. & C. Terentius Lucanus, ſi ita legi placet, non vero Lucretius, de quo viſuri ſumus ad denarium iſtum gentis Terentiæ num. I. II. III.

V.

Caput Jani biceps, barbatum, cum remo ſeu flore ſurgente ad tempora.

Caius IVNI*us.* ROMA. Prora navis, cum nota aſſis.

Quoniam forma & pondus nummi ærei, ex duabus unciis conſtantis, revocat eundem ad bellum Punicum primum, quo as libralis ad iſtam diminutionem eſt redactus; exiſtimat Vaillantius aſſem hunc pertinere ad C. Junium Brutum, C. Iunii Bruti Bubulci, qui de Lucanis & Bruttiis A. V. C. CCCCLXXVII. triumphavit, filium, & denarium, qui num. IV. præcedit, ab hujus filio cuſum fuiſſe exiſtimat. Sed dicere poſſumus aſſem hunc pertinere ad eundem C. Junium C. F. qui præcedentem ſignavit denarium, vel ad patrem ejus, ut cui Cajo itidem prænomen fuit; nam ſi revera Libo Juniorum quoque cognomen fuit, & hic C. Junius Libonis habere cognomen potuit, & pater fuiſſe Caji Junii Libonis, qui in denariis prioribus Caji ſeſe filium ſcribit.

VI.

Caput Fauni laureatum & acutis auribus præditum, ſub quo eſt aratrum, in ambitu torques cernitur.

Decimus SILANVS *Lucii Filius.* Victoria in citis bigis, dextra flagellum, læva palmam tenens & equorum habenas; ſub equis eſt lituus militaris.

Præclare docuit Fulvius Urſinus (quem ſequitur Vaillantius) D. Silanum ex gente Manlia ad Junios Silanos tranſiiſſe, adeoque ex proſapia Manlii, qui filium ob provinciam male adminiſtratam abdicavit, hunc vero ipſum, ut antiquam & gentilitiam nobilitatis ſuæ notam, torquem, typum Fauni, bene auriti numinis, ambientem, in denariis ſuis addidiſſe; idem enim ille torques in gente Manlia obſervatur.

Pater itaque hujus Decimi Silani fuiſſe videtur Lucius Junius Silanus, cujus quæſturam provincialem ponit Pighius A. V. C. DCLXVIII. tribunatum plebis A. V. C. DCLXXI. præturam A. V. C. DCLXXVII. isque nepos fuiſſe potuit infelicis iſtius Decimi Junii Silani, qui abdicatus a patre Manlio Torquato, vitam ſuſpendo finivit. Torquatus enim iſte conſul fuit A. V. C. DLXXXIX. ejusque rei præter Livium meminit quoque Cicero lib. I. de Finibus cap. 7. *Quid? L. Torquatus, is, qui conſul cum Cn. Octavio fuit, cum illam ſeveritatem in eo filio adhibuit, quem in adoptionem D. Silano emancipaverat, ut eum, Macedonum legatis accuſantibus, quod pecunias prætorem in provincia cepiſſe arguerent, cauſam apud ſe dicere juberet, reque ex utraque parte audita, pronuntiaret, eum non talem videri fuiſſe in imperio, quales ejus majores fuiſſent: & in conſpectum ſuum venire vetuit:* Valerius Maximus, ubi tragice caſum expoſuit, lib. V. cap. 8. exemplo 3. addit. *Triſti patris ſententia perculſus Silanus, lucem ulterius intueri non ſuſtinuit, ſuspendioque ſe proxima nocte conſumſit.* Decimus Silanus ille, qui hunc denarium percuſſit, poteſt is eſſe, qui A. V. C. DCLXXV. numeratur inter quæſtores provinciales, & quem Pighius ex conjectura M. Silani facit filium, eundem, qui vitricus fuit M. Junii Bruti, ducta in uxorem matre Servilia, & conſul exſtitit A. V. C. DCXCI. quum tamen Lucii filius æque ac Marci illius quæſtor eſſe potuerit, Lucii certe filius adpellatur in hisce denariis is qui hos ſignavit.

Fauni effigies in ſpecie referri poteſt ad vocem illam, Fauni creditam, quæ audita eſt, acri pugna inter Romanos & Hetruſcos ob pulſos Tarquinios commiſſa, victores eſſe Romanos, uno plus Hetruſcorum in acie cecidiſſe; quæ ex Dionyſio Halicarn. Vaillantii ſententia eſt, vel in genere, agriculturæ deditos fuiſſe veteres Silanos docet; *Silani aquarum* apud Lucretium dicuntur lib. VI. vs. 1263. tubi & aquarum canales, quibus ad irrigandum agrum veteres utebantur. Faunus vero inter deos agriculturæ præſides ponitur, unde quoque filium ejus faciunt Sterculium, qui primus agrorum ſtercorationem invenerit, eaque de ratione aratrum capiti Fauni ſubjungitur, aratri enim, non fiſtularum, in denariis pictura eſt; Victoriam aliquam populi Romani, quæ quæſtore D. Silano obtigerit, typus partis averſæ ſignificare poteſt, vel renovare victoriam illam priſcam, quam adeptos Romanos fuiſſe, uno plus hoſte cæſo in acie, vox Fauni credita fuerat nunciaviſſe; unde terror injectus eſt Hetruſcis, & ſecuta eſt victoria Romanorum. Contigit hæc pugna A. V. C. CCXLV.

Litera C.

ROMA. Caput ſimile Fauni, retro quod litera alphabetica & monetalis A. eſt, pariter in torque.

Decimus SILANVS *Lucii Filius.* Victoria eadem in bigis, dextra corollam præferens, læva palmam & equorum habenas tenens, ſubtus baculus eſt paſtoralis ſive pedum, ad Faunum pertinens.

Memoriam victoriæ, quam de Tarquinio exule atque Vejentibus & Hetruſcis conſecuti ſunt Romani, renovat denariorum horum typus. Docent etiam luculenter Livius lib. II. cap. 7. *Ita quum pugnatum eſſet, tantus terror Tarquinium atque Etruſcos inceſſit, ut omiſſa irrita re, nocte ambo exercitus, Veiens Tarquinienſisque ſuas quisque abirent*

vent domos. Adjiciunt miracula huic pugnæ, silentio proximæ noctis ex silva Arsia ingentem editam vocem. Silvani vocem eam creditam, hæc dicta: uno plus Etruscorum cecidisse in acie: vincere bello Romanum. Ita certe inde abiere Romani ut victores, Etrusci pro victis; nam postquam illuxit, nec quisquam hostium in conspectu erat, P. Valerius consul spolia legit: triumphansque inde Romam rediit: collegæ funus, quanto tum potuit adparatu, fecit, & Plutarchus in vita Poplicolæ p. 101. *Tum perhibent concusso luco, magnam ex eo vocem exiisse, quæ indicaverit, uno plures de Etruscis quam de Romanis cecidisse. Fuitque sane ea vox divina, confestim enim ea audita Romani clamorem ingentem audacter sustulerunt: Etrusci magno terrore percussi e castris sese proripuere, ac majori ex parte dispersi sunt: reliquos, quorum numerus erat paullo quinque millibus inferior, Romani supervenientes in suam potestatem redegerunt, castraque diripuerunt. Cadaveribus dinumeratis, undecim millia, ac trecentos hostium occubuisse inventum est, Romanorum uno minus.*

Pedum incurvum, quod sub equis visitur, Fauni est symbolum similiumque deorum, unde in nummis, qui Panos caput habent, uti Antigoni Tutoris, regis Macedoniæ, retro caput dei pedum illud pastorale quoque cernitur.

Sed antequam discedam a Fauno nova explicatio subjungenda est, quam subministrat Plinius lib. XVIII. cap. 3. ubi notat ex tota Carthaginis bibliotheca Magonis tantum XXVIII. de Re Rustica volumina Romam delata fuisse & jussu Senatus Latine versa. Verba Plinii hæc sunt: *Cui* (Magoni Pœno) *quidem tantum honorem senatus noster habuit Carthagine capta, ut, cum regulis Africæ bibliothecas donaret, unius ejus duodetriginta volumina censeret in Latinam linguam transferenda, quum jam M. Cato præcepta condidisset: peritisque linguæ Punicæ dandum negotium; in quo præcessit omnes vir clarissimæ familiæ D. Silanus.* Ex cujus Silani prosapia ortus forsan esse potuit is, qui denarios hos cum Fauni capite, aratro, aliisque typis percussit. Imo is ipse, anno namque V. C. DCVII. eversa fuit Carthago, & inter quæstores ponitur D. Junius Silanus A.V.C. DCLXXV. neque necesse est, ut statuamus e vestigio post captam Carthaginem Latine versos Magonis libros fuisse, potuitque, non ut quæstor, sed ut III vir monetalis hanc signare monetam.

VII.

SALVS. Caput deæ Salutis, in torque.

Decimus SILANVS *Lucii Filius.* Victoria in bigis, dextra palmam tenens, læva equorum habenas; sub equis est cicada.

Ad ædem Salutis a dictatore C. Junio Bubulco Bruto votam respicere hunc & similes denarios judicat Vaillantius. Unde sequitur, gentem Juniam, Bruti primum cognomine insignem, Bubulci cognomen deinde adoptasse, & ex Bubulcis illis originem traxisse Junios Silanos, in quorum familiam Torquatus filium suum adoptandum dedit; sic ut quatuor familiarum decora in hoc uno nummo, &, qui mox lit. D. occurrit, concurrant. Ad Brutos spectat Victoriæ typus & cicadæ in hoc, & capellæ cornutum caput in altero denario typus, ruris & sacrificii, quod Fauno solebat offerri, symbola. Ad Bubulcos ædis Salutis dedicatio, quæ per deæ ejus caput exprimitur. Torquatorum nobilitatem torques, qui nummos ambit, arguit, & Silanos subscriptum cognomen, ut recentius adscitum, ostentat.

Ædis deæ Salutis a C. Junio Bubulco votæ, ut consule, in bello contra Samnites A. V. C. CCCCXLII. quæ fuit locata ab eodem censore A.V.C. CCCCXLIV. perfecta & dedicata a dictatore A. V. C. CCCCLI. mentionem plures faciunt. Livius lib. X. cap. 1. *Ædem Salutis, quam consul voverat, censor locaverat, dictator dedicavit.* & lib. IX. cap. 44. *Eodem anno ædes Salutis a C. Junio Bubulco censore locata est: quam consul bello Samnitium voverat.* Eadem hæc ædes Fabiæ gentis familiam unam Pictorum cognomine exornavit, uti docet Valerius Maximus lib. VIII. cap. 14. ubi agit de cupiditate gloriæ. *Illa vero etiam a claris viris interdum ex humillimis rebus petita est. Nam quid sibi voluit C Fabius nobilissimus civis? qui cum in æde Salutis, quam C. Junius Bubulcus dedicaverat, parietes pinxisset, nomen his suum inscripsit. Id enim demum ornamenti familiæ, consulatibus, & sacerdotiis, & triumphis celeberrimæ, deerat.* Adde Plinium lib. XXXV. cap. 4.

Duo sequentes denarii, qui nullam notam adscriptam habent, literis discrepant alphabeticis & monetalibus, B. & P. exhibentes.

Litera D.

SALVS, addita litera P. Caput deæ Salutis in torque.

Decimus SILANVS *Lucii Filius.* Victoria in bigis, dextra tenens habenas, læva palmæ ramum, subtus capellæ cornutum caput est.

Capellæ caput, ut dixi, symbolum Fauni est, huic enim deo sacrificari solebat. Ovid. Fastor. lib. II. versu 361.

Cornipedi Fauno cæsa de more capella,
Venit ad exiguas turba vocata dapes.

VIII.

SALVS. Caput deæ Salutis in torque.

Decimus SILANVS *Lucii Filius.* ROMA. Victoria in bigis, dextra tenet flagellum, læva palmam & equorum habenas.

Explicationem pete ex præcedentibus; duo sequentes denarii, qui numerum vel notam literalem adscriptam non habent, in eo tantum differunt, quod literas D. & P. alphabeticas ad usum monetariorum exhibeant.

Litera E. & F.

Aquila scipioni insistens, dextro ungue lauream elevat.

ΚΩΣΩΝ. *Cosarum* vel *Coson.* Consul procedens inter duos lictores. Is nummus, qui sequitur lit. F. præterea connexas habet literas L.B.

Missis aliorum sententiis, ut quæ mihi non probantur, meam de hisce nummis proferam. Cusi videntur aurei hi nummi, ex quibus posteriorem ipse possideo, in urbe Cosa seu Cosis; singulari enim & plurali numero, geminata etiam litera media exprimebatur. Cosa, urbs antiquitus fuit Hetruriæ, sita post Populonium, in sublimi colle, non longe a mari, uti testantur Strabo, Pomponius Mela, & Plinius. Antiqua valde fuit, & principum Hetruriæ sedes eo tempore, quo Æneas in Italiam venit; unde apud Virgil. Æneid. lib. X. vers. 166.

Massicus ærata princeps secat æquora tigri,
Sub quo mille manus juvenum, qui mœnia Clusi,
Quique urbem liquere Cosas.

Co-

Colonia facta eſt Romanorum ac municipii honore honeſtata, Livio & Plutarcho auctoribus, Cicerone item aliisque. Factum illud fuit coſſ. C. Fabio Dorſone & C. Claudio Canina A. V. C. CCCCLXXX. meminit ejus Vellejus Paterculus lib. I. Nunc quidem ita deſolata eſt, ut, ubi ſita fuerit, diſceptent. Ruinæ tempore Rutilii poëtæ monſtrabantur. Sic enim ille in Itinerario ſuo lib. I. verſu 285.

Cernimus antiquas nullo cuſtode ruinas,
Et deſolatæ mœnia fœda Coſæ.

Jupiter Vicilinus, de quo ex Livio Patinus, an ibi cultus fuerit, incertum eſt, quoniam pro *Coſſano agro* apud Livium *Comſano agro* melius forſan legi poſſit. Certe Coſani, ut coloni Romanorum, hunc nummum ſignare non potuerunt, Græca enim Italici nummi eſt inſcriptio ΚΩΣΩΝ. & Etruſci veteres ante Romanos, ut reliqui magnæ Græciæ populi, nummos ſuos cuderunt atque Græce inſcripſerunt. Quare Coſa, ut urbs Italiæ ſeu Etruriæ antiqua, nobilis, & regia quondam, aureos hoſce ſignare potuit nummos, in quibus inſignia imperii, faſces exhibentur, quos lictores geſtant, & ſceptrum cui aquila inſiſtit. A Tuſcis vero omne illud ſupremi imperii inſtrumentum atque decus regium, & a Tarquinio Superbo, vel (ut alii volunt) ab ipſo Romulo Romam fuiſſe translata docet Livius lib. I. cap. 8. *Rebus divinis iſte perpetratis, vocataque ad concilium multitudine, quæ coaleſcere in populi unius corpus nulla re, præterquam legibus poterat, jura dedit: quæ ita ſancta generi hominum agreſti fore ratus, ſi ſeipſe venerabilem inſignibus imperii feciſſet, quum cetero habitu ſe auguſtiorem, tum maxime lictoribus duodecim ſumtis fecit. Alii ab numero avium, quæ augurio regnum portenderant, eum ſecutum numerum putant. Me haud penitet eorum ſententiæ eſſe, quibus & adparitores hoc genus ab Etruſcis finitimis, unde ſella curulis, unde toga prætexta ſumta eſt, numerum quoque ipſum ductum placet:* Quibus conſentanea ſcribunt Dion. Halicarn. lib. III. cap. 84. p. 195. *Sunt qui prodant adlatas ei etiam duodecim ſecures, ſingulas a ſingulis populis miſſas. Etruſcorum enim mos fuiſſe videtur, quamque civitatem ſuo regi lictorem unum addere, qui cum virgarum faſce ſecurim illi præferret: quoties vero communis duodecim populorum eſſet expeditio, duodecim ſecures ei traderentur, cujus eſſet imperium in exercitum. Non tamen omnes ſcriptores his aſſentiuntur; quandoquidem nonnulli ajunt ante Tarquinii regnum duodecim ſecures regibus præferri ſolitas: fuiſſeque hoc inſtitutum Romuli mox ex quo principatum adeptus ſit. Nihil tamen vetat Etruſcorum id eſſe inventum, primumque ab illis mutuatum Romulum: attamen Tarquinio quoque inter cetera inſignia regia adlatas etiam ſecures duodecim; quemadmodum & nunc Romani ſceptra & diademata dono mittunt regibus, quando eis confirmant poteſtatem regiam; quibus utuntur etiamſi ab illis non accipiant.* Neque a Tarquinio tantum ſed & Romulo lictores adhibitos docet idem Dionyſ. Halicarn. lib. II. cap. 30. *Cumque homines timore maxime a maleficiis deterreri poſſe cerneret, multa in eum uſum paravit, tribunal ad jus dicendum in loco fori conſpicuo, ſatellitii trecentorum militum terribilem faciem, virgas ac ſecures prælatas a duodecim lictoribus, qui flagra meritos cædebant in foro, graviumque criminum damnatos capite plectebant in conſpectu omnium.*

Laurea vero & connexæ literæ L. B. quid ſibi velint, ſi quis quærat, reponi poſſet, ſignatam monetam hanc auream fuiſſe ab Etruſcis & Coſanis eo tempore, quo dedecus illud abluerent, quod admittere coacti fuerant bello a Tarquinio Priſco ſuperati; illum enim ex fœderum conditionibus principem civitatum ſuarum agnoſcere coacti fuerant, unde & regia ad illum inſignia adtulerant. Florus lib. I. cap. 5. *Neque pace Tarquinius, quam bello, promtior. Duodecim namque Tuſciæ populos frequentibus armis ſubegit. Inde faſces, trabeæ, curules, annuli, phaleræ, paludamenta, prætexta: inde, quod aureo curru quatuor equis triumphatur, togæ pictæ, tunicæque palmatæ: omnia denique decora & inſignia, quibus imperii dignitas eminet.* Fuſius vero & ad nummi etiam priorem partem adcommodate magis Dionyſius Halicarnaſſæus lib. III. cap. 84. ubi narrat, quomodo poſt continuas clades fracti Hetruſci legatos de pace ampliſſimis conditionibus facienda ad Tarquinium miſerint: *Hi cum multis regem hortarentur ad clementiam & moderationem, memorantes etiam cognationem, quæ ei cum ſua gente intercederet, ait ſe unum hoc ex ipſis ſeiſcitari: utrum adhuc de æqualitate ſecum diſceptent, & ad pacem certis conditionibus faciendam venerint; an ſe victos agnoſcant, & urbes ſuæ poteſtati permittant. Quibus reſpondentibus, ſe & civitates ſuas in ipſius poteſtatem permittere, & pacem accipere quibuſcunque conditionibus; lætitia perfuſus; Audite nunc, inquit, conditiones, & quam vobis pro iſta veſtra voluntate repono gratiam. Ego neminem Etruſcum occidere cupio, aut exſilio boniſve mulctare; civitates ipſas ſine præſidiis, ſine exactionibus, permitto ſuis legibus vivere, ſingulaſque priſtinam reipublicæ formam retinere ſino. Pro his omnibus quæ vobis conceduntur, unum mihi a vobis deberi cenſeo, ut me veſtrarum civitatum principem agnoſcatis; quod etiam nolentibus vobis futurus ſum, quamdiu ero armis ſuperior: malo tamen id a volentibus quam ab invitis conſequi: hæc referte veſtris civitatibus: ego interim dum huc revertimini, vobis inducias polliceor. Cum hoc reſponſo legati dimiſſi poſt paucos dies redeunt, non nuda verba tantum adferentes, ſed & principatus inſignia, quibus ſuos reges ornare conſueverant, coronam auream, & ſellam eburneam, ſceptrumque in ſummitate habens aquilam, & purpuream tunicam auro diſtinctam, purpureumque amiculum varium, qualia Lydorum atque Perſarum reges geſtarunt; niſi quod non quadrata, ut illa; ſed figura erat ſemicirculi: hoc veſtimenti genus Romani togam, Græci τήβεννον adpellant, neſcio unde ſumpto vocabulo: non enim videtur Græcæ originis.*

Sceptrum ibi commemoratur *in ſummitate habens aquilam*, at hic ſceptro inſiſtit eadem aquila corollam geſtans dextro ungue, & ab altera parte ſummus Etruſcorum cernitur magiſtratus una cum lictoribus ſuis. Videlicet, mortuo Tarquinio Priſco, ſtare amplius iis conditionibus noluerunt Etruſci, ſed quaſi jam principatus & gloria ad ſe rediiſſet, dici poſſent ſignaſſe aurum & in monetis ſuis monumentum libertatis ſuæ & recuperati honoris exſtare voluiſſe. Imo inde æram quandam deduxiſſe viderentur, cujus ſecundus tantum annus (Λυκαβάντος B.) in aureo nummo altero adparet, quoniam ſtatim gravi bello eosdem adortus eſt ſucceſſor Tarquinii Servius Tullius & ad priſtina obſequia redire coëgit; cui rei luculentus teſtis mihi eſt Dionyſius Halicarn. cujus teſtimonium, quamvis longius, adſcribere non verebor. Exſtat lib. IV. cap. 27. *Defuncto Tarquinio civitates quæ ſe illius imperio ſubmiſerant, nolebant amplius ſtare fœderis conditionibus, dedignatæ parere Tullio homini obſcuris orto natalibus, & ſublatæ ad novas ſpes patriciorum cum rege diſſidio. Initium defectionis a Vejentibus ortum eſt; hi legatis a Tullio miſſis reſponderunt, ſe nec ullum ei principatum conceſſiſſe, nec amicitiæ ſocietatiſque fœdus cum eo pepigiſſe.*

pigisse. Hos auctores secuti sunt Cæretani & Tarquinienses; postremo inarmis fuit universa Etruria. Hoc bellum continuatum est annis viginti: & alteri alterorum agros non semel cum magno exercitu invaserunt, collatisque signis alia super aliis iniere prælia: e quibus omnibus victoriam reportavit Tullus, quotiescunque vel cum singulis civitatibus, vel cum tota gente dimicatum est: ac tandem tribus clarissimis triumphis decoratus, coëgit eos vel invitos imperii frenum accipere. Vigesimo demum anno coactæ rursus in concilium duodecim gentis urbes, consumtis bello tum viris tum pecuniis, decreverunt Romanis principatum tradere eisdem quibus antea conditionibus: moxque ab omnibus populis legati venerunt supplices committentes se & sua in fidem Tulli, deprecantesque ne sævius in se consuleret. Respondit rex, illos quidem ob vesaniam & contemtum deorum, quos testes nil veriti violarint fœdera, multas & magnas pœnas commeritos: verum Romanorum æquitatem ac clementiam, quandoquidem agnita culpa cum supplicum insigniis iram deprecatum venerint, ipsis in præsens non defuturam. His dictis pacem eis dat, ceteris quidem impune (posita ita & omnium injuriarum memoria) permissis suo jure vivere & bonis sui frui, salvis Tarquinii regis conditionibus; sed tribus populis qui primi defecerant, ceterosque ad bellum Romanum concitaverant, Cæretanis scilicet, Tarquiniis, & Vejentibus, parte agri mulctatis; quem his divisit qui recens tum Romæ civitatem adepti fuerant.

Sed huic sententiæ video obstare, Cosam urbem per O. non per Ω. scribi, & præsertim, temporibus istis monetam auream nondum signatam fuisse in Italia. Superest, ut dicamus, ΚΩΣΩΝ nomen magistratus urbis Asiæ vel Græciæ esse, quæ tempore Cassii & Bruti nummum cuderit, literas Α. Β. initiales esse primi consulis Lucii Bruti.

Litera G.

AVGVSTVS DIVI F*ilius* PONT*ifex* MAX*imus* PATER PATRIAE. Augusti caput laureatum.

V*rbs* V*ictrix* OSCA COMPOSTO ET MARVLLO II VIR*is*. Eques hastatus.

Quoniam Tacito lib. XIV. Annal. cap. 48. ad A. V. C. DCCCXIV. consul designatus scribitur Junius Marullus, hinc ad familiam Juniam hunc nummum revocavit Morellius, qui tamen proprie ad colonias spectat, & cusus est Oscæ, urbe Hispaniæ Tarraconensis.

Litera H.

TI*berius* CAESAR AVGVSTVS. Caput Tiberii laureatum.

Colonia Cæsarea Augusta, literis initialibus in nummi area exprimitur; in circuitu legitur *Caio* CARV*ilio* AQVIL*ino Lucio* IVN*io* VETERE II VIR*is*.

Et hic coloniæ in Hispaniis nummus perperam ad familias revocatur.

Lit. I. *& seqq.*

ΚΑΙΣΑΡ ΣΕΒΑΣΤΟΣ ΣΕΒΑΣΤΟΥ. In initio nomen sive literæ ΤΙ. suppleri debent. *Tiberius Cæsar Augusti* scil. *filius*. Caput Tiberii nudum.

Α. ΕΠΙ ΣΙΛΑΝΟΥ ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ ΓΜ. In secundo Α. ΕΠΙ &c. ΔΜ. in tertio Α. ΕΠΙ &c. ΕΜ. in quarto Γ. ΕΠΙ ΣΙΛΑΝΟΥ ΣΕΛΕΥΚΕΩΝ ΖΜ. omnes in corona laurea, significant vero priores cusam monetam Antiochiæ sub Silano esse; ultima vero cusam eandem Seleuciæ sub Silano esse. Literæ vero Α. vel Γ. in summo notant cusos nummos primo vel tertio Tiberii principatus anno; in extremo ΓΜ. ΔΜ. ΕΜ. ΖΜ. notant æram Antiochensium & Seleucensium, annos videlicet XLIII. XLIV. XLV. XLVII. De ipso Silano visuri sumus ad Tab. quartæ num. III.

TAB. II.

I.

Caput Romæ galeatum cum denarii nota.

Decimus SILANVS *Lucii Filius*. ROMA. Victoria in bigis, utraque manu habenas equorum tenens desuper; est numerus VIIII.

Litera A.

Caput Romæ galeatum, retro est litera G.

Epigraphe & typus ut supra, desuper est nota numeralis XVIII. Vide plures infra tab. V.

II.

Caput Jani bifrontis barbatum & remis vel vallis coronatum.

Decimus SILANVS *Lucii Filius*. ROMA. Prora navis.

Nummus est uncialis, unde Vaillantius eum revocat ad D. Junium Silanum L.F.M.N. qui Titi Manlii consulis cum Cn. Octavio A. V. C. DLXXXVIII. filium illum infelicem adoptavit, qui postea propter abdicationem patris Manlii vitam suspendio finiit.

Familia Juniorum Silanorum in plurimos ramos dispersa fuit. M. Junius Silanus filios habuisse Vaillantio dicitur Cajum, Decimum, Lucium & Marcum. Caji nepos, Cajus item dictus, nummum sequentem cudit. Lucius Decimum genuit, a quo nummus hic uncialis cusus est tempore quæsturæ. Caput Jani remis coronatur ob navigationis usum, vel vallis ob urbes conditas. Similis infra in gente Tituria num. V. ejus ornatus occurrit.

III.

Quintus CVRT*ius*. Caput Romæ galeatum.

Marcus SILA*nus*. ROMA. Jupiter in citis quadrigis stans, dextra fulmen tenet, læva sceptrum & equorum habenas.

M. Junius Silanus, filius Caji fuisse creditur, nepos Caji, & pronepos M. Silani, qui familiæ hujus princeps fuit. Cum Q. Curtio, in quæstura urbana A. V. C. DCXVIII. denarios hosce cudit, ut observant Pighius & Vaillantius; & collegam eundem Q. Curtium habuit in tribunatu plebis A. V. C. DCXXIII. & prætura DCXXIX. Victoriæ, hoc quæsturæ eorundem anno, Romanis contigerunt de Scordiscis Thraciæ populis & ex Hispania ulteriore. Jupiter autem in quadrigis solitus denariorum est typus.

IV.

BRVT*us* IMP*erator*. *Lucius* PLAET*orius* CEST*ianus*. Caput Bruti percussoris Cæsaris, nudum.

EID*us* MAR*tiæ*. Pileus inter duos pugiones.

Eximius hic denarius multa nobis in historia Romana memorabilia ante oculos ponit; ipsius Bru-

Bruti effigiem, titulum imperatoris, quem adfectavit & adeptus est, gloriam cum Cassio communicatam in cæde Cæsaris & restituenda libertate; quæ omnia mirifice Dionis verba illustrant, & ab illo vicissim lucem accipiunt. Ubi enim narravit, quomodo, victis Bessis, imperatoris titulum adeptus fuerit, addit, numisma quoque ab eo percussum fuisse, in quo imaginem suam signaverit & typum patriæ a se atque Cassio in libertatem vindicatæ. Sed ipsa Dionis Cassii verba audienda sunt. Scribit is lib. XLVII. pag. 341. in hunc modum: Ὁ δὲ δὴ Βροῦτος ὡς τάχιστα τήν τε τοῦ Ἀντωνίου τοῦ Μάρκου πεῖραν καὶ τὴν τοῦ ἀδελφοῦ αὐτοῦ σφαγὴν ἔμαθεν, ἔδεισε μὴ καὶ ἄλλό τι ἐν τῇ Μακεδονίᾳ περὶ τὴν ἀπουσίαν αὐτοῦ νεωτερισθῇ. καὶ εὐθὺς ἐς τὴν Εὐρώπην ἐπειχθεὶς, τήν τε χώραν τὴν τοῦ Σαδάλου γενομένην παρέλαβεν (ἄπαις γὰρ τελευτῶν, τοῖς Ῥωμαίοις αὐτὴν κατέλιπε) καὶ ἐς Βήσσους ἐμβαλὼν, εἴπως ἀμύναιτό τε ἅμα αὐτοὺς ὧν ἐκακούργουν, καὶ ὄνομα ἀξίωμά τε αὐτοκράτορος, ὡς καὶ πολεμήσων ῥᾷον ἐκ τούτου τῷ τε Καίσαρι καὶ τῷ Ἀντωνίῳ, περιβάλοιτο, ἀμφότερα διεπράξατο, Ῥασκυπόριδος οἱ δυνάστου τινὸς ἐς τὰ μάλιστα βοηθήσαντος. ἐντεῦθεν δὲ ἐς τὴν Μακεδονίαν ἐλθὼν, καὶ πάντα τὰ ἐκεῖ καταστησάμενος, ἐς τὴν Ἀσίαν αὖθις ἀνεκομίσθη. Βροῦτος μὲν ταῦτά τε ἔπραττε, καὶ ἐς τὰ νομίσματα ἃ ἐκόπτετο, εἰκόνα τε αὐτοῦ καὶ πίλιον, ξιφίδιά τε δύο ἐνετύπου· δηλῶν ἔκ τε τούτου καὶ διὰ τῶν γραμμάτων, ὅτι τὴν πατρίδα μετὰ τοῦ Κασίου ἠλευθερωκὼς εἴη. Id est, *Brutus ubi primum M. Antonii conatum, ac mortem C. Antonii cognovit, veritus ne qui etiam alii se absente novi motus in Macedonia existerent, in Europam festinato se recepit: regioneque Sadali, qui sine liberis decedens, eam P. R. reliquerat, recepta, in Bessorum ingressus regionem, eo animo ut & in eorum maleficia animadverteret, & nomen sibi imperatoris (quo facilius contra Cæsarem & Antonium bellum gerere posset) adipisceretur, utrumque, Rhascipolide regulo magnopere adjuvante, perfecit. Hinc in Macedoniam progressus, omnibusque suam in potestatem redactis, in Asiam revectus est. Hæc Brutus egit: qui etiam numismati quod faciebat, suam imaginem cum pileo ac duobus pugionibus impressit, eo & inscriptione declarans, patriam a se & Cassio esse in libertatem vindicatam.* Quæ posteriora Dionis verba adducens Ursinus, in inutilem dubitationem incidit p. 193. dum scribit: „ Sed cum „ nulla Cassii mentio in eo denario facta sit, cre„ di potest, vel alium ad Dionis manus pervenisse „ denarium, ab hoc aliqua in parte dissimilem, „ qui non exstet; vel memoria lapsum Dionem, „ pro idibus Martiis μετὰ Κασσίου scripsisse. „ Quid? an non utriusque in cæde Cæsaris & restituenda patriæ libertate gloria cernitur in denario? omnino; ideo enim medius pileus inter duos ponitur pugiones, ut manu Cassii æque ac Bruti credamus libertatem populo Romano cæde tyranni restitutam fuisse. Id enim Dio significare voluit.

Facies Bruti in hoc denario cernitur, utpote cuso à legato Bruti Plætorio, cernitur autem juxta Plutarchi descriptionem macilenta; a pallidis enim & macilentis, altaque eorum cogitatione cavendum sibi Cæsar dixit apud Plutarchum in Vita Cæsaris pag. 737. *Iterumque delatis apud eum Dolabella & Antonio, quasi ii res novas machinarentur, dixisse fertur, se sibi haud magnopere a crassis istis crinitisque metuere, sed a pallidis istis atque macilentis: Cassium & Brutum notans.*

V.

Lucius PLAETorius CESTianus. Caput Pietatis velatum & laureatum, cum modio in vertice.

BRVTus IMPerator. Securis & capeduncula. Sacerdotium aliquod Bruti in hoc denario celebratur, quod a Cæsare adeptus fuisse videtur.

VI.

BRVTVS. Securis, capeduncula, & culter ad sacrificium pertinens, alia enim ejus est forma quam pugionum quos num. IV. habuimus.

LENTVLVS SPINTer. Præfericulum & lituus.

De Lentulo & pontificatu ejus egimus jam in gente Cornelia; symbola ejusdem pontificatus in altera hujus denarii parte exprimuntur, in altera sacerdotii M. Bruti.

VII.

CASCA LONGVS. Caput Neptuni laureatum, subtus dei ejusdem symbolum, tridens, conspicitur.

BRVTVS IMPerator. Victoria gradiens corollam cum lemniscis utraque manu sustinet, læva insuper palmam super humeros gerit. Quod sub pedibus Victoriæ cernitur, non prora est, ut Vaillantius credidit, sed linea tantum longior, quæ sæpe pedibus icuncularum in nummis subjici solet, quod denarius musæi nostri integerrimus clare adstruit. Hinc est quod miror unde prora Vaillantio in mentem venerit, nam, neque apud Ursinum Patinumve adjungitur, neque inter ipsius Servilii Cascæ nummos, ubi iterum occurrit hic denarius tab. CXXIX. num. 7. in editione Vaillantii ratis illa exprimitur, ubi tamen in explicatione ratem is itidem agnoscit. Præterea in pictura, quam denarii hujus in gente Junia dedit præstantissimus ille antiquarius, in area nummi ante pedes gradientis Victoriæ ratis illa exprimitur, & insuper sub pedibus linea quoque illa longior, de qua dixi, adparet. Unde suspicor Vaillantium ipsum, quum vidisset apud Goltzium (ubi hic denarius exstat in Julii Cæsaris Percussoribus tab. XXIII. num. 7.) insistere proræ hanc Victoriam, typo denarii Fulviani adpinxisse proram illam, ut a sculptore sub pedibus Victoriæ collocaretur, sed ab artifice (quum mentem viri in Galliis degentis ipse in Belgio constitutus non perciperet) ante deæ pedes positam fuisse. Neque tamen negare volo tales forsan exstare denarios, quum Vaillantius quoque aureum hujus Cascæ addiderit Bruti pariter effigiem exhibentem, cum tropæo inter duas proras erecto, tab. LXXIX. num. 24. verum debuerat tunc aliquod de emendatione sua verbum addere; & in gente Servilia eodem modo pingere, ut nummus pictus fuerat in gente Junia tab. LXXIX. num. 23.

Antiquariorum de hujus denarii sensu varia est sententia. Lævinus Torrentius in pereruditis ad Suetonium notis, ad Vit. Julii cap. LXXXII. hunc quoque denarium adducit, & Cascæ cognomen quidem ad P. Servilium Cascam, Longi vero, ad C. Cassium refert. Quæ Fulvii Ursini quoque sententia est, Marcum Cascam pro Publio scribentis. „ Reliqua (inquit „ p. 143.) spectant ad C. Cassium Longum & „ M. Servilium Cascam, Cæsaris & ipsos percus„ sores; quamvis Victoria navis proræ insistens „ (quo pacto in denario Fulviano tamen non pin„ gitur) ad Brutum etiam possit aliquo modo re„ ferri, qui classe, quam bello civili paraverat, „ mediterraneum mare subjecerat. Ἐν δὲ τῇ Σμύρ„ νῃ (inquit Plutarchus in Bruto pag. 998.) τότε „ τῶν χρημάτων ἃ πολλὰ συνειλόχει Κάσσιος, ἠξίου ὁ „ Βροῦτος μεταλαβεῖν τὰ γὰρ ὄντα καταναλωκέναι ναυ„ πηγούμενος στόλον τοσοῦτον, ᾧ πᾶσαν ὑφ' ἑαυτοῖς ἕξει-

„ ει

„ σι τὴν θάλασσαν. Id est, *Smyrnæ postulavit a „ Cassio Brutus, ut is secum pecunias, quas multas „ collegerat, communicaret: suas enim se consumsisse „ fabricanda ea classe, qua obtinere totum mediter- „ raneum mare possent.* „ Hæc Ursinus. Verum Cassii non fuerunt dicti Longi, sed Longini. Agnoscuntur enim C. Cassius Longinus, cos. A. V. C. DLXXXII. Liv. XLII. 28. In Fastis Q. Cassius Longinus, cos. A. V. C. DLXXXIX. L. Cassius Longinus, cos. A. V. V. DCXXVI. Apud Obsequentem cap. XCI. C. Cassius Longinus, cos. A. V. C. DCXXIX. ex Epitoma Livii LXV. L. Cassius Longinus, cos. A. V. C. DCXLVI. qui cum exercitu a Tigurinis cæsus est. Apud Obsequentem iterum cap. CIX. C. Cassius Longinus, cos. A. V. C. DCLVII. Præterea L. Cassius Longinus inter Catilinæ conjuratos agnoscitur apud Sallust. Catil. cap. XVII. C. Cassius Varus Longinus consul cum Lucullo apud Pighium A. V. C. DCLXXX. L. Cassius Longinus dux Cæsaris, in libris de Bello Civ. III. 34. Cassium Longinum JCtum, cujus meminit Aggenus Urbicus in Frontin. de Limit. Agror. p. 57. edit. Goesianæ, interfecit Nero. Alios etiam Cassios Longinos marmora & inscriptiones suppeditare possunt. Longus itaque non est cognomen gentis Cassiæ, sed agnomen familiæ Cascæ ex gente Servilia; ita ut fratres illi, qui Cæsarem interfecerunt, dicti fuerint C. & P. Servilii Cascæ Longi. Longus enim in historia ut agnomen occurrit, L. Manlius Vulso consul A. V. C. CCCCXCVII. & DIII. Longi agnomen habuit. Vel etiam alter ex fratribus Cascis, qui videlicet hunc nummum percussit, ut a fratre distingueretur, Longi agnomen habere potuit. Legitur certe in denario CASCA LONGVS, & quamvis Longi, ut cognominis, adpellatio data fuerit Aufidiis, Atiliis, Considiis, Mussidiis, Rutiliis, Semproniis, Sulpitiis aliisque, Cascarum tamen ita celebre inter conjuratos nomen fuit, ut nummum ad nullum alium, quam Cascam pertinere putem.

Censet Ursinus cusum esse denarium occasione classis maximæ, comparatæ a Bruto ad imperium maris Mediterranei; & Victoriam ad titulum imperatoris de subactis Bessis spectare. Verum, sicuti Neptuni quidem typus navalis potentiæ est symbolum, sic tropæum navale, quod ex singulari nummo aureo Cenomanensium ducis exhibet Vaillantius, non potuit signari, nisi navali aliqua parta victoria. Unde censet idem Vaillantius tom. II. p. 14. signatos fuisse hos denarios, argenteum hunc, & aureum, quem ipse profert, parta a ducibus Bruti insigni illa victoria navali, qua (sicuti Plutarchus testatur) ingentes copias Cæsari ex Italia missas classis Bruti oppressit. Victoriæ ejus meminit Plutarchus in Bruto p. 1006. atque rei hujus ignorationem Bruto perniciem adtulisse scribit. *Neque meliori conditione res Cæsaris Antoniique erant, quibus & magna erat in commeatu parando difficultas, & propter situm castrorum loco cavo & incluso montibus positorum gravem exspectabant hyemem, quippe palustribus in locis versabantur, & secundum pugnam autumnales obortæ pluviæ, cœno tentoria opplebant, & aqua, quæ propter frigus statim congelaret. Supervenere his incommodis nuncii de accepta mari exercitus clade, quem numerosum ex Italia ad Cæsarem navigantem Bruti classis adorta perdiderat, ita ut pauci admodum evitatis hostibus superstites fuerint, coacti præ fame vela & rudentes comedere. His illi auditis properarunt ad rem prælio decernendam, priusquam Brutus de successu suo certior redderetur: eodem enim die & terra & mari res gesta fuit. Atque casu magis quam malitia præfectorum classis factum est, ut de sua victoria Brutus viginti elapsis diebus nihil cognosceret. Quod si percepisset, non profecto secundam pugnam commissurus erat: qui & de rebus necessariis exercitui ad longum tempus prospexerat, & loco opportuno castra habebat, quæ neque lædi ab hyeme neque ab hoste expugnari facile possent: tum quod & mare in sua potestate haberet, & terra ipse victoriam reportasset, fiduciæ erat futurus plenus.* Et tamen hujus victoriæ nuncius ad Bruti copias pervenit, sed neque creditus est qui nunciavit, neque in Bruti conspectum adductus, ut scribit Plutarchus ibidem in seqq. *Pridie enim quam pugnatum ab eo est, Clodius quidam ab hostibus perfuga venit, referens Cæsarem eo dimicationem expetere, quod de classe sua perdita cognovisset: hæc tamen dicens, fidem non fecit, neque in conspectum Bruti adductus est, omnino spretus, quasi vel nihil veri audiisset, vel captandæ gratiæ caussa mentiretur.* Fateor, victoriam illam insignem typis istis præstantibus occasionem dare potuisse. Verum, quid tamen objici possit, proferam. Non quidem me movet, quod viginti dies tantum interfuerint inter victoriam illam navalem, & extremum Bruti discrimen; eo enim temporis spatio signari hi nummi a ducibus Bruti potuerunt, imo amplius superfuit spatium, antequam de interitu Bruti certiores quoque fierent copiæ ejus navales; verum duo me torquent, quod præsens eo tempore alter certe e Cascis in exercitu Bruti ipsius fuerit, & vetus Epigramma testetur utrumque Cascam eodem mortis genere simul interiisse. De P. Servilio Casca, qui primus ictum Cæsari intulerat, loquitur Plutarchus in Bruto pag. 1005. occasione scurræ & mimi cujusdam: *Erant inter captivos Volumnius quidam mimus, & Saculio scurra, quos cum nihili penderet Brutus, amici ad eum adduxerunt, accusantes eos, quod ne nunc quidem ipsos conviciis impetere & subsannare desinerent. Nihil respondente Bruto, ut qui aliis curis distraheretur, cum Messala Corvinus censuisset verberibus in tentorio mulctatos nudos debere ducibus hostium reddi, ut viderent, quales militiæ secum compotatores atque familiares haberent, adque id dictum nonnulli risum sustulissent, P. Casca, qui primum Cæsari ictum intulerat, non recte, inquit, Cassio mortuo risu jocisque parentamus: tu vero Brute vel puniendis vel dimittendis ejus derisoribus & obtrectatoribus demonstrabis, quæ ejus apud te exstet memoria. Ad hoc Brutus graviter indignans repondit: Quid ergo vos ex me, o Casca, sciscitamini, & non id quod vobis visum est agitis? Hoc illi responsum pro consensu interpretati, miseros istos abduxerunt, & necaverunt.* De morte vero utriusque Cascæ ita loquitur epigramma circa illa tempora compositum in fratres Cascas lib. I. Catalect. p. 189. 190.

Occidere simul Cascæ, simul occubuere:
Dextra quisque sua, qua scelus ausus erat.
Castra eadem fovere; locus quoque vulneris idem.
Partibus adflictis victus uterque jacet.
Quanta fuit mentis, tanta est concordia fati;
Et tumulus cinerem parvus utrumque tegit.
Par fratrum multo celebrandum carmine vatum,
Una si fierent parte minus gemini.

Unde, quoniam alterius expresse mentionem facit Plutarchus, ubi de supremis Bruti diebus agit, suspicor Cascas quoque fuisse inter illos illustres viros, quos Appianus & Dio Cassius, victis partibus, sibi ipsis manus intulisse scribunt. Appianus lib. IV. B. Civ. p. DCLXIX. Τῶν δὲ ἀμφὶ τὸν Βροῦτον ἀνδρῶν ἐπιφανῶν, οἱ μὲν ἐν ταῖς μά-

χαις ἀπέθανον, οἱ δὲ αὐτοὺς ἐξήγαγον ὁμοίως τοῖς στρατηγοῖς. *Illustres viri, qui Brutum sequebantur, partim in prælio ceciderunt, partim ipsi se interemerunt, sicut imperatores.* Dio Cassius in extremo lib. XLVII. p. 356. Τῶν δὲ ἀνδρῶν τῶν πρώτων τῶν ἀρχάς τινας ἐσχόντων, ἢ καὶ ἐκ τῶν σφαγέων τῶν τε ἐπικεκηρυγμένων ἔτι ὄντων, τὸ μὲν πλεῖστον ἑαυτοὺς παραχρῆμα ἀπέκτειναν, ἢ ἁλόντες, ὥσπερ καὶ ὁ Φαβώνιος, ἐφθάρησαν. οἱ δὲ λοιποὶ τότε ἐπὶ τὴν θάλασσαν διέφυγον, καὶ μετὰ τοῦτο τῷ Σέξτῳ προσέθεντο. Id est: *Virorum autem primariorum, qui vel aliquem magistratum gessissent, vel ex percussoribus Cæsaris, aut proscriptorum in numero erant, plerique confestim manus sibi ipsis adtulerunt, aut capti (inter quos Favonius fuit) perierunt: reliqui ad mare profugerunt, ac deinde Sexto se Pompejo conjunxerunt.* Neque quidquam postmodum de Cascis legitur occasione Sexti Pompeji. Præterea Appianus, qui prælium illud in mari Ionio navale, vel potius occursum navium describit (neque enim justum prælium fuit) nullam Cascæ mentionem facit, sed Murcum & Ænobarbum duces istius classis conjuratorum fuisse scribit. Exstat descriptio illa lib. IIII. pag. 656. *Cæterum qua die in Campis Philippicis pugnatum est, etiam in Ionio mari casus memorabilis accidit. Domitius Calvinus onerariis navibus vehebat duas legiones ad Cæsarem, quarum altera ob virtutem Martiæ cognomine honestata fuerat: vehebat etiam cohortem prætorianorum duorum militum, & quatuor alas equitum, aliamque selectam multitudinem, paucis triremibus deducentibus. His Murcus & Ænobarbus obviam fuit cum centum triginta longis navibus. Eas primum onerariæ paucæ velis plenis effugerunt, reliquæ repente vento vim remittente, in tranquillo mari errabant, divinitus hosti traditæ.* Itaque si cum Vaillantio velimus denarium hunc ad illam victoriam navalem referre, statuendum erit, Cascam Longum abfuisse a prælio Philippensi, neque fuisse inter duces istius classis, sed quæstorem; fratrem ejusdem Publium Cascam evasisse ex ultimo Bruti prælio, atque alibi una cum Casca Longo vim vitæ suæ intulisse. Alterius vero fratris prænomen fuit Publius, alterius Cajus. Publium vocat Plutarchus, ut vidimus, Cajum Appianus diserte inter percussores Cæsaris nominat lib. II. p. 499. καὶ Γάϊον Κάσκαν, & *Cajum Cascam.* Et hinc cautela illa alterius C. Cascæ, quam memoratu dignam putavit Dio Cassius in fine libri XLIV. p. 268. Γάϊος γάρ τις Κάσκας δημαρχῶν, καὶ ἰδὼν ὅτι Κίννας ἐκ τῆς πρὸς τὸν στρατηγὸν ὁμωνυμίας ἀπώλετο, ἐφοβήθη μὴ καὶ αὐτὸς ἀποθάνῃ· ὅτι Πούπλιος Σερουίλιος Κάσκας ἔκ τε τῶν δημάρχων καὶ ἐκ τῶν σφαγέων ἦν· γράμματα ἐξέθηκε, τήν τε κοινωνίας σφῶν ἐκ τῆς μιᾶς προσηγορίας, καὶ τὴν διαφορὰν τῆς γνώμης δηλῶν. καὶ ἔπαθε μὲν οὐδέτερος οὐδὲν δεινόν. (καὶ γὰρ ὁ Σερουίλιος ἰσχυρῶς ἐφυλάσσετο) λόγον δὲ δή τινα ὁ Γάϊος, ὥστε καὶ μνημονευθῆναι, ἔσχε. *C. quidam Casca quum Helvio Cinnæ causam interitus fuisse animadvertisset, quod idem cum Cornelio Cinna prætore nomen gesserat: veritus ne ipse quoque periret, quum P. Servilius Casca unus ex tribunis & percussoribus Cæsaris fuisset, literas publice proposuit, quibus & nominis communionem, & diversitatem sententiarum utriusque exponebat. ac neuter quidem in periculum venit, quod Servilius custodia valida utebatur: C. tamen Cascæ factum id memorabile esse judicatum fuit.* Hic quidem Publium (ut & Plutarchus) Cascam vocat Dio, sed quum frater Publii (de quo vide nos infra ad Fam. Servil. tab. secunda num. IV.) dictus fuerit Cajus, meticulosus ille Casca duplicem timoris habuit caussam, quod & Casca cognomine eodem cum percussoribus, & prænomine Cajo, cum uno ex illis adpellaretur.

Quibus omnibus permotus existimo aliam victoriam navalem, quæ ante diem pugnæ Philippensis percussoribus Cæsaris obtigit, innui, illam videlicet, quam de Rhodiis Cassius retulit, ad quam consequendam classe, quam maximam in Bithynia & ad Cyzicum comparaverat Brutus, usus esse videtur, quoniam ita inter illos convenisse narrant scriptores, ut Rhodios Cassius, Lycios Brutus ad officium & fidem traducerent vel cogerent. Victoriam de Rhodiorum classe relatam ita describit Dio Cassius lib. XLVII. p. 346. Καὶ Κάσσιος μὲν Ῥοδίους (καίτοι τοσοῦτον ἐπὶ τῷ ναυτικῷ φρονοῦντας ὥστε ἔς τε τὴν ἤπειρον ἐπ' αὐτὸν προδιαπλεῦσαι, καὶ τὰς πέδας ἃς ἐκόμιζον ὡς καὶ ζῶντας πολλοὺς αἱρήσοντες, ἐπιδεικνύναι σφίσι) ναυμαχίᾳ πρότερον μὲν περὶ Μύνδον, ἔπειτα δὲ πρὸς αὐτῇ τῇ Ῥόδῳ, διὰ τοῦ Στατίου, τῷ τε πλήθει καὶ τῷ μεγέθει τῶν νεῶν τὴν ἐμπειρίαν σφῶν κρατήσας, ἐνίκησε. *Cassius igitur Rhodios navali pugna (quanquam ii tantum re nautica fidebant, ut ad Cassium in continentem quoque adnavigaverint, eique compedes ostenderint, quas secum adtulerant, tanquam multos hostium vivos capturi) primo apud Myndum, deinde Statii opera ad ipsam insulam Rhodum superavit, magnitudine ac numero navium ipsorum peritiam vincens.* Quare, quum in Cassii honorem percussi sint nummi a legato M. Servilio, ut in gente Cassia & Servilia cerni potest; in Bruti quoque honorem a Casca Longo cusos cum alio typo, sed victoriam eandem significante, negari vix potest; & quoniam classes Bruti universa occuparant maria, ita ut ultra CCLX. naves numeret Appianus lib. IV. p. 657. Neptuni effigies in altera hujus denarii parte expressa cernitur.

VIII.

COSTA LEG*atus.* Caput Libertatis laureatum.

BRVTVS IMP*erator.* Tropæum.

Inter legatos Bruti ducesque Costam fuisse docet hic denarius. Fuit is ex gente Pedania. Tropæum, quod ab altera parte est, spectat ad Bessos, Thraciæ populos, a Bruto devictos; propter quam expeditionem imperator vocatus fuerat, & tropæum parta victoria (ut nummus docet) erexerat. Quoniam vero omnes Bruti curæ ad libertatem & leges servandas tenderent, hinc Libertatis caput in priore denarii parte cerni existimant antiquarii; verum ejus deæ nomen adscribitur tabula præced. num. II. & lit. A. atque sequenti num. XII. unde Apollinis laureatum caput potius agnosco; cui crediderim missa dona fuisse a Bruto propter victoriam reportatam. Apollinis certe numini deditum fuisse patet, quod narrent in novissima in Philippis pugna σύνθημα παρ' αὐτοῦ τοῖς στρατιώταις Ἀπόλλωνα δοθῆναι. *Tesseram militibus eum dedisse Apollinem.* Unde aliud cogitanti fatalis quoque ille versus in cœna natalitia effluxit.

Ἀλλά με μοῖρ' ὀλοὴ καὶ Λητοῦς ἔκτανεν υἱός.

Sed me Latoides fatumque immite peremit.

Utrumque narrat in Vita ejus Plutarchus p. 995.

Lite-

Litera B.

Marcus BRVTVS IMP*erator*. COSTA LE*Gatus*. Caput M. Bruti in corona quernea.

Lucius BRVTVS PRIM*us* CO*nSul*. Caput Lucii Bruti primi conſulis in corona quernea.

Bruti illius veteris, qui reges ejecit, & cujus faciem in denario argenteo gentis hujus Juniæ primo & ſatis obvio contemplati ſumus, in aureo eoque rariſſimo hic cernimus exhiberi. Exhibuit ſimiliter Vaillantius num. II. inter gentis Juniæ nummos. Sed diſſimile, ſive aliud, præ oculis habuiſſe denarii hujus aurei exemplar Vaillantius, aliudque Morellius noſter videtur. Inberbis enim hic antiqui illius Bruti facies cernitur, quæ barbata apud Vaillantium agnoscitur, & rectius, quoniam barbati erant Quirites illi veteres, & Romulus, Tatius, Numa, aliique barbati in nummis occururnt; imo ipſa Bruti hujus effigies, non aliter quam Ahalæ, barba decora ornatur in primo hujus gentis nummo. Suſpicor itaque mentum in auro glabrum & detritum fuiſſe in illo nummo, quem delineavit Morellius; cur enim uno eodemque tempore in ejusdem Bruti nummis modo barbatus, modo inberbis, vir ætate jam provecta, contra temporis ſui morem, pingeretur? Obſervari tamen volo, artificem hujus denarii aliquam ſimilitudinem faciei inter utrumque Brutum quæſiviſſe, quod clare animadverti poteſt, quaſi in noſtro Bruto confirmans id quod de Brutis quibusdam ex Poſidonio teſtatur Plutarchus in Bruto p. 984. Καὶ τῶν γε καθ' αὐτὸν ἐκ τῆς οἰκίας γεγονότων ἐπιφανῶν ἀνδρῶν ἀναφέρειν ἐνίους πρὸς τὸν ἀνδριάντα τοῦ Βρούτου τὴν ὁμοιότητα τῆς ἰδέας. *Nonnullos etiam æqualium ſuorum, qui ex ea gente erant, clarorum virorum, repræſentaſſe facie Bruti ſtatuam.*

Dicitur hic *primus conſul*, unde illuſtrantur verſus illi, quos Cæſaris dictatoris ſtatuæ ſubſcriptos fuiſſe adnotat Suetonius in Cæſare cap. LXXX.

Brutus, quia reges ejecit, conſul primus factus eſt:
Hic, quia conſules ejecit, rex poſtremo factus eſt.

Fuit vero *conſul primus* etiam Valerius Poplicola dictus, quod inter primos fuiſſet. Unde Rutilius in Itinerario vſ. 271.

Hic eſt qui primo ſeriem de conſule ducit,
Usque ad Poplicolas ſi redeamus avos.

Ubi Valerium Meſſalam ſub Honorio imperatore conſulem laudat: De quo titulo *primi conſulis*, ut honoris apud ſcriptores antiquos, conſuli poteſt eruditiſſ. Spanhemius tom. II. p. 98.

Utriusque vero Bruti, Lucii & Marci, capita in hoc denario conjunguntur, quod & ad antiquum illum Brutum percuſſor Cæſaris genus ſuum referebat, & ſimilis cum generis ſui parente gloriæ particeps eſſe ſtuderet. Ad hoc facinus virum, juſtum alias & æqui rectique tenaciſſimum, excitabat opinio reſtitui per ſe legibus vim & patriæ antiquam poſſe libertatem; excitabat Bruti nomen, & vox plurimorum Brutum libertatis vindicem poſcentium; unde ſubſcriptum L. Bruti ſtatuæ: *Utinam viveres*, ut refert Sueton. in Vita Julii cap. LXXX. Quæ ſingula percenſet Dio Caſſius lib. XLIV. p. 246. *Brutumque & privatim accedentes hortabantur, & publice incitabant. Quia enim idem cum nobili illo Bruto, qui Tarquinios quondam ejecerat, nomen gerebat (quanquam hic quidem Brutus nullam progeniem reliquerat, ſed quos ſolos habebat, duos filios adoleſcentulos etiamnum, ipſe interfecerat) ea nominis communitate abuſi, M. Brutum ab illo Bruto ortum ferebant, ut ad ſimile facinus, quaſi id generi ſuo conveniens, hominem excitarent: ſubjectis ejus rei cauſa crebris literis, ſubindeque adclamantes, O Brute, Brute, dictitantesque Bruto aliquo ſibi opus eſſe. Ipſiusque adeo priſci illius Bruti ſtatuæ ſubſcripſerunt*, VTINAM VIVERES. *Tribunali etiam M. Bruti (præturam enim gerebat) inſcripſerunt*, DORMIS BRVTE, AC NON ES BRVTVS. *Hæc igitur Brutum ad inſidias Cæſari faciendas incitaverunt.* Nullius enim virtutem magis probaſſe Romanos quam Bruti, teſtatur quoque Plutarchus in Vita Cæſaris p. 736. *Preinde multitudo ſe ad M. Brutum confert, cujus paternum genus a magno illo Bruto videbatur deſcendere, materuum ex Serviliorum nobili ſtirpe: idemque conſobrinus erat ac gener Catonis. Is Brutus cum natura videretur ad tyrannidem deſtruendam incitari, honoribus tamen & muneribus à Cæſare acceptis inhibebatur.* Quibus mox idem ſubjicit. *Qui vero mutari ſtatum reipublicæ cupiebant, & ad Brutum vel ſolum vel primum omnium reſpiciebant, non auſi verbis eum tentare, noctu ſellam ejus & tribunal de quo prætor jus dicebat, ſchedis oppleverunt, quibus fere hæc eſſent inſcripta*, DORMIS BRVTE, NEQVE ES BRVTVS. *Quibus ſentiens Caſſius paullatim animum ejus commoveri, magis quam ante inſtitit hominemque inſtigavit.* Quomodo vero idem Caſſius Bruti virtutem excitaverit, & ad id facinus, velut patriæ poſcenti debitum, animaverit, docet idem Plutarchus in Vita Bruti pag. 988. *Hæc ſecum expendens Caſſius, prior Brutum poſt illam contentionem acceſſit: cumque reditum in gratiam & renovata amicitia eſſet, interrogavit, eſſetne Kalendis Martiis in ſenatum venturus: audiviſſe enim ſe, ea die de regno Cæſari deferendo amicos ejus relaturos. Bruto ſe venturum negante, Quid ergo, inquit, ſi nos vocent? Tum Brutus, Meum jam erit non ſilere, verum libertatem tueri, ac pro ea vitam profundere. His excitatus Caſſius, Quis vero, ait, Brute Romanorum te pro libertate mori ſuſtinebit? An te ipſum ignoras? An a textoribus & cauponibus non a primis & potentiſſimis civibus inſcribi tribunal tuum credis? Ab aliis prætoribus largitiones, ſpectacula & gladiatores illi, a te, veluti paternum debitum, exigunt tyrannidis everſionem, parati quidvis pro te ſubire, ſi te eis, qualem poſtulant & optant, præbueris.*

TAB. III.

I.

LEIBERTAS. Caput Libertatis.

CAEPIO BRVTVS PRO*conSule*. Lyra Apollinis inter plectrum & lauri ramum, qui ramus in medio ſui funiculo ſive faſciola dependente innodatur.

Marcus Junius Brutus, qui cognomine ſuo Brutus hactenus in nummis dictus fuit, in pulcherrimo hoc denario vocatur Cæpio Brutus; dicitur inſuper proconſule, atque cum capite Libertatis Apollinis exprimit inſignia.

Mater Bruti Servilia, nupta primum M. Junio Bruto, dein Decimo Junio Silano fuit. Ex priore marito Brutum, Cæsaris percussorem, sustulit. Fratrem habuit Q. Servilium Cæpionem, a quo, avunculo suo, adoptatus Brutus, dictus fuit Quintus Servilius Cæpio Brutus; verum, pro more istius temporis, cognomen illud in nomen abiit, ita ut, missa Servilii adpellatione, dictus fuerit Q. Cæpio Brutus. Quod & ex auctore decimi libri Valeriani confirmat Spanhem. Differt. VI. de Usu & Pr. Num. ed. minor. p. 523. *Quin etiam quædam cognomina in nomen versa sunt, ut Cæpio, namque hoc in Bruto nominis locum obtinuit.* Erat is Cæpio frater uterinus M. Catonis Uticensis, & mirifice ab illo fuit dilectus, uti testatur Plutarchus in Vita Catonis p. 761. cujus etiam caussa quum is tribunus militum cum Gellio ad bellum servile contra Spartacum profectus fuisset, ut comes illi esset, in eodem bello voluntaria stipendia fecit. ibid. p. 762. Eundem Æni in Thracia defunctum acerbo luctu insecutus est, atque maximo sumtu funeravit, monumento etiam in foro ibidem erecto, quod constitit octo talentis. Plutarch. p. 764.

Propter hanc itaque adoptionem Q. Cæpio Brutus in hoc & sequentibus denariis dicitur, cui proprium nomen M. Junio Bruto erat, illoque adoptivo nomine sæpissime etiam a Cicerone aliisque vocari solet. De proconsulari ejus potestate, quo titulo Illyricum, Macedonia & universa Græcia ipsi decreta est a senatu & confirmata, luculentum testimonium præbet Cicero orat. Philipp. X. cap. ultimo: *Quæ cum ita sint: Quod C. Pansa, consul, verba fecit de litteris, quæ a Q. Cæpione Bruto proconſ. adlatæ, & huic ordini recitatæ sunt, de ea re ita censeo: Cum Q. Cæpionis Bruti proconsulis opera, consilio, industria, & virtute, difficillimo reip. tempore provincia Macedonia, Illyricum, cuncta Græcia, legiones, exercitus, equitatus, in consulum, senatus populique Rom. potestate sint: id Q. Cæpionem Brutum, proconſ. bene & e rep. & sua, majorumque suorum dignitate, consuetudineque reip. bene gerendæ fecisse, eamque rem senatui, populoque Romano gratam esse, & fore: utique Q. Cæpio Brutus, proconſ. provinciam Macedoniam, Illyricum, totamque Græciam tueatur, defendat, custodiat, incolumemque conservet: eique exercitui, quem ipse constituit, comparavit, præsit: pecuniaque ad rem militarem, si qua opus sit, quæ publica sit, & exigi possit, utatur, exigat: pecuniasque a quibus videatur, ad rem militarem mutuas sumat, frumentum imperet: operamque det, ut cum suis copiis quam proxime Italiam sit: cumque ex litteris Q. Cæpionis Bruti, procos. intellectum sit, Q. Hortensii proconſ. opera, & virtute vehementer remp. adjutam, omniaque ejus consilia cum consiliis Q. Cæpionis Bruti proconſ. conjuncta fuisse, eamque rem magno usui reip. fuisse: Q. Hortensium proconſ. recte, & ordine, exque rep. fecisse: senatuique placere, Q. Hortensium, proconſ. cum quæstoribus, provequæstoribus & legatis suis provinciam Macedoniam obtinere, quoad ei ex S. C. successum sit.* Locum, quamvis longiorem, & Ursino quoque ex parte memoratum, adduxi, quoniam amplissima potestas, Bruto concessa, optime in illo exprimitur, & idem, qui passim in tota illa oratione M. Brutus adpellatur, in publico hoc instrumento vocatur Q. Cæpio Brutus, atque etiam Q. Cæpio. Quod vero Quinti filius per adoptionem fuerit, ideoque omnia ejus nomina gesserit, demonstrat Ferrarius ad h. l. ed. Græv. p. 817. ut pateat, omnino errare Glandorpium in Onomast. p. 498. aliosque, qui contra Ciceronem & nummos Cneum Cæpionem Brutum, ut Cnei Cæpionis filium adoptivum dictum, fuisse voluerunt.

Typus aversæ partis totus ad Apollinem spectat. Lyra dei, lauri ramus cum dependente vitta seu strophio, & ab altera parte plectro, quod inperite cultrum esse antiquarii putaverunt; contrarium certe Morellii pictura docet, cui denarius meus, optime servatus, adstipulatur, in quo plectrum exprimitur. Typus hic ad ludos Apollinares spectat, quos Brutus, ut prætor, quamvis absens, magno splendore & sumtu exhibuit; unde multus in iisdem laudandis est Cicero; cujus loca, quæ hos denarios illustrant, diligenter collegit Fulvius Ursinus pag. 145.

II.

Caius FLAV*ius* HEMIC. LEG*atus* PRO-PR*ætore*. Caput Apollinis cum lyra ad pectus.

Quintus CÆP*io* BRVT*us*. Victoria coronans tropæum. De typo Apollinis, qui in priore denarii parte exprimitur, atque C. Flavio sententiam nostram diximus in gente Flavia pag. 179. cusum videlicet nummum videri in aliqua Græca urbe, & forsan Mytilene, quoniam in istius urbis nummis lyra vel cithara Apollini addi solet. Negare tamen nolim respici posse hoc typo ad sumtuosissimos illos ludos Apollinares, quos in prætura sua post Cæsaris cædem edidit Brutus, præsertim quum lyra quoque in præcedenti nummo ad eos respiciat. Unde inferri posset, neque caput hoc ad Apollinem pertinere, sed ad Libertatem deam. Quod nec ipse sperno, quum videam intra num. IV. eodem fere ornatu deæ istius caput depingi.

Typus aversæ partis spectat ad victoriam de Bessis Thraciæ populo relatam, ob quam imperatoris nomen adeptus est Brutus & tropæum (ut nummi docent) erexit.

III.

Lucius SESTI*us* PRO *Quæstore*. Caput Pietatis velatum & laureatum.

Quintus CAEPIO BRVTVS PROC*on-Sule*. Tripus Apollinis inter securim & capedunculam.

Pietatis caput & instrumenta pontificalia ad aliquod Bruti sacerdotium respicere videntur. Tripus, dei Apollinis est symbolum, sicuti cithara seu lyra in prioribus; spectat itaque ad ludos Apollinares splendidissime a prætore Bruto editos.

Quod vero in hoc denario novum occurrit, est L. Sestii proquæstoris nomen; de quo in gente Sestia amplius agendum erit. Fuit is acerrimus Bruti partium vindex, frustra ab Antonianis sollicitatus. Supervixit Bruto, cujus imagines studiose coluit; neque illud ipsi obfuit apud Augustum, quo minus ad honores proveheretur.

IV.

Lucius SESTI*us* PROQ*uæstore*. Sella curulis cum hasta; subtus congius cernitur.

Quintus CAEPIO BRVTVS PROCO*n-Sule*. Tripus inter capedunculam & apicem sive albogalerum.

Quinarii hujus typum ipsum nactus Fulvius Ursinus, sed forsan detritiorem, pileum inter duos pugiones expressit pro sella curuli &c. quem secutus est Vaillantius in Fam. Sestia tab. CXXXI. num. 2. & Junia Tab. LXXVIII. num. 14. Nactus tamen postea integriorem Vaillantius, illum quoque, tanquam a Fulviano diversum, expressit, verum non addita quinarii sed denarii nota, quæ male itidem Fulviano adponi videtur. Obices ca-

strorum

ſtrorum minus recte idem interpretatur, quæ ſella curulis eſt. Verum hunc ejus errorem aliumque Ceſtios cum Seſtiis confundentis detexit jam & confutavit eruditiſſimus mihique amiciſſimus editor Theſauri Fridericiani p. 236. & 237. Congius liquidorum erat menſura, ſicuti modius aridorum; unde non frumenti ſed olei diſtributio eodem typo exprimitur, & ſic utraque pars hujus quinarii ad Brutum atque magnificentiſſimam, in qua ludos Apollinares edidit, præturam urbanam ſpectare poteſt; Apollinem enim tripus deſignat, Pietatis caput & ſigna pontificalia Bruti ſacerdotium, ſella curulis & haſta præturam ejusdem, & congius ſellæ ſubjectus liberalitatem inſignem in olei diſtributione. Ante Brutum certe Scipio Africanus, quum ædilitatem auſpicaretur, *congium olei in vicos ſingulos dedit*, uti docet Livius lib. XXV. cap. 2. quod & imitatus eſt M. Agrippa, de cujus ædilitate inter alia narrat Dio Caſſius lib. XLIX. p. 477. Καὶ προσέτι καὶ ἔλαιον καὶ ἅλας πᾶσι διέδωκε. *Oleum etiam & ſalem populo diſtribuit.* Atque ita nihil ad L. Seſtium, niſi titulus Proquæſtoris ſpectaret, ſicuti in præcedente denario omnia quoque ad Brutum ſunt referenda, & in quinario quodam, quem ediderunt Vaill. tab. LXXVIII. num. 18. & Liebeus Theſ. Frideric. p. 236. ab altera parte Pietatis laureatum velatumque cernitur caput cum epigraphe *Lucius* SEST*ius* PROQ*uæſtore*, ab altera, Victoria gradiens, dextra corollam tenens, læva palmam ſuper humeros, & epigraphe *Quintus* CAEPIO BRVTVS PROCO*nSule*. Typo videlicet ſpectante ad reportatam (ut multi alii) de Beſſis a Bruto victoriam. Quod ſi ad L. Seſtium omnino quis typum alterius partis ſpectare credat, is in memoriam ſibi revocet, poſita haſta & menſa (non enim tunc ſella curulis, ſed menſa foret dicenda expreſſa in quinario figura) prædam ex Beſſorum ſpoliis partam, fuiſſe divenditam, cujus cura & rationes, quum ad quæſtores & proquæſtores pertineret, ab illa parte, quo nomen ſuum poſuit Seſtius, auctoritatem quoque ſuam & munus expreſſiſſe. Hinc *jus haſtæ* in quæſtoribus agnoſcit Tacitus Annal. lib. XIII. cap. 28. quamvis ibi non de quæſtoribus provincialibus ſed urbanis agatur, qui multam in ærarium inferre ſolebant: *Simul prohibiti tribuni jus prætorum & conſulum præripere, aut vocare ex Italia cum quibus lege agi poſſet. Addidit L. Piſo deſignatus conſul, ne quid intra domum pro poteſtate animadverterent: neve multam ab iis dictam, quæſtores ærarii in publicas tabulas ante quatuor menſes referrent: medio temporis contradicere liceret, deque eo conſules ſtatuerent. Cohibita artius & ædilium poteſtas, ſtatutumque quantum curules, quantum plebei pignoris caperent, vel pœnæ irrogarent. Eo Helvidius Priſcus, tribunus plebis, adverſus Obultronium Sabinum ærarii quæſtorem contentiones proprias exercuit, tamquam jus haſtæ adverſus inopes inclementer augeret.* Menſam ejusmodi haſtamque poſitam cernimus in gente Caninia num. II. ubi illam quoque conſideravimus; verum differt pictura, & magis ſellæ curulis, quam menſæ figuram habere videtur; unde priori meæ opinioni potius adhæreo.

V.

Aulus POSTVMIVS CO*nSul.* Caput nudum Auli Poſtumii Regillenſis, conſulis & dictatoris.

ALBINVS BRVTI *Filius.* in corona ſpicea.

A Marco Bruto, Q. Cæpione etiam, propter adoptionem Q. Cæpionis, dictum, pervenimus jam ad cognatum ejusdem Decimum Brutum, filium, ut remur, D. Bruti, conſulis A. V. C. DCLXXVI. qui quum & ipſe adoptandum ſeſe Aulo Poſtumio Albino dediſſet, & Junius & Albinus paſſim vocatur, atque nunc D. Brutus, nunc Brutus Albinus apud ſcriptores dicitur, in denariis vero ſeipſum ſcripſit Albinum Bruti filium. Hic quoque Brutus inter hoſtes Cæſaris fuerat, atque partium Pompejanarum. Vita tamen donatus, & muneribus auctus, non modo inter præcipuos Cæſaris amicos locum tenuit, ſed & inter ſecundos ejus hæredes eſt ſcriptus & conſul in annum ſequentem deſignatus. Nihilominus conjuratis ſeſe adjunxit, atque inter percuſſores exſtitit. Unde lege Pedia damnatus conſulatum non iniit, verum hoſtis judicatus bello ab Antonio petitus eſt, atque poſt toleratam fortiter Mutinæ obſidionem, quum clam in Macedoniam ad M. Brutum fugere vellet, agnitus in fuga atque interfectus fuit.

Expreſſit in hoc denario nobilitatem gentis Poſtumiæ, cui per adoptionem inſertus erat; ejus vero præclarum decus erat Poſtumius dictator, cujus pugna ad lacum Regillenſem memorabilis, in Poſtumiorum quoque denariis celebratur. Ab altera nummi parte exhibuit coronam ſpiceam, quæ & ipſa, ut puto ad Poſtumium ſpectat, votumque ejus, quod illo in prælio fecit, de æde Cereri Libero Liberæque dedicanda, ſi per victoriam rerum ubertas Romanis redderetur; quam dedicatam a conſule Caſſio fuiſſe ſcribit Dionyſius Halicarnaſſæus in fine lib. VI. p. 414. Κάσσιος δὲ ὁ ἕτερος τῶν ὑπάτων, ὁ καταλειφθεὶς ἐν τῇ Ῥώμῃ, τόν τε νεὼν τῆς Δήμητρος καὶ Κόρης ἐν τῷ μεταξὺ χρόνῳ καθιέρωσεν, ὅς ἐστιν ἐπὶ τοῖς τοῦ μεγίστου ἱπποδρόμου τέρμασιν, ὑπὲρ αὐτὰς ἱδρυμένος τὰς ἀφέσεις, εὐξαμένου μὲν αὐτὸν Αὔλου Ποστουμίου τοῦ δικτάτορος ὑπὲρ τῆς πόλεως ἀναθήσειν τοῖς θεοῖς, καθ᾽ ὃν χρόνον ἔμελλον ἀγωνίζεσθαι πρὸς τὴν Λατίνων στρατιάν, τῆς τε βουλῆς μετὰ τὸ νίκημα τὴν κατασκευὴν αὐτοῦ ψηφισαμένης ἐκ τῶν λαφύρων ποιήσασθαι πᾶσαν, τότε δὲ τοῦ ἔργου λαβόντος τὴν συντέλειαν. *Alter conſul Caſſius in urbe relictus, interea ædem Cereris & Liberi Liberæque dedicavit; in fine circi maximi ſuper ipſos carceres ſitam; quam Poſtumius dictator prælium cum Latinis initurus, diis pro rep. voverat, & ſenatus poſt victoriam e manubiis faciendam decreverat, operæque tum demum abſolverant.* Videntur vero omnes hi nummi cuſi fuiſſe eo tempore, quo jam bellum civile contra Antonium adminiſtrabat Decimus Brutus, qui tanto lubentius dictatoris conſuliſque A Poſtumii facie denarios ſuos decoravit, quod ſicut ille contra Tarquinios exſules regnum repetentes, Latinosque in auxilium vocantes, bellum geſſerat, ſic ipſe, pro exſtirpanda tyrannide, reliquias Cæſareanæ dominationis perſequeretur.

VI.

Caput Martis galeatum.

ALBINVS BRVTI *Filius.* Duo litui militares, decuſſatim poſiti, inter ſcutum ſuperne, & clypeum inferne.

Armis rempublicam eſſe vindicandam hi typi docent, neque poſſe quietem reddi populo, niſi debellatis tyrannicæ dominationis fautoribus. Hinc Mars, bellorum præſes, in altera denarii parte, in altera exprimuntur inſtrumenta belli, litui militares, & equitum peditumque armatura ſcutum & clypeus.

VII.

PIETAS. Caput Deæ Pietatis.

AL-

ALBINVS BRVTI *Filius*. Duæ dextræ junctæ caduceum alatum tenent.

Ex sequenti denario, qui Pansæ insuper nomen inscriptum habet, concludere licet plerosque hosce denarios eodem fere tempore cusos fuisse; eo videlicet, quo properans in provinciam Galliam, Bruto a Senatu confirmatam, atque Mutinæ per Antonium obsidione cinctus Decimus Brutus, victoria, quam Consules Hirtius & Pansa de Antonio retulerant, fuit liberatus. Id dextræ conjunctæ indicant, quæ mutuam fidem designant, ex qua nata felicitas, quæ caduceo significatur; totum vero illud imputabant pietati in patriam & cives, unde deæ Pietatis imago in parte anteriore.

VIII.

Caius PANSA. Persona scenica, sive caput Sileni barbatum & longis auribus præditum.

ALBINVS BRVTI *Filius*. Typus ut supra.

Quum festum Liberalium in urbe ageretur, relatam victoriam ad Mutinam fuisse, & hinc Sileni in hoc denario personam poni existimat Vaill. Sed pugna ad Mutinam accidit XVII. Kal. Maji, ut patet ex Galbæ epistola ex illis castris scripta ad Cicer. Epist. Lib. X. ep. 30. Liberalia vero agebantur XVI. Kal. April. adeoque toto mense ante pugnam hanc. Persona scenica ad Pansam pertinet, ut in familia Vibia visuri sumus. Mox itaque post victoriam, quum alter consul Hirtius acie cecidisset, alterius consulis C. Pansæ (qui adhuc supererat, etsi æger ex vulnere, ex quo postea obiit) nomine cusus fuit hic denarius, inque eo Albini, Bruti filii, nomen fuit additum; quoniam is consul in proximum annum cum Planco erat designatus, imo cui, spirante adhuc Pansa, exercitum & potestatem omnem tradi volebat Cicero, qui tum in urbe plurimum poterat. Quare denarios hosce a quæstoribus urbanis, jussu Ciceronis cusos existimo, ut inde præmia militibus persolverentur. Cujus horum denariorum explicationis auctor mihi est Appianus, ubi narrat literas de victoria Pansam & Cæsarem ad senatum perscripsisse, de B. C. lib. III. p. 574. *Cicero in Urbe has literas pro concione recitavit ut consulis, alteras Cæsaris in senatu solummodo. Retulit etiam ut ob profligatum Antonium supplicationes quinquaginta dierum decernerentur ex S. C. quot neque Gallico tumulto unquam, neque alio bello decretæ fuerant. Exercitum consulum Decimo dandum censebat, quamvis Pansa etiam tum superstite (jam enim deploratus fuerat) & imperium soli Decimo committendum contra Antonium, votaque publice nuncupanda pro ejus victoria: tanto furore præter decorum concitus erat in Antonium. Rursumque postulavit ut duabus legionibus, quæ ab Antonio defecerant, ex ærario repræsentarentur illi promissi quinquies milleni sestertii victoriæ nomine, quasi jam debellatum esset: utque perpetuum jus haberent coronas frondeas gestandi festis diebus. Cæsaris autem nec nomine tenus facta est mentio in eo S. C. ita statim contemnebatur, quasi sublato jam Antonio.*

TAB. IV.

I.

Caput Romæ galeatum, ut Vaillantius existimat; galeam, ut passim, ala exornat. Nobis M. Bruti caput esse videtur.

BRVTVS IMP*erator*. Caduceus alatus, globus & temo navis.

Inter tot consularium nummorum millia a se observata, nunquam hunc Fulvio publicatum denarium se inspexisse notat Vaillantius. Unde raritas ejus elucescit, fides in dubium revocari non debet; quum contingat singulares nummos, incognitos antea, quotidie e terræ visceribus erui, rarissimos & unicos, incuria aliquando & avaritia intercidere atque perire. Goltzio certe eundem denarium hunc inspectum fuisse docet pictura ejus inter Nummos Conjuratorum & Percussorum Cæsaris tab. XXIII. num. 1. Romæ vero caput exprimi censet Vaillantius tom. II. p. 14. 15. tanquam revocato typo antiquo, quum libertatem recepisset Roma, & mediante Bruto felicitatem terra marique, quæ typo alterius partis exprimatur. Ursinus de capite silens, typo caducei, orbis, & temonis, pacem terrarum orbis significari existimat, atque adludere nummum ad ἀμνηστείαν illam Ciceronianam, quum conjurati pacem cum Antonio & Lepido fecissent, inducta præteritarum rerum oblivione; eoque tempore denarium cusum esse existimat. Verum turbat Ursini rationes quod IMP*erator* in eodem scribatur Brutus, quem titulum demum recepit, devictis Bessis, & Antonio hoste judicato. Quare crediderim quidem ego cum Vaillantio felicitatem terra marique auguratos sibi fuisse eos ex Romanis, qui Bruti sequerentur partes, quod virum tam justum & æquum caussæ suæ & libertatis publicæ patronum & ducem haberent, verum in anteriori parte Bruti ipsius caput galea (cui ob claritatem ala additur) tectum exhibere voluisse, quod armis Bruti consecuturos istam felicitatem sese putarent Romani. Nimis enim tenuis & macilenta facies est, quam ut ad mollitiem accedat muliebrem, & illam, qua Roma passim depingi solet; quin & tenuior & macrior hac ipsa observatur in pictura Goltziana; non inauris pendet ex aure, non monile adest ad collum; quare si conferamus cum ipsius M. Bruti illa effigie, quæ occurrit tab. secunda num IV. idem illud austerum & adductum faciei filum oculis sese offert. Unde pallorem & gracilitatem Bruti Cassiique notant scriptores, ut Plutarchus de Cassio in Vita Cæsaris pag. 737. *Sane & suspectus Cæsari fuit, adeo ut hic ad amicos aliquando dixerit, quid vobis videtur Cassius? mihi quidem non admodum probatur, nimis enim pallet.* Et de Bruto, in Vita Bruti pag. 988. *Et quidem non omni suspicione de Bruto Cæsar vacabat, erantque ad ipsum nonnullæ adversus eum delatæ calumniæ: sed magnitudinem animi, dignitatem, amicosque Bruti metuens, moribus tamen hominis fidebat. Ac primum adlato Dolabellam & Antonium novas res moliri, non sibi pingues & comatos negotium facessere dixit, sed pallidos & graciles istos: Brutum indicans & Cassium.* Ex quibus patet, Cassium pallore, Brutum gracilitate (quod hi nummi confirmant) præ cæteris insignes fuisse.

II.

ANTONIVS AVGVR CO*n*S*ul* DES*ignatus* ITER*um* ET TER*tium*. Caput Marci Antonii triumviri nudum.

M*arcus* SILANVS AVG*ur* Q*uæstor* PRO-CO*n*S*ule*. In area nummi.

M. Silanus hic filius videtur fuisse D. Silani illius, qui vitricus M. Junii Bruti fuit, ducta in uxorem matre ejusdem Servilia, consulis A.V.C.

A. V. C. DCXCI. cum L. Murena; nepos M. Silani consulis A.V.C. DCXLIV. Hic, post cædem Cæsaris, tribunus militum cum Lepido in Hispaniam est profectus, ut docet Ursinus ex Dione Cassio; qui arcana inter Lepidum & Silanum pacta artesque fallaces describit lib. XLVI. p. 360. *His successibus accessit animus Cæsari Hirtioque, ita ut ad castra Antonii progressi eum ad pugnam provocarent: Antonius aliquandiu metu perculsus quievit, sed copiis à Lepido sibi auxilio missis auctus, animum recollegit. Nam is quidem Lepidus Antonium necessarium suum amabat, a senatu autem contra eum evocatus erat: itaque ut receptum ad utramque partem sibi pararet, M. Silano tribuno militum exercitum suum ducendum dederat, ita ut expresse ei non mandaret, utri parti eum adjungeret, neque manifestum fecerat utri auxilium id mitteret: sed is Silanus sententiam Lepidi satis exploratam habens, ad Antonium sua sponte sese adjunxerat. His suppetiis confisus Antonius, quum subito eruptionem fecisset, magna utrimque edita cæde, suis fusis aufugit.* Inde, post fugam Antonii & cladem Mutinensem, ad Lepidum iterum sese contulit; eum tamen a se frigide acceptum notavit idem Lepidus in epist. ad Ciceronem lib. X. epist. 34. *Itaque ad me complures milites, & equites ab eo transierunt: & in dies singulos ejus copiæ minuuntur. Silanus, & Culleo ab eo discesserunt, nos etsi graviter ab his læsi eramus, quod contra nostram voluntatem ad Antonium ierant: tamen nostræ humanitatis & necessitudinis causa, eorum salutis rationem habuimus. Nec tamen eorum opera utimur: neque in castris habemus, neque ullo negotio præfecimus.* Orta dissensione inter Cæsarem & Antonium, posteriorem secutus est, donec, offensus inprobitate & nequitia Cleopatræ, pœnituit adhæsisse Antonio, atque una cum aliis, & Dellio etiam historico, ad Cæsarem, jam ante pugnæ Actiacæ tempus sese contulit, uti narrat Plutarchus in Vita Antonii p. 943. Fuerat tamen apud Antonium in honore, uti denarius hic testatur, in quo Q*uæstor* PROCO*n*S*ule* scribitur, ut qui consulari imperio sub Antonio aliquam commissam curæ suæ provinciam administraverit.

III *Lit.* A. & B.

Caput Jovis laureatum.

ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ ΕΠΙ ΣΙΛΑΝΟΥ. *Antiochensium, sub Silano.* Aries respiciens ad stellam, sub ventre animalis est æra Antiochensis ΔΜ. in aliis ΒΜ. & ΓΜ. quæ æram Antiochensem denotant, numerari inceptam a victoria Actiaca, ut hic occurrant anni ab illa pugna XLII. XLIII. XLIV.

Anni hujus epochæ novæ Antiochensis, loco æræ Seleucidarum aliarumque recentiorum recepta, nos docent, ad quem Silanum hi nummi ærei pertineant; videlicet ad Q. Cæcilium Metellum Creticum Silanum, ut recte animadvertit Vaillantius, & operose docuit eminentiss. Norisius de Epochis Syromacedonum Diss. III. cap. VII. p. 251. Æram enim hanc novissimam inchoarunt ab autumno A. V. C. DCCXXIII. quum jam statim post pugnam Actiacam ad Cæsarem ab Antonio defecissent Antiocheni. Diu vero Syriæ præfuit hic Creticus Silanus. Nummi enim ejus non tantum extremis Augusti annis cusi inveniuntur, verum usque ad tertium principatus Tiberii annum, quod literæ Α. & Γ. in Tiberii nummis denotant supra, tab. I. lit. I. de quibus Tiberii annis ibidem Norisius inspici debet. Præfuit itaque Syriæ, ut nummi Antiocheni & Seleucienses docent, ab anno æræ Antiochensis XLII. usque ad XLVII. sive imperii Augusti XLI. usque ad Tiberii III. id est ab A. V. C. DCCLXIV. usque ad A. V. C. DCCLXX. adeoque per sex annos; successit vero P. Sulpicio Quirino, qui Syriæ præses factus fuit A. V. C. DCCLX. quo consul fuit noster Silanus cum A. Licinio Nerva Siliano.

Errat Vaillantius, dum Creticum Silanum & Silanum Torquatum eundem esse dicit, scribens tom. II. p. 25. Silanum hunc ex Junia familia, in quam adoptatus fuerat ex Manlia, iterum in Cæciliam transiisse. Diversi enim fuerunt homines Creticus Silanus & Silanus Torquatus. Silanus Creticus oriundus fuit ex gente Junia, adoptatus vero a Cæcilii Metelli Cretici filio; dictus fuit Q. Cæcilius Metellus Creticus Silanus. Quarto post gestum consulatum anno missus fuit in Syriam, ut P. Sulpicio Quirino succederet. Præfuit Syriæ usque ad A. V. C. DCCLXX. præfuissetque longius, nisi consultum judicasset Tiberius amovere eum, ut eo facilius Germanico liberaretur. Amotus enim fuit ex provincia coss. C. Cœlio Rufo & L. Pomponio Flacco, uti testatur Tacitus lib. Ann. II. cap. 43. *Sed Tiberius dimoverat Syria Creticum Silanum, per adfinitatem connexum Germanico, quia Silani filia Neroni, vetustissimo liberorum ejus, pacta erat.* Syriæ rectorem eundem vocaverat lib. II. cap. 4. ubi narrat Vononem, Armeniorum regem, ab eodem in libera custodia fuisse habitum. *Rector Syriæ Creticus Silanus excitum custodia circumdat, manente luxu & regio nomine.* At vero Silanus ille, cujus Torquata Manliorum familia Juniæ genti & Silanorum familiæ accesserat, fuit C. Junius Silanus C. F. consul cum P. Corn. Dolabella A. V. C. DCCLXIII. Qui, cum proconsulari imperio postmodum in Asiam missus, artibus Tiberii depressus, atque accusantibus provincialibus in Cytheram insulam remotus fuit. Hunc ex Torquatis Manliisque venisse clarissime testatur Tacitus lib. III. Annal. cap. 60. ubi hæc ipsa Tiberii verba refert: *Insulam Gyarum immitem & sine cultu hominum esse: darent Juniæ familiæ, & viro quondam ordinis ejusdem, ut Cytheram potius concederet. Id sororem quoque Silani Torquatam, priscæ sanctimoniæ virginem, expetere.* Torquata hæc, soror Junii, virgo Vestalis fuit, & Caji Junii Silani filia, uti inscriptiones veteres cum imagine ejusdem apud Sponium testantur in Miscell. Erud. Antiq. p. 150.

IVNIAE C. SILANI F.
TORQVATAE VIR. VEST.
MAXIMAE.

Item,

L. IVNONI.
IVNIAE C. SILANI F.
TORQVATAE
SACERDOTI VESTALI
ANNIS LXIV.
CAELESTI PATRONAE
ACTIVS L.

Itaque C. Juniu Silanus Torquatus, Torquatæ, virginis Vestalis maximæ, frater, filius naturalis fuit

fuit C. Junii Silani C. F. consulis cum C. Furnio A. V. C. DCCXXXVII. & videtur distingui debere a patre avoque Juniorum Silanorum Torquatorum, quos Nero occidit, quod super Juniæ familiæ claritudinem Augustum avum atque atavum referrent. Decus enim illud cognationis non siluisset in C. Silano Tiberius, qui, mitis in illo videri volens, argumenta a nobilitate & honore quæsivit.

Cernitur vero in hisce nummis caput Jovis Philii laureatum & barbatum, cujus cultus Antiochiæ insignis erat. Cernitur insuper aries ad astrum respiciens; quem typum in nummis suis expresserunt Antiocheni propter annum a Julio Cæsare correctum. Nam quum ipse plurimas immunitates Antiochiæ concessisset, repudiata priore epocha, quam tempore Pompeji ob concessam *αὐτονομίαν* receperant, Julianam ab A. V. C. DCCVI. adsumserant; quam & ipsi, adulatores summi, in honorem Augusti, mutarunt, numerantes a victoriæ Actiacæ anno; sed eandem sub Tiberio rursus revocarunt. Confer eminentiss. Noris. de Epocha Syromaced. Diss. III. cap. 4.

IV.

LIBERTAS. Caput deæ Libertatis.

P*opuli* R*omani* RESTIT*uta*. Pileus inter duos pugiones.

Et hic denarius pertinet ad Bruti laudem, licet nullum ejus nomen sit adscriptum. Invenitur etiam quinarius, iisdem hisce temporibus, atque eadem occasione, cusus, inter Numismata Fam. incerta Tab. prima num. VIII. in calce hujus operis, in quo a priore parte deæ Libertatis item caput est, cum inscriptione LEIBERTAS, & a posteriore anchora cum rostro navis (pro quo male delphinus est apud Goltzium) decussatim posita, sed ita ut erecta illa anchora in summitate sua literam P. exhibeat, quasi LEIBERTAS P*opuli* ista epigraphe exprimatur, quæ fundata & constituta significatur, erecta, ut in statione sua naves solebant, anchora, atque suspenso bellicæ navis rostro, hic vero RESTIT*uta* dicitur.

Restitutam libertatem isto facto Bruti & Cassii, quod pugiones duo designant, Romani crediderunt; ita pugio & recuperata libertas conjunguntur apud Ciceronem Orat. Philipp. II. cap. 12. *Cæsare interfecto, inquit, statim cruentum alte extollens M. Brutus pugionem Ciceronem nominatim exclamavit, atque ei recuperatam libertatem est gratulatus.* Ibid. paullo post, *qui stillantem præ se pugionem tulit.* cap. dein seq. *Confiteor eos, nisi liberatores populi Romani conservatoresque reipublicæ sint, plus quam sicarios, plus quam homicidas, plus etiam quam parricidas esse: siquidem est atrocius patriæ parentem, quam suum occidere.* Hinc pugiones in nummis & epigraphe, facinoris atrocitatem molliens, LIBERTAS P*opuli* R*omani* REST*ituta*.

TAB. V.

I. *usque ad* XXVII.

Caput Romæ galeatum; retro illud litera A. est.

D*ecimus* SILANVS L*ucii* F*ilius*. ROMA. Victoria in bigis, utraque manu equorum habenas tenens. Omnes fere literæ alphabeticæ in hisce denariis inveniuntur, quæ matricum videntur fuisse notæ, præterea notæ numerales usque ad XXVI. quarum usus obscurus est, sed ad officinas seu res monetales pertinuisse videntur.

Judicat Pighius denarium hunc pertinere ad D. Junium Silanum, quem judicat Lucii fuisse filium & M. nepotem, illius videlicet Lucii, qui inter decem legatos constituendæ Macedoniæ a Livio nominatur. Ponit itaque illum quæstorem urbanum A. V. C. DCX. II. p. 473. & tribunum plebis A. V. C. DCXV. licet annus sequens male sit expressus in editione Vaillantii, qui hanc Pighii sententiam amplexus est. Typus nihil novi vel singulare habet, simplicem enim bigatorum typum exhibet; neque miretur aliquis tantum horum denariorum numerum cusum fuisse, atque tam immensam eorumdem copiam inveniri; plenum enim tum ærarium præda erat, reposita ex Achaja debellata atque excisa Corintho, cui spolia Macedonici addita erant regni, quæ tertio ante anno, victo Andrisco sive Pseudophilippo in triumpho Romam detulerat Q. Cæcilius Metellus Macedonicus, consul eo anno, quo hic D. Junius Silanus quæstor urbanus exstitit; quem Decimum Lucii filium a priori, item Lucii filio, tab. priore num. VI. VII. VIII. recte distinguit Vaillantius, absunt enim in his insignia gentis Manliæ, & ex illa familiæ Torquatorum, quum hic Silanus simpliciter ex prosapia Juniorum Silanorum descenderit, non adoptatus, ut Manlianus ille Silanus.

IVVENTIA.

Juventia gens oriunda fuit ex municipio Tusculano, quod multas nobiles gentes & consulares Romæ dedisse testatur Cicero Orat. pro Plancio cap. VIII. *Tu es ex municipio antiquissimo Tusculano, ex quo plurimæ familiæ sunt consulares: in quibus est etiam Juventia, quot e reliquis municipiis omnibus non sunt.* Juventia gens, quamvis prætoria & consularis, plebeja tamen fuit, uti patet ex M. Juventio Thalna, qui tribunus plebis fuit A. V. C. DLXXXIII. Juventii vero, qui in nummis occurrunt, utpote coloniarum, vix ad Romanas familias pertinent. Luperci iidem cognominantur.

I.

LEG*io* IV. LEG*io* VI. LEG*io* X. AVGVSTO DIVI F*ilio*. Vexillum aræ inpositum, inter duo signa manipulorum totidem aris inposita.

C*olonia* C*aesarea* A*ugusta* TIB*erio* FLAVO PRAEF*ecto* GERM*anorum* L*ucio* IVVENT*io* LVPERCO II VIR*is*. Colonus agens boves.

Notat Vaill. in præstantissimo suo de Coloniis opere tomo I. p. 22. symbola utriusque partis denotare coloniam deductam fuisse partim ex plebe, partim ex militibus, inde colonum cum bobus & signa legionum conspici. Milites illos veteranos docet fuisse ex IV. legione Scythica, VI. Ferrata, & X. Fretensi.

II.

AVGVSTVS DIVI F*ilius*. Caput Augusti laureatum.

C*olonia* C*aesarea* A*ugusta* TIB*erio* CLO*Dio* FLAVO PRAEF*ecto* GERMAN*orum* L*ucio* IVVENT*io* LVPERCO II VIR*is*. Bos, coloniæ symbolum.

III.

AVGVSTVS DIVI F*ilius*. Caput Augusti laureatum.

Co-

Colonia Caesarea Augusta TIB*erio* CLO-D*io* FLAVO PRAEF*ecto* GERMAN*orum* *Lucio* IVVENT*io* LVP*erco* II VIR*is*. Bos infulatus, ſacra pro ſalute Cæſaris facta denotans.

Juventius & Flavus homines ignoti ſunt, poſterior videtur honoris titulum, quem in militia geſſerat, quamvis emeritus jam, retinuiſſe.

LAETILIA.

Lætiliæ gentis perexigua mentio apud veteres eſt. Lætilius quidam (per AE. enim ſcribi debere nummus docet, non *Letilius*) tabellarius Verris, occurrit apud Cicer. II. Verr. 26. & 56. In inſcriptionibus inveniuntur Sexti & Secundi Lætilii, aliique plures, ut in indice Gruteriano cerni poteſt. Cognomina ibidem ſunt Blandi, Caſſiani, Firmini & alia, verum Apali, quod in nummo cernitur, non exſtat.

I.

. . . . . LIVS PONTI*fex* II V*ir* *Quinquennalis*. Inſtrumenta pontificalia, albogalerus, ſecuris, adſpergillum, & capeduncula.

IVBA REX IVBAE F*ilius* II V*ir* *Quinquennalis*. Flos lotus.

Morellius ex conjectura hunc nummum ad gentem Lætiliam rejecit, quoniam Jubæ filii, Ptolemæi regis, nummus Lætilii nomen habet inſcriptum, & quoniam ex detrita inſcriptione adhuc ſupererant literæ . . . . LIVS, unde LAETILIVS fuiſſe ſcriptum ſuſpicabatur. Verum falſa hæc ejus conjectura eſt; pertinet enim ad gentem Atelliam, quod quidem neque Morellium neque nos quiſquam docere potuiſſet, niſi integrior nummus. Is autem ſervatus olim fuit in muſæo nobiliſſ. Jacobi de Bary, verum inde (ut puto) cum aliis maxime ſingularibus, ad theſaurum Palatinum evectus eſt, principi enim harum deliciarum ſtudioſiſſimo plures idem vir nobilis ex muſæo ſuo conceſſit. Delineatio tamen ejus exſtat in quadam Nummorum Punicorum collectione, quam typis incidi idem Jacobus de Bary curaverat. Ibi clare hæc epigraphe legitur. CN*eus* ATELLIVS PONTIF*ex* II V*ir* *Quinquennalis*. De Atelliis apud ſcriptores altum eſt ſilentium, ſed occurrunt in inſcriptionibus apud Gruterum p. DCCCLVIII. 13. Cneus Atellius. In inſcriptione Romana apud Aug. Colotium.

GN. ATELLIVS
BASMVS
POMPEIA ATHENAIS.

Qui ex libertino genere fuiſſe videntur, nam liberti Cn. Atellii in eadem domo Colotiana exſtitit inſcriptio p. DCCCCLXI. 11.

CN. ATELLI. CN. L.
HILARI
C. ANNEI C. L.
HILARI
SEXTILIAEES. ɔ. L.
NICENIS.

Ex quibus inſcriptionibus patet gentem Atelliam non fuiſſe humilem, ut quæ libertos habuerit, & præterea Caji prænomen in eadem familiare fuiſſe, quum libertus Atellius heri quondam ſui prænomen una cum nomine adſumſerit. Inter tribules, quorum nomina inſcripta exſtant in maxima marmorea baſi, in honorem Veſpaſiani erecta, legitur p. CCXLI. quoque quidam Sextus Atellius Helenus cognomine. In nummo Atellii cognomen non additur, verum dignitas, pontificatus videlicet; unde adparet Auguſti temporibus fuiſſe virum inſignem, tanto magis, quod ipſe rex Juba, Jubæ filius, non dedignatus fuerit una cum illo Magiſtratum duumviri quinquennalis gerere.

Rex enim Juba, hiſtoricus ille & βασιλέων χαριέστατος, ducta uxore filia Antonii & Cleopatræ Cleopatra Selene, ex eadem Ptolemæum, cujus in ſequenti nummo fit mentio, genuit. Hunc Jubam, puerulum admodum, Romæ in triumpho Africano duxerat Cæſar, at ipſe in Italia educatus, & honeſtis diſciplinis imbutus, inter reges eruditiſſimus & præſtantiſſimus optimisque ſcriptoribus laudatiſſimus evaſit. Caſtra enim Cæſaris junioris ſecutus, poſt occiſum Antonium; non modo connubio Cleopatræ Selenes, ut modo diximus, verum etiam paterno regno aliisque muneribus auctus eſt; ut docet Dio Caſſius lib. LI. p. 454. Ἥ τε Κλεοπάτρα Ἰόβᾳ τῷ τοῦ Ἰόβου παιδὶ συνῴκησε. τούτῳ γὰρ ὁ Καῖσαρ τραφέντι τε ἐν τῇ Ἰταλίᾳ, καὶ συστρατευσαμένῳ οἱ, ταύτην τε καὶ τὴν βασιλείαν τὴν πατρῴαν ἔδωκε, καὶ αὐτοῖς καὶ τὸν Ἀλέξανδρον τόν τε Πτολεμαῖον ἐχαρίσατο. Id eſt, *Cleopatra autem Jubæ, Jubæ filio, in matrimonium tradita eſt. Hunc Jubam Cæſar in Italia educatum, ac ſuam militiam ſecutum; hoc regno, & paterno etiam, donavit: hisque etiam Alexandrum & Ptolemæum conceſſit.* At A. V. C. DCCXXIX. permutationem aliquam ditionis regiæ iſtius Jubæ inſtituit, ut docet idem Dio lib. LIII. p. 514. Καὶ τῷ μὲν Ἰόβᾳ τῆς τε Γαιτουλίας τινὰ ἀντὶ τῆς πατρῴας ἀρχῆς, ἐπείπερ ἐς τὸν τῶν Ῥωμαίων κόσμον οἱ πλείους αὐτῶν ἐσεγεγράφατο, καὶ τὰ τοῦ Βόκχου τοῦ τε Βογούου ἔδωκε. Id eſt, *Jubæ pro paterno regno Gætuliæ quasdam partes, quoniam pleræque ad morem Romanum compoſitæ erant: & Bocchi Bogudisque ditiones dedit.*

Hic Juba rex, cujus plures præſtantes & ineditos ſervamus nummos, in Theſauro Regio, quod omnia complectetur regna vetera, Deo dante, mox poſt hunc Theſaurum Morellianum edendos, in hoc nummo vocatur II Vir quinquennalis una cum Cn. Atellio. Neque id mirum videri debet, quum iſto titulo decorari ſe quoque paſſus fuerit imperator Tiberius, uti docuit ad Corinthi nummum, in quo IIVir adpellatur idem Cæſar Tiberius, Vaill. de Colon. tom. I. p. 107. Honoris ſcilicet cauſſa illum titulum ſuſcipiebant aliquando Cæſares, præficiebantque alios, qui ſuam vicem gererent, qui præfecti duumviratus vel quinquennalitatis Cæſarum adpellabantur, ut patet ex inſcriptione antiqua, in qua tales præfecti quinquennalitatis Tiberii, & filiorum Germanici occurrunt. Invenitur talis inſcriptio apud Gruterum p. CCCCXCI. 10.

. . . IPO LIO. L. . . . .
. . . ARRIO SALANO. . . . . .
PRAEF. QVINQ. TI. CAESARIS
PRAEF. QVINQ. NERONIS ET DRVSI
CAESARVM DESIGNATO &c.

In qua colonia cuſus hic nummus fuerit non additur, ex nobilioribus Africæ fuiſſe certum eſt, ipſam forſan Carthaginem, quam denuo, a Lepido deſolatam, colonis frequentavit Auguſtus. Regia Jubæ, poſtquam permutationem regnorum inſtituit Auguſtus, fuit Juliæ Cæſareæ, quæ Iol quoque dicebatur, ut notat Pomponius

ponius Mela Lib. I. cap. 6. *Iol ad mare; aliquando ignobilis, nunc, quia Jubæ regia fuit, & quod Cæsarea vocitetur, illustris.*

Lotus, planta sive frutex nobilis, in pluribus nummis regum Syriæ & Ægypti observatur, in duobus etiam Jubæ hujus editis, & in uno nostro inedito. Neque mirum, præ cæteris enim Africana lotus, sive lotos, laudatur, & Theophrasto lib. IV. hist. cap. 3. Ἐν Λιβύῃ δὲ ὁ λωτὸς πλεῖστος καὶ κάλλιστος. *Plurima vero atque pulcherrima in Libya nascitur lotos.* & Plinio lib. XIII. cap. 17. *Eadem Africa, qua vergit ad nos, insignem arborem loton gignit.* Ubi quoque locus & natura ejusdem atque speciei operose describitur.

II.

AVGVSTVS DIVI *Filius.* Caput Augusti nudum.

REX PTOL*emaeus* in corona, seu potius fascia regali; in circuitu, *Caius* LAETILIVS APALVS IIV*ir Quinquennalis.*

Nummum hunc insignem primus protulit Carolus Patinus in Numm. Imp. Rom. ed. melior. Argent. p. 42. sed sine Augusti capite, atque ipsa inscriptione satis mutila, dum in circuitu legit SAPILVS IIVIR Q. itaque nihil inde elicere potuit. Harduinus post ipsum in editione Oper. suorum p. 698. legit. C. LAETILIVS APALVS IIVIR Q. & recte; sic enim non tantum exstat in Morellii nostri nummo, quem delineavit ex thesauro Swartzenburgico, ut patet ex nummis Aug. tab. XLV. 17. verum & in illo, qui quondam apud Jacobum de Bary exstitit. Unde patet deceptum fuisse celeberrimum Haymium, dum tom. I. Thesauri Brit. p. 240. LAETINVS legit pro LAETILIVS. quod illi accidisse erratum videtur propter fissuram, quæ ibidem in nummo Wreniano est, quam & ipse fatetur esse caussam, quod literæ I. & N. non bene signaturam incudis receperint. Testatur ibidem (& docet effigies) Haymius, caput Augusti ætate juvenili exprimi, quod tamen magis ad senium vergens videre sese credidit Morellius, media tamen ætate caput hoc Augusti, neque sane senili, cernitur in nummo Baryniano tab. XVII. num. 4. nummorum ejusdem Punicorum & Hispanorum. De qua faciei ejusdem ratione mox dicturi sumus.

Ptolemæus, cujus in fascia regali hic nomen legitur, Jubæ junioris & Cleopatræ Selenes (quam ex Cleopatra Ægypti regina susceperat Antonius) fuit filius, adeoque consobrinus Caji Caligulæ, ut notat Sueton. in Calig. cap. XXVI. Mauritaniæ utriusque rex fuit, relicto a patre opulentissimo regno, quod ipse bonis artibus ita auxit, ut Caligulam cupiditas divitiarum ejus ad parricidium consobrini sui adegerit, ut diserte tradit Dio Cassius lib. LIX. p. 659. Γαΐος δὲ ἐν τούτῳ τόν τε Πτολεμαῖον τὸν τοῦ Ἰούβα παῖδα μεταπέμψας, καὶ μαθὼν ὅτι πλουτεῖ, ἀπέκτεινε, καὶ ἄλλους πολλοὺς μετ' αὐτοῦ. *Cajus vero Ptolemæum Jubæ filium evocavit, ac, quum cognovisset de divitiis ejus, necavit, atque alios complures cum illo.* De nece quoque ejus Sueton. in Calig. cap. XXVI. *Leve ac frigidum sit his addere quo propinquos amicosque pacto tractaverit, Ptolemæum, regis Jubæ filium, consobrinum suum (erat enim & is M. Antonii ex Selena filia nepos) & in primis ipsum Macronem, ipsam Enniam, adjutores imperii, quibus omnibus pro necessitudinis jure, proque meritorum gratia, cruenta mors persoluta est.* Caussamque narrat fuisse invidiam & amentiam, cap. XXXV. *Ptolemæum, de quo retuli, & accersitum e regno, & exceptum honorifice, non alia de caussa repente percussit, quam quod edente se munus, ingressum spectacula, convertisse hominum oculos fulgore purpureæ abollæ animadvertit.* Unde bellum sub principatu Claudii natum est, prout testatur Plinius lib. V. cap. 1. *Romanorum arma primum Claudio principe in Mauritania bellavere, Ptolomæum regem a C. Cæsare interemptum ulciscente liberto Ædemone, refugientibusque barbaris ventum constat ad montem Atlantem.* Quæ quidem testimonia adduxi, ut adpareat, ad extrema fere Caji tempora regnasse Ptolemæum, nam & ante ad illum, ut erat homo insanus & ridiculus, ridiculos codicillos in regno suo miserat, ut notat idem Sueton. cap. LV. *Equiti Romano tumultuanti per Centurionem denunciavit ut abiret sine mora Ostiam, perferretque ad Ptolomæum regem in Mauritaniam codicillos suos. Quorum exemplum erat: Ei, quem isthuc misi, neque boni quidquam, neque mali feceris.*

Harduinus hunc nummum explicans ita scribit: „ Fœdus, cum rege Ptolemæo initum, „ hic nummus significat, sub Lætilio Apalo „ duumviro quinquennali oppidi Cæsareæ Mauritaniæ, quod multo postea Claudius coloniæ „ jure donavit, ut auctor est Plinius lib. V. „ sect. 1. Sed ipsum Cæsareæ nomen ab Octavio Cæsare est, cui hac civitate cessisse Ptolemæus videtur. „ Conjectura hæc nullum aliud fundamentum quam Harduini habet cerebrum. Inter Augusti nummos apud Morellium tab. XLV. num. 16. occurrit nummus huic per omnia similis, nisi quod in fascia regali pro REX PTOL. legatur REX IVBA. ex quo patet, uno eodemque tempore cusos esse hos nummos, quorum uterque C. Lætilium Apalum duumvirum quinquennalem præfert. Imo ex iisdem duobus nummis Jubæ & filii Ptolemæi itidem clarum est, cur juvenili, vel certe virili, non senili facie pingatur Augustus in nummo hujus Ptolemæi. Ex hisce enim nummis doceri nos existimo, Jubam Jubæ filium, filium suum Ptolemæum in societatem regni adscivisse, idque pro sapientia sua fecisse prudenter sane; nam quum ipse barbari esset filius, ejusque qui pro Pompejanis partibus contra Cæsarem stetisset, soboli suæ firmare regnum sibi videbatur, adscito in communionem imperii filio Ptolemæo, cujus mater Antonii triumviri erat filia, quique adeo Romano sanguini & domui etiam Cæsareæ, propter Antoniæ minoris & Drusi, privigni Augusti, nuptias, erat connexus. De fœdere vero, quod somniat Harduinus, nihil ut puto in hisce nummis, verum sicuti IIvir quinquennalis modo cum Cn. Atellio pontifice num. I. legitur rex Juba, sic puto, cum C. Lætilio Apalo regem Jubam iterum fuisse duumvirum quinquennalem, atque item filium ejus, regem Ptolemæum, qui ex isto quinquennio, quo integro magistratum hunc gessit C. Lætilius Apalus, dimidiam annorum partem impleverit, divisione duumviratus quinquennalis facta cum patre Juba, qui regnum quoque cum illo communicaverat.

Dixi ad priorem nummum dedecus haud fuisse regio nomini titulum duumviratus quinquennalis; dixi etiam, putare me, cusum hunc nummum fuisse Carthagine in Africa, Cæsaris olim & novissime Augusti colonia. Firmat utrumque nummus meus insignis, & jam antiquariis celebratus, Vaillantio quoque memoratus de Colon. tom.

tom. I. p. 143. atque Morellio nostro depictus inter Neronis & Drusi numismata num. IX. & X. in quo ab altera parte Tiberii imperatoris est caput atque epigraphe; in altera capita adversa sunt filiorum Germanici, Neronis & Drusi, cum hac inscriptione, NERO ET DRVSVS CAESARES QVINQ*uennales Coloniæ Iuliæ Novæ Carthaginis*. Sive, ut in meo & Vaillantiano exstat, QVINQ*uennales Coloniæ Victricis Iuliæ Carthaginis*. Imo possideo alium valde notabilem, singularem, & antiquariis adhuc incognitum, in quo ab altera parte caput est itidem Tiberii, ab altera C. Caligulæ, cum hac inscriptione *Caius* CAESAR *Tiberii Nepos* QVINQ*uennalis Coloniæ Victricis Iuliæ Novæ Karthaginis*.

LICINIA.

Gens Licinia plebeja fuit, illustres tamen familiæ, virique consulatu & pontificatu maximo illustres ex ea orti sunt. Fuere ex illa Calvi, Crassi, Stolones, Damasippi, Luculli, Macri, Murenæ, Nervæ, Sacerdotes, Vari, aliique. Inter nummos consulares Morellius produxit Murenas, Crassos, Nervas, Stolones. Quos vero idem, cum aliis & Vaillantio, tab. tertia num. VIII. & lit. B. ad Crassorum ex Licinia gente familiam retulit, nos judicamus ad Canidios pertinere, qui Crassi itidem cognomen habuerunt.

TAB. I.

I.

Caput Jani bifrontis, barbatum & laureatum, cum remo sive nota assis in vertice.

Lucius MVRENA. Victoria stans dextra tropæum coronat, læva palmam gerit super humeros.

L. Murena Publii filius, proprætore cum exercitu relictus in Asia a Cornelio Sulla, ad bella civilia in Italiam festinante, A. V. C. DCLXIX. & DCLXX. revocatus domum inde est ab eodem Sulla tertio abinde anno, atque in ejus locum successit M. Minucius Thermus. Bellum gessisse contra Mithridatem testatur Cicero Acad. Quæst. lib. II. cap. 1. ubi narrat L. Lucullum, qui postea Mithridatem adtrivit, quæsturæ diuturnum tempus, Murena bellum in Ponto gerente, in Asiæ pace consumsisse. Convenerat quidem inter Sullam & Mithridatem de pacis conditionibus, sed Murenam a Sulla cum duabus Fimbrianis legionibus relictum ad res in Asia ordinandas; Appianus de Bello Mithr. p. 514. docet occasiones bellorum captasse, triumphi cupidine; atque ita excitatum fuisse bellum Mithridaticum secundum. Gestum illud bellum fuit varia fortuna; nam initio quidem magna detrimenta Mithridates accepit, postea vero non minora ipse Murenæ intulit. Refert vero idem Appianus causam belli ad Archelai, Mithridatis olim in Græcia ducis, consilium; Mithridates enim *Archelaum suspectum habebat, quasi, quum esset in Græcia, plus æquo in conditionibus pacis Sullæ concessisset. Quod ubi ille sensit, territus ad Murenam fugit: eumque irritando effecit, ut prior Mithridati arma inferret: qui mox per Cappadociam invasit Comana, urbem in regno illo maximam, & religioso opulentoque templo insignem: interfecitque nonnullos regis equites: cumque legati objicerent fœdera, negavit se videre ulla fœdera: nulla enim Sulla conscripserat, sed exsecutione pactorum contentus discesserat. Hæc locutus Murena confestim prædas agebat, & ne a sacris quidem pecuniis abstinens, hiberna habuit in Cappadocia. Rex & ad senatum & ad Sullam misit qui expostularent de Murena: qui interim trajecto Hali fluvio magno & tum maxime imbribus tumido*, CCCC. *Mithridatis vicos incursavit, nusquam occurrente rege, & expectante legatorum reditum. Atque ita refertus præda in Phrygiam Gallogræciamque reversus est.* Adnotat deinde occulta ad illam rem mandata a Romanis data fuisse Murenæ, quamvis publice pacem firmari velle viderentur: *ubi Calidius propter querelas Mithridatis ab urbe missus, nullum quidem S. C. ei obtulit: denunciavit tamen omnibus audientibus, jubere senatum, ut a fœderato rege abstineat. His dictis mox in conspectu aliorum seorsum cum eo collocutus est: nec Murena quicquam remisit de pristina vehementia, tunc quoque incursans fines Mithridatis: qui aperto jam bello se peti existimans, Gordium jussit invadere vicos finitimos.* Narrat deinde, quomodo collecto exercitu justo prælio Murenam vicerit Mithridates, atque præsidia ejus ex tota Cappadocia expulerit. Neque deinde quidquam de Murenæ rebus gestis legitur. Unde videtur post interfectos illos equites regios, captamque urbem Comana, & ditatum præda exercitum tropæum erexisse Murena, cujus memoriam servat hic nummus, in Asia, ut videtur, cusus; prouti triumphum propter easdem has clades Mithridati illatas, meruisse eundem docent Marmora Capitolina & Cicero, cujus verba sunt in Orat. pro Lege Manilia cap. III. *Triumphavit L. Sulla, triumphavit L. Murena de Mithridate, duo fortissimi viri, & summi imperatores: sed ita triumpharunt, ut ille pulsus superatusque regnaret. Verumtamen illis imperatoribus laus est tribuenda, quod egerunt: venia danda, quod reliquerunt: propterea quod ab eo bello Sullam in Italiam respublica, Murenam Sulla revocavit.* atque in Orat. pro filio L. Murena cap. VII. *Et proavus L. Murenæ, & avus, prætores fuerunt, & pater, quum amplissime atque honestissime ex prætura triumphasset, hoc faciliorem huic gradum consulatus adipiscendi reliquit, quod is, jam patri debitus, a filio petebatur.* & ejusdem triumphi, dum filium patris gloriæ facit participem, bis mentionem injicit ibid. cap. V. *Objecta est enim Asia: quæ ab hoc non ad voluptatem & luxuriam expetita est, sed in militari labore peragrata: qui si adolescens patre suo imperatore non meruisset: aut hostem, aut patris imperium timuisse, aut a parente repudiatus videretur. An, cum sedere in equis triumphantium prætextati potissimum filii soleant, huic donis militaribus patris triumphum decorare fugiendum fuit, ut rebus communiter gestis pæne simul cum patre triumpharet?* Et paullo post: *Meruisse vero stipendia in eo bello, quod tum Populus R. non modo maximum, sed etiam solum gerebat, virtutis: patre imperatore libentissime meruisse, pietatis: finem stipendiorum, patris victoriam ac triumphum fuisse, felicitatis fuit.*

II.

Caput Herculis inberbe, cum tribus punctis sive globulis, monetæ genus, quadrantem, indicantibus.

Lucius MVRENA. ROMA. Prora navis, cum similibus tribus punctis.

Quum duo fuerint Murenæ, qui prænomen Lucii habuerint, pater L. Murena P. F. & filius L. Murena L. F. P. N. qui ad consulatum (Cicerone defendente ambitus reum) pervenit, incertum est, cui hic & sequentes duo nummi ærei sint adsignandi; ab uno ex illis quæstore urbano vel IIIviro monetali cusi sunt.

III.

Caput Romæ galeatum cum tribus notis, quadrantis indicibus.

Lucius MVRENA. ROMA. Prora navis, adsunt notæ eædem quadrantis.

IV.

Caput Jani bifrontis barbatum & laureatum cum assis nota.

Lucius MVRENA. ROMA. Prora navis, cum assis nota.

Nummi interpretatione non indigent, typi sunt simplices & vulgares.

V.

Caius MALLEOL*us*. Caput Romæ galeatum.

Lucius LIC*inius*, CN*eus* DOM*itius*. Mars in citis bigis, dextra hastam protendens, læva clypeum, lituum militarem, & habenas equorum tenens.

Explicationem hujus typi pete ex familia Domitia.

VI.

Lucius PORCI*us* LICI*nianus*. Caput Romæ galeatum.

Lucius LIC*inius*, CN*eus* DOM*itius*. Typus idem.

Vide ibidem, & infra in familia Porcia. Spectant nummi ad L. Licinium L. F. L. N. Crassum & Cn. Domitium Cn. F. Cn. N. Ahenobarbum, qui simul gesserunt censuram, quum triumviri monetales essent illi, quorum nomina in priori denariorum parte exprimuntur.

VII.

Senatus Consulto. Caput Veneris Victricis, laurea corona circumdatum. Illi enim deæ malo adsignare, quam Libertati, ut facit Vaillantius. Est enim simillima Veneris figura, ut Victricis, in fam. Cornelia tab. V. num. octavo.

Publius CRASSVS *Marci Filius*. Figura militaris, veste succincta, equum dextra capistro ducens, læva hastam tenet & clypeo innititur, ante pedes modius est, pro quo apud Gorlæum & in meo nummo clava cernitur.

De typo hujus nummi ita quærit Morellius in Ep. ad Periz. p. 208. „ Quid septimus LICINIORVM nummus sibi velit, cum primis „ scire desidero. Nam figura muliebris equum „ ducens galeata est, habetque ad pedes modium; vix ergo ad censorem referri poterit, „ prout viri peritissimi jam scripserunt. „ Respondit Perizonius pag. 284. „ Nummum septimum Liciniæ gentis habeo, sed obscuriorem, „ quam ut figuræ in aversa parte exhibitæ liquido cognosci possint. Magis tamen, ut ingenue agam, figura equum ducens videtur virilis, expeditis quippe pedibus, quam muliebris; sed & sub equo quod conspicitur, propius mihi ad clypeum videtur accedere, quam „ ad modium. Sed & videtur clypeus pedibus „ hominis adpositus congruere cum hasta, quam „ idem solo infixam sinistra manu tenet. Quocirca prorsus putem hoc nummo designari equitum transvectionem & probationem. Vide „ Valerium Max. II. 2. 9. & illustrem Spanhemium pag. 550. 551. „ Hæc Perizonius, qui, quoad transvectionem & probationem equitum, adstipulantem habet Vaillantium, omnesque alios antiquarios meliores; conjectura enim Ericii, quasi expeditio Hispanica P. Crassi proconsulis innuatur, futilis est. Verum non consideravit satis idem vir doctus, quid doceri se peteret Morellius; de clypeo enim idem securus erat, sed de modio doceri volebat, qui scilicet præter clypeum in nummo exprimitur. Quod accidit, quoniam modium in suo non invenerat Perizonius; sine modio enim Fulvius quoque, Patinus, & Vaillantius depinxerunt. Unde existimo & modium & clavam, quæ in aliis denariis cernitur, ad monetarum officinas, sive signa monetariorum referri debere.

Majoris momenti quæstio est, ad quem P. Crassum Marci filium referri debeat denarius. Ursinus ad P. Crassum Marci apud Parthos occisi filium refert; ad avum ejusdem Pighius Annal. tom. III. p. 226. quem sequitur Vaillantius, putatque in censura ejusdem cusum fuisse; „ ad id (inquit) „ impellit ejus censura, & præcipue nota S. C. „ in denario expressa, quæ nepoti, ut avi censuræ memoriam in illo exhiberet, convenire „ nequit; sed potius ipsi censori, tot honoribus „ illustri. „ At mihi Vaillantii opinio multo pluribus difficultatibus laborare videtur, quam Ursini. Putat enim a P. Licinio Crasso censore cusum esse denarium. At cura rei monetalis penes censores non erat, quorum nomen si in denariis inveniatur, ut in duobus sit præcedentibus, additur simul nomen triumvirorum monetalium, qui denarios cuderunt. Dein, si a censore Crasso cusus nummus sit, Romæ cusus est; at vox Roma cum absit, innuere videtur extra Romam cusum fuisse. Honores majorum studiose in denariorum typis quæsitos fuisse quis nescit? Cur igitur nepos avi sui hunc spectabilem honorem in denariis suis non exprimeret? imo, quum & pater præter reliquos honores censura quoque decoratus fuerit, hæreditarium velut decus familiæ suæ denariis suis inscripsisse videtur.

In cusi denarii tempus inquiramus. P. Crassus M. F. P. N. A. V. C. DCC. fortissime contra Parthos dimicans cecidit. Ostendit Fulvius Ursinus eundem una cum Julio Cæsare fuisse in Gallia. Namque nominatim, ut adolescentis, mentionem facit ipse Cæsar de Bello Gallico in fine lib. I. *Id quum animadvertisset P. Crassus adolescens, qui equitatui præerat*, & lib. III. cap. 7. *P. Crassus adolescens cum legione VII. proximus mare Oceanum Andibus hiemabat.* Ejusdem Crassi res gestæ in Galliis percensentur eodem lib. III. cap. 20. Videtur itaque, ut quæstor, eo tempore Cæsari adfuisse, atque in Galliis hunc denarium cudisse, in quo ab altera parte Veneris Victricis caput in honorem Cæsaris expressit, ab altera vero parte symbolum censuræ, quam dignitatem & pater & avus gesserant. Certe a Cæsare adhuc in Galliis agente missus fuit ad patrem una cum mille equitibus delectis, & ad patrem venit, quum hiematum in Syriam recessit, ut scribit Plutarchus in Vita Crassi pag. 553. & 558.

Ad caput Veneris Victricis literæ S. C. leguntur, inde ut opinor, quod Cæsari in Galliis magnas res gerenti procurantibus Pompejo & Crasso ex Senatusconsulto in quinquennium prorogatum fuerit imperium; ut docet Plutarchus in Vita Crassi

Crassi p. 552. *Καίσαρι μὲν ἄλλην ἀπέδοσαν πενταετίαν τῆς ἀρχῆς, αὐτοῖς δὲ τῶν ἐπαρχιῶν ἐψηφίσαντο Συρίαν, καὶ Ἰβηρίας συναμφοτέρας. Cæsari quidem in quinquennium provinciam prorogaverunt, sibi vero procurarunt provincias Syriam & utramque Hispaniam.* Eo vero tempore cusos hos denarios fuisse existimo.

VIII.

ROMA. Bustum Romæ; capite galeato, ante quod juxta frontem luna crescens cernitur, dextra manu spiculum super humeros tenet, ad humerum lævum clypeus, cui eques insculptus est, cernitur. Adest quoque denarii solita nota.

Publius NERVA. Septa sive cancelli comitiorum cum ponte, in quo cernitur vir togatus a diribitore tabellam accipiens, itemque alius vir togatus tabellam similem post inscriptum suffragium dejiciens in cistam. In summa denarii parte animal quoddam parte sui cernitur, equus forsan, ut in nummo æreo tab. seq. num. VI.

Dubitat Ursinus, utrum ad gentem Liciniam an Siliam hic denarius sit referendus; utrique enim Nervæ cognomen fuit. In Silia vero reposuit Vaillantius, quod nullus prænomine Publius inter Licinios Nervas inveniatur. Antiquior vero & denarius hic & nummi ærei duo V. & VI. tabulæ sequentis sunt, quam ut cum Fulvio Ursino referri possint ad P. Silium Nervam, qui consul fuit cum M. Appulejo A. V. C. DCCXXXIV. neque tamen patet ad quem referendi sint. Illustris est typus, & rationem ferendi suffragia ante oculos depingit, sed quid statui potest certum, ubi meræ apud scriptores veteres sunt tenebræ? Pighius & Vaillantius docent familiam Siliam Nervarum fuisse plebejam, & duos Silios, Publium & Marcum in tribunatu plebis de ponderibus coæquandis rogationem tulisse. Unde conjectura non spernenda est, aliquem ex ista familia tribunum plebis legem aliquam tulisse, quæ suffragiorum jura & comitia spectaverit; atque filium ejusdem vel nepotem fuisse Publium Silium Nervam hunc, cujus hic est denarius. Et forsitan circa tempus comitiorum habendorum, quo illud mense oportunius fieri posset, aliquid ex rogatione Silii Nervæ statutum fuit, quod indicare luna crescens videtur, quæ in priore denarii parte supra frontem Romæ cernitur.

TAB. II.

I.

NERVA. Caput Apollinis laureatum.

Aulus LICIN*Ius*. Desultor decurrens in equo palmam humero inpositam ferens.

A. Licinius Nerva, qui hunc denarium cudit, videtur nobis fuisse idem, qui sextum quoque signavit; quamvis Vaillantio aliter videatur. Credit enim denarium hunc signatum fuisse ab illo A. Licinio Nerva, qui propter Pseudo-Perseum a L. Tremellio quæstore ipsius victum, imperator adpellatus est; & cudisse eundem in prætura sua existimat. Nos potius existimamus pertinere ad nepotem ejus A. Licinii Nervæ, prætoris A. V. C. DCX. & pronepotem ejus A. Licinii Nervæ, qui prætor exstitit A. V. C. DLXXXVII. cusum vero fuisse denarium una cum sequenti sexto post interfectum Julium Cæsarem, tempore belli Mutinensis. Apollinares vero ludos expressit, ut familiæ suæ nobilitatem ostentaret, quæ prætoria esset, prætura per avum atque proavum gesta. Neque enim video, quid P. Licinius Varus huc faciat, quem ex Livii lib. XXVII. cap. 23. huc advocat Spanhem. edit. pr. p. 576. „ Idem alibi „ de Ludis Apollinaribus stata die a P. LICI„ NIO Varo Prætoris institutis, *P. Licinius Va„ rus Prætor Urbis, legem ferre jussus, ut hi ludi „ in perpetuum in statum diem voverentur. Itaque „ ipse* PRIMUS *ita vovit* FECITQUE *ante diem „* III. *Non. Quinctil. is dies deinde solennis servatus.* „ Ex quo loco insuper illustrantur duo gentis Li„ ciniæ denarii, in quibus per desultorios equos „ designati Apollinares ludi, & constat, ad quem „ Prætorem ejusdem gentis, quod Ursinum fu„ git, horum institutio sit referenda. „ At vero longe alia fuit familia Liciniorum Varorum, alia Nervarum; neque duo ejusmodi nummi; sed unus tantum in gente Licinia invenitur.

II.

FIDES. *Aulus* LICINIVS. Caput deæ Fidei olea coronatum.

NERVA IIIVIR. Vir armatus imperatorio habitu, equo veloci insidens, virum barbatum gladio & clypeo armatum, atque sub equo succedentem, capillis prehendit.

Triumvir in hoc & sequenti denario adpellatur A. Licinius Nerva, quod ego de monetali triumviro capiendum esse censeo, neque cum Vaillantio crediderim, ut triumvirum, sacris ædibus reficiendis in denario celebrari. Pariter ad Augusti tempora denarium revocari debere censeo, ut qui monetales magistratus (quorum numerum auxerat Cæsar) ad tres iterum reduxit.

Is itaque A. Licinius Nerva ab altera denarii sui parte deæ Fidei caput expressit; sive quod familiæ suæ peculiare aliquid fuerit cum istius deæ religione, unde & num. IV. ejusdem deæ imago adpareat; sive quod illo anno deæ Fidei fanum ab Augusto fuerit instauratum. Ab altera parte insigne decus avi sui expressit, victoriam videlicet A. Licinii Nervæ prætoris provincialis, qui Macedoniam sortitus, per quæstorem suum L. Tremellium Scrofam Pseudo-Perseum acie vicerat & cum sexdecim hostium millibus occiderat. Sicuti enim ipse Perseus passim in nummis suis barba decorus cernitur, ita quoque figura hæc Pseudo-Persei barbata effingitur. Ex fratribus vero nepotes fuisse judico hunc Nervam, & illum qui sequentem denarium cudit, ut qui percussorum Cæsaris partes secutus fuerit, quum hic videatur Cæsarianis adhæsisse; nisi monetariorum incuria commutatæ invicem fuerint ibi matricum partes priores.

III.

Epigraphe & typus similis est præcedenti; differt in eo tantum, quod Pseudo-Persei figura clypeo destituatur & paullo aliter, quam in alio denario, respectu situs, depingatur.

IV.

FIDES. NERVA. Caput Deæ Fidei, ut supra.

ALBINVS BRVTI *Filius*. Dextræ junctæ tenent caduceum alatum.

Quæstorem hunc Nervam Vaillantius putat fuisse Bruti ejus, qui ab Antonio Mutinæ fuit obsessus; cui refragari nolumus. Dextræ junctæ concordiam consulum & senatus spectant, unde plurimam felicitatem illa pars sibi augurabatur. Fides dea propter fidem dextra firmatam a conjuratis signata fuit, & illorum concordiæ & in patriam pietati itidem convenit.

V.

Publius NERVA. Caput Jovis laureatum cum nota semissis.

ROMA. Prora navis, in cujus summo ambulat figura muliebris stolata nescio quid manibus tenens. In area est nota semissis.

Ad familiam Siliam & hic & sequens nummus spectare videtur. Figuram illam muliebrem Vestalem esse existimo cribro aquam tenentem, cujus historiæ meminerunt Tertullianus in Apolog. cap. XXII. *Aquam cribro gestatam.* Augustinus lib. X. de Civ. Dei cap. 16. *Quod virgo Vestalis, de cujus corruptione quæstio vertebatur, aqua impleto cribro de Tiberi neque perfluente, abstulit controversiam.* Tucciam illam adpellant Dionysius Halicarnass. Plinius & Valerius Maximus, Valerii quidem hæc verba sunt lib. VIII. cap. I. Absolut. ex. 5. *Eodem auxilii genere Tucciæ virginis Vestalis incesti criminis reæ, castitas infamiæ nube obscurata emersit: quæ conscientia certæ sinceritatis suæ, spem salutis ancipiti argumento ausa petere est. Arrepto enim cribro, Vesta, inquit, si sacris tuis castas semper admovi manus, effice, ut hoc hauriam e Tiberi aquam, & in ædem tuam perferam. Audaciter & temere jactis votis sacerdotis, rerum ipsa natura cessit.* Accidisse illud Plinius adfirmat A. V. C. CCCCIX. lib. XVIII. cap. 2. *Exstat Tucciæ Vestalis incestæ precatio, qua usa aquam in cribro tulit, anno urbis* CCCCIX. Sed ut res antiquæ, & fabulosæ præsertim, valde turbari solent, sic & familia Silia suo olim generi adstipulantes auctores habere potuit, & propterea sibi illud decus vindicare.

VI.

Publius NERVA. Caput Herculis inberbis in leonis exuviis, retro tres sunt globuli quadrantis notæ.

ROMA. Navis prora, cui equus insistit.

Et equi hujus historia & ipsius P. Silii Nervæ, defectu scriptorum, ignota nobis est.

VII.

CAESAR AVGVST*us* PONT*ifex* MAX*imus* TRIBVNIC*ia* POT*estate*. Caput Augusti nudum.

Aulus LICINIVS NERVA SILIAN*us* IIIVIR *Auro Argento Aere Flando Feriundo*. In area nummi *Senatus Consulto*.

Nerva hic ex gente Silia transiit in Liciniam, adoptatus a P. Silio, ut disertis verbis testatur Vellejus Paterculus, qui eundem præmatura morte obiisse tradit lib. II. cap. 116. Hinc productum nomen Silianus. Filium creditur habuisse A. Licinium Nervam Silianum, quem alii P. Silium Nervam vocarunt, consulem cum C. Julio Attico Vestino A. V. C. DCCCXVI. Adoptatum fuisse a P. Licinio Nerva quæstore Bruti credidit Vaillantius. Potuit ab illo, qui triumvir monetalis principis Augusti fuit, adoptatus fuisse; ærea vero moneta declarat ex senatus auctoritate pecuniam signasse.

VIII.

OB CIVIS SERVATOS. Media vox in corona quernea est, inter duos lauri ramos.

Publius LICINIVS STOLO IIIVIR *Auro Argento Aere Flando Feriundo*. In area nummi est *Senatus Consulto*.

Licinii Stolones antea Calvi dicti sunt, sed recentius illud nomen a cura agriculturæ adepti sunt, ut tradunt Varro lib. I. cap. 2. & Columella itidem; sunt autem stolones frutices inutiles, a quorum resectione nomen invenerunt. Ex hac familia, qui primus illud nomen gessit P. Licinius Calvus P. F. P. N. M. Fabii Ambusti gener, tribunus plebis A. V. C. CCCLXXVII. per decem annos continuos cum collega L. Sextio Laterano isto honore per violentiam functus est, donec pertulerunt leges quas intenderant, ne quis plus quingentis agri jugeris possideret, de minuendo ære alieno, & ut alter consul ex plebe crearetur. Creatus vero mox est collega in tribunatu L. Sextius, & ipse quoque Licinius Calvus Stolo bis deinde consulatum gessit. Ex hujus posteritate videtur fuisse hic Stolo, qui sub Augusto vixit, atque solitum æreis nummis typum ad honorem principis spectantem inpressit.

TAB. III.

AVGVSTVS TRIBVNIC*ia* POTEST*ate*. in corona quernea.

Publius STOLO IIIVIR *Auro Argento Aere Flando Feriundo*. in area *Senatus Consulto*.

Ab eodem Stolone sicuti & sequens nummus cusus est.

Littera A.

I.

Caput puerile nudum.

Publius LICINIVS STOLO IIIVIR *Auro Argento Aere Flando Feriundo*. in area *Senatus Consulto*.

Caput illud puerile Caji Cæsaris esse judico, unde ratio temporis iniri potest, quo monetalis fuerit hic Stolo, eo videlicet anno, quo Cajum & Lucium ex Julia & Agrippa nepotes, adoptavit Augustus.

II.

AVGVSTVS TR*ibunitia* POT*estate*. Imperator eques, dextra coronam lauream tenet.

Publius STOLO IIIVIR. Apex inter ancilia.

Recte videtur Vaillantius sensum hujus denarii percepisse, dum ex Dione scribit Augustum e Syria reducem, ovantem in equo civitatem fuisse ingressum. Fecit id, quoniam sine sanguine cives & signa militaria a Parthis receperat; & hinc ancilia, respectu Martis Ultoris, & apex flaminum ejusdem in denariis cernitur.

III.

AVGVSTVS TR*ibunitia* POT*estate*. Caput Augusti nudum.

Publius STOLO IIIVIR. Apex inter ancilia.

Idem P. Stolo diversis temporibus & senatus & Cæsaris Augusti triumvir monetalis fuisse videtur, nisi patrueles eodem nomine fuerint. Videntur hi denarii A. V. C. DCCXXXIV. vel circa illa tempora, cusi fuisse.

IV.

Caput Vejovis cum humeris, dextra manu telum trisulcum vibrat.

Caius LICINIVS *Lucii Filius* MACER. Pallas in quadrigis dextra manu hastam vibrat, læva habenas equorum & clypeum tenet.

Quæstorem hunc Macrum ponit Pighius A. V. C.

V. C. DCLXXV. quo cusus hic denarius videtur. Præturam postea gessit, prætorius enim repetundarum fuit accusatus Cicerone prætore, atque damnatus; uti testatur ipse Cicero lib. I. ad Att. ep. 4. *Nos hic incredibili ac singulari populi voluntate de C. Macro transegimus, cui quum æqui fuissemus, tamen multo majorem fructum ex populi existimatione, illo damnato, cepimus; quam ex ipsius, si absolutus esset, gratia cepissemus.* Mortem ejus præter Valerium Maximum lib. IX. cap. 12. Plutarchus ita narrat in Vita Ciceronis pag. 865. *Fertur etiam Licinius Macer, vir & ipse multum in civitate potens, & Crassi utens auxilio, cum repetundarum reus Cicerone judice esset factus, potentia sua & studio amicorum fretus, judicibus adhuc sententias ferentibus domum abiisse, statimque caput totondisse, puramque vestem, veluti absolutus, induisse, atque ita in forum prodiisse: Crasso autem apud vestibulum occurrente, & universis damnatum suffragiis nunciante, reversus accubuisse, & vivendi finem fecisse.* Neque vitam ejus & actiones probatas fuisse a Cicerone docent verba ejusdem in Bruto cap. LXVII. *C. Macer auctoritate semper eguit, sed fuit patronus propemodum diligentissimus: hujus si vita, si mores, si vultus denique non omnem commendationem ingenii everteret, majus nomen in patronis fuisset.* Pater fuisse creditur C. Licinii Macri Calvi, oratoris & poëtæ celeberrimi.

V.

METEL*lus* PIVS SCIPIO IMP*erator*. Isis stans, capite leonino, cui ad loton pertinens (ut puto) pomum, sive orbiculatum quid, inponitur, dextra sistrum tenet, lævam pectori adplicat, adscribitur ad caput deæ ejusdem titulus *Genius Tutelaris Africæ.*

Publius CRASSVS IVNI*anus* LEG*atus* PRO PR*ætore*. Victoria alata, stans, dextra tenens caduceum alatum, læva parmam.

De typi hujus notabilis interpretatione fusius egimus ad gentem Cæciliam tab. tertia num. I. eaque inspici debet pag. 52. ubi etiam de occasione, qua signatus hic denarius fuit, egimus; pertinet enim prior denarii pars ad Pompeji Magni socerum Scipionem, qui dux Pompejanarum reliquiarum in Africa fuit, atque ibi periit.

Pars aversa ad Liciniam gentem spectat, & nominatur in illa legatus Scipionis proprætore Publius Crassus Junianus. Cognomen Crassi ad Liciniam gentem pertinet, in hanc igitur hic Licinius Crassus adoptione transiit, oriundus ipse ex gente Junia, quod adoptatorum more productum nomen Junianus ostendit. Ciceronis amantem fuisse laus ejusdem ostendit lib. III. Ep. ad Fratr. ep. 8. *Crassum Junianum, hominem mihi deditum, per me deterruit.* Prænomen Publii ostendit adoptatum fuisse ab aliquo P. Licinio Crasso. Præter filium M. Crassi, qui cum patre in Parthia periit, agnoscuntur P. Licinius Crassus Jurisconsultus, Sapiens etiam dictus, vir consularis, & filius ejus Publius, qui una in Cinnanis motibus perierunt, quorum Appianus lib. I. Bell. Civ. aliique meminerunt. Patrem *maximi animi virum* vocat Cicero de Orat. lib. III. cap. 3. *Sapientis, eloquentis & primi hominis* elogio ornat lib. I. Tusc. Quæst. cap. 33. Unde & in Consolatione, quæ Ciceronis operibus adjungi solet, hæc leguntur: *P. Crassus, vir clarus, & consularis, P. Crassi filii mortem & vidit, & moderatissime tulit.* Credo itaque hunc nostrum ex familia Junia transiisse ad Liciniam, adoptatum a P. Licinio Crasso vel patre vel filio. Plutarchus enim in principio Vitæ M. Crassi, qui P. Licinii Crassi JCti & Sapientis tertius fuit filius, docet tres fratres ea fuisse ætate, ut vivis parentibus uxores habuerint, omnesque eadem mensa usi fuerint. Alter ex his fratribus sua morte obiit, Publius cum patre periit, Marcus νέος ὢν παντάπασι, *admodum adhuc juvenis*, cum tribus amicis & decem servis, celeri fuga in Hispaniam se proripuit, ut narrat ibidem Plutarchus p. 544. Inter illos tres amicos forte fuit hic Junianus, adfinis M. Crassi, utpote a patre ejusdem, vel fratre adoptatus. Quid illi post prostratas in Africa partes Pompejanas contigerit, non memini legisse.

VI.

METEL*lus* PIVS SCIP*io* IMP*erator*. Caput Jovis Terminalis, subtus aquilæ caput est cum sceptro.

CRASS*us* JVNI*anus* LEG*atus* PRO PR*ætore*. Sella curulis, ad cujus alterum latus est frumenti spica, ad alterum manus humana; supra sellam curulem cernuntur bilanx & cornucopiæ.

Typorum horum interpretationem inveniet lector supra pag. 52. & 53. ubi tamen de manu, quod diceremus, non occurrebat. Videtur priorem digitum ita habere formatum, ut solent illi qui jurant, unde respici puto ad jusjurandum militare, quod magnus ille legionum numerus, qui Scipioni in Africa aderat, pro salute & defensione reipublicæ, contra Cæsarem duci suo præstiterat.

VII.

CRASS*us* JVN*iani* *Filius* LEG*atus* PRO PR*ætore*. Caput muliebre turribus cinctum inter spicam & caduceum, sub capite prora navis cernitur, desuper est fructus quoddam genus, copiam ejus rei ostentans.

Quintus METEL*lus* PIVS SCIP*io* IMP*erator*. Tropæum elegans, erectum inter lituum & præfericulum.

Egimus jam pluribus de hujus denarii typo ad gentem Cæciliam p. 53. quo lectorem remittimus. Verum, quum alias, tum in eo quoque hic denarius differt ab illo, qui ibidem producitur, quod litera F. post Juniani agnomen non legatur. In hoc ipse Ursini & Vaillantii lectionem correxit Morellius, qui quum IVNI. pro IVN. F. se offendisse in denario putarent, legendum censuerunt IVNI*anus*, quum legi debeat IVNI*ani* *Filius*. Quare docere alter hic denarius nos videtur Crassum Junianum hunc, qui Scipioni Metello in Africa legatus proquæstore fuit, filium fuisse ejus Junii, qui a P. Licinio Crasso fuit adoptatus, & tres hos denarios ad eundem P. Licinium Crassum Junianum juniorem pertinere, deque eodem Ciceronis locum capi debere.

Fructus, qui supra caput cernitur, ex generosiore prunorum genere esse videtur; laudantur vero pruna Damascena & Ægyptia, unde forte in Africa circa Adrumetum quoque nobiliter floruerunt. Neque miretur quis fructum hunc in denario exprimi, quum ista laude Damascenos quoque nummos superbire Spanhemius docuerit tom. I. p. 346. Corona, quæ nummi partem priorem in Cæcilia gente ambit, in hoc denario non invenitur. Pruna vero Africana si auctoritate destituantur, ficubus (nam & ficus esse potest) illam factum Catonis Majoris, qui Carthaginem consilio suo delevit, conciliare poterit. Plutarchus in Vita Catonis p. 352. *Additur, ficus eum Africas consulto excussa in senatu toga effudisse: quarum cum magnitudo & elegantia admirationem concitasset,*

ſet, dixiſſe: atqui tridui navigatione ab Roma tellus quæ eas tulit abeſt.

VIII.

CRAS*ſus*. Prora navis.
Sine epigraphe. Crocodilus.

Quum plures familiæ Craſſi habuerint cognomen, dubitant antiquarii cui ex illis adjudicandus hic nummus ſit. Goltzius & Vaillantius Liciniæ adjudicant, Patinus Canidiæ. Audiendus nullo modo eſt Goltzius, qui ad A. V. C. DCLXXXIII. revocans, refert ad M. Licinium Craſſum, cum Pompejo Magno conſulem, eum qui poſtea a Parthis occiſus eſt. Nihil enim illi cum Ægypto, ubi certiſſimum eſt cuſum hunc nummum æreum fuiſſe. Vaillantius, incertus cui Craſſo ex Liciniis adſignet, ſtatuit ſub Cæſaribus in Ægypto hunc & ſequentem nummum cuſum fuiſſe. Alter itaque manifeſte contra veritatem incurrit; alter incertam, ſine ullo argumento aut teſtimonio conjecturam profert. Cuſum in Ægypto hunc nummum fuiſſe typus docet, crocodilus, Ægypti ſymbolum, cudi itaque non potuit ante illa tempora, quibus arma Romanorum in Ægyptum translata fuerunt, adeoque poſt mortem M. Licinii Craſſi; Romanæ enim familiæ nomen inſcribitur. Cuſum autem temporibus Antonii triumviri & reginæ Cleopatræ ruditas nummi docet, quem & ipſe poſſideo, in eo diſcrepantem ab illo quem Morellius depinxit, quod cauda crocodili, ſicut apud Patinum, ſit longius æquali deſcenſu porrecta. Illis ipſis temporibus invenitur legatus & dux Antonii P Canidius Craſſus, ad quem, ut Antonio carum & plurimum apud eundem potentem, rectius nummum hunc referre videtur Patinus. Publius hic Canidius P. F. tribunus plebis A. V. C. DCCVI. inter conſules ſubrogatos numeratur A. V. C. DCCXIII. Anno poſt, proconſule legatus M. Antonii IIIviri, in Armeniam miſſus, magnas ibi res geſſit, eaque domita Armeniæ ſubjugatæ titulum Antonio peperit, & ad Caucaſum uſque montem Iberos & Albanos domuit. Fidus Antonio & magnis muneribus Cleopatræ addictus, poſt eorundem occaſum juſſu Cæſaris interfectus fuit.

Mentio ejus plurima apud auctores, quos breviter in teſtimonium vocabimus. Temporibus belli Mutinenſis, quum inter Lepidi duces eſſet, occulte Antonio favens, exercitum Lepidi corrupit, ut docet Plancus, ſcribens ad Cic. lib. X. ep. 21. *Acceſſit eo, ut milites ejus, cum Lepidus concionaretur, improbi per ſe, corrupti etiam per eos, qui præſunt, Canidios, Rufrenosque & ceteros, quos, cum opus erit, ſcietis, conclamarint viri boni: pacem ſe velle, neque eſſe cum ullis pugnaturos, duobus jam conſulibus ſingularibus occiſis, tot civibus pro patria amiſſis, hoſtibus denique omnibus judicatis, bonisque publicatis. neque hoc aut vindicarat Lepidus, aut ſanarat.* Adfuit deinde Antonio in Aſia, annoque poſt, quam conſulari dignitate ornatus fuerat, Armenios, Iberos & Albanos egregie vicit, ſicuti præter Plutarchum in Vita Antonii p. 931. totidem verbis teſtatur Appianus in bello Parthico p. 157. *Nam & Soſius Antonianus dux multa in Syria proſpere geſſerat, & Canidius relictus ab eo circa fines Armeniorum, qui victis horum & Iberorum Albanorumque regibus proceſſit usque Caucaſum, effecitque ut inclytum eſſet Antonii nomen apud gentes barbaras.* Quæ quidem hiſtoria aliquanto accuratius narratur apud Dionem Caſſium lib. XLIX. p. 406. *P. Canidius Craſſus in Iberos exercitum duxit: victumque pugna regem eorum Pharnabazum ad ſocietatem belli compulit: ac cum eo in Albaniam progreſſus, victam eam gentem, & regem eorum Zoberem, ſimiliter ſibi adjunxit.* Ex hoc auctore patet Publii prænomen atque Craſſi cognomen hunc Canidium habuiſſe. Contra Parthos non æque felix belli gloria, in quo bello inprudentia ejus notatur a Plutarcho in Vita Antonii p. 935. atque Appiano, ita ſcribente de Bello Parth. p. 163. *Tum duces peditum, & in his Canidius qui plurimum apud Antonium poterat, non leviter peccaſſe viſi ſunt: cum enim debuiſſent totam aciem obvertere; alios poſt alios ſubmittendo, & his victis rurſum alios, non animadverterunt ſe clade ac fuga paulatim totum repleviſſe exercitum, niſi celeriter ipſe Antonius cum armatis ſuccurriſſet ex prima acie: moxque tertia legio per medios fugientes connixa hoſtem cohibuit ne perſequeretur ulterius.* Tempus vero, occaſionem, & locum cuſi hujus nummi indicare videtur Plutarchus in eadem Antonii Vita. pag. 941. quo videlicet tempore in apertum bellum diſcordiæ Antonii & Cæſaris eruperunt. *Hæc in Armenia agens Antonius cum percepiſſet, illico juſſit Canidium cum ſedecim cohortibus ad mare deſcendere: ipſe cum Cleopatra Epheſum profectus eſt. Ibi claſſis conveniebat octingentarum navium, una cum onerariis: ex his ducentas Cleopatra præbuit, & viginti millia talentorum, & univerſo exercitui alimenta ad bellum. Cæterum eam Antonius, Domitii & aliorum conſilia ſecutus, in Ægyptum navigare, ibique eventum belli exſpectare juſſit. At Cleopatra, metuens ne rurſus interventu Octaviæ bellum componeretur, magna pecunia Canidium corrupit, ut pro ipſa apud Antonium intercederet, eique oſtenderet, injuſtum eſſe Cleopatram bello, ad quod tam magna præſidia ea contuliſſet, arceri: neque in rem eſſe, Ægyptiorum, qui magna pars navalium copiarum ſint futuri, animos abſentia reginæ languidiores facere.* Narrat deinde, quomodo Canidii illa ſententia vicerit, atque Cleopatra una cum Antonio ejusque copiis in Samum navigaverit, atque ibi genio & feſtivitatibus indulſerit. Sami itaque cuſum hunc nummum a P. Canidio Craſſo fuiſſe exiſtimo, in quo, ut Cleopatræ propter munera magnamque pecuniam addictus, navalem ejus potentiam & Ægypti regnum, quod illa ad Antonium videbatur adduxiſſe, celebrare voluit. Narrat deinde Plutarchus, in extrema illa pugna Actiaca, univerſi peditatus ducem conſtitutum fuiſſe ab Antonio Canidium, Antonio vero navali certamine victo, deſertis novemdecim ſuis legionibus, quæ adhuc erant integræ, noctu clam profugiſſe Canidium, atque tranſitionis univerſi exercitus regumque auxiliatorum, ad victorem Cæſarem, Antonio nuncium exſtitiſſe; quum juſſus eſſet ab Antonio, ut exercitum quam primum per Macedoniam in Aſiam traduceret. Tandem inter Antonii amicos, ut Cæſari inimicus, juſſu ejusdem occiſus eſt, ut docet Oroſius (ex quo eadem verba excerpta in Hiſt. Miſcella lib. VII. cap. 10. legas) lib. VI. cap. 19. *Occiſi ſunt, juſſu Cæſaris major Antonii filius, & P. Canidius, infeſtiſſimus quidem ſemper Cæſari, ſed & Antonio infidus; & Caſſius Parmenſis* &c. Infidum credo vocat, quod in caſu Octaviæ ipſi male conſuluerit, vel legiones poſt claſſis fugam deſeruerit. Vellejus Paterculus, ad adſentationem pronus ſcriptor, ubi dixerat lib. II. cap. 87. p. 464. *Fuitque & fortuna & clementia Cæſaris dignum, quod nemo ex iis, qui contra eum arma tulerant, ab eo, juſſuve ejus, interemtus;* poſt quorundam mortem ab ipſo Antonio ac-

acceleratam, addit: *Canidius timidius decessit, quam professioni ejus, qua semper usus erat, congruebat.* Quibus subindicare videtur, debuisse Canidium, ut ducem, sua manu mori, neque victoris arbitrio spiritum deponere.

Litera B.

Caput Apollinis diademate cinctum.
CRA*ssus*. Fasces cum securi & capite equino.

Eundem hunc nummum publicaverat jam Vaillantius in familia Licinia hac, num. XVII. ubi in priori parte caput muliebre ignotum agnoscit, in posteriori vero parte perperam addit literam S. quasi CRAS. non CRA. exstaret in nummo. Contrarium non modo patet ex Morellii nostri pictura, verum etiam ex delineatione clariss. Liebei, qui in Thes. Frid. p. 393. eundem hunc nummum publicavit, nactus (ut puto) aliquanto clariorem; lauream enim in capite Apollinis pro diademate agnovit. Præterea in altera parte, quod ut securim & equi marini protomen depinxit Morellius, duas animadvertis esse secures. Nisi forte sit statuendum, ex alia prodiisse matrice illum quem tractavit Morellius, quam illum quem delineavit Liebeus; quod ut credam, duo faciunt argumenta; prius desumo a nummi magnitudine, nummus enim Vaillantii & Liebei minutus est, hic Morellii nummus aliquanto major; alterum argumentum suppeditat varietas picturæ in fascibus, nam ut in Morelliano nummo protome equi est, quasi ornamentum securis in summa parte, sic idem observatur in denariis pluribus gentis Norbanæ.

De aliquo Licinio Crasso capit Vaillantius, quem putat sub Cæsaribus in Ægypto hunc nummum signasse; & ideo fasces cum securi, ut prætoris symbolum, in nummo exprimi. Errorem Vaillantii post Spanhemium tom. II. p. 91. aperuit Liebeus, non solitos scilicet fuisse mitti in Ægyptum proconsules vel senatores, sed viros ex equestri tantum ordine, ex Augusti instituto, metuentis potentiam & oportunitatem istius provinciæ ad rebellandum. Jus fascium itaque, ut prætori conveniens, in nummo a præside Ægypti signari non potuit. Putat itaque Liebeus, cusum fuisse ab aliquo Licinio Crasso in provincia Cyrenaica Cretæ conjuncta, cui inprimis faveat Apollinis (dei ibi plurimum culti) caput.

Lecta hac amicissimi Liebei mei sententia, mecum ipse rationes subduxi, an non ipse quoque Cypro favens aliquid in nummo excogitare possem. Invenisse autem credo, quod forsan ipse probaverit. Nummum hunc non ad Liciniam gentem referendum esse existimo, verum ad Canidiam, sicuti præcedentem; &, ex gente Canidia, ad Marcum Canidium Crassum, qui quæstor adfuit Catoni, quum is, violentia tribuni plebis Clodii, cogeretur Cyprum populi Romani facere provinciam, proprætore in eandem missus A. V. C. DCXCV. Qui etiam bona Ptolemæi, regis Cypri, nihil mali a populo Romano commeriti, sed sanum Catonis adspernantis consilium, mortemque quam vitam privatam præoptantis, sub hasta vendidit A. V. C. DCXCVI. & in ærarium magnam vim pecuniæ intulit, quam postea Julius Cæsar ad belli civilis usum diripuit. Hinc plus semel Canidii hujus mentio apud Plutarchum in Vita Catonis Minoris p. 985. ubi dicit unum amicorum suorum Canidium in Cyprum præmisisse; narratque ibidem, Catonem non satis fisum integritati ejusdem Canidii, Brutum sororis filium in Cyprum præmisisse. Denique p. 777. quantum Canidio huic tribuerit, ex inimicitia propterea inter Munatium & Catonem orta ostendit, qui scilicet Canidio tantum apud Catonem honorem invidebat. *Munatius non Catonis sinistro de se judicio, sed neglectione sui, & adversus Canidium æmulatione sua iram eam extitisse narrat; edidit enim librum de Catone, quem Thraseas præcipue secutus est. Ita autem refert. Se posteriorem in Cyprum adpulisse, ibique hospitium ei ab aliis spretum & neglectum obtigisse: cum vero ad Catonis fores venisset, non fuisse admissum, eo intus aliquid arcani cum Canidio tractante. Quo nomine cum incusasset modeste Catonem, asperius justo sibi ab eo fuisse responsum. Equidem adparet, o Munati, id quod est a Theophrasto dictum, nimium amando aliquando effici, ut eum quem amamus, odisse incipiamus: quando tu etiam vehementissime nos amans, eo indignaris, quod minori te quam conveniat in honore esse putas. Ego autem Canidio cum ob peritiam utor præ reliquis, tum ob fidem, quod & initio venit, & integre se gessit. hæc ait Catonem cum ipso remotis arbitris locutum, deinde ad Canidium extulisse.* In Cypro itaque hujus generis nummos a M. Canidio Crasso quæstore Catonis cusos existimo. Si quem vero male habeat CRA. in nummo scribi pro CRAS. atque ideo cogitare incipiat pro C. forte G. debere legi, ut Grati alicujus vel Gratidiani fiat mentio, is sciat, non semper a veteribus fuisse literas semivocales geminatas, quod evidentissimo argumento docent nummi gentis Corneliæ, in quibus CINA. & SVLA. tab. sexta num. IV. & VIII. atque lit. C. & D. scribitur pro CINNA & SVLLA. sicuti hic CRA*sus* pro CRA*ssus*.

Litera C.

Caius CAESAR AVG*ustus* GERMANICVS IMP*erator*. Caput Caji Caligulæ laureatum.
Colonia Cæsarea Augusta LICINIANO ET GERMANO II VIR*is*. Aquila legionaria inter duo signa militaria.

Nummus hic una cum sequentibus tribus ad Coloniarum nummos est relegandus; Licinianus productum a Licinio nomen est. Cæsarea Augusta, urbs Hispaniæ Tarraconensis, ad Iberum amnem, jus coloniæ & nomen ab Augusto recepit. Post Caligulam, nec ipsa, nec aliæ in Hispania coloniæ, imperatorum icones ostendunt, jure monetæ ejusmodi, ab illo, ut videtur, privatæ.

Litera D.

Magnitudine, typo, & inscriptione similis est præcedenti, literæ tantum alio collocantur ordine.

Litera E.

Caius CAESAR AVG*ustus* GERMANICVS IMP*erator*. Caput Caligulæ laureatum.
Colonia Cæsarea Augusta LICINIANO ET

ET GERMANO II VIR*is*. Colonus agens boves.

Uti præcedens nummus docet milites veteranos in hanc coloniam ab Augusto missos fuisse, ita hic indicat plebis Romanæ quoque additam fuisse multitudinem.

Litera F.

Caius CAESAR AVG*ustus* GERMANICVS IMP*erator*. Caput Caligulæ laureatum.

Colonia Cæsarea Augusta in area nummi, & in ambitu ejusdem eorundem duumvirorum sunt nomina, LICINIANO ET GERMANO II VIR*is*.

Litera G.

SER*gius* GALBA IMP*erator* CAES*ar* AVG*ustus*. Caput Galbæ laureatum.

ΕΠΙ ΜΟΥΚΙΑΝΟΥ ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ ΕΤ*ους* ΖΙΡ. id est. *Sub Muciano, Antiochensium anno* CXVII. in laurea.

Productum Muciani agnomen docet ex Mucia gente fuisse oriundum Syriæ hunc præsidem, qui Antiochiæ hunc nummum cudit. Adoptatus aliquis Mucius in Familiam Liciniam, ad antiquæ originis fidem testandam, producto nomine Mucianus dictus fuit. Integrum itaque illi nomen fuit P. Licinius Crassus Mucianus. Neque tamen hic Mucianus, Syriæ sub Galba præses, adoptatus fuisse intelligi debet, sed ab aliquo proavo, olim adoptato, illud Muciani nomen traxisse. Vaillantius tom. II. p. 37. dicit P. Mucium Scævolam consulem A. V. C. DLXXVIII. (a quo nostrum hunc deducit) adoptatum fuisse a P. Licinio Crasso Divite, P. Crassi pontificis maximi filio, & pro C. Mucio P. Licinium Crassum Mucianum dictum fuisse. Verum Mucius ille consul anni DLXXVIII. neque Caji prænomen habuit, neque adoptatus ab aliquo Licinio Crasso fuit. Fasti (ut videre est apud Pighium tom. II. Annal. p. 352.) consules hoc anno nominant P. Mucium Q. F. P. N. Scævolam, & M. Æmilium M. F. M. N. Lepidum. Error itaque hic est manifestus in Vaillantio. Qui vero primus ex Muciis, propter adoptionem, Mucianus dictus est, ille fuit, qui ut tribunus plebis occurrit A. V. C. DCX. P. Licinius P. F. P. N. Crassus Mucianus, quique ad consulatum pervenit A. V. C. DCXXII. cum L. Valerio Flacco; & præterea pontifex maximus exstitit, proconsule autem missus in Asiam A. V. C. DCXXIV. infelici prælio ad Leucas ab Aristonico victus est, & ab ejusdem præsidiariis exceptus, ut captivitatis dedecus effugeret, virga, qua equum incitabat, oculum sciens effodit cuidam ex custodibus, atque ab irato, quod volebat, occisus est. Vir virtutis notissimæ fuit & plurimum a Cicerone aliisque laudatus. Ipse P. Mucio natus patre, frater fuit P. Mucii P. F. Q. N. Scævolæ cos. A. V. C. DCXX. quique post mortem Muciani fratris sui pontificatum maximum adeptus fuit. Hic Mucianus, consul simul & pontifex maximus, quod nulli antea obtigerat, Mucianis originem dedit, & ipse adoptatus fuisse videtur a P. Licinio Crasso, qui bellum Macedonicum cum rege Perseo gessit, consul, A. V. C. DLXXXII.

Mucianus ille, qui in æreo hoc Galbæ nummo memoratur, notissimus est ex Flavio Josepho, Suetonio, & Tacito, atque præter Vaillantium pluribus de eodem agit Norisius in præclaro opere de Epochis Syromaced. Dissert. III. cap. 4. p. 165. ubi ratio epochæ in hoc nummo notatæ quoque explicatur. Plurimum profuit Vespasiano ad imperium capessendum & vir secundis juxta & adversis famosus Tacito adpellatur.

L I V I A.

Liviæ, gentis plebejæ, octo producit nummos Vaillantius, sed verendum est, ne nullus ex ea gente nobis superstes sit; sex enim, quos Goltzii fidem secutus, adducit, suspectæ omnino sunt auctoritatis, octavus vero, quem solum cum altero simili, sed per literas D. S. S. discrepantem, pro vero agnoscit Morellius, potius ad Oppiam gentem quam Liviam pertinere videtur.

I.

Caput Jani bifrontis barbatum, in summo capitum vertice anchora inversa est cum luna crescente.

Caius CASSI*us*. *Lucius* SALIN*ator*. Prora navis.

Quamvis ad gentem Liviam (in qua Salinatoris cognomen invenit is qui in censura salis commentus est vectigal) retulerit hunc nummum Ursinus; fatetur tamen neminem in Livia gente inveniri cui Lucio prænomen fuerit. In quo quamvis fallatur, Vaillantii tamen figmentum est L. Livius Salinator, quem fratrem facit C. Livii Salinatoris, quem & ipsum Cajum perperam ponit ut tribunum plebis A. V. C. DXV. quum istam dignitatem obtinuerit A. V. C. DCXIII. integro post sæculo; illumque errorem bis erravit, tom. I. p. 240. & tom. II. p. 55. In quo non fuit reprehensus a viris doctis, sed quod perperam uni genti Liviæ Salinatoris cognomen addixerit, ut docta Perizonii ostendit observatio. Nam, quum quæsivisset Morellius sententiam ejus de nummo, qui sequitur; respondit, meliori jure ad Oppiam gentem pertinere, & errasse confidenter nimis scribentem Vaillantium, ut paullo post visuri sumus.

Singulare illud capitis in Jano ornamentum, anchora inversa cum luna crescente de nihilo positum non est, ut neque modius in sequenti nummo, ubi conjecturam nostram vide.

II.

Caput Jani bifrontis barbatum & laureatum, cum modio ad tempora erecto.

Caius CASSI*us*. *Lucius* SALIN*ator*. Prora navis; cujus mediis asseribus inscribuntur hæ literæ D. S. S.

Literas illas solitarias per *Deo Semoni Sanco* explicavit Morellius, & Perizonium in suam sententiam pertrahere conatus est, uti patet ex hisce ejus verbis p. 194. „ Sequitur in Gente CAS- „ SIA Tab. II. num. 8. nummus Æreus, qui „ & idem reperitur in Familia LIVIA. In „ nummis ipsis rostrum navis impressum est, ac „ tres hæ literæ: D. S. S. quibus manifestum „ fit, naves illas DEO SEMONI SANCO „ fuisse sacras, de quo egregia jam in Fulvio „ Ursino p. 305. legenda sunt. „ Perizonius, hisce nihil motus, novam subjecit conjecturam, atque Vaillantii, quem modo tetigimus, errorem

rem simul taxavit, his verbis p. 272. „ Num-
„ mus 8. tabulæ II. in gente *Cassia*, etiam in
„ gente *Livia* exhibetur ab Ursino, sed per-
„ peram, ut puto. Ipse Ursinus, se hunc *L.*
„ *Livium Salinatorem* ignorare fatetur, cum nul-
„ lum *Lucium* in gente Livia repererit. Fuit
„ tamen tribunus plebis L. *Livius* Caudinæ spon-
„ sionis reus apud Liv. IX. 8. Et alius præ-
„ tor apud Livium XLV. 44. Sed & celebris
„ valde est L. *Oppius Salinator* apud Livium in
„ libris XXXII. XXXV. XXXVI. XXXVII.
„ qui cum superiori anno ædilis plebis fuisset,
„ ex SC. præfectus est classi cum imperio ad
„ tuendam Siciliæ oram, Liv. XXXV. 23. Dein
„ prætor Sardiniam sortitus est, XXXVI. 2.
„ Quo fere tempore etiam inclytus fuit C. Cas-
„ sius, quod nomen in hoc nummo simul cum
„ L. *Salinatoris* nomine exprimitur. Pervenit
„ enim ad consulatum XX. annis post *C. Cassius*
„ C. F. C. N. apud Livium XLII. 28. & 32.
„ Potuit ille juvenis XXX. circiter annorum,
„ vel forsan ejus pater, itidem C. Cassius, cum
„ L. Oppio Salinatore mandatum ab Senatu ac-
„ cepisse exstruendæ classis. Nam literas D. S.
„ S. istius nummi interpretor *de senatus sententia.*
„ Sic enim apud Fabrettum cap. 3. inscript.
„ 650. *Basilicam Fac. Curavit de Sen. sent.* Vi-
„ de & Val. Probi notas.

„ Graviter ergo errat Vaillantius, quando ita
„ confidenter affirmat, *Salinator cognomen esse*
„ *UNIUS Liviæ Gentis.* Fuit enim & *Oppiæ.*
„ Solum audiamus Livium XXXV. 24. ubi in-
„ ter Prætores illius anni nominat ultimos *C.*
„ *Livium & L. Oppium*, & addit, *utrique eorum*
„ *Salinator cognomen erat.* " At vero sicuti sen-
tentia Morellii non adrisit Perizonio, ita nec Perizonii sententia Morellio; quare rescripsit p. 300.
„ Non sine ratione existimas, nummum Sali-
„ natoris cujusdam ad hanc gentem non perti-
„ nere, sed hæc res ulteriorem investigationem
„ desiderat. Quod autem tres literas D. S. S.
„ De Senatus Sententia exponis, sic simpliciter
„ probari posse, ambigo. Omnes enim naves
„ fuerunt constructæ de senatus sententia: veri-
„ similius crederem dedicationem intelligi ipsius
„ navis, cum tales dedicationes semper in usu
„ fuerint, hodieque adhuc sint. " Tertiam itaque & ipsi mihi opinionem proferre licet. Lego itaque *De Siculis, Sardis.* Morellio dedicatio navis in mentem venit, quod ipsi navi inscriptæ literæ illæ sint. At ego plus semel in hoc opere ostendi, literas & inscriptiones promiscue & in ora nummi poni & in ipso ejus typo. Exemplo sit Metelli nomen, navi itidem inscriptum, in fam. Cæcilia tab. prima num. III. & secunda, litt. A. B. C. Perizonii sententiam recte confutavit Morellius, atque in inscriptione illa allata non simpliciter ita scribitur, sed additur FAC*iendum* CVRAVIT. quamvis hoc ob nummi angustias subintelligi facile posset.

Opinionis & sententiæ meæ novæ hæ sunt rationes & fundamenta: L. Oppius Salinator, tribunus plebis factus A. V. C. DLVI. ædilis plebis fuit A. V. C. DLX. Anno sequenti DLXI. legatus proprætore cum classe navium triginta missus fuit ad tuendam Siciliæ oram. Sardiniam quoque provinciam sortitus A. V. C. DLXII. ex senatus consulto binas frumenti decimas a provincia exegit, ac Romam devehendas curavit. Iterum anno DLXIII. prorogata provincia, ex senatus consulto frumenti duas decimas a provincialibus exegit, quarum altera in Ætolia ad exercitum, altera Romam est missa, sicuti ex Livio cuncta hæc constant. Denique anno DLXIV. eandem adhuc provinciam prorogato imperio obtinuit, ejus successore Q. Fabio, Romæ, ne a sacris abesset, a P. Licinio, pontifice maximo, retento. Tunc iterum frumenti duas decimas a Sardis exigere, & in Asiam Ætoliamque ad exercitus mittere jussus est. Atque ita per tres annos cum classe Romana in frumentariis hisce populi Romani provinciis proprætore versatus fuit, collegam (ut videtur) habens C. Cassium. Hinc in nummis eorundem celebratur illa frumentatio copiosa, qua urbi Romæ atque exercitibus ejusdem subvenerunt. Firmant eandem ornamenta capitis Jani bifrontis; modius, quo mensurari solent fruges; luna bicornis, cujus benigno sidere aluntur; & anchora erecta, signum classis in anchoris stantis, ut frumentum recipiat.

LIVINEIA.

Gens Livineja plebeja fuisse videtur, certe tribunus plebis agnoscitur L. Livinejus Regulus A. V. C. DCCI. apud Pighium; primus ille ex Livinejis in historia occurrit, filium habuit sibi cognominem; utriusque memoria in sequentibus denariis exstat. Nepos videtur fuisse Livineius Regulus ab Augusto senatu motus, quum tamen filius ejusdem in eo legeretur. Mentionem hujus & indignationem adducit Dio Cassius lib. LIV. p. 527. edit. optimæ. Ἀλλὰ καὶ μετὰ τοῦτο, ἐπειδὴ τινὲς οὐκ ἐπιτήδειοι καὶ τότε ἐγγεγραμμένοι ἦσαν, καὶ Λικίνιός τε τὶς Ῥηγοῦλος, ἀγανακτήσας ὅτι οὗ τε υἱὸς καὶ ἄλλων πολλῶν, ὧν κρείσσων εἶναι ἠξίου, διειλεγμένων, ἀπηλήλειπτο, τήν τε ἐσθῆτα ἐν αὐτῷ τῷ βουλευτηρίῳ κατερρήξατο, καὶ τὸ σῶμα γυμνώσας, τάς τε στρατείας κατηριθμήσατο, καὶ τὰς οὐλὰς προσεπέδειξε σφίσι. *Quia enim & indigni nonnulli sic quoque cooptati fuere, & Licinius quidam Regulus, deletum se ex albo patrum indignatus, quum filius ipsius, & multi alii, quibus se præstantiorem esse judicabat, in eo legerentur, in ipsa curia, veste lacerata, corpus denudavit: enumeratisque militiis suis, cicatrices ostentavit.* Filius Livineji senatu moti videtur fuisse L. Livinejus Regulus, qui in æreis nummulis tab. secunda n. III. & IV. triumvir monetalis sub Augusto inscribitur, & qui inter patronos Pisoni reo ob interfectum Germanicum adfuisse dicitur Tacito Annal. lib. III. cap. 11. Filii ejusdem, primi nepotis, spectaculum gladiatorium sub Nerone commemoratur lib. XIV. cap. 17. notatque Tacitus motum & hunc senatu fuisse. *Sub idem tempus levi contentione atrox cædes orta inter colonos Nucerinos Pompejanosque, gladiatorio spectaculo, quod Livinejus Regulus, quem motum senatu rettuli, edebat.* Exsilio mox multatus est, ut ibidem sequitur, *Livinejus, & qui alii seditionem conciverant, exsilio multati sunt.*

TAB. I.

I.

Caput Livineji Reguli nudum.

Lucius LIVINEIVS REGVLVS. Modus frumento plenus, consistens inter duas spicas hinc inde erectas.

L. Livineji Reguli hujus nulla mentio apud scriptores antiquos occurrit; dubitare tamen nos non sinit vultus ejusdem in hoc & sequentibus denariis, quin fuerit vir in republica illustris, at-

que

que cujus, ut patris sui, vultum denariis suis insculpi curavit hic Regulus, quem præfectum urbi sub Cæsaris dictatura fuisse sequentes nummi ostendunt. In qua ejusdem filii præfectura omnes hi nummi cusi sunt, quorum quosdam in quæstura signasse Regulum credidit Vaillantius. Amicus fuisse Ciceronis videtur, qui libertum ejusdem, a patrono Livinejum dictum, nominat L. Livinejum Tryphonem lib. XIII. Epist. 60. quem Livinejum Regulum Adrumeti cum legione reliquit Cæsar, Uticam contendens, ut legitur in fine Belli Africani.

Modius frumento plenus atque spicæ curam annonæ denotant, quam hi præfecti gesserunt, sicuti in num. II. aliisque gentis Norbanæ ob eandem rationem spica adponitur.

II.

Caput idem L. Livineji Reguli, cui (ut nec præcedenti) nulla adest inscriptio.

Lucius REGVLVS. Pugna ferarum, in qua varii generis feræ dignoscuntur, taurus, tigris, & leo; leonem, longo armatus venabulo, exceptum conficit venator, contra tigridem, clypeo & venabulo armatus alter, insurgit.

Venationes ferarum in Circo fieri solebant, curamque illarum habebant ædiles curules, qui undique rariores violentioresque feras conquirebant, ut civium oculos pascerent, quas inter præter leones & tauros tigrides quoque fuerunt, unde Plinius lib. VI. cap. 22. p. 324. vitia Romana in remotissima orbis insula Taprobane quoque agnoscens, scribit, *Festa venatione absumi, gratissimam eam tigribus elephantisque constare.* Notat Dio Cassius præfectos urbis, quos constituit Cæsar sub Lepido, quum A. V. C. DCCVIII. in Hispaniam abiret, omnia magistratuum jura habuisse; unde nihil mirum si venationes populo dederint & in nummis expresserint. Cæsare etiam redeunte A. V. C. DCCIX. retinuisse eandem potestatem docet. Vide ad num. seq.

Denarius, qui sequitur, nullo adscripto numero, adpictus est a Morellio, ut exemplum erroris monetalis; nam pars posterior male incudi subjecta totam typi inpressionem non accepit, & pars prior, bis incudi substrata L. Reguli nomen, quod parti posticæ denarii similis conveniebat, loco non opportuno recepit.

III.

Lucius REGVLVS *Pater Reguli.* Ita hunc nummum aliosque lego, nam punctum inter literas P.R. docet frustra PR*ætor* legi ab aliis contra nummos. Caput L. Livineji Reguli patris, nudum, &, ut in reliquis, inberbe.

REGVLVS *Filius* PRAEF*ectus* VR*bi.* Sella curulis, in qua laurea est reposita, hinc & inde consulares fasces eriguntur, fasces vero duo sunt in hoc denario, sex in sequentibus. Nota filium in hac parte, sicut patrem legi in parte priori.

Quum Cæsar A. V. C. DCCVIII. in Hispanias cum exercitu abiret, Urbis custodiam M. Æmilio Lepido commisit, cui sex, vel (ut alii volunt) octo præfectos adjunxit; Hic magistratus, ante inventum hoc Cæsaris, in urbe cognitus non fuerat; quum præfecti non solerent substitui, nisi ubi per exiguum tempus consules urbe abessent propter sacrum feriarum Latinarum. Eodem fere jure quo prætores urbani, hi præfecti Cæsaris gavisi fuisse videntur. Symbolum ejusdem dignitatis est sella curulis, & fasces, quæ potestatis summæ signa concessa a Cæsare hisce præfectis Urbi fuisse disertis verbis docet Dio Cassius in fine lib. XLIII. pag. 269. Ὥσπερ γὰρ ποτὲ πρότερον, καὶ τότε ἐν τῇ ἀποδημίᾳ τῇ τοῦ Καίσαρος, οἱ πολιανόμοι πάντα τὰ ἐν τῷ ἄστει πράγματα μετὰ τοῦ Λεπίδου ἱππαρχοῦντος ἔσχον· καὶ αἰτιαθέντες ὅτι καὶ ῥαβδούχοις, καὶ τῇ ἐσθῆτι, τῷ τε δίφρῳ, τοῖς ἀρχικοῖς, ὥσπερ καὶ ὁ ἵππαρχος, ἐκέχρηντο, ἀφείθησαν· νόμον τινὰ προβαλλόμενοι, δι' οὗ πᾶσι τοῖς παρὰ δικτάτορος ἀρχήν τινα λαβοῦσι χρῆσθαι αὐτοῖς ἐδέδοτο. *Eo enim tempore, sicut & ante per absentiam Cæsaris factum, præfecti urbis, cum Lepido magistro equitum, omnium rerum curam gesserunt: accusatique, quod lictoribus, vesteque ac sede curuli, haud aliter atque magister equitum, usi essent, lege se defenderunt, qua usus earum rerum iis permittitur quibus magistratus a dictatore est commissus: atque ita absoluti sunt.*

IV.

REGVLVS *Pater Reguli.* Caput idem Reguli patris.

Lucius LIVINEIVS REGVLVS. Sella curulis inter sex fasces.

Symbolum hoc, ut dixi, ad dignitatem patris & filii spectat. Vaillantius observat Censorinum duos lictores prætoribus tribuere, Polybium vero & Plutarchum sex. In denariis uterque numerus observatur; sed sculptor per duos (ut videtur) dignitatem ipsam, quæ jus fascium haberet, videtur exprimere voluisse; per sex vero fasces, dignitatis ejus amplitudinem ex numero fascium colligendam; nisi velimus dicere ad numerum præfectorum indicandorum toudem fasces fuisse expressos.

Præfecti urbis habuerunt jus, absente Cæsare, pecuniam in urbe signandi, quod eos fecisse demonstravimus exemplo præfectorum Hirtii, Planci, & ipsius hujus Reguli, ad denarios gentis Juliæ tab. secunda num. VI. & quinta, num. I. atquæ sexta, num. III. Adde quæ dicuntur ad nummos C. Norbani & Q. Oppii, in Fam. Norbana & Oppia.

V.

Similis est præcedenti, sed a capite Reguli patris abest inscriptio. Nota in his tribus jus sedis curulis, quod juxta Dionem usurparunt; corona tamen in num. III. ad ipsum Cæsarem spectare videtur.

VI.

Caput Cæsaris laureatum, sine inscriptione, inter laurus bacciferæ ramum & caduceum alatum.

Lucius LIVINEIVS REGVLVS. Taurus, sive bos cornupeta.

Hunc quoque denarium, ut præfectus Urbi sive Urbis, signavit Regulus filius, de cujus typo vide quæ diximus ad hunc denarium in Juliæ gentis denariis occurrentem tab. sexta num. III.

TAB. II.

I.

Caput Apollinis regis intonsum, pone quod sceptrum est.

LIVINEIVS REGVLVS. Sella curulis inter sex fasces.

Caput Genii interpretatur Vaillantius, & putat Regulum, qui caput patris in præcedentibus denariis expressit, in hoc quidem ejus loco caput Genii exprimere, pariter adludentem

tem patri (ut loquitur) & Genio, quoniam Genius deorum est filius & parens hominum, ex quo homines gignuntur, propterea (ut ex veteri Auctore scribit) Genius meus nominatur, qui me genuit. Quibus verbis videtur Vaillantius voluisse, in denario hoc a Regulo Genium suum expressum fuisse, utpote originis suæ auctorem, sicuti eadem de ratione patrem in prioribus expresserat. Nemini cordato illud probabit unquam; quis Genium suum in nummis expressit? Genium populi Romani, cum adposito sceptro, potentiæ symbolo, agnosco in denariis gentis Corneliæ tab. tertia n. I. & II. At quanta differentia! barbatus ibidem exprimitur, hic facies inberbis est; adscribitur ibi divinitatis titulus, *Genius Populi Romani*, at hic nullo adscripto titulo ipsa facies facile prodit, ad quem deum referenda sit, videlicet ad Apollinem, cujus simillima facies cum adposito sceptro depingitur in denario gentis Cassiæ tab. prima num. VI. quem, quum ibi pro Apolline cognoverit Vaillantius, miror hic pro eodem non agnovisse, sed, irato antiquitatis Genio, aliud numen cogitasse.

Respicit Apollinis caput ad ludos sæculares, quorum cura quum ad prætorem pertineret, prætura patris Reguli hoc symbolo, sicuti sella curuli & fascibus in parte posteriori, celebratur. Sceptrum Apollini regi proprium est, quod & in Cassiano denario adponitur, unde nolim cum Patino agnoscere hic adlusionem ad nomen Reguli, ut diminutivum a rege. Patrem cum filio confundit Ursinus, dum putat eundem Regulum & prætorem aliquando & præfectum Urbis fuisse; atque rursus filium cum nepote & pronepote, dum hunc denarium cum tribus sequentibus ab uno atque eodem Regulo cusos exstimat; ex quibus hic quidem ad filium Regulum, præfectum Urbis spectat, sequens ad nepotem, quæstorem Cæsaris junioris sive IIII virum monetalem, tertius & IV. ad pronepotem, qui triumvir monetalis fuit sub Augusto, quum ille numerum ad antiquum morem revocasset.

II.

Caius CAESAR IIIVIR *Rei Publicæ Constituendæ*. Caput triumviri Cæsaris Octaviani nudum.

Lucius LIVINEIVS REGVLVS. Victoria gradiens, dextra corollam tenens, læva palmam super humerum recumbentem.

Victoriæ typus, & inscriptio triumviri Cæsaris, cujus vultus adponitur, arguit, cusum hunc denarium fuisse in memoriam victoriæ Philippensis, devictis a Cæsare atque Antonio conjuratis Bruto atque Cassio. Qui signavit nummum L Livinejus Regulus, vel quæstor Cæsaris illo bello fuit, vel idem, qui num V. & VI. inscribitur IIII vir monetalis. Diversus mihi videtur a L. Livinejo Regulo superiore; neque enim credo illum, qui jam ante a Julio Cæsare, sub Lepido, una cum clarissimis in republica viris Hirtio & Planco, inter præfectos Urbis relictus erat, dum ipse in Hispanias contra Pompeji filios proficisceretur, nunc quæstorem Cæsaris triumviri vel IIII virum monetalem recte agnosci posse, positum in magistratu inferiore, quique majorum incrementum esse solebat.

Unde colligo, filium Reguli, præfecti Urbis, fuisse hunc Regulum, a quo hic denarius est cusus, sive is idem sit cum quatuorviro monetali, & dignitatis titulum in hoc denario omiserit; sive duos filios reliquerit præfectus Urbis, quorum alter quæstor Cæsari triumviro in prælio Philippensi adfuerit, alter sub triumviris quatuorvir monetalis fuerit. Hunc puto illum fuisse Livinejum Regulum, quem ex Tacito diximus motum ab Augusto senatu, indignabundum, vulnera & merita sua objecisse.

III.

REGVLVS. PVLCHER. TAVRVS. Duæ dextræ conjunctæ tenent caduceum.

IIIVIR*i Auro Argento Aeri Flando Feriundo*. In area nummuli *Senatus Consulto*.

Pertinet hic nummulus ad Regulum, filium Reguli, qui, quum iniquum de se senatu moto judicium Augusto ostendisset, manente filio aliisque sese minus dignis, fecit, ut denuo delectum senatorum Augustus institueret. Incrementum dignitatis filius triumviratum monetalem habuit. Dextræ junctæ cum caduceo designant felicitatem publicam ex concordia Augusti & senatus.

IV.

REGVLVS. PVLCHER. TAVRVS. Cornucopiæ inter literas *Senatus Consulto*.

IIIVIR*i Auro Argento Aeri Flando Feriundo*. Incudis figura.

Triumvir monetalis hic Livinejus Regulus fuit cum Appio Pulchro & Statilio Tauro. Cornucopiæ omnium rerum significat abundantiam, incudis figura respicit ad dignitatem Reguli; literæ S. C. in hoc & præcedente nummulo docent jus, quod erat penes senatum signandæ monetæ, æreæ non tantum sed & aureæ & argenteæ, uti recte observat Vaillantius, quare literæ A. A. A. F. F. passim in ejusmodi nummis conspiciuntur. Licet enim nomine imperatoris aurea & argentea signaretur moneta, unde varia triumvirorum monetalium Augusti Cæsaris in hisce familiis leguntur nomina, jure tamen suo non renunciasse videtur senatus, licet usum concederet; & hinc puto aliquoties literas S. C. quoque in argenteis inveniri nummis, quod decretum intercesserit Senatus, sive *Senatus Consultum*, ut illos typos Cæsaris monetarii signarent ex peculiari senatus decreto.

V.

Marcus ANTONIVS IIIVIR *Rei Publicæ Constituendæ*. Caput M. Antonii triumviri nudum. Nota aquilæ, quæ retro caput triumviri cernitur, notat denarium hunc quondam exstitisse in thesauro ducum Mantuæ. Solebant enim in ista gaza aurei, ut hic est, aquila argentea inprimi, argentei vero, aurea.

Lucius REGVLVS IIIIVIR A. P. F. Heros seminudus, pelle leonina tectus, sedens, dextra hastam tenet, lævo cubito clypeo incumbit.

Nota res ex Plutarcho est, M. Antonium ab adulatoribus Herculi fuisse adsimilatum, ipsumque illa comparatione gavisum fuisse; tanto magis, quod gens Antonia ad Herculem originem suam referebat; quæ omnia persequitur Plutarchus in vita Antonii p. 917. *Inerat ei in vultu etiam liberalis dignitas, ac barba non indecens, faciesque lata: & nasi aduncitas videbatur masculam oris formam, qualis Herculis pingitur atque fingitur, exprimere. Rumor vero etiam antiquus tenebat, Antonios ab Hercule genus trahere, prognatos ab ejus filio Anteone: quem ille rumo-*

rumorem videbatur & figura corporis & habitu confirmare. Nam quoties in conspectum multitudinis esset proditurus, tunicam ad femur cingulo adstringebat, sago denso velabatur, & magno gladio se accingebat. Hinc recte Anteonem depingi posteriore denarii parte credidit Vaillantius, ut Antoniæ gentis creditum auctorem; prouti ipse Antonius, tanquam Hercules, depingitur cum clava & leonis exuviis in fam. Antonia tab. undecima num. V. Notandum vero est, quod Patinus in Addendis, & Vaill. caput Herculis, leonis pelle tectum, in clypeo, cui Anteonem inniti cernimus, depingant, quod tamen in hoc ducum Mantuæ nummo non invenisse videtur Morellius noster.

Literæ A. P. F. varie suppleri possunt. Duplicem interpretationem protulit Vaillantius, *Argento Publico Feriundo*, vel, *Argento Puro Feriundo*; putat vero significationem priorem esse retinendam, ut videlicet Livinejus dicatur IIII vir argento publico feriundo. Ego potius de auro id intelligi velim, ut *Auro Publico Feriundo* quatuorvir dicatur. Nam sicuti num. III. & IV. in istis literis solitariis A. A. A. F. F. prius A. aurum significat, sic aurum quoque hic per simplex A. innui existimo; tanto magis, quod aurei sint nummi, quibus addita hæc epigraphe legitur, non argentei, talis enim & hic est, & sequens; atque insuper alius in ejusdem M. Antonii gratiam a Clodio signatus, cum hac simili inscriptione *Publius* CLODIVS IIII VIR *Auro Publico Feriundo.* qui denarius aureus editus invenitur a Vaillantio inter Antonianos tab. XII. num. 15. a Morellio autem non est conspectus.

VI.

Marcus LEPIDVS III VIR *Rei Publicæ Constituendæ.* Caput M. Lepidi nudum.

Lucius REGVLVS IIII VIR *Auro Feriundo.* Virgo vestalis, stans, dextra capedunculam tenet, læva hastam puram transversam.

L. Livinejus Regulus hic aut idem est, qui num. II. in Cæsaris honorem sine titulo IIII viri monetalis denarios percussit, aut frater ejusdem; certe idem, qui præcedentem in Antonii honorem signavit; is, ut ibi IIII VIR *Auro Publico Feriundo* dicitur, sic hic IIII VIR *Auro Feriundo*, voce *Publico* omissa. Agnoscitur vero ut qui sub triumviris illud munus obierit, & qui, ut Antonii nobilitatem denario præcedente, sic dignitatem Lepidi hoc expresserit. Pontificatum enim ejus maximum designat imago vestalis, quarum virginum cura cum æde Vestæ ad pontificatum maximum pertinebat, quem vi post Cæsaris cædem rapuerat Lepidus, atque ad mortem usque retinuit.

LOLLIA.

Lollii plebeji fuerunt, ex quibus Lollii Palicani, pater & filius, tribuni plebis fuerunt, atque summo plebis studio contra optimates steterunt.

I.

LIBERTATIS. Caput deæ Libertatis.

PALIKANVS. Vetera rostra, cum adfixis ad columnas navium rostris. Supra rostra mensa cernitur.

M. Lollius Palicanus notus admodum tempore Ciceronis fuit, Picens patria, humili loco natus, eloquentia populari & seditiosa, audacia singulari, ad summos in republica honores adspiravit. Post quæsturam provincialem A. V. C. DCLXXIV. pervenit ad tribunatum plebis A. V. C. DCLXXXII. fuitque tempus ejusdem tribunatus admodum notabile, quod vis tribuniciæ potestatis, illo plurimum adnitente, tum in integrum restituta fuerit. Notat opportune & erudite ad hunc nummum Fulvius Ursinus ex commentario Asconii in Ciceronis Divinationem, primum Sicinium tribunum plebis, nec multo post Quinctium, & postremo Palicanum perfecisse, ut tribuniciam potestatem darent populo consules Cneus Pompejus Magnus & M. Licinius Crassus. Adducit præterea verba ejusdem ex commentario in II. Ciceronis Verrin. *Pompejus autem proconsul de Hispania, Sertorio victo, nuper venerat, & statim habuerat concionem de restituenda tribunicia potestate, Palicano tribuno plebis.* Quibus hæc Velleji Paterculi lib. II. cap. 30. adjungit: *Hoc consulatu Pompejus tribuniciam potestatem restituit, cujus Sulla imaginem sine corpore reliquerat.* Conciones vero a tribunis plebis in rostris habebantur, & hinc rostra in denario signavit Palicanus, qui typus optime restitutæ potestati tribunitiæ conveniebat. Non tamen ab isto Palicano tum tribuno plebis signata hæc moneta est, ut credidit Ursinus (neque enim tribunis plebis monetam signare erat integrum) sed, ut melius vidit Vaillantius, postmodum a filio ejusdem, cum quæsturam gereret. Rostra antiqua fuerunt ante curiam Hostiliam, ita dicta, quod Antiatibus olim victis, incensarum navium rostris ornassent Romani suggestum in foro exstructum. De rostris plura ibidem Ursinus.

Mensam, quæ supra rostra posita cernitur; omnes neglexerunt; neque, qui post reliquos denarium hunc produxit, atque Ursini verbis pro suis usus est, Begerus, quidquam supra hanc mensam monuit. Mensa ipsa ad rostra quidem nihil pertinet, sed ex sculptoris licentia illi superponitur, dum plures simul patris sui dignitates filius Palicanus in uno denario exprimi, pro temporum istorum luxuria, voluit. Mensa & prætorum erat & quæstorum, quæstura itaque hic M. Lollii Palicani patris innuitur, quam (uti notavimus) gessit ante tribunatum plebis A. V. C. DCLXXIV. qui quidem filii cognominis fastus clare adparet; quod etiam patris ædilitatem peculiari typo in sequenti denario celebraverit. Mensa vero illa, quali & prætores & quæstores uti solebant, & hic & infra lit. F. non alia forma depingitur, quam occurrit in fam. Caninia num. II. ubi insuper hasta adponitur, atque videri possunt, quæ super illa notavimus pag. 70. Prætorem quoque fuisse Palicanum, a vero non abhorret, ut qui honorem consulatus ambire ausus fuerit.

Libertatis caput recte in priore parte signatur, quod restitutor libertatis videretur tribunus plebis Palicanus, reddito jure tribunicio plebi Romanæ, quæ isto potissimum tueri se contra optimatum potentiam posse credebat. Eadem de caussa Honoris signatum caput est in sequenti denario, quod honeste vivere sine libertate populus Romanus non posset; qui itaque illi potestatem & vim tribuniciam restituerat, is honorem populo togato maximum conciliasse videri poterat.

II.

II.

HONORIS. Caput Honoris laureatum.
PALIKANVS. Sella curulis inter duas frumenti ſpicas.

M. Lollius Palicanus, qui hæreditario populi favore ad tribunatum plebis pervenit A. V. C. DCXCIII. & ad ædilitatem A. V. C. DCXCV. jam ante in quæſtura ſua A. V. C. DCXCII. hunc & præcedentem denarium in memoriam patris cudit. Ædilitatem vero patris in hoc ſignavit, curamque ejus circa rem frumentariam in iſta dignitate. Ad conſulatum tandem perveniſſet, ſuffragiis populi jam conſul creatus, niſi conſul C. Calpurnius Piſo, qui comitia tenebat, reſtitiſſet, illumque conſulem renunciare noluiſſet, uti ex Val. Maximo lib. III. cap. 3. Urſinus & Vaill. docent.

Honoris caput hic non cum Vaillantio ad Palicanum patrem ſed ad populum Romanum ſpectare exiſtimo, prouti jam ad præcedentem nummum dixi, ſicuti enim ibi Libertas, ita hic Honos populi Romani ſignatur.

III.

Caput Tiberii nudum, ante quod lituus cernitur.
P. S. S. C. *Caio* LOLLI*o Marco* DOM*itio* II VIR*is* ITE*rum*. Statua Romæ galeato capite, habitu ſuccincto, baſi inſiſtentis, dextra haſtam tenentis. Literas P. S. S. C. Vaillantius explicat P*oſuere* S*uffete*S C*arthaginienſes*. Perizonius vero, *Pecunia Signata Senatus Conſulto*.

Vaillantius præſentem hunc nummum inter conſulares non recenſuit, verum illum, qui mox ſequitur lit. B. At vero hunc ipſum recenſuit inter Auguſti nummos, in opere de Coloniis tom. I. p. 72. ibi quoque Carthagini adjudicans, literasque illas ſingulares ſic explens, P*oſuere* S*uffete*S C*arthaginienſes*. At vero circa ipſam nummi delineationem duo ibi notanda veniunt; primo, quod (ut ſæpius minus recte fecit) caput, quod Auguſti eſſe vult, non adpoſuerit Vaillantius; deinde, quod ſtatuam ſtantem crediderit virilem, ut de ipſo Auguſto explicare poſſet, quum revera muliebris ſit, & Romam exhibeat; in his enim ipſius Morellii delineationi multo major fides eſt adhibenda, quam Vaillantio, qui alienis id credere oculis debuit, cujusque paſſim picturæ Morellianis tantum cedere fidelitate & accuratione ſolent, quantum meridiana lux crepuſculo præſtat. Nummus itaque hic ipſe, quem magno ibi ſtudio vindicat Auguſto, Tiberii eſt, & ſtatua illa non Auguſti armati ſed deæ Romæ eſſe deprehenditur. Unde Morellius noſter continere etiam ſeſe non potuit, quin ſcriberet ad Periz. p. 197. „ Ὡς ἐν „ παρόδῳ addo, quartum nummum dictæ modo „ LOLLIAE gentis cum capite Tiberii fuiſſe „ conflatum, quamvis ſumme laudandus Vail- „ lantius in nummis Coloniarum afferat, nul- „ lum eſſe in re antiquaria tam parum verſa- „ tum, qui Auguſti effigiem in hoc nummo non „ agnoſcat. „ Fluctuationem vero Vaillantii notavit Perizon. p. 274. „ Edidit eundem quartum „ gentis *Lolliæ* nummum Vaillantius in Familiis „ quoque Romanis, ſed ibi diſerte caput illud „ controverſum ad Tiberium refert. "

De literis illis ſingularibus ad nummum lit. B. ſignatum acturi ſumus. Hic duumviri iterum Lollius & Domitius vocantur, qui in primo duumviratu collegæ quoque fuerunt, ut ſequentes nummi docent.

Litera A.

Caput idem Tiberii cum lituo.
P. S. S. C. *Caio* LOLLI*o Marco* DOM*itio* II VIR*is*. Statua muliebris velata ſedens, dextra tenens pateram, læva haſtam. In honorem Liviæ ſtatua poſita eſſe videtur.

Nihil hic nummus a ſequenti diſcrepat, niſi quod literæ II VIR. diverſo ponantur loco.

Litera B.

Caput Tiberii idem cum lituo.
Epigraphe & typus ut in præcedenti ſunt nummo, literæ illæ II VIR. alio tantum ordine ponuntur.

Hunc ipſum nummum inter familiæ Lolliæ nummos repoſuit Vaillantius atque explicavit; locum eidem dedit inter Tiberii nummos in libro de Coloniis tom. I. p. 131. ubi jam fluctuans priorem ſententiam de Auguſti capite & ſtatua revocare videtur, atque utriusque nummi faciem (quoniam nulla adeſt inſcriptio) ad Tiberium, ſicuti & ſtatuam ipſam prioris nummi, pertinere poſſe judicat. Ibi vero inſcriptionem averſæ partis ita legit, P*oſuere* S*uffete*S C*arthaginienſes*. *Caius* LOLLI*us Marcus* DOM*itius* II*viri*. additque de illo magiſtratu, quæ merito doctis diſplicere poſſunt. Unde taxavit eundem Perizon. ad Morell. p. 276. „ Vaillantius: (inquit) qui „ in Nummo quarto hujus gentis apud Pati- „ num, at apud ſe ſeptimo & octavo, inſcri- „ ptas hasce literas P. S. S. C. mirifice interpre- „ tatur, hoc modo, *Poſuere Suffetes Carthagi-* „ *nienſium*, & *Suffetes Carthaginienſes* exponit „ identidem per *Senatum Carthaginienſem*, quum „ Suffetes non magis fuerint ſenatus ipſe Car- „ thagini, quam conſules Romæ. Erant enim „ potius magiſtratus civitatis. Unde Feſtus „ comparat eos conſulibus; *Sufes*, ait, *conſul* „ *lingua Pœnorum*, & adfert dein verba ex an- „ tiquo oratore *Calidio*, in quibus diſerte a ſe- „ natu diſtinguuntur Sufetes, ſcil. *Senatus cen-* „ *ſuit referentibus Sufetis*. Nullum præterea in „ his nummis veſtigium Carthaginienſis colo- „ niæ, quam coloniam etiam *Suffetes* habuiſſe „ non credo. Putem itaque literas illas ſic „ potius exponendas, *Pecunia Signata Senatus* „ *Conſulto*, quibus declaratur Senatum Roma- „ num permiſiſſe his II viris pecuniam in ſua „ colonia ſignare. Similis plane eſt tertius gentis „ Egnatiæ nummus, in quo idem caput cum „ lituo exhibetur, & nomina aliorum II viror. „ eædemque literæ, ſed mutato paulum ordine „ S. P. S. C. quas Vallantius ibi exponit *Sum-* „ *ptibus Publicis Senatus Conſulto*. Liquet ſatis, „ easdem eſſe & eodem modo exponendas. " Recte ibi Vaillantium reprehendit Perizonius, cui quoque in illa literarum ſingularium explicatione adſentior. Ipſos vero nummos Uticæ fuiſſe ſignatos exiſtimo, quod ejus urbis & coloniæ nummi paſſim effigiem Liviæ ſedentis exhibeant, uti in nummis coloniarum, Tiberii præſertim, cerni poteſt, uti apud Vaill. de Colon. p. 125. 126. 128. & 129. ubi literæ ſolitariæ D. D. P. P. quas ille explicat *Decuriones Poſuere*, po-

potius significare videntur *Decreto Decurionum Pecunia Percussa.* Ibidem p. 124. Statua Liviæ sedentis est, ut passim, atque hæc epigraphe, M. MVN. IVL. VTICEN. D. D. P. P. quam Vaillantius explicat, *Municipes* MVN*icipii* IVL*ii* VTICEN*sis Decuriones Posuerunt*. ego sic refingo. *Municipum* MVN*icipii* IVL*ii* VTICEN*sis. Decurionum Decreto Pecunia Percussa.*

Hic C. Lollius, qui Tiberii tempore vixit, ex posteris forsan fuit C. Lollii cujus mentio fit apud Ciceronem in Epist. ad Atticum lib. XII. ep. 21. & 24. & 30. ubi de Ovia C. Lollii passim sermo est.

Litera C.

Caput regium inberbe diademate cinctum, in summo vertice aliquid bisulcum eminet, quod in ipso nummulo, an loti flos sit an aliquid aliud incertus sum; sed & hunc & sequentes quatuor ad unum eundemque Lollium pertinere existimo, nam & in sequenti nummo caput Jovis Ammonis rotundum quoque quid in vertice habet, quod ad perseæ fructum spectare videtur. Illud quod minus bene expressum ante guttur cernitur, sceptrum regium, ut in sequentibus, esse existimo.

ΛΟΛΛΙΟΥ. Β. *Lollii, anno secundo.* Caduceus erectus inter papaver & spicas.

Certum esse videtur, hunc & quatuor sequentes nummos æreos, ab uno eodemque Lollio cusos fuisse, qui in Græcis nummis Lollius, in Latinis, addito prænomine, L. Lollius vocatur. Diversos haud fuisse docent eadem ejusdem regis capita, additum sceptrum, & notæ anni numerales. At vero quis hic fuerit Lollius, ubi cusi sint nummi, & ad quem caput, regio diademate cinctum, sit referendum, vix definiri potest. Credidit Morellius caput regium ad Dejotarum, fidelem populi Romani socium, esse referendum, Lollium vero, qui Lucius in his nummis dicitur, eundem esse, qui minus recte M. Lollius ab aliis vocetur, quique, Gallo-Græcia in provinciæ formam redacta, nummos hosce cuderit. Verba ejus hæc sunt, p. 195. „ Venio ad quintum nummum gentis LOLLIAE, credoque, illum cum tertio ejusdem gentis concernere Lollium, qui Gallo-Græciam in provinciæ formam redactam primus tenuit, quem quidem Rufinus M. Lollium nominat, sed in prænomine facile peccare potuit. Hunc nummum etiam vidit excell. Pighius, putavitque, caput in illo expressum esse deæ Basilidis vel Basilissæ Veneris, quia adest sceptrum regium, & sub capitis mento litera B, quam Patinus omisit, quæque forsan denotat, caput esse Βασιλέως vel Βασιλείας, sed hoc incertum est, quia alium perspexi nummulum æreum cum capite diademato, postica inscriptum: ΛΟΛΛΙΟΥ B. sicque B. nomen ipsius Lollii immediate sequitur, exhibetque caduceum cum papavere & spica, quæ in alio nummo Titi Vespasiani occurrunt adjecto monogrammate, literisque nummum ipsum in Galatia cusum fuisse, clare indicantibus. Hæc omnia mihi persuadent, caput quinto nummo gentis LOLLIÆ impressum, esse Dejotari, Galatiæ regis, quod iste apud Romanos magni æstimaretur, &, teste Cicerone, unus haberetur in orbe terrarum fidelissimus imperio, atque amantissimus Romani nominis. Hinc sine dubio memoriam ejus nummis conservarunt, etiamsi cum filio jam mortuus fuisset: nam Amyntas, Dejotari scriba, quem M. Antonius Galatiæ principem constituit, non magnæ authoritatis erat sub Augusto, quapropter illo mortuo regnum filiis ejus non tradidit, sed provinciam P. R. fecit. De litera B. insuper notandum, me illam observasse sub cervo sexti hujus gentis nummi pro IZ, quas Patini nummus exhibet; inde non sine ratione colligere possemus, easdem literas esse numerales propter variationem, etiamsi Pighius literam F. observasse putaverit, indeque conjecerit, in hoc nummo repræsentari Fascellinam: quod Aricinæ Dianæ cognomen fuit ad lucum Nemorensem. In aversa quinti nummi sub sella curuli etiam litera Γ conspicitur, quæ an Galatiam ipsam vel Γερασίων indicet, id peritiores me edoceant." Non potuit Perizonio placere hæc interpretatio, unde, ob confusionem prænominum Marci & Lucii, eandem rejicit in responsoriis p. 274. „ At Morellii sententiæ de quinto gentis Lolliæ nummo adversatur valde prænomen. Nec enim Rufinus tantum, sed omnes, Vellejus, Eutropius, Obsequens, Cassiodorus, immo ipsa Tabula Collotiana, & Lapis antiquus apud Gruterum p. 160. quæ nummis opponi facile possunt, *Marcum* appellant illum Lollium, qui tempore Augusti consul fuit, & Galatiam primus pro prætore rexit. Alius ergo quærendus est L. Lollius, ad quem hi nummi pertineant; neque vero ex lacunis & commentis Pighii, ut unice facit suo more Vallantius, ad illustrandos hos nummos L. Lollii, quæsturam, tribunatum pl. & præturam ejus ex Pighio repetens, quum Pighius L. Lollium non noverit, nisi ex solis his ipsis nummis, quæ probatio plane in circulum abit. Sed habemus *L. Lollium* apud Ciceronem Famil. VIII. 8. quem M. Lollii Palikani fratrem fuisse crediderim. Pervenisse hos ad præturam vel ex eo liquet, quod aspiraverit certe M. Palikanus ad consulatum. Vide Valer. Max. III. 8. 3. Sed & Cicero ad Attic. I. 1. *Palikanum* inter suos competitores, verum cum contemptu, nominat. Quia vero, quid illi in provinciis rerum gesserint, & in quibus, incertissimum est, idcirco nihil mirum ignorari capita nummorum, nisi quod in uno manifestum sit caput Jovis Hammonis, quod & in nummo 4. gentis Pinariæ reperitur. Conjectare hinc liceat, præfuisse eum Cyrenaicæ, ut facit Vaillantius." De capite regis silet Perizonius. At Vaillantius ad regem Cyrenes Ptolemæum Physconem refert, & putat eundem Ægypti regno pulsum a fratre Philometore, a quodam Lollio, hoc videlicet Lucio, reductum fuisse, & cum Cyrenes illi regnum cessisset frater, hos ibidem nummos cusos fuisse. Quæ quidem conjectura speciem veri habere videtur; ad regnum enim Cyrenaicum caput Jovis Ammonis in sequenti nummo pertinet, sed caput regium non satis accedere mihi videtur ad faciem regis Ptolemei VII. Euergetis II. qui joculariter Physcon dictus fuit. Nummi Ægyptii regem illum facie obesa & ætate senili exhibent, at hi Lolliani regem ætate non tam provecta exhibent. E fronte faciei ejus, quæ in hoc nummulo occurrit, duo quasi cornua exsurgere videntur; quæ tamen revera cornua non sunt, sed duo folia, quæ nonnun-

nunquam in nummis Ægyptiis sive Cyrenaicis Ptolemæorum, supra frontem Jovis Ammonis pariter observantur; denique litera B. quæ capiti regio atque sceptro interponitur num. 5. urbem Barcen, Cyrenaicæ ditionis, in qua hi nummi cusi sunt, designare videtur. Pighii commentum non moror, is enim tom. II. p. 431. Dianæ Fascellinæ & Veneris Basilissæ numina de his nummis agens, somniavit.

Si ad Ptolemæos (quod vix puto) referendus esset nummus, de Ptolemæo Apione mallem intelligere, & sic pars adversa, quæ caduceum inter spicam & papaver erectum exhibet, designare posset pacem & concordiam cum populo Romano, atque inter fratres Ptolemæos, Ægypti & Cyrenarum regem, ex qua ubertas frugum & rerum omnium abundantia sperandæ erant, quæ duo papaveris & aristæ symbolo significantur. Litera B. significare posset secundo regni anno cusum numisma fuisse. Sed vide mox ad num. VI. veram horum nummorum interpretationem.

IV.

Caput Jovis Ammonis, cum cornu arietino, in vertice ejusdem aliquid rotundum est, quod de perseæ fructu interpretor; ante faciem sceptrum est, regiæ majestatis testimonium.

ΛΟΛΛΙΟΥ *Lollii.* Sella curulis cum imposita corona.

Rotundum illud in capite Jovis Ammonis perseæ fructum esse existimo, sicuti binas illas lineas extuberantis in fronte capitis lit. C. folia perseæ arboris. Hæc enim arbor Isidi sacra fuit, numini Ægyptio, quod ejus folium linguam referat, fructus cor, ut testatur Pignorius in Expositione mensæ Isiacæ pag. 35.

V.

Caput iterum virile & inberbe, diademate revinctum, ante quod litera B. & sceptrum est.

Lucius LOLLIVS. Sella curulis cum inposita corona. Intra pedes ejusdem cernitur litera Γ.

Literam B. juxta caput regis ad urbem refero, in qua cusum numisma est, Barcen videlicet; litera Γ. de tertio Ptolemæi anno explicari poterit, si statuatur ille Lollius cum aliquo Romano præsidio per plures annos Ptolemæo illi adfuisse, quo tutior adversus fratrem, Ægypti regem, esset; nisi ad posteriora (ut puto) tempora pertineant omnes hi nummi.

VI.

Caput Dianæ cum arcu & pharetra.

Lucius LOLLIVS. Cervus stans, intra cujus pedes cernuntur literæ numerales IZ. i. e. anno XVII.

Habeo duos hujus familiæ nummos huic & sequenti simillimos, in quibus alii exprimuntur anni; in altero exstat IB. i. e. anno XII. in altero IΓ. i. e. anno XIII. unde patet repetitum quotannis hunc typum fuisse, & Lollium hunc per septendecim minimum annos, Ptolemæo Apioni in Cyrenaica regione adhæsisse. Quo præsidio tam diuturno tutum sese rebatur Ptolemæus. At Romani, omnium mortalium rapacissimi, conditionem statumque speculabantur regni Cyrenarum, quo potissimum pacto sibi subjicere regnum istud possent, sicuti fecere postea, arrepto hujus ipsius Ptolemæi Apionis testamento. Si itaque hi nummi cusi sunt tempore Apionis, nobiles iidem prudentiæ Romanæ, qui per tot annos ibidem speculatorem L. Lollium habuerunt, sunt testes. Regnavit enim Ptolemeus Apion per viginti annos, ab A. V. C. DCXXXIX. usque ad A. V. C. DCLVII. sive ab anno Lagidarum CCVIII. usque ad CCXXVIII. mortuus enim est coss. C. Cassio & Cneo Domitio, uti testatur Julius Obsequens cap. CIX. *Urbe lustrata, Ptolemæus, rex Ægypti, Cyrenis mortuus,* S. P. Q. *Romanum hæredem reliquit.* Hinc adpareret, per omne fere tempus regni Apionis, adfuisse illi, honoris specie, custodem & speculatorem Romanum L. Lollium. Sed tamen ut aliter sentiam, atque ad tempora Augusti Cæsaris hunc L. Lollium revocem, facit nummus æreus, qui exstat infra in Miscellaneis nummis tab. VI. num. II. cum capite Augusti, & cervo stante, ut in pluribus hujus Lollii nummis observare licet; præterea litera E. sub ventre cervi observatur, designans annum Lollii, quem in provincia ista Africana exegerit. Hinc caput quod in hoc nummo & supra cernitur, Augusti esse existimo, licet rudioris fabricæ. Sceptrum similiter ante capita Cæsarum observatur in nummis regum Sauromatum. Ipsum Lollium provinciam Cyrenaicam obtinuisse reor, cui diutissime præfuisse anni nummis inscripti docent. Propinquum credo exstitisse M. Lollii, consularis notissimi sub Augusto, ad quem scripsit Horatius.

Litera D.

Similis præcedenti, sed intra cervi pedes cernitur litera B. quæ Barcen urbem Cyrenes designare potest, nisi malimus referre ad annos remansionis Lollii in terra Cyrenaica omnes hos numeros, quod eodem redibit.

Dianæ venatricis peculiaris cultus in familia Lollia fuisse videtur, atque ideo toties idem typus in iisdem repetitus fuisse.

L. Lollius in hisce nummis memoratus, diversus est a Lollio Palicano, de quo in denario I. & II. Potuit ex posteris fuisse ejus L. Lollii, cujus Cicero meminit, vel ejus Lollii, qui Sullana proscriptione periit, quique, dum securus & nihil mali metuens, per curiositatem tabulam legit, nomen ibidem suum invenit, & ubi trepidus adoperto capite e foro se subtrahit, occisus est, ut tradit Orosius lib. V. cap. 21. quod contigit A. V. C. DCLXXI. Numeratur inter quæstores A. V. C. DCC. L. Lollius; cujus meminit Cælius ad Cicer. lib. VII. ep. 8. Inter majores quoque Lollii crediderim fuisse L. Lollium, quæstorem prov. A. V. C. DXCIX. tribunum plebis A. V. C. DCIV. prætorem urbanum A. V. C. DCIX. prov. A. V. C. DCX.

Lucii prænomen Lolliis familiare fuisse Inscriptiones docent, & inter illas Patavina Scardeonii, quæ exstat apud Grut. p. DCCCCXLV. n. 4.

Q. LOLLIO L. F. FAB.
PATRONO ET
PLOTIAE VXORI
SECVNDVS ET
HOMVLIVS FECER.
SIBI ET SVIS.

Litera E.

ΓΑΙΟΣ ΚΑΙΣΑΡ. CAIVS CAESAR. Caput Caji Caligulæ laureatum.

ΑΙΖΑΝΙΤΩΝ ΕΠΙ ΛΟΛΛΙΟΥ ΚΛΑΣΣΙΚΟΥ. *Æzanitarum, sub Lollio Classico.* Jupiter stans, cum pallio, dextra tenens aquilam, læva hastam.

Æzanitæ in Phrygia filio honorem exhibent, quem patri ejus & matri quoque exhibuerunt. Citatur enim Vaillantio pag. 10. in Germanico hic nummus. „ ΓΕΡΜΑΝΙΚΟΣ. Caput Germa-„ nici laureatum. ΑΓΡΙΠΠΙΝΑ ΕΠΙ Α. ΓΕΣΣΙΟΥ. „ ΑΙΖΑΝΙΤΩΝ. *Agrippina sub Aulo Gessio. Æza-„ nitarum, Phrygiæ.* Caput Agrippinæ." Edidit vero nummum similem Haymius tom. II. p. 176. num. 11. in quo pro Aulo Gessio Medeus quidam (ΕΠΙ ΜΗΔΗΟΥ) legitur. Jupiter Philalethes passim in horum nummis cernitur, nam & Claudium cum simili typo habeo, & plures profert Morellius inter nummos imperatorios. Lollius Classicus quis fuerit, ignotum mihi est.

Litera F.

LIBERTATS. (sic) Caput Libertatis.
PALIANVS. (sic) pro PALIKANVS. Typus idem, qui in primo denario occurrit.

A falsariis cusus hic denarius fuit priscis temporibus, ideoque a Morellio, ut ejus rei, & perversæ scripturæ exemplum, infimo hoc loco collocatus est.

LVCILIA.

Lucilia gens plebeja fuit, clara propter C. Lucilium, Satyrarum scriptorem, cujus inter antiquos magna fama fuit, nunc tantum fragmenta quædam exstant. Distincta fuit in cognomina Balborum, Bassorum &c. Rufi tantum cognomen in unico ejus gentis denario invenitur.

I.

Argentum PV*blicum.* Caput Romæ galeatum, in corona laurea.
Marcus LVCILI*us* RVF*us.* Victoria celeres agens bigas.

Typus tam simplex non videtur magna Luciliæ gentis decora agnoscere. Vaillantius Pighium secutus adsignat M. Lucilio Rufo, cujus quæstura ponitur ab eodem A. V. C. DCLV. quemque inter tribunos plebis numerat A. V. C. DCLX. Nihil ultra de illo scitur. Ex argento publico signatos hos denarios fuisse inscriptio indicat; laurea Romam victricem & semper triumphalem designat.

LVCRETIA.

Lucretia gens in patricios atque plebejos distincta fuit, atque inde in plurima quoque cognomina. Plebejorum supersunt denarii, sed tantum illorum, qui Triones vocati fuerunt, quod cognomen vitam antiquam & rusticam docet, a siderum enim observatione sumtum est, septem enim stellas, quas ἅμαξαν & βοώτην Græci dixerunt, boves & triones Romani adpellaverunt.

I.

TRIO. Caput Romæ galeatum cum denarii nota.
CN*eus* LVCR*etius.* ROMA. Dioscuri in equis.

Typus hic simplex, & vetustis temporibus Reip. conveniens, accedente ipsa denarii fabrica, ad belli Punici secundi ætatem illum revocare videtur. Consulibus P. Corn. Scipione & Ti. Sempronio, A. V. C. DXXXV. Sempronii consulis quæstorem enumerat Livius L. Lucretium, qui in Ligurum, atque Annibalis potestatem pervenerit, lib. XLI. cap. 59. *Venienti in Ligures Annibali, per insidias intercepti duo quæstores Romani C. Fulvius & L. Lucretius, cum duobus tribunis militum* &c. *traduntur.* Prænomen, quod addit Livius, non finit, ut sit idem Lucretius, cujus hic est denarius, alter enim Lucius alter Cneus dicitur. Neque ex Livio Trionis cognomen agnoscitur, quod per conjecturam (non improbabilem) addidit Pighius tom. II. p. 150. Circa ista vero tempora vixisse Cneum hunc Lucretium & quæstoris urbani munere functum fuisse, mihi persuasum est, ut & primum hunc denarium sequentibus longe esse vetustiorem.

II.

Caput Apollinis radiatum.
Lucius LVCRETI*us* TRIO. Luna crescens, cum septem stellis. Septem Triones in hoc denario ratione cognominis hujus Lucretii exprimi, omnes consentiunt. Typus iisdem stellis conveniens est sol & luna, clarissima diei & noctis sidera. Trionis cognomen apud Tacitum & in lapidibus antiquis gesserunt quoque Fulcinii & Licinii, sed ante illos (ut videtur) Lucretii.

Lucium Lucretium Trionem, cujus hic cum sequentibus est denarius: tempore belli Punici secundi vixisse existimat Vaillantius, patrem enim facit Caji Lucretii, qui, ut Lucii quoque filius, inter tribunos plebis recensetur a Pighio ad A. V. C. DLXXIV. Statuit itaque Vaillantius idem, cusos hosce denarios fuisse ab illo, quæstore provinciali, A. V. C. DLXVII. atque, juxta Livium, duumvirum navalem cum T. Matieno fuisse A. V. C. DLXXII. Ubi tamen perperam Titus dicitur Matienus, cui Cajo prænomen fuit, sicuti & collegæ Lucretio. Liv. lib. XL. cap. 26. *Duumviri navales creati, C. Matienus & C. Lucretius, navesque iis ornatæ sunt.* Corruptos ibi in prænomine Lucretii, Livii codices esse existimat Vaillantius, & literam secundam in voce Cneus excidisse, atque scribi debere *Cn. Lucretius.* Ego Livio suam lectionem constare puto, & Cajum illum Lucretium Livii ad hos denarios non pertinere, neque Lucium hunc Lucretium patrem fuisse Cnei Lucretii, qui primum cudit denarium cum Dioscurorum typo, sed longe post vixisse, videlicet temporibus Julii Cæsaris, ut recte ex quarto ejusdem denario colligit Fulvius Ursinus.

III.

In omnibus præcedenti similis est, nisi quod restitutio Trajani imperatoris nummum ipsum rariorem faciat, cum hac solita ejus beneficii epigraphe. IMP*erator* CAES*ar* TRAIAN*us* AV*Gustus* GER*manicus* DAC*icus* P*ater* P*atriæ* REST*ituit.*

IV.

& Lit. A. *& seqq.*

Caput Neptuni laureatum cum tridente, retro illud notæ numerales sunt, in priore XXXI. & LIX. Reliqui numeros habent IIII. V. VIIII. XXXIII. XXXVIII.
Lucius LVCRETI*us* TRIO. Cupido, delphino, quem capistro moderatur, vectus.

Na-

Navalem victoriam A. V. C. DXXXV. ab Æmilio, Siciliæ prætore, ad Lilybæum relatam, hoc typo exprimi credidit Vaillantius, & Cupidinem Romanum, tanquam maris dominum, una cum Neptuno deo, quasi ad terrorem Pœnorum a Lucretio signatum fuisse. Addit insuper, colligi ex notis numeralibus XXXI. posse, totidem triremes hostiles a Romanis in ea victoria navali depressas fuisse.

Conjecturam posteriorem vanam esse, notæ aliæ numerales docent, in reliquis signatæ. Priore multo magis arridet conjectura Fulvii Ursini, qui credidit hosce nummos ejusdem esse ætatis ac nummos Manii Cordii Rufi, qui plane eundem delphino insidentis Cupidinis typum habent, atque omnes illos in gratiam Julii Cæsaris, eodem tempore a Cordio & Lucretio, ut in triumviratu monetali collegis, cusos fuisse. Idem sentiet, qui ipsos denarios, & rationem picturæ inter se conferre dignetur. Cusos autem credo hosce denarios A. V. C. DCCV. vel aliquanto post, victo Pompejo, atque classe LXX. hostilium triremium mira felicitate occupata, tradente ultro viro bellicosissimo, qui illas ducebat, Cassio. Rem gestam narrat Appianus lib. II. Bell. Civ. p. 482. *Tertia vero die profectus est versus Orientem, quo Pompejum fugam intendisse didicerat: eo in itinere ob triremium inopiam modicis navigiis Hellespontum trajicienti, in medio freto Cassius cum parte triremium supervenit ad Pharnacem properans: cumque posset tot triremibus hostem longe navibus imparem opprimere, horrenda Cæsaris felicitate attonitus, ratusque illum contra se navigare, de industria manus supplices e triremi tendens orabat veniam, moxque classem ei dedidit. Tantum poterat Cæsareanæ felicitatis opinio. Nec enim aliam causam facti video: nec puto præsentiorem fortunam unquam illum expertum in rebus dubiis, quam cum Cassius, vir bellicosus, cum LXX. triremibus in imparatum fortuito incidens, ne tentare quidem pugnam ausus est: & tamen hic qui turpi metu obiter se dedidit trajicienti, post in urbe jam rerum potentem occidit: quo magis apparet tunc eum territum cessisse fortunæ extollenti Cæsarem.* Meruisse visa est hæc, vel victoribus insperata felicitas, ut Neptunus, maris dominus, Julio, Veneris nepoti, tanquam Cupidini victori, inserviret.

Litera D.

T*Iberius* CAESAR DIVI AVGVSTI F*ilius* AVGVSTVS. Caput Tiberii laureatum.

Colonia Cæsarea Augusta CLEMENTE ET LVCRETIO IIVIR*is*. Aquila legionaria inter signa militaria.

Typus hujus nummi coloniam Cæsaream Augustam, ex veteranis deductam, respicit; nummum contemplatur Vaillantius libro de Colon. melioris edit. Tom. I. p. 99. Lucretius vero, qui in nummo hoc memoratur, homo obscurus est.

LVRIA.

Luria gens ante tempora Augusti non noscitur, unde patet ignobilem fuisse. Varia ejus cognomina Inscriptiones Antiquæ exhibent, Agrippas nummi sequentes addunt.

I.

CAESAR AVGVSTVS PONT*ifex* MA-X*imus*. Caput Augusti nudum.

Marcus LVRIVS AGRIPPA III VIR *Auro Argento Aeri Flando Feriundo*. & in media nummi area S. C. senatus consulti nota.

Marcum Lurium, Sardiniæ rectorem, ad A. V. C. DCCXV. ex Dionis lib. XLVIII. atque in pugna Actiaca ducem Cæsareanæ classis in dextro cornu, ex Vellejo Paterculo lib. II. cap. 85. agnoscit Fulvius Ursinus, & post illum Vaillantius. Illi vero hunc nummum perperam prior tribuit; nam, ut recte observat alter, primus ad honores gradus triumviratus monetalis erat; itaque non quadrat in illum, qui jam Sardiniæ prætor fuerat. Sed & post Actiacam pugnam cusi hi nummi sunt, nam post Lepidi obitum sunt signati, quo motuo demum pontificis maximi titulum adsumsit Augustus. Hinc probabilis admodum videtur conjectura Vaillantii, M. Lurii istius, Sardiniæ rectoris, cui Agrippæ cognomen fuisse videtur, majorem natu fuisse filium hunc M. Lurium Agrippam, & minorem, illum, qui in secundo nummo sequitur, Publium Lurium Agrippam.

II.

CAESAR AVGVST*us* PONT*ifex* MAX*imus* TRIBVNIC*ia* POT*estate*. Caput Augusti nudum.

Publius LVRIVS AGRIPPA III VIR *Auro Argento Aeri Flando Feriundo*. In area nummi eadem est senatusconsulti nota.

Publius hic frater Marci fuisse videtur, qui non aliunde, nisi ex hisce nummis, noti sunt.

III.

CAESAR AVGVST*us* PONT*ifex* MAX*imus* TRIBVNIC*ia* POT*estate*. Caput Augusti laureatum, lauream capiti adaptat retro stans Victoria, quæ læva manu cornucopiæ tenet.

Publius LVRIVS AGRIPPA III VIR *Auro Argento Aeri Flando Feriundo*. In area nummi eadem est senatusconsulti nota.

Imperio Augusti, quod præcipue victoria Actiaca partum fuerat, omnium rerum copia Roma abundavit, felicissima optimi ejus, quum imperio potitus esset, principis tempore. Hinc ille Victoriæ deæ additur typus. Notat Vaillantius, non tantum hujus typi nummos secundæ magnitudinis (quales & ipse servo) sed & tertiæ (sive, ut alii numerant, primæ) magnitudinis, inveniri, verum illos admodum esse raros, & studiose in Antiquariorum loculis servari. Talis hic est Morellianus.

IV.

CAESAR AVGVST*us* PONT*ifex* MAX*imus* TRIBVNIC*ia* POT*estate*. Caput Augusti nudum.

Publius LVRIVS AGRIPPA III VIR *Auro Argento Aeri Flando Feriundo*. In area nummi eadem est senatusconsulti nota.

Non discrepat a num. II. nisi quod caput Augusti ad aliud latus convertatur.

V.

CAESAR AVGVST*us* PONT*ifex* MAX*imus* TRIBVNIC*ia* POT*estate*. Caput Augusti nudum.

Publius LVRIVS AGRIPPA III VIR *Auro Argento Aeri Flando Feriundo*. In area num-

mi eadem est senatusconsulti nota.

Idem hic est nummus cum num. II. sed notam habet inpressam CAES*ar*, a parte capitis.

VI.

CAESAR AVGVST*us* PONT*ifex* MAX*imus* TRIBVNIC*ia* POT*estate*. Caput Augusti nudum, ut num. IV.

Publius LVRIVS AGRIPPA IIIVIR *Auro Argento Aeri Flando Feriundo*. In area nummi eadem est senatusconsulti nota.

A parte capitis nota hæc inpressa est. TIB*erius* IMP*erator*; ab altera parte IMP*erator* AV-G*ustus*. Omnes hi nummi, & similes, videntur temporibus Tiberii Cæsaris ita signati fuisse, de quibus ad nummos Cæsarum uberius acturi sumus; ipsi quoque magnam horum & variam admodum copiam habemus.

VII.

CAESAR AVGVST*us* TRIBVNIC*ia* POT*estate*. Caput idem quod exstat num. V.

Publius LVRIVS AGRIPPA IIIVIR *Auro Argento Aeri Flando Feriundo*. In area nummi eadem est senatusconsulti nota.

Bis a parte capitis inprimitur, sive duplici (pro monetariorum libidine) nota imprimitur. Notæ illæ sunt TIB*erius* AVG*ustus* & IMP*erator* AVG*ustus*. Ab altera parte nota CAES*ar* observatur.

LVTATIA.

Lutatia gens plebeja quidem fuit, sed multis insignibus viris clara, atque honoribus conspicua; præcipuæ familiæ in hac gente fuerunt Catuli, Cercones, & Scævolæ. In nummis Cercones tantum restant.

I.

CERCO. ROMA. Caput Romæ galeatum, galeam palmæ ramus inter duas stellas exornat.

Quintus LVTATI*us* *Quæstor*. Triremis prætoria, quam in puppi acrostolium, in prora caput Romæ Victricis galeatum, tanquam tutela navis, exornat. Typus hic includitur coronæ querneæ.

Pertinet hic denarius ad Q. Lutatium Cerconem, minorem C. Lutatii Catuli, pontificis maximi, filium, qui, post gestum consulatum, in censura fuit mortuus A. V. C. DXVII. Hi vero denarii cusi sunt in quæstura ejusdem, quæ utrum urbana fuerit, quum cuderentur, an provincialis, inquirendum est. Adscripta vox ROMA Romæ cusos esse docet. Si itaque sequamur Vaillantium, cusos dicemus a Lutatio quæstore provinciali, quum A. V. C. D. cum consulibus Servilio Cæpione & Sempronio Blæso, in Siciliam & Africam proficisceretur. Consules enim illos cum classe CCLX. navium in Africam profectos fuisse docet Eutropius lib. I. Putat itaque Vaillantius a quæstore illo provinciali Romæ fuisse cusos, ad impensas tantæ classis, & coronam querneam, ut felix omen, in nummo depingi, quamvis satis infelix fuerit expeditio, & ex tempestatibus tanta clades illata, ut CL. navibus cum omni præda amissis, decretum Romani fecerint, maris fortunam non amplius tanto adparatu esse tentandam, sed sexaginta tantum naves ad præsidium oræ Italiæ maritimæ esse retinendas.

Verum ego non video caussam, cur statuatur hosce denarios potius in quæstura provinciali quam urbana cudisse Lutatius. Certum enim est fuisse urbanum quæstorem antequam obtineret quæsturam provincialem; & solebat urbana quæstura plerumque unius anni spatio præcedere provincialem. Cui ejus quæsturæ urbanæ favere videtur vox ROMA. neque minor adparatus belli maritimi, feliciorque successus fuit anno ante quæsturam Lutatii provincialem, videlicet A. V. C. CCCCXCIX. coss. Cornelio Scipione Asina & Atilio Calatino, quibus illo anno classis & provincia Sicilia decreta fuit. Tanto tum studio in belli Punici usum fabricata classis fuit, ut trium mensium spatio CCXX. naves exstructæ fuerint atque in mare deductæ; qua diligentia & clades, quas anno ante passi fuerant, reparaverunt, & Panormum in potestatem suam redegerunt; quo etiam anno consules anni præcedentis Fulvius & Æmilius XIII. cal. Febr. triumphos navales de Pœnis egerunt, quamvis sævienti tempestate naufragii damna experti fuissent.

Hinc puto per prætoriam illam navem exprimi navalem illam Romanorum potentiam, & tantam classem tam brevi tempore ornatam; per coronam querneam, victoriam sive illius anni sive prioris, qua servatum quasi Romanum erat imperium, & quam respicit quoque galeæ ornatus in capite ipsius Romæ, a parte nummi priore, ad aurem enim est palmæ ramus, victoriæ signum cum duobus astris, quod in Africano orbe tantas victorias consules Romani retulissent, sic ut ubique fulgerent victricia Romanorum arma. Anno enim CCCCXCVIII. capto a Pœnis Regulo, Fulvius & Æmilius non tantum navali prælio ad promontorium Mercurii Pœnos devicerant, captis XXXV. demersis CXIV. sed duos quoque Annones terrestri prælio vicerant, novem hostium millibus cæsis.

Begerus Tom. II. Thes. Brand. p. 562. juxta mentem Ursini credidit duplicem Lutatiorum victoriam hoc denario exprimi, terrestrem de Faliscis, & navalem de Pœnis. At vero ipsa Ursini verba adponam, ut pateat, utrumque virum doctum falsum fuisse. Ursinus p. 161. & 162. ita loquitur. „ Ad duos Lutatios fratres pertinere amicus meus existimabat, atque in altera ejus parte, Q. LVTATIVM C. F. C. N. CERCONEM, qui Consul de Faliscceis triumphavit, anno DXII. descriptum esse: in altera ejus fratrem C. LVTATIVM C. F. C. N. CATVLVM, qui eodem anno, Pro-Cos. de Pœnis & Sicilia navalem egit, indicari: *Hos* (addit Patinus) *commemorant Marmora Capitolina*, Livius facit mentionem C. LVTATII CERCONIS, qui anno DLXXX. L. Posthumio Albino, M. Popilio Lænate Coss. Legatus Alexandriam ad Ptolemæum renovandæ amicitiæ caussa missus est. A quo denarium hunc cusum fuisse suspicari possumus, ut Cai navalem de Pœnis, & Quinti avi fortasse sui, terrestrem de Faliscceis victoriam celebraret. " Sed quomodo Cajus Lutatius Cerco percutere nummum potuerit, qui Quinti inscriptum nomen habeat, non video; quæ Ursini sententia tamen est; nam de eo qui cuderit, securus est Begerus; de Faliscis vero triumphavit Q. Lutatius Cerco longe post quæsturam suam, quæ

quæ tamen dignitas in his denariis omnibus illi adsignatur.

II.

Similis omnino est præcedenti, sed Cerconis cognomen in hoc denario abest, pro more illo, quo addere vel demere pro lubitu cognomina solebant.

III.

AVGVSTVS DIVI *F*ilius. Caput Augusti laureatum.

CAESAR*ea* AVGVSTA *Q*uinto LVTA-T*io* M*arco* FAB*Io* II VIR*is*. Colonus agens boves.

Nummus ad coloniam Romanam in Hispania pertinet. Lutatius ille, Cæsareæ Augustæ duumvir, quis fuerit, quodve habuerit cognomen, ignoratur.

MAECIA.

Gens Mæcia, nunc primum in nummis prodit, nota Ciceronis tempore, clarior sub imperatoribus.

I.

ΑΥΤΟΚΡ*άτωρ* ΚΑΙΣΑΡ ΣΕΒΑΣΤΟΣ ΟΥΕΣΠΑΣΙΑΝΟΣ. *Imperator Cæsar Augustus Vespasianus.* Caput Vespasiani laureatum.

ΒΙΘΥΝΙΑ. ΕΠΙ Μ*άρκου* ΜΑΙΚΙΟΥ ΡΟΥΦΟΥ ΑΝΘΥΠΑΤΟΥ. *Bithynia, sub Marco Mæcio Rufo proconsule.* Figura muliebris stans, dextra tenens aratrum, læva temonem.

In Mæciam gentem horum nummorum occasione inquirens Morellius, Perizonium suum consuluit, atque responsum, quo eadem gens Mæcia, quæ *Mettia* sæpe perperam in editis libris scribitur, haud parum illustratur. Verba Morellii ex Quæsitis ejusdem ad Periz. p. 198. hæc sunt. „ Forte unum ac alterum moveri posset „ dubium de expositione trium ultimorum num- „ morum gentis MAECILIAE, & an Ursi- „ nus ac Patinus recte huic familiæ illos tri- „ buerint: qua occasione referam nummum „ Vespasiani, mihi visum apud abbatem Biso- „ tium, meliori, quam expertus est, fortuna „ dignum, qui inscriptus erat: ΕΠΙ Μ. ΜΑΙΚΙΟΥ „ ΡΟΥΦΟΥ ΑΝΘΥΠΑΤΟΥ, exhibetque figuram „ stantem, aratrum & temonem tenentem, cum „ literis ΒΙΘΥΝΙΑ. Sed cum de hujus nummi „ fide indubia per omnia mihi non satis con- „ stet, præsentem ejus possessorem (quem cre- „ do esse virum summum, Nicolaum Josephum „ Foucault, Galliarum regi a consiliis, & „ Neustriæ Præfectum, quique ditissimo suo „ nummorum thesauro peritissimum Gallandum „ præfecit) hisce obsecro, velit me de illa in- „ formare, atque quam proxime: hujus num- „ mi tamen vera lectio confirmatur alio num- „ mo Domitiani adhuc Cæsaris in Thesauro „ Regio Versaliæ, in quo circa clypeum ea- „ dem inscriptio M. Mæcii Rufi proconsulis „ legitur, & non ΕΠΙ Μ. ΜΑΡΙΟΥ ΡΟΥΦΟΥ ΑΝ- „ ΘΥΠΑΤΟΥ, prout descripsit & edidit Cl. Vail- „ lant. De Mæcia gente nihil reperi, quia „ autem Romæ tribus MAECIA erat, quare „ non & gens hoc nomine appellata. Metii au- „ tem plurimi fuerunt, & Mæcii aliquot nomi- „ nantur in inscriptionibus Gruteri. " Respondit Perizonius in hunc modum p. 277. „ *Mæcia* gens, quam quæris, exstitit jam tempori- „ bus Ciceronis, qui Famil. ep. VII. 1. *Mæcium* nominat carminum & fabularum censo- „ rem, quem Horatius in arte Poëtica ideo „ *Mæcium judicem* vocat. Sed maxime celebris „ illa fuit sub Imperatoribus; hinc *Mæcianus* „ JCtus satis tunc illustris, & alius Avidii Cassii „ filius. Sed & pater Gordiani fuit *Mæcius* „ *Marullus*, & hinc ejus filia *Mæcia Faustina*. „ Male enim Tristanus in Gord. p. 465. repre- „ hendit Casaubonum & Salmasium ita legen- „ tes, præferens ipse *Mettium*, tantum, quia „ hoc nomen sit celebrius. At vero hæc ipsa „ est caussa, quare *Mæcii* nomen toties a Li- „ brariis corruptum fuerit in *Mettius*, quia hoc „ illis erat notius. Evidens ejus rei documen- „ tum nobis præbent nummi Imperatorum Vespa- „ siani & Domitiani abs te allati, & M. *Mæcium Rufum Procos.* memorantes. Conferen- „ di enim illi sunt cum Suetonio in Domit. cap. „ 4. ubi ille dicitur *Ordinatione proxima Ægypto præfecisse Metium Rufum.* Sed legendum „ istic *Mæcium Rufum* ex istis tuis nummis vi- „ detur certissimum. Et cap. 20. *Vellem tam* „ *formosus esse, quam sibi Metius videtur*, ubi „ etiam Codex optimus diserte scribit *Mæcius*. „ Cæterum ad hanc gentem minime retulerim „ nummos ad *Mæciliam* ab Ursino relatos, quia „ in libera Rep. cujus temporis illi sunt, illu- „ stres *Mæciorum* habemus nullos. At exstite- „ runt tum gentes *Mælia*, *Mænia* & *Mævia*, „ ex quibus *Mæniam* hic prætulerim. Sed num- „ mi 2. & 4. conveniunt cum iis, quos sub „ *Maianiæ* gentis nomine exhibet Ursinus. " Non errabimus forsan, si proconsulem Bithyniæ, qui in hoc & sequentibus nummis memoratur, dicamus fuisse eundem, quem Domitianus a Suetonio in Vita ejus cap. IV. præfecisse Ægypto dicitur. Sed Mæcius ille, qui perperam item *Metius* scribitur ibid. cap. XX. atque tam formosus sibi videbatur, Pomposianus fuit; homo vanus, quem ut irrideret, consulem fecerat Vespasianus, ut est apud Sueton. in Vita ejus XIV. quemque occidit Domitianus, *quod habere imperatoriam genesim vulgo ferebatur, & quod depictum orbem terræ in membrana, concionesque regum ac ducum ex Tito Livio circumferret: quodque servis nomina Magonis & Annibalis indidisset.*

Nummus ipse falsitatis expers esse videtur, similem fere typo gentis alterius vulgavit Haimius Tom. II. p. 195. num. 1. a Bithynis quoque in Vespasiani honorem cusum, sub quodam L. Antonio Nasone. Exhibetur in illo figura eadem muliebris, læva manu temonem tenens, sed dextra vestem sublevans. Aratrum, quod in Morelliano eadem tenet dextra manu, ubertatem agri indicat, unde & quinque illæ spicæ in sequenti nummo adparent; portuum commoditatem & rei navalis usum docet temo navis.

II.

. . . . Epigraphe, quæ deleta est, similis præcedenti fuisse videtur. Caput Vespasiani laureatum.

ΕΠΙ Μ*άρκου* ΜΑΙΚΙΟΥ ΡΟΥΦΟΥ ΑΝΘΥΠΑΤΟΥ. *Sub Marco Mæcio Rufo proconsule.* Quinque spicæ colligatæ.

Quamvis provinciæ nomen non addatur, nomen tamen proconsulis docet in Bithynia cusum nummum fuisse.

III.

ΔΟΜΙΤΙΑΝΟΣ ΚΑΙΣΑΡ ΣΕΒΑ*στου* ΥΙΟΣ. *Domitianus Cæsar Augusti filius.* Domitiani Cæsaris laureatum caput.

ΕΠΙ

ΕΠΙ ΜΑΙΚΙΟΥ ΡΟΥΦΟΥ ΑΝΘΥΠΑΤΟΥ. Clypeus cum ſagitta.

Hic typus nihil ad Bithyniam facit, ſed Bithyniæ præſes M. Mæcius Rufus eo typo Veſpaſiani filio Domitiano, ut principi juventutis, adulatus eſt. Dignitatis enim illius hoc videtur eſſe ſymbolum.

MAECILIA.

Gens Mæcilia, quaſi diminutivo nomine a Mæcia ſic dicta, plebeja, nec factis clara fuit. Invenitur tamen & Reip. & Imperatorum temporibus: ſub quibus Tulli cognomen habuit.

I.

CAESAR AVGVST*us* PONT*ifex* MAX*imus* TRIBVNIC*ia* POT*eſtate.* Caput Cæſaris Auguſti nudum.

M*arcus* MAECILIVS TVLLVS III VIR *Auro Argento Aeri Flando Feriundo.* In media nummi area ſenatusconſulti ſolita nota eſt.

Fuiſſe hunc M. Mæcilium Tullum unum ex triumviris monetalibus, qui ſenatus nomine æream monetam cudebant, hi nummi docent. Sine iisdem ignotus eſſet.

Litera A.

Nulla re differt a præcedenti nummo, ſi excipias, quod caput convertitur in aliud latus, atque in dicto nummo.

Litera B.

CAESAR AVGVST*us* PONT*ifex* MAX*imus* TRIBVNIC*ia* POT*eſtate.* Caput Cæſaris Auguſti laureatum, lauream Victoria, quæ retro adſtat, atque læva cornucopiam tenet, dextra inponit. Sub collo globus terrarum eſt.

M*arcus* MAECILIVS TVLLVS III VIR *Auro Argento Aeri Flando Feriundo.* In media nummi area nota eſt ſenatusconſulti ſolita.

Globus terræ imperium orbis deſignat, Victoria lauream inponens & cornucopiæ tenens, felix Auguſti imperium, ſub quo ſemper victore omnibus rebus abundabat Romanum Imperium.

Litera C.

Plane ſimilis præcedenti, in eo tantum diſcrepat, quod globum terrarum, pro lubitu ſuo, non adpoſuerit monetæ præfectus.

Hunc & præcedentem nummum magnitudo rarum facit; norunt enim antiquarii raros eſſe Auguſti nummos primi moduli, & præſertim cuſos a triumviris monetalibus, nomine ſuo adpoſito, & facie ipſius Auguſti; quum tamen immenſus ſit numerus nummorum ejusmodi ſecundæ magnitudinis.

MAENIA.

Mæniæ, ſive Mainiæ gentis nummos, Mæciliæ gentis tabellæ adſcripſerunt Urſinus & Patinus, quos ſecutus Morellius, poſuerat eos in eadem quoque tabula (cujus inferiorem partem occupabant) in qua Mæcilianos poſuerat. Vaillantius ad peculiarem gentem Mæniam vel Mainiam retraxit. Fuit gens plebeja, quod patet ex duobus P. Mæniis tribunis plebis.

Litera B.

Caput Romæ galeatum cum denarii nota.

P*ublius* MAE*nius* ANT*iaticus*, ut putat Vaillantius, ut ego credo, ANT*onius*, vel AVT*ronius*, ut ſit alterius viri nomen, non P. Mænii cognomen. Infra ſcribitur ROMA. Victoria in citis quadrigis, læva habenas, dextra corollam tenens.

Vaillantius hunc denarium refert ad P. Mænium, quem filium exiſtimat fuiſſe M. Mænii, tribuni plebis A. V. C. DXXXVI. de quo litem ipſi movere nolo. Eundem putat pronepotem fuiſſe C. Mænii, qui de Antiatibus triumphavit. Hujus triumphi gloriam Victoriæ in quadrigis typo renovari exiſtimat; quod etiam concedere poſſum: ſed quod Antiatici cognomen inde familia ejus & hic P. Mænius geſſerit, ex nummo elici nequit, & adparet deluſum fuiſſe antiquarium ſolertiſſimum falſa lectione nummi ultimi, ſive quarti; in quo M. F. legit pro ME. neque animadvertit non unius ibi Publii Mænii nomen, ſed trium virorum nomina legi, qui ſimul triumviri monetales fuerunt, ut ad illum nummum viſuri ſumus.

Litera D.

LAECA. Caput Romæ galeatum, cum denarii nota.

P*ublius* MAE*nius.* ANT*onius* vel AVT*ronius* Subtus legitur ROMA. Typus idem Victoriæ in quadrigis.

Credi poſſet hic P. Mænius una cum Autronio vel Antonio quodam collegam in magiſtratu iſto minore habuiſſe Porcium Læcam, cujus cognomen in priore denarii parte exprimitur. Sed ab hac opinione nos retrahit num. IV. depictus nummus, in quo tres illi collegæ ſuis nominibus exprimuntur.

Unde igitur LAECA in anteriore hujus denarii parte? Reſpondeo, non aliunde, quam ex errore monetariorum, cujus exempla produci plurima poſſunt, atque vidimus ad gentis Corneliæ nummos Tab. IV. lit. A. p. 122. Ex illo tamen errore via nobis monſtratur, qua quæramus ætatem horum triumvirorum monetalium, referendam ſcilicet ad illa tempora, quibus M. Porcius Læca vixit, ille ipſe, qui denarium illum percuſſit, qui exſtat in Fam. Porcia num. III. pars enim anterior ejus denarii eadem plane, quæ hujus anterioris partis typus eſt; matricibus errore monetariorum permutatis, quum Romæ caput, nullo adſcripto nomine, debuiſſet adhiberi.

III.

Caput Romæ galeatum, cum denarii nota.

P*ublius* MAE*nius.* Subtus ROMA eſt. Dioſcuri in equis.

Simplicitas typi aliquanto antiquiorem prioribus ſuadere videtur hunc eſſe denarium; in illis etiam, ut & ſequenti æreo nummo, collega Antonius P. Mænio datur, qui in hoc plane abeſt. Tres vero Publii Mænii in hiſtoria Romana occurrunt, omnes tribunatum plebis adepti. Primus

mus P. Mænius A. V. C. CCLXII. alter A. V. C. CCCLIII. tertius A. V. C. CCCCLXVI. quem filium C. nepotem facit Pighius. Ad nullum ex his pertinere poteſt, quod eo tempore nondum uſi fuerint Romani argento ſignato. Ad patrem itaque iſtius P. Mænii, qui reliquos percuſſit, vel ad patruum ſpectare poteſt; quin & ad ipſum illum. Vulgaris enim typus Dioſcurorum fuit, & triumviri monetales, modo nomina collegarum adponere, modo omittere ſolebant.

IV.

Caput Herculis inberbis, leonina pelle tectum.

Publius MAEN*ius*, ANT*onius*, MET*ellus*. Prora navis in imo ROMA.

Ex nova hac quadrantis hujus lectione colligo, Mænium, Antonium, & Metellum collegas in triumviratu monetali fuiſſe. Quadrans hic, teſte Vaillantio, non eſt trium unciarum pondere, ſed quarta pars aſſis, tunc temporis, videlicet bello Punico ſecundo, uncialis facti. Ergo triumviri hi monetales ante tempora belli Punici ſecundi non ſunt quærendi. Porcius Læca, cujus denarii priore parte abuſi ſunt in denario hujus gentis Morelliano lit. D. quæſtor provincialis fuit A. V. C. DXLIX. tribuuus plebis A. V. C. DLIV. Quod iterum docet, ante illos annos Mænii hosce denarios nummosque cuſos non eſſe.

Hæc ſunt, quæ de tempore, quo cuſi hi nummi ſunt, dici poſſunt. Inquirere vero, quinam fuerint illi Antonius & Metellus, qui una cum P. Mænio hunc triumviratum monetalem, primum honorum horum habuerunt gradum, difficile admodum foret & temerarium; quoniam in plures familias & cognomina diviſæ hæ gentes fuerunt; & de Publio illo Mænio, qui circa illa tempora exſtiterit, nulla niſi ex denariis & nummis hisce nobis ſit notitia. Metellus vero per ME. hic ſcribitur, ut in aſſe antiquiore in Fam. Cæcilia Tab. I. lit. A.

MAIANIA.

Gens Majania apud antiquos ſcriptores non legitur. Fulvius Urſinus, hos nummos nactus, genti tamen, cui Majaniæ nomen fuerit, illos adjudicavit. Morellius Urſinum ſecutus eſt. Vaillantius ſub gente Mænia eosdem recenſuit, expuncta gente Majania. Perizonius, longius diſcedens, ad Minatiam gentem pertinere exiſtimavit. Nos credimus ad Mænios quidem pertinere, ſed talem ex Mænia gente, qui in adoptionem ſeſe alicui ex alia gente tradiderit, unde jam non amplius Mænius, ſed, producto pro more nomine ſuo, Mænianus dicebatur.

I.

Caput Romæ galeatum cum denarii nota.

Cai MAINIA*ni*. vel *Caius* MAINIA*nus*. ROMA. Victoria in citis bigis.

Nomen MAENIA*ni* ita ſcribitur, ut literæ M. & A. inter ſe ſint connexæ, atque ſimiliter N. & A. connectantur, quod tritum in nummis eſt. Urſinus, ut diximus, legit, quaſi ſcriptum foret *Caius* MAIA*nius*, illumque ſequi videtur Morellius. Vaillantius, Mæniæ genti inſerens nummum hunc & ſequentem, refert ad Cajum Mainium, ſive Mænium, Caji filium, & Cnei, qui de Antiatibus triumphavit A. V. C. CCCCXV. nepotem. Cadit utriusque opinio, quoniam literæ connexæ, uti diximus, Mainianum, non Majanium vel Mainium deſignare videntur. Perizonius, qui Majaniam gentem, antiquis illis temporibus abdicavit, Minatiam gentem videre ſibi viſus eſt, unde ſic ſcriptum reliquit in libello de Nummis Conſular p. 279.
„ Verum *Majania* Gens nulla in Hiſtoriis Antiquis. In inſcriptionibus Lapidum incerti „ & ſeri temporis multa occurrunt nomina, „ quæ neutiquam, ut jam dixi, referenda ad „ antiquas familias Romanorum. Lapides enim „ illi plerique extra Romam, immo & extra „ Italiam, reperiuntur poſiti. Homines ergo, „ qui iſtic memorantur, in municipiis fere vel „ coloniis habitabant, & erant orti vel ex „ provincialibus civitate Romana donatis, vel ex „ militibus veteranis, qui ex variis Italiæ oppidis, aut ex ipſis provinciis, originem trahebant, „ & qui maxime in tales colonias ſub Cæſaribus mittebantur. Ineptum ergo eſt, ex talibus Lapidibus velle explicare nummos, & „ conſtituere Familias, earumque cognomina, „ quæ tempore Reip. immo & ſub primis plane Cæſaribus exſtiterunt, niſi quando iſtic „ conſules Romani, aut alii diſerte ipſius Urbis „ cives, præſertim honoribus inſignes, memorantur, qui tamen & ipſi tunc novarum plerique erant Familiarum homines, & aliunde „ in Urbem delatarum. Rectius igitur Vallantius hos nummos refert ad gentem *Mæniam*, „ ſive *Mainiam*, ut olim ſcriptum fuit hoc nomen. Sed inſcriptio nummorum, prout & „ ipſe eam nobis exhibet, non videtur in hanc „ gentem ſatis convenire. Nam apud eum reperio „ C. MINATI. & P. ME ANT. MF. Videntur „ nummi eſſe obſcuriores, ut adeo facile credam in his literis latere nomen *Minatiæ* „ gentis, quæ ex ipſis nummis clarius expreſſis „ ſatis eſt nota, & ad tempus Pompeji Magni „ refertur, immo ex antiquis Samnitibus videtur orta. Vide Livium X. 20. Neque turbare nos debet illud ME, ſi modo vere ita „ eſt in nummo excuſum, quum & in gente Domitia nummos habeamus DOME pro *Domi* „ inſcriptos. " Feſtinanti oculo virum doctiſſimum tabellam Vaillantii percurriſſe patet, neque enim animadvertit lineolam, quæ transverſa in litera M. poſterius ejusdem crus cum ſecunda ex mediis lineis obliquis connectit, adeoque & literam M. & ſimul A. efficit, unde MAI. & non MI. naſcitur; & ſic apud Urſinum, & in ipſis denariis, qui penes me ſunt, itidem ſe res habet. Literas ibidem reliquas, quæ obſcuriores eidem videbantur, de Mænio, Antonio, & Metello, triumviris monetalibus, ſupra jam explicavimus, ut de MENAT*ia*, quaſi DOME*tia*, cogitare non opus ſit. Cajum Mainianum hunc eundem eſſe credo, qui ſequentem aſſem cudit.

II.

Caput Jani bifrontis barbatum & laureatum, cum remo inter tempora.

Caius MAINIAN*us*. ROMA. Prora navis, ante quod ſignum aſſis eſt.

Forma nummi tempus, quo cuſus eſt, aperit, videlicet bello Punico primo, quo as ad ſextantarium reductus fuit, ita ut duas uncias penderet. Non potuit ſignari à C. Mainio ſive Mænio, tribuno plebis A. V. C. CCCCXCVI. ut vult Vaillantius, quæſturæ ſuæ tempore; a Mæniano enim cuſus eſt, id eſt, a Mænio quodam, qui ſe adoptandum homini ex alia familia dederat.

Sed quum nomen, quod per adoptionem illam gesserit, non exprimatur, fatemur C. Mænianum illum nobis ignotum esse, & tantum patere, tempore belli Punici primi vixisse.

MAMILIA.

Mamilia gens vetustissima fuit, Tibure oriunda, quæ genus suum ad Ulyssem referebat, per Telegonum Ulyssis & Circes filium, Tiburis in Italia conditorem. Plebeja fuit, quamvis multis in Rep. honoribus functa; divisa in Limetanos, Turinos, & Vitulos; in nummis priores tantum inveniuntur, sic dicti a Mamilio, tribuno plebis, non militum, ut perperam editur apud Vaill. p. 84. qui A. V. C. DLXXXVIII. celeberrimam legem de limitibus tulit.

I.

Caput Mercurii cum petaso & caduceo. Retro illud litera I. est, pro qua in aliis A. L. M. V. & aliæ literæ alphabeticæ inveniuntur.

Caius MAMIL*ius* LIMETAN*us*. Ulysses redux & a cane agnitus.

Nobilem horum denariorum typum, præter Ursinum & Vaillantium, explicavit quoque Pighius Tom. II. p. 490. ubi & pilei, quo tegitur Ulysses, rationem reddit. Enumerat idem Pighius ex monumentis antiquis tres Cajos Mamilios Limetanos, patrem, filium & nepotem. Primus eorum fuit C. Mamilius Limetanus avus, qui primus Limetanus dictus fuit. Secundus C. Mamilius Limetanus C. F. quæstor provincialis A. V. C. DCXIV. Præturam idem gessit A. V. C. DCXXV. Tertius C. Mamilius Limetanus C. F. quæstor provincialis factus A. V. C. DCXXXVIII. qui nepos fuit ejus Mamilii, qui primus Limetanus dictus fuit, quique plurimum propter eloquentiam atque justitiam a Sallustio laudatur, sic ut unam quoque ejus nomine ex multis rogationem perscripserit, quam tribunus plebis habuit in concione post reditum L. Bestiæ consulis ex Africa. Invenitur illa in Bello Jugurth. cap. 40. Fuit idem postea, ut pater & avus, tribunus itidem plebis, atque ad præturam & alios honores pervenit.

Signatos denarios existimat Vaillantius a Mamilio secundo, in quæstura provinciali A. V. C. DCXIV. Sed & potuerunt cudi a tertio C. Mamilio Limetano, sive nepote, in quæstura sua provinciali A. V. C. DCXXXVIII. qui in omnibus quidem hisce denariis nobilitatem generis, ab Ulysse per Mamilium deductam ostendat, sed præturam insuper patris sui in uno ex sequentibus.

II.

Caput idem Mercurii cum petaso & caduceo, sed adest litera alphabetica E. pro qua I. est in nummo, quem depingit Harduinus ad Plinium Tom, I. p. 700.

Inscriptio & typus similis est præcedenti, sed adscribitur insuper beneficium imperatoris Trajani, IMP*erator* CAES*ar* TRAIAN*us* AVG*ustus* GER*manicus* DAC*icus* P*ater* P*atriæ* REST*ituit*.

Harduini verba loco citato hæc sunt. „ Ulyssem pileatum, effigiemque canis a quo agnoscitur, nummus argenteus exhibere creditur Mamiliæ gentis in Museo nostro, qualem Patinus sculpsit p. 163. Sed magno errore. Nihil aliud ea effigie significatur, quam C. Mamilii Limetani imperatoris providentia & cura factum esse, ut tuta ab hostium vel latronum incursionibus itinera haberent mercatores. Nam & hi cum se dant viæ, canem habent comitem. Eam ob rem & Trajanus imperator Mamilium restituisse dicitur in nummo argenteo, ibidem: quoniam simili beneficio Rempublicam affecisset. In aversa nummi parte Mercurius pingitur, qui præest mercaturæ; cum caduceo, pacis symbolo. " Evertamus, si sic agi placet, omnem antiquitatem, & nihil nisi nugas meditemur. Trajanus, in restituendo præclaro hoc denario, noluit intercidere vetustatem gentis Mamiliæ, & memoriam Tusculani dictatoris Mamilii, atque propaginem Ithacensis Ulyssis, in Italia quoque apud Romanos claram.

Litera A.

Senatus Consulto. Caput Dianæ cum arcu & pharetra.

Caius MAMIL*ius* LIMETAN*us*. Ulysses a cane agnitus.

Cajus Mamilius Limetanus C. F. prætor urbanus fuit A. V. C. DCXXV. quo anno signatum ejus jussu, atque senatusconsulto ex more, ad indicandos ludos Apollinares hunc denarium fuisse judicat Vaillantius. Filius ejusdem C. N. prætor urbanus exstitit A. V. C. DCXLIX. isque mihi videtur in hoc nummo præturam patris commendasse, & hos signasse nummos.

III.

& Lit. A. B. *&c. seqq.*

Lucius CENSORIN*us*. Caput Junonis Monetæ velatum.

Caius LIMETA*nus* *Publius* CREPVSI*us*. Eadem dea in citis bigis, utraque manu equorum habenas tenens. Adscribitur numerus XVII. in reliquis sunt numeri IIII. XVIII. XXVIIII. XXX. XXXVII. XXXXII. XXXXIIII. LXXXVIIII. CXXIIII. CXXXII.

Nomina tria, quæ in hisce denariis occurrunt, triumvirorum sunt monetalium, unde Junonis Monetæ caput & bigæ in iisdem adparent.

Cajus Mamilius Limetanus nepos, quæstor provincialis fuit A. V. C. DCXXXVIII. quem annum præcedere debuit ejusdem triumviratus monetalis, si ad illum denarii hi (ut Vaillantio non sine ratione videtur) referendi sint. Crepusius collega minus notus est. L. Marcius C. F. C. N. Censorinus consul fuisse legitur A. V. C. DCIV. alter L. Marcius Censorinus L. F. C. N. consul fuisse legitur A. V. C. DCCXIV. Cum posteriori horum magistratum hunc minorem inire non potuit Limetanus toto fere sæculo prior, neque cum priore, qui consul fuit eo anno, quo magistratum illum minorem nondum adeptus fuisse videtur Limetanus. Videtur itaque (ut judicat Vaillantius) Limetano collega fuisse Lucius ille Censorinus, qui consulari posteriori pater fuit, & (ut videtur) filius fratris consularis viri prioris.

MAN-

MANLIA.

Manlia gens, nobilissima & patricia, in plures familias & cognomina distincta fuit. In nummis Torquati supersunt.

I.

SER*ranus* ROMA. Caput Romæ, galea victrici ornatum.

Aulus MANLI*us* *Quinti Filius*. Apollo in quadrigis, equis adversa fronte junctis; hinc & inde sunt sidera solis & lunæ, atque duæ stellæ, quæ phosphorum atque hesperum indicare videntur.

Aulum Manlium hunc, SER*ranum* inscribo, meliori forsan jure quam Ursinus & Vaillantius, qui SER*ratum* putant esse dictum, quasi qui primus denarios serratos cuderit. Quintus Manlius Thurinus, solus cum prænomine Quinti inter Manlios agnoscitur. Iste Quintus Manlius Thurinus, ad Manlios plebejos pertinuit, & ædilis plebis fuisse legitur A. V. C. DXLVI. & prætor provincialis anno sequente. Hujus Q. Manlii Thurini filium hunc Aulum faciunt Ursinus & Vaillantius. Sed cur Serranus, quod a *Serendo* dictum est, ut docet Servius ad Virgilii illud Æn. VI. 845.

—— —— Et te sulco, Serrane, serentem.

Manliorum non æque cognomen quam Calatinorum esse potuit? Fateor ignotos nobis esse Manlios Serranos. Aeque tamen ignotis Serratis prætulerim. Ludos Apollinares typus partis aversæ ostendit, satis splendidus, & illum A. Manlium Serranum Q. F. prætoria familia oriundum fuisse. Potest SER*ranus* alterum quoque ex triumviris monetalibus significare.

II.

Caput Romæ galeatum, retro illud litera O. cernitur.

Titus MANL*ius* AP*pius* CL*audius*. *Quintus* MAR*cius*. Victoria in trigis, utraque manu equorum habenas tenet.

Tres hi, quorum simul nomina inscribuntur, triumviri simul monetales fuerunt. Quæstores urbanos A. V. C. DXLIV. simul fuisse T. Manlium & Appium Claudium docet Pighius, monente Vaillantio; & hinc non improbabile videtur eosdem quoque simul antea gessisse minorem illum magistratum triumviratus monetalis. Istis vero temporibus quærendum quisnam Quintus Marcius exstitisse inveniatur. Nullus occurrit quæstor nisi provincialis. A. V. C. DLXXVI. apud Pighium Q. Marcius Ralla. Et sicuti Q. Marcius Ralla A. V. C. DLXXVI. ita anno ante, sive A. V. C. DLXXV. ibidem occurrit T. Manlius Torquatus Auli Manlii bis consulis filius. At iis rursus temporibus Appius Claudius deest, qui cum illis conjungi possit; ita ut incertum sit, utrum hic sit ille T. Manlius Torquatus T. Torquati, qui Sardos subegerat, filius, & Titi nepos, qui priore a nobis loco est positus, an, qui loco posteriori, Auli F. T. N. Priori adjudicat, cum Vaillantio Pighius Tom. II. p. 194. ubi vitiosa Goltzii lectione deceptus pro Q. MAR. legit Q. VR. quasi *Quæstores* VR*bani* in denario vocarentur, uti etiam contigerat Vaillantio p. 91. qui tamen hunc errorem suum correxit in gente Marcia, atque eodem hoc denario p. 112.

III.

Lucius MANLI*us* PROQ*uæstore*. Caput Romæ galeatum.

Lucius SVLLA IMP*erator*. Dictator L. Sulla, in quadrigis triumphalibus stans, dextra caduceum, læva equorum habenas tenet. Victoria advolans e cœlo corollam ipsi porrigit.

De Sulla, & alterius partis typo in hoc denario atque sequenti, jam egimus ad Fam. Corneliam Tab. quarta num. VI. L. Manlius Torquatus, qui quæstor Sullæ in bello Mithridatico adfuerat, una cum illo in Italia contra Marianam factionem proquæstore pugnavit, ut in Vita Sullæ p. 471. docet Plutarchus, ubi narrat Dolabellam & Torquatum multis orasse Sullam, ne, lassis militibus suis & defatigatis, de summa rerum cum Samnitibus & Lucanis decerneret; sed illum aversatum eosdem, statim classicum canere jussisse jam sub decimam horam die inclinante, atque egregie vicisse.

Litera A.

ROMA. Caput Romæ galeatum, in torque, cum denarii nota.

Lucius SVLLA IMP*erator*. Sulla, stans in quadrigis triumphalibus, dextra caduceum tenet, læva equorum habenas; advolans e cœlo Victoria corollam ipsi porrigit.

Nihil hic denarius discrepat a præcedente, nisi quod pronomine L. Manlii illud Romæ ponatur. Cusum tamen a Manlio fuisse denarium testatur torques, cui Romæ caput est inclusum; singulare enim familiæ Manliæ Torquatæ dictæ decus fuit.

IV.

ROMA. Caput Romæ galeatum in torque, cum denarii nota.

Lucius TORQVA*tus* *Quæstor* EX *Senatus* *Consulto*. Eques galeatus, hasta & clypeo armatus, cum impetu fertur. Notari debet literam Q. quæ designat hunc L. Torquatum *Quæstorem* fuisse, perperam (vitio forsan chalcographi) deesse in Morelliana pictura; nam reliqui omnes, & ipse Goltzius, recte illam agnoscunt, atque ponunt retro caput equitis, ubi in meis quoque (quos servo) denariis observatur.

Denarium hunc refero ad Lucium Manlium Torquatum, L. F. L. N. qui eo anno, quo pater Lucius, vir insignis & ab elegantia morum & dicendi multum laudatus Ciceroni, consul fuit designatus cum L. Aurelio Cotta, utriusque competitores, P. Cornelium Sullam, dictatoris ex fratre nepotem, atque P. Antonium Pætum, illo honore dejecit, atque habitis contra illos orationibus ambitus damnavit. Contigit patri Torquato consulatus ille A. V. C. DCLXXXVIII. egregius vero ille juvenis, inter quæstores urbanos recensetur a Pighio A. V. C. DCLXXV. Is hunc denarium signari curavit, neque enim ad patrem consulem, ut Goltzius & Ursinus crediderunt, pertinere potest. Ab L. Torquato filio iterum accusatus fuit idem L. Sulla, ut socius conjurationis Catilinariæ; sed defendit illum Cicero, cujus adhuc exstat oratio. Ad illam Sullæ accusationem respiciens Gellius, notat, quid inter illum & Hortensium acciderit, lib. I. Noct. Att. cap. 5.

5. *Sed quum L. Torquatus, ſubagreſti homo ingenio & infeſtivo, gravius acerbiusque apud conſilium judicum, quum de cauſa Sullæ quæreretur, non jam hiſtrionem eum eſſe diceret, ſed geſticulariam, Dionyſiamque eum notiſſimæ ſaltatriculæ nomine adpellaret: tum voce molli atque demiſſa Hortenſius, Dionyſia, inquit, Dionyſia malo equidem eſſe, quam quod tu, Torquate,* ἄμουσος, ἀναφρόδιτος, ἀπροσδιόνυσος. Ex actis diurnis, quæ edidit Dodwellus Præl. ad Spart. Hadr. p. 690. patet Sext. Roſcium ab eodem fuiſſe accuſatum A. V. C. DCXCI. Ædilis Curulis ponitur a Pighio A. V. C. DCCII. prætor A. V. C DCCIV. Videtur autem periiſſe in bello Africano, una cum imperatore Scipione A. V. C. DCCVII. De illo enim loqui videtur Hirtius in deſcriptione illius belli cap. XCVI. *Scipio interim cum Damaſippo, & Torquato & Plætorio Ruſtiano navibus longis diu multumque jactati quum Hiſpaniam peterent, ad Hipponem Regium deferuntur, ubi claſſis P. Sitii per id tempus erat; a qua pauciora ab amplioribus circumventa navigia deprimuntur. Ibique Scipio cum iis, quos paullo ante nominavi, interiit.* Idem enim hic eſſe videtur, quem deflet Brutus apud Ciceronem in Bruto cap. LXXVI. quod cum Triario & multis aliis Reſp. ipſum in bellis iſtis civilibus amiſiſſet, & cui non parce ibidem ſuas laudes tribuit Cicero.

Equitem, illum in poſtica denarii parte, exiſtimat Vaillantius illum T. Manlium Torquatum eſſe, qui A. V. C. CCCXCII. cum provocatore Gallo pugnans, illi victo & occiſo torquem detraxit, & cognomen illud ad poſteros transmiſit. Poſſet & videri ſtatua equeſtris ex ſenatus conſulto magno illi viro quondam, ob vindicatum Romani nominis decus, poſita fuiſſe, & hanc ipſam in hoc denario exprimi. De quo ad denarium ſequentem. Torques, in altera parte, nobilitatem familiæ & decus illud Gallicum indicat.

V.

& *Litera* A.

SIBVLLA. in altero, qui ſequitur lit. A. ſcribitur SIBVL*la*, in tertio, quem protulit Harduinus ad Plinium Tom. II. p. 644. SIBVLL*a*. Caput Sibyllæ, quod lit. A. & apud Harduinum in corona laurea eſt.

Lucius TORQVAT*us* III VIR. Menſa tripes, in qua ſtat urceus, hinc & inde ſtella eſt, omnia in torque, ſolita Manlianæ nobilitatis nota.

Luculentum hunc denarium Urſinus refert ad L. Torquatum patrem, id eſt conſulem A. V. C. DCLXXXVIII. quem putat fuiſſe XVvirum ſacris faciundis, quorum quindecimvirorum curæ Sibyllinos libros ſervandos fuiſſe datos teſtantur Cicero, Lactantius & alii. At recte contendit Vaillantius non quindecimvirum, ſed triumvirum in hoc denario Manlium ſcribi. Credit itaque, eundem Torquatum, qui præcedentem ſignavit denarium, triumvirum fuiſſe ſacris conquirendis, & ædibus ſacris incendio conſumtis reſtituendis, atque triumviratum hunc poſt duos quæſturæ annos illi obtigiſſe exiſtimat, & Sibyllæ Erythrææ caput in denario ſignari. Sed in hiſce ſupponit Vaillantius, quod probandum erat, triumviros ædibus ſacris reficiendis &c. jus monetæ habuiſſe, quod quidem ſuppoſitum in plurimis nummis Goltzianis cauſſæ ejus inſerviit, ſed ſine auctoritate veterum ſcriptorum. Ego vero denarium hunc ad Auguſti tempora revoco, & quidem illa, quibus, mortuo pontifice maximo M. Lepido A. V. C. DCCXL. ſummum illum ſacrorum honorem fuit adeptus, atque ſtatim exercuit, præcipua cura librorum Sibyllinorum habita. Sueton. in Vita Aug. cap. XXXI. *Poſtquam vero pontificatum maximum, quem nunquam vivo Lepido auferre ſuſtinuerat, mortuo demum ſuſcepit, quidquid fatidicorum librorum Græci Latinique generis, nullis vel parum idoneis auctoribus vulgo ferebatur, ſupra duo millia contracta undique cremavit, ac ſolos retinuit Sibyllinos: hos quoque delectu habito: condiditque duobus forulis auratis ſub Palatini Apollinis baſi.* Puto hanc Auguſti providam curam a triumviro Cæſaris monetali L. Torquato hoc Sibyllæ typo & ſacrorum attributis celebratam fuiſſe. Clara enim ſub Cæſaribus nobilitas Torquatorum fuit, & forte hic ipſe ille amicus Horatii eſt, ad quem exſtat ejus ode ſeptima lib. Carm. IV. ubi genus ejus laudat verſu 22.

Non Torquate genus, non te facundia, non te
Reſtituet pietas.

Libri item I. Epiſt. quæ numero quinta eſt, & ſic incipit.

Si potes Archaicis conviva recumbere lectis,
Nec modica cœnare times olus omne patella;
Supremo te ſole domi, Torquate, manebo.

Nobilitatem generis torques notat, quod nobilitatis ſignum usque ad Caligulam in illa familia conſpicuum fuit, ut notat Suetonius in ejusdem Vita cap. XXXV. *Vetera familiarum inſignia nobiliſſimo cuique ademit, Torquato torquem, Cincinnato crinem, C. Pompejo ſtirpis antiquæ, Magni cognomen.* Præter Livium & alios, ex Q. Claudio Quadrigario originem cognominis & ipſam illam antiqui Manlii cum Gallo pugnam refert Gellius. Verba ejus lib. IX. cap. 13. hæc ſunt: *T. Manlius ſummo loco natus adprimeque nobilis fuit; ei Manlio cognomentum factum eſt Torquatus. cauſſam cognomenti fuiſſe accepimus torquis ex auro induvias, quam ex hoſte, quem occiderat, detractam induit. Sed quis hoſtis & quod genus & quam formidandæ vaſtitatis, & quantum inſolens provocator, & cuimodi fuerit pugna decertatum, Q. Claudius primo annalium puriſſime atque illuſtriſſime ſimplicique & incomta orationis antiquæ ſuavitate deſcripſit. Quem locum ex eo libro Favorinus philoſophus quum legeret, non minoribus quati afficique animum ſuum motibus pulſibusque dicebat, quam ſi ipſe coram depugnantes eos ſpectaret. Verba Q. Claudii, quibus pugna iſta depicta eſt, adſcripſi. Quum interim Gallus quidam nudus, præter ſcutum & gladios duo, torque atque armillis decoratus proceſſit; qui & viribus & magnitudine & adoleſcentia ſimulque virtute ceteris antiſtabat. is maxime prælio commoto atque utrisque ſummo ſtudio pugnantibus manu ſignificare cœpit utrique quieſcerent pugnæ. facta pauſa eſt. extemplo ſilentio facto cum voce maxima conclamat, ſi qui ſecum depugnare vellet, uti prodiret. Nemo audebat propter magnitudinem atque immanitatem facies. Deinde Gallus irridere atque linguam exerrare. id ſubito perdolitum eſt cuidam T. Manlio ſummo genere nato, tantum flagitium civitati accidere; ex tanto exercitu neminem prodire; is, ut dico, proceſſit; neque paſſus eſt virtutem Romanam ab Gallo turpiter*

ter spoliari. scuto pedestri & gladio Hispanico cinctus contra Gallum constitit. Metu magno ea congressio in ipso ponte, utroque exercitu inspectante, facta est. ita, ut ante dixi, constiterunt; Gallus sua disciplina scuto projecto cantabundus; Manlius animo magis quam arte confisus scutum scuto percussit, atque statum Galli conturbavit. Dum se Gallus iterum eodem pacto constituere studet, Manlius iterum scutum scuto percutit; atque de loco hominem iterum dejecit: eo pacto ei sub Gallicum gladium successit, atque Hispanico pectus hausit; dein continuo humerum dexterum eodem concessu incidit; neque recessit usquam donec subvertit, ne Gallus impetum icti haberet. ubi eum evertit; caput præcædit; torquem dextraxit; eamque sanguinolentam sibi in collum imponit; quo ex facto ipse posterique ejus Torquati sunt cognominati. In hac Claudii descriptione non eques sed pedes (ut & apud Livium) depugnasse cum hoste Gallo legitur T. Manlius, quod statuæ ejus equestri, quam in præcedente nummo forsan exprimi dixi, adversatur. Plinius etiam, ubi statuas equestres veterum Romanorum commemorat lib. XXXIV. cap. 5. nullam T. Manlii Torquati mentionem facit. Hinc potius suspicor exprimi infelicem illum ejusdem imperiosi T. Manlii filium, & ipsum Titum adpellatum, quem, nimiæ serveritatis pater, victorem, cæso Tusculanorum duce, qui ipsum provocaverat, Geminio Metio, propter spretum suum de non pugnando imperium, in exemplum puniri jussit. Equestris illa pugna fuit, uti narrat Livius lib. VIII. cap. 7. *Movet ferocem animum juvenis, seu ira, seu detrectandi certaminis pudor, seu inexsuperabilis vis fati. Oblitus itaque imperii patrii, consulumque edicti, præceps ad id certamen agitur; quo vinceret an vinceretur, haud multum interesset. equitibus ceteris velut ad spectaculum summotis, spatio quod vacui interjacebat campi, adversos concitant equos: & quum infestis cuspidibus concurrissent, Manlii cuspis super galeam hostis, Metii trans cervicem equi elapsa est. Circumactis deinde equis, quum prior ad iterandum ictum Manlius consurrexisset; spiculum inter aures equi fixit. ad cujus vulneris sensum quum equus prioribus pedibus erectis magna vi caput quateret, excussit equitem: quem cuspide parmaque innixum, attollentem se ab gravi casu, Manlius ab jugulo, ita ut per costas ferrum emineret, terræ affixit, spoliisque lectis ad suos revectus, cum ovante gaudio turma in castra, atque inde ad prætorium ad patrem tendit; ignarus fati futurique, laus an pœna merita esset, Ut me omnes, inquit, pater tuo sanguine ortum vere ferrent, provocatus equestria hæc spolia capta ex hoste cæso porto.* Ad originis itaque nobilitatem iste typus referendus est, quod per fortissimum istum juvenem a celeberrimo isto T. Manlio Torquato descenderet; habuit enim & is filius filium consulem, qui in consulatu suo A. V. C. CCCCLIV. *in Etruriam provinciam profectus, vindum ingressus hostium fines, quum exerceretur inter equites, ab rapido cursu circumagendo equo effusus, extemplo prope exspiravit; tertius ab eo casu dies finis vitæ consuli fuit.* Livii sunt verba lib. X. cap. 11.

Antequam a Manliis discedam, expositionem ridiculam, ut passim, quam Harduinus quinto huic denario dat, adponere & examinare libet. Scribit is ad Plinium Tom. II. p. 644. in hunc modum. „ Est argenteus in Thesauro Regio
„ nummus, & apud Patinum, in familia Man-
„ lia, p. 164. capite cirrato muliebri, infra
„ SIBYLL. Tripus, super quo urceus est, in-
„ signe sacerdotii, inter soles duos, quibus im-
„ perare Roma significatur Orienti & Occi-
„ denti. L. Torquat. IIIVIR *Lucius Torquatus*
„ *Triumvir*, & idem sacerdos Apollinis. In
„ nostro corona laurea, non caput muliebre,
„ sed alteram nummi aream cingit. Qui Si-
„ byllam hic pingi putant, magno ducuntur
„ errore. Nam si Sibyllam vellet monetarius
„ intelligi, cur SIBYLL. scriberet non inte-
„ grum nomen SIBYLLA? operosumne ei fuit
„ literam A postremam adjicere? Caput est ci-
„ vitatis, quales pingi eæ a monetariis Narbo-
„ nensibus solebant: & plane hæc similis est ei
„ quæ CABE. hoc est *Cabellio*, in Lepidi
„ nummo legitur. Cur vero hic Sibylla pin-
„ geretur, quod nomen unius fœminæ proprium
„ fuit, cujus hic Plinius meminit, sub Tar-
„ quinio Rege? Afferri causa probabilis non
„ potest. Est hic SIBYLL. scriptum, pro eo
„ quod est S*everus* I*mposuit* BY*zantii* LL*egiones*
„ rediens haud dubie a victoria Parthica. Hanc
„ corona laurea denotat. Severi nomine sunt
„ alii nummi inscripti, ΒΥΖΑΝΤΙΩΝ. Litera L.
„ hic geminatur ad pluralem numerum legio-
„ num significandum. " Totum illud commentum Harduinianum, per se satis invalidum, evertit scriptura integra, quæ invenitur num. V. SIBYLLA; non ut lit. B. est SIBYL. vel in Harduiniano SIBYLL. Quam vero ille lauream in altera parte positam putavit, non alia est quam torques, in cujus ambitu tripus Apollinis cernitur, & urceus, ad denotanda sacra quæ Apollini & Dianæ fiebant per duas stellas (ut recte Vaillantius) expressit.

Litera C.

AVGVSTVS. Caput Augusti laureatum.

Colonia Cæsarea IL*lice Augusta Caio* MANLIO *Tito* PETRONIO II VIR*is*. Aquila legionaria & vexillum inter duo signa militaria.

Illici, urbs Hispaniæ Tarraconensis fuit, ad mare, unde Illicitanus sinus nomen accepit. Aquilam & vexillum, inter duo signa militaria, de veteranis ex duabus legionibus, quarum nomina in nummo non exhibentur, interpretatur Vaill. de Colon. Tom. I. p. 54. Quis ille Manlius fuerit ignonatur.

MARCIA.

Gens Marcia, Regum progenies, ab Anco Marcio originem suam repetiit; patricii ex illa cito esse desierunt, ex plebejis inveniuntur in nummis Philippi & Censorini, & (ut videtur) Rallæ, a tenui vestitu sic dicti, atque Libones.

TAB. I.

I.

ANCVS. Caput regis Anci, diademate ornatum, retro illud est lituus.

PHILIPPVS. Supra aquæductum, qui inscribitur AQVA MAR*cia*, statua est equestris dextram adtollentis. Sub equi ventre quoddam quasi arbusculi genus est, sive fruticis, quod male quidam quasi canem adsilientem depinxerunt; de quo ad num. IV. visuri sumus.

FAMILIA MARCIA.

Quamvis Marcii, cognomento Reges, præ cæteris de Anco Marcio Rege progenitore gloriabantur, reliqui tamen Marcii æque illam cognationem jactarunt, ut evidentissime ex hisce Philippi denariis patet. Anci enim Marcii caput, adscripto quoque nomine, in parte denarii priore est. Additur religionis cultus lituo expressus & Aquæ Marciæ, sive aquæductus, celeberrimum monumentum, de quo alii jam plura literis prodiderunt. Statuam equestrem alii de ipso Anco Marcio, alii Marcio Tremulo, quem equestri statua donatum fuisse, inter alios, commemorat quoque Plinius lib. XXXIV. cap. 5. exponunt. Ursino & Begero potius adsentior Thes. Brand. Tom. II. p. 563. adludi ad cognominis sui etymon, ut bellicosi & equorum domitoris; nam domitor bucephali, Alexander Magnus, eodem pacto equo insidens, depingitur in nummis Græcis Macedonum æreis, & ab equorum cura nobilia apud Græcos nomina fuisse nata docet Aristoph. in Nebulis versu 63.

Ἡ μὲν γὰρ ἵππον προσετίθει πρὸς τοὔνομα,
Ξάνθιππον, ἢ Χάριππον, ἢ Καλλιππίδην.

Et illa (mater) quidem ab equo nomen indebat, vocans
Xanthippum, vel Charippum, vel Callippidem.

Ita Philippus quoque nomen Græcum est, & qui primus ex gente Marcia illud familiæ suæ transmisit, ab honesto & nobili equorum studio illud hausisse videtur. Neque commoveor quod aquæductu eques ille imponatur, abest enim ille aquæductus num. IV. & pro lubitu talia disposuerunt, ut pluribus exemplis passim in hoc opere patere potest.

Qui vero cudit hos denarios, is videtur fuisse L. Marcius Philippus Q. F. Q. N. orator insignis, consulatum adeptus A. V. C. DCLXII. atque signasse quum quæstor provincialis esset A. V. C. DCXLIV. quamvis eodem jure designari possit quæstura filii ejusdem Lucii Marcii Philippi, qui vitricus Augusti Cæsaris fuit, ducta in uxorem matre ejus Accia, defuncto Octavio, hærede etiam privigno illo suo scripto; socer vero fuit Catonis, data illi in uxorem Marcia filia. Pervenit & is ad consulatum A. V. C. DCXCVII.

Denarius alter, qui sequitur apud Morellium nostrum, nulla addita nota, munificentia Trajani imperatoris rarus est, & restitutionis ab eodem factæ solitam habet epigraphen.

II.

Caput Romæ galeatum cum stella Apollinis.

Marcus MARC*ius*. ROMA. Victoria in citis bigis. Subtus duæ frumenti spicæ sunt.

Marci prænomen inter Marcios soli Marcii Rallæ gessisse videntur; unde M. Marcio Rallæ hic denarius adjudicatur, qui post quæsturam atque tribunatum plebis factus est prætor urbanus, & proprætore A. V. C. DL. maritimam Italiæ oram tutandam extra ordinem obtinuit. Romæ cusos fuisse denarios adscriptum urbis nomen testatur. Quod factum fuisse puto in ejus quæstura urbana, quæ provincialem, quam A. V. C. DXLII. ponit Pighius, præcessit. Anno vero ante, sive DXLI. quo quæstor urbanus fuisse videtur, Syracusæ a Marcello captæ sunt, & hæc forsan ratio est, cur in hoc denario a parte quidem capitis sit stella, ab altera vero parte duæ frumenti spicæ. Stella enim illa, Apollinis symbolum, in omnibus fere Syracusanis nummis, tanquam urbis sub tutela Apollinis positæ, adparet; binæ vero spicæ felicem Siciliæ designant proventum, quæ binas uno anno messes dare solita erat; unde in Siculis nummis quoque plus semel binas illas spicas observavimus.

III.

Caput Herculis inberbe pelle leonina tectum; retro illud ponderis sunt notæ, tres globuli.

Marcus MARCI*us Marci Filius*. ROMA. Prora navis, cum tribus item globulis.

Quadrans hic, conveniens cum imminuto tempore belli Punici secundi pondere, ab eodem M. Marcio Ralla & eodem tempore cusus, nos docet patrem ejus itidem Marcum prænomine dictum fuisse, de quo tamen altum apud veteres scriptores est silentium.

IV.

Lucius PHILIPPVS. Caput Herculis inberbe, pelle leonina tectum, cum tribus globulis.

ROMA. Prora navis, cui gallus insistit. Ad latus iterum tres sunt globuli, notæ ponderis.

Quadrans, præcedenti similis, docet nos L. Philippum hunc ante bellum Punicum secundum non esse quærendum. Existimo itaque illum pertinere ad L. Marcium Philippum. Q. F. Q. N. de quo nobis sermo fuit ad num. I.

Gallus quid significet inquirendum est. Invenitur is non insolens typus in Calenorum, coloniæ Romanorum in Italia, nummis; cum qua Philippi hujus proavi videntur aliquid rei habuisse.

V.

Caput Philippi, Regis Macedonum penultimi, galeatum & diadematum, ad frontem duo cornua hircina prodeunt. Litera sub mento initialis Græci nominis Philippi est, ad occiput monogramma urbis Romæ cernitur.

Lucius PHILIPPVS. Subtus denarii est nota. Eques, dextra laureum ramum tenens. Sub equi ventre frutex aculeatus est.

Idem L. Marcius Philippus, qui primum cudit denarium, etiam hunc signasse videtur. Conspicuum illum facit facies Philippi, Persei, ultimi Macedonum regis, patris; neque enim alterius esse, evidenter perspexi ex horum meorum denariorum collatione cum unico gazæ Mediceæ illius regis Philippi pulcherrimo nummo argenteo, quem quidem delineatum dedit illustr. Spanhemius Tom. I. p. 385. sed pictor ejus nequaquam vera faciei lineamenta adsecutus fuit. Patet id mihi ex ipso nummo, cujus pulcherrimum ex sulphure habeo ectypon, cum plurimis aliis ex illustri illa gaza aliisque, transmissum ad me, ad adornandum augendumque, quem a pluribus annis paro, & maximam partem ære jam insculptum habeo, Thesaurum Regium, complectentem omnia omnium Græcorum regum numismata, ad veram faciem & magnitudinem, summa arte & diligentia expressa. Facies illa Philippi in nummo sulphureo meo, seu potius argenteo Mediceo, plane & penitus convenit cum illa, quæ in hujus denarii parte anteriore cernitur, ad quam tamen notare debeo, narium aperturam & oris lenem deductionem, in integrio-

prioribus meis, magis adhuc ad argenteum illud Philippi numisma accedere, quam vel ipsa hæc pictura Morelliana faciat. Præter hircina cornua, notari in hoc denario debet galeæ nova figura, quæ non totum caput tegit, sed tempora tantum, & malas, atque loro sub mento colligatur, ita ut capilli nudi per totum occiput cernantur, id enim plane in denariis ita se habet, & gestamen hujus Philippi fuisse videtur, quem non uno more galeatum in dicto illo Thesauro Regio exhibituri sumus.

Graves causæ fuere, cur a Marcia gente, & præsertim Philippo, Macedoniæ rex Philippus in denariis signaretur, licet enim Macedonici regni destructio L. Æmilio Paullo debeatur, multum tamen ad illam contulit avus hujus L. Marcii Philippi, cui ad hoc bellum misso, gravi jam senio & corpore successerat ille L. Æmilius Paullus. In legatione quoque ad Perseum, callide Reip. Romanæ commoda promoverat, maxime aptus ad circumveniendum regem, magnam in illo spem habentem propter jus hospitii patris sui regis Philippi cum gente Marcia. Livii verba, quæ hanc rem plurimum illustrant, digna sunt, quæ adponantur; scribit is de hac legatione, atque in hunc modum lib. XLII. cap. 38. & 39. *Secundum hoc concilium legati a Perseo rege venerunt, privati maxime hosphospitii fiducia, quod ei paternum cum Marcio erat. Ab hujus necessitudinis commemoratione orsi, petierunt legati in colloquium veniendi regi potestatem faceret. Marcius, Et se ita a patre suo accepisse dixit; amicitiam hospitiumque cum Philippo fuisse. minime immemorem necessitudinis ejus, legationem eam suscepisse. Colloquium, si satis commode valeret, non fuisse dilaturum: nunc ubi primum posset, ad Peneum flumen, qua transitus ab Omolio Dium esset, præmissis quæ nunciarent regi, venturos. Et tum quidem ab Dio Perseus in interiora regni recepit se; levi aura spei objecta, quod Marcius ipsius caussa suscepisse se legationem dixisset. Post dies paucos ad constitutum locum venerunt. Magnus comitatus fuit regius, quum amicorum tum satellitum turba stipante. Non minore agmine legati venerunt, & ab Larissa multis prosequentibus, & legationibus civitatum, quæ convenerant Larissam & renunciare domum certa quæ audissent volebant. Inerat cura insita mortalibus videndi congredientes nobilem regem, & populi principis terrarum omnium legatos. Postquam in conspectu steterunt dirimente amne, paulisper internunciando cunctatio fuit, utri transgrederentur. aliquid illi regiæ majestati, aliquid hi populi Romani nomine, quum præsertim Perseus petisset colloquium, existimabant deberi. Loco etiam Marcius cunctantes movit, Minor, inquit, ad majorem, & (quod Philippo ipsi cognomen erat) Filius ad patrem transeat. Facile persuasum id regi est.* Hujus congressus caussa & spei pacis datæ illa erat ratio, ut interea urbes Græciæ a Philippo alienarent Romani, præsidiisque firmarent, quod strenue cum reliquis legatis fecit Marcius; præterea, ut tutum ubique in rem suam legatis iter esset; quod docet Livius lib. eodem cap. XLIII. *Reliqua consultatio erat, quonam modo tutum iter legatis esset, ad id quum necessaria petitio induciarum videretur, cuperetque Marcius, neque aliud colloquio petisset; gravate & in magnam gratiam petentis concessit. nihil enim satis paratum ad bellum in præsentia habebant Romani, non exercitum, non ducem: quum Perseus (ni spes vana pacis occæcasset consilia) omnia præparata atque instructa haberet: & suo maxime tempore atque alieno hostibus incipere bellum posset. Ab hoc colloquio, fide induciarum interposita, legati Romani in Bœotiam comparati sunt.* Deceptus ita Perseus, *quum a colloquio Romanorum in Macedoniam recepisset sese, legatos Romam, de inchoatis cum Marcio conditionibus pacis misit.* Livio teste cap. XLVI. & mox cap. XLVII. *Marcius & Attilius Romam quum venissent, legationem in Capitolio ita renunciarunt, ut nulla re magis gloriarentur, quam decepto per inducias & spem pacis rege. Adeo enim apparatibus belli fuisse instructum, ipsis nulla parata re, ut omnia opportuna loca præoccupari ante ab eo potuerint, quam exercitus in Græciam trajiceretur. Spatio autem induciarum sumpto* (lego *consumto*) *venturum illum nihilo paratiorem; Romanos omnibus instructiores rebus cepturos bellum. Bœotorum quoque se concilium arte distraxisse, ne conjungi amplius ullo consensu Macedonibus possent.* Ipse deinde Quintus Marcius Philippus, iterum consul, A. V. C. DLXXXIV. quamvis sexagenario major & gravis corpore, in illud bellum profectus fuit, atque per invios saltus in Macedoniam penetravit, atque complures occupavit urbes, donec successorem accepit L. Æmilium Paullum, qui victoriam consummavit, uti copiose docet Liv. lib. XLIV.

Copiosius hæc aliquanto ex Livio deducere volui, ut adpareret cur Philippi Macedoniæ regis penultimi caput in nummo Marciæ gentis Romano sit; & cur idem eques, qui in denario primo cernitur, hic laureum manu ramum teneat. Tenet vero, propter parta populo Romano commoda de Perseo rege & formidando Macedonum nomine, legatione & expeditione istius Q. Marcii Philippi, qui, ubi consul cum exercitu profectus fuit, majore incertum audacia an felicitate, incredibili labore per montes, per invia & saltus densissimos & asperrimos in mediam penetravit Macedoniam, & regem Perseum, circumventum sese credentem, trepide ex tutissimo, ubi consederat loco, recipere sese in alia coëgit. Describit Livius pluribus verbis asperum illud & maxime vel pacato agmini nedum infesto iter, quod ingressus consul fuit, lib. XLIV. cap. 3. 4. 5. 6. Unde suspicor, asperum illud, quod sub equi ventre vepreti vel fruticeti figuram in num. I. & hoc IV. magisque adhuc in ipsis denariis habet, & pessime a quibusdam canis adsilientis figura depingitur, nihil aliud designare, quam asperrimam & periculosissimam illam viam, quam felici temeritate ingressus fuit consul Marcius, atque tanto adparatu descriptam reliquit Livius.

Caput Philippi Macedoniæ regis, cum quo vetus jus hospitii genti Marciæ erat, in denario, licet Romano, exprimi, mirum non est, nam & Bocchi regis Mauritaniæ caput in nummis gentis Corneliæ vidimus Tab. quarta num. v. Perseique omnis bellicus adparatus contra Romanos a Philippo patri ipsi relictus fuerat, Reip. gravior longe & magis metuendus futurus hostis, si superfuisset, & pro stulto illo filio, diu & prudenter adparatum bellum gerere eidem licuisset.

VI.

Caput Romæ galeatum, cum denarii nota.
Quintus PILIPVS. ROMA. Rex Macedonum Philippus, hastatus & armatus feroci equo insidet, capitis ejus idem ornatus galeæ, qui in parte denarii præcedentis priore esse agnoscitur. Retro equum vepris vel fruticis genus est, quod asperam equitibus viam facere solet; & cujus explicatio itidem ex molesto illo consulis & exercitus Romani itinere petenda est.

Rex

Rex Philippus, cujus caput modo vidimus, hic armatus feroci equo insidens depingitur. Est is equus Thessalicus sonipes; præcipua enim laus Thessaliæ in generosis equis constitit, ita ut *Thessaliam, non prædæ cupiditate, sed quod exercitui suo robur Thessalorum equitum adjungere gestiebat*, expugnasse Philippum priorem, Alexandri Magni patrem, referat Justinus lib. VII. cap. 6. Non phalangem itaque Macedonicam modo sed & equitatum, pristinis victoriarum laudibus inclitum, metuebant Romani; eoque victoria eorundum speciosior fuit.

Cusus hic denarius est a Q. Marcio Philippo, patre Lucii istius qui priores cudisse videtur. Ut vetustior, vetustiorem scribendi rationem habet PILIPVS pro PHILIPPVS. Nepos hic videtur fuisse illius Q. Marcii bis consulis & censoris, qui in bello Macedonico contra Perseum successorem L. Paullum Æmilium accepit, & patrem habuisse vel Quintum nomine, vel Lucium, qui morte præventus amplos honores in republica gessisse non legitur. Ipse noster Q. Marcius Philippus ad præturam urbanam pervenit A. V. C. DCXLII. ut ex Gellio docet Pighius Tom. III. p. 121. Sed in quæstura urbana A. V. C. DCXXXII. signasse hunc denarium videtur.

VII.

Caput Apollinis laureatum.

Lucius CENSOR*inus*. Silenus stans seminudus, caudatus, dextram versus cœlum elevat, læva hircinum utrem super humeros tenet, retro illum statua longiori columnæ insistit, quæ in denario meo, Victoriæ, palmam tenentis, esse videtur.

Diu hæsisse sese in hoc nummo explicando fatetur Vaillantius p. 100. Typum vero pertinere existimat ad exstirpata Bacchanalia, quæ fœdissima in perniciem morum erat conjuratio, A. V. C. DLXVII. coss. Q. Marcio Philippo & Postumio Albino, cujus gentis Marciæ quum esset L. Marcius, qui hunc denarium cudit, existimat hunc signatum ab illo fuisse typum in memoriam ejus senatusconsulti, quo abolita sunt Liberalia, sive (ut vocare debuerat) illa Bacchanalia. Addit deinde: „ Silenus, ut Bacchi „ nutricis magister & sacerdos in denario expressus est, nudus quidem ad ludorum lasciviam denotandam, & utrem hircinum gerit, „ ut ululatus per vinolentiam excitatos arguat; „ columna vero, pone eum, videtur esse Mænia, in VIII. regione fori Romani posita, ad „ quam triumviri capitales de maleficiis & eorum sceleribus cognoscebant, teste Cicerone. " Hæc jam ad examen revocemus. Statuit cusum denarium a L. Marcio Censorino quæstore A. V. C. DLXXXIII. atque ita sexdecim annis post detectum illud scelus, atque punitum, & cujus reliquias prætores urbani usque ad A. V. C. DLXXII. persecuti, non ulterius, fuisse leguntur. Sed Vaillantius post undecim insuper annos, quæstore nostro Censorino, nondum fuisse exstirpatos scelestos illos homines existimat, imo (explicans p. 101. denarium sequentem) triumviros propterea capitales creatos post quæsturam fuisse L. Censorinum, P. Crepusium, & C. Limetanum; quod quidem gratis supponitur, quum triumviri sint monetales, quorum in sequenti denario nomina leguntur. Deinde moris haud fuit Romanis res turpes & rerum turpium memoriam, atque earundem supplicium & pœnam, in publica moneta exprimere. Imo quæ duo maxime convellunt Vaillantii sententiam, nihil ad P. Marcium Philippum facit hic Q. Marcius Censorinus; neque columna ille (quod somniat) Mænia est, sed longe alia. Diversæ & distinctæ Marciæ gentis familiæ fuerunt Philippi & Censorini. Floruerunt jam Censorini ante seculum quintum, agnoscitur enim tribunus plebis C. Marcius Censorinus A. V. C. CCCCXCIV. atque iterum tribunus plebis A. V. C. CCCCXCIX. Nulla itaque cognatio fuit inter Marcios Censorinos & Philippos, qui integro plus seculo, respectu originis familiæ suæ distant, nisi quod utraque familia a vetere illo Anco Marcio genus suum repeteret.

Columnam jam videamus, in qua statuam ipse Vaillantius agnoscit, quam tamen columnam Mæniam esse dicit, ad quam de maleficis cognoscebant triumviri capitales, ut nos docent Ciceronis plura loca; videlicet, pro Cluentio cap. XXXIX. *Ex petulanti atque improbo scurra, in discordiis civitatis, ad eam columnam, ad quam multorum conviitiis deductus fuerat, tum suffragiis populi pervenerat.* Loquitur ibi de Q. Manilio, triumviro capitali facto, qui judicabat jam juxta eam columnam, ad quam sæpe deductus fuerat judicandus. Unde *columnarii* tales homines dicebantur, qualis Mænas ille Pompejanus libertus apud Horatium, Epod. IV. versu 11.

Sectus flagellis hic triumviralibus
Præconis ad fastidium.

At vero Mænia columna esse in nummo non potest, ut in qua nulla fuerit statua, quod nos clare docet Asconius Pedianus ad Cic. Divin. in Q. Cæcilium cap. XVI. ubi quum Cicero dicat *Vobis autem tanta inopia rerum est, ut mihi caussam præripere conemini potius, quam aliquos a columna Mænia vestri ordinis reos reperiatis?* Ubi apte ad rem nostram adnotat Asconius: *Mænius, cum domum suam venderet Catoni & Flacco censoribus, ut ibi basilica ædificaretur, exceperat jus sibi unius columnæ; super quam tectum projiceret ex provolantibus tabulatis, unde ipse & posteri ejus spectare munus gladiatorum possent, quod etiam tum in foro dabatur. Ex illo igitur Columna Mænia vocitata est.* Adparet hinc partem columnæ supremam planam fuisse, supra quam *tectum* (ut Asconius loquitur) *ex provolantibus tabulatis projici posset*, statuam itaque nullam in illa fuisse.

Quæ ergo columna hæc? quid Silenus in denario? Columna quidem non alia est, quam illa, quæ in æreis Caji Censorini nummis cernitur, cum Victoriæ illi insistentis pariter signo, quam ad Anci Marcii victorias pertinere clarissimum est ex regis gloriosissimi capite in priore istorum nummorum parte, quod etiam ibi vidit Ursinus. Vide ipsos nummos Tab. seq. num. I. & II. De Sileno gravior quæstio est, sed nefanda ista bacchanalia provide a coss. detecta atque exstirpata, non magis denotat innocens senex in hoc denario, quam in innumeris coloniarum Romanarum nummis, urbium Bostræ, Damasci, Tyri, Troadis & aliarum, in quibus omnibus plane eodem, ut hic stat, habitu, dextram ad cœlum elevans, non tantum quod ipse inter semideos Bacchi nutritii opera relatus sit, sed quod deorum donum vini doceat esse inventum & lætitiam. Distinguere vero debemus inter Bacchanalia illa impura & privata, & Liberalia, quod honestum Romanæ religionis erat festum. De istis Bacchanalibus ita loquitur Livius

vius lib. XXXIX. cap. 8. *Consulibus ambobus quæstio de clandestinis conjurationibus decreta est. Græcus ignobilis in Etruriam primum venit, nulla cum arte earum, quas multas ad animorum corporumque cultum nobis eruditissima omnium gens invexit; sed sacrificulus & vates: nec is qui aperta religione propalam & quæstum & disciplinam profitendo, animos horrore imbueret, sed occultorum antistes sacrorum. Initia erant, quæ primo paucis tradita sunt: deinde vulgari cœpta per viros, mulieresque. additæ voluptates religioni vini & epularum, quo plurium animi illicerentur. Quum vinum animos & nox, & misti feminis mares, ætatis teneræ majoribus, discrimen omne pudoris exstinxissent; corruptelæ primum omnis generis fieri cœptæ: quum ad id quisque, quo natura pronioris libidinis esset, paratam voluptatem haberet. Nec unum genus noxæ, stupra promiscua ingenuorum fæminarumque erant: sed falsi testes, falsa signa testimoniaque & judicia ex eadem officina exibant. Venena indidem intestinæque cædes: ita ut ne corpora quidem interdum ad sepulturam exstarent. Multa dolo, pleraque per vim audebantur. occulebat vim, quod præ ululatibus tympanorumque & cymbalorum strepitu, nulla vox quæritantium inter stupra & cædes, exaudiri poterat. Hujus mali labes ex Etruria Romam, velut contagione morbi, penetravit. primo urbis magnitudo capacior, patentiorque talium malorum ea celavit: tandem indicium hoc maxime modo ad Postumium consulem pervenit.* Ex hisce verbis patet occulta fuisse sacra, non publica, neque quæ Liberalia vocari possunt, ut fecit Vaillantius. „ Lucius autem Marcius, inquit, p. „ 100. & 101. quum ex hac gente esset, ejus „ senatusconsulti memoriam, quo abolita sunt „ Liberalia, renovare voluit. „ At Liberalia in honorem Liberi innocuis jocis & casta religione transacta fuerunt, atque instituta ad feliciorem vinearum proventum, uti docet Virgilius, qui postquam festivitatem illam descripsit, addit lib. II. Georg. versu 390.

Hinc omnis largo pubescit vinea fœtu:
Complentur vallesque cavæ saltusque profundi,
Et quocunque deus circum caput egit honestum.

Crediderim quæstore L. Marcio Censorino, vel circa dei Liberi cultum aliquid memorabile contigisse, vel annum proventu vini feracem & nobilem inprimis fuisse; quod confirmare videtur Apollinis (non Honoris, ut apud Vaillantium est) caput, in parte anteriore. Sole enim benigno opus est, ut ad maturitatem uvæ perveniant. Nullus vero annus vini proventu nobilior fuit apud veteres, quam coss. Opimio & Fabio A. V. C. DCXXXII. vel ut alii DCXXXIII. de quo Plinius lib. N. H. XIV. cap. 4. *Anno fuit omnium generum bonitas, L. Opimio consule, cum C. Gracchus tribunus plebem seditionibus agitans interemtus: ea cœli temperies fulsit, quam cocturam vocant, solis opere, natali urbis DCXXXIII. Durantque adhuc vina ducentis fere annis, jam in speciem redacta mellis asperi: etenim hæc natura vinis in vetustate est: nec potari per se queunt, si non pervincat aqua, usque in amaritudinem carie indomita.* Id vinum intonso & capillato, id est antiquo, consule natum ait Juvenalis Sat. V. versu 30.

Ipse capillato diffusum consule potat.

Videtur vero ille L. Marcius Censorinus, qui quæstor fuit A. V. C. DLXXXIII. tribunus plebis DXC. consul DCIV. & censor cum L. Corn. Lentulo Lupo A. V. C. DCV. ex fratre Cajo nepotem habuisse Lucium, patrem illius Lucii, qui consul exstitit A. V. C. DCCXIII. atque in Fastis scribitur L. Marcius Censorinus L. F. C. N. Illum Lucium Censorinum Caji filium, triumviratum monetalem gessisse puto A. V. C. DCXXXII. Opimio consule, quod firmare videtur sequens denarius, in quo triumvir monetalis inscribitur cum C. Mamilio Limetano, qui iisdem temporibus vixit, atque quæsturam provincialem administravit A. V. C. DCXXXVIII.

VIII.

Lucius CENSORIN*us*. Caput Junonis Monetæ velatum.

Caius LIMETAN*us*. *Publius* CREPVSI*us*. Dea Moneta in citis bigis, utraque manu habenas regens.

Lucium Marcium Censorinum, quem modo Caji filium, nepotem Lucii consularis & censorii, patrem item Lucii consularis agnovimus, hic triumvirum monetalem cum collegis suis cernimus; qui primus illi gradus ad honores fuit, ex quibus majores gessisse non legitur, fato, ut videtur, interceptus.

Quæ de triumviris capitalibus habet Vaillantius p. 101. quasi ab iis cusus hic denarius sit, mihi non probantur, neque videtur debuisse mutare sententiam, quam, Ursinum secutus, recte, in Crepusia gente & Mamilia, tulerat. Impelli se ad mutandam sententiam dicit ratione legis monetalis a Mario Gratidiano latæ; „ Sed (in„ quit) quum lex a Mario Gratidiano de pro„ bandis denariis A. V. C. DCLXVII. nondum „ esset promulgata, per quam triumviri mone„ tales creati putantur, ad triumviros capitales „ revocare denarium non abs re esse indicaret „ superior, qui de maleficiis in Bacchanalibus „ exstinctis sub Q. Marcio consule A. V. C. „ DLXVII. memoriam renovavit, ut ex ipsa „ gente Marcia prognatus noster erat Censori„ nus. " Fons erroris atque dux Vaillantio Pighius fuit, qui ad A. V. C. DCLXVII. de fraude prætoris C. Marii Gratidiani agens, & captato populi favore in constituendæ rei nummariæ decreto promulgando, hæc addit ex Plinii lib. XXXIII. cap. 9. *Alii e pondere subtrahunt, cum sit justum* LXXXIV. *e libris signari. Igitur ars facta denarios probare, tam jucunda lege plebi, ut Mario Gratidiano vicatim totas statuas dicaverit.* Atque suam postea subnectit opinionem; „ Si „ ars facta tunc primum probare denarios, vi„ dendum, anne ex hac lege triumviri mone„ tales ordinarii inde postea sint orti. " Ursinus similiter erravit; existimans triumviros monetales Ciceronis tempore, vel paullo ante creatos. Pomponius in libro de Origine Juris clare ostendit, jam ante captam Sardiniam, eosdem creatos fuisse, sicuti ex eodem & Fastis id probat Gutherius de Officiis Domus Augustæ lib. III. cap. 19. atque eodem tempore creatos fuisse triumviros monetales, quo capitales, anno V. C. CCCCLXV. jam ante bellum Punicum primum; qui quidem tum æream monetam curare potuerunt, nam argento signato uti cœperunt Romani A. V. C. CCCCLXXXIV.

TAB. II.

I.

NVMAE POMPILI*i*. ANCI MARCI*i*.

Capita regum Romanorum Numæ Pompilii & Anci Marcii jugata & diademata, illud barbatum, hoc inberbe.

Caius CENSO*rinus*. ROMA. Navale, duplici arcu ornatum, in altero Victoriæ est signum cippo inpositum, in altero prora navis cernitur, & desuper illam luna crescens.

Præclarum hoc antiquitatis monumentum nos docet Marcios ad utrumque regem Romanorum Numam & Ancum originem suam retulisse. Neque mirum hoc; Numæ enim Pompilii ex Pompilia filia & Numa Marcio, Numæ Marcii, pontificis summi & senatoris, atque Numæ regis cognati, filii, nepos fuit rex Romanorum quartus Ancus Marcius. Liv. lib. I. cap. 34. *Accersitum in regnum Numam a Curibus: & Ancum, Sabina matre ortum, nobilemque una imagine Numæ esse.* Uterque itaque rex, ut gentis Marciæ auctor, in æreis his nummis signatur, addito utriusque nomine. Notabilis etiam est typus partis aversæ. In qua duplex arcus cernitur, & quidem in altero columna, cui insistit Victoria pro more corollam atque palmam ferens; in altero prora navis supra quam luna crescens est. Ad quæ notari volo, lunam crescentem ab Ursino & Vaillantio non fuisse animadversam, recte vero expressam a Morellio, atque etiam a Begero Tom. II. Thes. Brand. p. 564. Insuper in meo nummo illud discrimen animadverto, quod quum omnes, qui hunc nummum depinxerint, arcum, in quo columna insistentem habet Victoriam, ita delineaverint, quasi adhæreat arcui tertio, cujus superior tantum pars in nummo adpareat; meus nummus illud non agnoscat, sed duplicis tantum arcus figuram servet.

Hoc typo omnes Anci Marcii coloniam, quam Ostiam deduxit, atque portum magno ibidem labore exstructum designari agnoscunt. Et navale quidem illud Romanorum prora navis exprimit; columnæ vero insistens Victoria ad Anci relatas de Latinis, Sabinis & Vejentibus victorias respicit, quamvis alii secundum maritimarum victoriarum inde augurium captare malint. At luna crescens quid sibi velit, non animadvertit Begerus; ipsamque lunam, ante illum atque Morellium, reliqui non viderunt. Quid autem aliud notare potest præter anni per menses divisionem? quam constanter multi ex veteribus Numæ tribuunt, & nummus hic confirmat. Florus lib. I. cap. 2. *Annum quoque in duodecim menses, fastos dies nefastosque descripsit.* Atque ita, sicuti in parte nummi priore, facies Numæ & Anci conjunguntur, sic in posteriore nobilia utriusque facta, quibus alter pace, bello alter eminuit.

C. Censorinus, qui nummum cudit, idem est, qui sequentes quoque signavit.

II.

NVMAE POMPILI*i*. ANCI MARCI*i*. Capita regum duorum eadem.

Caius MARCI*ius* CENSO*rinus*. ROMA. Duæ naves sive navium proræ; altera remis & gubernaculo instructa est, atque acrostolio ornata. Juxta posteriorem columna est, cui Victoria insistit.

Navale Ostiense atque portum Ostiensem etiam hic nummus designat; est vero, ut & primus & VII. secundæ formæ, quod moneo, ne quis forte ex pictura Morellii primæ esse formæ credat; omnes enim fere nummos (quod factum nollem) aliquanto majores quam sunt expressit. Duæ naves exprimuntur, ornatu diverso; cujus rei caussa in promtu est. Portus enim bonus eam debet præstare commoditatem, ut naves ibi secure hiemare & quiescere possint, & ut facile inde in mare deducantur. Altera itaque navis sine armamentis atque ullo ornatu depingitur; altera instructa remis & gubernaculo atque acrostolio ad maritimam expeditionem paratam se esse ostendit. In columna, cui Victoria insistit, nolim cum Vaillantio mysterium quærere, tanquam ideo alteri ex navibus imposita cernatur, quod quando classis in mare prodibat, illa in prætoria nave, ut nummi typus demonstrare ipsi videtur, in felicis eventus augurium collocaretur. Neque enim hic uni ex navibus columna illa imposita est, non magis quam columna illa Rhegiensis, cui Neptunus insistit in Fam. Pompeja Tab. secunda num. III. sed juxta navem posita est. Quod fit pro lubitu ejus qui signavit nummum. Victorias enim Anci columnæ illi insistens Victoria exprimit, unde hic sine arcu collocatur, in quo tamen num. I. posita cernitur.

Agendum jam est, de Cajo Marcio Censorino, qui nummos hos signavit. Quatuor fuere Caji Marcii Censorini. Primus ille, qui bis tribunus plebis exstitit, primum A. V. C. CCCCXCIV. secunda vice A. V. C. CCCCXCIX. Secundus, qui inter quæstores provinciales numeratur A. V. C. DCXXVIII. & inter tribunos plebis A. V. C. DCXXXIII. Tertius quæstor provincialis A. V. C. DCLXIII. & tribunus plebis fuisse legitur A. V. C. DCLXVIII, Quartus ad consulatum usque processit A. V. C. DCCXLV. Incertum est ad quem ex duobus mediis pertineant, illi tamen, qui tribunus plebis fuit A. V. C. DCLXVIII. & DCLXIII. quæstor provincialis, adsignat Vaillantius, cui adsentiri possum; sed quoniam in primo & VII. adjungitur vox ROMA, videntur ab eodem in quæstura urbana vel triumviratu monetali cusi fuisse.

III.

Capita Numæ Pompilii & Anci Marcii jugata atque diademate exornata. Litera P. Græco more Π. scripta, quæ ad caput additur in quibusdam *Pompilium* notare non potest, nam in aliis sub equite desultore ponitur, sed mere alphabetica est ad matrices discernendas.

Caius CENSO*rinus*. Eques desultor pileolo tectus, scutica equos duos propellit, alteri ex iisdem insidens. Subtus litera N. est.

De prætura hujus Caji Censorini, qui a præcedenti non videtur discrepare, nihil nobis antiqui libri memorant, Vaillantius ex hisce denariis tamen probare sese ejus præturam posse existimat, quod ludorum Apollinarium cura ad prætores urbanos spectaret. Verum ego aliam rationem fuisse existimo, cur illos signaverit C. Marcius Censorinus; & pariter, ut priores nummos, in quæstura ejusdem (sed provinciali forsan, non urbana, quoniam in nullis ex denariis hisce vox ROMA adscribitur) signatos fuisse. Livius & Macrobius me movent. Livii tantum adducam testimonium, ex quo Macrobius lib. I. Saturn. cap. 17. sua hausit & repetivit. Originem ludorum Apollinarium, qui in initio votivi fuerunt & incerto anni tempore, postea perpetui & stato anni tempore, describens Livius, docet nos quid Marciæ genti proprium cum hisce ludis fuerit, lib. XXV. cap. 12. postquam de Tarentinorum defectione mentionem fecit. *Religio deinde nova objecta est ex carminibus Marcianis. Vates hic Marcius illustris fuerat, & quum inquisitio priore anno ex sena-*

natusconsulto talium librorum fieret, in M. Æmilii prætoris urbis, qui eam rem agebat, manus venerat. is protinus novo prætori Sullæ tradiderat. Ex hujus Marcii duobus carminibus, alterius post rem actam editi cum rato auctoritas eventu, alteri quoque cujus nondum tempus venerat, adferebat fidem. Priore carmine Cannensis prædicta clades in hæc ferme verba erat: Amnem Trojugena Cannam Romane fuge: ne te alienigenæ cogant in campo Diomedis conserere manus. Sed neque credes tu mihi; donec compleris sanguine campum: multaque millia occisa tua deferet amnis in pontum magnum ex terra frugifera. piscibus atque avibus ferisque, quæ incolunt terras, iis fiat esca caro tua. nam mihi ita Jupiter fatus est. Et Diomedis Argivi campos, & Cannam flumen, qui militaverant in iis locis, juxta atque ipsam cladem agnoscebant. Tum alterum carmen recitatum, non eo tantum obscurius, quia incertiora futura præteritis sunt, sed perplexius etiam scripturæ genere. Hostem Romani si expellere vultis, vomicamque, quæ gentium venit longe, Apollini vovendos censeo ludos: qui quotannis comiter Apollini fiant, quum populus dederit ex publico partem: privati uti conferant pro se suisque. Iis ludis faciendis præerit prætor is, qui jus populo plebique dabit summum &c. Quibus omnibus, & senatusconsulto, quod eam in rem factum est, memoratis, addit Livius: *Hæc est origo ludorum Apollinarium: victoriæ, non valetudinis ergo, ut plerique rentur veterum.* Accidit vero insignis hic casus A. V. C. DXLI. coss. Q. Fulvio Flacco & Appio Claudio Pulchro, quo primum hi ludi Apollinares celebrati fuerunt. Marcius itaque is, quem illustrem vocat vatem Livius, procul dubio inter majores nostri Caji Marcii Censorini fuit, qui tot denariis & tanta minorum typorum varietate, illud quoque decus nobilitati suæ adferere voluit.

Lit. A. *& seqq.*

Capita eadem cum litera Π. quæ in aliis abest.

Caius CENSO*rinus*. Desultor idem in equis cum gladiolo, pro quo in reliquis omnibus scuticam tenet. Sub equis caduceus est alatus, retro desultorem luna crescens. In aliis alia inveniuntur symbola, lanceæ cuspis, malleus, palmæ ramus, avicula, bipennis, temo navis, literæ alphabeticæ, & numeri VII. XXX. XXXII. &c. quæ signa monetariorum fuisse videntur, quamvis temo navis & instrumenta bellica de portu Ostiensi Anci Marcii & victoriis ejus quoque capi possint, & in primo ex hisce caduceus referri possit ad pacatum Numæ imperium, luna crescens, ut in nummo æreo primo, ad divisionem anni in duodecim menses.

Desultoris habitus & actus in hisce denariis exprimitur; binos habet equos juxta Livii descriptionem lib. XXIII. cap. 29. *Nec omnes Numidæ in dextro locati cornu, sed quibus desultorum in modum, binos trahentibus equos, inter acerrimam sæpe pugnam in recentem equum ex fesso armatis insultare mos erat: tanta velocitas ipsis, tamque docile equorum genus est.* Pileos in capite habuisse notat Hyginus Fab. LXXX. *Unde etiam Romani servant institutum, cum desultorem mittunt, unus duos equos habet, pileum in capite, equo in equum transilit.* Usum docet Cassiodorus lib. III. epist. 51. quæ Theodorici regis est ad Faustum præfectum prætorio: *Biga quasi lunæ, quadriga solis imitatione reperta est. Equi desultorii, per quos Circensium ministri missos denunciant exituros, luciferi præcursorias velocitates imitantur.* Velocitatem illam incitatus cursus in omnibus hisce denariis exprimit. Gladiolum istum, quem manu desultor tenet, licet quoque observare in Fam. Calpurnia Tab. quarta num. I. II. III. IV. & pleraque minora signa in Calpurnianis quoque denariis inveniuntur.

In capitibus vero junctis Anci Marcii caput respectu nasi plurimum in argenteis denariis differt ab æreis nummis, supra expressis, in quibus in medio plus quam modice adsurgens conspicitur; quod tamen in meo æreo ita se non habere testor, sed nasum æquali magis linea descendere, plane ut in denariis argenteis adparet.

Litera D.

Similis hic denarius est illis qui præcedunt; sed accidit illi, ut sub incude motus loco suo fuerit, atque ita duplicem signaturam acceperit.

IV.

Caput Apollinis diademate revinctum.

Caius CENSO*rinus*. Equus desultorius effuso cursu; subtus est tridens, desuper vero cernitur palmæ ramus cum duabus corollis.

Caput Apollinis ad Apollinares ludos spectat, in ejus honorem institutos, illorumque est symbolum. Palmæ ramus cum duabus corollis nobiles victorum equorum palmas indicare velle videtur.

Litera E.

Caput idem Apollinis.

Caius CENSORI*nus*. Typus idem, sed sub equo litera C. est, supra equum columna.

Columna illa pertinere videtur ad flexum metæ in Circensibus, litera vero C. nihil aliud significat nisi numerum centenarium, notam matricis, quæ plurimæ fuisse, ex tanta horum & similium denariorum multitudine colliguntur.

Litera F.

& sequentes aliquot.

Similes omnes sunt præcedentibus, sed primus denarium habet numerum, secundus galeam & palmam, tertius pharetram cum arcu exstante, quartus canem vel simile animal, atque numerum V. quintus pileos Dioscurorum & lituum militarem; quæ omnes notæ videntur fuisse monetales.

V.

OB CIVIS SERVATOS. Corona civica sive quernea inter duos laureos ramos.

Caius MARCI*us Lucii Filius*, CENSORIN*us*, AVG*ur* III VIR *Auro Argento Aeri Flando Feriundo*. In area nummi nota senatusconsulti legitur.

Nummus hic spectare videtur ad C. Marcium Censorinum, qui consul fuit una cum C. Asinio

nio Gallo A. V. C. DCCXLVI. Hunc Cajum Marcium filium Lucii adpellat nummus, ſed marmora inſuper nepotem Lucii vocant. Grut. p. CXCVI. num. 1.

C. MARCIVS. L. F. L. N
CENSORINVS
C. ASINIVS. C. F. GALLVS
COS
EX. S. C. TERMIN
A. V. PROX. PED. XLV

& ibidem num. 2.

C. MARCIVS. L. F. L. N
CENSORINVS. ET. C. ASI
NIVS. C. F. GALLVS. COS
EX. S. C
FIN. POMER. TERMIN

& p. CXCVII. num. 2.

C. ASINIVS. C. F. GALLVS
C. MARCIVS. L. F. L. N
CENSORINVS
COS
EX. S. C. TERMIN
CVRATORES. RIPARVM
QVI. PRIMI. FVERVNT
EX. S. C. RESTITVER
R. P
PROX. CIPP
P. CLXIII. S

& p. MLXXVIII. num. 10.

C. MARCIVS. L. F. L. N
CENSORINVS
C. ASINIVS. C. F. GALLVS
COS
EX. S. C. TERMIN
R. R. PROXIM. CIPPVS. PED. XLII

Augurem vero inſuper exſtitiſſe nummi nos docent, atque honorum initium triumviratum monetalem a ſenatu accepiſſe.

VI.

AVGVSTVS TRIBVNIC*ia* POTEST*ate*. in corona quernea.

Caius CENSORINVS *Lucii Filius* AVG*ur*, III VIR *Auro Argento Aeri Flando Feriundo.* In area nummi nota ſenatusconſulti legitur.

Ad eundem Cenſorinum pertinet. Typus nummorum notus eſt.

VII.

NVMA POMPIL*ius*. ANCVS MARCI*us*. Capita regum Numæ Pompilii & Anci Marcii, ut num. I. & II.

Caius CENSO*rinus*. ROMA. Typus idem qui occurrit num. II.

Quamvis idem fere ſit nummus, qui num. II. occurrit, habet tamen hic ab utraque parte aliquid diverſum. Inſcriptio in parte priore concipitur in primo caſu non in ſecundo; navis in poſteriore parte duobus gubernaculis (quod ſolebat fieri apud veteres) inſtruitur, quodque notandum venit. Dein columna, cui inſiſtit Victoria, ita depingitur, ut adpareat ſejungi a navi, neque (ut putavit Vaillantius) ipſi navi inſiſtere. Victoriam inſiſtentem alioſum converſam depinxit Urſinus, quem, pro more, ſequitur Vaillantius. Morellio fidem majorem habendam eſſe exiſtimo.

VIII.

LIBO. Caput Romæ galeatum, cum denarii nota.

Quintus MARC*ius*. ROMA. Dioſcuri haſtati in equis.

Simplicitas typi antiqua reipublicæ tempora reſpicere nos jubet. Videtur itaque pertinere ad tempora belli Punici ſecundi, quo ærei illi nummi, qui tab. ſequenti quatuor numero occurrunt, ab eodem quoque ſignati eſſe in quæſtura urbana videntur. Notitiam Marcii Libonis non habemus, quoniam iſta pars Livii, quæ de bello Punico primo agebat, deperdita eſt.

TAB. III.

I.

Caput Romæ galeatum cum denarii nota.

ROMA. Subtus ſunt literæ Q. MAR. C. F. L. R. Victoria in quadrigis, dextra corollam tenet.

Ad incerta hunc relegant propter literarum ſingularium difficultatem. Videtur tamen ita legi poſſe. *Quintus* MAR*cius*. *Caius Fannius*. *Lucius Rutilius*. vel *Caius Fulvius*, aut *Caius Furius*, & *Lucius Rupilius*. Ratio, quod ita legam eſt, quod duos ex hisce uno atque eodem anno magiſtratus geſſiſſe legam, videlicet Q. Marcium & L. Rutilium. Ædilis enim plebis A. V. C. DXCIV. fuit Q. Marcius Q. F. Rex, atque eodem anno tribunus plebis exſtitit L. Rutilius Flaccus. Iidem tribus poſt annis iterum ſimul magiſtratum geſſerunt, anno enim V. C. DXCVII. prætor urbanus legitur Q. Marcius Q. F. Rex, & ædilis plebis L. Rutilius. C. Fannius videtur fuiſſe propinquus C. Fannii C. F. C. N. Strabonis, conſulis A. V. C. DXCII. Circa illa enim tempora honores geſſerunt duo Caji Fannii, quorum alter C. F. alter M. F. erat, quos & inter oratores commemorat Cicero in Bruto cap. XXVI. Sed ita ut C. Fannium C. F. longe præferat C. Fannio M. F. qui & gener C. Lælii fuit. Sed quum illorum Fanniorum quæſturæ circa A. V. C. DCXIV. & DCXVII. demum occurrant, non videtur unus ex illis A. V. C. DXCVII. triumvir extitiſſe monetalis, quare in gente Fulvia aut Furia ille C. F. quærendus videtur, & in Rupilia literæ L. R. Invenio A. V. C. DCXIV. prætores urbanos C. Fulvium, item C. Furium C. F. Cn. N. Brocchum. Eodem anno ædilis plebis fuit L. Rupilius P. F. P. N. & tribunus plebis Q. Marcius Q. F. Q. N. Ralla. Ratio temporis permittit, ut jam ante Q. Marcium & L. Rupilium ſtatuamus cum C. Furio vel C. Fulvio triumvirum monetalem fuiſſe. Quamvis enim in Fam. Fabia hic denarius quoque exemplo Urſini ponatur; iſtis tamen temporibus Fabii non occurrunt, qui Quinti prænomen habuerunt.

Litera

Litera A.

Caput Jovis Capitolini laureatum cum semissis nota.

Quintus MARC*ius* LIBO. ROMA. Prora navis.

Semissis est assium illorum qui sequuntur, sed asses illi non majores sunt ambitu quam hic semissis est, tantoque semissis etiam minor pingi debuit. Publicavit vero hunc semissem quoque doctiss. Liebeus in Thesauro Frider. sive Gotha Numm. p. 394. docuitque nos semisses hosce fuisse dimidiæ in pondere unciæ, asses vero unciales.

II.

& Lit. B.

Caput Jani barbati laureatum geminum, cum remo, sive assis exstante nota, exeunte inter tempora.

Quintus MARC*ius* LIBO. ROMA. Prora navis, cujus ornatus in altero nummo aliquantum differt.

Assem hujus Quinti Marcii Libonis duarum unciarum pondus habere credidit Vaillantius, sed falli eundem docuit Liebeus l. c. atque mihi etiam patuit, experimento capto ex asse unciali, quem ipse possideo. Tempus, quo asses hi unciales, qui haud diu in usu fuerunt, sunt cusi, nos docet Plinius lib. XXXIII. cap. 3. *Post, Annibale urgente, Q. Fabio Maximo dictatore, asses unciales facti: placuitque denarium sedecim assibus permutari, quinarium octonis, sestertium quaternis. Ita respublica dimidium lucrata est. In militari tamen stipendio semper denarius pro decem assibus datus. Nota argenti fuere bigæ atque quadrigæ: & inde bigati quadrigatique dicti. Mox lege Papiria semiunciales asses facti.* Ex his evidenter patet, quamdiu asses unciales fuerint cusi, & ad quæ tempora pertineant familiæ atque viri, quorum nomina hisce assibus uncialibus inscribuntur. Quærendi illi scilicet sunt a dictatura Q. Fabii Maximi usque ad legem Papiriam, i. e. ab A. V. C. DXXXVI. quo dictator II. creatus fuit Q. Fabius Maximus Verrucosus, qui & Ovicula dictus est, attonito tum populo Romano ob cladem ad lacum Trasimenum acceptam, & necem consulis Flaminii, usque ad A. V. C. DLXXV. quo lata est lex illa pecuniaria de minuendo iterum monetæ pondere, a Cajo Papirio; namque ita non integris quadraginta annis unciales asses cusi fuerunt, succedentibus semiuncialibus; quo temporis intervallo docent hi nummi vixisse Marcios Libones, quorum illud cognomen apud nullos hodie scriptores exstat.

III.

Caput Romæ galeatum, cum quatuor globulis, trientis notis.

Quintus MARC*ius* LIBO. ROMA. Prora navis.

Quatuor globuli trientem in moneta ærea designant, indicant enim quatuor illum valere uncias, sive tertiam assis partem. Ad eundem Libonem pertinet. Sed forsitan legi in nummis oportet *Quintus* MARC*ius*. LIBO. ut per punctum distinguatur a Q. Marcio iste Libo, fuerintque in triumviratu monetali collegæ Q. Marcius & aliquis Scribonius Libo, de quo amplius est cogitandum.

MARIA.

Marii plebeji fuerunt, quod tribunatus plebis, ab iisdem gesti, ostendunt. C. Mario tamen VII. consule admodum clari.

TAB. I.

I.

Caius MARI*us Cai Filius* CAPIT*o*. XXVIII. Caput Cereris spicis exornatum.

Colonus, bobus ad aratrum junctis, arans. Additur numerus XXVIII.

Magna horum denariorum copia invenitur; videntur cusi a C. Mario C. F. illius C. Marii, qui septies consul fuit, nepote, eo tempore quo quæsturam gessisse videtur in Gallia Cisalpina sub Julio Cæsare, & ipso per Juliam amitam, Marii consulis uxorem, propinquo Marii. Conveniunt enim antiquarii cusum fuisse ab illo coloniæ typum, in innumeris hisce denariis, ad indicandam coloniam, quam in sexto consulatu suo C. Marius A. V. C. DCLIII. Eporediam in Gallico agro deduci fecit, cujus ex Plinio, Tacito, & Vellejo meminit Vaillantius. Cereris caput agrorum bonitatem indicare videtur. Capitonis cognomen a capitis magnitudine tractum videtur.

Litera A.

Caius MARI*us Cai Filius* CAPIT*o*. I. Caput idem Cereris.

Colonus, agens boves, ut supra, sed adscribitur numerus I. quibus numeris notatæ fuerunt matrices, ut a se invicem discernerentur.

Litera B.

Caius MARI*us Cai Filius* CAPIT*o*. XI. Caput idem Cereris.

Colonus agens boves; adest numerus XI.

Litera C.

Caius MARI*us Cai Filius* CAPIT*o*. XVII. Caput idem Cereris.

Colonus agens boves; adest numerus XVII.

Litera D.

Caius MARI*us Cai Filius* CAPIT*o*. XXIII. Caput idem Cereris.

Colonus agens boves, adest num. XIII.

II.

CAPIT*o*. XXXXIII. Caput idem Cereris, sed ante illud prora navis est.

Caius MARI*us Cai Filius. Senatus Consulto.* Colonus agens boves. Desuper numerus legitur XXXXIII.

XXXXIII. Ex nota illa patet ex ſenatus conſulto cuſos hosce denarios fuiſſe.

Litera E.

CAPITo. LXXV. Caput ejusdem Cereris, ante quod floſculus eſt.

Caius MARIus *Cai Filius. Senatus Conſulto.* Colonus agens boves. Deſuper eſt numerus LXXV. & in ambitu nummi reſtitutio Trajani, IMP*erator* CAES*ar* TRAIAN*us* AVG*uſtus* GER*manicus* DAC*icus Pater Patriæ* REST*ituit.*

Denarius antiquior, ad cujus typum hunc reſtituit optimus imperator, periiſſe videtur; pictura enim a reliquis omnibus diſcrepat, deæque caput collo longiore & nudo exhibet, & florem ante deæ faciem. Plures, notis numeralibus vel minoribus typis diſcrepantes ſequens tabella exhibebit.

III.

AVGVSTVS DIVI F*ilius.* Auguſti caput nudum in corona quernea.

Caius MARIVS *Cai Filius* TRO*gus* III VIR. Figura virilis velata, ſtans, dextra tenens ſimpulum.

Figuram illam virilem velatam ad ipſum Auguſtum refero, atque omnes hosce triumviri Marii Trogi cuſos exiſtimo illo anno, quo, mortuo Lepido, pontificatum maximum recepit Auguſtus, unde quoque lituus capiti ejusdem num. IV. V. & VI. adjungitur. Contigit illud A. V. C. DCCXLI. ſive, ut alii computant, DCCXL. Morellii pictura recte velato capite ſummum pontificem Auguſtum repræſentat, minus enim adcurate ab Urſino hic & ſequens denarius expreſſus fuit; unde credidit Vaillantius caput ejus non eſſe velatum, ſed civica corona exornatum, quod certe ad habitum pontificis non pertinet. Dextra tenet ſimpulum, vas ſacrum & ſolenne, ſed utrum lituum læva teneat juxta Vaillantium, in nummo, quem conſului, utpote minus bene ſervato, animadvertere non potui. Mutavit idem Vaillantius ſententiam ſuam de hoc denario, quam antea tulerat in Nummis Imp. usque ad Poſtumum, Tom. II. pag. 27. ubi cenſuerat Lucium Cæſarem, Agrippæ filium hic exprimi, tanquam ab Auguſto in augurum collegium adoptatum; Caji enim & Lucii Cæſarum, ut in collegium augurum adoptatorum, mentio in nummis demum occurrit A. V. C. DCCLI. vel, ut conputant alii, DCCLII.

Cognomen Trogi, quod & aliis familiis commune fuit, hæc Marii progenies habuit, ut a Mariis Capitonibus diſcerneretur.

IV.

AVGVSTVS. Caput Auguſti nudum; retro illud lituus eſt, pontificatus ejus inſigne.

Caius MARIVS *Cai Filius* TRO*gus* III VIR. Duæ figuræ togatæ ſtantes, læva tenentes chartas convolutas, ante pedes ſingulorum totidem ſcrinia ſunt. Notari præterea debet caput alterius, qui ad dextram eſt, laurea corona inſigniri, illius vero, qui ad ſiniſtram, corona turrita & roſtrata exornari, unde patet duas has figuras togatas non alios poſſe deſignare præter Auguſtum & Agrippam.

Vaillantius in libro memorato, quem de Imperatoribus edidit, hisce verbis prædictum typum deſcripſit. „ Duæ ſenatorum figuræ (inquit) quorum capita videntur turribus inſignita, ut vulgo Cybele depingitur, dextra ſcipionem, ſiniſtra chartam involutam gerunt; pro cujusque pedibus modius. " At vero in Nummis Familiarum p. 120. hanc dedit deſcriptionem: „ Duo ſenatores togati ſtantes, dextra ſcipionem, ſiniſtra chartam involutam. " Capita, quæ in priori deſcriptione turrita depingi dicit, talia revera non ſunt, alterum enim, quod Auguſti eſt, coronam habet lauream, alterum, quod Agrippæ, turritam & roſtratam, quæ quidem poſterior quibusdam quaſi muralis adparere poſſet, ſed non alia eſt, quam eadem ipſa, quæ Agrippæ datur in fam. Vipſania num. VII. & VIII. id eſt, turrita ſimul & roſtrata. Habeo hunc denarium elegantiſſime cuſum & egregie conſervatum, in quo, quantum adverſæ togatorum facies, & earum in denario exiguitas pati poteſt, clariſſime diverſitas pandentis quaquaverſum folia ſua laureæ, atque corona ſimul turrita & roſtrata conſpiciuntur. In utraque deſcriptione ſcipionem dextræ togatorum virorum inponit Vaillantius, quam neque Morellius expreſſit, neque ego in denario meo invenire potui, ſed in eodem clariſſime animadverti, plicaturam togæ exſtantem, quam dextra comprehendit utraque figura, occaſionem Vaillantio dediſſe, ut de ſcipione cogitaret. Denique miror in priore modios pro cujusque pedibus (de quibus in poſteriore ſilet) vocare, quod nequaquam figuram modii habet; quamvis in Morellii pictura non levius peccetur, ubi exactam aræ figuram ante utriusque pedes agnoſcas. Et tamen duæ illæ figuræ in meo ſcriniorum, ut debent, habent formam, & quidem ad amuſſim plane eandem, quam cernas apud Cl. Monteſalconium Tom. III. tab. III. num. 3. 5. 6. ita ut lorum quoque illud, quod in 3. & 5. ibidem obſervatur, in nummo meo, decuſſatim literam X. quaſi formans, rotunditatem utriusque ſcrinii ambiat. Eadem tabula ibidem, & aliquot ex præcedentibus, plures togatorum ſenatorum talia ad pedes ſcrinia habentium imagines præbent, egregie ad hujus denarii explicationem facientes. Exhibentur itaque Auguſtus & Agrippa, atque ad pedes eorum ſcrinia, in quibus conſulta & decreta ſenatus reponebantur; prouti patet ex aperto apud Monteſalconium ſcrinio num. 6. in quo adparent eminentes chartæ illæ convolutæ, quales ſiniſtra in hoc denario figuræ tenent. Plurima vero illo anno, quo pontifex ſummus factus eſt Auguſtus, acta in ſenatu fuerunt digna memoratu, nam & ſenatus fuit denuo recenſitus, & ſenatusconſultum factum fuit de XX. viris, pro XXVI. viris creandis, eorumque officiis, de petitione tribunatus plebis & alia, quæ operoſe recenſet Dio Caſſius lib. LIV. ad A. V. C. DCCXLI. p. 618. ed. Henr. Steph. & p. 540. Wech. quæ quoniam illuſtrant hujus nummi typum, legenda hic proponemus: *Secundum ea iterum ſenatus cenſura inita eſt. Quum enim initio ſenatoribus cenſus eſſet definitus quadringenta ſeſtertia, quoniam multi bellis inteſtinis paternas facultates amiſerant, progreſſu autem temporis, ac locupletioribus factis hominibus, is usque ad decies ſeſtertium auctus fuiſſet, nemo jam inveniri potuit qui ſponte ſua ſenator eſſe vellet: ſed fuere filii etiam, nepotesque ſenatorum, qui, ſive revera inopes, ſive propter majorum calamitates animis fracti, non modo non affectarent ſenatoriam dignitatem, ſed eam quoque adſcripti in ſenatorum numerum ejurarent. Itaque abſente adhuc ab urbe Auguſto, ſenatusconſultum fuerat factum, ut viginti viri (magiſtratus hoc nomen eſt) ex equitibus conſtituerentur; quorum* dein-

deinde nullus in senatum est allectus, nisi qui etiam alium magistratum, cujus ratione senator posset fieri, gessisset. Porro hi viginti viri in locum viginti & sex virorum successerunt: eorum tres ad capitalia judicia sunt ordinati: alii tres cudendo numismati præsunt: quatuor vias urbanas curant: decem judiciis iis, quæ ad centumviros forte deferuntur, præficiuntur. duo enim ii qui vias extra urbem curabant, & quatuor qui in Campaniam mittebantur, tunc abrogati erant. Id igitur senatusconsultum factum est Augusto absente: decretumque præterea, quoniam nemo facile tribunatum plebis petebat, ut forte ex iis qui quæstores fuissent, necdum quadragesimum annum attigissent, ii deligerentur. Tunc vero Augustus omnem eum ordinem examinavit: omissisque iis qui trigesimum quintum annum superassent, reliquos omnes, qui censum senatorium haberent, neque corpore essent manco, senatoros esse coëgit. Ipse quidem corpora eorum inspexit: de fortunis autem jurejurando ut verum profiterentur eos obstrinxit, juratis etiam iis qui testimonium ferrent, simulque rationem paupertatis & vitæ eos poposcit. Et hanc typi hujus singularis rationem esse existimo, licet enim non omnia, multa tamen ex iis præsens procuravit Augustus, ab Agrippa, ut in omnibus, adjutus, neque sine Augusti voluntate senatusconsulta hæc fieri potuerunt.

Alias duas interpretationes adtulit Vaillantius, quas utrum huic novæ præferre oporteat, breviter examinabimus. In minore & priore libro scripsit ita p. 27. „ Duo illi senatores videntur „ esse triumviri deducendæ coloniæ, ut apud „ Fulvium Ursinum C. Marius Capito perhibe„ tur: quare turribus cincta habere videntur ca„ pita. Decempeda est ad terram metiendam; „ charta involuta deductionis coloniæ senatus „ consultum; modius tritici plenus, præ terræ „ unius cujusque semine. " At neque turribus utriusque capita, uti docuimus, signantur, neque decempedam manu tenent, neque modius est, sed scrinium ante utriusque pedes. In libro posteriore & majori p. 120. hanc tulit sententiam: „ Duos illos senatores a C. Mario expres„ sos, consules esse, Tiberium nempe Claudium „ Neronem & P. Quinctilium Varum, arbitra„ mur, qui ludos votivos pro reditu Augusti con„ ceptos, quum in Galliam proficiscerentur, fe„ cere hoc anno DCCXLI. ut notat Dio lib. „ LIV. in quorum memoriam signatus est hic „ denarius. Modius ad pedes utriusque consulis, „ frumentum ab illis populo in his ludis distri„ butum denotat. " Sed coronæ illæ consulibus non conveniunt, præterea cuique, integriores atque melioris notæ denarios inspicienti, clare patebit, modium nequaquam exprimi, sed scrinium.

Litera F.

AVGVSTVS DIVI *Filius.* Caput Augusti nudum in corona quernea.

Caius MARIVS *Cai Filius* TR*ogus* III VIR. Figuræ togatæ ut supra, nam typus idem est.

Quernea corona in Augusti nummis sæpe cernitur, quæ videlicet illi servatori civium datur. Illa pro lubitu monetariorum vel additur nonnunquam vel omittitur.

Ad præcedentem nummum non adtuli conjecturam Harduini, qui scrinia quidem recte agnovit, sed typi rationem (ut passim) novis suis opinionibus pervertit. Verba ejus exstant ad Plin. Tom. II. p. 608. „ C. MARIVS C. F. TRO. „ IIIVIR. Duo viri togati sinistrorsum incedunt; sinistra tenent codicillos: ad pedes sua „ cuique arcula, ut videtur, adposita est, in „ qua chartas sive instrumenta publica reponeret. „ Cajus Marius pater est cum Cajo filio, qui „ functus eo magistratu cum patre, ei postea „ in eodem gerendo successit. Nam in nummis „ antiquis cum Cajus Caji F. scribitur, aut aliud „ simile prænomen, eodem ambos munere fun„ ctos esse significatur. " Quod quidem probandum Harduino fuit. Literas vero illas munus illud exprimentes sese reperisse putat in TROIIIVIR. quasi Trium ordinum triumvir illis significaretur, de quibus ad sequentem denarium VII. acturi sumus.

V.

AVGVSTVS. Caput Augusti nudum, retro illud est lituus, pontificatus summi insigne.

Caius MARIVS *Cai Filius* TRO*gus* III VIR. Quadrigæ decurrentes, in quibus palmæ est ramus.

Ad explicationem hujus denarii notari volo, in typo aversæ partis effuso cursu vehi quadrijugos equos, quod nusquam in monumentis observamus, in quibus alicujus triumphi memoria exprimitur; tunc enim tarde & cum pompa procedere cernuntur. Hinc patet nullum locum esse expositionibus quas hactenus viri docti excogitarunt. De quadrigis triumphalibus, sive honore triumphali Agrippæ decreto, ita Vaillantius. „ Monumentum (inquit in minore opere in 4°. „ p. 28.) triumphi M. Agrippæ ab Augusto de„ creti A. V. C. DCCXXXIV. quem modera„ tione recusavit. Ideo palmæ ramus trium„ phantis loco positus: Augustus enim, post„ quam Augusti nomen accepit, nullum trium„ phum egit. " Eadem fere repetit de Agrippæ ejus moderatione in Famil. Num. p. 119. „ Quadrigæ illæ, a Mario exhibitæ in aversa „ parte denarii Augusti, cum palmæ ramo tri„ umphantis loco, in memoriam Agrippæ mo„ derationem revocant; nam, quum post Gal„ lias, seditionibus turbatas, ab illo compressas, „ & Cantabros rebellantes deinde domitos, illi „ triumphum decrevisset Augustus, ex Dione, „ lib. LIV. eadem animi moderatione usus, qua „ alterum recusaverat, ab hoc pariter abstinuit: „ ideo Marius totus Agrippæ & ejus familiæ „ devotus, decretum Agrippæ triumphum hoc „ lemmate indicare voluit. " Interpretatio Vaillantii, uti dixi, utraque eodem redit, triumphi scilicet honorem concessum celebrari; sed, quod antea ad primum honorem triumphi, & A. V. C. DCCXXXIV. retulerat, nunc A. V. C. DCCXLI. adstringit; scilicet, quia postmodum animadvertit, anno post triumvirum monetalem Marium Trogum fuisse. Locus ille Dionis in illo libro ad A. V. C. DCCXL. exstat p. 538. *Ob hæc supplicatio Agrippæ nomine fuit, neque tamen is triumphum, etsi decretum sibi, duxit: sicut neque initio quicquam de his rebus gestis ad senatum perscripsit. Cujus exemplum pro lege quadam acceptum posteriores imitati, ne ipsi quidem senatum per literas de re gesta certiorem fecerunt, neque triumphum duxerunt: ideoque, ut ego censeo, nulli etiam alii, qui ejus similis esset, triumphus concessus deinde est, sed solis triumphalibus honoribus sunt ornati.* Prouti Vaillantii probare nequeo expositionem, sic propter eandem rationem multo minus conjectura Harduini placet. Verba sunt Harduini ad Plinium Tom. I. p. 387. „ Nummus argenteus „ apud

„ apud Patinum in Fam. p. 171. num. 5. AVGVSTVS. Caput Augusti nudum cum lituo. C. MARIVS C. F. TRO. IIIVIR. Palmæ ramus in quadrigis. C. Marii Consulis, qui hujus C. Marii trium Reip. ordinum triumviri proavus fuit, victorias de Cimbris & de Jugurtha indicat. Nam pro una victoria simplice bigæ tantummodo sculperentur. " In hac expositione pro ægri somnio habeo illum novum Harduinianum magistratum triumviri trium Reip. ordinum, donec reperiamus eundem apud idoneos auctores. Quadrigæ vero & bigæ nullo discrimine in victoriatis Romæ denariis observantur; C. Marius Trogus deinde nullos antiquioris Marii honores in denariis suis expressit, sed implevit illos honoribus & titulis domus Augustæ atque Vipsanii Agrippæ. Ut verbo dicam: typus hujus denarii solemnitatem istam ludorum votivorum exprimit, quos magno adparatu pro reditu Augusti celebratos fuisse constat, eodem illo A. V. C. DCCXLI. quo triumvir monetalis fuit hic C. Marius Trogus, atque omnes hos denarios signavit. Illos memorat Dio lib. LIV. pag. 540. Καὶ οὐκ ἐν μὲν τοῖς κοινοῖς τοιοῦτος ἦν, τῶν δ' ἰδιωτῶν παρημέλει. ἀλλὰ καὶ τῷ Τιβερίῳ ἐπετίμησεν, ὅτι τὸν Γάϊον ἐν τῇ πανηγύρει τῇ εὐκταίᾳ, ἣν ἐπὶ τῇ ἐπανόδῳ αὐτοῦ διετίθει, παρεκαθίσατο· καὶ τῷ δήμῳ, καὶ ὅτι καὶ κρότοις καὶ ἐπαίνοις αὐτὸν ἐτίμησαν. *Neque vero hac in publicis cura usus, privata neglexit: quinimo Tiberium increpavit, quod ludis votivis, quos pro suo reditu faciebat, Cajo juxta se sedem dedisset: populumque objurgavit, quod plausu & laudibus eam rem prosecutus esset.* Horum magnificentissimorum ludorum exstat adhuc memoria in marmorea basi, apud Gruterum pag. XI. num. 1.

TI. CLAVDIVS. TI. F. NERO
PONTIFEX. COS. ITERVM
IMP. ITERVM
LVDOS. VOTIVOS. PRO. REDITV
IMP. CAESARIS. DIVI. F. AVGVSTI
PONTIFICIS. MAXIMI
IOVI. OPTIMO. MAXIMO. FECIT
EX. S. C

Item in alia basi ibidem num. 2. sed, cujus perdita parte dimidia, altera tantum restat, quæque integra sic sese habuit.

P. Quintilius SEX. F. VARVS
Pontifex COS.
*Ludos votivos pr*O REDITV
*Imp. Cæsaris div*I F. AVGVSTI
*Iovi optimo m*AXIMO FECIT
*Ti. Claudio Ner*ONE CONLEGA
ex S. C

Circenses ludos in illa quoque lætitia fuisse exhibitos dubium non est. Adparet itaque in nummo illud Ovidii lib. III. Amor. El. II. versu 65.

Maxima jam vacuo prætor spectacula Circo,
Quadrijuges æquo carcere misit equos.

Palma maximo nisu petebatur, idque & ipsi sentire equi videbantur. Utrumque eadem elegia habes, posterius versu 67.

Cui studeas, video; vincet, cuicumque favebis,
Quid cupias ipsi scire videntur equi.

Prius vero versu 81.

Sunt dominæ rata vota meæ: mea vota supersunt.
Ille tenet palmam: palma petenda mihi est.

Festinant citato cursu equi quadrijugi, tanquam si sensum victoriæ haberent; palma ipsa currui inponitur, quia symbolum erat victoriæ, propter quam decurrerent, & typus integer symbolum est ludorum votivorum eo anno propter Augusti reditum exhibitorum.

VI.

AVGVSTVS. Caput Augusti nudum; retro illud lituus est, pontificatus ejus insigne.

Caius MARIVS TRO*gus* III VIR. Caput Dianæ, cujus coma diademate religatur, ad collum pharetra est.

Adulationis mira ars, qua Græcis nequaquam cesserunt Romani, ita tamen ut prudentius illis agerent, titulum quidem non adjicientes numinis, cui comparatos volebant quibus blandiebantur, sed capita deorum dearumque ponentes, quorum vim & potestatem Cæsari aut familiæ ejus vindicabant. Sic Dianæ habitu Agrippæ conjux Julia, Augusti filia, in hoc rarissimo & pulcherrimo celebratur denario; neque mirum, sicut enim inter ignes minores luna eminet, atque inter nymphas Diana, sic divinam Juliæ formam extollere voluit C. Marius.

Augusti pontificatus summus huic, uti diximus, anno, quo Marius triumvir fuit, convenit, teste quoque Dione l. c. cujus verba sunt pag. 540. Ἐπειδή τε τοῦ Λεπίδου μεταλλάξαντος ἀρχιερεὺς ἀπεδείχθη, καὶ διὰ τοῦθ' ἡ βουλὴ ψηφίσασθαι αὐτῷ ἠθέλησεν, οὔτε τι αὐτὸν προσήσεσθαι ἔφη, καὶ ἐγκειμένων οἱ, ἐξανέστη τε καὶ ἐξῆλθεν ἐκ τοῦ συνεδρίου. καὶ οὔτε ἐκεῖνα ἔτ' ἐκυρώθη, οὔτ' οἰκίαν τινὰ δημοσίαν ἔλαβεν. *Lepido postea mortuo Augustus quum esset summus pontifex creatus, ac propterea decernere quædam ipsi senatus vellet, professus nihil se admissurum, quum nihilominus instarent, surgens e senatu abiit. Ita neque eorum decreta adprobata sunt, neque domum publicam accepit.* Πολλάκις γὰρ καὶ ἰδίᾳ καὶ κοινῇ τῆς ἱερωσύνης ταύτης ἀξιούμενος, οὐκ ἐδικαίωσε ζῶντος τοῦ Λεπίδου λαβεῖν αὐτήν. *Quum sæpenumero & privatim & publico judicio hoc sibi sacerdotium expetiisset, non censuit tamen id vivo Lepido occupandum.* Dione eodem teste p. 531.

VII.

AVGVSTVS DIVI F*ilius*. Caput Augusti nudum in corona quernea.

Caius MARIVS TRO*gus* III VIR. Capita tria. In illis est Juliæ, Augusti filiæ, medium inter capita Lucii & Caji. Supra Juliæ caput corona est, laurea an myrtea?

In denario hoc pulcherrimo & rarissimo domus Augusti exprimitur, Julia filia, & nepotes Cajus & Lucius, Agrippæ ex Julia filii, quos adoptavit Augustus avus A. V. C. DCCXXXVI. vel, ut alii computant DCCXXXVII. ad quem annum meminit adoptionis ejus Dio pag. 533. Ἐπὶ δὲ δὴ τοῦ Γαΐου τε Φουρνίου καὶ Γαΐου Σιλανοῦ ὑπάτων, υἱὸν αὖθις ὁ Ἀγρίππας ἀνείλετο τὸν Λούκιον ὀνομασθέντα, καὶ αὐτὸν εὐθὺς ὁ Αὔγουστος μετὰ τοῦ ἀδελφοῦ τοῦ Γαΐου ἐποιήσατο, μὴ ἀναμείνας σφᾶς ἀνδρωθῆναι, ἀλλ' αὐτόθεν διαδό-

δόχοις τῆς ἀρχῆς ἀποδεῖξαι, ἵν' ἧττον ἐπιβουλεύηται. C. *Furnio, C. Silano coss. iterum natus est Agrippæ filius, cui Lucio nomen factum: hunc, & fratrem ejus Cajum, Augustus, quo tutior esset ab insidiis, non expectato dum virilem ætatem adtingerent, statim adoptavit.* Verum quid illa corona supra Juliæ caput sibi vult? Si myrtea est, nullum est dubium, quin Veneri parem formam denotet, prouti sub ipsius deæ Veneris forma depingitur Julia num. VIII. Si laurea est, ad modestiam Cæsaris ipsius referri potest, cujus quædam specimina exhibens Dio, edita illo anno, quo Marius hos denarios signavit, & hoc narrat pag. 539. Τῇ δ' ὑστεραίᾳ ἔν τε τῷ παλατίῳ τὸν δῆμον ἠσπάσατο, καὶ ἐς τὸ Καπιτώλιον ἀνελθὼν, τήν τε δάφνην ἀπὸ τῶν ῥάβδων περιεῖλε, καὶ ἐς τὰ τοῦ Διὸς γόνατα κατέθετο. *Postridie quam in urbe venit, in palatio populum salutavit: & in Capitolium adscendens, lauream fascibus detraxit, ac ad Jovis eam genua deposuit: eademque die balnea & tonsores populo gratis præbuit.*

Creditum olim fuit triumvirorum restituendæ reipublicæ tria hæc capita esse; melius postea edocti sunt antiquarii. Sed Harduinus novam & miram prorsus excogitavit hujus typi solutionem. Scribit itaque ad Plinium Tom. II. pag. 608. „ Apud Patinum in Familiis, pag. 171. „ num. 3. 4. 5. 6. 7. 8. legitur C. MARIVS „ TROIIIVIR. Hoc est, *Caius Marius Trium* „ *Reipublicæ ordinum triumvir:* Orator procurans „ negotia senatus populique Romani & equestris „ ordinis. In eo nummo tria sunt capita viro„ rum, veluti ordine sinistrorsum incedentium: „ primum nudum senile, Populi Romani: me„ dium virile, diadematum, Senatus; postre„ mum, juvenile, nudum, Equestris Ordinis. „ Mirum profecto, non esse hunc magistratum „ Romanæ historiæ scriptoribus cognitum. " Addo: mirum profecto, homini sanæ mentis tales nugas, nisi ad risum captandum vel præbendum, placere vel excogitari potuisse.

Litera G.

AVGVSTVS. Caput Augusti nudum, cum lituo, summi pontificatus, recens adepti, insigni.

Caius MARIVS TRO*gus* IIIVIR. Eadem tria capita, cum corolla, quæ supra medium caput, quod Juliæ est, cernitur.

Explicatio hujus nummi ex præcedenti petenda est.

VIII.

Senatus Consulto. Caput Veneris.

Caius MARIVS TRO*gus* III VIR. Capita eadem, cum corolla eadem.

Recte animadvertit Vaillantius per Venerem hic Juliam, Augusti filiam, sicuti supra num. VI. per Dianam exprimi. Docet idem opportune, literas S. C. significare factum fuisse senatusconsultum, ut triumviri monetales Cæsaris exprimerent adoptionem liberorum Agrippæ & Juliæ factam ab avo Augusto, cum adscripta nota senatusconsulti, quæ alias æreis nummis adponi solet, quorum cura pertinebat ad triumviros monetales, quorum electio penes senatum, ex divisione cum Augusto facta, erat. Miror vero Vaillantii ejusdem parachronismum ad num. VI. ubi de Dianæ typo ita scribit. „ Quidam Dianam „ in denario expressam ad Siciliam, cujus illa pa„ trocinio gaudebat, referunt, quod hoc anno „ DCCXLVII. quo Marius triumvir monetalis „ fuisse videtur, Augustus imperator VIII. & „ IX. adpellabatur, & denarii occurrant cum „ hoc titulo; & in aversa parte Siciliæ Diana „ venatrix, cum epigraphe SICIL. depicta sit. " Marius Trogus enim triumvir monetalis fuit A. V. C. DCCXLI. uti recte agnoscit ad num. IV. omnesque hi denarii uno eodemque anno signati fuerunt.

Litera H.

MVN*icipium* CAL*aguris* IVL*ia*. Caput Augusti nudum.

Quinto VRSO *Caio* MAR*io* CAP*itone* II VIR*is*. Bos, coloniæ symbolum.

Videtur hic C. Marius Capito filius vel propinquus fuisse ejus C. Marii Capitonis, cujus supra habuimus denarios in quæstura provinciali Gallica, sub Julio Cæsare cusos. Neque forsan ideo Marii Capitones apud Romanæ historiæ scriptores occurrunt, quod Mariorum illa familia cum hoc C. Mario Capitone, in Hispaniam sub Augusto migraverit, vel cum patre sub Julio; ab utroque enim Calagurritani plurima beneficia retulerunt. Agit de hoc nummo Vaill. de Colon. Tom. I. pag. 33.

Litera I.

IMP*erator* AVGVS*tus*. MVN*icipium* CA*Lenum* IVL*ium*. Caput Augusti nudum.

Caio MARI*o*, *Marco* VAL*erio* QVAD*rato* IIVIR*is*. Bos, coloniæ symbolum.

Utrum hic Cajus Marius idem sit, dubium videri potest, primum, quod Capitonis non adsit cognomen, deinde, quod in uno ex duobus nummis iterum duumvir scribi deberet. Idem tamen esse potest, si is qui in priori nummo legitur C. MAR. in hoc non debeat legi C. MARI. sed C. MAR. I. vel IT. i. e. *Caio* MAR*io* IT*erum* &c. Vel, quod eligo, ut idem Marius bis duumvir fuerit, licet non addatur ille titulus IT*erum*, nam in duobus ultimis hujus tabellæ nummis simile exemplum & similis scriptura est in C. Mario Vegeto. Marii in Hispania ad magnas divitias pervenerunt. Memoratur enim Tacito VI. Annal. cap. 19. Sextus, Hispaniarum ditissimus, & miserum ejus fatum, sub Tiberio. *Post quos Sex. Marius, Hispaniarum ditissimus, defertur incestasse filiam, & saxo Tarpejo dejicitur; ac ne dubium haberetur, magnitudinem pecuniæ malo vertisse, aurariasque ejus, quamquam publicarentur, sibimet Tiberius seposuit, &c.* Evaserat ante damnationem iniquo tempore in jus tractus. Tacit. Annal. lib. IV. cap. 36. *Ceterum postulandis reis tam continuus annus fuit, ut feriarum Latinarum diebus, præfectum urbis Drusum, auspicandi gratia tribunal ingressum, adierit Calpurnius Salvianus in Sex. Marium; quod a Cæsare palam increpitum caussa exilii Salviano fuit.* Nummum hunc recenset Vaill. in libro laudato pag. 34. dubius animi, utrum C. Marius IIvir in nummo memoratus, sit idem ille C. Marius Capito IIvir, an alius.

Litera K.

TI*berius* CAESAR AVGVSTVS *Pontifex Maximus.* Caput Tiberii laureatum.

MVN*icipium* TVR*iaso Caio* MARI*o* VEGETO. *Marco* ANT*onio* MVSO IIVIR*is.* Bos, coloniæ ſymbolum.

Municipium Turiaſo, urbs fuit Hiſpaniæ Tarraconenſis in Celtiberis. Marii, qui ibi extiterunt, cognominati fuerunt Vegeti, ſicuti Capitones, qui in municipio Caleno Julio honores geſſerunt.

Litera L.

TI*berius* CAESAR AVG*ustus* IMP*erator* PONT*ifex Maximus.* Caput Tiberii laureatum.

MVN*icipium* TVR*iaso Caio* MARI*o* VEGETO, *Marco* PONT*io* MARSO IIVIR*is.* Bos, coloniæ ſymbolum.

Alius collega in hoc nummo C. Mario Vegeto adjungitur, ſicuti in municipii Caleni modo explicatis nummis exemplum ſimile in C. Mario Capitone habuimus.

TAB. II.

quæ a Morellio eſt addita.

I.

CAPIT*o.* XXXXIIII. Caput Cereris ſpicis coronatum, ad faciem anguis eſt.

Caius MARI*us Cai Filius. Senatus Conſulto.* Colonus agens boves, ſuperſcribuntur notæ numerales XXXIIII.

Vidimus jam hujus typi explicationem ad nummos priores tabulæ præcedentis. Omnes vero illi, qui in hac tabula comparent, numeris matricum & ſignis monetariorum tantum differre videntur.

II.

CAPIT*o.* XXXXV. Caput idem Cereris ſpicis coronatum, ad faciem eſt figura quaſi canis ſupini ſine capite.

Caius MARI*us Cai Filius. Senatus Conſulto.* Colonus agens boves, deſuper eſt numerus XXXXV.

III.

CAPIT*o.* LV. Cereris idem caput, ad faciem ſive guttur eſt flos apertus.

Caius MARI*us Cai Filius. Senatus Conſulto.* Colonus agens boves, deſuper eſt numerus LV.

IV.

CAPIT*o.* LVIII. Caput idem Cereris cum ara accenſa.

Caius MARI*us Cai Filius. Senatus Conſulto.* Colonus agens boves, deſuper eſt numerus LVIII.

V.

CAPIT*o.* LVIIII. Caput idem Cereris cum ſceptro.

Caius MARI*us Cai Filius. Senatus Conſulto.* Colonus agens boves, deſuper eſt numerus LVIIII.

VI.

CAPIT*o.* LXIIII. Caput idem Cereris, ante illud eſt lilium apertum.

Caius MARI*us Cai Filius. Senatus Conſulto.* Colonus agens boves, deſuper eſt numerus LXIIII.

VII.

CAPIT*o.* LXVIII. Caput idem Cereris, ante illud eſt folium aliquod arboris.

Caius MARI*us Cai Filius. Senatus Conſulto.* Colonus agens boves, deſuper eſt numerus LXVIII.

VIII.

CAPIT*o.* LXXV. Caput idem Cereris, ante illud eſt floſculus ſeſe aperiens.

Caius MAR*ius Cai Filius. Senatus Conſulto.* Colonus agens boves, deſuper eſt numerus LXXV.

IX.

CAPIT*o.* LXXVIII. Caput idem Cereris, ante illud eſt ſcorpio.

Caius MARI*us Cai Filius. Senatus Conſulto.* Colonus agens boves, deſuper eſt numerus LXXVIII.

X.

CAPIT*o.* LXXX. Caput idem Cereris, ante illud avis cujusdam eſt roſtrum.

Caius MARI*us Cai Filius. Senatus Conſulto.* Colonus agens boves, deſuper eſt numerus LXXX.

XI.

CAPIT*o.* LXXXI. Caput idem Cereris, ante illud amphisbæna eſt.

Caius MARI*us Cai Filius. Senatus Conſulto.* Colonus agens boves, deſuper eſt numerus LXXXI.

XII.

CAPIT*o.* LXXXVIIII. Caput idem Cereris, ante illud lilium apertum eſt.

Caius MARI*us Cai Filius. Senatus Conſulto.* Colonus agens boves, deſuper eſt numerus LXXXVIIII.

XIII.

CAPIT*o.* LXXXX. Caput idem Cereris, ante quod fax accenſa eſt.

Caius MARI*us Cai Filius. Senatus Conſulto.* Colonus agens boves, deſuper eſt numerus LXXXX.

XIV.

CAPIT*o.* LXXXXII. Caput idem Cereris, nulla adeſt nota.

Caius MARI*us Cai Filius. Senatus Conſulto.* Colonus agens boves, deſuper eſt numerus LXXXXII. In omnibus hisce litera T. inverſa ponitur pro L. atque quinquagenarium numerum denotat, quod ad nummos gentis Calpurniæ aliosque itidem obſervari velim.

XV.

CAPIT*o.* CII. Caput idem Cereris, cum lyra.

Caius MARI*us Cai Filius. Senatus Conſulto.* Colonus agens boves, deſuper eſt numerus CII.

XVI.

CAPIT*o.* CIII. Caput idem Cereris, adeſt flabelli, ut videtur, genus.

Caius MARI*us Cai Filius. Senatus Conſulto.* Colonus agens boves, deſuper eſt numerus CIII.

XVII.

CAPIT*o.* CIIII. Caput idem Cereris, cum ſpeculo.

Caius

Caius MARI*us Cai Filius. Senatus Consulto.* Colonus agens boves, desuper est numerus CIIII.

XVIII.

CAPITO. CXI. Caput idem Cereris, adest speculum.

Caius MARI*us Cai Filius. Senatus Consulto.* Colonus agens boves, desuper est numerus CIV.

XIX.

CAPIT*o*. CXI. Caput idem Cereris, adest caput bubulum.

Caius MARI*us Cai Filius. Senatus Consulto.* Colonus agens boves, desuper est numerus CXI.

XX.

CAPIT*o*. CXV. Caput idem Cereris, adest arcus.

Caius MARI*us Cai Filius. Senatus Consulto.* Colonus agens boves, desuper est numerus CXV.

XXI.

CAPIT*o*. CXX. Caput idem Cereris, adest vas, quod diota dicebatur.

Caius MARI*us Cai Filius. Senatus Consulto.* Colonus agens boves, desuper est numerus CXX.

XXII.

CAPIT*o*. CXXXIII. Caput idem Cereris, & adest nescio quid oblongum.

Caius MARI*us Cai Filius. Senatus Consulto.* Colonus agens boves, desuper est numerus CXXXIII.

XXIII.

CAPIT*o*. CXXXIII. Caput idem Cereris; adest apex pontificalis.

Caius MARI*us Cai Filius. Senatus Consulto.* Colonus agens boves, desuper est numerus CXXXIII.

XXIV.

CAPIT*o*. CXXXV. Caput idem Cereris, adest canis venaticus currens.

Caius MARI*us Cai Filius. Senatus Consulto.* Colonus agens boves, desuper est numerus CXXXV.

XXV.

CAPIT*o*. CXXXVII. Caput idem Cereris, adest asini caput.

Caius MARI*us Cai Filius. Senatus Consulto.* Colonus agens boves, desuper est numerus CXXXVII.

XXVI.

CAPIT*o*. CXXXXI. Caput idem Cereris, adest sæpia piscis.

Caius MARI*us Cai Filius. Senatus Consulto.* Colonus agens boves, desuper est numerus CXXXXI.

XXVII.

CAPIT*o*. CXXXXV. Caput idem Cereris, adest cyathus.

Caius MARI*us Cai Filius. Senatus Consulto.* Colonus agens boves, desuper est numerus CXXXXV.

XXVIII.

CAPIT*o*. CXXXXVIII. Caput idem Cereris, adest diota.

Caius MARI*us Cai Filius. Senatus Consulto.* Colonus agens boves, desuper est numerus CXXXXVIII.

Ex hisce tot diversis cum eodem typo denariis Marianis adparet scilicet, minimum fuisse centum & quinquaginta matrices, illasque matrices in posteriore parte easdem habuisse notas, ne confunderentur illæ partes. Totidem vero colonias agrarias Italicas diversas nobis hic nobis procudit Harduinus, mira illa explicatione, quam dedit ad Plin. Tomo I. p. 387. „ Ejusdem C. Marii C. F. nummi sunt, inscripti „ CAPIT. LXXVIII. aliove simili numero, „ hac sententia, *Colonia Agraria Per* IT*aliam* „ LXXVIII.

MEMMIA.

Gens Memmia plebeja fuit, ut patet ex honoribus ab eadem gestis, tribunatu plebis, & ædilitate plebis.

I.

Caius MEMMI*us Cai Filius.* Caput Romuli laureatum, cum longis capillis & barba calamistrata, adscribitur retro caput ejus inter cælites recepti adpellatio QVIRINVS.

MEMMIVS AED*ilis* CERIALIA PREIMVS FECIT. Dea Ceres sedens læva manu spicas dextra colum tenet, ante pedes est anguis. Pro face recte exprimi existimant colum Ursinus, illumque secutus Vaillantius, non enim fax est, ut a Morellio depingitur, nam colus ex denario nitidissimo, quem ipse servo, confirmatur. Pejore intuitu pro decempeda accepit Begerus Thes. Brand. Tom. II. pag. 565. quamvis sculptor ejus facem delineaverit. Spicæ Cereri propter terræ ubertatem adduntur & serpens, in memoriam peragratæ terræ, tunc enim vecta fuit curru a draconibus tracto. Colus domesticam curam matronarum docere videtur; nisi velimus cum Ursino interpretationem ex Porphyrio quærere, qui in libello de antro Nympharum ita scriptum reliquit, Οὕτω καὶ παρὰ τῷ Ὀρφεῖ Κόρη, ἥπερ ἐστὶ παντὸς τῶν σπειρομένων ἔφορος, ἱστουργοῦσα παραδίδοται, τῶν παλαιῶν καὶ τὸν οὐρανὸν πέπλον εἰρηκότων: i. e. *Ita & ab Orpheo Proserpina, quæ seminibus præest, lanam faciens inducitur, veteribus cælum ipsum adpellantibus peplum.*

Cajus Memmius; a quo hic denarius, ut & ille qui num. II. sequitur, cusus est; Caji scribitur filius. Unde videtur pertinere ad Cajum Memmium, filium Caji Memmii Gemelli L. F. C. N. & Faustæ, filiæ dictatoris Sullæ, quæ post Q. Pompeji Rufi fata C. Memmio Gemello nupsit, illi ipsi cui pulcherrimum suum opus de Natura Rerum dedicavit Lucretius. Ut vetustum familiæ Memmiæ decus adferatur, inscribitur aversæ parti ad Cereris effigiem Memmius ædilis Cerealia primus fecisse; veluti ex nummo gentis Serviliæ Floralia primus fecisse colligitur quidam Servilius, propter Floræ adpictum caput, & literas FLORA*lia* PRIMVS scilicet *fecit*, ut omnes legunt. Ubi tamen vide quæ dicturi sumus.

Duæ diversæ virorum doctorum de hac inscriptione sunt sententiæ. Quidam respici ad Cereales ædiles existimant tempore Julii Cæsaris creatos, & C. Memmium unum ex illis credunt fuisse. Alii existimant respici instaurationem ludorum Cerealium, qui celebrari solebant XIII. Kal. Maji, sive die Aprilis XIX. quique post Cannensem cladem fuerunt intermissi, atque tredecim post annis mense Aprili A. V. C. DLI. rursus fuerunt instaurati, atque Memmii illius hic renovari memoriam; qui primus Cerealia post cladem Cannensem fecerit. Priori sententiæ fundamentum ex Dione petitur, qui ad annum V. C. DCCX. scribit lib. XLIII.

XLIII. p. 239. Καὶ ἐς μὲν τὸ πρῶτον ἔτος, πρότερον καὶ ἀγορανόμοι, τότε πρῶτον, δύο μὲν καὶ ἐξ εὐπατριδῶν, τέσσαρες δὲ ἐκ τοῦ πλήθους· ὧν οἱ δύο τὴν ἀπὸ τῆς Δήμητρος ἐπίκλησιν φέρουσιν. *Eodem anno primum sex ædiles sunt constituti, duo patricii, qui Cereris ædiles vocarentur, quatuor plebeji. isque mos ad nostram usque ætatem exinde perductus est.* Verum ibi illi duo ædiles Cereris patricii vocantur, gens autem Memmia plebeja fuit. Sed & altera sententia difficultate maxima laborat. Censet Vaillantius A. V. C. DLI. sive decimo tertio post cladem Cannensem, quo restituti sunt ludi Cereales, hactenus intermissi, Memmium primum fuisse qui Cerealia fecerit, qui, utpote ædilis, ludis præfuerit. Sed neque Cerealia eo anno fecit Memmius, neque ludos edere potuit, utpote, qui inter ædiles ejus anni vel sequentium aliquot non reperiatur. Ædiles enim plebis fuerunt eo anno P. Ælius Tubero & L. Lætorius, ludos vero, sive Cerealia, dictator & magister equitum fecerunt. Rem paullo altius repetamus, ut sententiæ ejus improbabilitas clarius pateat. Scribit Livius lib. XXX. cap. 39. *M. Servilius, ne comitiorum caussa ad urbem revocaretur; dictatore dicto C. Servilio Gemino, in provinciam est profectus. Dictator magistrum equitum P. Ælium Pætum dixit. Sæpe comitia indicta perfici tempestates prohibuerunt. itaque quum præter Idus Martias veteres magistratus abissent, novi suffecti non essent; Respublica sine curulibus magistratibus erat. L. Manlius Torquatus pontifex, eo anno mortuus. in locum ejus suffectus C. Sulpicius Galba. Ab L. Licinio Lucullo, & Q. Fulvio ædilibus curulibus, ludi Romani tertio instaurati. Pecuniam ex ærario scribæ viatoresque ædilitii clam egessisse per judicem comperti, damnati sunt; non sine infamia Luculli ædilis P. Ælius Tubero & L. Lætorius ædiles plebis vitio creati, magistratu se abdicarunt, quum ludos ludorumque caussa epulum Jovi fecissent, & signa tria ex multaticio argento facta in Capitolio posuissent. Cerealia ludos dictator & magister equitum ex senatus consulto fecerunt.* Habemus ibi magistratus ejus anni, & gesta ab iisdem. Occurrunt ædiles curules, qui ludos ad se spectantes curaverint, plebeji item, qui jam ludos ad se spectantes edere inceperant, sed comperti, quod vitio creati fuissent, propterea coacti fuerunt abdicare. Cereales itaque ludi, sive, ut amavit scribere Livius, *Cerealia ludi*, nequaquam ab ædilibus plebis P. Ælio Tuberone, & L. Lætorio, facti fuerunt, quoniam iidem vitio fuerant creati, sed dictator & magister equitum ex senatusconsulto eosdem fecerunt. Quis itaque locus hic Memmio relinquitur? qui neque isto anno ædilis plebis fuit, neque proximo, quo ædilitatem istam sortiti sunt L. Apustius & Q. Minucius, quos & ludos plebejos fecisse testatur Livius lib. XXXI. cap. 4. *Et plebeji ludi ter toti instaurati ab ædilibus plebis, L. Apustio Fullone, & Q. Minucio Rufo: qui ex ædilitate prætor creatus erat, & Jovis epulum fuit ludorum caussa.*

Aliud itaque tempus, quo Cerealia a Memmio primum facta fuerint, quærendum est. Occurrunt Memmii primi in reipublicæ Romanæ magistratibus A. V. C. DXVIII. ubi tribunus plebis agnoscitur L. Memmius L. F. C. N. apud Pigh. Tom. II. p. 94. & dein A. V. C. DLXVIII. quo quæstorem provincialem collocat Pighius C. Memmium, qui postea legationibus ad Ætolos atque Gallos functus fuit, & ad præturam usque processit. Gentem vero Memmiam longe esse antiquiorem docet Virgilius, qui in gratiam potentiæ ejusdem, a Trojanis usque temporibus deducit, lib. V. versu 117.

> *Mox Italus Mnestheus, genus a quo nomine Memmi.*

Credibile itaque est, etiam ante tempora belli Punici secundi magistratus & ædilitatem plebis a Memmiis gestam fuisse. Unde existimo illud MEMMIVS AED*ilis* CERIALIA PREIMVS FECIT antiquissima respicere tempora, quibus primus ex plebe Memmius quidam, ut ædilis, sacra ista fecerit. Instituti autem fuerunt ædiles plebis primi A. V. C. CCLX. uti ex Dionys. Halicarn. & Zonara docet Pighius Tomo I. p. 94. crevitque processu temporum onus eorundem, quum & curatio sacrorum & ludorum quorundam accederent. Unde apud Cicer. in Verr. lib. V. cap. 14. *Nunc sum designatus ædilis; habeo rationem, quid a populo Romano acceperim, mihi ludos sanctissimos maxima cum ceremonia Cereri, Libero, Liberæque faciundos.* Quum itaque inter illa onera Cerealium quoque curam ædilitas ista accepisset, Memmium quemdam primum fuisse, qui onus illud subierit, tacentibus libris, hi denarii nos docent. Annus vero, quo illud factum fuerit, & Memmius, qui fecerit, in tanta veterum historiarum caligine penitus ignoti nobis sunt. In ipsa inscriptione interim vetustatis quoque adfectatio notanda venit, quod CERIALIA & PREIMVS pro CEREALIA & PRIMVS scribatur; Quo spectat illud Servii ad Virg I. Æn. versu 181. *Et sciendum est, judice euphonia, dici Cerealia vel Cerialia, Typhoea vel Typhoia, Cæsareanus vel Cæsarianus. In his ergo licentia derivationis est.*

Romuli, inter divos jam relati, & propterea novo nomine Quirini dicti, habitu augustiore, facies verenda in parte denarii anteriore occurrit; illudque propter, perpetuam victoriarum gloriam, secuturarumque deinceps omen, lauro coronatur, non diademate, ut successorum Numæ & Anci Marcii. Cur caput illius in nummo adpareat, duplex ratio dari potest; vel quod, pro insania illius temporis, falsos etiam nobilitatis titulos adfectantis, ad Romuli cognationem genus suum extenderint Memmii, unde an Quirini quoque cognomen ab eodem Memmio adsumtum sit, adfirmare non ausim, quamvis Calpurnii Quirini & Sulpicii Quirini aliique occurrant. Vel quod, ut existimo, ad noscendam faciem cujus sit, adponatur, sicuti nomen Numæ & Anci in Calpurniæ gentis nummis. Caussa Romuli exprimendi Vaillantio creditur esse ad antiquitatem sacrorum illorum denotandam; quia ille Cerealia cum Lupercalibus, antiquissima Græcorum sacra, tantum receperit. De Lupercalibus, ut a Romulo institutis, scio mentionem apud Valerium Maximum esse, de Cerealibus a Romulo institutis nihil mihi memoria suggerit. Forsitan, quoniam Quirinus hic adpellatur Romulus, C. Memmius jactavit gentem suam olim quidem fuisse patriciam, atque lectam inter flamines Quirinales a Numa institutos, quorum flaminum & Quirini nominis originem nos docet Dionys. Halicarnass. lib. II. p. 124. Αὐτόν τε τὸν Ῥωμύλον, ὡς κρείττονα γενόμενον ἢ κατὰ τὴν θνητὴν φύσιν, ἱερῷ κατασκευῇ καὶ θυσίαις διετησίοις ἔταξε Κυρῖνον ἐπονομαζόμενον γεραίρεσθαι. ἔτι γὰρ ἀγνοούντων τὸν ἀφανισμὸν αὐτοῦ Ῥωμαίων, εἴτε κατὰ δαίμονος πρόνοιαν, εἴτε ἐξ ἐπιβουλῆς ἀνθρωπίνης ἐγένετο, παρελθών τις εἰς τὴν ἀγορὰν Ἰούλιος ὄνομα, τῶν ἀπ' Ἀσκανίου, γεωργικὸς ἀνήρ, καὶ τὸν βίον ἀνεπίληπτος,

ὅσ

ος μηδὲν ἂν ψεύσασθαι κέρδους ἕνεκα οἰκείου, ἔφη παραγινόμενος ἐξ ἀγροῦ Ῥωμύλον ἰδεῖν ἀπιόντα ἐκ τῆς πόλεως, ἔχοντα τὰ ὅπλα· καὶ ἐπειδὴ ἐγγὺς ἐγένετο, ἀκοῦσαι ταῦτα αὐτοῦ λέγοντος· „ Ἄγγελε Ῥωμαίοις Ἰούλιε τὰ „ παρ' ἐμοῦ, ὅτι με ὁ λαχὼν ὅτε ἐγενόμην δαίμων „ εἰς θεοὺς ἄγεται, τὸν θνητὸν ἐκπληρώσαντα αἰῶνα. εἰμὶ „ δὲ Κυρῖνος. " *Ipsum quoque Romulum, ut qui mortali homine factus esset augustior, templo & alternis annis sacrificio sub Quirini cognomento coli voluit. nam cum adhuc non satis constaret, a diisne raptus esset, an interceptus insidiis hominum, prodiit in forum Julius quidam, oriundus ab Ascanio, agriculturæ studiosus, vitæque inculpatæ, & in quem nulla corruptelæ suspicio caderet: is dixit, se, cum rure domum rediret, Romulum cum armis suis ex urbe abeuntem vidisse: cumque propius accessisset, hæc ex ipso audisse: Nuntia meo nomine Romanis, Juli, in deorum cœtum me duci a meo genio, qui mihi nascenti contigit. jam enim mortale ævum explevi, ac sum Quirinus.*

Litera A.

I.

Caius MEMMIVS *Cai Filius* QVIRINVS. Caput Quirini, ut supra.

MEMMIVS AED*ilis* CERIALIA PREIMVS FECIT. Ceres sedens, ut supra, cum colo, spicis, & serpente. Nota restitutionis in exteriore circulo est. IMP*erator* CAES*ar* TRAIAN*us* AV*Gustus* GER*manicus* DAC*icus* *Pater Patriæ* REST*ituit*.

Rarum & insignem denarium rarissimum hæc Trajani restitutio facit.

II.

Caius MEMMI*us Cai Filius*. Caput Cereris spicis exornatum.

Caius MEMMIVS IMPERATOR. Tropæum, ad cujus imum est captivus nudus, ingeniculatus, manibus post terga revinctis.

Vox QVIRINVS, quæ præcedenti denario adest, & huic deest, colligitur hinc ad Romuli faciem designandam tantum pertinere, cognomen vero Memmii non esse. Caput Cereris ab altera parte, ab altera tropæum cum captivo exprimi putat Vaillantius propter Memmii ipsius, qui denarium signavit, ædilitatem, & patris in Ponto victorias. „ Caput, inquit, Ce„ reris expressisse videtur, quod, ædilis factus, „ ludos Cereris edidit, & in parte aversa exhi„ buit tropæum, a patre erectum in Ponto, ut „ Fulvius auguratur, ob aliquam victoriam, „ unde imperatoris titulum retulerit: quum Bi„ thyniam, cum qua junctus erat Pontus, pro„ vinciam obtinuit A. V. C. DCXCVI. " At vero ædiles pecuniam non signabant, sed triumviri monetales vel quæstores; filius itaque C. Memmius, quæstoris obiens munus, adfuisse videtur patri C. Memmio, viro in historiis Romanis notissimo, atque ex inimicitia atque amicitia cum Cæsare, Catulli carminibus, defensione Ciceronis, & dedicatione operum Lucretii celeberrimo. In illa quæstura militari hos denarios in honorem victoriæ paternæ signavit, & præcedentes ad nobilitatem gentis Memmiæ indicandam; in quibus sicuti Cereris effigies in posteriori parte est ad Cerealia designanda, ita in hisce caput ejusdem deæ, spicis ornatum, depingitur in parte priore, eodem plane sensu, neque cum ædilitate Memmii quidquam commune habet, qui tunc quæsturam tantum gerebat.

III.

Caput Jovis laureatum cum semissis nota, quam Ursinus, & illum secutus Vaillantius, perperam (quasi S. C. exstaret) senatusconsulti notam esse crediderunt.

Lucius MEMMI*us*. ROMA. Adest nota semissis. Prora navis; ad proram advolat Victoria cum corolla. Nummum, quem Ursinus nactus fuit, Vaillantius vero non consuluit viditve, adparet, detritum & male habitum fuisse, quoniam Victoria in illo deest.

Inter Memmios invenitur L. Memmius L. F. C. N. tribunus plebis fuisse A. V. C. DXVIII. ab hoc cusum opinatur nummum hunc Vaillantius eo tempore, quo quæstor urbanus exstitit, id est, ante illius tribunatum plebis, bello Punico primo, quod a vero abhorrere non videtur. Quæsturam ejus an invenire possimus videamus, dux ad illam Victoria illa ad proram erit, quæ clarissime docet victoriam insignem navalem reportatam fuisse eo anno, quo cusus hic semissis est. Occurrit nobilissima quæ huc spectare videtur victoria Romanorum in mari a Pœnis reportata, A. V. C. DXI. a consule C. Lutatio Catulo, ad Ægates insulas, demersis, juxta Polybium, hostium navibus quinquaginta, captis septuaginta, omni adparatu instructis & onustis. Hæc victoria bello Punico primo, quod per annos XXIII. duraverat, finem imposuit, & C. Lutatio Catulo egregium triumphum A. V. C. DXII. peperit, atque dignissima fuit, ut ære perenniorem in manibus suis quotidie in ære adspicerent Romani. Quæstorem itaque urbanum statuo fuisse L. Memmium hunc A. V. C. DXI.

IV.

Caput juvenile laurea corona ornatum, adest denarii nota. Sed notari debent folia laurus, quæ oblonga quidem sunt sed acuminata & incisa, qualia laurus silvestris habere solet.

Lucius MEMMI*us*. Dioscuri stantes cum equis.

Ad L. Memmium filium ejus, qui præcedentem denarium signavit, hunc cum Vaillantio refero. Fuit iste tribunus plebis A. V. C. DLI. sed hunc denarium, ut ego quidem puto, in quæstura signavit. Vaillantii enim opinioni accedere non possum, credentis, illum postea ædilem & prætorem (de quibus tamen nihil constat) factum, capite Apollinis, in priore parte, Apollinares ludos in prætura sua editos celebrasse, Dioscuris, in posteriore parte, Circenses, quibus Castores præsident, in ædilitate datos. Ego caput illud non existimo esse Apollinis, sed Honoris, atque tempus cusi denarii refero ad A. V. C. DXLV. Ratio hæc est; quod illo anno & Honoris ædes atque Virtutis a Marcello exstructæ sint, & prætor P. Licinius ex senatusconsulto de ludis Apollinaribus in perpetuum in statam diem vovendis ad populum tulerit; quos antea prætores urbani incerta die fecerant, & in unum annum voverant. De æde Honoris, novi numinis, & Virtutis testis est Livius lib. XXVII. cap. 25. *Marcellum aliæ atque aliæ objectæ animo religiones tenebant; in quibus, quod quum bello Gallico ad Clastidium ædem Honori & Virtuti vovisset, dedicatio ejus a pontificibus impediebatur: quod negabant unam cellam amplius quam uni deo rite dedicari.* &c. *Ita addita Virtutis ædes adproperato opere.* Fuit itaque Honoris ædes ante absoluta quam ædes Virtutis, quæ fortasse ratio est, cur solum Honoris caput in nummo ad-

adpareat. Illud de ludis Apollinaribus habetur eodem libro cap. 23. *Ludi Apollinares Q. Fulvio, Ap. Claudio consulibus a P. Cornelio Sulla prætore urbis primum facti erant. inde omnes deinceps prætores urbani fecerant: sed in unum annum vovebant, dieque incerta faciebant. Eo anno pestilentia gravis incidit in urbem agrosque: quæ tamen magis in longos morbos quam in perniciales evasit. Ejus pestilentiæ caussa & supplicatum per compita tota urbe est, & P. Licinius Varus prætor urbis legem ferre ad populum jussus, ut hi ludi in perpetuum in statam diem voverentur. Itaque ipse primus ita vovit, fecitque ante diem tertium Nonas Quintiles. Is dies deinde solennis servatus.* Dioscuri vero, æque horum ludorum Apollinarium typus esse possunt, quam Circensium ab ædilibus editorum; nam in Circo fiebant, ut disertis verbis testatur Livius in prima illorum institutione juxta Marcii vatis carmina, lib. XXV. cap. 12. *Ludos prætor in Circo maximo quum facturus esset, edixit, ut populus per eos ludos stipem Apollini, quantum commodum esset, conferret.*

V.

ROMA. Caput Saturni laureatum cum falce dentata, adest litera alphabetica E.

Lucius MEMMI*us* GAL. Figura muliebris, quam de Junone Moneta interpretor, in lentis bigis, dextra sceptrum, utraque habenas tenet. Victoria advolat cum corolla.

Saturnus, ut ærarii præses, recte in denariis signatur. Tertullian. in Apolog. cap. X. pag. edit. nostræ 112. *Ab ipso* (Saturno) *primum tabulæ, & imagine signatus nummus, & inde ærario præsidet.* Cum illo deo optime convenit Juno Moneta, quæ in aversa parte sceptrum manu tenet, & ad quam Victoria advolans denotat auctas plurimum ærarii Romani opes ex victoriarum proventu fuisse. Currum triumphalem (bigas scilicet!) scipionem eburneum in manu ducis, & Victoriam duci coronam porrigentem, dum in hoc typo agnoscit Vaillantius, atque inde triumphum legitime senatusconsulto decretum, deducit, quanta festinatione egerit, patet; dum in tritis maxime hisce denariis muliebrem figuram affabre in omnibus expressam, a virili non dignoscit, & quadrijugem triumphalem currum cum bigis confundit.

Denarii hi videntur spectare ad Lucium Memmium, qui Lucii filius in his & Caji frater num. VI. inscribitur, atque cusi videntur, quum una cum fratre Cajo Memmio triumvir monetalis esset. Literæ GAL. in denario adscriptæ fecerunt, ut Pighius, Vaillantius, & alii, Memmios Gallos nobis dederint, quod tamen pro certo recipi non potest, quum dimidiata illa vox legi etiam GAL*bius* possit. Occurrit certe Lucius Galbius L. F. in Inscriptionibus Antiquis, ubi Gudius ex his denariis GALLVS emendari vult, at forsitan in ipsis nummis ex illa inscriptione GAL*bius* legi oportet. Inscriptio apud Gruterum p. XXVI. num 10. ita se habet.

CERERI. SACRVM
L. AP. . : . PAL. ET
P. STATIVS. P. F. PAL. AVRELIVS. IIVIR
CVRATORES
Q. LARONIVS. G. F. HOR. QVADRATVS
L. MEMMIVS. SEX. F. PAL. PETRONIVS
L. MEMMIVS. L. F. PALAT. GALBIVS
MENSOR. ITER. HONOR. IN. CVR
FVNCT. IIIIVIR. VIAR

Memmii Galli certe ex solis hisce denariis ortum traxerunt, ita dicti apud Pighium & alios; cognomen enim illud non magis quam Galbius apud antiquos scriptores invenitur. De Memmio qui hos denarios cudit, infra dicturi sumus.

Litera A.

& seqq. aliquot sine nota addita.

ROMA. Caput Saturni, ut supra, cum falce.

Lucius MEMMI*us* GAL*lus sive* GAL*bius.* Juno Moneta in bigis, ut supra.

Discrimen in hoc denario illud tantum est, quod ad caput nulla litera alphabetica exstet. In sequentibus quatuor literæ E. F. K. S. adparent.

VI.

& seqq. duo sine adposita nota.

EX *Senatus Consulto.* Caput idem Saturni cum falce, adest litera prima alphabeti.

Lucius Caius MEMIES vel MEM*m*IES *Lucii Filii* GAL*li* vel GAL*bii.* Typus Monetæ Junonis in bigis, ut supra.

Duo fratres Memmii hic occurrere videntur, qui Galli sive Galbii cognominati fuerunt, filii Lucii Memmii, quorum alter Lucius, alter Cajus Memmius dictus fuit. Hi non *Memmii*, ut oportuerat, sed *Memies* vel *Memmies* nuncupantur, quod vitio monetarii factum videtur, nisi ignotam hactenus familiam *Memiesiam* vel *Memmaiesiam* hi denarii nos doceant, quod vix probabile videtur. Ursinus de hoc denario ita scriptum reliquit: „ Sexti autem denarii inscriptio „ L. C. MEMIESI. nisi ea duo fratres, C. „ & L. Memmii C. filii designentur, C. aliquis „ Memiesius, ignotæ gentis homo, in qua alterum cognomen L. abundat, fortasse notatus est. " Verum in his L. litera cognomen exprimere alterum, quod abundet, nequit, scribitur enim L. F. id est, *Lucii Filius.* Propterea Caji filii dici nequeunt, quos aperte Lucii filios denarii nuncupent. Vaillantius conjicit, L. Memmium, tribunum plebis A. V. C. DLL reliquisse cum Cajo filio majore alterum filium, prænomine Lucium, qui ad distinctionem fratris cognominatus sit Gallus, & in quæstura triumphum, senatusconsulto decretum, illius Romani ducis, cujus erat quæstor, expresserit, quique in juventute fuerit mortuus, quum nihil de aliis ejus magistratibus apud veteres legatur. De triumpho illo imaginario jam ante diximus; Memmii vero fratres Lucius & Cajus dicti, nulli alii mihi occurrunt, præterquam quos Cicero commemorat in Bruto cap. XXXVI. *Tum etiam C. & L. Memmii, fuerunt oratores mediocres, accusatores acres, atque acerbi. Itaque in judicium capitis multos vocaverunt, pro reis non sæpe dixerunt.* Illud *tum*, tempora M. Aurelii Scauri, de quo paullo ante locutus erat, designat. Itaque ad Cajum illum Memmium argutum illud & amarum satis dictum pertinet, quo eundem Scaurum tetigit, apud Ciceronem de Oratore lib. II. cap. 70. *Bellum etiam est, quum, quid cuique sit consentaneum, dicitur: ut, cum Scaurus nonnullam haberet invidiam ex eo, quod Phrygionis Pompeji, locupletis hominis, bona sine testamento possederat; sederetque* ad-

advocatus reo Bestiæ, quum funus quoddam duceretur, accusator C. Memmius, Vide, inquit, Scaure, mortuus rapitur, si potes esse possessor. Horum duorum fratrum meminit Pighius Tom. III. p. 116. ubi ad A. V. C. DCXLI. inter provinciales quæstores enumerat L. Memmium, ficuti inter tribunos plebis C. Memmium, anno sequenti p. 118. Quominus tamen credam hosce duos fratres in his denariis designari, duo faciunt. Primo, quod in denariis Lucius, ut major natu, præponatur, a Cicerone vero, in fratribus illis Memmiis, Cajo primus detur locus. Secundo, quod pater illorum potius Caji videatur habuisse prænomen (quod & illi a Pighio tribuitur, a quo dicuntur duo illi Memmii C. F. C. N.) quam Lucii, quod & Caji inde nomen, ut familiæ ejus hæreditarium, ad majorem filium transierit. Alios itaque Memmios quærenti Lucius & Cajus apud Ciceronem sese mihi obtulerunt, qui & eadem cum Cicerone ætate vixerunt, &, ex quibus diserte Lucii filius dicitur Cajus Memmius, de quo hæc habet in Bruto cap. LXX. *C. Memmius L. F. perfectus literis, sed Græcis: fastidiosus sane Latinarum: argutus orator, verbisque dulcis, sed fugiens non modo dicendi, verum etiam cogitandi laborem, tantum sibi de facultate detraxit, quantum imminuit industriæ.* Fratris ejusdem, ut videtur, elogium itidem in Bruto est cap. LXXXIX. *Qui frequentes aderant (quamquam pro se ipsi dicebant) oratores non illi quidem principes L. Memmius & Q. Pompejus, sed oratores tamen.* Hosce duos filios fuisse existimo L. Memmii, cujus, ut accusatoris acris, meminit in Bruto cap. XXXVI. quique item Cajum fratrem habuit. Ab illis itaque Lucio & Cajo Memmiis, Lucii filiis, temporibus Ciceronis cusos hos denorios fuisse existimo, quum duo illi fratres simul triumviri monetales existerent.

Literæ EX S. C. adscriptæ, docent senatusconsultum fuisse factum, ut hi triumviri monetales ex ærario Saturni certam denariorum summam signarent, quam multitudine immensam fuisse, tot literis alphabeticis distinctæ matrices, & tantus, qui superest, denariorum numerus, ostendit.

Sequentes duo literas C. & M. habent, alteram cum sex, alteram cum duobus, ad discrimen, punctis.

Litera B.

Numero VI. per omnia est similis, nisi quod literam alphabeticam nullam exhibeat.

M E S C I N I A.

Mescinia gens sub Cæsaribus vel paullo ante, tempore Ciceronis, tantum floruisse videtur. Antiqui ejus non meminerunt, & inter plebejos relegandam esse tribunus plebis C. Mescinius docet, quo illum honorem gerente Cicero ab exilio est revocatus.

I.

Iovi Optimo Maximo Senatus Populusque Romanus IMP*eratori* CAE*sari* QVOD PER EV*m* R*es*P*ublica* IN AMP*liore* ATQ*ue* TRAN*quilliore Statu Est.* In corona civica sive quernea.

Lucius MESCINIVS RVFVS IIIVIR. Cippus ingens, cum hac inscriptione, IMP*eratori* CAES*ari* AVGV*sto* COMM*uni* CON*Sensu.* Ad latera cippi. *Senatus Consulto.*

Denarii hi, qui numero quinque sequuntur, omnes signati sunt a triumviro Cæsaris Augusti monetali L. Mescinio Rufo, licet titulus dignitatis in secundo non adscribatur, is enim omittebatur nonnunquam. Cusi vero omnes sunt uno atque eodem anno, neque enim longiori spatio circumscribebatur tempus hujus dignitatis. Hæc in antecessum monita velim in gratiam eorum, qui Familiis Vaillantii destituti, consulentes forte librum quem de Nummis Imperator. Rom. usque ad Postumum edidit, inventuri ibi sunt contrariantes sibi invicem explicationes Tom. II. p. 28. & 29. Ibi enim num. II. refert ad A. V. C. DCCXXX. quo, post reditum in Urbem Cæsaris Augusti, qui A. V. C. DCCXXIX. Tarracone ægrotaverat, votis solutis, in memoriam rei nummus cusus sit. Num. III. vero ab eodem revocatur ad annum, quo senatus populusque Romanus votum solvit, quod Valerius Messalla, ex Kal. Jul. A. V. C. DCCXXV. consul suffectus, primo magistratus die Marti votum fecisset, ut victor rediret Cæsar. At vero de IV. nummo ita scribit. „ Augustus ludos sæ„ culares restituit A. V. C. DCCXXXVII. „ cum ipse esset quindecimvir sacris faciundis, „ unde memoria in cippo, ut in Domitiani & „ Philippi nummis. " Constat autem, ad ultimum annum sive V. C. DCCXXXVII. omnes hos denarios debere referri, quo a L. Mescinio Rufo, ejus anni triumviro monetali cusi sunt; ut recte vidit ipse Vaillantius in majore opere; quod nemo vel ipsi Vaillantio vel aliis antiquariis vitio vertere debet, nullum enim est studium, in quo dies diem magis docet, quam hoc antiquarium & numismaticum.

In hoc denario corona quernea sive civica illud respicit senatus decretum, quo corona civica perpetuo ante fores domus ipsius in palatio suspensa fuit, quæ quotannis Kal. Martiis revocabatur. Dio Cassius nos docet exstitisse hoc decretum inter alia, quæ senatus in honorem ejus facienda censuit A. V. C. DCCXXVII. sive DCCXXVI. ut alii numerant. Præterea rationem ejus rei reddit ibidem lib. LIII. p. 750. Ὁ δ' οὖν Καῖσαρ πολλὰ μὲν καὶ πρότερον, ὅτε τὰ περὶ τῆς ἐξωμοσίας τῆς μοναρχίας, καὶ τὰ περὶ τῆς τῶν ἐθνῶν διανομῆς διελέχθη, ἔλαβε. καὶ γὰρ τό, τε τὰς δάφνας πρὸ τῶν βασιλείων αὐτοῦ περιτίθεσθαι, καὶ τὸ τὸν στέφανον τὸν δρύινον ὑπὲρ αὐτῶν ἀρτᾶσθαι, τότε οἱ, ὡς καὶ ἀεὶ τούς τε πολεμίους νικῶντι καὶ τοὺς πολίτας σώζοντι, ἐψηφίσθη. *Cæsari, quum orationem de ejurando regno ac dividendis provinciis habuisset, multi erant honores delati, nempe ut ante ipsius domum in palatio lauri ponerentur, ac super eas coronæ querneæ suspenderentur, nimirum quod perpetuus hostium victor ac civium esset servator.* Inscriptio vero illa, quæ coronæ civicæ inclusa est, non potuit non Cæsari Augusto grata esse, ut quæ responderet summæ votorum ejus. Hinc apud Sueton. in Vita ejus cap. XXIII. *Vovit & magnos ludos Jovi Opt. Max. Si respublica in meliorem statum vertisset.* Cippus itaque, honores hosce Augusto habitos continens, exstat ab altera parte, quo docemur ludos istos non tantum ex senatusconsulto, verum communi etiam consensu factos fuisse.

II.

Caput Augusti laureatum.

Lucius MESCINIVS RVFVS. Martis Ultoris simulacrum in basi, cui inscribitur. *Senatus Populus*Q*ue Romanus Vovit Pro* RED*itu* CAES*aris.* vel, *Senatus Populi*Q*ue Romani Votum Pro* RED*itu* CAES*aris.*

Quum Cæsar Augustus A. V. C. DCCXXXV. ex

ex Syria rediisset in urbem atque Italiam, motus etiam tumultu ibidem propter consules creandos, uti docet Dio lib. LIV. p. 603. senatus populusque Romanus voti reus, effusus in lætitiam, quod voverat, perficere statuit, biennio autem post, sive anno illo, quo Mescinius triumvir fuit, perfectam fuisse istam Martis Ultoris statuam & dedicatam non sine ratione suspicatur Vaillantius.

III.

CAES*ari* AVG*usto* CONS*ervatori* S*enatus*C*onsulto* OB R*em* P*ublicam* CONS*ervatam*. Augusti nudum caput & adversum, in clypeo, quem corona laurea ambit.

L*ucius* MESCINIVS RVFVS III VIR. Idem Martis Ultoris simulacrum simili basi insistens; inscriptio ejusdem ita se habet. S*enatus* P*opulusque* R*omanus* V*otum* S*olvit* PRO S*alute* ET RED*itu* AVG*usti*.

Explicatio hujus nummi ex præcedentibus petenda est. Dionis quem ibi adduximus locum de quernea corona primus nummus confirmavit, de lauru hic tertius. Dedicatos vero clypeos fuisse cum imaginibus deorum & virorum illustrium, notissimum est. Sic Clementiæ & Moderationi dedicati clypei cum illorum numinum faciebus occurrunt inter nummos imperatoris Tiberii; docetque hic denarius, qui inter rarissimos numeratur, similem honorem Augusto publice fuisse habitum.

IV.

AVGVSTVS TR*ibunitia* POT*estate* VII. Caput Augusti laureatum.

L*ucius* MESCINIVS RVFVS III VIR. Cippus, cui inscribitur IMP*erator* CAES*ar* AVG*ustus* LVD*os* SAEC*ulares* scilicet *fecit*. Ad latera ejusdem cippi legitur XV*iri* S*acris* F*aciundis*.

Certum argumentum præbet hic denarius, quo anno hic Mescinius triumvir monetalis fuerit, & ad quem annum propterea omnes hi nummi referendi sint; videlicet ad tribunitiam Augusti potestatem septimam, qui incidit in A. V. C. DCCXXXVI. uti probavit Vaillantius.

Notum est ex Suetonio in Vita Augusti cap. XXXI. (ubi hunc denarium quoque adducunt & explicant Torrentius & Patinus) illum ludos sæculares inter reliquas antiquas cærimonias restituisse, quod etiam confirmat, atque huic anno adligat Dio Cassius lib. LIV. p. 610. τά τε σαικυλάρια τὰ πέμπτα ἐπετέλεσε. *Sæculares vero ludos quinto perfecit.*

Quindecimvirorum sacris faciundis propterea hic fit mentio, quod & illi sacrorum majorum, & horum inprimis curam gererent, & præterea libris Sibyllinis essent præfecti, ex quorum sententia celebrabantur. Omnia hæc evidenter, suo etiam exemplo, docet Tacitus lib. Ann. III. cap. 64. tempore Tiberii: *Sed tum supplicia Diis, ludique magni ab senatu decernuntur, quos pontifices, & augures, & quindecimviri, septemviris simul & sodalibus Augustalibus ederent.* Tempore Domitiani, quo ipse Tacitus eo sacerdotio functus fuit, lib. XI. Annal. cap. 11. *Nam is* (Domitianus) *quoque edidit ludos sæculares; iisque intentius adfui sacerdotio quindecimvirali præditus, ac tum prætor; quod non jactantia refero, sed quia collegio Quindecimvirorum antiquitus ea cura, & magistratus potissimum exsequebantur officia cærimoniarum.* De cura librorum Sibyllinorum est lib. VI. Annal. cap. 12. *Relatum inde ad patres a Quinctilio, tribuno plebis, de libro Sibyllæ, quem Caninius Gallus quindecimvir recipi inter cæteros ejusdem vatis, & ea de re senatusconsultum postulaverat.* Quindecimviros hoc numero auxit Sulla, fuerant enim antea decemviri, & in initio duumviri.

V.

CAESAR AVGVSTVS TR*ibunicia* POT*estate*. Caput Augusti laureatum.

L*ucius* MESCINIVS RVFVS IIIVIR. Cippus idem cum eadem inscriptione, transpositis per incuriam monetarii ultimæ vocis literis, IMP*erator* CAES*ar* AVG*ustus* LVD*os* CAES. *pro* SAEC*ulares fecit*. Ad latera iterum XV*iri* S*acris* F*aciundis*.

Quamvis aperte vitiosa scriptura in aversa denarii hujus parte sese prodat, patet tamen, exstitisse hujus generis nummos, qui inscriptionem capitis discrepantem a priore habuerint; non enim additur tribunitia potestas septima.

L. Mescinius Rufus qui hosce omnes denarios signavit, videtur fuisse filius L. Mescinii Rufi, quæstoris Ciceronis in Cilicia A. V. C.DCCII. Nepotem ejusdem facit Vaillantius, quod quoque fieri potuit, nequaquam vero is ipse esse potest, uti existimavit Fulvius Ursinus.

VI.

L*ucius* M*escinius* RVF*us* P. C. Q. Caput muliebre galeatum.

EMPOR*ium*. Corolla cum pegaso.

Quum hic nummus æreus, cusus in Hispania, pervenisset ad manus Morellii, super eo scripsit ad Jac. Perizonium p. 205. in hæc verba: „ Uberrimus Goltzius in Fastis Consularibus „ nummum edidit EMPOR*io* cusum, quem C. „ Aurelio Cottæ adsignat, & citat Pighius Tom. „ II. pag. 56. uterque multa de Emporiis re„ fert, sed huic epistolæ non inserenda; ab illis „ tamen didici, in Emporiorum nummis familias „ & nomina Romanorum contineri, quapropter „ illos quoque delineavi, & in rei veritatis te„ stimonium unicum adferam, in cujus una par„ te caput Romæ galeatum se offert, cum his„ ce literis: L. M. RVF. P. C. Q. ab altera „ EMPOR. cum Pegaso decurrente. Rufus co„ gnomen est Mesciniorum & Minuciorum, „ hinc credebam, hunc nummum pertinere ad „ Minucium, qui ab Appiano inter Imperato„ res in Hispaniam missos numeratur, cujusque „ successor Cato, cum Emporium pervenisset, „ hostibus circumventus, eosdem vicit. Quia „ autem huic Minucio a Livio semper Quin„ ti prænomen tribuitur, ad Mescinios me con„ tuli, credoque, hunc nummum referendum „ esse ad L. Mescinium Rufum, qui Ciceronis „ in Cypro Quæstor fuit; ergo in nummo for„ san legendum L. Mescinius Rufus Procos. „ Cypri Quæstor. Si cui tamen hæc lectio non „ placeat, meliorem adferat, ut gratiarum actio„ nes mereatur. „ Responsum Perizonii exstat p. 283. „ Nummum L. M. RVF. P. C. Q. „ inscriptum, retulerim quoque ad *L. Mescinium* „ *Rufum*, quo nomine vixit tempore Ciceronis „ Senator quispiam, & Ciceronis ipsius Quæ„ stor. Vide Famil. Ep. V. 19. 20. 21. & „ XIII. 26. Sive jam is sit, qui nummum hunc „ cudi curavit, sive alius, quod potius credi„ derim, quia quæstor fuisse videtur Hispaniæ „ Citerioris, in qua urbs *Emporia* sita erat, cu„ jus urbis nomine declaratur utique cusum istic „ nummum. Literas igitur P. C. Q. legerim „ *Provinciæ Citerioris Quæstor*. Nam ne dubitari „ possit, quænam sit illa *Provincia Citerior*, fa„ cit

„ cit nomen urbis, quam dixi, istic expressum. " Ratio, cur Perizonianæ sententiæ de citeriore Hispania literas P. C. explicante accedere non possim, hæc est. Inter miscellaneos nummos, quos operi suo adtexuit Vaillantius num. XIV. occurrit Emporiæ sive Emporii hujus similis nummus, cum hisce literis PIP. vel, Græco more scriptis, ΠΙΠ. C. S. M. Q. ubi nulla provinciæ citerioris est mentio, & tamen litera Q. additur. Itaque literam Q. in hisce non puto significare quæstorem vel quæstores, sed quinquennales, ut integre vel hoc, vel alio simili modo scribi debeat *Lucio Mescinio* RVFo. *Publio Carisio Quinquennalibus.* Qui magistratus notus est in nummis Hispanicis. In aliis, in quibus quinquennales designans litera Q. non adscribitur, duo tamen nomina itidem inveniuntur; ut ibidem num. XIII. *Marcus* AB*urius* & *Marcus* F*abius* vel *Fannius* &c. Sic in Fam. Aurelia lit. E. habuimus P. AVR. CO. PA. scilicet Publium Aurelium vel Aurelianum & Cotilium Patiscum, vel alios cum iisdem literis initialibus quinquennales.

Caput Palladis esse videtur, teste enim Plinio, Græcæ originis hæc urbs fuit. Scribit is in enumeratione urbium citerioris Hispaniæ lib. III. cap. 3. *Oppida civium Romanorum, Bætulo, Iluro, flumen Laruum, Blandæ, flumen Alba: Emporiæ: geminum hoc, veterum incolarum, & Græcorum, qui Phocæensium fuere soboles.* Ubi notat Harduinus a Strabone lib. III. p. 159. urbem hanc Ἐμπόριον neutro genere dici & Δίπολιν vocari, quod Græci advenæ a veteribus incolis, medio dividente muro, dividantur; & a Massiliensibus, qui Phocæensium erant progenies, fuisse conditam, & nunc *Ampurias* adpellari.

METTIA.

Mettiæ gentis in hisce Julii Cæsaris denariis mentio tantum occurrit, quam non inprobabilis est suspicio, originem trahere ab oppido Lanuvio, propter Junonis Lanuvinæ typum. Sed tamen, (si est eadem hæc gens quæ Metia, ut videtur) ad cognationem illius P. Metii, qui satelles furoris Saturnini Memmium fuste percussum interemit, atque C. Metii, qui Ciceronis temporibus vixit, spectare potest.

I.

CAESAR DICT*ator* QVART*um.* Caput Cæsaris laureatum, pone illud est lituus.

Marcus METTIVS. Juno Sospita sive Lanuvina in citis bigis.

Typus hic simpliciter indicat originem gentis Mettiæ, ex oppido scilicet Lanuvino, ubi insignis Junonis erat cultus. Cæsari quoque non ingrata memoria ejusdem esse poterat, quoniam Lanuvium A. V. C. DCCVI. pro municipio vetere jure coloniæ donaverat, uti ex Frontino adnotat Vaill. ad Numm. Imp. Tom. II. p. 4. & ad Fam. Num. Tom. II. p. 132. *Lanuvium muro ductum, colonia deducta a divo Julio. Ager ejus limitibus Augusteis pro parte est adsignatus militibus veteranis* &c. apud Frontin. ed. Keuch. p. 31.

II.

CAESAR IMPER*ator.* Caput Cæsaris laureatum.

Marcus METTIVS. Venus Victrix stans, dextra tenet Victoriolam, læva hastam, lævo quoque cubito clypeo innititur, qui globo orbis terrarum imponitur. In area est litera A.

Ex sequentibus adparet literam illam A. designare notam matricis. Venus Vixtrix in Julii Cæsaris gratiam, atque originis ejusdem divinæ argumentum signatur.

Litera A.

omittitur.

Litera B.

CAESAR IMP*erator.* Caput Cæsaris laureatum. Retro illud est lituus cum capeduncula.

Marcus METTIVS. Venus Victrix stans, ut supra, adest litera A.

Instrumenta illa post caput Cæsaris pontificatum ejusdem summum designant.

Litera C.

Caput Julii Cæsaris laureatum, nulla addita inscriptione.

Marcus METTIVS. Typus idem Veneris Victricis.

Litera D.

CAESAR IMPER*ator.* Caput Cæsaris laureatum.

Marcus METTIVS. Similis Veneris Victricis typus cum lit. I.

Litera E.

CAESAR IMP*erator.* Caput Cæsaris laureatum, post quod est lituus cum capeduncula.

Marcus METTI*us.* Similis Veneris Victricis typus cum litera L.

III.

Caput Veneris, nulla adest inscriptio.

Marcus METTIVS. Puella, sive virgo Lanuvina draconem sive serpentem pascens.

Veneris caput refero ad originem Julii Cæsaris e Venere, virginis credidit Vaillantius, id est, puellæ ejus, quæ in altera parte draconem pascit. Historia puellæ draconem ex canistro pascentis exstat apud Propert. lib. IV. Eleg. 8. Sed de illa pluribus ad Fam. Rosciam acturi sumus.

De hoc nummulo ita scribit Vaillantius. „ Observandum hunc denarium esse rarissimum, „ quum in nullis cimeliis a nobis sit inspe- „ ctus, & tantum a Fulvio Ursino descriptus „ sit. " Quinarium autem esse, ut & sequentem, Morellii pictura nos docet, qui ex archetypo delineasse videtur; nam & ipse Ursinus, non velut quinarios, sed denarios, ediderat.

IV.

Caput Junonis Lanuvinæ, pelle caprina tectum, post illud est serpens in spiras erectus.

Marcus METTI*us.* Victoria in bigis, læva habenas equorum tenens, dextra corollam.

Prior quinarii pars cultum Junonis Lanuvinæ in patria M. Mettii designat, posterior ad victorias Cæsaris referenda est. Omnes enim hi num-

mi cusi sunt A. V. C. DCCIX. quod evidenter patet ex primo denario, in quo Cæsar dictator quartum inscribitur. Fuit itaque M. Mettius unus ex III viris monetalibus, qui, quum hactenus tantum tres exstitissent, multiplicante magistratuum numerum Cæsare, postea quatuor constituti fuerunt. Et videtur is ipse M. Mettius esse, cujus Cæsar meminit, quod primus vidit Ursinus, cujus hæc sunt verba p. 177. „ M. „ METTII hujus bis meminit Cæsar: sed in „ utroque loco mendose M. Titius in vulgatis „ libris librariorum errore scriptum est, pro M. „ Mettius. Ita vero reponendum apud Cæsarem esse, ex duobus vetustissimis exemplaribus, uno Bibliothecæ Vaticanæ, altero quod „ apud me est, jam pridem admonui. De Mettio quodam meminit Cicero. Et M. Mettii „ Epaphroditi Grammatici Græci, quem puto „ libertum fuisse M. Mettii hujus, qui in denariis notatus est, exstat mentio in antiqua hac „ inscriptione.

„ M. METTIVS
„ EPAPHRODITVS
„ GRAMMATICVS. GRAECVS
„ M. METTIVS. GERMANICVS. FEC

Cæsaris ipsius verba ita sese habent lib. I. de B. G. cap. ult. *Item M. Mettius repertus, & ad eum* (Cæsarem) *reductus est.* Ad quem locum D. Vossius, hujus studii rudis, de Palladis vel Bellonæ aut Lunæ bigis somniat.

MINATIA.

Minatiam gentem plebejam fuisse colligere possumus ex M. Minatio, tribuno plebis A. V. C. DCXCIII.

I.

CN*eus* MAGNVS IMP*erator*. Caput Pompeji Magni nudum.

Marcus MINAT*ius* SABIN*us* PR*o*Q*uæstor*. Pompejus Magnus navi digrediens dextram porrigit Hispaniæ provinciæ, quæ capite turrito depingitur, insistens clypeis & hastis, dextram cum imperatore jungens, & læva hastam tenens transversam.

Hujus M. Minatii libertum fuisse Ursinus existimat illum, cujus mentio fit in inscriptione antiqua Bisenti Etruriæ oppido inventa & ab eodem Ursino descripta. Inscriptio ita se habet.

VIRTVTI. VISENT
SACR.
M. MINATI. M. L. SAB. GALLI
II. VIR I. D. QVINQ.
MATERNVS. FRATRIS
SVI. H. C. ET. OB. DEDICA
TIONEM. HONORARIAM
VICANIS. FLVIVM. POPV
LO. CRVSTVLVM. ET
MVLSVM. DEDIT

Quod licet incertum sit, ostendit tamen, ex Etruria ortam eandem gentem fuisse. Addit deinde Ursinus. „ Ex hac autem inscriptione illud „ quoque colligere possumus, Carolum Sigonium recte Sabatinam tribum ex Livii ver„ bis in Etruriæ agro collocasse. M. MINA„ TII hujus, qui Cn. Pompeji, ut ego arbi„ tror, in Hispania Pro-Quæstore fuit, nullam „ apud veteres scriptores reperio mentionem; „ ejus autem libertus fortasse fuit M. Minatius „ is, qui in veteri inscriptione notatus est. In „ qua FLVIVM pro FLVVIVM antiquissima „ scribendi ratione, quæ in aliis quoque anti„ quitatis monumentis reperitur, incisum esse „ animadvertimus. " Errat autem Fulvius, credens, vivo Pompejo Magno, a proquæstore ejus in Hispania, cusos hos denarios fuisse. Nulli enim licuit imaginem suam monetæ inprimere. Julio Cæsari ex S. C. illud primo concessum fuit. Cusi itaque omnes hi denarii sunt in Sicilia jussu Sexti Pompeji, cujus proquæstore hic M. Minatius Sabinus fuisse colligitur. Sunt vero omnes hi denarii rarissimi, prætertim duo sequentes, atque honores exhibent, quos Hispania restitutori suo Pompejo Magno habuit.

In primo hoc denario exhibetur Pompeji Magni in Hispaniam adventus, de quo quanta fuerit & apud ipsos Romanos & locios Hispanos exspectatio, dictum L. Philippi, qui vitricus C. Octaviano, postea Augusto dicto, fuit, ostendit, & Plutarchi narratio, in Vita Pompeji pag. 627. *L. Philippi suasu imperium ei contra Sertorium est decretum. Quo tempore (uti ajunt) cum quidam in senatu quæreret, ecquid Pompejum pro consule ad bellum mittendum putaret: Philippus, Nequaquam, inquit, sed pro consulibus. utrumque consulem nullius esse precii existimans. Ubi primum Hispaniam attigit Pompejus, novique ducis gloria novas in animis hominum (ut fieri assolet) spes excitavit, ac populi, qui nondum plane Sertorio se conjunxerant, mutari in alteram partem cœperunt.* Hispania itaque hic occurrit Pompejo adventum felicem gratulata.

II.

CN*eus* MAGN*us* IMP*erator*. Caput idem Cnei Pompeji Magni.

Marcus MINAT*ius* SABIN*us* PR*o* Q*uæstore*. Pompejus imperator stans adversus, tanquam victor, dextra tenet hastam læva gladii capulum toto corpore armatus, excepto capite, cui a latere lævo adstans figura muliebris coronam imponit læva manu tropæum tenens. A dextro latere adstat Hispania capite turrito dextram extendens, læva tenens duo gæsa Hispanica.

Vaillantius minus recte hunc denarium consideravit, felicius versatus in præcedente. Credidit enim Pompejum viro alteri paludato dextram porrigere, atque illum de Metello explicat, cum quo bellum contra Sertorium gessit. At Minatius Metelli honores non voluit exprimere, sed Pompeji; Morellius quoque, majore cum cura inspectis integrioribus nummis, ad oculum Hispaniam nobis recte depinxit. Pompejus vero ter magno prælio in Hispania cum adversæ partis ducibus decertavit; primo cum legatis Sertorii Herennio & Perpenna, quos vicit, decem hostium millibus occisis, secundo cum ipso Sertorio, tertio cum occisore ejus & successore Perpenna. Secundo isto prælio par utriusque fortuna fuit, Pompeji & periculum magnum & laus minor, posteriore tertio debellatum in Hispania fuit. De primo & secundo loquitur Plutarch in Vita Pompeji pag. 628. *Herennium vero & Perpennam Sertorii, ad quem confugerant, legatos, apud Valentiam superavit, & ultra decem mil-*

millia hostium cecidit. Ea victoria elatus, propere contra ipsum Sertorium duxit, uti victoriæ laude Metellum excluderet. Ad Sucronem amnem jam advesperascente die commissum est prœlium, utroque duce Metelli adventum prævertere cupiente, altero uti solus, altero ut cum solo depugnaret. Incerta victoria ejus prœlii fuit: alterum enim utrinque cornu vicit. Ex ducibus Sertorius plus laudis meruit: cornu enim sibi oppositum fudit. Pompejum autem equitem vir magnus, pedes invasit, congressisque ipsis cominus utriusque gladii ictus in alterius manum incidit, ita quidem, ut Pompejus tantum sauciaretur, hostis vero manum amputaret. Pluribus inde contra ipsum concurrentibus, jam coorta fuga præter spem evasit, equum hostibus dimittens aureis phaleris, & precioso ornatu instructum: hæc enim spolia inter se dividentes, atque inter se de iis certantes barbari, effugiendi spatium Pompejo reliquerunt. Ut primum illuxit, utrinque in aciem proditum est, victoriæ disceptandæ causa: Metello autem accedente, Sertorius dissipato exercitu discessit. Prima & secunda pugna innui non potest, quod mox a Sertorio Pompejus secunda illa pugna tantum non superatus & cæsus aut captus fuerit. Innuitur itaque postrema, quam ita descripsit Plutarch. ibid. mox. *Interim Sertorius a suis per dolum cæditur: Fuit inter hos princeps Perpenna, eademque aggressus est quæ Sertorius agere: usus quidem eodem apparatu, iisdemque copiis, sed qui similiter iisdem uteretur, animum non habens. Statim itaque Pompejus advenit, inepteque res administrare Perpennam sentiens, decem cohortes inescandi hominis causa in campos immisit, nullo ordine eos palare per agros jubens. Quibus cum se Perpenna insequendis dedisset, cum omnibus copiis ipse supervenit, prœlio commisso hostem fudit necatis plerisque adversæ partis ducibus. Perpennam vero ad se adductum interfecit.* Propter eximiam itaque hanc victoriam, qua partes adversæ debellatæ fuerunt, atque restituta Romano imperio Hispania fuit, ipsa Roma, uti existimo (nulla enim alarum Victoriæ sunt vestigia) tropæum gerens, & triumphum, quem postea gessit Pompejus, hoc pacto illi promittens, victorem coronat; adstante Hispania provincia, atque extensa manu testimonium fortissimo imperatori meritorum suorum dante.

III.

Cneus MAGN*us* IMP*erator*. Caput Imperatoris Cnei Pompeji Magni nudum.

Marcus MINAT*ius* SABIN*us* PR*oQuæstore*. Pompejus Magnus, thorace indutus, stat inter duas figuras; altera turrita & genuflexa corollam illi porrigit, altera non turrita, uti existimo, sed radiata atque palliata, stans, manus dextræ digitum priorem elevat ad sese vocantis ritu, coram Pompejo, qui adstans in medio illi faciem obvertit, digito demonstrans corollam, quam mulier ingeniculata manu tenet.

Infeliciter in præcedenti, in hoc vero denario interpretando infelicissime versatus fuit Vaillantius, figuram enim mediam existimat Romanum aliquem ostendentem Pompejo Hispaniam supplicem, clypeum manibus tenentem; figuram vero stantem, quæ manum & digitum adtollit, credit ipsius esse Pompeji Hispaniam rebellem objurgantis. Longe vero luculentior hujus denarii est typus, namque ostendit bellum Mithridaticum in Oriente a nullo alio quam a Pompejo finiri posse, itaque per figuram palliatam & radiatam Orientem intelligo, quæ Pompejum ad sese compellat atque advocat, cuique ipse Pompejus spem sui & certam victoriam de barbaro rege ostendit, porrecta manu atque digito extenso ad corollam, quam, ut debellatori hostium reipublicæ, grata illi offert Hispania. Denarii quasi interpres Florus est lib. III. cap. 5. de Mithridate: *Adtritæ jam omnes validissimi regni vires erant, sed animus malis augebatur. Itaque conversus ad proximas gentes, totum pene Orientem ac Septentrionem ruina sua involvit. Iberi, Caspii, Albani, & utræque sollicitantur Armeniæ; per quæ omnia decus, & nomen, & titulos Pompejo suo fortuna quærebat.* En Orientem auctorum decus & titulos Pompeji in Hispania præsertim adquisitos.

MINDIA.

Gentis Mindiæ, ante Ciceronis tempora, nulla apud antiquos fit mentio. In nummis hisce æreis Mindii Polliones & Balbi occurrunt, & apud Vaillant. in Num. Gr. Boloni insuper.

I.

ΑΥΤΟΚΡΑ . . . ΤΙϐέριος ΚΛΑΥΔΙΟΣ ΚΑΙΣΑΡ ΣΕΒαστος ΓΕΡμάνικος. *Imperator Tiberius Claudius Cæsar Augustus.* Caput Claudii nudum.

ΠΑΤΡων ΕΠΙ Λυκίε ΜΙΝΔΙΟΥ ΠΟΛΛΙΩΝΟΣ ΑΝΘΥΠΑΤΟΥ. *Patrensium, sub Mindio Pollione proconsule.* Caput Minervæ galeatum.

Patrensis civitas, sive Patræ, urbs Achajæ inter Græcas nobilis fuit, sita in Peloponnesi promontorio ex adverso Ætoliæ & fluminis Eveni, juxta Plin. lib. IV. cap. 4. Coloniæ jure donata multos imperatoribus nummos cudit.

Lucius Mindius Pollio, qui in hoc & sequenti nummo memoratur, apud nullos antiquos scriptores occurrit, quamvis Achajam, ut ex his nummis patet, proconsule rexerit. M. Mindius, qui Ciceroni in Epistolis plus semel memoratur, a Pighio inter proprætores ponitur A. V. C. DCC. atque inter quæstores A. V. V. DCCI. P. Mindius, qui Augusto operam suam in adparandis tormentis præstitit, a Vitruvio laudatur in Præf. libri primi. Mindius Marcellus apud Appianum lib. V. inter Cæsaris Augusti amicos recensetur. Verum quis ex illis L. Mindio Pollioni originem dederit, sciri non potest.

II.

Caput (ut videtur) idem Claudii atque eadem inscriptio; quamvis prima nummi pars vacua, ut & in sequenti nummo, a Morellio relicta sit.

Λυκιος ΜΙΝΔΙΟΣ ΑΝΘΥΠΑΤΟΣ. ΠΑΤΓΩΝ. *Lucio Mindio proconsule. Patrensium.* Mulier, superiore parte corporis nuda, veloci gradu fertur, respiciens atque dextram retro protendens, ad lævam manum quasi velum quoddam est.

Mulierem illam Amazonem esse existimo, & illud, quod velum ad lævam manum esse videtur, clypeum. Ratio hujus conjecturæ est, quod in pluribus Samiorum nummis hæc pictura Amazonis eodem ut hic modo occurrat, festinans, manum dextram & faciem retro vertens, atque clypeum tenens læva, in quibus nummis passim pede altero proram premit, ut in nummis Alexandri Severi atque Tranquillinæ apud Begerum Thes. Brand. Tom. II. p. 716. & 729. Per illos nummos expeditionem navalem Amazonum exprimi credo, vocantis enim socias ad expeditionem no-

novam habitus est. Patrenses itaque, ut innumeræ aliæ civitates, Amazonicæ sese originis, per ipsos forsitan Samios, esse ostentant.

III.

Vacat pars anterior nummi, sed videtur eundem typum cum primo habuisse.

Λύκι@· ΜΙΝΔΙΟΣ ΒΑΛΒΟΣ ΑΝΘΥΠΑΤΟΣ. *Lucius Mindius Balbus proconsule.* Ædificium pulcherrimum duabus columnationibus suffultum, in peristilio scribitur ΝΙΚΑΙΕΩΝ. *Nicæensium.*

Nicæa Bithyniæ primaria urbs fuit, unde hic Lucius Mindius Balbus Bithyniæ sub Claudio proconsul fuisse colligitur. Idem in honorem Britannici rarissimos cudit nummos; Messalinæ vero ibidem, sed a proconsule Gellio Rufo, in Fam. Gellia num. III. rarissimus & elegantissimus cusus est nummus, idem hoc exhibens ædificium, sicuti in Fam. Gellia cerni potest. Vel inpensis imperatoris, vel in ejusdem atque uxoris Messalinæ honorem erectum fuisse videtur. Magnam vero habet similitudinem cum villa publica, quæ in denariis gentis Didiæ & Fontejæ exprimitur.

. . . . ΒΡΕΤΑΝΙΚΟΣ . . . . *Britannicus.* Brittannici caput nudum.

ΝΕΙΚΟ*μηδίας* ΜΗΤΡΟΠΟΛΕωΣ ΕΠΙ ΜΙΝΔΙΟΥ ΒΑΛΒΟΥ. *Nicomediæ Metropoleos sub Mindio Balbo.* Navis dimidiata, in cujus medio sub porticu, sive arcu, est Minervæ galeatum caput. Hinc & inde adstant viri duo armati & hastati, ex quibus ille qui major est, & toto corpore exstat, paludatus est.

Mira adulationis artifex Græcia fuit, & Europæa illa & Asiatica. Diis immortalibus Cæsares æquare solitum illis favoris Romani captandi artificium erat. In hoc itaque perinsigni nummo jactat Nicomedia, navali potentia celebris, tutam eandem suam in anchoris stare potentiam diis magnis civitatem suam tuentibus, Minerva, imperatore Claudio, & Cæsare Britannico.

Bithyniæ duæ primariæ erant urbes, Nicæa & Nicomedia, utraque terræ motu gravissimas calamitates sub Imperatoribus Christianis adflicta fuit. Nicomedia vero, uti ex nummo patet, metropolis provinciæ fuit.

MINAEIA.

Gentis Minæiæ altum apud veteres est silentium. Occurrit tamen in Inscriptionibus, ubi antique *Minaiius* pro *Minæus* scribitur, apud Gruter. p. CXCIV. num 2.

C. IVNIVS. MINAIIVS. C. F. OCRIC
PVPIANVS. EQ. R. PRAEF
LEG. X. FRETENS. PRAEF. FABR. &c.

I. II. III.

MINEIA M. F. Caput muliebre.

Publico Sumtu Senatus Consulto. Ædificium elegans.

Hi tres nummuli ærei positura capitis & literarum tantum inter se differunt, quoad reliqua similes; explicatu vero haud faciles sunt. Harduinianum tamen paradoxum amplecti nequeo. Verba ejus ad Plinium Tom. II. p. 280. hæc sunt. „ Est in Thesauro Regio & apud „ Patinum in Famil. p. 178. nummus ex ære mi„ nuto, egregiæ fabricæ; qui quo pertineat „ nescire se Patinus fatetur. Ex anteriore parte „ caput feminæ exhibet, cum hac epigraphe, MI„ NEIA M. F. In altera ædificium perpulcrum „ est, cum his literis P. S. S. C. Harum li„ terarum sententia hæc est: M*ausoleum* I*nsigne* „ N*ero* I*mperator* A*grippinæ* M*atri* F*ecit* S*umtu* „ P*ublico*, S*enatus* C*onsulto*. In eo nummo ne„ xæ sunt literæ duæ NE. quæ Neronem si„ gnificant. " At literæ tales connexæ in media voce sæpissime in inscriptionibus nummorum occurrunt, nec ullum inde præsidium pro Neronis nomine peti potest.

Inscriptionem, quæ ad caput muliebre est, ita lego MINEIA*nus* M*arci* F*ilius*. Designatur scilicet aliquis ex gente Mineia, qui adoptatus in aliam gentem, nomen sum antiquum, pro more usitato, produxit, & pro Mineio adpellatus fuit Mineianus. Caput illud muliebre Juliæ, habitu Veneris, esse credo, atque ædificium illud, quod a parte posteriore est, ex senatusconsulto, publicis sumtibus, deæ Veneri, sub Genetricis vel alio nomine, temporibus Julii Cæsaris aut Augusti extructum fuisse.

MINVCIA.

Minucia gens, quæ in nummis exstat, plebeja fuisse colligitur ex tribunis plebis, qui ex ista gente fuerunt, inter quos Romanam libertatem contra Sp. Melii tyrannidem adseruit Lucius Minucius Augurinus Cognomina in nummis occurrunt, Augurini, Rufi, & Thermi.

I.

Caput Romæ galea alata ornatum, cum denarii signo.

T*iberii* MINVCI*i* C*ai* F*ilii* AVGVR*i*NI. ROMA. Columna, basi quadratæ imposita, in cujus summitate icuncula est togata, dextra hastam tenens; ipsa vero columna constat ex multis modiis sibi invicem impositis; ad imam columnæ partem duæ surgunt spicæ, ad latera adstant duo viri, ad dextrum quidem vir togatus, utraque manu modium tenens, quasi sibi invicem adplicaturus, lævo insuper pede, non columnæ vel basi, sed modio insistit. Ad sinistrum latus est vir, habitu augurali, capite velato, lituum gerens, non alio more depictum, quam vulgo fieri solet, incurvum videlicet, atque alia, quam militarem, figura.

Adhibitis & cum cura inspectis denariis meis, operosiorem typi descriptionem dedi, quoniam minus recte figuras exprimi atque depingi passim animadverti. Figura illa, quæ ad dextram columnæ est, capite nudo, togata, non est Sp. Melii, ut Ursino & Begero visum fuit, panes ad inescandam plebem manu tenentis, sed ipsius L. Minucii, qui, præfectus annonæ, conspirationem Melii detexit atque oppressit. Historiam narrat Livius lib. IV. cap. 13. *Tum Sp. Melius ex equestri ordine, ut illis temporibus, prædives, rem utilem pessimo exemplo, pejore consilio est adgressus. frumento namque ex Etruria, privata pecunia per hospitum clientiumque ministeria coëmpto (quæ credo ipsa res ad levandam publica cura annonam impedimento fuerat) largitiones frumenti facere instituit: plebemque hoc munere delinitam, quacunque incederet conspectus elatusque supra modum hominis privati, secum trahere; haud dubium consulatum favore ac spe despondentem. Ipse, ut est humanus animus insatiabilis eo quod fortuna spondet, ad altiora & non concessa tendere. & quoniam consulatus quoque eripiendus invitis patribus esset, de regno agitare:*

re: id unum dignum tanto adparatu consiliorum & certamine, quod ingens exsudandum esset, præmium fore. Hæc tam vesana & perniciosa reip. consilia detexit ille L. Minucius, præfectus annonæ, uti adparet ex sequentibus: *Consul sextum creatus T. Quintius Capitolinus, minime opportunus vir novanti res: collega additur ei Agrippa Menenius, cui Lanato erat cognomen, & L. Minucius præfectus annonæ; seu refectus, seu, quod res posceret, in incertum creatus. nihil enim constat, nisi in libros linteos utroque anno relatum inter magistratus præfecti nomen. Hic Minucius eandem publice curationem agens, quam Melius privatim agendam susceperat, quum in utraque domo genus idem hominum versaretur, rem compertam ad senatum refert, tela in domum Melii conferri, eumque conciones domi habere: ac non dubia regni consilia esse.* Ipse Minucius præmia deligentiæ suæ & fidei nactus est. *L. Minucius bove & arvo* (ita recte pro *bove aurato* legit Gronovius) *extra portam Trigeminam est donatus, ne plebe quidem invita, quia frumentum Mælianum assibus in modios æstimatum plebi divisit.* Et hinc in nummo ipse L. Minucius, non panes, sed modios utraque manu tenet, pede etiam altero modio imposito. Quin & columna illa, non striata (ut voluit Vaillantius) mihi videtur, sed, veluti ex modiis compluribus composita esset, elaborata ad modiorum sibi invicem insistentium similitudinem. In illa columna ipsius L. Minucii statua togata est & hastata. Lucio Minucio enim hac de caussa & statuam & columnam, stipe collata, a populo erectam fuisse, Plinius testatur. Prius lib. VIII. cap. 3. *Manius Marcius, ædilis plebis, primum frumentum populo in modiis assibus donavit: Minucius Augurinus, qui Sp. Mælium coarguerat, farris pretium in trinis nundinis ad assem redegit, undecimus plebei tribunus: qua de caussa statua ei extra portam Trigeminam, a populo, stipe collata, statuta est.* De columna idem lib. XXXIV. cap. 5. ubi de columnarum honoris antiquitate: *Item P.* (ita enim ibi scribitur pro *L.*) *Minucio, præfecto annonæ, extra portam Trigeminam, unciaria stipe collata, nescio an primo honore tali a populo.* Spicæ in imo columnæ redditam annonæ vilitatem designant. Hæc Sp. Mælii conjuratio detecta fuit per L. Minucium Augurinum (ut vocat Plinius) A. V. C. CCCXV. coss. T. Quinctio Capitolino & Agrippa Menenio Lanato, creato ad incendium illud exstinguendum a Coss. dictatore L. Quinctio Cincinnato & magistro equitum dicto C. Servilio Ahala, qui sua manu Sp. Mælium, plebem ad corporis sui defensionem advocantem, obtruncavit.

Altera figura, auguris cum lituo, additur ad rationem cognominis reddendam, illumque designat, qui augur existens, primus familiæ suæ Augurini cognomen dedit.

Is qui denarium hunc cudit, vocatur Tiberius Minucius, Caji filius, Augurinus. Minuciis Augurinis familiare prænomen Tiberii fuit. Primus occurrit Tiberius Minucius, consul A. V. C. CCCCXLVIII. qui eodem anno contra Samnites pugnans, in prælio graviter sauciatus fuit, atque ex vulnere accepto obiit. Secundus est Tiberius Minucius, tribunus plebis A. V. C. DXXXVII. a quo Minucia lex nummaria de III viris mensariis cognomen tulit. Tertius fuit Tiberius Minucius, cui præter Augurini cognomen, Molliculi insuper agnomen fuit. Is tribunus plebis exstitit A. V. C. DLXVIII. atque inter prætores postea quoque recensetur. Jam ante quæsturam provincialem obierat A. V. C. DLXIII. quam præcedere debuit quæstura urbana, in qua, vel in triumviratu monetali, cusos hos denarios fuisse inscriptio ROMA testatur.

Litera A.

Similis penitus præcedenti, nisi quod integre scribatur AVGVRINI.

II.

ROMA. Caput Romæ galeatum more solito, cum nota denarii.

Caius AVG*urinus.* Eadem columna L. Minucii Augurini, cum statua ejusdem in summo, & spicis duabus in imo. Hinc & inde stant ipse ille L. Minucius Augurinus, præfectus annonæ, & ille qui a dignitate Augurali nomen familiæ dedit; sed leones duo ad spicas adduntur, & columna in summa sui parte majorem præfert ornatum.

Leones illi symbolum adfectatæ tyrannidis a Spurio Mælio nonnullis videntur; Africæ symbolum esse possunt, & frumenti inde cura L. Minucii Augurini, ad levandam annonæ inopiam, advecti. De Cajo Augurino, qui denarium cudit, vide num. sequentem.

III.

Caput Jovis laureatum, cum nota semissis.

Caius Augurinus. ROMA. Prora navis, cum nota semissis.

Ut Tiberii, sic Caji quoque prænomen familiare Minuciis Augurinis fuit. Occurrit C. Minucius Augurinus quæstor A. V. C. CCLIX. quem in Vita Poplicolæ narrat Plutarchus privatum, orationem habuisse post reges exactos, de non reddendis illorum bonis. Deinde ædilis plebis legitur fuisse A. V. C. CCCCLI. C. Minucius C. F. Augurinus. Tertius hoc nomine, inter tribunos plebis recensetur A. V. C. CCCCLXXIX. Cajus Minucius, C. F. C. N. Augurinus. Quartus denique & ultimus item C. F. C. N. ut quæstor provincialis a Pighio enumeratur A. V. C. DXII. qui tribunum plebis collocat A. V. C. DXVII. Huic nummum hunc adscribit Vaillantius propter pondus ejusdem unciale, ad quod semissis reductus fuit tempore belli Punici primi, quo duas uncias pendebant asses. In quæstura quoque dicta cusum fuisse judicat Pighius, in eo deceptus, quod denarium argenteum credidit & Saturni habere imaginem, propter literam S. quæ semissem notare solet.

Ego quidem æreum hunc nummum ut & num. VI. facile largiri possum ad quartum illum C. Minucium Augurinum pertinere, propter ponderis convenientiam, cusos scilicet in quæstura ejus urbana, non provinciali, quod docet adscripta vox ROMA; sed valde dubito an ad tantam antiquitatem revocandus ille, quem modo num. II. habuimus, denarius. Nimis enim simplices antiquo illo ævo fuerunt typi denariorum, quam ut tantum adparatum atque ornatum admitterent; unde mihi persuadeo hunc Cajum Augurinum filium fuisse C. Minucii Augurini, qui ante quæsturam provincialem A. V. C. DXII. æreos hosce nummos cudit, & patrem Tiberii, qui C. F. inscribitur supra num. II. atque paullo ante annum DLXIII. depictum ibi denarium cudit. Si quis credat Cajum & Tiberium Augurinos simul vixisse, & ex duobus fratribus nepotes fuisse, atque triumviros monetales hosce signas-

signasse denarios, etiam illi repugnare nolim.

IV.

RVF*us*. Caput Romæ galea alata decorum, cum denarii nota.

Quintus MINV*cius*. ROMA. Dioscuri, more solito, in equis.

In gentis Minuciæ familia Ruforum plures in historia occurrunt cum Quinti prænomine. Inter tribunos plebis A. V. C. DXXXV. Q. Minucium P. F. Q. N. Rufum collocat Pighius Tom. II. p. 151. Notior illo A. V. C. DL. occurrit Q. Minucius C. F. C. N. Rufus, tribunus plebis, qui post præturam consul factus fuit A. V. C. DLVI. atque de Liguribus, Gallis & Boiis triumphavit. Tertius, Quinti prænomine insignis, ultra præturam non processit, quam gessit A. V. C. DCLXXXIV. Deinde, post tribunatum plebis, alius Quintus agnoscitur inter proprætores bello Mithridatico, apud Appianum A. V. C. DCLXVII. Ultimus, classi præfectus ad Oricum, bello civili, pro Pompejo stetit, & tribunus plebis exstitit A. V. C. DCXCIII. Typi simplicitas ad unum ex vetustioribus hunc denarium revocat, vel cum Ursino ad illum, qui una cum C. Corn. Cethego consul fuit A. V. C. DLVI. vel cum Vaillantio ad tribunum plebis A. V. C. DXXXV. quem legatum Appii Claudii in obsidione & expugnatione Capuæ rebus omnibus gerendis interfuisse scribit Livius. Uter ex illis duobus signaverit, illud certum est, factum id in quæstura urbana vel triumviratu monetali fuisse, propter vocem Romam, quæ adscribitur.

V.

Caput Romæ, more solito galeatum, cum nota denarii.

Lucius MINVCI*us*. ROMA. Jupiter, stans in citis quadrigis, dextra fulmen tenet, læva sceptrum & equorum habenas.

Quoniam Lucii prænomen in familia Thermi gentis Minuciæ hæsisse videtur, inde colligunt antiquarii ad Thermos nummum hunc & sequentem spectare, quamvis in illis nullum cognomen addatur. Exstitit eo nomine tribunus plebis A. V. C. CCCCXCVII. alter item A. V. C. DLXIX. tertius item tribunus plebis A. V. C. DLXXIV. Ex hisce Ursinus & Vaillantius, nummos hos adscribunt penultimo, qui A. V. C. DLXXV. legatus exstitit consulis A. Manlii Vulsonis, qui collegam habuit M. Junium Brutum. Ipse vero hic L. Minucius Thermus, qui nummos hosce quæstor urbanus cudit, filius fuisse videtur Q. Minucii Thermi, consulis cum L. Corn. Merula A. V. C. DLX.

Litera B.

Caput Herculis inberbis in leonis exuviis, adsunt tria puncta, sive tres globuli, quadrantis indices.

Lucius MINVCI*us* ROMA. Prora navis cum tribus iisdem globulis.

Pertinet hic nummus ad eundem L. Minucium Thermum, qui præcedentem denarium signavit.

VI.

Caput Herculis idem, adsunt similes tres globuli, quadrantis indices.

Caius AVG*urinus*. ROMA. Prora navis, cum iisdem tribus globulis.

De hoc Cajo Augurino jam actum est ad num. III.

VII.

Caput Romæ Victricis galeatum; Victricem designat lauri ramus ad tempora in casside exstans.

Quintus THERM*us* *Marci* *Filius*. Duo viri dimicantes, gladiis & clypeis instructi, tertius, tanquam saucius, in genua inter utrumque prolapsus est.

Servati civis Romani decus in elegantissimo hoc denario exprimi omnes profitentur; iidem passim rudimenta militiæ Julii Cæsaris sub M. Minucio Thermo expressa consentiunt. Vaillantius vero statuit, non ad singularem Julii Cæsaris honorem, sed in genere ad M. Thermi inter milites suos distributionem præmiorum spectare. Statuit itaque, illum in illa patris sui M. Thermi expeditione in Asiam, ipsi tanquam quæstorem adfuisse, atque in quæstura sua hunc denarium signasse. Id enim verba ejus velle videntur, quæ p. 144. ita sese habent. „ Nunc vero „ alterum, prænomine Quintum, sed Marci filium, proferimus, qui in quæstura provinciali „ Marci patris præmiorum distributionem, inter viros fortes, in expugnatione Mitylenarum, ad quam urbem (quæ sola in Asia, post devictum Mithridatem regem, arma retinebat) prætor extra ordinem missus erat, ad ejus „ memoriam recolendam, in denariis agnosci se „ voluit. Hi Romanum contra barbarum, pro „ defensione civis dimicantem exhibent, quod „ egregium belli factum civicam coronam merebatur; quam Julium Cæsarem, postea dictatorem, ab eodem M. Minucio, in hac expeditione etiam accepisse testatur Suetonius. " Ad hæc observari volo; nullam unquam extitisse expeditionem Romanorum, cum aliqua victoriæ felicitate conjunctam, in qua non præmiorum distributionem duces fecerint, & fortibus viris honores adsignaverint; sed nunquam res tam usitatas a quæstore ducis expressas in denariis fuisse. Deinde Q. Minucium Thermum M. F. si, tanquam quæstor illo bello, denarium hunc signavit, nequaquam respicere ad honorem illum Julio tributum potuisse, quum ille tunc tantum annorum novendecim, prima stipendia faceret, quod faciebant & alii plures, & Julio haud ignobiliores. Denique, quomodo constat sub patre quæstorem fuisse Q. Thermum M. F. quod ad caussam suam fingit Vaillantius? Existimat idem post quæsturam illam hunc Q. Minucium Thermum tribunatum plebis obtinuisse A. V. C. DCXCI. atque ædilitatem plebis A. V. C. DCXCIV. sed nequaquam constat an ille Quintus patrem Marcum habuerit inter tot Q. Minucios, qui illis temporibus exstiterunt.

Credo itaque hunc denarium cusum fuisse a Q. Minucio Thermo, M. F. ut fert inscriptio, non quidem quæstore in expeditione illa patris sui, sed triumviro forte, vel quatuorviro monetali, sub Julio Cæsare jam rerum potito; atque hunc potissimum typum elegisse, in quo virtus Cæsaris primæva eniteret, ut simul & Cæsari blandiretur, & paternæ expeditionis revocaret memoriam. Testatur enim Suetonius, in Vita Cæsaris, Cæsarem stipendia prima in Asia fecisse in M. Thermi contubernio, atque ab eodem Thermo

mo in expugnatione Mitylenarum corona civica donatum fuisse. M. Minucius Thermus in Asiam missus fuit prætor extra ordinem a L. Corn. Sulla dictatore, ut L. Murenæ, quem revocaverat, succederet, A. V. C. DCLXXII. Si tamen ut triumvir monetalis illum denarium cudit Thermus, ætatis annum trigesimum supergressus fuisse videtur, hoc primum honorum suorum incrementum nactus; unde forsitan suspicari licet, comitatum eundem Julium Cæsarem fuisse in Gallias, quod bellum per plures annos fuit tractum, atque ibi hunc nummum, ut quæstorem, signasse. Quam præ priore sententiam amplector, quoniam Romæ caput in anteriore parte expressum est, non Julii Cæsaris, ut passim a triumviris vel quatuorviris monetalibus factum cernimus. Begerus enim, qui pertinaciter in Observ. & Conject. suis p. 46. atque Thes. Brand. Tom. II. p. 601. juvenile caput Cæsaris depingi existimat, ab ipsis refutatur denariis, in quibus, nitidissimis sane & bene sculptis, qui magno satis numero exstant, muliebre caput, non virile, vel primo adspectu statim agnosci potest ab illis, qui nulla opinione præoccupati sunt. Apud Tacitum lib. Ann. VI. cap. 7. agitur de quodam Minucio Thermo, post Sejani calamitatem calumniis adpetito, & quamvis *modeste habita Sejani amicitia*, iniquitate tamen Tiberii condemnato. Videtur is ex horum Minuciorum posteris fuisse.

Litera C.

ΓΕΡΜΑΝΙΚΟΝ ΚΑΙΣΑΡΑ ΕΠΙ ΑΥΓΟΥΡΕΙΝΟΥ ΓΟΡΤυνιοι. *Germanicum Cæsarem* sc. colunt, *sub Augurino Gortynii.* Caput Germanici laureatum.

ΓΑΙΟΝ ΚΑΙΣΑΡΑ ΓΕΡΜΑΝΙΚΟΝ ΣΕΒΑΣΤΟΝ. *Caium Cæsarem Germanicum* scil. colunt Gortynii. Caput Caji Caligulæ laureatum.

Cognomen Augurini prodit hunc Cretæ insulæ magistratum ex Minucia gente fuisse; qui proconsulari imperio hanc insulam tenuisse videtur, nihil tamen de illo in antiquis scriptoribus invenitur. Gortyna urbs Cretæ nobilis fuit.

MITREIA.

Mitreia gens tam ignota est, ut ne in Inscriptionibus quidem antiquis ulla ejus mentio occurrat.

I.

Caius MITREIVS *Lucii Filius*, MAG*ister* IVVENT*utis*. Caput nudum, ut videtur, M. Vipsanii Agrippæ, sub collo delphinus est.

Numerus XI. in corona laurea.

Hujus generis nummulos æreos, qui ejusmodi numeros laureis sertis inclusos haberent, plurimos vidi, & ipse quoque aliquot cum capite Augusti possideo. Videri iidem possunt in Tomo II. Operis Morelliani inter nummos Augusti Tabulæ XLIII. Crediderim per numeros in iisdem designari annum imperii, quem tunc agebat Augustus, quum nummuli illi signarentur. Neque semper Augusti caput habent, sed & alias figuras, uti cerni in eadem Tab. potest. Ex hac conjectura statuo hosce duos nummulos cusos fuisse, hunc quidem anno imperii ejusdem XII. sequentem vero, anno IV. Agrippam potissimum referre videtur caput illud a parte prima, ad Augustum certe minus accedit; cui Agrippæ, sicuti rostrata corona navalis gloriæ symbolum in aliis nummis esse solet, ita hic illi, tanquam Neptuno deo, delphinus jungitur.

Hic C. Mitreius *magister juventutis* adpellatur, titulo non tantum in nummis, sed & libris atque lapidibus antiquis incognito. Innui tamen talem puto, qualem, sed cum minore honore marmora *magistrum* vel *pædagogum puerorum domus Augustæ* vocabant. Apud Gruter. pag. MCXI. num. 8.

FLAVI. STEPHANI
PAEDAG. PVEROR
IMP. TITI
CAESARIS

Ibid. pag. MXXXIII. num. 8.

D. M
TIB. CLAVDIO. AVG. LIB
HERMETI
M. PVERORVM. DOM. AVGVST. &c.

Discrimen, inquam, honoris est; hi enim homines formasse videntur servitia domus Augustæ, at vero hic C. Mitreius *magister juventutis* fuit, i.e. disciplina militari & equestri imbuisse videtur juventutem Romanum, i. e. adolescentes nobiles, & inprimis Cajum & Lucium, principes juventutis aliquando adpellandos, sicuti brevi contigisse videtur post cusum hunc nummum, nam A. V. C. DCCXLVIII. Cajus & Lucius adpellati fuerunt principes juventutis, hic vero nummus referri potest ad A. V. C. DCCXLII. nam anno post apud Mediobarbum 37. nummus Augusti cum num. XIII. collocatur & sic alii porro sequentibus annis. Neque errabo forsan, si dixero, hosce omnes nummulos, extra ordinem fuisse cusos, ut inter Saturnaliorum munuscula donarentur, atque de hisce quoque loqui Sueton. quum in Vita Aug. cap. LXXV. ita scribit: *Festos & solemnes dies profusissime, nonnunquam jlocalariter tantum, celebrabat. Saturnalibus, & si quando alia libuisset, modo munera dividebat, vestem, & aurum, & argentum: modo nummos omnis notæ, etiam veteres regios ac peregrinos.* Deformem hujus nummi, ut passim, edidit picturam Harduinus, nec meliorem addidit explicationem, ad Plin. tom. I. p. 400. „ Ut porro magister equitum dicebatur præfectus equestribus copiis, sic pedestrium, ævo Augusti, „ magister juventutis adpellabatur, qui postea „ princeps juventutis. Testis argenteus (N. B. pro æreo) in gaza Regia nummus perpulcher, in„ scriptus C. MITREIVS L. F. MAG. IN„ VENT. cum vultu Cæsaris Augusti. Pars „ altera in laurea exhibet XII. hoc est, *legio* „ *duodecima*, ut videtur. " Conferat benignus lector utramque explicationem.

II.

Caius MITREIVS *Lucii Filius* MAG*ister* JVVENT*utis*. Caput M. Vipsanii Agrippæ cum delphino.

Lucius SEXTILI*us Lucii Filius*. Ædificii quoddam genus, subtus nota numeralis est IIII.

Eadem in explicatione hujus nummi ratio est, quæ

quæ in præcedente. Duo vero hi magiſtri (quaſi *campidoctores* dicas) juventutis fuerunt, C. Mitreius & L. Sextilius, quare in hoc quidem nummo utriusque nomina ſignantur. Ædificium vero illud pertinuiſſe ad idem exercitium videtur.

MVCIA.

Gens Mucia, quæ & Mutia apud antiquos ſcribitur, ante Scævulas Cordos habuit, quorum progenies ad Sullæ uſque tempora propogata fuiſſe ex nummis cognoſcitur. Plebeja exſtitit.

I.

HO*nos*. VIRT*us*. KALENI. Capita juncta Honoris & Virtutis, illud laureatum, hoc galeatum.

CORDI. Duæ figuræ muliebres, ſtantes ex adverſo, dextras jungunt. Figuræ ex adſcriptis literis RO*ma* & ITAL*ia* eſſe agnoſcuntur. Italia, demiſſa ad pedes ſtola, tranquillo pacis habitu, læva cornucopiæ gerit; Roma, veſte ſuccincta & militari, dextro pede globum orbis terrarum premit, læva manu ſceptrum tenet, caput, ut regina orbis, diademate religatum habet. Pone Italiam eſt ſymbolum pacis caduceus.

De typo perinſigni hujus denarii egimus jam ad gentem Fufiam pag. 185. quo lectorem remittimus. De Cordo pauca dicenda ſunt. Cognomen illud oſtendit ipſum ex antiquiſſima illa Muciorum gente fuiſſe, ex qua quum Scævula quoque foret, periculoſæ & felicis audaciæ cognomen poſteris ſuis reliquit. Ex iis, qui Cordi cognomen retinuerant, ortus hic Mucius Cordus triumvir cum Fufio & Fontejo fuiſſe videtur, uti diximus l. c. atque redintegratam univerſæ Italiæ pacem in hoc denario expreſſiſſe. Legitur vero, ut architecti nobiliſſimi, C. Mucii, ſeu Mutii, nomen apud Vitruvium duobus in locis, ita ut ſimul ædis Honoris & Virtutis, quam ille ingenio ſuo ornaverit, mentionem faciat. In præfatione lib. VII. in fine pag. 126. dolet M. Vitruvius Pollio, veteres illos architectos nihil de arte ſua ſcriptis conſignaſſe: *Nec tamen a Coſſutio ſolum de his rebus ſcripta ſunt deſideranda, ſed etiam a C. Mutio, qui magna ſcientia confiſus, ædes Honoris & Virtutis Marianæ cellæ, columnarumque & epiſtyliorum ſymmetrias, legitimis artis inſtitutis perfecit. Id vero, ſi marmoreum fuiſſet, ut haberet & quemadmodum ab arte ſubtilitatem, ſic a magnificentia & impenſis auctoritatem, in primis & ſummis operibus numeraretur.* Ex hoc loco patet, antiquiſſimum illud opus non ex marmore, ſed viliori materia, fuiſſe. Dici vero *ædes Honoris & Virtutis Marianæ cellæ*, id eſt, ad cellam Marianam, ſive, ut ipſe explicat Vitruvius, ad Mariana. *Peripteros autem erit* (inquit lib. III. cap. I. p. 40.) *quæ habebit in fronte & poſtico ſenas columnas, in lateribus cum angularibus undenas, ita ut ſint hæ columnæ collocatæ, ut intercolumnii latitudinis intervallum ſit a parietibus circum ad extremos ordines columnarum, habeatque ambulationem circa cellam ædis, quemadmodum eſt in porticu Metelli Jovis Statoris Hermodi, & ad Mariana Honoris & Virtutis, ſine poſtico a Mutio facta.* Hisce Vitruvii verbis docemur fuiſſe Romæ præter antiquiorem illam ædem M. Marcelli Honori & Virtuti votam, atque a filio ejusdem dedicatam, ſecundam diverſamque, quam æmulus fortitudinis ejus & claritudinis C. Marius excitavit, & quæ diſcriminis cauſſa, *ad Mariana* vocata fuit. Docemur præterea, architectum operis fuiſſe C. Mucium quendam. Facta videtur fuiſſe illa dedicatio A. V. C. DCLIII. quo divini pene honores in illum ſtudio populi congeſti fuerunt. Teſtimonium illius Mariani templi antiqui lapides quoque ferunt, atque ex tabula marmorea antiqua, quam in via Flaminia Vitruvii commentator repertam fuiſſe teſtatur, diſcimus erectum fuiſſe ex manubiis Cimbricis & Teutonicis. Exſtat inſcriptio apud plures, & apud Gruterum pag. CCCCXXXVI. num. 3.

C. MARIVS. C. F. COS. VII
PR. TR. PL. Q. AVGVR. TR
MIL. EXTRA
SORTEM. BELLVM. CVM. IVGVRTHA
REGE. NVMID
GESSIT. EVM. CEPIT. ET. TRIVM-
PHANS. IN. SECVNDO
CONSVLATV. ANTE. CVRRVM
SVVM. DVCI. IVSSIT
III. CONSVL. APSENS. CREATVS. EST
IIII. CONSVL
TEVTONORVM. EXERCITVM
DELEVIT. V. CONSVL
CIMBROS. FVGAVIT. EX. IEIS. ET
TEVTONEIS. ITERVM
TRIVMPHAVIT. REM. P. TVRBATAM
SEDITIONIBVS
TR. PL. ET. PRAETOR. VI. QVI
ARMATI. CAPITOLIVM
OCCVPAVERANT. VI. CONSVL
VINDICAVIT
POST. LXX. ANNVM. PATRIA. PER
ARMA. CIVILIA
PVLSVS. ARMIS. RESTITVTVS. COS
VII. FACTVS. EST
DE. MANVBIEIS. CIMBICEIS. ET
TEVTONICEIS. AEDEM
HONORI. ET. VIRTVTI. VICTOR
FECIT. VESTE. TRIVMPHALI
CALCEIS. PVNICEIS. . . . .

Recenſentur in hac Inſcriptione omnes honores & geſta factaque Marii illuſtriora, ne quis exiſtimet ſub ſeptimo conſulatu Marii ædem illam exſtructum fuiſſe; conjunguntur enim res diverſæ, temporibus diverſis geſtæ.

Vixit itaque architectus ille nobilis C. Mucius A. V. C. DCLIII. ſtatuitur a nobis cuſus eſſe hic denarius A. V. C. DCLXIV. ſic ut frater vel filius architecti illius, Cordus, qui ſignavit hunc denarium eſſe potuerit.

MVNATIA.

Munatia gens plebeja fuit, tribunatum plebis enim geſſit, Planci cognomen habuit.

I.

Caius CAES*ar* DIC*tator* TER*tium*. Caput Victoriæ cum humeris alatis.

Lucius PLANC*us* PRAEF*ectus* VRB*i*.

Vas

Vas oblongum, quo in sacrificiis utebantur, guttus dictum.

Vidimus jam aureum hunc denarium inter nummos gentis Juliæ tab. quinta num. I. Victoria ad Cæsaris res gestas respicit, guttus vel ad ejusdem pontificatum, vel ad aliquod ipsius Planci sacerdotium. Tempus signati nummi colligitur ex tertia Cæsaris dictatura, A. V. C. DCCVIII. vel, ut alii numerant, DCCIX. Inter præfectos urbis, de quibus plus semel egimus, sub M. Lepido relictus Munatius Plancus, aureos hosce nummos signari fecit.

II.

Similis est nummus præcedenti, sed ex alia matrice prodiit, atque literas alio more habet dispositas, ventrem quoque urcei aliquanto densiorem.

III.

M*arcus* ANTON*ius* IMP*erator* AVG*ur* III VIR R*ei* P*ublicæ* C*onstituendæ*. Urceus & lituus.

L*ucius* PLANCVS PRO CO*n*S*ule*. Guttus, positus inter fulmen alatum & caduceum alatum.

Vide de hoc denario cl. amicum Liebeum in Thes. Goth. p. 235. qui recte contra Vaillantium statuit signatum fuisse eo tempore, quo proconsulatu Syriæ ab Antonio ornatus fuit Plancus. Refertur vulgo ad A. V. C. DCCXVIII. Vita hujus Planci, mors & res gestæ admodum notæ sunt ex scriptoribus antiquis. Guttus sacerdotium ejus designare videtur, fuit enim VII vir epulonum, ut ex inscriptione constat, quam, honores ejus continentem, viri docti protulerunt. Exstat apud Gruterum p. CCCCXXXIX. num. 8.

L. MVNATIVS. L. F. L. N. L. PRON
PLANCVS. COS. ACENS. IMP. ITER
VIIVIR
EPVL. TRIVMP. EX. RAETIS. AEDEM
SATVRNI
FECIT. DE. MANIBIS. AGROS
DIVISIT. IN. ITALIA
BENEVENTI. IN. GALLIA. COLONIAS
DEDVXIT
LVGDVNVM. ET. RAVRICAM

Fulmen summam triumvirorum potestatem, caduceus concordiam Cæsaris & Antonii significare videtur.

M V S S I D I A.

Gens Mussidia, nullis dignitatibus apud antiquos clara, vix, præterquam ex nummis, agnoscitur, & temporibus quidem Julii Cæsaris & triumvirorum Longi cognomen habuit.

T A B. I.

I.

Caput Cereris spicis exornatum.

L*ucius* MVSSIDIVS LONGVS. In corona spicea.

Denarii hujus typum Dionis illustrant verba, cujus locum a Fulvio Ursino sumus mutuati. Verba Dionis de magnificentia Cæsaris sunt lib. XLIII. pag. 224. Οὕτω μὲν δὴ τὰ ἐπινίκια ἔπεμψε· καὶ ἐπ᾽ αὐτοῖς τόν τε δῆμον λαμπρῶς εἱστίασε, καὶ σῖτον ἔξω τοῦ τεταγμένου καὶ ἔλαιον προσέδωκεν αὐτῷ. καὶ τῷ μὲν σιτοδοτουμένῳ ὄχλῳ τάς τε ἑβδομήκοντα καὶ πέντε δραχμὰς ἃς προϋπέσχετο, καὶ ἑτέρας πέντε καὶ εἴκοσι, τοῖς δὲ δὴ στρατιώταις, πεντακισχιλίας ὅλας ἔνειμεν. οὐ μέντοι καὶ ἁπλῶς ἐμεγαλοφρονεῖτο, ἀλλὰ τά τε ἄλλα διηκριβοῦτο, καὶ, τοῦ πλήθους τοῦ τὸν σῖτον φέροντος, ἐπὶ μακρότατον, οὐ κατὰ δίκην, ἀλλ᾽ ὥσπερ ἐν ταῖς στάσεσιν εἴωθε γίγνεσθαι, ἐπαυξηθέντος, ἐξέτασιν ἐποιήσατο· καὶ τούς γε ἡμίσεις ὁμοῦ τι αὐτῶν προσαπήλειψε. *Ad hunc modum peracto triumpho, magnificum populo epulum dedit, addito extra ordinem frumento oleoque. Distributo frumento in populum viritim, insuper trecentenos nummos distribuit, quos promiserat, adjectis aliis centenis: militibus autem bina in singulos sestertia divisit. Nec sola munificentia contentus, cetera quoque adcurate inspexit: quumque numerus eorum qui ex publico frumentum accipiebant, non legitime, sed eo modo quo in seditionibus fieri adsolet, excrevisset, instituta recensione, dimidiam circiter partem ejus amputavit.* Gesta hæc a Dione computantur A. V. C. DCCVIII. aliis DCCVII. Eo vero anno non fuisse cusos hos denarios nemo opinetur ex illis sequentibus, qui triumvirorum habent capita. Nam alius fuit ille IIIIvir monetalis Mussidius, qui Titi filium sese scribit, ut ab hoc Mussidio distinguatur; hunc enim opinor fuisse unum ex octo præfectis urbi, a Cæsare sub Lepido relictis, quum ipse in Hispaniam descenderet.

Litera A.

Caput Cereris spicis exornatum.

L*ucii* MVSSIDI*i* LONGI. In corona spicea.

Nullum discrimen est inter hunc denarium & præcedentem, nisi quod ille in primo, hic in secundo casu Mussidii nomen exprimat.

II.

Caput Concordiæ velatum.

L*ucius* MVSSIDIVS LONGVS. Comitium cum septis, gradibus, diribitoriis, & civibus togatis suffragia ferentibus, qui passim male, tanquam si muliebres essent figuræ, cum longioribus pinguntur capillis. Adscribitur CLOACIN*a*.

Erudite hic multa observat Fulvius Ursinus, de comitiis, suffragiis & Venere Cloacina, quæ, quoniam in foro esset comitium, ipsa vero posita in comitio, hinc loco nomen dedisse videtur. Liv. lib. III. de Virginio cap. 48. *Ducit filiam ac nutricem prope Cloacinam ad Tabernas, quibus nunc Novis est nomen.* Venus hæc, ita dicta, quod signum muliebre, in cloaca maxima repertum, rex Tatius, nomine Veneris Cloacinæ consecraverat, risum Christianis scriptoribus movit; unde apud Tertullian. de Pallio cap. IV. *Quod si tunc locorum Diogenes de dolio latraret, non cœnulentis pedibus, ut tori Platonici sciunt, sed omnino totum Empedoclem in adyta Cloacinarum detulisset, ut qui se cælitem delirarat, sorores prius suas, dehinc homines deos salutaret.* Putat idem Ursinus typo hoc indicari originem Mussidii ex Sabinis, atque Sabinorum & Romanorum sub Tatio & Romulo regibus concordiam. Melius vero Vaillantius respici existimat ad comitia inter populum & Cæsarem divisa. *Co-*

mitia (inquit Sueton. in Vita Julii cap. XLI.) *cum populo partitus est: ut exceptis consulatus petitoribus, de cetero numero candidatorum, pro parte dimidia, quos populus vellet, pronunciarentur: pro parte altera, quos ipse edidisset.* Hoc itaque beneficium populo a Cæsare collatum exprimere urbi præfectus L. Mussidius voluisse videtur, animumque Cæsaris ita clementem & popularem, ut quamvis ipse pro lubitu summa rerum potiri potuisset, voluerit tamen in partem juris sui & imperii populum vocare, unde deæ Concordiæ caput in anteriore denarii parte signatur.

In alia omnia, ut semper, abit Harduinus ad Plinium tom. I. p. 753. de cujus interpretatione dicturi sumus ad num III.

Litera B.

CONCORDIA. Deæ Concordiæ caput velatum. Ante illud solis astrum est.

Lucius MVSSIDIVS LONGVS. Comitium, ut supra, cum inscripto nomine CLOACIN*a*.

Litera C.

CONCORDIA. Caput deæ Concordiæ velatum, ante quod est luna crescens.

Lucius MVSSIDIVS LONGVS. Typus idem, & vox CLOACIN*a*.

In hoc denario luna crescens, atque in præcedenti solis astrum, eadem ratione ponuntur. Respiciunt videlicet ad annum ab Julio Cæsare emendatum, de quo jam plus semel nobis sermo fuit. Omnibus vero hisce typis & honoribus atque laudibus Cæsaris id egisse videtur L. Mussidius, ut populi amorem Cæsari, licet absenti, conciliaret.

III.

Caput solis adversum atque radiatum.

Lucius MVSSIDIVS LONGVS. Comitium, ut supra, cum voce CLOACIN*a*.

Non aliam ob rationem solis effigies in hoc nummo ponitur, quam solis astrum in uno ex præcedentibus. Provoco ad Suetonium, is in Vita Julii cap. XL. *Conversus hinc ad ordinandum reip. statum, fastos correxit, jam pridem vitio pontificum per intercalandi licentiam adeo turbatos, ut neque messium feriæ æstati, neque vindemiarum autumno competerent. Annumque ad cursum Solis accommodavit, ut CCCLXV. dierum esset, & intercalario mense sublato, unus dies quarto quoque anno intercalaretur. Quo autem magis in posterum e Kalendis Januariis nobis temporum ratio congrueret, inter Novembrem ac Decembrem mensem interjecit duos alios. Fuitque is annus, quo hæc constituebantur, XV. mensium, cum intercalario, qui ex consuetudine in eum annum inciderat.* Quæ non minus clare illustrat Dio Cassius lib. XLIII. pag. 226. Ταῦτά τε ἐνομοθέτησε, καὶ τὰς ἡμέρας τῶν ἐτῶν οὐ πάντη ὁμολογούσας σφίσι (πρὸς γὰρ τὰς τῆς σελήνης περιόδους ἔτι καὶ τότε τοὺς μῆνας ἦγον) κατεστήσατο ἐς τὸν νῦν τρόπον, ἑπτὰ καὶ ἑξήκοντα ἡμέρας ἐμβαλών, ὅσαπερ ἐς τὴν ἀπαρτιλογίαν παρέφερον. ἤδη μὲν γάρ τινες καὶ πλείους ἔφασαν ἐμβληθῆναι, τὸ δ᾽ ἀληθὲς οὕτως ἔχει. τοῦτο δὲ ἐκ τῆς ἐν Ἀλεξανδρείᾳ διατριβῆς ἔλαβε, πλὴν καθόσον ἐκεῖνοι μὲν τριακονθημέρους τοὺς μῆνας λογίζονται, ἔπειτα ἐπὶ παντὶ τῷ ἔτει τὰς πέντε ἡμέρας ἐπάγουσιν. ὁ δὲ δὴ Καῖσαρ ἐς μῆνάς τε ταύτας τε καὶ τὰς ἑτέρας δύο, ἃς ἑνὸς μηνὸς ἀφεῖλεν, ἐνήρμοσε· τὴν μέντοι μίαν τὴν ἐκ τῶν τεταρτημορίων συμπληρουμένην, διὰ τεσσάρων καὶ αὐτὸς ἐτῶν ἐσήγαγεν· ὥστε μηδὲν ἔτι τὰς ὥρας αὐτῶν, πλὴν ἐλάχιστον, παραλλάττειν. ἐν γοῦν χιλίοις καὶ τετρακοσίοις καὶ ἑξήκοντα καὶ ἑνὶ ἔτει, μιᾶς ἄλλης ἡμέρας ἐμβολίμου δέονται. *Jam, quum annorum dies invicem sibi non satis congruerent, (eo enim tempore etiamnum lunæ revolutionibus menses æstimabant) annum Cæsar ad eum qui hodieque observatur modum constituit, intercalatis septem ac sexaginta (quamvis alii falso plures perhibuerint) qui ad summam exactam requirebantur, diebus. Eam rationem ipse dum Alexandriæ versaretur addidicerat: quamvis hoc variat, quod Alexandrinis unusquisque mensis triginta diebus constat, deinde in singulos annos quinque dies adduntur. Cæsar vero & eos quinque dies, & duos insuper alios, quos uni mensium detraxerat, reliquis mensibus coaptavit: diem quoque illam, quæ ex dierum quadrantibus conficitur, ad quartum quemque annum (tribus in medio annis omissis) adposuit: ut jam ne in horis quidem annorum error, nisi perquam exiguus, incidere possit: qui tantus est, ut intercalatione unius diei* MCCCCLXI. *quoque anno indigeat.* Ex hisce quæ caussa fuerit solis & lunæ in denariis, qui ad Cæsaris honores spectant, signandi, aperte liquet; ut ludibrium omnibus debeat Harduinus, qui ad Plinium tom. I. p. 753. vocem CLOACIN. per literas singulares explicans, C*ymbam* L*ubentes* O*btulerunt* A*ugusto* C*æsari* I*mperatori* N*arbonenses*; addit, „ In „ altera nummi parte caput est solis juvenis radiatum, symbolum Orientis ab Augusto pacati. ” Vaillantii quoque conjecturam minus adcommodatam existimo, qui ludos Apollinares exprimi existimat, quos sumtu Cæsaris ædilis alter ediderit.

Litera D.

Caput solis radiatum, ut supra.

Lucius MVSSIDIVS LONGVS. Comitium, ut supra. Inscriptio brevior est CLOA-*Cina*. In reliquis nihil discrepat.

Litera E.

Caput Julii Cæsaris laureatum.

Lucius MVSSIDIVS LONGVS. Comitia, ut supra, cum inscriptione CLOACIN*a*.

Caput Cæsaris, quod in reliquis non exstat, inter hunc & illos discrimen facit. Illud post mortem etiam Cæsaris, sub triumviris reipublicæ constituendæ expressum fuit.

IV.

CONCORDIA. Caput deæ Concordiæ velatum.

Lucius MVSSIDIVS LONGVS. Dextræ junctæ, tenentes caduceum.

Dextræ junctæ respiciunt ad concordiam Cæsaris cum Senatu, caduceus ad pacem.

V.

Caput Victoriæ cum humeris alatis.

Lucius MVSSIDIVS LONGVS. Victoria in citis bigis.

Victoriæ bustum, & dea eadem in bigis, victorias Julii Cæsaris indicant, adeoque, ut reliqui denarii, qui præcesserunt, famam ejusdem & gloriam commendant.

VI.

VI.

Caput Julii Cæſaris laureatum; poſt illud ſummi pontificatus inſignia ſunt lituus & capeduncula.
Lucius MVSSIDIVS LONGVS. Temo, globus, cornucopiæ, caduceus, apex.

Dignitatem Cæſaris & potentiam, atque Romanæ reipublicæ ſub illo fortunam, omnia hæc ſymbola denotant; felicitatem ſcilicet & pacem orbis univerſi terra marique, ſub ſancto ſummi pontificis Julii Cæſaris imperio, orbis univerſi domino.

Literæ F. & G.

Similes præcedenti, ſed abſunt ſummi pontificatus inſignia.

TAB. II.

I.

Marcus LEPIDVS IIIVIR *Rei Publicæ Conſtituendæ.* Caput Marci Lepidi nudum.
Lucius MVSSIDIVS *Titi Filius* LONGVS IIIIVIR *Argento Publice Feriundo.* Mars Ultor ſtans, nudus, galeatus, altero pede clypeum premens, dextra haſtam tenet, læva parazonium.

Notari in hoc & ſequentibus denariis debet, præter nomen patris, dignitas L. Muſſidii, quæ nummis inſcribitur, quum illa in prioribus, qui ad Julium Cæſarem ſpectant, non adſcribatur, & hic L. Muſſidius quatuorvir monetalis fuerit ſub triumviris, prior vero urbi præfectus cum ſeptem aliis ſub Lepido, Cæſaris tempore. Mars Ultor ultionem cædis Julii Cæſaris reſpicit.

II.

Marcus ANTONIVS III VIR *Rei Publicæ Conſtituendæ.* Caput Marci Antonii nudum.
Lucius MVSSIDIVS *Titi Filius* LONGVS IIII VIR *Argento Publice Feriundo.* Mars Ultor ſtans, nudus, galeatus, altero pede clypeum premens, dextra haſtam tenet, læva parazonium.

Ratio hujus denarii eadem eſt quæ præcedentis.

III.

Caius CAESAR III VIR *Rei Publicæ Conſtituendæ.* Caput Caji Cæſaris nudum.
Lucius MVSSIDIVS *Titi Filius* LONGVS IIIIVIR *Argento Publice Feriundo.* Mars Ultor ſtans, nudus, galeatus, altero pede clypeum premens, dextra haſtam tenet, læva parazonium.

Eandem interpretationem cum præcedentibus habet.

IV.

AVGVSTVS. CORINTHI. Caput Augusti nudum.
Caio MVSSIDIO PRISCO II VIR*o* *Caio* HEIO POLLIONE ITER*um*. In corona ex apio.

In colonia Corintho nummum hunc cuſum fuiſſe inſcriptio docet. Corintho propter ludos Iſthmicos propria eſt corona ex apio, quæ victoribus dabatur. Muſſidios illuc migraſſe hi nummi docent.

Lit. H.

T*iberius* CAESAR. CORINTHI. Caput Tiberii nudum.

Caio HEIO POLLIONE ITER*um* *Caio* MVSSID*io* PRISCO II VIR*is*. In corona ex apio.

Vivo Auguſto ultimis ejus annis hic & ſequentes nummi ſunt cuſi.

Lit. I.

AGRIPPA CAESAR. CORINTHI. Caput nudum Agrippæ junioris ſive Poſthumi, infelicis Cæſaris.
Caio HEIO POLLIONE ITER*um* *Caio* MVSSID*io* PRISCO II VIR*is*. In corona ex apio.

Hæc eſt vera facies Agrippæ Poſthumi, Agrippæ & Juliæ filii, de quo plura dicemus ad nummos Cæſarum. Nummus eſt unicus & propterea rariſſimus.

Lit. K.

GERMANICVS CAESAR. Caput Germanici quem a Tiberio adoptari Auguſtus voluit.
Caio HEIO POLLIONE ITER*um* *Caio* MVSSID*io* PRISCO II VIR*is*. In corona ex apio.

Sic vidimus univerſam domum virilem Auguſti, quæ poſt Caji & Lucii obitum adhuc reſtabat, a Corinthiis, ſub Muſſidio & Pollione duumviris expreſſam in monetis ſuis fuiſſe.

NAEVIA.

Gens Nævia plebeja fuiſſe colligitur ex tribunis plebis, qui in eadem gente extiterunt. Occurrunt in nummis Balbi, Surdini, Capellæ, & Suræ.

I.

Senatus Conſulto. Caput Veneris.
Caius NAE*vius* BALB*us*. Victoria in trigis, utraque manu equorum habenas tenet.

Inter Nævios, qui Balbi cognomen habuerunt, nullus apud ſcriptores prænomine Cajus occurrit. Lucii vel Sexti paſſim adpellantur. Quis vero hic C. Nævius Balbus fuerit, & quo tempore denarios, numero plures, cum capite Veneris atque trigis Victoriæ ſignaverit, & quidem ex ſenatusconſulto, valde incertum eſt. Itaque, quum conjecturis tantum ſit agendum, credo hos denarios referri debere ad tempora Sullæ dictatoris, & A. V. C. DCLXXIII. quo primum lege Cornelia viginti quæſtores creati ſunt, aucto magiſtratuum aliorum quoque numero. Hujus opinionis origo inde mihi, quod caput Veneris in denariis ſignatum ſit, de qua dea, reſpectu Sullæ, plura diximus in nummis gentis Corneliæ. Senatusconſulti nota omnibus hiſce denariis adſcribitur, quod numerus quæſtorum, auctore Sulla, ex ſenatusconſulto auctus eſſet. Victoria in trigis ad Sullæ res geſtas reſpicit; trigas enim, bigas, & quadrigas, pro lubitu ſignarunt, ut cerni poteſt in gentis Claudiæ, Marciæ & Manliæ denariis.
Cajus Nævius Balbus, ratione temporis, filius eſſe potuit Sex. Nævii L. F. L. N. Balbi, qui

FAMILIA NAEVIA.

qui tribunus plebis exstitit A. V. C. DCLVI.

Lit. A. B. C. *&c.*

Senatus Consulto. Caput Veneris, ante illud litera A. cernitur.

Caius NAE*vius* BALB*us*. Victoria in trigis, utraque manu habenas tenet.

Literas A. D. &c. ex alphabeto desumtas, ad discrimen matricum, sæpius in hisce denariis adpositas cernimus, uti & numeros, qui in quibusdam adparent. III. X. XIII. XVIIII. XXII. XXXXIII. L. LXIII. LIIII. LXXX. CIII. CXXVII. CLXXV. CLXXXX. CCV. CCVII. CCXIII. in quibus omnibus litera L. per ⅃. inversam in nummis exprimi solet.

II.

CAESAR AVGVSTVS TRIBVNIC*ia* POTEST*ate*. Caput Augusti nudum.

Lucius SVRDINVS IIIVIR *Auro Argento Aeri Flando Feriundo.* In area nummi nota est senatusconsulti.

Surdini cognomen proprium genti Næviæ fuit, unde bona Næviana agnoscit Valerius Maximus, ubi de liberto Surdini agit, qui vocabatur Nævius Surdinus, quique hæredem fecerat gallum quendam Magnæ Matris sacerdotem Genucium, apud eundem Valer. Max. lib. VII. cap. VII. ex. 6. *Genucius quidam, Matris Magnæ gallus, a Cn. Oreste, prætore urbis, impetraverat ut restitui se in bona Næviana* (ita lege cum Periz. pro *Næviani*) *juberet, quorum possessionem secundum tabulas testamenti ab ipso acceperat. Adpellatus Mamercus a Surdino, cujus libertus Genucium hæredem fecerat, prætoriam jurisdictionem abrogavit.* Surdinus, adolescens ingeniosus, quem inter rhetoras laudat Seneca Suasor. VII. & Controv. XX. sine dubio ex hisce Næviis fuit. Agnoscitur quoque inter consules suffectos A. V. C. DCCLXXXII. vel, ut alii numerant, DCCLXXXIII. L. Nævius Surdinus, restituente Norisio de Epoch. Syro-Maced. p. 180. atque adprobante inscriptione vetere apud Gruter. p. 1087. num. I.

L. CASSIVS. LONGINVS. M. VINICIVS
COS.
SVF. C. CASSIVS. LONGINVS
L. NAEVIVS. SVRDINVS

Is, ratione temporis, filius esse potuit triumviri hujus monetalis, qui, ex auctoritate senatus, sub Augusto æreum hunc nummum signavit. Antiquarii vero nostrum hunc credunt fuisse eundem, qui prætor fuit inter cives & peregrinos, cujus mentio est apud eundem Gruterum pag. CCCCXLI. num. 1.

. L. NAEVIVS. L. F. SVRDINVS
PR.
INTER. CIVIS. ET. PEREGRINOS.

III.

Caius NAEVIVS CAPELLA. In area senatusconsulti nota est.

IIIVIR *Auro Argento Aeri Flando Feriundo.* Incudis figura.

Nævii Capellæ nulla mentio apud veteres exstat. Nummulus æreus est, tertii moduli.

IV.

AVGVSTVS TRIBVNIC*ia* POTEST*ate*. In corona quernea.

Lucius NAEVIVS SVRDINVS IIIVIR *Auro Argento Aeri Flando Feriundo.* Nota senatusconsulti est in area nummi.

Cognomen Surdini hic adscribitur, quod num. II. deerat.

V.

AVGVSTVS TRIBVNIC*ia* POTEST*ate*. In corona quernea.

Lucius SVRDINVS IIIVIR *Auro Argento Aeri Flando Feriundo.* In area nota est senatusconsulti.

In hoc nummo rursus solum cognomen & prænomen exprimuntur, gentis nomen omittitur.

VI.

OB CIVIS SERVATOS. Corona quernea inter duos lauri ramos.

Lucius NAEVIVS SVRDINVS IIIVIR *Auro Argento Aeri Flando Feriundo.* Nota senatusconsulti in nummi area.

Nummus hic æreus primæ magnitudinis est. De corona quernea & laureis ramis in honorem Augusti res nota est.

Litera E.

Colonia Augusta BVT*hrotum.* EX *Decreto Decurionum.* Augusti caput nudum.

Quinto NAEVIO SVRA HIP*pio vel* HIP*ponico*, IVL*io* NIGER*io vel* NIGER*ino* IIVIR*is*. Figura militaris, stans, thorace armata, læva (ut videtur) galeam tenet, dextram extendit supra literam B. majusculam, quæ, quum initialis sit urbis & coloniæ Buthroti, nihil aliud significare potest, quam ipsam urbem Buthrotum.

Sensum elegantis hujus nummuli minime adsecutus fuit Vaillantius, libro de Coloniis tom. I. p. 19. dum legit *Quinto* NAEVIO SVRA, *Aulo* HIP*pio*, IVL*io* NICER*eo* IIVIR*is*. Non enim tria, sed duo tantum sunt nomina, Q. Nævius enim præter cognomen Suræ, aliud quoque agnomen Hippii vel Hipponici in nummo habet. Duumviri enim inscribuntur. Quod idem quum male haberet Vaillantium, credidit, Nævium, Hippium & Nicereum (ita legit) triumviros fuisse, a quibus deducta fuerit colonia, illorumque nomina, ad rei memoriam, duumvirum auctoritate adscripta fuisse; notas vero IIVIR. esse velut Romæ S. C. atque addi forsan in area literam B. ad designandum coloniæ deductæ annum secundum, vel tres adpellari propter coloniæ amplitudinem. Verum quis non videt has meras esse chimæras, ex nummuli festina consideratione natas. Duumviri sua nomina, non aliena, expresserunt. Litera B. ipsam Buthrotum significat, quæ Epiri urbs litoralis, ex Augustæ nomine, Augustum conditorem suum fuisse testatur, eamque coloniam fuisse militarem, ex veteranis, ut videtur, docet figura militaris, quæ galeam altera manu tenet, optime quieturos significans milites, post longa belli tædia, in agris a Cæsare Augusto sibi adsignatis.

NA-

NASIDIA.

Gens Nasidia in antiquioribus monumentis non cognoscitur, temporibus Ciceronis & Pompejorum floruit.

I.

NEPTVNI. Caput Cnei Pompeji Magni, jussu filii Sexti expressum, cujus Sexti respectu in secundo casu vox NEPTVNI, subintellige *filius*, scribitur. Neptuni enim filium sese Sextus vocavit, patremque ut Neptunum expressit in hisce denariis rarioribus, unde dei ejus symbola tridens & delphinus adponuntur.

Quintus NASIDIVS. Triremis prætoria, cum navigantibus, velo, & astro. Astrum ad Syracusas, ubi denarii cusi sunt, spectare videtur, in cujus urbis nummis frequens Apollinis est astrum; ducem classis Q. Nasidium triremis prætoria cum velo designat. In pluribus litera S. ultima abest, & antiquo more scribitur *Quintus* NASIDIV.

Hic Quintus Nasidius, bello civili, Pompejanas Sexti partes secutus est, atque in Siciliam delatus, ab eodem classi præfectus fuit. Fidus Sexto mansit ad illud usque tempus, quo desperatis rebus suis remedia inania & vesana quæsivit Sextus. Tunc enim, quum classem suam incendisset Pompejus, remiges armasset, aliaque id genus, amici ejus, Cassius Parmensis, Saturninus, Thermus, Antistius, & quem inter illos enumerat Appianus lib. V. Bell. Civ. in fine, carissimus ei Fannius, & cum socero Sexti Libone Nasidius, pacta salute, ad Antonium transierunt. Antonio postea contra Cæsarem adfuit idem Nasidius, a quo ob militiæ navalis scientiam classi quoque præpositus fuit, atque navali pugna victus ab Agrippa, uti docet Dio lib. L. pag. 427. Ἀγρίππας δὲ τότε μὲν τήν τε Λευκάδα καὶ τὰ ἐν αὐτῇ σκάφη αἰφνιδίως ἐπιπλεύσας ἔλαβε, καὶ Πάτρας εἷλε, Κύϊντον Νασίδιον ναυμαχίᾳ νικήσας· *Eo tempore Agrippa Leucadem repente advectus, insulam, & naves quæ in ea erant, cepit: ac Patras deinde, victo navali pugna Q. Nasidio.* Ubi perperam in quibusdam editionibus Ἀσίδιον scribitur. L. Nasidium, ducem Cnei Pompeji Magni, patrem habuisse videtur, quem male cum Q. filio confundit Glandorpius p. 622.

II.

Similis omnino præcedenti, nisi quod in hoc figura virilis stet in prora, quæ in illo non animadvertitur.

III.

NEPTUNI. Caput Cnei Pompeji Magni, cum delphino & tridente.

Quintus NASIDIVS. Quatuor naviculæ obversis proris depugnantes.

Recte Vaillantius ad spectaculum navale, a Sexto Pompejo editum, denarium hunc rarissimum refert. Eximie enim typum hujus denarii Dio illustravit, cujus verba sunt lib. XLVIII. p. 368. Γενομένου δὲ τούτου, τήν τε νῆσον πᾶσαν ὁ Σέξτος κατέσχε, καὶ τὸν Βιθυνικὸν, ὡς καὶ ἐπιβουλεύσαντα αὐτῷ, ἀπέκτεινε, θέας τε ἐπινικίους ἤγαγε, καὶ ναυμαχίαν τῶν αἰχμαλώτων ἐν τῷ πορθμῷ παρ' αὐτὸ τὸ Ῥήγιον (ὥστε καὶ τοὺς ἐναντίους ὁρᾶν) ἐποίησε, πλοιάρια τινὰ ξύλινα πρὸς ἕτερα βύρσινα, ἐς τὸν τοῦ Ῥούφου καταγέλων, συμβαλών· καὶ μετὰ τοῦτο ναῦς πλείους ἐναυπηγήσατο, καὶ τῆς πέριξ θαλάσσης ἐκράτησε· δόξαν τε τινὰ καὶ φρόνημα, ὡς καὶ τοῦ Ποσειδῶνος παῖς ὤν, ὅτι πάσης ποτὲ ὁ πατὴρ αὐτοῦ τῆς θαλάσσης ἦρξε, προσέθετο. *His actis, totam insulam Pompejus occupavit, Bithynicum, insidiari sibi prætendens, occidit: spectacula, qualia victores solent, edidit: captivorum navalem in freto, prope Rhegium (ita ut hostium in conspectu esset) pugnam exhibuit, commissis inter se ligneis & pelliceis, ad deridendum Salvidienum, naviculis. Deinde naves plures exstruxit, mare circum insulam obtinuit, auctus ea etiam gloria atque fastu, quasi Neptuni filius esset: quod & pater quondam ejus imperium mari universo habuerat.* Quæ ultima mirifice quoque priores horum nummorum partes, quæ caput Pompeji Magni velut Neptuni exhibent, illustrant. Salvidieni vero, & prælii ejus navalis, qua eum vicit Pompejus, mentio fit ibidem pag. 367. Καὶ ὃς μὲν ἐκ τῆς Ἰταλίας τὸν Σέξτον ἀπεώσατο· ἀναχωρήσαντος δὲ αὐτοῦ ἐς τὴν Σικελίαν, δερμάτινα πλοῖα, κατὰ τοὺς ἐν τῷ ὠκεανῷ πλέοντας, ἐκποιήσαι ἐπεχείρησεν. ἔνδοθεν μὲν ῥάβδοις αὐτὰ κούφαις διαλαμβάνων, ἔξωθεν δὲ βοὸς δέρμα ὠμὸν ἐς ἀσπίδος κυκλοτερῆ τρόπον περιτείνων. ὡς δὲ γέλωτά τε ὦφλίσκανε, καὶ κινδυνεύσειν, εἰ πειραθείη αὐτοῖς διὰ τοῦ πορθμοῦ χρήσασθαι, ἐπίστευσεν· ἐκείνων μὲν ἀφεῖτο, τῷ δὲ ναυτικῷ τῷ κατασκευασθέντι τε καὶ ἐλθόντι ἐπετόλμησε μὲν διαπλεῦσαι, οὐκ ἠδυνήθη δέ. τό, τε γὰρ πλῆθος καὶ τὰ μέγεθος τῶν νεῶν αὐτοῦ πολὺ τῆς τῶν ἐναντίων καὶ ἐμπειρίας καὶ τόλμης ἠλαττώθη. αὐτόπτης οὖν τῆς ναυμαχίας ὁ Καῖσαρ γενόμενος (κατὰ γὰρ τὴν στρατείαν αὐτοῦ τὴν ἐς τὴν Μακεδονίαν ταῦθ' οὕτως ἐπράχθη) χαλεπῶς ἤνεγκε, καὶ μάλισθ' ὅτι τότε πρῶτον συμβαλὼν ἥττητο. *Is Pompejum ab Italia rejecit, regressoque eo in Siciliam, naves ex pellibus, ad imitationem eorum qui Oceanum navigant, facere instituit, intus baculis levibus conserens, foris autem pellem bovis crudam in formam rotundi clypei obducens. Verum risui habitus, ac periculum, si transfretare naviculis istis conaretur, veritus, istis omissis, classe, quæ jam instructa advenerat, trajicere aggressus est: frustra id quidem, quum & multitudo & magnitudo navium ejus multum peritiæ & audaciæ hostium concederet. Hæc gerebantur eo tempore quo in Macedoniam Cæsar expeditionem faciebat: isque inspector hujus navalis prælii, ægre admodum tulit se primo hoc congressu vinci.*

NERATIA.

Neratii, gens (ut videtur) plebeja, sub Trajano ad consulatum pervenerunt. Occurrunt in antiquorum scriptis Neratii Appiani, Cereales, Marcelli, Prisci, quibus Pansæ ex hisce nummis addi possunt.

I.

. . . . . . ΤΙΤΟΣ ΚΑΙσαρ ΣΕΒΑΣΤΟΣ. . . . . .
Titus Cæsar Imperator. Caput Titi Vespasiani laureatum.

ΕΠΙ Μάρκου ΝΕΡΑτιου ΠΑΝΣΑ ΠΡΕΣΒΕΥΤΟΥ. *Sub Marco Neratio Pansa legato.* Caduceus inter spicam & papaver. In area hinc & inde sunt literæ, ΚΟ. ΓΑΛ. quæ legi possunt ΚΟινον ΓΑΛατίας. *Commune Galatiæ*, vel, ΓΑΛατῶν. *Commune Galatarum.* Prioris exemplum est in nummo Neronis apud Vaill. p. 16. ΚΟΙΝΟΝ ΓΑΛΑΤΩΝ. cum templo quatuor columnarum, non addito magistratus nomine; posterioris, apud eundem p. 26. in Nerva, ΕΠΙ ΠΟΜΠΟΝΙΟΥ ΒΑΣσου ΠΡεσβεύτου ΚΟΙΝΟΝ ΓΑΛΑΤΙΑΣ. cum templo sex columnarum.

Nullus apud antiquos scriptores Neratius ante Trajani tempora occurrit; Lucius enim Neratius, quem scribit Gellius lib. XX. cap. 1. pro delectamento habuisse os hominis liberi verbe-

 ra-

rare, ſequente illum ſervo cum crumena aſſium plena, ut multam, legibus ſtatutam, depalmato ſic homini ſolveret, L. Veratius in melioribus exemplaribus dicitur. Primus, qui ex gente Neratia occurrit, eſt Neratius Priſcus, eximiæ famæ juriſconſultus, cujus etiam mentionem fecit Gellius lib. IV. cap. 4. *Hæc eadem Neratius ſcripſit, in libro, quem de nuptiis compoſuit.* Conſulatum is geſſit cum Annio Vero, teſte Scævola Pandect. XLVIII. ad leg. Corn. de ſicariis & veneficis. Tanti illum fecit Trajanus, ut dignum imperio cenſuiſſe credatur. Spartian. in Adriano cap. IV. *Frequens ſane opinio fuit, Trajano id animi fuiſſe, ut Neratium Priſcum, non Adrianum ſucceſſorem relinqueret, multis amicis in hoc conſentientibus, usque eo, ut Priſco aliquando dixerit, Commendo tibi provincias, ſiquid mihi fatale contigerit.* In honore apud Hadrianum fuiſſe legas ibid. cap. XVIII. *Quum judicaret, in conſilio habuit non amicos ſuos aut comites ſolum, ſed juriſconſultos, & præcipue Julium Celſum, Salvium Julianum, Neratium Priſcum, aliosque.* Eodem tempore floruerunt P. Neratius Marcellus, conſul ſub Trajano A. V. C. DCCCLVII. & C. Neratius Marcellus, ex coſſ. ſuffectus A. V. C. DCCCLXXXII. ſub Hadriano.

Hisce vetuſtior Neratius Panſa honores ſub Tito Veſpaſiano geſſiſſe ex hoc & ſequenti nummo colligitur in Galatia, ubi plures annos egiſſe colligimus ex nummo apud Vaill. p. 22. ΕΠΙ ΠΑΝΣΑ ΠΡΕΣΒΕΥΤΟΥ Γ. *Sub Panſa legato, anno* III. in laurea. Hunc Neratium Panſam ignoraremus, niſi nummi illum docerent fuiſſe legatum Cæſaris in Galatia, quæ Cæſaris, ex Auguſti diviſione cum populo facta, provincia fuit. In tales provincias legatos proprætoribus mittere Cæſar ſolebat, qui proconſulum locum obtinebant, atque legionibus præerant.

Typus averſæ partis felicem provinciæ ſub Tito ſtatum exprimere videtur, id enim indicat pacis typus caduceus, inter ſymbola ubertatis, ſpicam & papaver. Tres ſpicas exprimi credidit Vaillantius.

II.

Caput Titi idem (ut videtur, nam non eſt expreſſum) cum epigraphe eadem.

ΕΠΙ Μάρκȣ ΝΕΡΑτιȣ ΠΑΝΣΑ ΠΡΕΣΒΕΥΤΟΥ. . . . . *Sub Marco Neratio Panſa legato.* . . . . Mons Argæus cum ſtatua & antro.

Alter hic nummus prænomen Neratii Panſæ quoque nos docet, dictum videlicet illum fuiſſe Marcum Neratium Panſam. Mons Argæus frequens admodum typus eſt in nummis populorum illi monti vicinorum.

NERIA.

Gens Neria plebeja fuit, ex tribu Pupinia, uti ex Cicerone antiquarii docent.

I.

NERI*us* Q*uæſtor* VRB*anus*. Caput Ditis ſive Plutonis cum unco.

Lucius LENT*ulus* *Caius* MARC*ellus* CO*nSules*. Aquila legionaria inter duo ſigna militaria, quæ inſcribuntur H*aſtati* & P*rimipili*.

Hujus denarii uberiorem explicationem dedidimus ad Fam. Corneliam tab. II. num. ultimo. Fuit enim hic Nerius quæſtor urbanus, conſulibus Lentulo & Marcello, quum ærarium publicum vi effregiſſet Julius Cæſar, atque bellum civile excitaſſet A. V. C. DCCIV. Creditur idem eſſe C. Nerius, cujus meminit Cicero lib. II. ad Q. fratrem ep. 3. M. Nerius, ædilis cum C. Meſſio fuiſſe legitur Auguſto V. conſule, apud Petrum Apianum p. 315.

NONIA.

Nonia gens plebeja fuiſſe colligitur ex Noniis tribunis plebis. Varia habuit cognomina. In nummis Nonius Suſenas legitur & Nonius recentior Quinctilianus.

I.

SVFENAS. S*enatus* C*onſulto*. Caput Plutonis ſive Ditis Patris, cum unco.

SEX*tus* NONI*us* PR*imus* L*udos* V*otivos* P*ublicos* F*ecit*. vel SEX*tus* NONI*us* PR*ætor* L*udos* V*otivos* P*ublicos* F*ecit*. Figura muliebris, Romam deſignans, ſpoliis inſidet, dextra haſtam tenens, læva parazonium; poſt illam ſtat Victoria eandem coronans dextra, læva palmam tenens. Non enim Victoriæ imago coronata exprimitur, ut ſcribit Fulvius Urſinus, neque Sullæ, ut credidit Vaillantius, ſed ipſius Romæ; ſicuti in Fam. Poblicia num. I. & lit. A. At, Harduino teſte, Antoninus imperator eſt. Ita enim nugatur ad Plin. tom. II. p. 777. „ Antoninus „ imperator clypeo inſidet, dextra tenens bacillum imperatorium, a tergo Victoria palmam „ ſiniſtra tenet; dextra coronam Antonino imponit: Infra SEX. NONI. in ambitu, PR. LV. „ P. F. Caput ſenatus laureatum vultu ſenili, „ cum literis S. C. retro adſcriptis, & ſceptro, „ inſigni poteſtatis; deinde ſiniſtro latere SV- „ FENAS. Integra hæc ſententia eſt. S*extus* „ NONI*us* PR*ætor* L*udos* V*otivos* P*lebeios* F*ecit*: „ S*acra* V*ictoriæ* F*ieri* E*dixit* N*arbone*, A*ntonino* „ S*oſpite*. S*enatus* C*onſulto*. Ita congruit egregie titulus cum pictura." Credatne quis virum doctum ſerio talia ſcribere poſſe?

In hoc denario mentionem ludorum publicorum votivorum fieri certum eſt. De quibus quæ erudite collegit Urſinus, digna ſunt, ut ipſius potiſſimum verbis legantur. „ Ludorum (in- „ quit) hujusmodi quosdam publicos, quosdam „ vero privatos fuiſſe invenio. Publici ex S. C. „ a magiſtratibus vovebantur, & quidem ab eo, „ qui majorem magiſtratum tunc in Urbe gere- „ bat. Edebantur autem ſtato tempore ex pe- „ cunia publica ab eo quoque magiſtratu, cujus „ tunc in rep. ſummum jus eſſet: is erat di- „ ctator, conſul, tribunus militum conſulari „ poteſtate, prætor. Privati, ab iis magiſtrati- „ bus edebantur, a quibus eſſent voti, & ex ea „ pecunia, quam is qui voviſſet in ærarium de- „ tulerat. Vovebantur autem his de cauſis. Si „ reſp. in eodem ſtatu per quinquennium man- „ ſiſſet, inquit Livius lib. XXIV. XXXII. „ XXVII. & XLII. Peſtilentiæ avertendæ cau- „ ſa, inquit Suetonius in Auguſto cap. XXIII. „ Lib. XLVIII. Si populi Romani exercitus „ proſpere adverſus hoſtes pugnaſſet, vel urbem „ aliquam cepiſſet, paſſim apud Livium lib. VII. „ & XXVII. & Dionem. Hujusmodi autem „ ludi aliquando dicebantur, ut opinor, LVDI „ VICTORIAE: ita enim eſt in menſe JVL. „ antiqui Kalendarij Romani LVDI VICT. „ CAES. de quibus ita Suetonius in Auguſto. „ *Ludos victoriæ Cæſaris non audentibus facere,* „ *quibus obtigerat, id munus ipſe edidit.* (victo- „ riam autem intelligo Pharſalicam, ut eſt

apud

„ apud Plutarchum in Cæsare) *Prætor*, inquit „ idem in Vespasiano cap. II. *factus*, *ludos extraordinarios pro victoria C. Cæsaris Caligulæ depoposcit.* Hujusmodi quandam victoriam sive C. „ Cæsaris, sive Augusti, hoc denario indicari arbitror, qua ludos votivos fecerit SEX. NO„ NIVS SVFENAS PR. est enim in eo ex„ pressa Victoriæ ipsius imago coronata. " Hæc Ursinus. Vaillantius ad Sullæ victorias pertinere putat, atque ad ludos victoriæ publicos, quos voverit Sulla pro bello Mithridatico, quosque post triumphum suum biduo actum splendidissimos ediderit, in cujus rei memoriam existimat, denarios, in quibus Sullam, armorum spoliis insidentem coronat Victoria, exhibuisse Sextum Nonium in prætura sua A. V. C. DCLXXII. Sed neque Fulvii, neque Vaillantii conjectura procedere potest, si literæ PR. quæ ambiguæ sunt, non legi debeant PR*ætor* sed PR*imus*. Ludos enim votivos publicos, nullus sub Sulla vel Augusto Nonius dici potest primus fecisse, jam antiquissimis reipublicæ temporibus edi cœptos. Antiquitatem itaque generis sui hoc typo jactat Nonius ille Sufenas, si PR. significat PR*imus*. Quod videlicet unus ex majoribus suis, Sextus Nonius, primus (ex plebe scilicet) fuerit, qui ludos votivos publicos ex senatusconsulto fecerit. Hoc enim dignum erat publicis monumentis ad familiæ suæ nobilitatem a Nonio signari. Sicuti factum est a Servilio, respectu Floralium, tab. secunda num. III. gentis Serviliæ. *Caius* SERVEI*Lius Cai Filius* FLORA*lia* PRIMVS scil. *fecit.* Puto tamen PR. significare prætorem, sed denarium ipsum, non a patre Sexto Nonio in prætura sua, sed a filio in quæstura cusum fuisse, vide num. III.

Ditis patris caput recte a quæstore vel triumviro monetali signatur, ut dei divitiarum; cudit vero hos denarios Nonius Sufenas eo tempore quo triumvir monetalis erat cum P. Plautio Hypseo, ut dicturi sumus ad num. III.

II.

CAESAR AVGVST*us* PONT*ifex* MAX*imus* TRIBVNIC*ia* POT*estate*. Caput Augusti nudum.

SEX*tus* NONIVS QVINCTILIAN*us* III VIR *Auro Argento Aeri Flando Feriundo.* Nota senatusconsulti in area nummi.

Sextus Nonius Quinctilianus, qui honores suos, post mortem Lepidi, ut ex pontificatu Augusti patet, auspicatus fuit a triumviratu monetali senatus, tandem consul factus fuisse legitur cum M. Furio Camillo A. V. C. DCCLXI. vel, ut alii numerant, DCCLX. Nomen productum Quinctiliani ostendit illum a Quinctiis ortum, adoptione ad gentem Noniam transiisse.

III.

SVFENAS. *Senatus Consulto.* Caput Plutonis, sivi Ditis Patris, cum duobus remis ad collum exstantibus. Remi adscribi illi videntur, ob cymbam Charontis & transvectionem Stygiæ paludis, tanquam symbolum Jovis illius Stygii, cui pro sceptro uncus adsignatur num. I. quo ad inferos quasi raptat omnes mortales, quibus cunctis *Orcus ducit pedes*, ut est apud Sueton. in Vita Neronis cap. XXXIX. Quin & in nummo primo aliquid inferius in latitudinem desinens cernitur sub unco, quod remum quoque, quales hic duo sunt sine unco, indicare videtur.

Caius HYPSE*us* CO*nSul* PRIV*ernum* CEPIT. Jupiter in citis quadrigis, dextra fulmen tenens, læva equorum habenas.

Denarius hic singularis, quem nunc primum cum Morellio in lucem damus, caliginem oculis abstergit, atque docet contra Ursinum & Vaillantium, quo tempore cusus sit hic denarius, atque ille, qui num. I. occurrit, aliique ex gente Æmilia atque Plautia, qui partes aversas similes nummo huic III. habent. Cerni & consuli possunt illi denarii in gente Æmilia tab. prima num. I. lit. A. & B. in Plautia, num. II. III. IV. & lit. A. B. C. in quibus omnibus quadrigis Jovis cum fulmine &c. adscribitur *Caius* HYPSE*us* *ConSul* PRIV*ernum* CEPIT, ut in hoc quoque nummo, vel, quod eodem redit, PREIVER*num* CAPTV*m*. Hinc secure videtur deduci posse omnes hos denarios uno eodemque tempore cusos fuisse, si modo conveniat uno eodemque tempore magistratum gessisse, in quo signare hos nummos potuerunt, illos quorum nomina inscribuntur, videlicet, M. Æmilium Scaurum, Publium Plautium Hypseum, & Sextum Nonium Sufenatem. Qui omnes conveniunt in A. V. C. DCXCII. quo Cneus Pompejus Magnus cum summo imperio in Asia versatus fuit, atque ibi res maximas gessit, atque sub se plures legatos & quæstores habuit. Inveniuntur itaque illo anno quæstores noster Sextus Nonius Sufenas, & Publius Hypseus, sive Ypseus, vel, ut in denariis gentis Plautiæ scribitur, P. Ypseus, qui anno sequenti, post reditum cum Pompejo Magno, tribunus plebis factus fuit. Anno vero eodem M. Æmilius M. F. M. N. Scaurus, legatus proquæstore Cnei Pompeji Magni proconsulis, Syriam obtinuit cum duabus legionibus, usque ad Ægyptum & Euphratem fluvium. Cujus M. Æmilii Scauri nomen & decora bellica quoniam junguntur cum nomine & nobilitate gentis Hypseæ, & in hoc nostro ab altera parte Nonium Sufenatem agnoscant, vix aliquid magis liquido ex nummis adfirmari potest, quam hosce quæstores Pompeji Magni, Sextum Nonium Sufenatem & P. Plautium Hypseum adfuisse in Syria Cn. Pompeji Magni legato proquæstore M. Æmilio Scauro. Hi omnes, ad tanti belli impensas, magnam pecuniæ vim signarunt, potestate ad id senatusconsulto quoque concessa.

Sextus Nonius Sufenas post quæsturam hanc tribunus plebis factus fuit A. V. C. DCXCVII. in quo magistratu una cum C. Porcio Catone collega, in gratiam Pompeji, Crassi, & Cæsaris, comitiis intercessit, atque turbulenter magistratum gessit, unde hi duo postea majestatis & de vi accusati fuerunt. Utrum ad majores honores adscenderit, non legitur. Filius videtur fuisse Sexti Nonii Sufenatis. Is, quum quæsturam provincialem gessisset A. V. C. DCLVIII. repulsam in petitione ædilitatis tulit a populo, quod Sullæ sororis esset filius, ut in Vita Sullæ testatur Plutarchus; avunculum Sullam deinde ad bellum Mithridaticum secutus fuit. Post tribunatum deinde plebis, gestum A. V. C. DCLXIII. ad præturam pervenit A. V. C. DCLXXII. quo anno, ut prætor, ludos publicos votos a dictatore Sulla, avunculo suo, ejus nomine dedisse videtur. Neque enim a vero abludit, eo anno quo magnificentissimum de Mithridate triumphum Sulla egit, ludos hosce editos fuisse. Victoriæ votos credidit Pighius, & Nonium primum fuisse, qui Victoriæ tales ludos ediderit. Verba ejus hæc sunt, tom. III. p. 265. de hoc Nonio prætore agentis. „ Hoc demum anno, recuperata per Sullam republica, „ prætorem factum, atque præsedisse ludis,

„ quos

„ quos Sulla, de Mithridate per biduum triumphans, fecit maximis ſumtibus, ut teſtantur „ denarii argentei pulcherrimi, in ejus rei memoriam eumque finem cuſi, ut donaria congiariaque largiri hisce poſſet. Videtur autem „ in his Victoria palmam tenens, & Romam, „ ſpoliis hoſtium inſidentem, coronans, circumſcriptis literis SEX. NONI. PR. L. V. P. „ F. Quas interpretor, *Sex. Nonius pr. ludos Victoriæ primus fecit.* Ab altero latere Vulcani „ caput eſt, cum fabrilibus inſtrumentis, marculo & vecte, quæ monetariorum nota eſt, „ & reliquum tituli adjungitur, SVFENAS. „ S. C. " Hactenus Pighius, quem in Vulcani capite errare certum eſt. Victoriæ vero ludos utrum primus fecerit prætor Nonius videndum eſt. Litera ſingularis P. non videtur primum ſignificare poſſe, niſi una vel altera adjungatur PR. vel PRI. ſicuti numquam litera P. niſi R. adjungatur, de prætore invenitur. Deinde ſi Victoriæ, imperatoris ſcilicet Sullæ, hi ludi voti factique fuiſſet, adſcriberetur Sullæ nomen, ut ex adlato Fulvii teſtimonio liquet, ubi LVDI VICT. CAES. leguntur. Simpliciſſima itaque illa lectio hujus eruditi nummi eſſe videtur, qua declaratur Sextus Nonius Sufenas, prætor, ludos votivos publicos feciſſe. Jam enim victi omnes hoſtes erant, & reſpublica per Sullam dictatorem conſtituta. Sed nequaquam Sextus Nonius prætor hos denarios ſignavit, ſignandæ enim pecuniæ cura ad prætorem non videtur pertinuiſſe; ſed filius ejus Sextus Nonius, quæſtor in Aſia Pompeji Magni, qui hoc pacto præturam patris, & res in illa geſtas, celebravit, ipſi Pompejo haud ingratas, qui omnia honorum ſuorum incrementa Sullæ debebat.

Altera denarii pars ad Hypſeum & gentem Plautiam pertinet, atque oppidum Latinum, nomine Privernum, captum a gentis ejus principe, celebrat.

NORBANA.

Norbani, cognomine ſuo, tracto a Norba Latinorum colonia, paſſim ſcriptoribus dicti, proprium gentis nomen amiſerunt. Ex tribuno plebis C. Norbano, qui Q. Cæpioni calamitatis cauſſa fuit, plebeji fuiſſe cognoſcuntur.

I.

Caput Africæ, exuviis elephantinis tectum. Poſt illud nota aquilæ eſt, quæ docet, denarium hunc aureum ſervatum olim fuiſſe in gaza Mantuana, duces enim Mantuæ aureis nummis aquilam argenteam, argenteis auream inprimere ſolebant.

Lucius CESTIVS *Caius* NORBA*nus* PR*æfecti.* *Senatus Conſulto.* Sella curulis, cui galea inpoſita eſt.

Vidimus jam inſignem hunc nummum aureum in Fam. Ceſtia, ubi pag. 86. & 87. Vaillantium magna ex parte ſecutus literas PR. prætores ſignificare credideram; nunc ab aliis nummis edoctus, in alia omnia abeo, atque præfectos ſignificare exiſtimo. Julius Cæſar enim in Hiſpanias, quod ultimum illi bellum fuit, proficiſcens, ſub Lepido, cui tutelam urbis commiſerat, ſex ſive octo præfectos reliquit, quorum omnium nominibus cuſam illo A. V. C. DCCVIII. monetam in hisce Familiarum monumentis primi invenimus, & auream quidem ab Hirtio Panſa & Lucio Planco, ad quorum nummos Commentarius noſter de illis urbis præfectis conſuli poteſt pag. 193. 194. &c. Hi aliquando, ut ibidem docuimus, PR*æfecti* VR-B*is*, aliquando ſimpliciter PR*æfecti* ſcribuntur. Ex illis vero præfectos fuiſſe Ceſtium & Norbanum, ut metallum ſileam, quod itidem in Hirtio & Planco aurum eſt, dubitare nos non ſinunt ipſi nummorum typi, qui difficulter admodum ad alia torquentur, Cæſari vero ultro conveniunt. Eſt enim in hoc nummo Africæ caput, devictam a Cæſare Africam deſignans poſt profligatas Pompejanas ſub Catone, Scipione, Juba & Petrejo reliquias. Curulem Sellam, Cæſarei honoris inſigne, & quam hisce præfectis urbi quoque conceſſerat, ut dicturi ſumus ad num. V. ſuſtinent ex altera pedum parte columbæ, Veneris aves, cujus Veneris caput ſequentes fere omnes nummi exhibent. Galea, fortitudinis Cæſaris, vel poteſtatis, non civilis tantum ſed & militaris, in Cæſare præfectis conceſſæ, inſigne, ſellæ ſuperponitur. Atque ex ſenatusconſulto, eo enim ad id opus erat, data fuit hisce Cæſaris præfectis poteſtas ut in pecunia ſignanda eorum nomen adponeretur.

L. Ceſtius quis fuerit in obſcuro eſt; a Plætoriis quidam ex illa gente adoptatus, & Ceſtianus dictus fuit. Ceſtii plures ſub imperatoribus deinde fuerunt. Cajus Norbanus autem mihi idem jam videtur fuiſſe, qui conſul fuit A. V. C. DCCXV. adeoque C. Norbanus Flaccus, C. F. qui poſt mortem Cæſaris legatus M. Antonii bello Philippenſi fuit, atque proconſule ex Hiſpania triumphavit A. V. C. DCCXVIII.

II.

Caius NORBANVS. Additur nota numeralis, ad diſcernendas matrices, CCVIII. Caput Veneris.

Sine epigraphe. Faſces cum ſecuribus inter ſpicam & caduceum.

Quamvis in hoc & ſequentibus denariis non addatur titulus præfecti, patet tamen omnes ab eodem C. Norbano, præfecto urbis, cuſos fuiſſe. Caput enim Veneris Juliæ gentis reſpicit originem, faſces, caduceus & ſpica deſignant ſummam poteſtatem, quam in Hiſpanias proficiſcens Cæſar dederat Lepido & illis præfectis, ut pacis atque tranquillitatis & annonæ curam gererent; reſpectu enim annonæ in primo denario gentis Livinejæ modius frumenti plenus inter duas ariſtas ponitur; fuit vero ille Livinejus Regulus collega Norbani, Ceſtii, aliorumque horum præfectorum.

Litera A.

Caius NORBANVS. Caput idem Veneris; additur numerus VI.

Typus ob altera parte præcedenti ſimilis eſt.

Ut hic denarius numeri VI. notam præfert, ſic alii alias habent, XX. XXIIII. XXXVI. XXXX. LVIIII. LXXXXIIII. CXVIIII. CXXXXV. CL. CLXII. CLXVI. CLXXII. CCIII. CCXX. Ut non mirum ſit, tam immenſam horum denariorum vim inveniri, tot adhibitis matricibus.

Litera B.

Caput Romæ, cum nota denarii & ſpica.

Sine epigraphe. Faſces cum ſecuribus intra ſpicam & caduceum.

Quamvis huic denario nullum familiæ adſcribatur nomen, facile tamen adparet, ad nullam melius quam Norbanam referri poſſe. Spica, quæ juxta Romæ quoque caput reperitur, oſtendit, abſente Cæſare maximam annonæ curam præfectos Urbi habuiſſe, & inter illos præ cæteris forſitan hunc Norbanum.

Notari quoque volo equinum caput, quod exſtans in medio faſcium cernitur, quod nihil aliud eſt (ne quis myſterium aliquod inportunum quærat) quam ornamentum ſecuris ab illa parte, quæ nullam habet aciem. Id conferentibus antiqua monumenta patere poteſt, præcipue ſi inſpiciamus Boiſſardum, apud quem Antiq. Roman. tom. I. vel ut alia edit. habet IV. pag. 146. lictoris eſt effigies, atque ab utraque ſtantis parte faſces ſunt cum ſecuribus, uti in his nummis, colligati, inter quos ſecures capitibus arietinis a parte poſteriori ornantur. Adeſt hæc inſcriptio

M. COELIO
DIONYSIO. LICTORI
FRATRI. OPTIMO
COELIVS SECVNDVS F.

III.

Caius NORBANVS. Additur nota numeralis XIII.

Sine epigraphe. Spica, caduceus, faſces cum ſecuribus, quibus inſuper additur prora navis.

Prora navis, qua præ præcedentibus augetur hic denarius, nihil aliud notare videtur, quam proſpectum fuiſſe ab hisce Urbi præfectis, & inprimis Norbano, ut frumentum claſſibus in urbem adveheretur.

Litera C.

Similis præcedentibus, ſed nota numeralis eſt VII. in aliis VIII. XI. & LXXIIII.

IV.

NORB*anus*. Literæ ordine retrogrado poſitæ ſunt. Additur nota XXXXIIII. Caput Veneris.

Literæ barbare tranſpoſitæ (quod nonnunquam in antiquis denariis obſervatur) atque invicem permixtæ, quæ forſan L. Ceſtium indicant præfectum Urbi cum Norbano & reliquis. Adparent enim literæ IVS. & aliæ, ſed mire intricatæ. Silenus ſtans juxta columnam cum utre ſuper humeros.

Patinus, qui eundem vel ſimilem vidit denarium, literas Norbani nomen indicantes recto, non retrogrado ordine, poſuit, numerumque adpoſitum ita ſignavit VXXXIIII. Ab altera parte columnæ icunculam ſuperpoſuit, atque literas, legi poſſe deſperans, punctulis notavit. Illum ſecutus eſt Vaillantius; qui de columna Mænia interpretatur, de qua vide quæ diximus ad Fam. Marciam tab. pr. num. VII.

Sicuti ſpica in præcedentibus nummis typus fuit curæ rei frumentariæ diligenter per præfectos Urbi adminiſtratæ, qui navibus id adfatim advehi curaverant, ita in hoc typo nullum aliud myſterium latere arbitror quam vini & olei copiam, quam demonſtrat Sileni vel ruſtici imago, utrem hircinum humeris gerens. Columna illa forſitan deſignat ſimilem poſitam eo loco, ubi hæ res venales proponebantur. Quod itaque cura ſua proviſum fuerit, ut vini & frumenti oleique abundantia & vilitas in urbe inveniretur, quæ maxime ad continendam plebem faciebant, typos his rebus aptiſſimos denariis ſuis impreſſerunt præfecti urbani.

Vaillantius ſtatuit Bacchanaliorum hæreſin, quæ A. V. C. DLXVII. coſſ. Q. Marcio Philippo & Poſtumio, detecta & oppreſſa fuerat, iterum damnatam fuiſſe A. V. C. DCLIV. quo C. Norbanum quæſtorem Antonii cum Pighio ponit. At inter quæſtores provinciales illum ponit Pighius, cui nihil cum rebus urbanis erat commune. In primis illud de damnatione iterata hæreſeos Bacchanaliorum, in gratiam opinionis ſuæ, nullo idoneo auctore a Vaillantio confingitur.

V.

Caius NORBANVS *Lucius* CESTIVS PR*æfecti*. Caput Veneris eleganter exornatum. Nota aquilæ inpreſſa docet, rariſſimum hoc aureum numiſma quondam in muſeo ducum Mantuæ fuiſſe.

Senatus Conſulto. Cybele in bigis a leonibus tractis ſedens, capite turrito, dextra tenet pateram, lævo cubito tympano, pro more, innititur.

Mirifice hunc nummum ejusque typum, & omnes reliquos, illuſtrat Dio Caſſius, quem quoniam non conſuluerunt, qui antea in illum commentati ſunt, ſenſum ejus non perſpexerunt. Verba Dionis Caſſii hæc ſunt circa finem libri XLIII. pag. 237. Ὥσπερ γὰρ πολὺ πρότερον, καὶ τότε ἐν τῇ ἀποδημίᾳ τῇ τοῦ Καίσαρος, οἱ πολιανόμοι πάντα τὰ ἐν τῷ ἄστει πράγματα μετὰ τοῦ Λεπίδου ἱππαρχοῦντος ἔχον· καὶ αἰτιαθέντες ὅτι καὶ ῥαβδούχοις, καὶ τῇ ἐσθῆτι, τῷ τε δίφρῳ, τοῖς ἀρχικοῖς, ὥσπερ καὶ ὁ ἵππαρχος, ἐκέχρηντο, ἀφείθησαν· νόμον τινὰ προβαλλόμενοι, δι᾽ οὗ πᾶσι τοῖς παρὰ δικτάτωρος ἀρχήν τινὰ λαβοῦσι χρῆσθαι αὐτοῖς ἐδίδοτο. *Eo enim tempore, ſicut & ante per abſentiam Cæſaris factum, præfecti urbis, cum Lepido, magiſtro equitum, omnium rerum curam geſſerunt: accuſatique, quod lictoribus, veſteque ac ſede curuli, haud aliter atque magiſter equitum, uſi eſſent, lege ſe defenderunt, qua uſus earum rerum iis permittitur quibus magiſtratus a dictatore eſt commiſſus: atque ita abſoluti ſunt.* Narrat Dio hæc geſta A. V. C. DCCIX. quo anno Cæſar IIII. conſul erat, atque præſens in urbe aderat, reverſus jam a bello in Hiſpania cum junioribus Pompejis geſto. Itaque duo notabilia admodum hic Dionis locus nos docet, primo confirmat Suetonii verba, male a viris doctis ſollicitata, deinde nummos aliquot ex præcedentibus egregie illuſtrat. Scribit Sueton. in Vita Julii cap. LXXVI. quod *Præfectos pro prætoribus* conſtituerit, *qui, præſente ſe, res urbanas adminiſtrarent.* Illud *præſente ſe*, varie ſollicitarunt viri docti, ſicuti in notis eorundem cerni poteſt. At quomodo clarius explicare ſe potuit Dio, quam fecit, ſcribens, eo quoque anno, quo præſens aderat Cæſar Romæ, videlicet A. V. C. DCCIX. retinuiſſe plane eandem poteſtatem præfectos Urbi, quam habuerant anno præcedente, quo ab urbe in Hiſpania aberat Cæſar. Omnia enim tunc in urbe adminiſtrarunt ὥσπερ ποτὲ πρότερον, καὶ τότε ἐν τῇ ἀποδημίᾳ τῇ τοῦ Καίσαρος. An ergo non recte dixit Suetonius, *præſente ſe* (Cæſare) *res urbanas* adminiſtraſſe? Patet ex iisdem Dionis verbis habuiſſe illos jus uſurpandi, & uſurpaſſe lictores & ſedes curules. Ὅτι καὶ ῥαβδούχοις, καὶ ἐσθῆτι, τῷ τε δίφρῳ &c. Hinc ergo faſces cum ſe-

fecuribus, in tot, quos modo vidimus, denariis, hinc fella curulis num. I.

Ludos dein Megalefios, quorum typum hic aureus nummus exhibet, eodem hoc anno, & quidem ex S. C. ut docet idem denarius, celebratos fuiffe docet Dio, in illis quæ mox fequuntur p. 238. Τὸ δ᾽ οὖν καθ᾽ τὴν διοίκησιν ἐξ ἐκείνου δι᾽ ὅπερ εἶπον προσελεγμένην, οὐκέτι τοῖς ταμίαις ἀεὶ ἐπετράπη, ἀλλὰ τὸ τελευταῖον τοῖς ἐστρατηγηκόσι προσετάχθη. τούς τε οὖν θησαυροὺς τοὺς δημοσίους δύο τότε τῶν πολιανομούντων διῴκησαν, καὶ τὰ Ἀπολλώνια ὁ ἕτερος αὐτῶν τῇ τοῦ Καίσαρος παρασκευῇ ἐπετέλεσε· καὶ οἱ ἀγορανόμοι οἱ ἐκ τοῦ πλήθους τὰ Μεγαλήσια κατὰ δόγμα ἐποίησαν. i. e. *Cæterum publicæ pecuniæ adminiftratio a quæftoribus tunc ad ædiles translata, poftmodo ad quæftores non rediit, fed tandem prætoriis viris mandata eft. Sed, ut dixi, eo anno duo ædiles thefauris publicis præfuerunt: alterque horum Cæfaris fumtibus ludos Apollini fecit: atque ex fenatusconfulto Megalenfes ludi ab ædilibus plebis celebrati funt.* Præcefferat vero paulo ante p. 237. Ἐν δ᾽ οὖν τῷ ἔτει ἐκείνῳ ἐκεῖνά τε ἐπράχθη, καὶ ἐπὶ τῆς διοικήσεως δύο τῶν πολιανομούντων, ἐπειδὴ ταμίας οὐδεὶς προκεχειροτόνητο, ἐχρῶντο. *Hæc eo anno gefta, ærariique procuratio a duobus ædilibus adminiftrata eft, quia nullus quæftor creatus fuerat.* Videntur itaque hoc typo celebrari a Ceftio & Norbano ludi illi Megalenfes ab ædilibus plebis editi, quorum tamen ædilium nomina non adfcribuntur, fed præfectorum, quoniam, ut adfirmant Dio & Suetonius, etiam præfente Cæfare, omnia in urbe per illos fummo jure peragebantur, illique fummorum magiftratuum honores ufurpabant, ut fafces, fellam curulem &c. Idque faciebant eadem poteftate qua ante ufi fuerant, πολὺ πρότερον καὶ τότε ἐν τῇ ἀποδημίᾳ τῇ τοῦ Καίσαρος. videlicet anno præcedente DCCVIII. quo refpectu in anni ejus geftis apud Dionem lib. eodem pag. 227. hæc leguntur. Ἐπεὶ δὲ ᾔσθετο ἐκεῖνόν τε ἐπὶ μέγα προχωροῦντα, καὶ τοὺς πεμφθέντας οὐχ ἱκανοὺς ἀντιπολεμεῖν αὐτῷ ὄντας, οὕτω δὴ καὶ αὐτὸς ἐξεστράτευσεν, ἐπιτρέψας τὴν πόλιν τῷ Λεπίδῳ, καὶ πολιανόμοις τισὶν ὀκτὼ, ὡς τισὶ δοκεῖ, μὴ ἕξ, ὡς μᾶλλον πεπίστευται. *Sed pofteaquam Pompeji vires augeri, fuos ad bellum ei faciendum non fufficere animadvertit, ipfe Romæ cuftodia Lepido, octoque, ut nonnullis videtur, vel (quod magis creditum eft) fex urbis præfectis injuncta, in Hifpaniam expeditionem fufcepit.*

Pridie nonas Aprilis, five poft tertium Aprilis menfis diem incipiebant ludi Megalenfes, tefte Ovidio lib. IV. Faftor. verfu 179.

Ter fine perpetuo cælum verfetur in axe,
Ter jungat Titan, terque refolvat equos.
Protinus inflexo Berecynthia tibia cornu
Flabit, & Idææ fefta parentis erunt.

NOVIA.

Gens Novia plebeja fuit, ut colligere licet ex L. Novio, tribuno plebis, quem Afconius Pedianus collegam Clodii vocat in Ciceronis Orat. pro Milone. Ex hac gente fuit Q. Novius Atellanarum fcriptor probatiffimus, quem fæpe citant Sex. Pompejus & Nonius Marcellus. Plura habuit cognomina, quibus illud Baffi ex nummis addi poteft.

I.

CORINT*hus*. IIVIR*is*. Caput Julii Cæfaris laureatum.

Marco NOVIO BASSO *Marco* ANT*onio* HIPPARCHO. Caput Augufti.

Duumviri in colonia Corintho, a Cæfare conftituta, leguntur in hoc nummo fuiffe M. Novius Baffus & M. Antonius Hipparchus. Ex Noviorum gente hunc Baffum fuiffe docemur, præterea nihil de illo liquet.

II.

IMP*erator* AVGVSTVS P*ater* P*atriæ*. Caput Augufti laureatum.

MVN*icipium* TVRIASO *Lucio* MARIO *Lucio* NOVIO IIVIR*is*. Corona quernea.

Magiftratus coloniarum raro apud fcriptores antiquos recenfentur, unde & ifte L. Novius pariter nobis ignotus eft. Prænomen Lucii tamen Noviis familiare fuiffe, docet Lucius Novius tribunus plebis A. V. C. DCXCV.

NVMITORIA.

Numitoria gens plebeja fuit, ut conftat ex tribunis plebis P. Numitorio, avunculo Virginiæ iftius infelicis, atque L. Numitorio, itidem tribuno plebis. Originem ex nomine retuliffe videntur ad Amulii fratrem Numitorium.

I.

Caput Herculis inberbis, in pelle leonis, cum tribus globulis, quadrantis notis.

Caius NVMITOR*Ius*. ROMA. Prora navis, cum iisdem quadrantis notis.

Perperam literam L. quafi Lucius legendum foret, & contra Urfini mentem exprimi, poft Vaillantium docuit Liebeus in Thef. Saxo-Goth. p. 395. & 396. ad rei fidem ipfis nummis, in illo thefauro exftantibus, adhibitis. Omnes itaque hi ærei nummi ab eodem Cajo Numitorio cufi effe videntur, de quo acturi fumus ad num. fignatum litera A.

II.

Caput Jovis Capitolini laureatum cum femiffis nota.

Caius NVMITORI*us*. ROMA. Prora navis, cui infolita nota affis additur, quam abeffe debere certum eft, unde neque in Patiniano apud Urfinum nummo, neque apud Vaill. adparet.

Literam C. id eft *Caius* pro L. five *Lucius* reponi debere jam dixi, quod & in fequenti quadrante obtinet.

Litera A.

Caput Romæ galeatum, cum tribus, qui adponi debent, globulis, quadrantis notis.

Caius NVMITORI*us*. ROMA. Prora navis, cum iisdem notis.

Pondus hujus nummi difcimus ex Liebei Thef. Saxo-Goth. p. 395. atque quadrantem effe affis uncialis; quod recte amicus ille nofter docet obfervandum effe contra Vaillantium, qui hosce æreos nummos refert ad C. Numitorium, quæftorem provincialem A. V. C. DCXLVII. quo tamen tempore femiunciales affes jam pridem obtinuerant.

Ex hisce patet, quærendum hunc Numitorium effe illis temporibus, quibus affes unciales Romæ cufi fuerunt, quod ad Fam. Marciæ Numifmata tab. tertia num. 11. & lit. B. pag 269. docuimus factum fuiffe ab A. V. C. DXXXVI. ufque ad DLXXV. adeoque non integris qua-

dra-

draginta annis. Cusos itaque hos nummus arbitror ab avo ejus Caji Numitorii, qui post gestam præturam & alios in republica honores, fatali isto optimatibus & bonis civibus A. V. C. DCLXVI. a Marianis atque Cinnanis crudeliter occisus fuit, adeo ut ejus atque Bæbii cadavera in via jacuisse, atque unco tracta fuisse, adfirment Appianus atque Florus.

III.

ROMA. Caput Romæ, more solito galeatum, cum denarii nota.

Caius NVMITORI*us*. Figura virilis in lentis quadrigis. Advolans Victoria illam coronat, dextra corollam, læva palmam gerens.

Adeo similis hujus denarii ab hac parte typus est denario Manliano in gente ista num. III. & lit. A. ut non dubitem ad eadem referre tempora, quibus illi cusi sunt, id est, ad Sullæ ætatem, ejusque triumphum Mithridaticum, quem ille per biduum A. V. C. DCLXXII. magnificentissime egit, quo ipso anno cusus fuisse hic nummus videtur a Cajo Numitorio, C. Numitorii illius, qui tanquam Sullanarum partium a Cinnanis cæsus fuerat, filio, cui, ob merita patris, quæstura urbana a Sulla concessa fuisse videtur. Numitorii certe nescio cujus ille triumphus, quem Vaillantius sibi imaginatur, fabula est.

Litera B.

ROMA. Caput Romæ galeatum, cum denarii nota.

Caius NVMITORI*us*. Victoria in citis quadrigis, dextra corollam adtollens, læva equorum tenens habenas.

Hic denarius pertinet ad eundem C. Numitorium, filium (ut videtur) C. Numitorii, viri prætorii, a Cinnanis occisi; atque in eodem victoria Sullæ dictatoris de Mithridate exprimitur.

NVMONIA.

Eo usque incognita nobis etiammum hæc gens est, ut, nisi rarissimus hic denarius exstitisse olim doceret, prorsus ignoraremus. Cognomen VAALA antique pro VALA, sicut FEELIX pro FELIX, scriptum, genti huic adhæsisse videtur.

I.

Caius NVMONIVS VAALA. Caput nudum C. Numonii Vaalæ.

VAALA. Vallum castrorum, quod duo propugnant milites, clypeis & telis armati, tertius, extra vallum constitutus, illud adgreditur.

Tria in hoc singulari prorsus denario observanda veniunt; pictura ejusdem, tempus, quo cusus fuerit, & denique a quo quaque occasione. Quum Morellius noster, fidelissimus omnium, qui exstiterunt, delineator nummorum antiquorum, ita hujus denarii typum depinxerit, ut utraque ejus pars haud parum differat a vulgatis, non dubito, quin ipsius denarii habuerit copiam, atque ad verum prototypon delineationem suam confecerit. In Morelliana pictura caput virile plurimum discrepat a vulgato C. Numonii Vaalæ capite, & bene examinatum multa habet, quæ ad magni illius Cl. Marcelli lineamenta accedant. Aversa autem pars duplici modo differt. In vulgatis ab Ursino (& qui illum secuti sunt) duo illi milites, qui Romani mihi esse videntur, præter scuta gladiis armantur; at in Morelliano pila manu tenent, alter certe, qui superiori loco ponitur; barbarus ille, qui vallum adgreditur, mole corporis conspicuus, læva manu clypeum præfert, quo se tuetur contra jacta Romanorum vallum defendentium pila, dextra vero manu nuda (ut esse debuit in hoc casu) præhendere sudem tentat, ut evellat ex vallo, atque ita resciſso vallo irrumpat in castra Romanorum. Omnino enim Romanos intus, vallo munitos, stare, neque esse qui adgrediantur; patet ex figura valli, divaricatis sudibus adversus hostilem impetum, describente eam ad denarii nostri figuram Ammiano Marcellino lib. XXV. *Castra ponuntur, undique, in modum mucronum, præacutis sudibus fixis.* Varro, in nominis etymon inquirens, ita scribit de L. L. p. 30. *Vallum, vel quod ea varicare nemo possit, vel, quod singula ibi extrema bacilla figuram habeant literæ* V. Unde φιλοπόνως ἀπαξυμμένας τὰς κεφαλὰς, *studiose acutas fuisse eminentias* istas vallorum, apud Lipsium legas de Militia Romana lib. V. Dialogo V. pag. 247. In hoc itaque denario castra Romana

—— —— *hispidarum*
Objecta sudium coronat agger.

Sidonii Apollinaris verbis ut utar de Narbone Carm. XXII. versu 50.

Anxia hæc Morellii cura, in singulis rite depingendis, facit, ut Cruquio aurem præbendam esse non putem, mutantis Goltzii fide C. Numonium in Cn. Umonium Verba ejus sunt ad Horat. lib. I. Epist. XV. pag. 563. „ Equidem ex numismate Lauredani vidi delineationem Huberti Goltzii, in qua legi, CN. VMONIVS VAALA. qui interrogatus a me variæ lectionis rationem; protinus, ut est antiquitatis non minus peritus quam sedulus observator, respondit: consularia numismata, propter punctula quædam minuta, tam cognita esse quam lectu difficilia: simul & ad oculum in sui descriptione numismatis demonstravit punctum minutissimum inter Cn. & VMON. quod non animadvertentibus ita inposuit, ut N. litera nomini adposita, legerint NVMONIVS. " Non; inquam, tanta Cruquii apud me est auctoritas, qui non ipsum nummum, sed descriptionem & picturam numismatis Goltzii manu factam modo vidit, neque ipsius Goltzii, ut oculatis item testibus & versatissimis in hoc studio Ursino & præcipue Morellio conferri aut præponi debere contendam. Adde, quod in altero item denario, per Trajanum restituto, cætera omnia huic simillimo, non aliter invenerit Ursinus. Meminit ejus Ursinus ad Vellejum Paterculum lib. II. cap. 119. „ Denarium vero (inquit,) cujus supra meminimus, Trajanus imperator, ut multos alios, restituit, ut adparet ex titulo, qui ei adjectus est: IMP*erator* CAES*ar* TRAIAN*us* AVG*ustus* GER*manicus* DAC*icus* P*ater* P*atriæ* REST*ituit*. Nam reliqua, quæ signata in eo sunt, repræsentant ea plane, quæ ab ipso Numonio, vel ab aliquo ejus familiæ, in antiquiore denario cusa sunt." Hisce, ut complementum, oculata nostra accedat inspectio; nam ut plenius de Morellii & Ursini contra Goltzium fide constaret, ipsum illum hujus C. Numonii nummum inspexi, ex quo caput ejus delineari curavit Ja-

cobus Gronovius, & qui ipſum nummum explicare conatus fuit tom. III. Theſ. Gr. lit. ppp. inque eo inveni punctum poſt C. poni, non vero poſt Cn.

Quis fuerit ille Vaala, qui denarium hunc ſignaverit, quo tempore id factum fuerit, & cujus caput expreſſerit, ardua quæſtio eſt. Caput tamen exprimi C. Numonii Vaalæ teſtatur adpoſita inſcriptio, quæ non convenit illi, qui ſignavit nummum, ut qui ſimpliciter Vaala ab altera parte dicatur, ſed illi, cujus facies exprimitur. Omnino vero exprimi exiſtimo illum, qui Vaalæ cognomen ad poſteros tranſmiſit, atque manu ſtrenuus fuiſſe videtur, cujus bellica decora apud ſcriptores non inveniri mirari non debemus, tot veterum monumentis amiſſis. Claudium Marcellum aliqua cognatione adtigiſſe, dicere non auſim, habet tamen facies quædam non dubia magni illius viri lineamenta. Vallum ab altera parte ſignari puto, quod is C. Numonius vel egregie vallum contra hoſtilem inpreſſionem defenderit, vel in caſtris vallo & foſſa muniendis præ cæteris excelluerit; quamvis non ignorem, nuda adluſione nominis interdum quosdam typos in Familiarum Romanarum nummis exprimi; ut florem in gente Aquillia a Floro, Muſas in Pomponia a Muſa, vitulum in gente Voconia a Vitulo &c. Sed quod ipſius Vaalæ caput exprimatur, non ſinit dubitare magnum fuiſſe virum, qui grande aliquod decus familiæ ſuæ conciliaverit.

Jam mirari ſubit, quomodo viri docti hic cogitare potuerint de illo Numonio Vala, cujus mentio apud Vellejum l. c. eſt, quique, licet deſertis cum equitatu ſuo legionibus Vari, cujus erat legatus, ipſe tamen in fuga periit. Quomodo enim ille in Germania militans ſub Auguſto, hunc denarium ad ſtipendium militum percutere potuit? quod tamen nos docere vult Vaillantius p. 181. Auguſtus enim, poſtquam ſtabilitum ipſi fuit imperium, monetæ ſignandæ jus cum ſenatu diviſit, & illi quidem æream monetam reliquit, ipſe vero ſibi auream & argenteam monetam retinuit, atque eandem per triumviros ſuos monetales in urbe ſignari fecit. Ergo legatus Vari Numonius percutere denarios non potuit, quod quidem a quæſtoribus legatorum & proconſulum tempore liberæ reipublicæ factum fuit, ſed non eo tempore, quo omnem illam poteſtatem ad ſe traxerat Auguſtus, niſi ubi ipſe Auguſtus præſens adeſſet, ut videre licet in denario gentis Cariſiæ tab. ſecunda num. II. Is quidem Numonius Vaala, ſive Vala Numonius, ut ſcribit Vellejus, ex Vaalæ, qui denarium hunc ſignavit, poſteritate fuiſſe videtur, atque deſcendiſſe a C. Numonio Vaala, cujus caput in parte denarii prima exprimitur; ſed ipſe ille C. Numonius, gentis auctor & decus, atque, qui nummum ſignavit Vaala, propter defectum ſcriptorum, plane ſunt incogniti. Adde Verburg. in Præf. ad Tom. II. Oper. Spanh. p. IV.

OCTAVIA.

Gens Octavia ex Cæſare Octaviano Auguſto præcipue nota eſt, Velitris præcipua, & magiſtratibus ibi decorata, inter patricias ſub regibus adlecta, ad plebem deinde tranſiit, per D. Julium magna deinde vi iterum ad patricios tranſlata. Gentis Octaviæ tres nummos habet Vaillantius, ſed omnes ex Goltzio, Morellianus vero hic, optimo jure ad Octavios referri vix poteſt, utpote in colonia cuſus, ubi magiſtratus ſæpe Cæſarum erant liberti, atque ex libertinis orti.

I.

CLAVD*ius* CAESAR AVG*uſtus* Pater Pa*triæ*. Caput Claudii laureatum.

COR*inthus* OCTAVIO LVSCINO II VIR*is* ITER*um*. Templum ſex columnarum in rupis vertice.

Invenitur hic nummus in ære ſecundæ & tertiæ magnitudinis. Duumvirorum ex nummis tantum notitia ſupereſt. Sed notari debet rupes; innuitur enim locus, qui Acrocorinthus dicebatur, ipſius Corinthi quaſi arx naturalis, in quo Veneris, quod hic depingitur, in Juliæ gentis honorem, erat templum.

II.

CLAVDIVS CAESAR. Caput idem Claudii imperatoris. Ita deſcripſit Vaillantius pag. 158. Morellius enim non exhibuit.

COR*inthus* OCTAVIO LVSCINO II VIR*is* ITER*um*. Pegaſus ſupra rupem exſiliens.

Pegaſus ſæpe in Corinthiorum nummis ſignatur, & quoniam fabulæ dicunt, equum illum alatum, in Acrocorintho, quum ad Pirenem fontem biberet, captum fuiſſe a Bellerophonte, hinc mirari non debemus, pegaſum exſilientem in Acrocorintho exprimi.

OGVLNIA.

Ogulniam gentem plebejam fuiſſe, Q. & Cn. Ogulnii, qui tribuni plebis fuerunt, docent, cognomen Galli habuerunt, quod in nummo lit. B. exprimitur.

I.

Caput Vejovis laureatum cum fulmine.

OGVL*nius*. VER*gilius*. CAR*vilius*. Jupiter in citis quadrigis, dextra elata fulmen tenet, læva demiſſa habenas.

Vejovis cultum, ex Campania receptum, multi nummi teſtantur; de Ogulnio dicturi ſumus infra ad nummos æreos.

Litera A.

Caput Vejovis laureatum cum fulmine.

OGVL*nius*. VER*gilius*. CAR*vilius*. Typus idem, ſed adſcribitur litera, matricis nota, L.

Litera B.

Caput idem Vejovis laureatum cum fulmine.

Quintus OGVL*nius* GAL*lus*. VER*gilius*. CAR*vilius*. Typus Jovis in quadrigis, ut ſupra.

Denarius argenteus hic nos docet, iſtum Ogulnium, qui una cum Carvilio & Vergilio, collegis atque una triumviris monetalibus, omnes hos nummos ſignavit, Quinti prænomen & Galli cognomen habuiſſe. Occurrunt in hiſtoria Romana tres Quinti Ogulnii Galli; primus ex illis tribunus plebis fuit A. V. C. CCCCLIII. Secundus ad conſulatum pervenit A. V. C. CCCCLXXXIV. Tertius tribunus plebis exſtitit A. V. C. DIX. Ad nullum ex hiſce denarii hi revocari poſ-

possunt, quoniam post A. V. C. DLXXV. omnes cusi sunt, utpote ab iisdem triumviris monetalibus, qui æreos sequentes cuderunt, qui pondere suo se produnt non esse tam vetustos, ut ad hæc tempora pertingere possint.

Nota hunc denarium unum esse ex Goltzianis, id est, ex illis qui Fulvio Ursino visi non sunt, quem visum a se & examinatum in opus suum recepit noster Morellius.

II.

Caput Jani laureatum & barbatum, cum nota assis inter tempora surgente.

CAR*vilius.* VER*gilius.* OGVL*nius.* Prora navis.

Hunc, ut & reliquos hosce nummos, jam vidimus in gente Carvilia pag. 76. & tunc quidem nimium creduli Vaillantio ejus sententiam proposuimus & secuti sumus, adfirmantis hunc assem esse uncialem, atque pertinere ad A. V. C. CCCCLXXXV. Quam sententiam deserere jam cogimur instituta ipsorum horum assium ponderis examinatione; possidemus enim duos huic simillimos, nisi quod in altero horum assis nota, sive longior litera I. oblique posita, ante proram navis compareat. Singuli hi asses semiunciæ pondus minime æquare possunt, deficiente adhuc aliquid in pondere; unde liquido adparet cusos illos & omnes hosce Ogulnianos nummos fuisse post A. V. C. DLXXV. quo pondus assis, qui quadraginta proximis annis ad unciam fuerat redactus, novam lege Papiria subiit mutationem, atque ad semiunciæ pondus redactus fuit. Jam vero post hunc annum Papirianum nulli amplius nobis Carvilii vel Ogulnii occurrunt, exstincta forte aliquanto post Carvilia gente, & Ogulnia solo cognomine Galli vocata. Superfuisse tamen per aliquod tempus Ogulnios hi nummi docent, ut & Carvilios, quorum tamen certa ætas definiri nequit.

Mira vero sunt, quæ scribit Vaillantius ad hunc Ogulnii æreum nummum p. 187. & 188. atque Verginii (Verginium enim non Vergilium legit) p. 529. hunc assem esse semissem, sive valuisse semissem, id enim velle videntur ejus verba, quæ tam sunt confusa, ut vix intelligi possint. Quantum enim illa capio, id vult: Jani caput communem fuisse typum & assium & semissium, asse vero imminuto, ut unciam penderet, semissem ejus semiunciam pependisse; hunc vero assem semiunciali pondere (ita enim se exprimere debuerat) semissem esse imminuti assis, tempore belli Punici secundi incepti. At vero hæc hypothesis, Janum æque semissium ac assium esse typum falsissima est, atque maximam fecisset confusionem; habeo ipse semisses (nullo familiæ nomine adscripto) hisce assibus duplo ponderosiores, quibus litera S. solita semissis nota, adscribitur, & uni ex hisce Ogulnii assibus meis, nota assis, uti dixi, adpingitur juxta proram ratis, ut nullo modo semissis dici possit, sed verus as, non quidem pondere, sed valore.

Litera G.

Caput idem Jani, ut supra.

OGVL*nius.* VER*gilius.* CAR*vilius.* Prora navis; in summa nummi area, supra triumvirorum nomina litera T. cernitur.

Quid illa litera T. sibi velit valde obscurum est. Triumviros monetales vix designare potest, alio enim modo illa dignitas exprimitur; Titos omnes prænomine fuisse abnuit nummus lit. B. ubi Quinti prænomen Ogulnio datur. Verginios, sive Virginios, plures Titi prænomen habuisse invenio, sed tunc ante illud nomen, quod medium inter duo reliqua est, collocari debuerat. Forte matricis nota est, nam in nummo Begeriano tom. II. p. 567. litera M. ad latus proræ ponitur, ubi nota quoque pro CAR. legi GAR. facili litterarum vicinarum permutatione.

OPEIMIA.

Opimia, sive, ut in nummis scribitur, Opeimia gens plebeja sed pluribus tamen consulatibus clara fuit, præcipue L. Opimii, qui in consulatu suo, cæso C. Graccho tribunitio, & Fulvio Flacco consulari viro, patrum vindictam egregie in plebem exercuit, & legis Maniliæ vi postea exsulare coactus, in Dyrrachino littore sepultus fuit.

I.

Caput Romæ Victricis galeatum; post illud corolla est.

Lucius OPEIMI*us.* ROMA. Victoria in citis quadrigis, dextra corollam præferens.

Ad celeberrimum illum consulem L. Opimium Q. F. hunc denarium referunt antiquarii, in præturа vero ejusdem provinciali cusum fuisse judicat Vaillantius, atque coronam illam post Romæ caput, illam denotare, quam Fregellis captis Jovi Capitolino obtulerit; adeoque refert ad A. V. C. DCXXIX. at vero a prætore L. Opimio cudi non potuit denarius, a quæstore, penes quem illud jus erat, potuit. Corona Romæ capiti adponi potuit, ut semper victrici, etiamsi nulla illo anno victoria nobilior relata fuerit.

II.

Caput Herculis barbatum, in rictu leonis, post illud sunt tres globuli quadrantis indices.

Lucius OPEIM*ius.* ROMA. Clava Herculis in laurea.

Rarum hunc quadrantem, quem in Thesauro Regio non invenire notavit Vaillantius, refert idem antiquarius ad L. Opimium consulem, qui seditionem C. Gracchi oppressit, in qua tria civium millia & amplius perierunt. Existimat idem hanc seditiosorum vim repressam per Opimium, tanquam per alterum Herculem tyrannos opprimentem, indicari; expressam vero clavam jacentem, veluti sedata omni seditione; addique coronam, velut debitam tanto consuli ob relatam de Gracchanis, rempublicam turbantibus, victoriam. At vero in innumeris antiquorum nummis illa Herculis clava cernitur, ita ut pro lubitu monetarii vel jacens, vel stans erecta depingatur, neque ad L. Opimium consulem A. V. C. DCXXXII. ut illo quidem anno cusus hic nummus referri potest, quoniam quæstorum non consulum erat monetam signare, atque ita semper in urbe, adscripta ut hic voce ROMA, cusis nummis, suum, non consulis vel alterius magistratus nomen, adscribebant quæstores, sive triumviri monetales. Necesse itaque est, ut statuamus, hunc nummum æreum & præcedentem denarium argenteum ab hoc L. Opimio quæstore urbano aut triumviro monetali cusum fuisse; vel aliquem ex posteris ejusdem ita victorias & constantiam eximii illius consulis L.

Opimii, celebrare voluiſſe; illud enim laurea & clava ſuadere videtur; nam, ut recte adnotat Vaillantius, navis conſuetum Romanæ monetæ eſt ſymbolum, quæ in æreis monetis etiam cum Herculis effigie poni ſolet. Et potuit aliquis ex Opimiis, etiam L. Opimius dictus, hoc typo celebrare L. Opimii, proavi ſui, virtutem, qui Herculea vi & fortitudine C. Gracchum, velut alterum Cacum, clava ſua oppreſſerit atque trucidaverit; licet Opimii, qui Lucii prænomen habuerint, poſt conſulem illum in hiſtoria Romana non occurrant.

III.

Caput Romæ, more ſolito galeatum; poſt illud tripodis nota eſt.

*M*arcus OPEIMI*us*. ROMA. Apollo in citis bigis, arcum tendens, dependente ab humeris pharetra.

Marcum Opimium, qui hunc ſignavit denarium, fratrem L. Opimii conſulis fuiſſe exiſtimat Fulvius Urſinus, de quo fatetur tamen nihil apud veteres legi. Vaillantius, ea motus ratione, refert ad M. Opimium, Scipionis equitum præfectum, quem captum a ſuis memorat Cæſar de B. C. lib. III. cap. 38. *Noſtri, cognitis hoſtium inſidiis, ne fruſtra reliquos exſpectarent, duas nacti hoſtium turmas exceperunt. In his fuit M. Opimius, præfectus equitum.* Hunc itaque M. Opimium prætorem urbanum exiſtimat fuiſſe, atque ludos Apollinares, ab hoc, ut prætore urbano, celebratos fuiſſe, idque hoc denario, ab illo prætore cuſo, indicari. Reſpondeo; prætorum non fuiſſe monetam ſignare, ſed quæſtorum vel triumvirorum monetalium; deinde, M. Opimium prætorem urbanum fuiſſe ſola conjectura Vaillantii niti; tertio, ludos Apollinares nunquam exprimi Apolline, velut irato, ut in hoc denario eſt, arcum tendente, atque telum ejaculaturo, ſed habitu longe alio, ut in ejusmodi nummis videre licet. Conjecturæ itaque conjecturam oppono. Innumera Romanorum nomina ſuppeditant nummi, & eorum virorum, quorum, ob hiſtoriæ defectum, nulla alia ad nos pervenit notitia. Adſignandus itaque aliquis M. Opimius venit illi reipublicæ tempori, cui & typus ille Apollinis telum jaculantis convenit, & ætas cuſi denarii. Poſterius colligitur ex num. VI. ubi nummus æreus eundem hunc M. Opimium celebrat, in ſemiſſe, quem Vaillantius non vidit. Ille ſemiſſis ſemiuncialis eſt, cuſus ergo illo reipublicæ tempore, quo unciales fuerunt aſſes. Aſſes vero unciales fuerunt bello Punico ſecundo ab A. V. C. DXXXVI. usque ad DLXXV. uti ſæpius in hoc opere a nobis demonſtratum eſt, poſtea enim lege Papiria ſemiunciales aſſes facti ſunt. Ergo ſpatio illo intermedio annorum quadraginta quærendus eſt annus, cui hic typus Apollinis telum jaculantis conveniat, id eſt, diræ peſtilentiæ, id enim ex Homero & aliis novimus ſibi velle Apollinem tela ſua jaculantem. Ita enim ille poëtarum & ſapientiæ pater Iliad. lib. I. verſu 44. de Apolline irato.

Βῆ δὲ κατ' Οὐλύμποιο καρήνων χωόμενος κῆρ,
Τόξ' ὤμοισιν ἔχων, ἀμφηρεφέα τε φαρέτρην,
Ἔκλαγξαν δ' ἄρ' ὀϊστοὶ ἐπ' ὤμων χωομένοιο
Αὐτοῦ κινηθέντος. ὁ δ' ἤϊε νυκτὶ ἐοικώς·
Ἕζετ' ἔπειτ' ἀπάνευθε νεῶν, μετὰ δ' ἰὸν ἕηκε·
Δεινὴ δὲ κλαγγὴ γένετ' ἀργυρέοιο βιοῖο.

id eſt.

Deſcendit autem ex cœli verticibus iratus animo,
Arcus in humeris habens, & undique tectam pharetram:
Sonuerunt autem tela, in humeris irati,
Ipſo moto: ipſe autem ibat nocti ſimilis:
Sedit deinde ſeparatim a navibus, poſtea vero ſagittam emiſit.
Terribilis autem clangor edebatur argentei arcus.

Quæ vero per plures annos vaſtavit urbem & Italiam diram peſtilentiam ad A. V. C. DLXXIII. commemorat Livius lib. XL. cap. 38. *Octo legiones præter exercitum veterem, qui in Liguribus in ſpe propinqua miſſionis erat, eo anno eſſe placuit. & is ipſe exercitus ægre explebatur propter peſtilentiam, quæ jam tertium annum urbem Romanam atque Italiam vaſtabat. Prætor Tib. Minucius, & haud ita multo poſt conſul C. Calpurnius moritur, multique alii omnium ordinum illuſtres viri: poſtremo, prodigii loco ea clades haberi cœpta eſt. C. Servilius pontifex maximus, piacula iræ Deum conquirere juſſus, decemviri libros inſpicere, conſul Apollini, Æſculapio, Saluti, dona vovere, & dare ſigna inaurata, quæ vovit deditque. Decemviri ſupplicationem in biduum valetudinis cauſſa, in urbe, & per omnia fora conciliabulaque edixerunt: majores duodecim annis omnes coronati, & lauream in manu tenentes ſupplicaverunt.* Habemus in denario Apollinem, tripodem, ejus dei ſymbolum, & irati atque ἑκατηβόλε ſigna. Illis itaque annis exiſtimo quæſtorem urbanum fuiſſe M. Opimium hiſtoriarum monumentis incognitum.

IV.

Caput Jovis Capitolini laureatum, cum ſemiſſis nota.

OPEI*mius*. ROMA. Prora navis, cum nota ſemiſſis.

Pondus hujus ſemiſſis abjudicat illum antiquis illis temporibus, quibus adjudicat Vaillantius, dum credit pertinere ad quæſturam L. Opimii, qui tribunus plebis fuit A. V. C. DXXIX. eſt enim ſemiunciali pondere longe minor hic ſemiſſis; unde non poteſt pertingere ad illud reipublicæ tempus, quo aſſes ad ſextantarium pondus erant reducti, ſemiſſes vero ad unciæ pondus. Imo, uti modo notavimus, retrahi debet & rejici poſt A. V. C. DLXXV. quo ſemiunciales facti aſſes, ſemiſſes habuerunt, qui quartam unciæ partem, qualis hic eſt, penderent. Potuit itaque cudi in quæſtura urbana Q. Opimii, qui conſul extitit A. V. C. DXCIX. vel Q. Opimii, qui tribunus plebis fuit A. V. C. DLXXXIX. vel denique Lucii Opimii, qui Fregellas diruit A. V. C. DCXXVIII. atque conſul A. V. C. DCXXXII. memorabilis oppreſſione & conſpiratione Gracchana, atque ſecuto deinde in immerentem, odio partium, exilio, in quo magnus ille conſul mortuus eſt.

V.

Caput Jani barbatum & laureatum, cum remo intermedio ad tempora.

OPEI*mius*. ROMA. Prora navis cum aſſis ſigno.

Aſſem ſextantarii ponderis hunc eſſe pronunciat Vaillantius, quod ſi verum eſt, referri cum illo poterit ad L. Opimium L. Opimii, qui quæſtor A. V. C. CCCCXCI. a Samnitibus occiſus fuit, filium, & nepotem alterius Lucii, qui itidem in quæſtura ab iisdem Samnitibus A. V. C. CCCCLIX.

CCCCLIX. cæsus fuit. Is quum A. V. C. DXXV. ponatur quæstor provincialis, novem annis ante bellum Punicum secundum, in quæstura urbana credi potest hunc assem signasse. Sed mihi suspecta in hoc Vaillantii fides est, quem comperio non semper, præ festinatione, ponderasse nummos æreos, sed juxta magnitudinem ab Ursino adlegatam judicium tulisse. Crediderim itaque assem potius esse uncialem, cujus sit semissis ille qui sequitur.

VI.

Caput Jovis Capitolini laureatum.

Marcus OPEI*mius*. ROMA. Prora navis. Additur nota quasi assis, pro semisse, quod videtur sculptoris vitio factum esse.

Semissis est assis præcedentis, ut mihi videtur, atque cusus a M. Opimio, qui argenteum nummum num. III. signavit.

VII.

Caput Jani laureatum & barbatum, cum remo intermedio ad tempora.

OPEIMIV*s*. ROMA. Prora navis, cum assis nota.

In hoc nummo, qui una cum præcedente, nunc primum Morellii opera prodit, connexis literis universum Opimii nomen scribitur, excepta litera prima O. quæ separatim ponitur, & ultima S. quæ non adest ex antiquo more scribendi, OPIMIV pro OPIMIVS. NASIDIV pro NASIDIVS & similia. Magnitudo picturæ Morellianæ, quæ semper (quod doleo) veram nummi magnitudinem tertia fere parte superat, æqualis num. V. ad eundem Opimium nummum revocare videtur, alias, si per crassitiem liceret & pondus (ipse enim copiam ejus inspiciendi non habeo) ad antiquiora tempora referrem.

OPPIA.

Gens Oppia plebeja fuisse cognoscitur ex tribunis & ædilibus plebis, qui ex illa gente exstiterunt.

I.

Caput Veneris, comto capillo atque per cirros in collum dependente.

Quintus OPPIVS PR*æfectus*. Victoria expansis alis gradiens, dextra manu palmam tenet super humeros, læva canistrum cum pomis.

Pulcherrimum hunc nummum æreum, flavum, secundæ magnitudinis, in meo quoque museo adservo, longeque a reliquis omnibus in ejus explicatione dissentio. Ursinus Appiani locum huic Oppio adplicat ex Mithridaticis pag. 184. Λαοδικεῦσι τε ἔτι, inquit, ἀντέχουσι τοῖς περὶ τὸν Λύκον ποταμὸν (Ῥωμαίων γάρ τις στρατηγὸς Κόιντος Ὄππιος, ἱππέας ἔχων καὶ μισθοφόρους τινάς, ἐς τὴν πόλιν ἐσδραμὼν ἐφύλαττεν αὐτήν) κήρυκα ἐπιπέμψας ἐπὶ τὰ τείχη, λέγειν ἐκέλευσεν, ὅτι βασιλεὺς Μιθριδάτης ὑπέχεται Λαοδικεῦσιν ἄδειαν εἰ τὸν Ὄππιον αὐτῷ προσαγάγοιεν. οἱ δ᾽ ἐπὶ τῷ κηρύγματι, τοὺς μὲν μισθοφόρους Ὀππίου μεθῆκαν ἀπαθεῖς ἀπιέναι. αὐτὸν δ᾽ ἤγαγον τῷ Μιθριδάτῃ τὸν Ὄππιον, ἡγουμένων αὐτῷ τῶν ῥαβδοφόρων ἐπὶ γέλωτι. Καὶ αὐτὸν ὁ Μιθριδάτης οὐδὲν διαθεὶς, ἐπήγετο πανταχοῦ λελυμένον, ἐπιδεικνύμενος ἅμα Ῥωμαίων αἰχμάλωτον στρατηγόν. μετ᾽ οὐ πολὺ καὶ Μάνιον Ἀκυΐλλιον τὸν τῆσδε τῆς πρεσβείας, καὶ τοῦδε τοῦ πολέμου μάλιστα αἴτιον. Hoc est, *Laodicenses autem Lyci accolas adhuc resistentes, ad quos Q. Oppius Prætor cum equitibus & mercenario milite se receperat, per præconem ad mœnia missum invitavit, his verbis; Mithridatem Regem promittere Laodicensibus securitatem, si Oppium ei dederint, qui, audito præcone, mercenarios dimiserunt incolumes, ipsum Oppium adduxerunt ad Mithridatem præcedentibus lictoribus, in ludibrium: eum Mithridates illæsum & solutum secum circumducebat, ostentans captivum Prætorem Romanum. Nec multo post M. Aquillium, Legationis hujus & belli autorem præcipuum, &c.* Addit deinde. Q. hunc Oppium proconsulari non prætoria potestate Asiam obtinuisse ex Appiano, his verbis. *Mithridates Asiam occupavit; Q. Oppium proconsule, item Aquillium legatum in vincula conjecit.* Vaillantius & Begerus crediderunt hunc Oppium, quoniam Quintus dicitur, illum esse Q. Oppium, qui missus in Asiam cum proconsulari imperio (στρατηγὸς Appiano dicitur in Mithridatico, quod per *prætorem* nimis licenter vertitur) traditus Mithridati fuit a Laodicenis, atque a superbo rege per contumeliam traductus fuit. Venerem, ut venustatis deam, depinxisse dicit Begerus Thes. Brand. tom. II. p. 568. qui male cum Ursino prætorem hunc Oppium vocat. Venerem Victricem agnoscit Vaillantius. Victoriarum delicias typo aversæ partis exprimi credidit Begerus, quamvis spe potius quam re & eventu illas perceperit Oppius, fuga infamis & captivitate misera turpis. Vaillantius ita scribit: „ Nummus, quem tunc cudit Oppius, victoriam aliquam denotat, ex ipsius Victoriæ signo. Canistrum frugum, per victoriam relatam exercitum Romanum omnibus frugibus abundare denotat. " Sed neque prætorem Q. Oppium literæ PR. denotant, quoniam, teste Livio, cum imperio poconsulari missum fuisse ipse fatetur Ursinus; neque proconsulem denotare possunt; scriberetur enim tum PRO. COS. ut in Fam. Plancia num. III. neque typi Veneris & Victoriæ ullo modo conveniunt huic Q. Oppio, infelicitate sua & famosa captivitate apud Mithridatem historicis memorato. Ad Julium Cæsarem & ejus res gestas nummus, pariter ut ærei illi nummi familiæ Clouliæ, pertinent. Caput Veneris Juliorum ex diis immortalibus originem ostentat, Victoria dea & omnes ejus victorias in genere respicit, & inprimis nuperrimam & recentem in Hispania contra Pompeji Magni filios relatam, inde poma Hesperidum (poma enim esse rotunda, non fruges, ex nummo meo, juxta Morellianos didici) in canistro læva manu fert Victoria, quo typo Cæsari, tanquam Herculi Victori, gratulatur res prospere gestas Quintus Oppius, quem inter præfectos Urbi sub Lepido relictos exstitisse, indicant literæ PR. i. e. PR*æfectus*, prouti in reliquis fere omnibus illis præfectis, non invito antiquitatis genio, ut speramus, primi hanc dignitatem nummis confirmatam deteximus. Ex hisce quidam præfecti Urbis adpellantur, alii simpliciter præfecti, quod jam satis notus iste esset titulus, invidiosus, ut ex Dione & Suetonio liquet. Præfecti Urbis adpellantur *Lucius* PLANCius PRAEF*ectus* VRB*is*, in Fam. Plancia num. I. & II. *Lucius* LIVINEIVS. REGVLVS PRAEF*ectus* VR*bis*. in Fam. Livineia tab. prima num. III. &c. Præfecti vero simpliciter *Aulus* HIRTIVS PR*æfectus*. in Fam. Hirtia num. I. ut & *Lucius* CESTIVS PR*æfectus*, & *Caius* NORB*anus* PR*æfectus* in Fam. Cestia num. I. & II. atque Fam. Norbana num. I. & V. *Caius* CLOVI*us* PRAEF*ectus*, in Fam. Clovia num. I. & denique noster Q. OPPIVS PR*æfectus* in hisce nummis. L. Mussidius Longus, cui octavum inter præfectos hos locum do,

do, dignitatem adſcriptam non habet. In quibus, ut adparet, pro lubitu minus vel magis integre ſcribitur PR. PRAEF. PRAEF. VR. & PRAEF. VRB. in ſingulis autem & omnibus aliquid eſt, quod reſpectum habet ad Julium Cæſarem, a quo in Hiſpaniam proficiſcente hanc novam dignitatem acceperant. Notari vero volo inventos hos præfectos urbi vel urbis ſeptem numero & quidem adſcripto titulo, octavum vero ex typis dignoſcendum, propter Dionis Caſſii verba emphatica de dubitatione in numero, utrum ſex an octo præfecti fuerint, quæ Dionis verba legi poſſunt ad A. V. C. DCCVIII. lib. XLIII. pag. 227. Ἐπεὶ δὲ ᾔσθετο ἐκεῖνόν τε ἐπὶ μέγα προχωροῦντα, καὶ τοὺς πεμφθέντας οὐχ ἱκανοὺς ἀντιπολεμεῖν αὐτῷ ὄντας, οὕτω δὴ καὶ αὐτὸς ἐξεστράτευσεν, ἐπιτρέψας τὴν πόλιν τῷ Λεπίδῳ, καὶ πολιανόμοις τισὶν ὀκτὼ, ὡς τισὶ δοκεῖ, ἢ ἕξ, ὡς μᾶλλον πεπίστευται. *Sed posteaquam Pompeji vires augeri, ſuos ad bellum ei faciendum non ſufficere animadvertit, ipſe Romæ cuſtodia Lepido, octoque, ut nonnullis videtur, vel (quod magis creditum eſt) ſex urbis præfectis injuncta, in Hiſpaniam expeditionem ſuſcepit.* Ex illorum itaque numero hic Q. Oppius fuit, propinquus, ut videtur illius C. Oppii, qui Cæſari perfamiliaris & carus fuit, ut patet ex Suetonio cap. LXXII. in Vita Julii, *Amicos tanta ſemper facilitate indulgentiaque tractavit, ut C. Oppio, comitanti ſe per ſilveſtre iter, correptoque ſubita valetudine, & in diverſorio, quod unum erat, loco ceſſerit: ac ipſe humi ac ſub divo cubuerit.* Quod idem invenire licet apud Plutarchum in ejusdem Vita p. 716. Ἐν ὁδῷ δέποτε συνελασθεὶς ὑπὸ χειμῶνος εἰς ἔπαυλιν ἀνθρώπου πένητος, ὡς οὐδὲν εὗρεν πλέον οἰκήματος ἑνὸς γλίσχρως ἕνα δέξασθαι δυναμένου, πρὸς τοὺς φίλους εἰπὼν, ὡς τῶν μὲν ἐντίμων παραχωρητέον εἴη τοῖς κρατίστοις, τῶν δὲ ἀναγκαίων τοῖς ἀσθενεστάτοις. i. e. *Compulſus aliquando in itinere per tempeſtatem in hominis pauperis caſam, ubi nihil extra unum cubiculum reperit, quod capere vix poſſet unum, dixit amicis, ampla loca principibus concedenda, neceſſaria debiliſſimis.* Addit mox: Ὄππιον ἐκέλευσεν ἀναπαύσασθαι· μετὰ δὲ τῶν ἄλλων αὐτὸς ἐν τῷ προστεγίῳ τῆς θύρας ἐκάθευδεν. *Oppium illuc juſſit capere quietem, cum cæteris ipſe in protecto januæ cubavit.*

Litera A.

Caput deæ Veneris idem; poſt illud eſt capricorni figura.

Quintus OPPIVS PR*æfectus*. Victoria gradiens, ut ſupra.

Signum illud capricorni in hoc nummo notabile eſt, ut quod in pluribus ad Auguſtum pertinentibus nummis cernitur, quum tamen ſub Julio Cæſare hi nummi cuſi ſint. Quæ enim Morellius conjecit de victoria navali Actiaca nullum hic locum habent. Verba ejus ſunt p. 199. „ Reperitur nummus, qui primo gentis OPPIÆ plane ſimilis, præter quod capiti Capricornus adhæret, & quoniam hujus familiæ „ nummi omnes ad res navales ſpectant, conjectura mea eo redit, capricornum in Auguſti „ nummis nihil aliud denotare, quam ſummum „ imperium victoria navali Actiaca fuiſſe ab Auguſto adquiſitum. Nam hujus generis fortunam capricornum inferre, pluribus & eleganter carmine expoſuit Manilius. Ut adeo Suetonii fides vacillet, nummos, inquientis, capricorno notatos, thema natalitii Auguſti deſignare, præſertim cum a viris doctis jam ſit „ evictum, capricornum natale Auguſti ſidus „ minime exſtitiſſe." Reſpicit Morellius ad Scaligeri, Kepleri & Petavii de horoſcopo Auguſti ſententias, ſed recte ſentit Noriſius in Cenotaph. Piſanis Diſſ. II. cap. I. p. 87. luxatis annis ante correctum a Julio Cæſare calendarium, vix quidquam certi de genethliaco Auguſti demonſtrari poſſe. Certum tamen eſt Auguſtum capricornum horoſcopantem habuiſſe, vel habere videri voluiſſe, quod *prima pars* (juxta Firmicum) *capricorni, ſi in horoſcopo fuerit inventa, regem faciat ac principem, & cui maxima deferantur inſignia poteſtatis.* Capricorni horoſcopum non Suetonius modo, ſed & Manilius aliique, & ipſe nepos Cæſaris Germanicus Auguſto adſignant. Vide Scaligerum ad Manil. p. 147. 148. Sed quæſtio haud facilis eſt, quomodo Oppius illum Cæſaris Auguſti horoſcopum ſignare potuerit. A. V. C. DCCVIII. juxta Dionem in Hiſpanias abiit Cæſar, rerum urbanarum cura Lepido cum præfectis illis, inter quos etiam Q. Oppium fuiſſe ſtatuimus, relicta. A. V. C. DCCIX. quamvis rediiſſet Cæſar, retinuiſſe præfectos eandem poteſtatem dicit idem Dio. Sequenti anno DCCX. idibus Martiis confoſſus fuit, poſtquam novam magiſtratuum ordinationem feciſſet, prætores creaſſet ſedecim &c. atque ad totum triennium conſtituiſſet, totus in bellum Parthicum intentus, ad quod jamjam egreſſurus erat. Avunculum in Hiſpaniam ſecutus fuerat nepos Octavius, cum eodem redierat Romam, ab eodem, bellum Parthicum meditante, præmiſſus Apolloniam fuerat. Sueton. in Aug. cap. VIII. *Profectum mox avunculum in Hiſpanias adverſus Cn. Pompeji liberos, vix tum firmus à gravi valetudine, per infeſtas hoſtibus vias, pauciſſimis comitibus, naufragio etiam facto, ſubſecutus, magnopere demeruit, adprobata cito etiam morum indole ſuper itineris induſtriam. Cæſare poſt receptas Hiſpanias expeditionem in Dacos & inde in Parthos deſtinante, præmiſſus Apolloniam, ſtudiis vacavit.* Accidit tunc Apolloniæ id quod narrat idem Sueton. cap. XCIV. *In ſeceſſu Apolloniæ Theogenis Mathematici pergulam, comite Agrippa, adſcenderat. Cum Agrippæ, qui prior conſulebat, magna, & pæne incredibilia prædicerentur, reticere ipſe genituram ſuam, nec velle edere perſeverabat metu, ac pudore, ne minor inveniretur. Quæ tamen poſt multas adhortationes vix & cunctanter edita, exſiluit Theogenes, adoravitque eum. Tantam mox fiduciam fati Auguſtus habuit, ut thema ſuum vulgaverit, nummumque argenteum nota ſideris capricorni, quo natus eſt, percuſſerit.* Verum ex hoc loco nihil aliud elici poteſt, quam confirmatum ſpe ſua vulgaſſe illud thema ſuum Octavium, id eſt imperatorem factum, publice in nummis ſignaviſſe. Neque tamen antea genituræ Octavii tempus Julio & amicis, ut Oppio & aliis, ideo incognita fuit; atque non video, quid impediat nos ſtatuere Oppium, in gratiam Cæſaris, ſicut divinam ejus oſtendit ex Venere originem partis prioris typo, ſic poſterioris innuere fato debitam progeniei ejus ſive familiæ in univerſum orbem poteſtatem; quod mira adulandi arte faciens, & futuro ſe principi commendavit, & gratiam aucupavit præſentis, cujus ſtudium erga hunc nepotem ſuum, oſtento illo in Hiſpania facto, innotuerat. Sueton. in Vita Auguſti cap. XCIV. *Apud Mundam D. Julius caſtris locum capiens, cum ſilvam cæderet, arborem palmæ repertam conſervari, ut omen victoriæ, juſſit. Ex ea continuo enata ſoboles adeo in paucis diebus adolevit, ut non æquipararet modo matricem, verum*

etiam obtegeret, frequentareturque columbarum nidis, quamvis id avium genus duram & asperam frondem maxime vitet. Illo, & præcipue, ostento motum Cæsarem ferunt, ne quem alium sibi succedere quam sororis nepotem vellet.

Litera B.

Caput Veneris idem.

Quintus OPPIVS PR*æfectus*. Victoria eadem, ut supra.

Nihil hic nummus a primo discrepat, nisi quod caput deæ ad aliam partem sit conversum.

II.

Marcus ANT*onius* IMP*erator* CO*nSul* DES*ignatus* ITER*um* ET TERT*ium*. Caput M. Antonii nudum.

Marcus OPPIVS CAPITO PRO PR*ætore* PR*æfectus* CLAS*si* *Fieri Curavit*. Navis, supra quam litera S. est, quæ forsitan significat Siciliam,

M. Oppius Capito creditur ille in patrem pius fuisse filius, quem scribit Appianus lib. B. Civ. IV. patrem senem, quocum una proscriptus fuerat, humeris sublatum urbe exportasse, tanquam alterum Æneam. Post reditum ædilitatem plebis, summo civium studio, gessit, atque mortuus in campo Martio crematus & sepultus fuit. Ut notat Dio Cassius lib. XLVIII. pag. 390. Βουλομένου δ' οὖν καὶ Μάρκου τινὸς Ὀππίου ἀγορανομίας ὑπ' ἀπορίας (ἐκ γὰρ τῶν ἐπικεκηρυγμένων καὶ αὐτὸς καὶ ὁ πατὴρ αὐτοῦ ἦν) ἐκστῆναι, τὸ πλῆθος οὐκ ἐπέτρεψεν, ἀλλ' ἔς τε τὰ ἄλλα τὰ πρὸς τὸν βίον ἀναγκαῖα, καὶ ἐς τὸ τῆς ἀρχῆς ἀνάλωμα ἀργύριον αὐτῷ συνεσήνεγκε. καὶ λόγος γε ἔχει καὶ τῶν κακέργων τινὰς ἐς αὐτὸ τὸ θέατρον ἐν προσωπείοις, ὡς καὶ ὑποκρινομένους τι, ἐσελθόντας, συγκαταβάλλειν τὰ χρήματα. καὶ ὁ μὲν οὕτω ζῶν τε ὑπὸ τοῦ ὁμίλου ἠγαπήθη, καὶ ἀποθανὼν οὐ πολλῷ ὕστερον, ἔς τε τὸ Ἄρειον πεδίον ἐκομίσθη, καὶ ἐκεῖ καὶ ἐτάφη, καυθεὶς πρότερον. ἡ δὲ δὴ βουλή, ἀγανακτήσασα τῇ πάσῃ τοῦ πλήθους περὶ αὐτὸν σπουδῇ, τὰ ὀστᾶ αὐτοῦ, ὡς οὐχ ὁσίως ἐν τῷ ἱερῷ χωρίῳ κείμενα, ἀνείλετο, πεισθεῖσα τοῖς ποντίφιξι, καίπερ πολλοὺς ἄλλους ἐν αὐτῷ καὶ πρότερον καὶ μετὰ ταῦτα θάψασα. *Marcus Oppius quum ædilitatem omittere paupertatis caussa (hic enim & pater quoque ejus, in proscriptorum numero fuerant) statuisset, plebs id non permisit, sed stipem ei contulerunt, cum ad sustentandam rem familiarem, tum ad impensas muneris ædilitii; ferturque, quosdam flagitiosos personatos, pro histrionibus, in theatrum ingressos, pecuniam præbuisse. Nec vivus modo iste Oppius ita gratus plebi fuit, sed defunctum etiam iidem paulo post in campum Martium extulerunt, crematumque ibi humarunt. Quod plebis omne studium erga Oppium indigne ferens senatus, ossa ejus, monitu pontificum, tanquam loco sacro non rite posita, inde removit, quamvis & ante & post multos eodem loco sepelierint.* Videtur hic M. Oppius Antonii partes amplexus fuisse, atque postea cum pluribus ejus amicis, desperatis ejusdem rebus, ad Cæsarem Octavianum se contulisse. Dum staret a partibus Antonii, Siciliæ ab illo & classibus ibidem præfectus fuit, ut nummi docent, qui tertium ejusdem annum ibi exactum commemorant. Vide Vaillantium pag. 194. & 195. 196.

Litera C.

Marcus ANT*onius* IMP*erator* CO*nSul* DESIG*natus* ITER*um* ET TERT*ium* IIIVIR *Rei Publicæ Constituendæ Fieri Curavit* Capita jugata Marci Antonii, & filii Antonii, sive Antylli ex Fulvia nati, ex adverso caput reginæ Cleopatræ est.

Marcus OPPIVS CAPITO PRO PR*ætore* PRAEF*ectus* CLASSI. Adde huc ex priore parte *fieri curavit*. Triremis cum velo & navigantibus; infra est litera Γ. & Siciliæ symbolum tria crura.

Litera Γ. tertium præfecturæ Oppianæ in Sicilia annum indicat. De reliquis jam ad Fam. Antoniam actum est.

Litera D.

Marcus ANT*onius* IMP*erator* TERT*ium* CO*nSul* DES*ignatus* ITER*um* ET TERT*ium* IIIVIR *Rei Publicæ Constituendæ*. Capita adversa M. Antonii & Cleopatræ.

Marcus OPPIVS CAPITO PRO PR*ætore* PRAEF*ectus* CLASSI *Fieri Curavit*. Antonius & Cleopatra insistentes quadrigis ab equis marinis tractis, retro sunt literæ HS. sub equo ara ignita est inter literas ΔI.

Similem Atratini nummum vidimus ad Fam. Anton. tab. quintam num. I. ubi literæ illæ HS. nos torquebant, neque adhucdum, quid sibi velint, clare perspicimus. Forte integre legi debent *Heroibus Semideis*. Notum enim est divinos honores ab adulatoribus in nummis adtributos fuisse Antonio & Cleopatræ, sic, ut hæc quidem ΘΕΑ ΝΕΩΤΕΡΑ dicatur in nummo Fam. Anton. Græco tab. secunda num. IV. & in aliis apud me ΘΕΑ ΝΕΑ. ille vero ibid. num. I. II. III. tanquam Bacchus coronam gerat hederaceam. Eaque de caussa ara quoque accensa hic signari potuit. In Atratini nummo literam Δ. de quarto præfecturæ in Sicilia anno explicavimus pag. 26. (quamvis ibi male *tertium* annum typi expresserint) sed cum illo pugnare addita hic litera I. videtur; quæ quid sibi velit ignoro, neque enim cognomen Jovis aliquod apud Siculos denotare credo, quum Latinis literis reliqua in nummo concepta sint, & posterior litera in nummo Atratino desit; ut forsitan exstantia quædam in ære sit, quam pro litera I. Morellius acceperit, de quo videant, quibus præclarum hoc numisma coram inspicere datur facultas. Videtur enim simpliciter quartus annus præfecturæ indicari, ut supra tertius & mox primus.

Litera E.

M. ANT*onius* IMP*erator* CO*nSul* DES*ignatus* IT*erum* ET TER*tium* IIIVIR *Rei Publicæ Constituendæ*. Capita jugata M. Antonii & Cleopatræ.

Marcus OPPIVS CAPITO PRO PR*ætore* . . . . . Triremis cum velo & remigantibus. Litera A. qua primus præfecturæ annus designatur, additur.

Litera F.

Marcus ANT*onius* IMP*erator* CO*nSul* DESIG*natus* ITER*um* ET TER*tium* IIIVIR *Rei*

Rei Publicæ Constituendæ. Capita jugata M. Antonii & Cleopatræ.

Marcus OPPIVS CAPITO PRO PR*ætore* PRAEF*ectus* CLASS*i Fieri Curavit.* Navis cum velis & remis, subtus litera A. & terrarum globus est, quasi denotans debitum Antonio & Cleopatræ in illas imperium.

Litera G.

Marcus ANT*onius* IMP*erator* CO*nSul* DESIG*natus* ITER*um* ET TERT*ium* III VIR *Rei Publicæ Constituendæ.* M. Antonii & Cleopatræ capita adversa.

Marcus OPPIVS CAPITO PRAEF*ectus* C . . . . . . Navis cum litera B.

Ad hosce nummos, quos minus integros apud Ursinum invenerat, spectant verba Morellii p. 184. „ In eadem gente ANTONIA Tab. IV. num. 5. & 6. exstant duo nummi in Ursino ad gentem Fontejam relati, prout etiam rei antiquariæ peritissimus J. Vaillantius in Historia Ptolemæorum pag. 191. illos eo retulit; sed firmiter credo, Patinum errasse, illosque nummos ad gentem Oppiam rectius referri, quod pluribus probari posset rationibus. Interim enixe rogo, ut, si quis ejusmodi nummos noverit, vel possideat, me certiorem reddere, & de nummis inscriptis literis edocere dignetur; idemque de BIBULI, OPPII, & ATRATINI nummis expeto. Nam plurimos vidi, qui inscriptionibus differunt ab illis, quos supra memoratus summeque laudandus Vaillantius, ibidem edidit. „ Rescripsit Perizon. p. 263. „ Vallantius utrosque nummos, & illos *C. Fonteji Capitonis*, & illos *M. Oppii Capitonis*, edidit dein integre sic scriptos, ut adeo, quum & utriusque gentis cognomen fuerit *Capito*, nihil vitii in illis Fonteji hærere videatur, quod suspicatur Morellius. Illud vero miror, quod meam de *P. Turullio* conjecturam ad Antonii III Viri nummum reperiam quoque apud Vallantium in Familiis Romanis, plusquam anno post scriptam hanc Epistolam editis. Vide eum ad nummum LXVIII. Gentis Antoniæ. „

P A P I A.

Gens Papia, ex Papiis, tribunis plebis, qui leges de Vestalibus & peregrinis tulerunt, agnoscitur esse plebeja. Varia hujus gentis fuerunt cognomina, in denariis Celsi tantum inveniuntur.

T A B. I.

I.

TRIVMPVS. Caput dei Triumphi laureatum, cum tropæo ad collum.

Lucius PAPIVS CELSVS III VIR. Lupa fomitem aridum ore gestans, conjectura in struem lignorum ardentem, adstat e regione aquila, ventilatione alarum flammam excitans.

Pulcherrimum typum, quem nitidissimi nummi mei, non obvii, exhibent, numero hoc & seq. II. egregie illustrant Dionys. Halicarn. verba, ab antiquariis passim adducta, ad typi rationem cognoscendam tamen repetenda. Scribit is Antiq. Rom. lib. I. p. 48. Λέγεται δὲ κατὰ τὸν πολισμὸν τοῦ Λαουϊνίου σημεῖα τοῖς Τρωσὶ γενέσθαι τοιάδε· πυρὸς αὐτομάτως ἀναφθέντος ἐκ τῆς νάπης, λύκον μὲν κομίζοντα τῷ στόματι τῆς ξηρᾶς ὕλης, ἐπιβάλλειν ἐπὶ τὸ πῦρ· αἐτὸν δὲ προσπετόμενον ἀναρριπίζειν τῇ κινήσει τῶν πτερύγων τὴν φλόγα· τούτοις δὲ τἀναντία μηχανωμένην ἀλώπεκα, τὴν οὐρὰν διάβροχον ἐκ τοῦ ποταμοῦ φέρουσαν, ἐπιρραπίζειν τὸ καιόμενον πῦρ· καὶ τοτὲ μὲν τοὺς ἀνάπτοντας ἐπικρατεῖν· τοτὲ δὲ τὴν ἀποσβέσαι βουλομένην· τέλος δὲ νικῆσαι τοὺς δύο, καὶ τὴν ἑτέραν οἴχεσθαι μηδὲν ἔτι ποιεῖν δυναμένην. ἰδόντα δὲ τὸν Αἰνείαν εἰπεῖν ὡς ἐπιφανὴς μὲν ἔσται καὶ θαυμαστὴ, καὶ γνώσεως ἐπὶ πλεῖστον ἥξουσα ἡ ἀποικία, ἐπίφθονος δὲ τοῖς πέλας αὐξομένη καὶ λυπηρὰ, κρατήσει δ᾽ ὅμως τῶν ἀντιπραττόντων, κρείττονα τὴν ἐκ τοῦ θείου τύχην λαβοῦσα τοῦ παρ᾽ ἀνθρώπων ἐναντιωθησομένου φθόνου. Ταῦτα μὲν δὴ οὕτω περιφανῆ μηνύματα λέγεται γενέσθαι τῶν συμβησομένων τῇ πόλει· καὶ ἔστιν αὐτῶν μνημεῖα ἐν τῇ Λαουϊνιατῶν ἀγορᾷ, χάλκεα εἴδωλα τῶν ζώων, ἐκ πολλοῦ πάνυ χρόνου διατηρούμενα. *Fertur dum Lavinium conditur, oblata Troianis quædam prodigia: in nemore, accenso sua sponte igni, lupum ore aggessisse fomitem aridum; ibi aquilam advolasse, & alarum ventilatione flammam excitasse: vulpem contra cauda in flumen intincta, ignem ab illis accensum adspersisse: & nunc accendentibus, nunc extinguente, prævalentibus, tandem vicisse illos duos. hanc vero abiisse conatu irrito. Quo viso Æneam dixisse, illustrem quidem, nobilemque, & mirandam futuram eam coloniam, sed suis incrementis invidiosam & molestam circumvicinis: fore tamen ut tandem vincat adversarios, humanæ invidiæ prævalente favore numinum. tam insigne futuræ urbis fortunæ præsagium tunc accidisse dicitur: extantque rei monumenta in foro Laviniensium, æreæ horum animalium effigies, longissimo ibi tempore adservatæ.* Ursinus corrigi ibi Dionysium jubet, atque pro Λαουϊνιατῶν scribi Λανουιατῶν vel Λανουιτῶν, ut de Lanuvio, non de Lavinio hæc historia intelligenda sit; quem, de Lanuvio hunc typum explicans, sequitur Vaillantius. Sed non immerito Begerus temere sollicitari fidem Halicarnassei, vel vulgatam ejus scripturam, judicat in Conjecturis suis pag. 569. quod diversæ urbes fuerint Lavinium & Lanuvium, & pariter gentis suæ ex Lanuvio originem cum gentis Romanæ ex Lavinio conjungere potuerit Papius. Quod haud improbabile videtur; nam ipse Dionysius discrimen inter illas urbes bene novit, ut observo ex ejusdem lib. V. pag. 326. ubi Latinorum conspirationem enumerat, & urbes atque proceres earum qui nomen in fœdus dederint, Γαβίων, Λαυρεντίνων, Λανουίων, Λαβινιατῶν, Λαβικανῶν &c. *Gabini, Laurentini, Lanuvini, Lavinienses, Labicani* &c. Propter originem vero vetustiorem Romanos colonos vocat Laviniensium lib. III. pag. 147. Αὐτοὶ γὰρ ὑμεῖς οἱ τὴν ἡμετέραν πόλιν ἀποικίσαντες Λαουινιατῶν ἐστε ἄποικοι. *Vos ipsi, qui nostram urbem condidistis, coloni estis Laviniensium.* Lib. VIII. pag. 496. Μετὰ τοῦτο χώρα τε ὅσην διαπορεύοιτο, ὑποχείριος ἦν, καὶ πόλις οὐδεμία ἐναντιοῦτο ἔξω Λαουϊνίου, ἣν πρώτην γε πόλιν οἱ σὺν Αἰνείᾳ καταίραντες εἰς Ἰταλίαν Τρῶες ἔκτισαν, καὶ ἀφ᾽ ἧς τὸ Ῥωμαίων ἦν γένος, ὡς καὶ πρότερόν μοι δεδήλωται. *Post hæc quacunque iter facerent, & ager erat in potestate, nec oppidum ullum eis se opponebat præter Lavinium; quod oppidum Trojani, qui cum Ænea in Italiam adpulerunt, primum condiderunt, &, ut supra exposui, Romani suam inde traxerunt originem.* Quare veterem Romanorum patriam adpellat lib. eodem VIII. pag. 520. Ὥσπερ καὶ Ταρκύνιος ἐποίησεν ὁ Κολλατῖνος ἐπικαλούμενος,. ἱκανὸν παράδειγμα καὶ οἰκεῖον ὁ συνελευθερώσας ἀπὸ τῶν τυράννων τοὺς πολίτας· ἔπειτα διαβλη-

βληθεὶς πρὸς αὐτοὺς, ὡς συμπράττων πάλιν τοῖς τυράννοις τὴν κάθοδον, καὶ διὰ ταῦτα ἐξελαθεὶς αὐτὸς ἐκ τῆς πατρίδος, οὐκ ἐμνησικάκει πρὸς τοὺς ἐκβαλόντας αὐτὸν, οὐδ᾽ ἐπεστράτευε τῇ πόλει τοὺς τυράννους ἐπαγόμενος, οὐδ᾽ ἐποίει τεκμήρια τῶν διαβολῶν τὰ ἔργα, ἀλλ᾽ εἰς τὴν μητρόπολιν ἡμῶν Λαουΐνιον ἀπελθὼν, ἐκεῖ πάντα τὸν λοιπὸν ἐβίω χρόνον, εὔνους ὢν τῇ πατρίδι καὶ φίλος. Fecit hoc Tarquinius Collatinus (ut domesticum & satis idoneum exemplum adferam) is qui cives cum primis a tyrannide liberavit: deinde ad populum traductus quasi tyrannos in reditu obtinendo juvaret, & ob hoc pulsus e patria, non recondidit iram, nec cum tyrannis arma ingratis civibus intulit, quo facto verisimiliorem fecisset calumniam: sed in veterem nostram patriam Lavinium se contulit, ibique vitæ reliquum exegit, nihilo iniquior patriæ.

Caput virile, quod in nummo est, dei Triumphi esse agnoscitur ex adposito tropæo & adscripto nomine TRIVMPVS. antique sine adspiratione scripto. Utrum Romani sibi, ut plures, hunc fabricaverint Deum, an, sicuti multos ritus & religiones, ab Hetruscis acceperint, incertum est.

Novam, nullique probandam, denarii explicationem dedit Harduinus ad Plinii tom. I. pag. 412. „ Caput senatus, virile, laureatum: retro, tropæum: infra TRIVMPVS. Hic esse caput Triumphi vulgo dictitant: & TRIVMPVS scribi pro TRIVMPHVS. Lege, sodes: TRajani Imperatoris *Victoria Maxima Peperit Vrbi Securitatem.* L. PAPIVS CELSVS III VIR. Lupa facem accensam invertit, ut exstinguat: ex adverso aquila est, Romani imperii symbolum. Romæ, belli facem sive seditionem adversus imperatorem exortam, ab eo feliciter exstinctam docet. „ Hæc ille. Facem vero inversam nequaquam lupa tenet, sed lignum sive fomitem aridum, ut adjiciat aliis, ante aquilam stantem congestis, qui quinque inter se similes numerari in meis, optime servatis, possunt, ita ut qui proximus aquilæ est jam flammam conceperit. Nota vero lupum a Dionysio generatim dici, quæ lupa esse ex denariis colligitur.

II.

Caput Junonis Lanuvinæ caprina pelle tectum.

Lucius PAPIVS CELSVS III VIR. Lupæ typus cum aquila, ut supra.

Quæri posset, cur vulpis, cujus mentionem facit Dionysius, in hisce denariis quoque adposita non sit. Respondeo, non tantum excludi illam nummi spatio, sed inprimis, sufficere potentius illud ostentum quod prævaluerat, quum irrito successu vulpecula coacta fuerit discedere. Juno Lanuvina nota est, & respicere videtur ad Lanuvium urbem, originem gentis Papiæ. L. Papius IIIVIR, qui denarios hos cudit, idem esse videtur ille, qui sequentes signavit, licet nomen dignitatis non adponatur.

III.

Caput Junonis Sospitæ, sive Lanuvinæ, caprina pelle tectum, retro quod galea cernitur, comata atque loris suis, ut sub mento colligatur, instructa; nummum ambit corolla.

Lucius PAPI*us*. Gryphus, in corolla, cum impetu latus; sub illo similis galea est; quæ signum monetarii fuisse videtur.

Lucius Papius, qui omnes hosce denarios cudit, ex quibus, qui gryphum habent, omnes serrati sunt, statui potest, fuisse (ut volunt) filius C. Papii, tribuni plebis A. V. C. DCXCVIII. per gryphum tamen præturam ejus patrisve urbanam, de qua nihil apud historicos, denotari, haud concesserim; ut scilicet gryphus ludorum Apollinarium possit esse typus. Ego per gryphum curam monetæ & ærarii exprimi posse puto, & aptissime a triumviro monetali, ut symbolum dignitatis suæ, signari gryphum, cujus monstri famosa apud scriptores & poëtas inprimis auri atque argenti est custodia. Pompon. Mela lib. II. cap. 1. *Deinde est regio ditis admodum soli, inhabitabilis tamen: quia gryphi, sævum & pertinax ferarum genus, aurum terra penitus egestum, mire amant mireque custodiunt, & sunt infesti adtingentibus.* Idem lib. III. cap. 7. *Alit formicas non minus maximas canibus: quas, more gryphorum, aurum penitus egestum, cum summa pernicie adtingentium custodire commemorant.*

IV.

Caput Junonis Sospitæ, ut supra, post illud est tabella inscripta PAPI.

Lucius PAPI*us*. Gryphus, ut supra, infra pedes scrinii genus est.

Literæ PAPI. sine dubio PAPIA. integre legi debent, atque legem Papiam designant, cujus, ut tabellæ inscriptæ, mentio hic fit, sicuti aliarum legum in Fam. Cassia, Cœlia, & Porcia; idque fit ad decus familiæ, prouti notat Tacitus Annal. lib. I. cap. 8. inter reliquos insignes honores, ad funus maximi principis honestandum, *ut legum latarum tituli, victarum ob eo gentium vocabula anteferrentur* censuisse L. Arruntium refert. Lex itaque Papia, id est a tribuno plebis Papio lata, hic designatur. Papiæ vero leges (extra Papiam Poppæam, quæ huc nihil spectat) duæ fuerunt, a diversis tribunis plebis latæ. Prima lata fuit a tribuno plebis Papio circa A. V. C. DIV. dictaque fuit lex Papia de Vestalibus, cujus mentio fit apud Gellium lib. I. cap. 12. *Sed Papiam legem invenimus, qua cavetur, ut pontificis maximi arbitratu viginti e populo virgines legantur, sortitioque in concione ex eo numero fiat.* Qua lege sacerdotium Vestale plebi fuit communicatum, data pontifici maximo potestate e populo virgines legendi: Sed hanc legis Papiæ lectionem atque sortitionem sustulisse quodammodo videtur lex Popillia, quam mox subjicit idem Gellius; *Sed ea sortitio ex lege Papia non necessaria nunc videri solet. Nam si quis honesto loco natus adeat pontificem maximum, atque offerat ad sacerdotium filiam suam, cujus dumtaxat, salvis religionum observationibus, ratio haberi possit, gratia Popilliæ legis per senatum fit.* Augusti tamen temporibus obtinuisse adhuc docet Sueton. cap. XXXI. *Sacerdotum & numerum & dignitatem, sed & commoda, auxit, præcipue Vestalium virginum; quumque in demortuæ locum aliam capi oporteret, ambirentque multi, ne filias in sortem darent &c.* Lex altera Papia de peregrinis urbe pellendis fuit, lata a C. Papio, hujus Lucii Papii patre, ut videtur, tribuno plebis A. V. C. DCLXXXVIII. Quam legem sugillat Cicero lib. III. de Off. cap. 11. *Male etiam qui peregrinos urbibus uti prohibent, eosque exterminant, ut Pennus apud patres nostros, Papius nuper. Nam esse pro cive, qui civis non sit, rectum est non licere: quam tulerunt legem sapientissimi consules, Crassus & Scævola: usu vero urbis prohibere peregrinos, sane inhumanum est.* Illum tribunum Cajum Papium adpellat Dio, qui, cur ita ipsi agendum visum fuerit, explicat lib. XXXVII. p. 37. Καὶ τούτῳ πάντες οἱ ἐν τῇ Ῥώμῃ διατρίβοντες, πλὴν τῶν τὴν νῦν Ἰταλίαν οἰκούντων, ἐξέπεσον, Γαΐου τινὸς Παπίου δη-

δημάρχου γνώμῃ, ἐπειδὴ ἐπεπόλαζον, καὶ οὐκ ἐδόκουν ἐπιτήδειοι σφίσιν εἶναι συνοικεῖν. *Interim omnes qui Romæ commorabantur peregrini, exceptis iis qui eam quæ nunc vocatur Italia incolunt, civitate pulsi sunt: lata ad hoc lege a Caio quodam Papio tribuno plebis, qui eos per urbem vagari cernens, non idoneos esse judicabat qui cum Romanis habitarent.*

Quam ex his legibus hæc tabella respiciat, solide adfirmari non potest, recentior erat lata posteriore tempore a C. Papio, honestior pristina illa de Vestalibus. An, quoniam utraque a Papiis lata fuit, utramque respexit triumvir monetalis Lucius Papius?

Litera A.

Caput idem Junonis Sospitæ; post illud scrinii genus est.

Lucius PAPI*us*. Gryphus, ut supra. Sub illo stilus esse videtur, sive calamus scriptorius.

Stilus ad legis exarationem, scrinium respicere potest ad custodiam ejusdem.

Litera B.

Caput idem Junonis Sospitæ cum galea cristata.

Lucius PAPI*us*. Gryphus similis. Subtus sunt ancilia.

Ad Salios & summi sacerdotis curam pertinent ancilia; sed quum tot notæ monetales in Papiæ gentis nummis occurrant, etiam hæc una illarum esse videtur.

Litera C.

Caput idem Junonis Sospitæ.

Lucius PAPI*us*. Typus idem, sine adit a monetarii aliqua nota.

V.

CELSVS. Caput Mercurii cum petaso, sive pileo alato & caduceo.

Lucius PAPI*us*. Lyra.

Sæpe deos, qui in patria cujusque urbe colebantur, in denariis suis expresserunt Romani. Cultum itaque Lanuvii fuisse Mercurium putat Vaillantius. Potuit idem fieri Lavinii, præsertim quum caduceus Mercurio sit proprius, & Timæus sacra illa Lavinii venerabilia vocat Κηρύκια σιδηρᾶ καὶ χαλκᾶ, ubi de diis illis Penatibus loquitur, de quibus integrum inspicere Dionysii Halicarnassei locum operæ pretium est. Exstat, una cum Timæi testimonio. lib. I. pag. 54. Ἐν δὲ τῇ κτίσει τῆς πόλεως θαῦμα μέγα λέγεται γενέσθαι. κατασκευασθέντος γὰρ τοῖς ἕδεσι τῶν θεῶν, οὓς Αἰνείας ἐκ τῆς Τρωάδος ἠνέγκατο, καὶ καθίδρυσεν ἐν τῷ Λαουινίῳ, ναοῦ, χωρίον ἔχοντος ἄβατον, καὶ τῶν ἱδρυμάτων ἐκ τοῦ Λαουινίου κομισθέντων ἐκ τοῦ νεὼ εἰς τοῦτον τὸν μυχὸν, εἰς τὴν ἐπιοῦσαν νύκτα κεκλεισμένων τέως μάλιστα τῶν θυρῶν, καὶ οὐδὲν παθόντων οὔτε περιβόλων, οὔτε ὀροφῶν, διαμείψαντα τὰ βρέτη τὴν στάσιν, ἐπὶ τῶν ἀρχαίων εὑρεθῆναι κείμενα βάθρων· μετακομισθέντα δὲ αὖθις ἐκ τοῦ Λαουινίου σὺν ἱκετείαις καὶ θυσίαις ἀρεστηρίοις, εἰς τὸ αὐτὸ χωρίον ὁμοίως ἀνελθεῖν. Τοὺς δὲ ἀνθρώπους, τέως μὲν ἀπορεῖν ὅτι χρήσονται τοῖς πράγμασιν, οὔτε δίχα τῶν πατρῴων θεῶν κατοικεῖν ἀξιοῦντας, οὔτε ἐπὶ τὴν ἐκλειφθεῖσαν οἴκησιν αὖθις ἀναστρέφειν. τελευτῶντας δὲ γνώμην εὑρέσθαι, ἣ ἔμελλεν ἀποχρώντως πρὸς ἀμφότερα ἕξειν· τὰ μὲν ἕδη κατὰ χώραν ἐᾶσαι μένειν, ἄνδρας δὲ τοὺς ἐπιμεληθησομένους αὐτῶν ἐκ τῆς Ἄλβας εἰς τὸ Λαουίνιον αὖθις ἐποίκους μεταγαγεῖν. καὶ ἐγένοντο οἱ πεμφθέντες ἑξακόσιοι μελεδωνοὶ τῶν ἱερῶν, αὐτοῖς μετανασάντες ἐφεστίοις· ἡγεμὼν δ' ἐπ' αὐτοὺς ἐτάχθη Αἴγεστος. τοὺς δὲ θεοὺς τούτους Ῥωμαῖοι μὲν Πενάτας καλοῦσιν· οἱ δ' ἐξερμηνεύοντες εἰς τὴν Ἑλλάδα γλῶσσαν τοὔνομα, οἱ μὲν Πατρῴους ἀποφαίνουσιν, οἱ δὲ Γενεθλίους· εἰσὶ δ' οἳ Κτησίους, ἄλλοι δὲ Μυχίους, οἱ δὲ Ἑρκίους. ἔοικε δὲ τούτων ἕκαστος κατά τινος τῶν συμβεβηκότων αὐτοῖς ποιεῖσθαι τὴν ἐπίκλησιν· κινδυνεύουσί τε οὐ τὸ αὐτὸ πάντες, ὅμως γέ πως τὸ αὐτὸ λέγειν. σχήματος δὲ καὶ μορφῆς αὐτῶν πέρι Τίμαιος μὲν ὁ συγγραφεὺς ὧδε ἀποφαίνεται· κηρύκια σιδηρᾶ καὶ χαλκᾶ, καὶ κέραμον Τρωϊκὸν εἶναι, τὰ ἐν τοῖς ἀδύτοις τοῖς ἐν Λαουινίῳ κείμενα ἱερά· πυθέσθαι δὲ αὐτὸς ταῦτα παρὰ τῶν ἐπιχωρίων. *Dum autem conderetur, accidisse ferunt mirum prodigium. Nam cum simulacris deorum, quos Æneas a Troja devectos Lavinii collocaverat, templum exstructum esset cum adyto, & statuæ e Laviniate templo in hæc penetralia translatæ; sequenti nocte, clausis ut cum maxime foribus, & inviolatis tecto simul atque parietibus, simulacra mutata statione in pristinas bases transisse reperta sunt: denuoque Lavinio cum votis & sacrificiorum placaminibus transportata, in eundem locum rursus, ut ante, sunt reversa. Dubitatum est diu, quidnam facto opus esset, quum neque sine diis patriis habitandum censerent, neque in semel relictas sedes remigrandum. tandem placuit sententia, quæ & religioni deorum, & utilitati hominum satisfaceret. visum enim est simulacra suo loco sinere, & viros qui sacrorum curam gererent ex Alba ad Lavinium incolendum reducere. fuerunt hi sexcenti numero, commigraruntque illo cum totis familiis duce Ægesto. Hos deos Romani Penates vocant; Græci vario modo conati significationem reddere, alii* Πατρῴους, *alii* Γενεθλίους, *quidam* Κτησίους, *quidam* Μυχίους, *nonnulli* Ἑρκίους, *appellarunt. quarum appellationum singulæ, aliquam eorum proprietatem exprimere voluisse videntur: fierique potest, ut, licet non eodem modo, idem tamen omnes aliquatenus significent. Eorum effigiem atque habitum Timæus describit in hunc modum: sacra in Laviniatum adytis reposita, esse caducea ferrea & ærea, Trojanamque testam fictilem: idque se cognovisse ait ex ipsis civibus.* Hisce, ut diis patriis, sacra facere reges Romani solebant, illuc profecti, ut in cæde Tatii regis, quæ ibi accidit, docet idem Dionys. lib. II. pag. 115. Χρόνου δὲ οὐ πολλοῦ διελθόντος, ὡς μέν τινές φασιν, ἅμα Ῥωμύλῳ παραγενόμενος εἰς τὸ Λαβίνιον ἕνεκα θυσίας ἣν ἔδει τοῖς πατρῴοις θεοῖς ὑπὲρ τῆς πόλεως θῦσαι τοὺς βασιλεῖς, συστάντων ἐπ' αὐτὸν τῶν ἑταίρων τε καὶ γένει προσηκόντων τοῖς ἀνῃρημένοις πρέσβεσιν, ἐπὶ τῷ βωμῷ ταῖς μαγειρικαῖς σφαγίσι καὶ τοῖς βουπόροις ὀβελοῖς παιόμενος ἀποθνήσκει· *Non multo post, cum Romulo (ut ferunt nonnulli) profectus Lavinium sacrorum caussa, quæ reges oportebat diis patriis pro salute urbis facere, coortis in eum cæsorum legatorum amicis ac cognatis, ante aram cultrorum & veruum ictibus confectus est.*

VI.

Caput Victoriæ cum humeris alatis.

Lucius PAPIVS CELSVS. Virgo Lanuvina draconem pascens.

De hoc typo vide denarios Fam. Rosciæ. Victoria Romanæ reipublicæ decus spectare videtur. Nota interim duos hosce nummulos quinarios esse; quos alii ante Morellium tanquam denarios designarunt. Nota quoque ex gente Papia fuisse T. Annium Milonem, qui, antequam adoptione in gentem Anniam, maternam, transiret, dictus fuit C. Papius. Hujus adoptionis respectu *tria patrimonia* illum in populi gratiam *effudisse* As-

co-

conius dicit ad initium Orationis Ciceronis pro Milone; ipse vero Cicero pro Milone, cap. XXXV. *tribus suis patrimoniis* deliniisse, spectaculis videlicet, munere gladiatorio, &c. Adoptionem illam Milonis & gentem veterem nos docet Asconius in cap. idem Cic. pag. 1895. edit. Gron. *Puto jam supra esse dictum, Milonem fuisse ex familia Papia, deinde adoptatum fuisse a C. Annio, avo suo materno.* Ubi scribendum videtur *Tito Annio.* Antea enim C. Papius dictus, postea dici cœpit T. Annius Milo Papianus. Ex eadem Ciceronis Miloniana docemur gentem Papiam Lanuvio fuisse oriundam. Cap. X. *Interim cum sciret Clodius (neque enim erat difficile scire) iter solemne, legitimum, necessarium, ante diem XIII. Kal. Feb. Miloni esse Lanuvium, ad flaminem prodendum, quod erat dictator Lanuvii Milo* &c. Adludens eodem Silius Italicus cecinit lib. XIII. versu 364.

Lanuvio generate, inquit, *quem Sospita Juno*
Dat nobis, Milo.

Fuerunt itaque forsitan fratres vel patrueles T. Annius Milo Papianus ille, Ciceronis oratione & cæde Clodii celeberrimus, & noster triumvir monetalis Lucius Papius.

TAB. II.

I.

Caput idem Junonis Sospitæ, post illud lituus est.

Lucius PAPI*us*. Gryphus ut supra. Sub illo caput est Medusæ.

Omnes hæ notæ esse videnter matricum & monetariorum, quæ, quamvis nihil ad historiam faciant, tamen a Gorlæo, Morellioque nostro & aliis, expressa sunt, quoniam figuras multarum rerum antiquas continent.

II.

Caput idem Junonis Sospitæ. Post illud aries est currens & respiciens.

Lucius PAPI*us*. Gryphus, ut supra. Sub illo est capricornus.

Habuimus supra in num. II. gentis Oppiæ æreo, simile capricorni signum; forsitan & ibi nota monetalis est.

III.

Caput idem Junonis Sospitæ. Post illud noctua est.

Lucius PAPI*us*. Gryphus, ut supra. Sub illo avicula est.

IV.

Caput idem Junonis Sospitæ: Post illud leonis est caput.

Lucius PAPI*us*. Gryphus, ut supra. Sub grypho leonis itidem est caput.

V.

Caput idem Junonis Sospitæ. Post illud cochlea est.

Lucius PAPI*us* Gryphus, ut supra. Sub grypho apri caput est.

VI.

Caput idem Junonis Sospitæ. Post illud falx incurva est.

Lucius PAPI*us*. Gryphus, ut supra. Sub grypho caput apri vel litui militaris est.

VII.

Caput idem Junonis Sospitæ. Post illud aquila est.

Lucius PAPI*us*. Gryphus, ut supra. Sub grypho fulmen est.

VIII.

Caput idem Junonis Sospitæ. Post illud papilio est.

Lucius PAPI*us*. Gryphus, ut supra. Sub grypho apicula est.

IX.

Caput idem Junonis Sospitæ. Post illud vasculum est.

Lucius PAPI*us*. Gryphus, ut supra. Sub grypho cochlea est.

X.

Caput idem Junonis Sospitæ. Post illud vexillum est.

Lucius PAPI*us*. Gryphus, ut supra. Sub grypho serpens est in spiras erectus.

XI.

Caput idem Junonis Sospitæ. Post illud sella curulis est, vel clathrum.

Lucius PAPI*us*. Gryphus, ut supra. Sub grypho mensæ genus est, vel duo veluti sunt vascula, quibus quid oblongum incumbit.

XII.

Caput idem Junonis Sospitæ. Post illud sigillum est quasi diplomatis.

Lucius PAPI*us* Gryphus, ut supra. Sub grypho biga est sine equis.

XIII.

Caput idem Junonis Sospitæ. Post illud sistrum Ægyptium est.

Lucius PAPI*us*. Gryphus, ut supra. Sub grypho catinus sive lanx est cum frugibus, ad loton Ægyptiam accedentibus.

XIV.

Caput idem Junonis Sospitæ. Post illud instrumentum quoddam fabrile est.

Lucius PAPI*us*. Gryphus, ut supra. Sub grypho instrumentum quoddam aliud fabrile est.

XV.

Caput idem Junonis Sospitæ. Post illud arcus est.

Lucius PAPI*us*. Gryphus, ut supra. Sub grypho anchora est.

XVI.

Caput idem Junonis Sospitæ. Post illud luna crescens est.

Lucius PAPI*us*. Gryphus, ut supra. Sub grypho lauri ramus est cum stella, ut videtur.

XVII.

Caput idem Junonis Sospitæ. Post illud quid quasi tripus est.

Lucius PAPI*us*. Gryphus, ut supra. Sub grypho clavæ vel litui quoddam genus est.

XVIII.

Caput idem Junonis Sospitæ. Post illud nescio quid instar sartaginis est.

Lucius PAPI*us*. Gryphus, ut supra. Sub grypho est aliquid discrepans a priore; sed quoque instar sartaginis, vel cochlearis.

XIX.

Caput idem Junonis Sospitæ. Post illud lyra est

Lucius PAPI*us*. Gryphus, ut supra. Sub grypho vasculi genus est.

XX.

Caput idem Junonis Sospitæ. Post illud lyra est.

Lucius PAPI*us*. Gryphus, ut ſupra. Sub grypho arcus & pharetra eſt.

XXI.

Caput idem Junonis Soſpitæ. Poſt illud palmæ ramus eſt.

Lucius PAPI*us*. Gryphus, ut ſupra. Sub grypho quid quaſi flagellum eſt.

XXII.

Caput idem Junonis Soſpitæ. Poſt oblongum quid quaſi decempeda eſt.

Lucius PAPI*us*. Gryphus, ut ſupra. Sub grypho manus expanſa eſt.

XXIII.

Caput idem Junonis Soſpitæ. Poſt illud pes humanus cum annulo, veluti votivus, eſt.

Lucius PAPI*us*. Gryphus, ut ſupra Sub grypho itidem pes humanus eſt.

XXIV.

Caput idem Junonis Soſpitæ. Poſt illud ſpiculum eſt.

Lucius PAPI*us*. Gryphus, ut ſupra. Sub grypho pes humanus eſt cum corrigiis.

XXV. & XXVI.

Caput idem Junonis Soſpitæ. Poſt illud quid oblongum quaſi cochleare eſt, in altero ara.

Lucius PAPI*us*. Gryphus, ut ſupra. Sub grypho in priore tridens, in poſteriore clavis eſt annularis.

XXVII.

Caput idem Junonis Soſpitæ. Poſt neſcio quid oblongum eſt.

Lucius PAPI*us*. Gryphus, ut ſupra. Sub grypho oblongum quid eſt, quod theca graphiaria eſſe poteſt.

XXVIII.

Caput idem Junonis Soſpitæ. Poſt palmæ ramus eſt.

Lucius PAPI*us*. Gryphus, ut ſupra. Sub grypho corolla laurea eſt.

XXIX.

Caput idem Junonis Soſpitæ. Poſt gubernaculum navis eſt.

Lucius PAPI*us*. Gryphus, ut ſupra. Sub grypho ſecuris eſt.

XXX.

Caput idem Junonis Soſpitæ. Poſt gubernaculum navis eſt.

Lucius PAPI*us*. Gryphus, ut ſupra. Sub grypho anchora eſt.

XXXI.

Caput idem Junonis Soſpitæ. Poſt olla pendula eſt.

Lucius PAPI*us*. Gryphus, ut ſupra. Sub grypho lagena eſt.

XXXII.

Caput idem Junonis Soſpitæ. Poſt eſt lagena fundo plano.

Lucius PAPI*us*. Gryphus, ut ſupra. Sub grypho lagena tripes eſt.

XXXIII.

Caput idem Junonis Soſpitæ. Poſt eſt ignotum quid.

Lucius PAPI*us*. Gryphus, ut ſupra. Sub grypho ignotum quid eſt.

XXXIV.

Caput idem Junonis Soſpitæ. Poſt olla pendula eſt.

Lucius PAPI*us*. Gryphus, ut ſupra. Sub grypho gubernaculum navis eſſe videtur.

XXXV.

Caput idem Junonis Soſpitæ. Poſt vaſculi genus eſt, vel olla tecta.

Lucius PAPI*us*. Gryphus, ut ſupra. Sub grypho quid tripodis inſtar eſt vel tridentis.

XXXVI.

Caput idem Junonis Soſpitæ. Poſt calix eſt.

Lucius PAPI*us*. Gryphus, ut ſupra. Nihil eſt ſub grypho.

XXXVII.

Caput idem Junonis Soſpitæ. Poſt vaſis oblongi genus eſt.

Lucius PAPI*us*. Gryphus, ut ſupra. Sub grypho aliquid eſt inſtar incudis.

XXXVIII.

Caput idem Junonis Soſpitæ. Poſt eſt columnæ capitellum.

Lucius PAPI*us*. Gryphus, ut ſupra. Sub grypho aliud columnæ capitellum eſt.

XXXIX.

Caput idem Junonis Soſpitæ. Poſt eſt vas utrimque anſatum.

Lucius PAPI*us*. Gryphus, ut ſupra. Sub grypho ſartaginis quid inſtar eſt.

XL.

Caput idem Junonis Soſpitæ. Poſt unci genus eſt.

Lucius PAPI*us*. Gryphus, ut ſupra. Sub grypho eſt calix.

XLI.

Caput idem Junonis Soſpitæ. Poſt ſportula eſt.

Lucius PAPI*us*. Gryphus, ut ſupra. Sub grypho ſcrinium eſſe videtur.

XLII.

Caput idem Junonis Soſpitæ. Poſt clavæ vel mallei genus eſt ad popas pertinens.

Lucius PAPI*us*. Gryphus, ut ſupra. Sub grypho eſt culter victimarius.

XLIII.

Caput idem Junonis Soſpitæ. Poſt culter eſt.

Lucius PAPI*us*. Gryphus, ut ſupra. Sub grypho eſt vaſculi rotundi genus.

XLIV.

Caput idem Junonis Soſpitæ. Poſt eſt aliquid oblongum.

Lucius PAPI*us*. Gryphus, ut ſupra. Sub grypho malleus eſt.

XLV.

Caput idem Junonis Soſpitæ. Poſt concha ſtriata eſt.

Lucius PAPI*us*. Gryphus, ut ſupra. Sub grypho concha peloridis eſt.

XLVI.

Caput idem Junonis Soſpitæ. Poſt cornu eſt.

Lucius PAPI*us*. Gryphus, ut ſupra. Sub grypho eſt flagellum.

XLVII.

Caput idem Junonis Soſpitæ. Poſt vexillum eſt, ut videtur.

Lucius PAPI*us*. Gryphus, ut ſupra. Sub grypho eſt lanceæ cuſpis.

XLVIII.

Caput idem Junonis Soſpitæ. Poſt eſt lanceæ, ut videtur, cuſpis.

Lucius PAPI*us*. Gryphus, ut ſupra. Sub grypho aliquid eſt incognitum.

XLIX.

Caput idem Junonis Soſpitæ. Poſt illud triangulus eſt.

Lucius PAPI*us*. Gryphus, ut ſupra. Sub grypho cornucopiæ eſt.

L.

Caput idem Junonis Soſpitæ. Poſt illud papaver vel malum punicum eſt.

Lucius

Lucius PAPI*us*. Gryphus, ut fupra. Sub grypho itidem papaver eft vel malum punicum.

L I.

Caput idem Junonis Sofpitæ. Poft aliquid incognitum eft.

Lucius PAPI*us*. Gryphus, ut fupra. Sub grypho fecuris eft.

L II.

Caput idem Junonis Sofpitæ. Poft illud terebra eft.

Lucius PAPI*us*. Gryphus, ut fupra. Sub grypho eft inftrumentum quoddam fabrile.

L III.

Caput idem Junonis Sofpitæ. Poft illud cochlea eft.

Lucius PAPI*us*. Gryphus, ut fupra. Sub grypho eft concha ftriata.

L IV.

Caput idem Junonis Sofpitæ. Nihil poft caput eft.

Lucius PAPI*us*. Gryphus, ut fupra. Nihil quoque fub grypho eft.

Ex hisce omnibus concludere poffe videor, easdem fere notas a capite & parte illa, ubi gryphus eft, pofitas fuiffe, ut fibi invicem quadrarent matrices; atque ita partes adverfas & averfas LIII. & IX. ad fe invicem pertinuiffe, ut & XLV. & LIII. idque in paucis admodum fuiffe fervatum, in pluribus neglectum. Sed & ego duos habeo, quorum alter in parte priore habet ftrigilem, in pofteriore forficem; alter in parte priore exhibet cancrum, in pofteriore, figilli genus, qualia funt plumbea illa, quæ pannis laneis adfigi hodie folent. Vidi & alium qui a priore parte haberet vitis folium, a pofteriore uvarum racemum. Unde patet immenfam vim horum denariorum a Papio cufam fuiffe. Sunt vero omnes ferrati.

PAPIRIA.

Gens Papiria, duplex fuit, patricia minorum gentium & plebeja, ex plebeja fuperfunt nummi Papiriorum cum cognomine Carbonis & Turdi. Ciceronis epiftola ad Pætum lib. Fam. IX. ep. 21. cujus verba jam adduxit Urfinus, egregie familias hujus gentis illuftrant. *Sed tamen*, inquit, *mi Pæte, quid tibi venit in mentem negare Papirium quemquam unquam nifi plebejum fuiffe? Fuerunt enim patricii minorum gentium, quorum princeps L. Papirius Mugillanus, qui conful cum L. Sempronio Atratino fuit, cum ante cenfor cum eodem fuiffet, annis poft Romam conditam CCCXII. fed tum Papifii dicebamini: poft hunc XIII. fuerunt fella curuli ante L. Papirium Craffum, qui primus Papifius eft vocari defitus. &c. Hunc fequutus eft Curfor, homo valde honoratus; deinde L. Maffo Ædilicius: inde multi Maffones: &c. deinde Carbones & Turdi infequuntur: hi plebeji fuerunt &c.*

I.

Caput Romæ galeatum; poft illud ramulus lauri eft.

Marcus CARBO. ROMA. Jupiter in citis quadrigis, dextra fulmen tenet, læva equorum habenas.

Marci hujus Carbonis meminit Cicero epiftola modo adducta, atque ibi omnes fui temporis Carbones fugillat. Ubi enim dixit: *Deinde Carbones & Turdi fequuntur, quos contemnas cenfeo.* Mox fubjungit: *Nam præter hunc C. Carbonem, quem Damafippus occidit, civis e republica Carbonum nemo fuit. Cognovimus C. Carbonem, & ejus fratrem fcurram. Quid his improbius. De hoc amico meo, Rubriæ filio, nihil dico. Tres illi fratres fuere, C. Cn. M. Carbones. Marcus, P. Flacco accufante, condemnatus, fur magnus ex Sicilia. Cajus, accufante L. Craffo, cantharidas fumfiffe dicitur; is & tribunus plebis feditiofus, & P. Africano vim adtuliffe exiftimatus eft. Hoc vero, qui Lilybæi a Pompejo noftro eft interfectus, improbior nemo, meo judicio, fuit. Jam pater ejus, accufatus a M. Antonio, futorio atramento abfolutus putatur. Quare ad patres cenfeo revertare; plebeji quam fuerint importuni vides.* Fuerunt itaque C. Cn. & M. Carbones fratres. Ex hisce qui natu minor, M. Carbo, hunc & fequentem denarium fignavit eo tempore, quo triumvir fuit monetalis, vel quæftor urbanus.

Ad majorem verborum Ciceronis illuftrationem, atque familiæ Carbonum, quæ paffim confundi folet, pauca fubjiciam. Carbones octo commemorat Cicero, duos ex illis non nominat, reliquorum ponit nomina. Primus eft C. Carbo prætorius a Marianis, una cum Q. Scævola pontifice maximo aliisque interemtus A.V.C.DCLXXI. Hic ftetit a partibus optimatium & republica, videturque fuiffe filius C. Carbonis, a L. Craffo oratore damnati, uti recte opinatur Pighius tom. III. pag. 247. Arvinam adpellat Valerius Maximus lib. IX. cap. II. ex 3. *Carbonisque Arvinæ truncum corpus patibulo adfixum geftatum eft.* Eft itaque is C. Carbo eloquentis illius, & Ti. Gracchi focii, C. Carbonis, filius, de quo in Bruto cap. 62. *In eodem igitur numero ejusdem ætatis C. Carbo fuit, illius eloquentiffimi viri filius, non fatis acutus orator, fed tamen orator numeratus eft.* Hunc indigitans quoque in Oratore cap. LXIII. fic loquitur: *Me ftante C. Carbo, C. F. tribunus plebis, in concione dixit his verbis* &c. C. Carbo fecundus M. Carbonis filius fuiffe videtur. Fratrem ejusdem, Rubriæ filium, ob amicitiam non nominat. Deinde vero ad altiora tempora, quibus ipfe non interfuerat, adfcendens, tres fratres, magnos nebulones commemorat, Cajum, Cneum, & Marcum Carbones. Ex hisce Cajus ille, natu maximus, pater C. Carbonis illius qui civis e rep. fuerat, exftitit. Duorum Carbonum, Caji hujus, & Marci, a quo denarii noftri cufi funt, fata non mitia, fed pro meritis commemorat. Cnei, fratris medii, expreffe vituperium non indicat, fed ex fequentibus colligi poteft. Pater enim exftitit Cn. Carbonis, quem Lilybæi interfecit Pompejus; eft itaque is, qui accufatus a M. Antonio, futorio atramento abfolutus putatur.

Stemma itaque Papiriorum Carbonum, circa Ciceronis tempora, & paullo ante, fic conftituo.

FAMILIA PAPIRIA.

C. PAPIRIUS CARBO

Prætor Sardiniæ A. V. C. DLXXXV. teste Livio lib. XLIV. cap. 17. Huic tres filii fuisse videntur illi a M. Tullio Cicerone commemorati.

C. CARBO C. F. C. N.
Summus ille orator, & Ti. Gracchi amicus, in morte Scipionis Africani suspectus, turbulentus tr. pl. A. V. C. DCXXII. cos. A. V. C. DCXXXIII. aliquanto post a L. Licinio Crasso in jus vocatus, cantharidas sumsisse dicitur, atque ita damnationem prævenisse.

C. CARBO C. F. C. N. C. PRON.
Qui a Val. Max. ARVINA cognominatur; orator satis argutus, in Gallias consulem L. Antonium secutus est, ut illum patris sui accusatorem ibi observaret. In Curia A. V. C. DCLXXI. a Damasippo & Marianis cæsus est. Hunc unum ex Carbonibus, civem e rep. fuisse dicit Tullius, qui illum ut tribunum plebis A. V. C. DCLXII. audivit contra M. Drusum perorantem. Quum cæsus fuit hic Carbo, Tullius natus erat annos XXV. ergo annos XVI. habuit, quum C. Carbonem contra M. Drusum invectum audiret.

CN. CARBO C. F. C. N.
Tr. pl. A. V. C. DCXXIX. & cos. A. V. C. DCXL. a Cimbris victus atque exercitu exutus est. Accusatus a M. Antonio, sutorio atramento (ut dicit Cicero) absolutus putatur.

CN. CARBO CN. F. C. N. C. PRON. ter cos. dux partium Marianarum, a Cneo Pompejo Magno Lilybæi in Sicilia cæsus est.

C. CARBO CN F. C. N. C. PRON. is, quum contra Sullam pro fratre duceret exercitum, ab eodem, severiorem ejus disciplinam non ferente, fuit interfectus, teste Val. Max. IX. VIII. 3.

M. CARBO C. F. C. N.
Quæst. prov. ut creditur A. V. C. DCLXII. tr. pl. fuit A. V. C. DCLXVII. & DCLXVIII. a Cicerone fur magnus ex Sicilia vocatur, atque, P. Flacco accusante, damnatus fuit. Hic est, qui denarios hos signavit.

C. CARBO, quem se novisse Cicero dicit, accusato & damnato repetundarum M. Aurelio Cotta, in ejusdem provinciam Bithyniam profectus, nihilo temperantius sese gessit, & a Cottæ filio accusatus, pariter damnatus fuit. Dio. Cass. lib. XXXVI.

& frater ejus scurra, Rubriæ filius, qui forte Marcus dictus fuit.
Hos enim credo Marci filios fuisse, quamvis non negem eos unum ex Cajis patrem habere potuisse.

Ex hac Carbonum genealogia patet, ut aliorum errores taceam, falsum esse, quod scribitur apud Vell. Paterculum lib. II. cap. 26. C. Carbonem prætorium, a Damasippo in curia interfectum, fratrem fuisse consulis Cn. Carbonis, hic enim Cneum patrem, ille Cajum habuit, sed patrueles fuerunt. Confundit quoque Vaillantius Cajos patrem & filium, dum Cajum, qui A. V. C. DCLXII. tr. pl. fuit, accusatum a L. Crasso cantharidas sumsisse putat, quod accidit patri ejus, viro consulari, ipse vero a Marianis & Damasippo sit interfectus.

II.

Caput Romæ galeatum, cum denarii nota.

CARB*o*. ROMA. Jupiter in citis quadrigis, dextra tenens fulmen, læva equorum habenas.

Ad eundem M. Carbonem pertinet, abest vero lauri ramusculus, & prænomen Carbonis. Cusi sunt in quæstura ejusdem urbana, vel triumviratu monetali.

III.

ΝΙΚΑΙΕΩΝ. *Nicæensium*, Cantharus utrimque ansatus, juxta quem aliquod monogramma est, & inscripta æra ΒΚΣ. *anno* CCXXII.

ΕΠΙ ΓΑΙΟΥ ΠΑΠΙΡΙΟΥ ΚΑΡΒΩΝΟΣ. *Sub Cajo Papirio Carbone.* Clava inversa, cujus tenuior pars in caduceum desinit.

Explicat horum nummorum æram, & ad quem Carbonem pertineant, Morellius de Numm. Consular. p. 200. „ In Familia PAPIRIA duo sunt „ nummi Græci, quibus quatuor adhuc alios in Opere meo additurus sum cum literis numeralibus „ ΔΚΣ, annos CCXXIV. exprimentibus. Quis „ autem in iis occurrens C. Papirius Carbo fuerit, exponit Dio Lib. XXXVI. ille Bithyniam tenuit A. V. C. circiter DCXCIX. & „ quidem annis aliquot, postquam M. Cottam „ accusasset, a cujus filio patrem ulturo, ipse postea fuit accusatus: inquirendum nunc, quo „ anno inceperit hæc Bithyniæ epocha: hoc „ colligere datur ex nummis Gentis VIBIÆ, in „ quorum duobus ΝΙΚΟΜΗΔΕΩΝ legitur, circum „ caput Cybeles turritum, & ab aversa parte „ aquila fulmini insistit, cum hac inscriptione: „ ΕΠΙ ΓΑΙΟΥ ΟΥΙΒΙΟΥ ΠΑΝΣΑ, quibus literæ „ ΒΛΣ. additæ, annum CCXXXII. denotantes. In alio tertio caput Julii Cæsaris exprimitur cum iisdem inscriptionibus. At hi nummi cudi non potuerunt ante Bithyniæ recuperationem, quæ facta est A. V. C. CCCVII. cum „ Julius Cæsar VENIT, VIDIT, & Pharnacem „ VICIT. Inde si CCXXXII. annos retrogradimur, incidimus in A. V. C. CDLXXV. „ sed quia hæc victoria exeunte demum anno „ parta est, certior statuitur retrogressus ab anno sequenti V. C. DCCVIII. quo facto, epocha inciperet A. V. C. CDLXXVI. & hoc „ anno Nicomedes fratrem Zipœtum auxilio „ Gallorum vicit, Bithyniaque omnis in ejus ditionem concessit: Galli tamen regnum cum „ Nicomede dividentes regionem a se possessam „ Gallo-Græciam cognominaverunt. Caput autem Julii Cæsaris in nummo expressum sine dubio indicat, cusum illum fuisse eodem anno, „ quo

„ quo senatus monetam Julii Cæsaris imagine „ signare decrevit, si non velimus credere adulatores in provinciis Julio Cæsari hunc honorem citius, quam senatum adtribuisse. Memoratum Julii Cæsaris nummum luci publicæ jam exposuit clarissimus Vaillantius in „ suis Græcis Imperatorum numismatibus p. 1. „ sed istud miror, quod illum Pergamenis adscripserit. Probavit hanc Morellianam hujus æræ constitutionem Perizonius, ita scribens in eodem libello p. 281. „ Videtur satis recte „ constituta hæc Bithyniæ epocha. De ipsis „ nummis vide nobiliss. Seguini Epistolam „ de Nummis Pompejanis in extr. & Vaillantium in Familiis, ubi tamen maxima cum incuria officinæ annus, unde illa epocha incipere debeat, editur CCCCLXVI. quum „ fuerit CCCCLXXVI.

Vaillantius certe pag. 208. eandem epocham ponit, ubi in vitiosissima illa editione (quam vir doctus ipse procurare non potuit) scribitur incepisse ab A. V. C. CCCCLXVI. decem annorum errore. Et hoc typorum quidem erratum est, illud vero ipsius Vaillantii, quod credat C. Papirium Carbonem, in his æreis nummis ut Bithyniæ rectorem commemoratum, esse filium illius Caji, qui a Crasso fuit accusatus, insigni sane parachronismo, ut in Carbonum stemmate ostendimus; fuit enim ille interfectus A. V. C. DCLXXI. ergo A. V. C. DCLXXXXVIII. vel DCLXXXXIX. in Bithynia nequaquam versari potuit. Videtur itaque fuisse filius vel C. Carbonis Arvinæ illius, qui in curia fuit interfectus, vel M. Carbonis, qui præcedentes denarios cudit, atque in Cottæ provinciam, damnato eodem profectus, nihilo abstinentiorem sese gessit, unde & a filio ejusdem Cottæ pariter accusatus, damnatus similiter repetundarum fuit. Eleganter hanc rem nos docet Dio Cassius lib. XXXVI. pag. 19. Τοῦ γοῦν Κόττου τοῦ Μάρκου τὸν μὲν ταμίαν Πούπλιον Ὄππιον ἐπί τε δώροις καὶ ἐπὶ ὑποψίᾳ ἐπιβουλῆς ἀποπέμψαντος, αὐτοῦ δὲ πολλὰ ἐκ τῆς Βιθυνίας χρηματισαμένου, Γάϊον Κάρβωνα τὸν κατηγορήσαντα αὐτοῦ τιμαῖς ὑπατικαῖς, καίπερ δεδημαρχηκότα μόνον, ἐσέμνυναν. καὶ οὗτος μὲν τῆς τε Βιθυνίας καὶ αὐτὸς ὕστερον ἄρξας, καὶ μετριώτερον οὐδὲν τοῦ Κόττου πλημμελήσας, ἀντικατηγορήθη ὑπὸ τοῦ υἱέος αὐτοῦ, καὶ ἀνθεάλω. πολλῷ γάρ που ῥᾷον ἄλλοις ἐπιτιμῶσί τινες, ἢ ἑαυτοῖς παραινοῦσι· καὶ προχειρότατά γε ἐφ᾽ οἷς τιμωρίας ἀξίους τοὺς πέλας εἶναι νομίζουσιν, αὐτοὶ ποιοῦσιν. ὥστε μηδεμίαν πίστιν, ἐξ ὧν ἑτέροις ἐγκαλοῦσιν, ὅτι καὶ μισοῦσιν αὐτὰ λαμβάνειν. *Et M. quidem Cotta, quum quæstorem suum P. Oppium, quem donorum acceptorum & insidiarum suspectum habebat, repudiasset, ipse autem magnam vim pecuniæ ex Bithynia corrasisset, a C. Carbone accusatus est. Isque Carbo, etsi præter tribunatum plebis honorem alium nullum gesserat, ob id consularibus honoribus exornatus est. Atque ipse deinde, quum Bithyniam provinciam obtineret, & quum Cotta moderatiorem se non gereret, ab ejus filio vice versa in judicium tractus, reusque peractus est. Longe enim proclivius est alios reprehendere, quam sibi ipsi moderari: facillimeque fit, ut quarum rerum caussa homines pœna dignos alios judicant, has ipsi easdem admittant: ut argumento non sit, propter quas alios accusant, has ipsos odisse.*

Cantharus ad Bacchum spectat, clava ad Herculem, caduceus concordiam denotare potest, quia cultus duorum istorum numinum vigebat Nicææ in Nicomedia, prouti junguntur illorum capita lit. C. vel cultum quoque ibidem Mercurii innuere potest.

Litera A.

ΝΙΚΟΜΗΔΕΩΝ. *Nicomediensium.* Cantharus similis, utrimque ansatus, ad latus aliud est monogramma & æra Δ Κ Σ. *anno* CCXXIV.

ΕΠΙ ΓΑΙΟΥ ΠΑΠΙΡΙΟΥ ΚΑΡΒΩΝΟΣ. *sub Caio Papirio Carbone.* Clava Herculis, ut supra, in caduceum desinens.

IV.

ΝΙΚΟΜΗΔΕΩΝ. *Nicomediensium.* Caput Romæ galeatum.

ΕΠΙ ΓΑΙΟΥ ΠΑΠΙΡΙΟΥ ΚΑΡΒΩΝΟΣ. *Sub Caio Papirio Carbone.* Victoria gradiens cum corolla & palma. Ante pectus est monogramma.

In sequenti adscribitur æra, unde colligere licet, quo anno cusi sint.

Litera B.

ΝΙΚΟΜΗΔΕΩΝ. *Nicomediensium.* Caput Romæ galeatum.

ΕΠΙ ΓΑΙΟΥ ΠΑΠΙΡΙΟΥ ΚΑΡΒΩΝΟΣ. *Sub Caio Papirio Carbone.*

Victoria gradiens, ut supra, dextra tenet cocorollam, læva palmam, ante pectus monogramma est, sub pedibus literæ æram designantis Δ Κ Σ. *anno* CCXXIV.

Uti caput Romæ in his nummis, sic in aliquot sequentibus ipsa Roma Victrix, habitu Amazonis, sedens expressa est. Victoria gradiens, perpetuas Romæ victorias designat, & erat tum gloriosum ejus virtute Cn. Pompeji Magni imperium.

Litera C.

ΝΙΚΟΜΗΔΕΩΝ. *Nicomediensium.* Capita jugata Bacchi barbati & Herculis; caput Bacchi ex corona hederacea agnoscitur.

ΡΩΜΗ. ΕΠΙ ΓΑΙΟΥ ΠΑΠΙΡΙΟΥ ΚΑΡΒΩΝΟΣ. Δ Κ Σ. *Roma. sub Caio Papirio Carbone, anno* CCXXIV. Roma, habitu Amazonis, spoliis insidens, dextra victoriolam tenet, læva hastam. Ante illam est monogramma.

Romæ deæ cultum cum honore numinum suorum antiquorum, Herculis & Bacchi, in hoc nummo conjungunt Nicomedienses. Bacchum non inberbem tantum, sed & barbatum, antiquitas finxit.

Litera D.

ΝΙΚΟΜΗΔΕΩΝ. *Nicomediensium.* Caput Bacchi barbatum, hedera coronatum.

ΡΩΜΗ. ΕΠΙ ΓΑΙΟΥ ΠΑΠΙΡΙΟΥ ΚΑΡΒΩΝΟΣ. Δ Κ Σ. *Roma. sub Caio Papirio Carbone, anno* CCXXIV. Roma sedens, ut supra, ante illam idem monogramma est.

Caput Bacchi barbati esse, non Jovis, ex corona hederacea adparet. Baccho convenit Libera, quæ in duobus sequentibus exstat nummis. Colligitur vero ex æra omnium horum nummorum, per tres annos Bithyniæ, quæ Ponto fere adjecta erat provincia, prorogato imperio præfuisse C. Papirium Carbonem; cui ex Pighio successisse per tres itidem annos P. Silium Nervam docet Vaillantius. De isto P. Silio

lio Nerva loquitur Pighius tom. III. pag. 420. ubi ex M. Tullio Cicerone, Silii tempore proconsule Ciliciæ & Cypri, suam de Silio conjecturam recte defendit. Locus Ciceronis est lib. VI. ad Att. ep. 1. *Thermum*, *Silvium* (scrib. *Silium*, est enim is, de quo loquitur lib. VII. Epist. Fam. ep. 21. & ad quem P. Silium, proprætorem Bithyniæ exstant epistolæ variæ Ciceronis Lib. XIII. ep. 61. 62. 63. 64. 65. ut verissima Pighii sit conjectura) *vere audis laudari. Valde se honeste gerunt.* Continentiæ laude itaque præstitit hic P. Silius Nerva prædecessoribus suis C. Papirio Carbone & M. Aurelio Cotta. Hæc ad A. V. C. DCCII. scribit Pighius. Præfuit itaque proprætore Ponto & Bithyniæ C. Papirius Carbo A. V. C. DCLXXXXIX. DCC. DCCI. & M. Aurelius Cotta A. V. C. DCLXXXXVIII. & uno aut altero forsitan præcedente.

Litera E.

ΝΙΚΑΙΕΩΝ. *Nicæensium.* Caput Liberæ, hedera & baccis coronatum. subtus est æra Δ Κ Σ. *anno* CCXXIV. Sub mento in area est monogramma.

ΡΩΜΗ. ΕΠΙ ΓΑΙΟΥ ΠΑΠΙΡΙΟΥ ΚΑΡΒΩΝΟΣ. *Roma. Sub Caio Papirio Carbone.* Roma, spoliis insidens, dextra victoriolam tenet, læva hastam.

Litera F.

ΒΙΘΥΝΙΕΩΝ. *Bithyniensium.* Caput idem Liberæ hedera & corymbis redimitum.

ΡΩΜΗ. ΕΠΙ ΓΑΙΟΥ ΠΑΠΙΡΙΟΥ ΚΑΡΒΩΝΟΣ. *Roma. Sub Caio Papirio Carbone.* Roma, spoliis insidens, dextra victoriolam tenet, læva hastam.

Litera G.

ΝΙΚΟΜΗΔΕΩΝ. *Nicomediensium.* Caput muliebre, a quo quidem absunt hedera & baccæ, sed quod tamen Liberæ esse videtur.

ΕΠΙ ΓΑΙΟΥ ΠΑΠΙΡΙΟΥ ΚΑΡΒΩΝΟΣ. Δ Κ Σ. *Sub Caio Papirio Carbone, anno* CCXXIV. Diana stolata stans, dextra tenens accensam facem læva arcum.

Dianæ Venatricis & Luciferæ, hæc imago est; videtur autem hoc habitu statua ejus Nicomediæ fuisse. Cusi vero omnes hi nummi sunt in Bithynia, partim Nicomediæ, partim Nicææ, tribus istis annis, quibus proprætore Ponto & Bithyniæ præfuit C. Papirius Carbo, ad quem unum omnes spectant, aliique, quos in suo opere protulit Vaillantius.

V.

AVGVSTVS DIVI *Filius.* Caput Augusti laureatum.

Colonia Immunis IL*lice Augusta Quinto* PAPIR*io* CAR*bone*, *Quinto* TER*entio* MONT*ano* IIVIR*is.* Templum tetrastylum, in cujus peristylio scriptum est IVNONI.

Illice, urbs Hispaniæ Tarraconensis fuit, de qua & nummo hoc consuli potest Vaillantius in lib. de Coloniis tom. I. pag. 53. Templum illud Junonis fuisse inscriptio indicat; duumvir nominatur Q. Papirius Carbo. Prænomen Quinti in nullis Papiriis Carbonibus reperitur, nec in aliis Papiriis, uno Q. Papirio Turdo excepto. Fuit forsitan ex posteritate Marci Papirii Carbonis, in qua antiqua familiæ ejus prænomina Cajus & Cneus mutari cœperunt.

VI.

Caput Jani laureatum & barbatum, cum nota assis inter tempora.

TVRD*us*. ROMA. Prora navis, cum nota assis.

Ex pondere hujus assis, qui duas uncias pendet, colligitur, illum ante bellum Punicum secundum cusum fuisse. Invenitur tribunus plebis fuisse A. V. C. DXV. Q. Papirius Turdus. Pax vero prima cum Pœnis coaluit A. V. C. DXII. post grave XXIII. annorum bellum. Statuit itaque Vaillantius in quæstura sua, quæ aliquot annis tribunatum præcessit, cusum a Turdo filio assem fuisse; quod non improbabile est. Sed dum scribit. „ Tribuendus videtur L. Papirio „ Turdo, Q. Papirii Turdi, qui legem de trevi- „ ris capitalibus quotannis a prætore creandis „ tulit" in prænominibus errat. Papirii Turdi qui hisce temporibus inveniuntur, sunt L. Papirius Turdus, trib. plebis A. V. C. CCCCLXIV. qui legem istam de triumviris capitalibus tulit, quique Lucius vocatur a Festo Pompejo in voce *sacramentum*, non Quintus. Sed Q. Papirius Turdus, trib. pl. fuit A. V. C. CCCCXLIX. atque legem tulit de consecrandis locis, isque, sicuti alius iste Lucii apud Festum, Quinti expressum prænomen habet apud Ciceronem in Orat. pro Domo cap. XLIX. Post hos trib. pl. A. V. C. DXV. ponitur Q. Papirius Q. F. Q. N. Turdus, & ædilis L. (sive, ut cum Vaill. videtur esse legendum Q.) Papirius Q. F. Q. N. Turdus. Ad tempora posteriora pertinet C. Papirius Turdus, trib. pl. A. V. C. DLXXV. cujus pater, C. Papirius Turdus, trib. pl. fuisse videtur A. V. C. DXLIII. Repone itaque apud Vaillantium „ Tribuendus videtur Q. Pa- „ pirio Turdo, L. Papirii Turdi &c. "

Litera H.

Caput Herculis inberbe, in leonis exuviis. Post illud tria sunt puncta, quadrantis notæ.

TVRD*us*. ROMA. Prora navis, cum tribus punctis, quadrantis itidem notis.

Imminuti ponderis, & cusus durante bello Punico secundo, hic est quadrans, ejus scilicet assis, qui uncialis jam factus erat. Unde revocari debet ad spatium intermedium annorum DXXXVI. & DLXXV. Adeoque dubium est, utrum a patre C. Turdo in quæstura sua, an a filio C. Turdo signatus fuerit. Lucii & Quinti Turdi illis temporibus non inveniuntur. Videtur vero prior C. Turdus filius fuisse Q. Papirii Turdi, nepos Lucii Papirii Turdi.

Litera I.

Caput Herculis inberbis in leonis exuviis, cum tribus punctis quadrantis notis.

CARBO. ROMA. Prora navis. Desuper est fulmen.

Pondus hujus quadrantis, quod respondet pon-

ponderi nummi præcedentis, docet nos, hunc nummum esse referendum ad C Papirium Carbonem, qui tribunus plebis fuit A. V. C. DLXXX. Hic quæstor provincialis exstitit A. V. C. DLXXV. Itaque jam ante in quæstura urbana nummum hunc cudit.

Litera K.

Caput Jovis Capitolini laureatum, cum nota semissis.

CAR. . . . Prora navis, desuper semissis nota est & stella.

Valde incertum est, ad quam familiam hic nummus spectet; neque enim tantum CAR*bo* legi potest, sed CAR*vilius* quoque & CAR*rinas*, ut ad gentem Carviliam vel Albiam spectet.

PEDANIA.

Pedania, gens plebeja, ut videtur, Costæ cognomen habuit, ut ex Livio, Tacito & Plutarcho alii jam notarunt.

I.

LEG*atus* COSTA. Caput Libertatis laureatum.

BRVTVS IMP*erator*. Tropæum.

Nummi hujus typum in gente Junia jam vidimus. Pedanius ille Costa ex Junii Bruti, percussoris Cæsaris, amicis fuit, atque pro libertate se stare hoc denario professus est. Reliqua illius viri acta ignorantur.

II.

Puer nudus tenens serpentem.

Caius PEDANI*us* in area nummi.

Nummulus hic plumbeus ad plumbeorum, quibus inter se servi utebantur, numerum referendus est, nihil enim ad Familiarum nummos facit. Hercules videtur esse, infans adhuc draconem elidens.

PETILLIA.

Gens Petillia, cujus nomen cum Aldo Manutio, in Orthographia, per duplex *l.* scribendum esse, nummi docent, ad maximos in republica honores pervenit. Plebejam tamen fuisse docent tribuni plebis ex eadem gente creati. Plurima gesserunt cognomina: in denariis soli Capitolini supersunt.

I.

CAPITOLINVS. Caput Jovis Capitolini.

PETILLIVS. Templum Jovis Capitolini sex columnis suffultum.

Familia Petilliorum Capitolinorum floruit sub Augusto, ætate Horatii poëtæ, ut adparet ex ejusdem lib. I. Sat. IV. vs. 93.

—— — —— —— —— mentio si qua
De Capitolini furtis injecta Petilli
Te coram fuerit, defendas, ut tuus est mos.
Me Capitolinus convictore usus, amicoque
A puero est, caussaque mea permulta rogatus
Fecit, & incolumis lætor quod vivit in urbe.
Sed tamen admiror, quo pacto judicium illud
Fugerit, &c.

ubi Acronis & Porphyrii, veterum commentatorum, notæ nos docent, illum, quum curam Capitolii gereret, reum factum subreptæ de Capitolio coronæ aureæ, absolutum sub Augusto principe fuisse. Ad hunc itaque Horatii amicum spectare hos denarios credidit Ursinus. Sed antiquiores videntur, & ad ejus Capitolini proavos spectare, quibus in cura Capitolii successerit iste Horatio notus Capitolinus. Familiam vero Petilliorum inde Capitolini cognomen nactam fuisse, facile crediderim, atque propterea dei ejus vultum & templum in nummis signasse.

II.

Templum Jovis Capitolini sex columnis suffultum, gradibus & statuis egregie excultum atque adornatum; ad latera sunt literæ S. F.

PETILLIVS CAPITOLINVS. Aquila expansis alis insistens fulmini.

Quid in hoc denario significent literæ S. F. quæ ad templi Capitolini latera adponuntur, inquirendum est. Silent de iisdem Ursinus atque Patinus, ut &, qui hosce denarios quoque depinxit, Begerus Thes. Brand. tom. II. p. 569. Vaillantius vero interpretatur *Sacris Faciundis*, creditque, Petillium quemdam, Capitolinum fuisse vocatum ob decemviratum sacris faciundis, quem ille habuerat, quum illi creati sint, antequam XVviratus a Sulla institutus fuerit; atque ad antiquitatem recolendam caput Jovis Capitolini, & aquilam illius fulmen gerentem, unum e Petilliis expressisse, cum templo Jovis Capitolini in altera parte, quod illorum fuerit munus, carmina Sibyllina in isto templo servare. Verum respondeo, si Pitillius aliquis Xvir sacris faciundis, vel XVvir, quod æque statui potest, fuisset, non S. F. i. e. *Sacris Faciundis* inscriptum fore nummo sed XVIR S. F. dignitatis enim titulus omnino exprimi debet, non opus tantum quod faciunt illi, quibus dignitas illa collata est. Sic nunquam triumviri monetales simpliciter scribuntur *Auro Argento Aeri Flando Feriundo*, sed IIIVIR*i Auro Argento Aeri Flando Feriundo*. Præterea nunquam concesserim jus monetæ penes illos fuisse, qui curam Capitolii, aut similium sacrorum habuerint. Sine dubio enim hic Petillius Capitolinus inter triumviros monetales fuit, qui sæpissime dignitatis titulum omittunt, & nomen suum tantum ponunt. Literas itaque S. F. integre scribendas esse puto *Sexti Filius*. Gentem enim Petilianorum Sexti quoque prænomen habuisse, ostendit vetus inscriptio apud Gruter. p. DCCXXXVI. num. 4.

D. M
SEX. PETILIO. PRIMIGENIO
IVSTA. PATRI

Notat præterea Vaillantius, nummum præcedentem alium templi Capitolini prospectum atque diversum ab illo, qui in hoc denario observatur, habere. Unde conjicit prioris templi Capitoloni, a Tarquinio constructi, atque post quadraginta amplius annos incendio consumti, faciem in primo denario exhiberi, in hoc secundo recentioris, ut quod plurimis statuis in fastigio ornatum conspiciatur.

Habeo utrumque nummum, utrumque cum cura inspexi, est enim res digna observatione, verum non tantam inveni differentiam, ut ausim statuere aliam, quam quæ passim solet observari in nummis antiquis, quorum matrices a diversis

artificibus ſculptæ ſunt, prouti in columna, quæ in gentis Minuciæ exhibetur denariis, cerni poteſt. Imo, ſicuti in hoc denario adparent bigæ, vel potius vir cum equo, in ſummo templi faſtigio, ſic itidem in primo meo; &, ſicuti in extremitatibus utrimque ad angulos equus prorumpit, ſic pariter in meo primo; neque in meo tantum, ſed & Begerus & Urſinus ſimiliter id in ſuis animadverterunt, atque expreſſerunt. Nimis vero ſimpliciter Morellius ornamenta tantum quædam exhibuit, quod in ſuo archetypo minutiſſima hæc (quæ in tam exiguo ſpatio magnas figuras non admittunt) vix aliter adparuerint. Quin imo faſtigium, quod ille plane nudum exhibet, ornamentum in meo quoque habet, quod ob exilitatem, licet ſatis exſtans, vix dignoſci poteſt. Statuæ tantum illæ haſtatæ in priore deſunt, pro quibus ſunt verua; quod pro lubitu ſculptoris, & ob exiguum nummi ſpatium, factum fuit. In hoc quoque gradus plures adduntur, qui non ſunt in primo, quoniam ibi nomen PETILLIVS ponitur ſub templi gradibus, in hoc vero ab altera nummi parte.

Magnificam hujus ſuperbi templi ſtructuram nobis exhibet Dionyſ. Halicarnaſſ. lib. IV. pag. 259. ubi docet, abſumtum incendio iisdem fundamentis iterum fuiſſe inædificatum, neque amplius mole, ſed ornatius & ſplendidius factum fuiſſe. Verba Dionyſii hæc ſunt: Ταῦτα περὶ τῶν πρεσβευσάντων ἀκούσας ὁ Ταρκύνιος, ἐπέστησε τοῖς ἔργοις τοὺς τεχνίτας· καὶ τὰ μὲν πολλὰ ἐξειργάσατο τοῦ ναοῦ, τελειῶσαι δ' οὐκ ἔφθασεν ἅπαν τὸ ἔργον, ἐκπεσὼν τάχιον ἐκ τῆς δυναστείας· ἀλλ' ἐπὶ τῆς τρίτης ὑπατείας ἡ Ῥωμαίων πόλις αὐτὸν εἰς συντέλειαν ἐξειργάσατο. ἐποιήθη δ' ἐπὶ κρηπῖδος ὑψηλῆς βεβηκώς, ὀκτάπλεθρος τὴν περίοδον, διακοσίων ποδῶν ἔγγιστα τὴν πλευρὰν ἔχων ἑκάστην. ὀλίγον δ' ἔτι τὸ διαλλάττον εὕροι τις ἂν τῆς ὑπεροχῆς τοῦ μήκους παρὰ τὸ πλάτος, οὐδ' ὅλων πεντεκαίδεκα ποδῶν. ἐπὶ γὰρ τοῖς αὐτοῖς θεμελίοις ὁ μετὰ τὴν ἔμπρησιν οἰκοδομηθεὶς κατὰ τοὺς πατέρας ἡμῶν, εὑρέθη, τῇ τε πολυτελείᾳ τῆς ὕλης μόνον διαλλάττων τοῦ ἀρχαίου, ἐκ μὲν τοῦ κατὰ πρόσωπον μέρους πρὸς μεσημβρίαν βλέποντος, τριπλῷ περιλαμβανόμενος στίχῳ κιόνων, ἐκ δὲ τῶν πλαγίων, διπλῷ. *His ex legatis cognitis, Tarquinius ſtructuræ adhibuit opifices, magnamque templi partem perfecit: ſed totum opus abſolvere non potuit, quod ante regno pelleretur. tertio demum conſulatu libera jam civitas operi ſupremam manum impoſuit. Fundamentum eſt in alta crepidine octo jugerum ambitu, ducentis ferme pedibus patens per latera ſingula, exigua longitudinis & latitudinis differentia: quas ſi exacte metiaris, latitudinem a longitudine non totis quindecim pedibus ſuperari comperies. nam quod poſt incendium, patrum noſtrorum memoria, inſtauratum eſt, ſuper iisdem repertum eſt fundamentis, & materiæ ſolum magnificentia differt a vetere; ex ea parte qua frons ejus meridiem ſpectat, triplici columnarum ordine circumcingitur: a lateribus, duplici.* Habemus itaque hic in nummis frontem templi, qua meridiem ſpectabat, quæ Dionyſio dicitur τριπλῷ περιλαμβανόμενος στίχῳ κιόνων.

PETRONIA.

Petronia gens, quamvis plebeja, antiquiſſima fuit, jam enim ſub Tarquiniis regibus innotuit. Ex Sabinis oriunda fuit. Multa tulit cognomina, ſed in nummis, qui omnes ſub Auguſto cuſi ſunt, Turpiliani tantum fit mentio, quod cognomen docet, ex gente Turpilia quendam ad Petroniam adotione transiiſſe.

TAB. I.

I.

CAESAR AVGVSTVS. Caput Auguſti nudum.

Publius PETRONius TVRPILIANus IIIVIR. Siren, tuban, vel tibiam, quam dextra manu tenet, inflaura, læva demiſſa aliam tubam geſtat.

Referunt eruditi hujus denarii typum ad Cumas, & coloniam illuc ab Auguſto deductam, ſive ad Neapolim ab eodem inſtauratam. Utrique Sirenis Parthenopes, quæ in hoc denario exprimitur, typus convenit, nam Cumis quidem Parthenope Siren dicitur fuiſſe ſepulta; Neapolis vero antiquitus Parthenope vocata fuit, *& ipſa Parthenope a tumulo Sirenis adpellata*, inquit Plinius lib. III. cap. 5. Tumulum enim iſtius Parthenopes hæc quoque urbs ſibi vindicabat. Strabo lib. V. p. 170. Νεάπολις, ὅπου δείκνυται μνῆμα τῆς Σειρήνων μιᾶς Παρθενόπης. *Neapolis, ubi ſepulcrum Parthenopes, unius Sirenum, oſtenditur.* Tres enim numero fuiſſe feruntur, Leucoſia, Ligea, Parthenope; quamvis alii alia tribuant nomina. Natas fingunt ex fluvio Acheloo & Calliope, vel Terpſichore, vel, ut alii, Melpomene vel Sterope. Pube tenus virgines finxerunt antiqui, cætera alites; unde apte juxta denarii typum

—— —— —— Τόδε δ' ἄλλο μὲν οἰωνοῖσιν,
Ἄλλο δὲ παρθενικῆς ἐναλίγκιαι ἔσκον ἰδέσθαι.

Apollonio teſte, qui fingit & Argonautis periculum ab illis (neque enim circa Siciliam ſolam finxerunt poëtæ) inpendiſſe, niſi lyræ Orphei cantus viciſſet illarum vocem. Quæ Apollonii verba, quoniam plura ad fabuloſa illa monſtra ſpectantia habent, hic ſubnectam ex lib. IV. Argon. vſ. 891.

—— —— —— —— Αἶψα δὲ νῆσον
Καλὴν, ἀνθεμόεσσαν ἐσέδρακον, ἔνθα λίγειαι
Σειρῆνες σίνοντ' Ἀχελωΐδες, ἡδείῃσι
Θέλγουσαι μολπῇσιν ὅτις παρὰ πεῖσμα βάλοιτο.
Τὰς μὲν ἄρ' εὐειδὴς Ἀχελωΐῳ εὐνηθεῖσα
Γείνατο Τερψιχόρη, Μουσέων μία· καί ποτε Δηοῦς
Θυγατέρ' ἰφθίμην ἀδμῆτ' ἔτι πορσαίνεσκον
Ἄμμιγα μελπόμεναι. τόδε δ' ἄλλο μὲν οἰωνοῖσιν,
Ἄλλο δὲ παρθενικῆς ἐναλίγκιαι ἔσκον ἰδέσθαι.
Αἰεὶ δ' εὐόρμου δεδοκημέναι ἐκ περιωπῆς,
Ἦ θαμὰ δὴ πολέων μελιηδέα νόστον ἕλοντο
Τηκεδόνι φθινύθουσαι· ἀπηλεγέως δ' ἄρα καὶ τοῖς
Ἵεσαν ἐκ στομάτων ὄπα λείριον· οἱ δ' ἀπὸ νηὸς
Ἤδη πείσματ' ἔμελλον ἐπ' ἠιόνεσσι βαλέσθαι,
Εἰ μὴ ἄρ' Οἰάγροιο πάϊς Θρηΐκιος Ὀρφεὺς
Βιστονίην ἐνὶ χερσὶν ἑαῖς φόρμιγγα τανύσσας,
Κραιπνὸν εὐτροχάλοιο μέλος κανάχησεν ἀοιδῆς,
Ὄφρ' ἄμυδις κλονέοντος ἐπιβρομέωνται ἀκουαὶ
Κρεγμῷ· παρθενικὴν δ' ἐνοπὴν ἐβιήσατο φόρμιγξ.

—— —— —— Eſt inſula protinus illis
Fertilis adſpectu, & florens: coluere canoræ
Sirenes illam, proles Acheloia, quarum
Dira lues cantus mortalibus exſtitit illis,
Qui mare ſulcantes jecere ad littora funes.
Olim Terpſichore has, Acheloo in luminis auras
Edidit, illa una eſt Muſarum. tum quoque natam
Can-

Cantabant Cereris formosam, tum quoque earum
Altera pars virgo fuit, altera rursus & ales.
E specula semper spectabant advenientes,
In patriam reditu multi caruere per illas.
Fundere & his dulcem vocem cœpere: rudentes
E puppi fuerant jacturi ad littora, clarus
Filius OEagri, nisi mox & Thracius Orpheus
Bistoniam manibus citharam sumpsisset, & aures
Sublimi cantu cantu revocasset ab illo,
Virgineamque chelys vocem superasset acuta.

II.

TVRPILIANVS IIIVIR. Caput Liberæ, coronatum hedera & corymbis.
CAESAR DIVI *Filius.* ARME*nia* CAPT*a.* Armenia, habitu mulieris tiara ornatæ, genuflexa supplex manus porrigit.

Hujus denarii typum egregie explicat Dio Cassius, vel lib. LIII. ubi ad A.C DCCXXXIV. de Tigrane per Tiberium in Armeniam deducendo, pag. 526. hæc scribit Τῶν τε Ἀρμενίων τῶν ἑτέρων τοῦ τε Ἀρταβάζου κατηγορησάντων, καὶ τὸν Τιγράνην τὸν ἀδελφὸν αὐτοῦ ἐν τῇ Ῥώμῃ ὄντα μεταπεμψαμένων, μετέστειλε τὸν Τιβέριον, ὅπως τὸν μὲν ἐκβάλῃ τῆς βασιλείας, τὸν δὲ ἐς αὐτὴν ἀποκαταστήσῃ. καὶ ἐπράχθη μὲν οὐδὲν τῆς παρασκευῆς αὐτοῦ ἄξιον· (οἱ γὰρ Ἀρμένιοι τὸν Ἀρταβάζην προαπέκτειναν) ὁ δ᾽ οὖν Τιβέριος, ἄλλως τε καὶ ἐπειδὴ θυσίαι ἐπὶ τούτῳ ἐψηφίσθησαν, ἐσεμνύνετο ὡς καὶ κατ᾽ ἀρετήν τι ποιήσας. *Quum Armeniæ majoris populus Artabazem accusaret, Tigranemque fratrem ejus, qui tum Romæ erat, evocaret, Augustus Tiberium arcessivit, ut Artabazem regno pelleret, Tigranemque ei præficeret. Tiberius, ab Armeniis ante ejus adventum occiso Artabaze, nihil adparatui suo respondens perfecit: tamen ea se re, quasi sua quidquam virtute egisset, jactavit, præsertim quum sacrificia propter eam essent decreta:* Vel lib. LV. pag. 555. ubi narratur quomodo submiserit fastum suum Parthorum rex Phraates, atque Armenia Romanis cesserit. Τοῦ δὲ Γαΐου σταλέντος ἐς τὸν πρὸς Ἀρμενίους πόλεμον, ὁ Τιβέριος ἐς Χῖον ἐλθὼν, αὐτὸν ἐθεράπευσεν. ἐταπείνου τε γὰρ ἑαυτὸν, καὶ ὑπέπιπτεν οὐχ ὅτι τῷ Γαΐῳ, ἀλλὰ καὶ τοῖς μετ᾽ αὐτοῦ οὖσι. Φραάτου δὲ τοῦ τῶν Πάρθων βασιλέως ἐπιστείλαντος περὶ εἰρήνης τῷ Καίσαρι, καὶ τοῦ Καίσαρος ἀντεπιστείλαντος αὐτῷ Φραάτῃ, ἁπλῶς ἄνευ τῆς τοῦ βασιλέως ἐπικλήσεως, καὶ τῆς Ἀρμενίας ἀποστῆναι προστάξαντος· οὐχ ὅσον ἐκεῖνος οὐ κατέπληξεν, ἀλλὰ καὶ ἀντέγραψέν οἱ τά τε ἄλλα ὑπερηφάνως, καὶ αὐτὸν μὲν, βασιλέα βασιλέων, ἐκεῖνον δὲ Καίσαρα μόνον ὀνομάσας. ὅμως δ᾽ ὕστερον κατηλλάγη ἐπὶ τῷ τῆς Ἀρμενίας ἀποστῆναι, ἐπειδὴ τόν τε Γαΐον ἐν τῇ Συρίᾳ παρόντα ἔμαθε, καὶ τὰ οἰκεῖα ταραττόμενα μισεῖ αὐτοῦ ὑπετόπασε. *Cajo autem ad bellum Armeniacum misso, Tiberius in Chium profectus, ei se submisit: neque Cajo solum, sed omnibus qui cum eo erant. Phraates rex Parthorum quum de pace ad Augustum literas dedisset, isque rescribens, Phraaten tantum nominasset, omisso titulo regis regum, jussissetque Armenia eum cedere: adeo nihil territus est Phraates, ut rescribens superbe, sibi ipsi regis regum titulo dato, Augustum tantum Cæsaris vocabulo affecerit. post vero quum Cajum in Syriam advenisse audivisset, ac res domi odio sui conturbatas suspicaretur, ea conditione, ut Armeniam missam faceret, in gratiam rediit.* Acciderunt posteriora hæc A. V. C. DCCLV. Sed quum nummi sequentes magis conveniant A. V. C. DCCXXXIV. credibile est omnes eodem tempore cusos fuisse.

Litera A.

P*ublius* PETRONIVS TVRPILIANVS III VIR. Caput Liberæ hedera & corymbis ornatum.
CAESAR DIVI *Filius.* ARME*nia* CAPT*a.* Armenia supplex, ut supra.

Caput deæ Liberæ in hoc & præcedente nummo, non videtur esse referendum ad originem Petroniæ gentis ex Sabinis; nam licet Proserpina, Libera, & Feronia eadem sint numina, ut Feronia tamen illa dea apud Sabinos colebatur, quod non evincit ut de Libera idem dicatur. Liberæ itaque caput videtur significare honores & ludos Libero & Liberæ ob prosperos hosce successus institutos; vel, quum Bacchi ipsius possit esse caput, expeditionem ejus ad Indos respicit. Vide mox dicenda ad lit. C.

III.

CAESAR AVGVSTVS. Caput Augusti nudum.
P*ublius* PETRON*ius* TVRPILIAN*us* IIIVIR. Pegasus gradiens.

Elegans hic nummus docet nos, Corinthum, nobilem quondam a Julio Cæsare coloniam factam, instauratam & incolis auctam ab Augusto fuisse A. V. C. DCCXXXIV. quo scilicet triumvir monetalis exstitit P. Petronius Turpilianus.

Litera B.

IMP*erator.* Caput Augusti galeatum, post illud est lituus.
P*ublius* PETRON*ius* TVRPILIAN*us.* IIIVIR. Pegasus, ut supra.

Caput illud galeatum, Martis Ultoris videri posset, nisi lituus, signum pontificatus Augusti, adesset. Imperator hoc anno Cæsar erat IX. titulum illum ex Parthica victoria nactus.

IV.

CAESAR AVGVSTVS. Caput Augusti nudum.
TVRPILIANVS IIIVIR. Astrum in luna crescente.

Quoniam in Græcis Byzantinorum nummis hic typus invenitur, credidit Vaillantius, hoc anno insigne aliquod beneficium ab Augusto in Byzantinos collatum fuisse. Id innuere putat Tacitum, qui, ubi de Julio & Augusto atque Byzantio urbe loquitur, *recentia in Cæsares merita* commemorat. Sed contra Vaillantium hic locus facit, ut in quo beneficia præstitisse Romanis, non ab iis accepisse, commemorat Byzantinos. Ita enim scribit lib. XII. Annal. cap. 62. *At Byzantii, data dicendi copia, quum magnitudinem onerum apud senatum deprecarentur, cuncta repetivere; orsi a fœdere quod nobiscum icerant, qua tempestate bellavimus adversus regem Macedonum, cui, ut degeneri, Pseudophilippi vocabulum impositum. Missas posthac copias in Antiochum, Persen, Aristonicum, & piratico bello adjutum Antonium memorabant; quæque Sullæ, aut Lucullo, aut Pompejo obtulissent: mox recentia in Cæsares merita, quando ea loca insiderent, quæ transmeantibus terra marique ducibus, exercitibusque, simul vehendo commeatu opportuna forent.* Aliud itaque innui existimo, imperium videlicet Romanum prolatum

tum ſub Auguſto, quam late ſolis & lunæ ſidera patent; hoc enim anno felix in orientem Caji, Cæſaris nepotis, ſive filii, acciderat expeditio, & fama Auguſtæi nominis longe diſſitos Indos hoc ipſo anno exciverat.

V.

CAESAR AVGVSTVS. Caput Auguſti nudum.

TVRPILIANVS IIIVIR. Virgo Tarpeja Sabinorum ſcutis obruta.

Nota hiſtoria, & merces proditionis digna eſt. Originem gentis Petroniæ ex Sabinis clare demonſtrat. In Sabinorum quoque terris inventas gentis hujus inſcriptiones adtulit Urſinus, fuitque Petroniis propterea Sabinis cognomen.

VI.

TVRPILIANVS IIIVIR. Caput Liberæ hedera & baccis ſive corymbis coronatum.

CAESAR AVGVSTVS SIGN*is* RECE*ptis*. Parthus genuflexus ſigna reddens. Laurea perperam Partho adfingitur; abeſſe enim debet, ut abeſt tab. ſeq. num. II.

Dio Caſſius lib. LIV. pag. 525. Κἀν τούτῳ ὁ Φραάτης, φοβηθεὶς μὴ καὶ ἐπιστρατεύσῃ οἱ, ὅτι μηδέπω τῶν συγκειμένων ἐπεποιήκει τι, τά τε σημεῖα αὐτῷ καὶ τοὺς αἰχμαλώτους, πλὴν ὀλίγων, οἳ ὑπ' αἰσχύνης σφᾶς ἔφθειραν, ἢ καὶ κατὰ χώραν λαθόντες ἔμειναν ἀπέπεμψε. καὶ αὐτοὺς ἐκεῖνος, ὡς καὶ πολέμῳ τινὶ τὸν Πάρθον νενικηκὼς ἔλαβε. καὶ γὰρ ἐφρόνει μέγα, λέγων ὅτι τὰ πρότερον ποτὲ ἐν ταῖς μάχαις ἀπολόμενα, ἀκονιτὶ ἐκεκόμιστο. *Interim Phraates, quia nihildum eorum, quæ pactus fuerat, perfeciſſet, veritus ne bello ab Auguſto impeteretur, ſigna ei militaria, & captivos omnes, paucis demtis, qui ſe ipſos pudore moti intermerant, aut in Parthia occulte remanſerant, miſit: itaque Auguſtus, quaſi bello aliquo Parthum viciſſet, accepit. Nam hanc rem magnæ ſibi laudi ducebat, quod præliis prius amiſſas res, citra ullum certamen recepiſſet.* Hæc A. V. C. DCCXXXIV. acta, docent reliquos omnes nummos hoc anno cuſos fuiſſe.

TAB. II.

TVRPILANVS IIIVIR. Caput deæ corona quaſi murali cincta, adſcribitur FERO*nia*.

CAESAR AVGVSTVS. Orator Indus in biga elephantorum

Mirifice denariorum horum typum illuſtrant Dionis verba lib. LIV. pag. 527. Ὁ δὲ Αὔγουστος ἔς τε τὴν Σάμον ἐπανῆλθε, κἀν ταῦθα αὖθις ἐχείμασε· καὶ ἐκείνοις τε ἐλευθερίαν μισθὸν τῆς διατριβῆς ἀντέδωκε, καὶ ἄλλα οὐκ ὀλίγα προσδιῴκησε. πάμπολλαι γὰρ δὴ πρεσβεῖαι πρὸς αὐτὸν ἀφίκοντο· καὶ οἱ Ἰνδοὶ προκηρυκευσάμενοι πρότερον φιλίαν, τότε ἐσπείσαντο, δῶρα πέμψαντες ἄλλα τε καὶ τίγρεις, πρῶτον τότε τοῖς Ῥωμαίοις, νομίζω δ' ὅτι καὶ τοῖς Ἕλλησιν, ὀφθείσας. *Auguſtus in Samum reverſus, libertatem hoſpitii Samiis præmium dedit, ac non pauca eo tempore negotia confecit. Frequentes enim eo ad ipſum legati commearunt, ac Indi pacem, quam antea per oratores petierant, tunc interpoſito fœdere ſanxerunt, mittentesque dona: inter quæ tigres etiam, animalia tum primum Romanis, ac Græcis etiam, ut ego exiſtimo, viſa:* Inter negotia non pauca, quæ eo tempore confeciſſe Auguſtum dicit Dio, videtur etiam fuiſſe beneficium inſigne in Corinthum collatum, atque pegaſo in nummo III. tabellæ præcedentis celebratum.

Litera C.

TVRPILIANVS IIIVIR. Caput Liberæ ſeu potius, quod in omnibus hiſce nummis locum habere arbitror, Bacchi, habitu muliebri, longa atque ad occiput innexa coma, hedera & corymbis inſigne.

CAESAR AVGVSTVS. Orator Indus, in elephantorum bigis, ut ſupra.

Bacchi, ſive Liberi, quem intonſa decet coma, vultum in hiſce denariis ſignari arbitror, propter expeditiones Dei ad Indos; quarum gloria Cæſari Auguſto tacito hoc typo communicatur.

Litera D.

P*ublius* PETRON*ius* TVRPILIAN*us* IIIVIR. Caput Liberæ, vel potius Liberi Patris, hedera & baccis coronatum.

CAESAR AVGVSTVS. Orator Indus, ut ſupra, in elephantorum bigis.

Petronii additum nomen, hunc, ut a præcedente diſcrepantem, ſculpi fecit.

II.

TVRPILIANVS IIIVIR. Caput deæ Feroniæ, ut addita adpellatio FER*onia* indicat.

CAESAR AVGVSTVS SIGN*is* RECE*ptis*. Parthus genuflexus ſigna reddens.

Feroniam deam a Sabinis cultam fuiſſe nos docet Dionyſ. Halicarn. Antiq. lib. III. pag. 173. Μετὰ δὲ τοῦτον τὸν πόλεμον ἕτερος ἀνέστη Ῥωμαίοις ἐκ τοῦ Σαβίνου ἔθνους· ἀρχὴ δὲ αὐτοῦ καὶ πρόφασις ἐγίνετο τοιάδε· ἱερόν ἐστι κοινῇ τιμώμενον ὑπὸ Σαβίνων τε καὶ Λατίνων, ἅγιον ἐν τοῖς πάνυ, θεᾶς Φερωνείας ὀνομαζομένης, ἣν οἱ μεταφράζοντες εἰς τὴν Ἑλλάδα γλῶσσαν οἱ μὲν Ἀνθηφόρον, οἱ δὲ Φιλοστέφανον, οἱ δὲ Φερσεφόνην καλοῦσιν· εἰς δὲ τὸ ἱερὸν τοῦτο συνήεσαν ἐκ τῶν περιοίκων πόλεων κατὰ τὰς ἀποδεδειγμένας ἑορτὰς, πολλοὶ μὲν εὐχὰς ἀποδιδόντες καὶ θυσίας τῇ θεῷ, πολλοὶ δὲ χρηματιούμενοι διὰ τὴν πανήγυριν ἔμποροί τε καὶ χειροτέχναι καὶ γεωργοὶ, ἀγοραί τε αὐτόθι λαμπρόταται τῶν ἐν ἄλλοις τισὶ τόποις τῆς Ἰταλίας ἀγομένων ἐγίνοντο. εἰς ταύτην δὲ τὴν πανήγυριν ἐλθόντας ποτὲ Ῥωμαίων ἄνδρας οὐκ ἀφανεῖς Σαβῖνοί τινες ἄνδρες συναρπάσαντες ἔδησαν, καὶ τὰ χρήματα ἀφείλοντο. πρεσβείας τε ἀφικομένης περὶ αὐτῶν, οὐδὲν ἐβούλοντο τῶν δικαίων ποιεῖν, ἀλλὰ καὶ τὰ σώματα καὶ τὰ χρήματα τῶν συλληφθέντων κατεῖχον, ἐγκαλοῦντες καὶ αὐτοὶ Ῥωμαίοις, ὅτι τοὺς Σαβίνων φυγάδας ὑπεδέχοντο κατασκευάσαντες, ἄσυλον ἱερόν. *Poſt hoc bellum, aliud a Sabinis exortum eſt, cujus hæc fertur cauſſa. Fanum eſt, quod Sabinis æque ac Latinis ſumma religione colitur, ſacrum deæ Feroniæ; quam Græci in ſuam linguam modo* Ἀνθηφόρον *vertunt, modo* Φιλοστέφανον, *modo* Φερσεφόνην. (id eſt florigeram, ſertis gaudentem, Proſerpinam) *eo ſtatis diebus conveniebant e circumvicinis urbibus, alii votiva deæ reddituri ſacrificia, alii negotiaturi propter celebritatem, mercatores opificesque & agricolæ; quod forum ibi eſſet totius Italiæ ſplendidiſſimum. Ad eam celebritatem profectos aliquando Romanos cives non obſcuros Sabini quidam correptos & pecuniis ſpoliatos in vincula conjecerant: legatisque eo miſſis nihil æqui impetrari poterat; ſed tam viros retinebant quam pecunias, objicientes viciſſim Romanis, quod aperto aſylo profugos Sabinos excepiſſent.* Recte ex hoc Dionyſii loco

loco Urfinus Sabinam gentis Petroniæ originem probat, quam & pluribus adftruit, docens etiam ex Strabone templum ejus deæ fub monte Soracte fuiffe, infcriptione ibidem reperta quæ illud infuper confirmat, pag. 206. ubi Urfini verba infpici poffunt.

III.

TVRPILIANVS IIIVIR. Caput Liberæ vel potius Bacchi, ut fupra.

AVGVSTO OB C*ives* S*ervatos*. in corona quernea.

Refpicit hæc corona civica, tum in genere ad honorem illum Augufto paffim habitum, tum in fpecie ad captivos, quos una cum fignis reddere Parthi coacti fuerunt.

Liberæ caput, tanquam Proferpinæ, vel ejusdem una cum Feronia numinis, fi hic exprimeretur, non diverfum foret a præcedente capite, cui Feroniæ nomen adfcribitur; nunc, quoniam differt, nihil ad originem Sabinam Petronii facere poteft, fed potius victorias & laudes Augufto cum Libero Patre communes, uti diximus, fignificare videtur.

Litera E.

P*ublius* PETRON*ius* TVRPILIAN*us* IIIVIR. Caput idem deæ Liberæ, vel Patris Liberi potius, ut fupra.

CAESAR AVGVSTVS. Corona civica inter duos lauri ramos. Coronæ infcribitur O*b* C*ives* S*ervatos*.

Senfus hujus denarii ex explicatione præcedentis eft petendus.

IV.

CAESAR AVGVSTVS. Caput Augufti nudum.

P*ublius* PETRON*ius* IIIVIR. Vir nudus fedens, dextro cubito femori inpofito, læva manu fuppofita mento. Ad genua duo ligones exftant.

Primus elegantem hunc & rarum denarium edidit Patinus, fed minus adcurate depictum, neque quidquam ad explicationem addidit. Vaillantius depingi mulierem credidit, atque (Patinianam fecutus picturam) veftem cui infidet figura nuda, animal mortuum; fpicula vero, quæ ad genua exftant. Credit itaque exprimi Cantabriam devictam, animal illud cuniculum (frequentem in Hifpanicis nummis) effe mortuum, quod omnes prope Cantabri deleti fuerint; & duo exprimi fpicula, ut in denario gentis Sulpiciæ. Sed, fi quis adtente confideraverit nummi integriorem picturam ab accuratisfima Morellii manu profectam, videbit habitum figuræ fedentis nequaquam effe tanquam lugentis provinciæ, quæ femper vel manus poft tergum ligatas habet, vel caput certe lugentis ritu dejectum & inclinatum. At vero fecurus magis hujus figuræ eft habitus, & per otium quiefcentis; animal illud melius infpecto nummo evanuit, ligones effe deprehenduntur ex parte fumma planiore & latiore, fpiculis non convenientе. Ante tamen, quam meam ponam fententiam, argumentum primarium Vaillantii infringam, quod quum illi e Dione defumtum fit, Dionis ipfius verba adponam. Scribit is lib. LIV. pag. 528. Ἀγρίππας δὲ ὡς τότε ἐς τὴν Ῥώμην ἐκ τῆς Σικελίας πεμφθεὶς διῴκισε τὰ κατεπείγοντα, ταῖς Γαλατίαις προσετάχθη. ἔν τε γὰρ ἀλλήλοις ἐστασίαζον, καὶ ὑπὸ τῶν Κελτῶν ἐκακοῦντο· καταστήσας δὲ καὶ ἐκεῖνα, ἐς Ἰβηρίαν μετέστη. οἱ γὰρ Καντάβροι, οἱ ζωγρηθέντες τε ἐν τῷ πολέμῳ καὶ πραθέντες, τούς τε δεσπότας σφῶν ὡς ἕκαστοι ἀπέκτειναν, καὶ πρὸς τὴν οἰκίαν ἐπανελθόντες, πολλοὺς συναπέστησαν· καὶ μετ' αὐτῶν χωρία καταλαβόντες, καὶ ἐντειχισάμενοι, τοῖς τῶν Ῥωμαίων φρουροῖς ἐπεβούλευον. ἐπ' οὖν τούτους ὁ Ἀγρίππας ἐπιστρατεύσας ἔσχε μέν τι καὶ πρὸς τοὺς στρατιώτας ἔργον. *Agrippa, qui prius ex Sicilia ad gubernandam urbem fuerat miffus, Galliis tum adminiftrandis eft præfectus: tumultuabantur enim invicem Galli, & a Germanis infeftabantur. iis motibus fedatis, in Hifpaniam tranfiit. Nam Cantabri qui in bello capti fuerant, ac venditi, finguli, fuis dominis interfectis, domum fuam redierant, multisque ad defectionis focietatem permotis, caftellis quibusdam occupatis ac communitis, præfidia Romanorum adoriebantur. Contra hos cum exercitu profectus, in militibus fuis in officio retinendis laboravit.* Ubi deinde enumeravit incommoda quæ fuperavit, addit p. ead. Τέλος δὲ ποτὲ συχνοὺς μὲν ἀποβαλὼν τῶν στρατιωτῶν, συχνοὺς δὲ καὶ ἀτιμώσας, ὅτι ἡττῶντο (τά τε γὰρ ἄλλα, καὶ στρατόπεδον ὅλον Αὔγουστον ἐπωνομασμένον ἐκώλυσεν οὕτως ἔτι καλεῖσθαι) τούς τε ἐν τῇ ἡλικίᾳ πολεμίους πάντας ὀλίγου διέφθειρε· καὶ τοὺς λοιποὺς τά τε ὅπλα ἀφείλετο, καὶ ἐς τὰ πεδία ἐκ τῶν ἐρυμνῶν κατεβίβασεν. οὐ μὴν οὔτε ἐπέστειλέ τι τῇ βουλῇ περὶ αὐτῶν, οὔτε τὰ ἐπινίκια, καίτοι ἐκ τῆς τοῦ Αὐγούστου προστάξεως ψηφισθέντα, προσήκατο, ἀλλ' ἔν τε τούτοις ἐμετρίαζεν, ὥσπερ εἰώθει. *Tandem quum multos milites amififfet, multos propter rem male geftam ignominia notaffet (nam præter cætera, totam legionem quæ Augufta vocabatur, eo nomine uti prohibuit) Cantabros qui effent militari ætate omnes prope delevit, reliquos exarmavit, & ex montanis locis in campeftres tranftulit. De his tamen rebus neque literas dedit ad fenatum, neque triumphum Augufti juffu ei decretum egit: fed hic quoque folita animi moderatione ufus fuit.* Verum dum ad Dionem provocat Vaillantius, non adtendit, poni hæc a Dione anno poftquam illa de Indis, Armeniis, Parthisque, quæ ad reliquos nummos gentis Petroniæ intelligendos eximie faciunt, narravit, videlicet A. V. C. DCCXXXV. quum dicta jam retulerit ad A. V. C. DCCXXXIV. Quare dici non poteft (quod facit Vaillantius) Petronius eo anno triumvir monetalis fuiffe, quo Agrippa Cantabros perdomuit. Feciffet conjecturam probabiliorem, fi quæ a Dione de alia Cantabrorum rebellione pag. 523. narrantur a Furnio profligata, in medium protuliffet. Καὶ τῶν μὲν Καντάβρων οὐ πολλοὶ ἑάλωσαν· ἐπειδὴ γὰρ ἀνέλπιστον τὴν ἐλευθερίαν ἔσχον, οὐδὲ ζῆν ἠθέλησαν, ἀλλ' οἱ μὲν, τὰ ἐρύματα προεμπρήσαντες, ἑαυτοὺς ἀπέσφαξαν, οἱ δὲ καὶ ἐκείνοις ἐθελονταὶ συγκατεκαύθησαν· ἄλλοι δημοσίᾳ φαρμάκων ἐνεπλήσθησαν. ὥστε τό, τε πλεῖστον καὶ τὸ ἀγριώτατον φθαρῆναι. *Cantabrorum pauci vivi in hoftium poteftatem venerunt: nam quum de libertate defperaffent, vita quoque contemta, incenfis prius munitionibus feipfos interfecerunt, atque una fponte conflagrarunt: alii publice fumto veneno perierunt. ita maxima ac ferociffima pars Cantabrorum periit.* Hæc certe probabiliorem conjecturam Vaillantii feciffent, quam, quæ anno poft Petronii magiftratum acciderunt, neque fignari a Petronio potuerunt. Verum, quum hæc ipfa Cantabrorum rebellio & cædes eorum a Furnio facta biennium præcefferit magiftratum Petronii, & triumviri monetales tantum res memorabiles ejus anni, quo magiftratu ifto fungebantur, fignare fuerint foliti, aliud quid ad interpretationem hujus denarii eft excogitandum.

Pa-

Pacato hoc maxime A. V. C. DCCXXXIV. universo Oriente, recepta Armenia, Parthis ad pacem adactis, Indis illam ultro expetentibus, coloniæ Romanæ, quæ in Asia maxime hostibus erant oppositæ, pace quieta gaudere poterant, terras suas secure colere, atque fessæ, nullum metuentes hostem, a labore quiescere. Is mihi sensus hujus præclari rarique denarii esse videtur.

V.

CAESAR AVGVSTVS. Caput Augusti laureatum.

TVRPILIANVS IIIVIR. Lyra cum octo chordis.

Quoniam lyra Apollinis esse symbolum solet, conjicit Vaillantius cusum hunc in denario fuisse typum in memoriam ludorum ob victoriam Actiacam singulis quinquenniis celebratorum, quia Apollo apud Actium colebatur, templumque illi in palatio exstruxerat Augustus. Putat idem, hoc anno V. C. DCCXXXIV. juxta Dionem, hos ludos secundos ab Actiaca victoria fuisse celebratos, atque suæ opinionis fundamentum adducit Dionis locum ex initio libri LIII. Verum clarissimus vir Dionis verba non bene perpendisse videtur, qui non (ut facit Vaillantius) initium ludorum quinquennalium computat ab A. V. C. DCCXXIV. quo, mortuo Antonio, Ægyptus ab Augusto in provinciæ formam redacta fuit, verum ab A. V. C. DCCXXVI. quo scilicet reversus, jam in urbem sextum suum consulatum una cum Agrippa secundum consule suscepit. Nimis clara Dionis sunt verba, ut non statim error in numeris Vaillantii deprehendatur. Ita enim ad A. V. C. DCCXXVI. quo sextum consul fuit Augustus, scribit lib. LIII. pag. 496. Τῷ δὲ ἑξῆς ἔτει ἕκτον ὁ Καῖσαρ ἦρξε, καὶ τά τε ἄλλα κατὰ τὸ νομιζόμενον ἀπὸ τοῦ πάνυ ἀρχαίου ἐποίησε, καὶ τοὺς φακέλους τῶν ῥάβδων τῷ Ἀγρίππᾳ συνάρχοντί οἱ κατὰ τὸ ἐπιβάλλον παρέδωκεν, αὐτός τε ταῖς ἑτέραις ἐχρήσατο. *Anno insequenti Cæsar consul* VI. *cum alia omnia secundum instituta majorum egit, tum fasces cum Agrippa collega suo partitus est, ita ut dimidia ipse parte uteretur.* Paullo post: Καὶ τὴν πανήγυριν τὴν ἐπὶ τῇ νίκῃ τῇ πρὸς τῷ Ἀκτίῳ γενομένην ψηφισθεῖσαν ἤγαγε μετὰ τοῦ Ἀγρίππου, καὶ ἐν αὐτῇ τὴν ἱπποδρομίαν διά τε τῶν παίδων καὶ διὰ τῶν ἀνδρῶν τῶν εὐγενῶν ἐποίησε. καὶ αὕτη μὲν διὰ πέντε ἀεὶ ἐτῶν, μέχρι του ἐγίγνετο, ταῖς τέσσαρσιν ἱερωσύναις ἐκ περιτροπῆς μέλουσα· λέγω δὲ τούς τε ποντίφικας καὶ τοὺς οἰωνιστὰς, τούς τε ἑπτὰ καὶ τοὺς πεντεκαίδεκα ἄνδρας καλουμένους. *Ludos propter Actiacam victoriam decretos, cum Agrippa exhibuit, & in iis equestre certamen per pueros & viros patricios peregit: iique deinceps ad nostram usque ætatem ludi quinto quoque anno facti sunt, eorumque curatio quatuor sacerdotum collegiis per ordinem incumbit, pontificibus nimirum, auguribus, septemviris, & quindecimviris.* Atque ita A. V. C. DCCXXXVI. tertia vice celebrati fuerant ludi Actiaci, prima, coss. Augusto VI. Agrippa II. A. V. C. DCCXXVI. secunda A. V. C. DCCXXXI. tertia A. V. C. DCCXXXVI. ut nihil pertineant ad Petronium, qui A. V. C. DCCXXXIV. triumvir monetalis exstitit.

Inter Sirenas una voce, tibiis altera, lyra tertia cecinisse dicitur. Posset itaque origo iterum Sabina gentis Petroniæ innui, si Sirenis insuper aliquod adesset symbolum, sed lyra sola nequaquam illud conficere potest. Videtur itaque simpliciter signata fuisse in gratiam Augusti, qui Apollinis cultu mire delectatus fuit, cui & templum in monte Palatino A. V. C. DCCXXVI. juxta Dionem l. c. condiderat, & cujus ipse adfectabat similitudinem.

P. Petronius, Turpilianus dictus, quod ex gente Turpilia per adoptionem ad Petroniam transierit, potuit esse idem, qui memoratur in inscriptione antiqua, olim in via sacra reperta, Ursino teste, ut & Grutero pag. VI. num. 5.

P. VALESIVS. VOLESI. F
POPLICOLA
IOVI. IVNONI
SAC
P. PETRON. RESTITVIT

Sed, quum in omnibus nummis Turpiliani cognomen tantopere amaverit, ut sæpe solum poluerit, in lapide neglecturus fuisse non videtur. Illud tamen evincit, Publii prænomen Petroniis familiare fuisse, quod & plurimæ apud Gruterum inscriptiones confirmant. Sic memorantur pag. CXXVIII. num. 8. P. Petronius P. L. Amphio, & pag. DCCCCLXXXVIII. num. 5. P. Petronius P. L. Phœnix, & pag. DCCXXXVI. num. 9. P. Petronius P. F. Pal. Rufus &c. Frater Petronii Turpiliani esse potuit, Ursino quoque conjectante, C. Petronius, Ægypti præfectus, cujus exstat cum laude mentio apud Dionem lib. LIV. ut qui Ægyptios & reginam illorum Candacem, excursionem facientes represserit. C. Turpilii, ædilis A. V. C. DCCXXI. fratrem vel filium censet fuisse Vaillantius P. Petronium, inde Turpilianum dictum.

Litera F.

AVGVSTVS. *Decreto Decurionum Coloniæ Concordiae Norbanæ Cæsareæ.* Caput Augusti nudum.

Caius. Lucius. Marco PETRONIO *Caio* IVLIO ANTONIO IIVIR*is.* Capita adversa filiorum Augusti, Caji & Lucii.

Norba, urbs Lusitaniæ fuit, ad fluvium Tagum. Illam ex Plinii lib. IV. cap. 22. inter provinciæ ejus colonias fuisse, atque Cæsareanam fuisse cognominatam docet Vaillantius de Coloniis tom. I. pag. 88. M. Petronius quis fuerit ignoratur, alter ille ex libertis forte fuit Julii Antonii, filii triumviri, quem propter adulteratam filiam Juliam, inter reliquos viros claros ad mortem adegit Cæsar Augustus.

Litera G.

ΣΜΥΡΝΑΙΩΝ. ΙΕΡΩΝΥΜΟΣ. *Smyrnæorum. Hieronymus.* Capita duo adversa, quorum alterum senatus Romani est, alterum Liviæ, ut adscripta nomina testantur ΣΕΒΑΣΤΗ. ΣΥΝΚΛΗΤΟΣ. *Augusta. Senatus.*

ΕΠΙ ΠΕΤΡΩΝΙΟΥ. *Sub Petronio* scil. *proconsule.* Templum IV. columnarum, in qua stat figura virilis togata & velata, dextra tenens simpulum, læva vero lituum, quem Tiberii Cæsaris, ut pontificis summi, esse ostendit addita inscriptio ΤΙΒΕΡΙΟΣ ΣΕΒΑΣΤΟΣ. *Tiberius Augustus.*

Egre-

Egregiam hujus præclarissimi nummi interpretationem dat Vaillantius, qui inter consulares quoque eundem recepit pag. 229. & 230. Docet ibi ex Tacito lib. IV. Ann. magna ambitione a legatis Asiæ certatum Romæ fuisse, quanam in civitate templum Tiberio, ob merita illius in illas urbes, statueretur; Smyrnæos a patribus fuisse prælatos: Senatus propterea & Liviæ (quæ mater Tiberii, annos nata LXXXV. diem suum obiit A. V. C. DCCLXXVIII. quo hoc illi templum decretum fuit) capita in nummo, & Tiberii imaginem in templo, signasse Smyrneos, sub proconsule Petronio, quod confirmat Philo de Legat. ad Cajum, opera præfecti Hieronymi, cujus plura in honorem Tiberii, Smyrnæ cusa, exstant numismata.

P. Petronium, Asiæ proconsulem, idem Vaill. censet fuisse filium præcedentis P. Petronii Turpiliani; verum Petronii Turpiliani filius Petronius, item Turpilianus dictus, consul fuit A. V. C. DCCCXIV. quem postea A. V. C. DCCCXXII. Galba in itinere cruento, dum Romam contendit, inauditum interfecit. Utrumque testatur Tacitus; illud Ann. XIV. 21. hoc Hist. I. 6.

Litera H.

IMP*erator* TI*berius* CLAVDIVS AVG*ustus* GER*manicus*. Caput Claudii imperatoris laureatum.

ΕΠΙ ΠΕΤΡΟΝΙΟΥ ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ ϙ. *Sub Petronio Antiochensium. Anno nonagesimo.* In laurea. Lauream passim in nummis imperatorum habent nummi Antiochenses, vel propter Apollinis ibi cultum, vel honorem Cæsaris, ut universi orbis victoris.

Docet laudatus Vaillantius ibidem pag. 230. P. Petronium, post Asiæ proconsulatum, quem sub Tiberio gessit, missum fuisse successorem in Syria L. Vitellio A. V. C. DCCLXXXXII. teste Josepho & Philone Judæis, atque A. V. C. DCCLXXXXIV. Antiochenses sub illo, occiso jam Cajo, imperium Claudio gratulatos fuisse. Quod quidem accidit æræ Antiochensium novæ anno XC. Sumserat autem illa initium pridie Kal. Octob. DCCIV. sub Julio Cæsare.

PINARIA.

Gens Pinaria antiquissima fuit, regum Romanorum temporibus inclita, cujus origo a quibusdam ad Pinum Numæ regis filium refertur. Inter patricias recensetur. Cognomina plura habuit, in Nattas, Poscas, Rufos, Scarpos, & Ruscas divisa. In nummis antiquis Nattæ & Scarpi tantum supersunt.

I.

Caput Romæ galea alata ornatum, cum denarii nota.

NATTA. Subtus scribitur ROMA. Victoria in citis bigis, dextra corollam præferens, læva equorum habenas regens.

Denarius hic cum sequentibus quinque nummis ad unum atque eundem Pinarium Nattam pertinere videtur, qui, quo tempore vixerit, non nisi ex conjecturis, atque pondere assium æreorum, qui subjunguntur, colligi potest. Primus, qui inter Pinarios cum cognomine Nattæ occurrit, vixit ante tempora belli Punici primi. Memoratur enim inter quæstores militares A. V. C. CCCLXXXVI. L. Pinarius Natta; quo anno de Gallis triumphavit M. Furius Camillus. Qui idem, aliquanto post, videlicet A. V. C. CCCLXXXX. urbe in conquirendis piaculis occupata ad sedandum pestem, magister equitum dictus fuit a L. Manlio Capitolino Imperioso, qui, religionis gratia, ad pangendum clavum dictator creatus fuerat. Ædilis curulis exstitit A. V. C. CCCCI. Tandem A. V. C. CCCCIV. quum, Appio consule mortuo, consulum alter Camillus, teste Livio lib. VII. ex conscriptis decem legionibus duas ad præsidium urbis reliquisset, reliquas octo cum prætore contra Græcos ituro divisisset, quatuor legiones ex divisione ista accepit prætor L. Pinarius Natta; atque cum illis, contra Græcos prædones, Italiam classe infestantes, profectus est. Hujus L. Pinarii Nattæ, quæstoris militaris, magistri equitum, ædilis curulis, atque prætoris, nepos ex filio Lucio videtur fuisse L. Pinarius Natta, qui a Pighio inter quæstores militares recensetur A. V. C. CCCCLXXXIV. qui, itidem ut pater, ad ædilitatem curulem pervenit A. V. C. CCCCLXXXIX. De hoc vero nihil amplius legisse apud veteres memini, qui de patre itidem silent. Vaillantius, in libro vitiosissime edito, non satis distincte de his Nattis loquitur, Tom. II. pag. 232. scribens: „ Forma denarii, cum typo Castoris „ & Pollucis, antiqua est, &c, ni fallor, il- „ le spectat ad L. Pinarium Nattam filii L. „ Pinarii. Ille quæstor militaris fuit A. V. C. „ CCCCLXXXVI. ædilis curulis A. V. C. „ CCCCLXXXIX. Ille vero quæsturam pro- „ vincialem suscepit A. V. C. DXIX. in qua „ solemnem denariorum Romanorum typum &c." Scribere enim debuit, „ Spectat ad L. Pinarium „ Nattam filii L. Pinarii filium. Ille quæstor „ militaris &c. Hic vero quæsturam provincia- „ lem &c." Sed vel sic tamen historiam turbat; nepos enim hic Natta quæsturam illam provincialem anno DXIX. non legitur gessisse; sed Vaillantii memoriæ obversata fuisse videtur quæstura militaris, quam gessisse diximus A. V. C. CCCCLXXXIV. neque ad minores magistratus ab honorum majorum gradu deturbari debuit L. Pinarius Natta nepos, qui jam A. V. C. CCCCLXXXIX. ædilis curulis fuisse legitur.

Nullus tamen ex hisce tribus, patre, filio, nepote, hosce denarios nummosque signare potuit; sed necesse est, ut eos adscribamus alicui Pinario Nattæ, qui vixerit tempore belli Punici primi, quod incepit A. V. C. CCCCLXXXVIII. a quo tempore usque ad A. V. C. DXXXV. asses librales diminuti inveniuntur ad pondus sextantarium. Unde liquet, omnes hosce nummos cusos fuisse tempore intermedio, a prioris L. Pinarii Nattæ pronepote, vel triumviro monetali, vel quæstore urbano; adscribitur enim in omnibus urbis Romæ nomen, quod urbano quæstori, non provinciali, eosdem adjudicat.

De Pinariis Nattis altum post hos apud scriptores in Romana republica est silentium, usque ad Cæsarum priorum tempora, quibus Natta quidam, famosus propter vitæ probra, invenitur, ita ut dissoluti homines & abjecti proverbaliter *Nattæ* dicerentur. Horat. Serm. I. VI. 124.

— — — — — — *Ungor olivo,*
Non quo fraudatis immundus Natta lucernis.

Juvenal. Satyr. VIII. 95.

— — — *ſed quid damnatio confert,*
Quum Panſa eripiat, quidquid tibi Natta reliquit?

Perſius Sat. III. 31.

Non pudet ad morem diſcincti vivere Nattæ?

Pinarii Nattæ cujusdam feſtivum dictum legitur apud Senecam Epiſt. CXXII. *Recitabat Montanus Julius carmen tolerabilis poëta, & amicitia Tiberii notus, & frigore. Ortus & occaſus libentiſſime inſerebat. Itaque quum indignaretur quidam illum tota die recitaſſe, & negaret accedendum ad recitationes ejus, Natta Pinarius ait: Numquid liberalius poſſum agere? Paratus ſum illum audire ab ortu ad occaſum.* Tripaldæ, teſte Fabretto lib. IX. num. 78. hæc invenitur inſcriptio.

L. PINARIO. L. F. GAL. NATTAE
AED. II VIR. Q. TR. MIL. LEG. III
PRAEFECTO BERENICIDIS
M. BIVELLIVS. C. F. GAL.

Ex quibus omnibus adparet prænomen Lucii Pinariis Nattis & familiare & hæreditarium fuisſe.

II.

Caput Romæ galea alata ornatum, cum nota denarii.

NAT*ta*. Subtus ROMA. Victoria in citis bigis, dextra flagellum tenet, læva equorum habenas.

Typus vulgaris eſt bigatorum. Victoria in præcedente nummo corollam tenet, vel ob res proavi contra prædones proſpere geſtas, vel potius propter omen victoriæ Romanæ perpetuæ, cujus celeritas paſſim per citas bigas exprimi ſolet.

Litera A.

Caput Romæ galeatum, ut ſupra, cum denarii nota.

NATTA, literis monogrammati incluſis. Dioſcuri in equis. Subtus ROMA.

Typorum ſimplicitas, & ratio ſcribendi ſine nomine vel prænomine, denarios hos ad belli Punici primi tempora revocant.

III.

Caput Jani geminum, barbatum & laureatum, cum remo inter tempora.

NAT*ta*. Prora navis. Subtus legitur ROMA.

Aſſis eſt ſextantarii ponderis, unde cuſi nummi tempus patet, videlicet bello Punico primo.

Litera B.

Caput idem Jani bifrontis.

NATTA, literis invicem connexis. Prora navis, cum nota aſſis, ſubtus legitur ROMA.

Hic quoque as ſextantarii eſt ponderis, atque inſignem antiquitatem præ ſe fert, quod mihi ex illo patet, quem ipſe ſervo.

Litera C.

Caput Herculis leonis exuviis veſtitum; retro tres ſunt globuli.

NAT*ta*. Prora navis, cum tribus itidem globulis ſive punctis, quadrantis indicibus.

Primus hunc nummum produxit Patinus, ſed detritum & minus integrum; unde deceptus Vaillantius non eſſe quadrantem judicavit, quod ſcilicet tribus illis punctis, quibus quadrantes notari ſolent, deſtitueretur. Credidit itaque dimidiam partem eſſe quadrantis, ſive ſextantem; quod enim adjicit, pondus quartæ ſextantarii parti non reſpondere, id ex conjectura adfirmare videtur; teſtis enim oculatus Morellius, qui picturam ad ipſius nummi fidem delineavit, contrarium docet.

IV.

M*arcus* ANTO*nius* CO*n*S*ul* III. IMP*erator* IIII. Caput Jovis Ammonis cornutum.

ANTONIVS AVG*ur*. SCARPVS IMP*erator*. Victoria gradiens cum palma & corolla.

De Antonio & parte denarii priore, quæ ad illum ſpectat, diximus ad nummos Fam. Antoniæ pag. 23. & 24. De Pinario Scarpo itaque jam agendum eſt. Geſta ejus in obſcuro ſunt. Præfuiſſe tamen Africæ parti ſub Antonio ex Dione & Plutarcho Urſinus atque Vaillantius docuerunt, & denarii typus, qui Jovis Ammonis caput habet, adſtipulatur. Imperatoris ibi titulum, ex pugna aliqua contra barbaros, meruiſſe videtur. Quod ſilent Hiſtoriæ, docent nummi ſequentes; videlicet ſub Auguſto eundem provinciæ alicujus, Africæ ut videtur, curam geſſiſſe. Notat Pinarii hujus malam erga Antonium fidem Dio lib. LI. pag. 446. Ἀντώνιος δὲ ἔπεμψε μὲν ἐς τὴν Λιβύην πρός τε Πινάριον Σκάρπον, καὶ πρὸς τὸ στράτευμα τὸ μετ᾽ αὐτοῦ ἐπὶ τῇ τῆς Αἰγύπτου φυλακῇ ἐνταῦθα προσυνειλεγμένον· ἐπεὶ δ᾽ οὔτε προσεδέξατο αὐτὸν καὶ προσέτι καὶ τοὺς προπεμφθέντας ὑπ᾽ αὐτοῦ ἔσφαξε, τῶν τε στρατιωτῶν, ὧν ἦρχεν, ἀγανακτήσαντάς τινας ἐπὶ τούτῳ διέφθειρεν· οὕτω δὴ καὶ αὐτὸς ἐς τὴν Ἀλεξάνδρειαν μηδὲν πράξας ἐκομίσθη. *Ceterum Antonius in Africam quosdam miſit ad Pinarium Scarpum, & exercitum, quem is jam ante ibi conſcriptum ad tuendam Ægyptum habebat: verum quum neque reciperetur ab eo, & miſſos quoque ad ſe is occidiſſet, nonnullosque milites id moleſte ferentes necaſſet, infecta re Antonius ipſe quoque Alexandriam ſe contulit.* Cornelio Gallo, quem Ægypto poſtea præfecit Auguſtus, exercitum ſuum perfide tradiderat Scarpus, ut notat idem Dio lib. LI. pag. 448. Πρὶν δὲ ἤδη ταῦτα γίνεσθαι, μαθὼν ὁ Ἀντώνιος ὅτι Κορνήλιος Γάλλος τό, τε τοῦ Σκάρπου στράτευμα παρείληφε, καὶ μετ᾽ αὐτῶν τὸ Παραιτόνιον ἐξαίφνης παρελθὼν κατέσχηκεν, ἐς μὲν τὴν Συρίαν, καίτοι βουληθεὶς κατὰ τὴν τῶν μονομάχων μετάπεμψιν ὁρμῆσαι, οὐκ ἐπορεύθη. *Verum antequam hæc acta ſunt, Antonius, cognito, Cornelium Gallum, accepto Scarpi exercitu, ſubito Parætonium occupaſſe, etſi in Syriam proficiſci evocatus a gladiatoribus in animo habebat: tamen eo omiſſo, ad Parætonium contendit.* Quatuor ibidem legiones habuiſſe docet Oroſius lib. VI. cap. 19. *Inde in Syriam profectus* (Cæſar) *mox Peluſium adiit, ubi ab Antonianis præſidiis ultro*

tro susceptus est. Interea Cornelius Gallus, præmissus a Cæsare, quatuor legiones, quas Antonius apud Cyrenas præsidii loco constituerat, suscepit in fidem: atque inde Parætonium, primam Ægypti a Libyæ parte civitatem, victo cepit Antonio. Quantopere hæc Scarpi perfidia Antonium perculerit, docet in Vita ejus Plutarchus p. 948. Ἐπεὶ δὲ καὶ τὴν ἐν Λιβύῃ δύναμιν ὁ πεπιστευμένος ἀπέστησεν, ὁρμήσας ἑαυτὸν ἀνελεῖν, καὶ διακωλυθεὶς ὑπὸ τῶν φίλων &c. *Postquam vero & præfectus copiis Africanis in Libya ab illo descivit occidendi semetipsum cepit impetum, sed prohibitus ab amicis* &c. Terræ itaque Cyrenaicæ præfectus erat Pinarius, quod docet Orosius, nam reliqua Africa partes Cæsaris fere universa sequebatur. Enumeratis enim Cæsaris & alibi & in Africa viribus, addit Plutarchus p. 944. Τὰ δὲ ἀπὸ Κυρήνης μέχρις Αἰθιοπίας, Ἀντώνιος εἶχε. *Reliqua a Cyrenis Æthiopia tenus Antonius tenebat.* Cæsari quoque paruisse universam Libyam, sive Africam, dicit Dio lib. L. p. 483. Πλὴν τῶν περὶ τὴν Κυρήνην, ἣ οἱ τοῦ Βογοῦ τότε Βόκχου γεγονότες. *Excepta Cyrenaica, & ea Africa, quæ Bogudi prius ac Boccho paruerat.*

Et hæc de Pinario Scarpo. Diximus vero ad Antonii nummos p. 24. signatam forsitan Victoriæ imaginem ex præconcepta ejus opinione fuisse, præreptumque ideo titulum imperatoris IV. Illud ab Antonii vesania non fuisse alienum patet ex Dione lib. L. p. 422. Qui, ubi narravit illum de republica reddenda promisisse sexto post victos hostes mense, addit: Καὶ ὁ μὲν, εἰ καὶ τὰ μάλιστα μὴ ἤμελλεν αὐτὸ πράξειν, ἀλλ' ὡς πάντη γε πάντως κρατήσων ἐπηγγέλλετο. τά τε γὰρ ἑαυτοῦ πολὺ τοῖς πλήθεσιν ἰσχυρότερα ἑώρα ὄντα, καὶ τὰ τῶν ἐναντίων ἀσθενῶν δωροδοκίαις ἤλπιζε. *Et hæc quidem ille, quamvis nequaquam in animo haberet, tamen tanquam plane certus de victoria promittebat; quod & longe majorem sibi quam adversario adesse multitudinem videbat, & istius copias se largitionibus corrupturum sperabat.*

V.

CAESAR DIVI *Filius.* Victoria gradiens cum corolla & palma.

SCARPVS IMP*erator*. Manus expansa, sive vola manus, ut & ea manus pars quæ carpus dicitur.

Manum expansam in denariis Pinarius signavit propter cognomen Scarpi sivi Carpi, ut notarunt antiquarii. Cusus vero hic denarius fuit post Antonii partes debellatas, Cæsare jam rerum potito. Videtur vero Pinarius Scarpus, quamvis exercitum Cornelio Gallo tradidisset, confirmatus fuisse a Cæsare in regenda provincia Cyrenaica, & longius in eadem mansisse, testibus denariis qui sequuntur.

VI.

AVGVSTVS DIVI *Filius.* Victoria globo insistens, læva palmam, dextra corollam gerens.

IMP*eratori* CAESARI SCARPVS IMP*erator*. Manus expansa ut supra.

Cusus hic denarius est postquam Augusti cognomen accepit Cæsar, quod die XVII. Januarii A. V. C. DCCXXVII. coss. C. Cæsare Octaviano VII. & M. Vipsanio Agrippa III. factum fuisse notant annales. Novum itaque nomen Cæsari gratulatur Scarpus. Notari etiam in hoc denario meretur imperatoris nomen, quod more novo Cæsaris nomini præponitur, antiquo, postponitur nomini ipsius Scarpi. Victo Antonio & pacatis provinciis orbis imperium solus habebat Augustus, unde Victoria, quæ gradiens solo cernitur in denariis duobus præcedentibus, in hoc & sequenti, globo terrarum insistit.

Litera D.

AVG*ustus* PONT*ifex* DIVI *Filius.* Victoria, ut supra.

IMP*eratori* CAESARI SCARPVS IMP*erator*. Manus expansa.

Pontificis titulus docet cusum hunc denarium fuisse post mortem Lepidi. Nam A. V. C. DCCXLI. die VI. Martii, mortuo Æmilio Lepido, Pontifex maximus dictus fuit Augustus. In hoc itaque denario novam dignitatem Cæsari gratulatur Scarpus, sicuti in præcedenti novo cognomine illum extulerat.

PLAETORIA.

Gentem Plætoriam, quæ & Lætoria, faciliore linguæ sono, dicta fuit, plebejam fuisse patet ex duobus tribunis plebis, qui vario tempore ex eadem fuerunt, & quorum uterque Marci prænomen gessit. Cognomen Cestiani habuerunt illi, quorum denarii supersunt, Cestio quodam a Plætoriis adoptato.

TAB. I.

I.

Caput muliebre, deæ Liberæ, ut videtur; post illud rota est monetarii signum.

Marcus PLAETOR*ius* CEST*ianus. Senatus Consulto.* Deæ Sortis bustum, ut testatur inscriptio, SORS. in tabella cui bustum illud insistit.

Sortem deam Romanis fuisse sine ratione negat Harduinus. Scripserat Plinius lib. II. cap. VII. pag. 73. *Adeoque obnoxiæ sumus sortis, ut Sors ipsa pro deo sit, qua deus probatur incertus.* Ad quæ hæc notavit Harduinus: „ Non fuit „ apud Romanos dea Sors: quamvis id nonnul„ li colligunt ex nummo argenteo vetere, qui „ est apud Patinum, in Fam. p. 209. Parte priore, „ Concordiæ caput exhibet, posteriore M. PLAE„ TOR. CEST. S. C. *Marcus Plætorius Cestia„ nus, Senatusconsulto.* Deæ effigies pectore tenus, „ imposita tabellæ, in qua scriptum, est SORS. „ At effigies Prudentiam potius, quam Sortem „ refert. Ac, si Sors ibi intelligenda esset, SOR„ TI, non SORS, scriberetur. Nos sic inter„ pretamur, *Salus Orbis Romana Sapientia:* „ juxta illud Sapientiæ VI, 26. *Multitudo sa„ pientium sanitas est orbis terrarum.* M. Plæto„ rii Cestiani nomen, sub Augusto Cæsare cu„ sum hunc nummum fuisse suadet." Hæc, pro more suo, Harduinus; in quibus, ut reliqua taceam, frustra contendit SORTI debuisse scribi, non SORS, uti in denario exstat, si dea Sors intelligenda foret. Contrarium plures nummi multarum familiarum docent. In Æmilia tab. prima num. VI. occurrit CONCORDIA cum adposito deæ capite velato; in Antonia, tab. pr. num. III. & tribus seqq. PIETAS, cum adpicta deæ imagine; in Cassia LEIBERTAS, tab. secunda num. IV. & V. ut & in Junia, tab. tertia num. I. & IV. addito ejus deæ

deæ capite. In aliis alia deorum dearumque capita cum adpositis nominibus in primo casu.

Sortis itaque caput sive bustum, quod in hujus denarii parte posteriore observatur, ad Sortem Prænestinam videtur referendum esse; cujus ædes jussu populi Romani fuerit restituta M. Plætorio ædili curuli curante, eodem scilicet anno, quo plurima deorum templa, labem aliquam a vetustate passa, refecta fuerunt; unde symbola eorumdem in sequentibus denariis adparent, Jovis, Dianæ, Cereris, Victoriæ, Minervæ, Apollinis, Mercurii, & Vestæ, uti ad singulos dicturi sumus. De sorte, seu Sortibus Prænestinis & earum origine fuse Cicero lib. II. de Divin. cap. 42. *Atque, ut in haruspicina fecimus, sic videamus, clarissimarum sortium quæ tradatur inventio. Numerium Suffucium Prænestinorum monumenta declarant, honestum hominem, & nobilem, somniis crebris, ad extremum etiam minantibus, cum juberetur certo in loco silicem cædere, perterritum visis, irridentibus suis civibus, id agere cœpisse: itaque perfracto saxo sorteis erupisse, in robore insculptis priscarum litterarum notis. Is est hodie locus septus religiose propter Jovis pueri, qui lactens cum Iunone in gremio Fortunæ sedens, mammam adpetens, castissime colitur a matribus. Eodem tempore, illo loco, ubi nunc Fortunæ sita ædes est, mel ex olea fluxisse dicunt, haruspicesque dixisse, summa nobilitate illas sorteis futuras, eorumque jussu ex illa olea arcam esse factam: eaque conditas sorteis, quæ hodie Fortunæ monitu tolluntur.* Itaque Liberæ caput, sive Proserpinæ, pari ratione in priori hujus denarii parte exprimi existimo. De M. Plætorio, qui denarios hos signavit, acturi sumus ad num. V.

Litera A.

Caput idem Liberæ, sive Proserpinæ, ut videtur; retro illud monetarii sunt signa, cochlearis genus & literæ connexæ AT.

Marcus PLAETORius CESTianus *Senatus Consulto.* SORS. Deæ Sortis bustum, ut supra.

Litera B.

Caput idem; post illud apicula est, monetarii signum, nisi ad mel Siculum referre placet, ut conveniat cum Proserpina in Sicilia rapta a Plutone; qua ratione in duobus prioribus denariis minuta illa signa currum raptoris, & sacrificia ejus deæ denotare possunt. Apicula quoque in hoc denario referri potest ad ipsarum Sortium originem; de quibus Cic. lib. II. de Divin. cap. *Eodem tempore in loco, ubi nunc Fortunæ sita ædes est, mel ex olea fluxisse dicunt, haruspicesque dixisse, summa nobilitate illas sortes futuras.*

II.

Caput Sibyllæ, ut arbitror; post illud lacerta est.

Marcus PLAETORIus CESTianus. *Senatus Consulto.* Templum Sortium Prænestinarum triangulare; in aditu ejusdem numen marinum conspicitur.

Caput, quod nos Sibyllæ esse existimamus, de altera Sortium interpretatur Vaillantius, quod Sortes Prænestinæ numero plurali sæpe scribantur. Verum illud me nihil movet; neque enim nomen deæ adscribitur, ut in ipsius imagine seu busto in denariis præcedentibus; Et sortes numero plurali dicebantur non respectu duorum numinum, sed plurium sortium in robore inscriptarum, ut docet Cicero loco ad num. I. adlato. Credo potius Sibyllæ caput esse, simplicem enim & antiquum morem redolet capitis muliebris ornatus. Erant vero Sortes Prænestinæ tanquam oracula alicujus Sibyllæ; unde non sine ratione caput ejus depingitur ab anteriore parte denariorum, quorum pars posterior templum Sortium Prænestinarum exhibet. Exstat liber doctissimus Josephi Mariæ Suaresii, de Prænestis Antiquitate, insertus Thes. Italico tomo VIII. parte IV. in quo iconographia atque ichnographia pulcherrima templi Fortunæ Prenestinæ exhibetur, quam operæ pretium est inspicere, atque cum nummis conferre. Excisum ex ipsa rupe templum quatuor quadratis sensim decrescentibus depingitur, ita ut prima pars, quæ in conspectum cadit, sit latissima; prouti in his quoque denariis latior ejusdem figura est, quæ sensim decrescens tandem triangularem format conspectum, uti faciebat ipsum quadruplex illud vetus ædificium, quod in oculos incurrere debebat latum in principio, in fine quasi acuminatum.

Quid monstrum illud marinum sibi velit, difficile est definire. Tritonis est figura, in picturis hisce clypeum læva tenentis, apud Begerum clavam, Thes. Brand. tomo II. pag.571. Nolim illud ad sortis ambiguitatem referre cum Vaillantio, qui propterea figuram illam in duas partes inferne scindi existimat, p. 239. quod sortes in diversos exitus abire soleant. Potius aliquid ex antiquitate abstrusum atque incognitum nobis designare existimo.

Litera C.

Caput idem, ejusdem (ut puto) Sibyllæ, retro illud malleus est, monetariorum insigne. Pro Sibyllæ capite tamen dubito, an non rectius Junonis Reginæ caput in utroque nummo agnoscatur. Vide tab seq. lit. A. & num. IV.

Marcus PLAETORIVS CESTianus. *Senatus Consulto.* Eadem templi Fortunæ Prænestinæ figura. Discrimen tantum in signo monetarii est.

III.

CESTIANVS. *Senatus Consulto.* Caput cum humeris, ita compositis ornamentis, ut ad plura numina simul referri, tanquam aliquod Pantheon, possit. Alas habet, ut Victoria; pharetram & arcum, ut Diana; myrteam coronam, ut Venus; galeam, ut Minerva; spicam insuper & cornucopiæ, ut Ceres: facies muliebris est, unde patet ad deas, non ad deos, ornamenta illa varia referenda esse. Nummi oras ambit corolla.

Marcus PLAETORIVS *Marci Filius* AEDilis CVRulis. Aquila expansis alis, fulmini insistens. Nummum, ut in parte priore, corolla ambit.

Quamvis nihil præter Victoriæ bustum agnoscat Vaillantius, tot tamen & tam diversa symbola satis ostendunt ad solam Victoriam typum faciei muliebris referri non posse. Totidem itaque dearum templa in ædilitate Plætorii refecta fuisse existimo; Victoriæ scilicet, Dianæ, Veneris, Minervæ & Cereris; & denique ipsius Jovis. Ul-

Ultimum hoc, quum in deæ alicujus ornamentum, in parte priore, cadere non posset, separatim in parte denarii posteriori fuit expressum.

M. Plætorius, qui, non addito patris nomine, in prioribus denariis occurrit, patris Marci hic prænonem additum habet; de Marcis illis Plætoriis, patre filio, nepote, visuri sumus ad num. V.

Litera D.

CESTIANVS. *Senatus Consulto.* Caput pantheon idem; differt a præcedenti, quod nulla corona hunc nummum ambiat, & quod literæ diversimodo situ positæ sint.

IV.

Caput Apollinis Regis, lauream enim non habet, vel potius Vejovis vel Mercurii. Post illud situla est.

Marcus PLAETORI*us* CEST*ianus*. EX *Senatus Consulto.* Caduceus alatus.

Mercurii caput mavult Vaillantius, neque valde repugno. Vellem tamen nota petasi adesset; sed neque sagittæ adsunt, si jam Vejovis esse statuamus, neque diadema, si Apollinis Regis. Caduceus ab altera parte Mercurio favere videtur.

Colligo ex hoc typo, inter ædes a Plætorio, ædile curuli, refectas, fuisse quoque Mercurii templum; & forsitan illud ipsum, quod olim A. V. C. CCLVIII. a gentili suo & proavo M. Plætorio dedicatum fuisse legitur.

Pro situla sequentes aliquot nummi, qui capita tantum exhibent, nullo addito numero, alias monetariorum notas habent, videlicet literam Π. & figuram mali Punici vel papaveris, anchoram, instrumenta fabrilia, stellam, lilium, pedem cervinum, delphinum, palmam, acrostolium, aliaque; is enim, quem ego servo, spicam exhibet; & vidi alium qui squillam haberet.

Litera E.

Caput idem Mercurii, sed sine addita nota.

Marcus PLAETORI*us* CEST*ianus*. EX *Senatus Consulto.* Caduceus alatus, ut supra.

V.

CESTIANVS. Caput deæ Cybeles turritum, ante collum globus est, retro ramusculus in quatuor dispersus folia, sic enim nitidissimus meus exhibet, aliique, quos vidi; quod in illis, quos Morellius inspexit, tam liquido adparuisse non videtur. Oram nummi corolla ambit.

Marcus PLAETORIVS AED*ilis* CVR*ulis*. EX *Senatus Consulto.* Sella curulis, ante quam est anguis exsiliens, quem monetarii esse notam, diversitas notarum docet, quæ in aliquot sequentibus typis aversæ partis adparent; in aliis folium sive ramusculus adparet quercus, in aliis sepia, cancer, vel scorpio, vexillum, palma, spica, astrum in luna crescente, & in meo ala. Aversam quoque partem corolla ambit.

Caput Cybeles & sella curulis ad dignitatem ædilitiam & ædilem curulem spectant. Sella enim eburnea, sive curulis, ad illum magistratum pertinebat, sicut & cura ludorum Megalensium, in honorem Cybeles sive Magnæ Deorum Matris.

Notum est, in initio ædilitatem curulem patriciis proprium fuisse magistratum, ad reparandum amissum jus alterius consulis, qui ex plebe creabatur. Unde, quum, animadversa nobilium arte, quererentur tribuni plebis in concione, pro uno consule plebejo tres patricios prætextatos esse, unum prætorem, & duos ædiles curules, concordiæ caussa concessum fuit, ut ædiles curules alternis annis ex plebe fierent; postea promiscue creati sunt, libero comitiis populi suffragio relicto; atque ita M. Plætorius Cestianus, quamvis non fuerit patricius, sed ex plebe, ædilitatem curulem gerere potuit.

Inquiramus jam in illum M. Plætorium, ædilem curulem. Filius videtur fuisse M. Plætorii, quem propter humanitatis notam inhumanus Sulla occidit. Val. Max. IX. 11. 1. *At ille etiam M. Plætorium, quod ad Marii supplicium exanimis ceciderat, continuo ibi mactavit: novus punitor misericordiæ, apud quem iniquo animo scelus intueri, scelus admittere fuit.* Hic itaque M. Plætorius, filius M. Plætorii, qui ad supplicium Marii Gratidiani occisus a Sulla fuit, ædilis curulis exstitit A. V. C. DCLXXXV. una cum C. Flaminio, teste Cicerone Orat. pro Cluentio cap. XLV. *Nuper hominem tenuem, scribam ædilicium, D. Matrinium cum defendissem apud M. Junium, Q. Publicium prætores, & M. Plætorium, C. Flaminium, ædiles curules: persuasi, ut scribam jurati legerent eum, quem iidem isti censores ærarium reliquissent.* Mentionem ejusdem facere videtur pro Fontejo cap. V. *Crimen a Plætorio, judices, ita constitutum est* &c. atque ibidem cap. XII. *Orandus erit nobis amicus meus M. Plætorius, ut suos novos clientes a bello faciendo deterreat, ut eorum iratos animos, atque horribiles impetus deprecetur.* Neque tamen hunc cudisse hosce denarios arbitror, multo minus in curuli sua ædilitate signasse; neque enim monetæ cura ullo modo ad ædiles pertinuisse videtur, sed ad triumviros monetales, vel ad quæstores. Omnes itaque denarios, quos nobis gens Plætoria suppeditat, signatos fuisse arbitror a cognatis familiæ Plætoriæ Cestianæ, M. & L. Plætoriis, quorum uterque quæstor Bruti, qui Cæsarem occidit, in bello civili fuerit. Et quidem hisce utor argumentis; primo, tab. II. num. III. & IV. eadem deæ Monetæ facies, eadem deæ Monetæ inscriptio, & Senatus Consulti nota in L. Plætorii denario adparet, quæ in denariis M. Plætorii, ibidem lit. B. & in illo, qui ultimo inter denarios Cestianos loco ponitur. Secundo titulum quæstoris abesse in I. & II. L. Plætorii ibidem nummo, & in III. tantum poni; ut inde contra quæsturam M. Plætorii nihil sumi possit. Tertio, omnes hosce denarios extra urbem esse cusos; unde patet utrumque quæstorem in exercitu extra urbem fuisse; nullus exstat ex duarum tabularum nummis, qui vocem ROMA adscriptam habet. Quarto, argumentum Vaillantii a typo Matris Magnæ, atque sellæ curulis, & inscriptione ædilis curulis, non procedit, ut inde statuamus jus cudendæ monetæ penes ædiles fuisse, atque a M. Plætorio ædile curuli cusos hosce denarios fuisse; quod jam demonstrandum nobis est. M. Plætorius M. F. M. N. quem una cum propinquo suo L. Plætorio L. F. M. N. statuimus inter quæstores Bruti fuisse, tempore belli civilis, in hisce denariis honorem ædilitium patris sui M. Plætorii M. F. signavit, videlicet ædilitatem curulem, & tot deorum templa, in illa ædilitate ipsius refecta. Nam si ædiles jus hu-

buissent pecuniæ signandæ, collegæ ejus C. Flaminii superessent nummi, eundem sibi honorem vindicantis, quos omnes periisse credibile haud foret, tot Plætorii nummis superstitibus. Neque id sine exemplo fecit M. Plætorius nepos. Ut taceam capita virorum magnorum Marcelli, Sullæ, Reguli, aliorumque, una cum nominibus eorundem, a nepotibus in denariis expressa; honores quoque majorum, adjecto titulo & signo sive symbolo, a posteris pari modo signati fuerunt. Illustrius atque huic propius exemplum adferre nequeo, quam ex Fam. Cornelia tab. IV. num. II. ibi ab utraque parte exprimitur sella curulis, & inscribuntur nomina Q. Pompeji Q. F. Rufi consulis; & inde, Sullæ consulis. Neque tamen vel a consule Rufo, vel a consule Sulla, vel illorum temporibus cusus fuit ille denarius, sed post mortem illorum a Q. Pompejo Rufo filio, qui Sullæ filiam matrimonio tenebat, uti pluribus docuimus in istius nummi explicatione. Hunc itaque nummum sic lego, CESTIANVS EX *Senatus Consulto*, subintellige *quæstore cudit*. Reliqua sic: M. PLAETORIVS AEDilis CVRulis. sicuti juxta sellam consulum Pompeji Rufi & Sullæ, *Quintus* POMPEI*us Quinti Filius* CO*n*S*ul.* & SVLLA CO*n*S*ul.* ubi alio in loco nomen ejus qui cudit legitur, *Quintus* POMPEI*us* RVF*us.* sicut hic, a parte capitis, CESTIANVS.

Neque aliquis urgeat, illud *Senatus Consulto* poni non juxta Cestiani nomen a parte priori, sed a parte posteriori post M. Plætorii ædilitatem curulem, quasi is ex senatusconsulto ædes illas refecisset; qui enim tyro in his rebus non est, scit diversas nummi partes interdum integram lectionem simul formare, &c, ut credat, inspiciat num. III. lit. D. & lit. G. ubi nota illa a posteriori parte abest, & in priori ita locata invenitur CESTIANVS. *Senatus Consulto.* ut adpareat ad illum pertinere, qui quæstor sub Bruto, ex senatusconsulto, potestatem accepit signandorum horum denariorum, pariter ut propinquus L. Plætorius L. F. de quo ad tabulam sequentem; qui L. Plætorius, quoniam Lucii erat filius, non Marci, nihil quidem spectans ad illam ædilitatem curulem & templorum refectionem, sed alios typos in nummis suis exhibet, & dignitatem atque splendorem, quam a patre (ut Marcus noster) non habebat, in nummis suis a Bruto, cujus quæstor erat, est mutuatus.

Litera F.

CESTIANVS. Caput Cybeles, ut supra, turritum.

Marcus PLAETORIVS AED*ilis* CVR*ulis.* EX *Senatus Consulto.* Sella eadem curulis, cum scorpione vel cancro, nota monetarii.

Discrepat a reliquis, quod globum terrarum non habeat, qui in reliquis Vestæ, quoniam vi stat terra, recte adjungitur.

VI.

Caput idem muliebre, quod occurrit infra tab. II. lit. A. & C. & num. IV. sive Proserpinæ sit, sive Junonis, vel alterius numinis. Post litera I. est.

Marcus PLAETORI*us* CEST*ianus.* EX *Senatus Consulto.* Caduceus alatus, ut supra num. IV.

Videtur hic typus respicere ad refectas ædes Mercurii & Proserpinæ, vel numinis ejus, cujus caput exprimitur.

Litera G.

CESTIANVS. *Senatus Consulto.* Caput idem pantheon, quod observavimus in nummo II.

Marcus PLAETORIVS *Marci Filius* AEDilis CVR*ulis.* Aquila expansis alis fulmini insistens.

Illud in hujus denarii typo animadvertendum est, quod, præter reliqua ornamenta ad frontem deæ, supra galeam, exsurgant turres, quas Morellianus duas numero, tres vero meus (qui in reliquis omnibus num. III. similis est) exhibet, sicuti tribus ipsa dea Cybele in præcedentibus ornatur. Unde concludere licet, inter reliquas dearum ædes, a M. Plætorio, ædile curuli, refectas, ædem Cybeles quoque fuisse.

TAB. II.

I.

Lucius PLAET*orius* CEST*ianus.* Caput nudum M. Junii Bruti, percussoris Cæsaris, cum adscriptis literis BRVT*us* IMP*erator.*

EID*us* MAR*tiae.* Pileus inter duos pugiones. De M. Junio Bruto, idibus Martiis, atque pugionibus, & libertatis symbolo pileo, actum jam est in Fam. Junia. Occurrit itaque hic Bruti quæstor, ut dicitur num. III. L. Plætorius Cestianus, qui (ut remur) cum M. Plætorio eundem avum Marcum habuit, sed patrem Lucium, ut diserte scribitur num. III. Lucii illius, qui hujus pater fuisse videtur, meminit Cicero pro Cluentio cap. LX. *Opportune adest homo summa fide, & omni virtute præditus, L. Plætorius, senator, qui illius Capacis hospes fuit, & familiaris. Apud hunc ille Romæ habitavit, apud hunc ægrotavit, hujus domi est mortuus.*

Referuntur omnes hi nummi a Pighio ad A. V. C. DCCXI.

II.

Lucius PLAET*orius* CEST*ianus.* Caput deæ Pietatis, laureatum & velatum, cum modio in capite, prouti mos erat deas in Oriente exornare, ibi enim cusus hic denarius videtur.

BRVT*us* IMP*erator.* Securis, sive secespita & capeduncula, sacerdotii Bruti insignia.

Deæ Pietatis caput & signa sacerdotalia docent, in gratiam Bruti hujus denarii typum a quæstore ejus L. Plætorio signatum fuisse.

III.

MONETA. *Senatus Consulto.* Caput Junonis Monetæ.

Lucius PLAETORI*us Lucii Filius Quæstor. Senatus Consulto.* Figura virilis nuda, magno impetu currens, dextra aliquid super humerum gerit, quod rutabulum Vaillantio esse videtur, læva tenet, ut mihi videtur, forcipem, ut aliis, sacculum. Sub altero pede monetarii, sive matricis, nota clypeus est. Aliquot alii, qui sequuntur, nullo numero addito, nulla litera addita, notas habent alias, falcem, caduceum, apud Ursinum & Vaillantium tædam.

Lucius Plætorius, in denariis, qui hunc typum

pum gerunt, Lucii filius scribitur, & quod alias (sicut in propinquo ejus Marco Plætorio) conjecturis erat adsequendum, quæstorio titulo ornatur. Monetæ deæ facies ex inscriptione agnoscitur in parte priore; hinc in parte posteriore ministrum monetæ lubens cum Vaillantio agnosco, qui nudus depingitur propter calorem fornacis, currens cum impetu propter festinationem in illo opere necessariam, forcipem altera manu tenet, magni in moneta usus, & symbolum propterea Vulcani, atque rutabulum manu altera, quo liquefactum metallum moveatur.

Litera A.

Caput, ut puto, Junonis Reginæ, Græco more comtum, atque diademate exornatum. Retro illud concha est, monetarii signum.

Lucius PLAETORI*us* *Lucii Filius Quæstor. Senatus Consulto.* Eadem figura nuda currens; sub altero pede flagellum est.

Junonem Reginam, quæ divitiis mortales beare credebatur, monetæ præfecerunt Romani, unde & cognomen nacta fuit. Observatur plane idem hoc caput in M. Plætorii denariis, infra lit. C. & D. quod docet eodem tempore utriusque denarios fuisse cusos, & utrumque Bruti quæstorem fuisse.

Litera B.

MONETA. *Senatus Consulto.* Junonis Monetæ caput, ut in Lucii Plætorii nummo num. III.

Marcus PLAETORI*us* CEST*ianus.* EX *Senatus Consulto.* Urceolus & tæda.

Videntur hæc instrumenta ad monetam spectare, & ad rationem fundendi æris & argenti; quod quum flamma & vi ignis liquefieri debeat, atque ut liquescat, urceolis injicitur in fornacem ponendis; symbola ejus rei in hisce nummis videntur esse urceolus & tæda. Vel sunt symbola ædium Cereris & Proserpinæ in ædilitate M. Plætorii refectarum.

IV.

Caput Junonis Monetæ vel Junonis Reginæ, sine inscriptione.

Marcus PLAETORI*us* CEST*ianus.* EX *Senatus Consulto.* Urceolus cum tæda.

Similiter, ut præcedens, ad monetæ symbola pertinet. Cusi hi denarii omnes sunt ex senatusconsulto, ut adscripta passim nota arguit.

Litera C.

Caput idem Junonis Monetæ vel Junonis Reginæ, sine inscriptione, retro illud avis est, quæ anserem referre videtur.

Marcus PLAETORI*us* CEST*ianus.* EX *Senatus Consulto.* Urceolus & tæda, ut in præcedentibus.

Litera D.

Caput idem Junonis Reginæ. Retro illud, ales Junonia, pavo est.

Marcus PLAETORI*us* CEST*ianus.* EX *Senatus Consulto.* Urceolus iterum & tæda.

Qui sequuntur nummi, hisce similes, ideoque nullo numero, vel litera, distincti, matricum vel monetariorum varias notas retro caput deæ exhibent; videlicet papilionem, apiculam, pugionem, lacertam, capedunculum, urceolum, lauri ramusculum & alia. Ultimus, cujus utraque pars exhibetur, similis est num. B. nisi quod senatusconsulti nota a capite absit, & monile in collo deæ desideretur, ornatus quoque capitis aliquantum discrepet.

Litera E.

MVN*icipium* CAL*aguris* IVL*ia.* Caput Cæsaris Augusti nudum.

Marco PLAE*torio* TRAN*quillo* *Quinto* URSO IIVIR*is* ITER*um.* Bos, coloniæ symbolum.

M. Plætorius, in hujus coloniæ Hispanicæ nummo memoratus, ex veris Plætoriis forsitan fuit, quos enim jam recensuimus, M. & L. Plætorii Cestiani, natura ex gente Cestia fuerunt. Tranquilli cognomen hic gerit, & nummus docet secunda vice apud Calaguritanos duumviratum illi obtigisse. Nummus, qui nos doceat, cum quo magistratum prima vice gesserit, nondum est detectus. Q. Ursus, collega ejus, gesserat jam ante cum Cajo Mario Capitone, testibus Coloniarum nummis in Augusto, & apud Vaill. tom. I. p. 33.

Litera F.

MVN*icipium* CAL*aguris* IVL*ia.* Caput Augusti nudum.

Marco PLAE*torio* TRAN*quillo* *Quinto* VRSO IIVIR*is* ITER*um.* Bos, coloniæ symbolum.

Similis nummus est præcedenti, sed bovis figura aliquantum discrepat, & inscriptio alio ordine collocatur.

PLANCIA.

Gens Plancia plebeja fuit, tribunatum enim plebis gessit. Vari cognomine, in nummis Græcis, insignis legitur.

I.

CN*eus* PLANCIVS AED*ilis* CVR*ulis.* *Senatus Consulto.* Caput muliebre pileo tectum, auris inauri ornatur, collum monili quod pendulas habet gemmas.

Aversa pars nullam hebet inscriptionem, sed rupicapram, sive capram silvestrem, & post illam arcum cum pharetra.

Magno consensu hunc denarium antiquarii ad notissimi illius Cn. Plancii, Ciceronis amici, quem exsulem in Macedonia recepit, & a quo, quum in petitione ædilitatis ambitus accusaretur, defensus fuit, ædilitatem curulem referunt, ut in qua ludos & venationes ediderit. Vellem exstaret auctoritas veterum, quæ me doceret

ceret jus cudendæ monetæ penes ædiles fuiſſe; illa deficiente, aliam ſententiam amplector, quam mox ſum prolaturus.

De capite item non conſentiunt eruditi, omnesque, excepto Morellio, cæcutiunt. Libertatis caput ſomniat Begerus Theſ. Brand. tom. II. p. 570. Veneris, Vaillantius pag. 244. Eſt enim caput Macedoniæ, plane, ut in ſimili pictura nummi Fam. Antoniæ tab. prima num. V. quos nummos conferentem & egregie explicantem Morellium noſtrum hic audire operæ pretium eſt. Verba Morellii, ex libello ſæpe citato, hæc ſunt pag. 178. „ Quintus nummus tabulæ I. in gente ANTONIA indicat, C. „ Antonium (qui, ut ait Cicero de hoc ſuo in „ conſulatu collega) duorum fratrum ætatibus „ medius interjectus, vitiis cum utroque certa„ bat, & ſemper in ore habebat Macedoniam „ provinciam, in iſto nummo exprimi juſſiſſe „ caput Macedoniæ; ſiquidem exacte obſerva„ vi, caput eſſe fœmininum cum crinibus intortis, „ & hujus plane figuræ mulier cum eodem pileo „ capiti impoſito viſitur in nummis Hadriani, „ cum epigraphis: RESTITVTORI MACE„ DONIAE: & ADVENTVI AVG. MA„ CEDONIAE. Nullo proinde modo dubita„ re licet, C. Antonium hoc nummo & Ma„ cedoniæ emblemate laudem quæſiviſſe, quam„ vis hanc provinciam prave & avare admini„ ſtraſſet. In nummo Cn. Plancii idem caput „ Macedoniæ adparet, (quamvis alii propter pi„ leum Libertati adſignare voluerint) in averſa „ vero parte capra cum arcu & pharetra, quæ „ ſymbola alias ædilitatis eſſe ſolent. Cum au„ tem ejusmodi capra in plurimis Ægenſium „ nummis etiam occurrat, & hujus figuræ „ nummum nobis emin. cardin. Noris (in „ quo, teſte illuſtri Philippo a Turre, ſingu„ los laudum titulos, & ſummum locum do„ ctrina ſibi vindicante, ampliſſima dignitas „ acceſſio eſt) in Epochis Syro-Macedo„ num exhibeat, credere poſſemus Cn. Plancium „ ab una parte nummi Macedoniam, ab altera „ vero ejus regiam exprimere voluiſſe, ſi non „ adeſſent arcus & pharetra, quæ in ludis con„ ſuetas venationes denotare creduntur. Noriſianus ille, quem in teſtimonium advocat nummus, exſtat in opere illo numquam ſatis laudando p. 376. ubi nummum profert Diadumeni ab Ægeatis in Cilicia, Macedonum colonis, cuſum, in quo capra ſylveſtris exhibetur, altioribus, quam Morelliana pictura habet cornubus, & dentatis, prouti meus integerrimus plane capram illam exhibet. Nullum itaque mihi dubium eſt, quin, non ad venationes, quas ſcilicet ædilis curulis dederit Cn. Plancius, reſpiciat hujus denarii typus, ſed plane ad Macedoniam. Caput enim muliebre ipſius eſt Macedoniæ, capra ſylveſtris Macedoniæ quoque eſt ſymbolum, & in Philippi Macedonis, atque Ægeatarum nummis reperitur. Arcus & pharetra Macedoniæ itidem ſymbolum eſt, propter urbem Theſſalonicam, quæ eandem arcus & pharetræ delineationem & poſituram in nummis ſuis exhibet, imo ſæpiſſime quoque capram ſylveſtrem, quales nummos numero plures poſſideo.

Sicuti itaque quæſtores Bruti fuerunt Marcus Plætorius Ceſtianus & Lucius Plætorius Ceſtianus, de quibus modo egimus, ſic quoque inter Bruti quæſtores credo fuiſſe hunc Cneum Plancium, qui in ipſa Macedonia, in qua quæſtor Bruti fuit, hunc nummum ex ſenatusconſulto ſignaverit; quem Cn. Plancium præterea credo fuiſſe filium illius Cn. Plancii, qui in Macedonia primum tribunus militum fuit, deinde quæſtor in eadem provicia, ſub Apulejo prætore, Ciceronem, in exilium profectum, comiter excepit, & liberaliter habuit, qui deinde, poſt tribunatum plebis ædilitatem curulem geſſit cum A. Plancio, A. V. C. DCLXXXXIX. quum defenſus a Cicerone, dignitatem iſtam contra adverſariorum calumnias obtinuiſſet. Reipublicæ partes fovit, unde ſub Cæſare in exilio vivere coactus, conſolari a Cicerone meruit in fine libri IV. Epiſt. Fam.

Hujus Cn. Plancii, quæſtoris olim in eadem Macedonia, filius, itidem patris & avi prænomine Cneus dictus, atque libertatis amorem hæreditarium retinens, Bruti partes ſecutus fuit, interque quæſtores ejus adlectus hunc cudit nummum, cujus typo dupliciter patris ſui memoriam commendavit, a gratia apud Macedonas, quam obtinuerat in quæſtura ſua, typo & ſymbolis Macedoniæ; & a dignitate, quam adſcripto patris honore expreſſit, dum ponit patris nomen, cum dignitate, quam ſupergreſſus non fuerat, ædilitate curuli.

Dignitates parentum, æque ac vultus majorum, recenſeri in filiorum & nepotum nummis, jam, exemplo Pompeji Rufi ad Fam. Plætoriam tab. priore num. V. docuimus.

II.

ΑΥΤοκράτορι ΚΑΙΣΑΡΙ ΣΕΒΑΣΤΩ ΟΥΕΣΠΑΣΙΑΝΩ ΚΛΑΥΔΙοπολεῖται. *Imperatori Cæſari Auguſto Veſpaſiano Claudiopolitæ.* Caput Veſpaſiani laureatum.

ΕΠΙ ΜΑΡΚΟΥ ΠΛΑΝΚΙΟΥ ΟΥΑΡΟΥ ΑΝΘΥΠΑΤΟΥ. *Sub Marco Plancio Varo proconſule.* Caput muliebre diademate revinctum.

Hujus M. Plancii Vari notitiam nobis ſubminiſtrat Tacitus, qui Vitellii temporibus prætorium fuiſſe docet, atque ſub initia principatus ejusdem adflixiſſe accuſatione ſua Dolabellam, lib. Hiſt. II. cap. 63. *Dolabella, audita morte Othonis, urbem introierat. Id ei Plancius Varus, prætura functus, ex intimis Dolabellæ amicis, apud Flavium Sabinum, præfectum urbis, objecit, tanquam rupta cuſtodia, ducem ſe victis partibus oſtentaſſet; addit, tentatam cohortem, quæ Oſtiæ ageret. Nec ullis tantorum criminum probationibus in pænitentiam verſus, ſeram veniam poſt ſcelus quærebat.* Eundem M. Plancium Varum, imperante Veſpaſiano, Bithyniam proconſulari imperio rexiſſe, nummus hic cum ſex ſequentibus docent. In Bithynia fuit Claudiopolis, diverſa ab urbibus ejusdem nominis in Cappadocia, Galatia, & Iſauria. Bithynium quoque fuiſſe adpellatum docet Ptolemæus in Orbis deſcriptione, Κλαυδιόπολις, inquit, ἡ καὶ Βιθύνιον. *Claudiopolis, quæ & Bithynium dicitur.* Antinoum, amaſium Hadriani, ibi natum fuiſſe narrat Xiphilinus in Hadriano p. 262. Ὁ Ἀντίνοος ἦν μὲν ἐκ Βιθυνίου, πόλεως Βιθυνίδος, ἣν καὶ Κλαυδιοπόλιν καλοῦμεν. *Natus erat Antinous Bithynii, civitate Bithyniæ, quam etiam Claudiopolim adpellamus.* Situm urbis docet Strabo lib. XII. pag. 389. Ἐν τῇ μεσογαίᾳ τῆς Βιθυνίας τὸ Βιθύνιόν ἐστιν, ὑπερκείμενον τοῦ Τηΐου. *In mediterraneo Bithyniæ eſt Bithynium ſupra Teium ſitum.*

Caput muliebre, quod ab altera parte eſt, deæ Liberæ eſſe poteſt; Bacchi enim cultus ibi erat præcipuus, unde panthera Bacchi in num IV. & Bacchi caput, quod in aliis nummis teſtatur ſeſe vidiſſe Vaillantius, in libro de Num. Gr. p. 21.

III.

III.

ΑΥΤοκράτορι ΚΑΙΣΑΡΙ ΣΕΒΑΣΤΩ ΟΥΕΣΠΑΣΙΑΝΩ ΚΛΑΥΔΙΟπολῖται. *Imperatori Cæſari Auguſto Veſpaſiano Claudiopolitæ.* Caput Veſpaſiani laureatum.

ΕΠΙ ΜΑΡΚΟΥ ΠΛΑΝΚΙΟΥ ΟΥΑΡΟΥ ΑΝΘΥΠΑΤΟΥ. *Sub Marco Plancio Varo proconſule.* Aquila ſcipioni inſiſtens.

Romani imperii potentia hoc ſymbolo adumbratur.

IV.

ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΙ ΚΑΙΣΑΡΙ ΣΕΒΑΣΤΩ ΟΥΕΣΠΑΣΙΑΝΩ ΝΕΙΚΑιεις. *Imperatori Cæſari Auguſto Veſpaſiano Nicæenſes.* Caput Veſpaſiani laureatum.

ΕΠΙ ΜΑΡΚΟΥ ΠΛΑΝΚΙΟΥ ΟΥΑΡΟΥ ΑΝΘΥΠΑΤΟΥ. *Sub Marco Plancio Varo proconſule.* Panthera, ſive tigris, ſubſidens, atque lævum pedem cantharo inponens.

Symbolum Liberi Patris eſt, cujus eximius in Bithynia cultus erat. Cuſus nummus eſt a Nicæenſibus.

V.

ΑΥΤΟΚΡΑΤΩΡΙ ΚΑΙΣΑΡΙ ΣΕΒΑΣΤΩ ΟΥΕΣΠΑΣΙΑΝΩ ΝΕΙΚΑιεις. *Imperatori Cæſari Auguſto Veſpaſiano Nicæenſes.* Caput Veſpaſiani laureatum. In area inpreſſum adeſt ſignum connexas haſce literas habens ΜΗΤΕ. vel potius, ut puto, ΜΗΤΣ. ut dicat ΜΗΤροπόλεωΣ, atque ſignificet in urbe metropoli, Nicomedia ſcilicet, ut num. VII. & IX. revocatum poſtea hunc nummum ad impreſſionem fuiſſe, ut notam certi pretii acciperet; quod in pluribus nummis Græcis obſervavi.

ΕΠΙ ΜΑΡΚΟΥ ΠΛΑΝΚΙΟΥ ΟΥΑΡΟΥ ΑΝΘΥΠΑΤΟΥ. *Sub Marco Plancio Varo proconſule.* Quinque ſpicæ ſimul colligatæ.

Typus hic fertilitatem agri denotat.

VI.

ΑΥΤΟΚΡΑΤΩΡΙ ΚΑΙΣΑΡΙ ΣΕΒΑΣΤΩ ΟΥΕΣΠΑΣΙΑΝΩ ΝΕΙΚΑιεις. *Imperatori Cæſari Auguſto Veſpaſiano Nicæenſes.* Caput Veſpaſiani laureatum.

ΕΠΙ ΜΑΡΚΟΥ ΠΛΑΝΚΙΟΥ ΟΥΑΡΟΥ ΑΝΘΥΠΑΤΟΥ. *Sub Marco Plancio Varo proconſule.* Corytus cum arcu inter arcum & clavam.

Herculis hæc ſunt arma; Nicæa vero Macedonibus originem ſuam debet, condita enim primum fuit ab Antigono, qui Antigoniam adpellavit, deinde a Lyſimacho, qui urbis nomen mutavit, & ab uxore, Antipatri filia, Nicæam vocavit. Hinc forte Herculis arma, quæ in Macedonum ſunt nummis, in Nicææ urbis nummis itidem inveniuntur.

VII.

— — — — — — Epigraphe eroſa eſt. Caput Veſpaſiani laureatum.

ΜΑΡΚΟΣ ΠΛΑΝΚΙΟΣ ΟΥΑΡΟΣ ΑΝΘΥΠΑΤΟΣ Μ. . . . . in corona quernea.

Quernea corona Veſpaſianum, ut ſervatorem civium laudat. In metropoli Nicomedia cuſus fuiſſe nummus videtur.

VIII.

Numerus hic, ſive nummus hunc numerum habens, in hac tabella non obſervatur.

IX.

Pars prior, quæ Veſpaſiani caput continere debebat, abeſt.

ΤΗΣ ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩΣ ΝΕΙΚΟΜΗδειας: *Metropolis Nicomediæ*, in area nummi; in circuitu ejusdem, Μάρκυ ΠΛΑΝΚΙΟΥ ΟΥΑΡΟΥ ΑΝΘΥΠΑΤΟΥ. *Marci Plancii Vari proconſulis* anno ſcilicet ſecundo, is enim per literam B. inſuper in ſumma nummi area exprimitur.

PLAVTIA.

Gens Plautia plebeja fuit, ut ex tribunis plebis ejusdem gentis patet, pervenit tamen ad præturam & conſulatum, atque ſummos honores in republica geſſit.

I.

Lucius PLAVTIVS. Caput Solis adverſum.
Plancus. Aurora ſolis equos frænans.

Lucius Plautius, ſive Plotius, Plancus, frater fuit L. Munatii Planci, atque ab Plautio Hypſæo quodam, ut videtur, adoptatus, repudiato priore nomine Caji & nomine gentis, dictus fuit L. Plautius Plancus, quod cognomen Planci retinuit, quum alias Munatianus, producto antiquo nomine, dici debuiſſet. Hic eſt ille Plotius Plancus, quem A. V. C. DCCX. in teterrima illa triumvirorum proſcriptione, ſtantem pro republica, conſul deſignatus frater L. Munatius Plancus, curavit inter proſcriptos referri, & cujus miſerabile fatum narrant Plinius & Valerius Maximus. Plin. lib. XIII. cap. 3. *L. Plotium, L. Planci bis conſulis cenſorisque fratrem, proſcriptum a triumviris, in Salernitana latebra unguenti odore proditum conſtat.* Valerius Maximus lib. VI. cap. VIII. ex. 5. *Adjunxit ſe iis cladibus C. Plotius Plancus, Munatii Planci conſularis & cenſorii frater, qui cum a triumviris proſcriptus in regione Salernitana lateret; delicatiore vitæ genere, & odore unguenti, occultam ſalutis cuſtodiam detexit: Iſtis enim veſtigiis, eorum qui miſeros perſequebantur, ſagax inducta cura, abditum fugæ illius cubile odorata eſt. A quibus comprehenſi ſervi; multumque ac diu torti, negabant ſe ſcire ubi dominus eſſet. Non ſuſtinuit deinde Plancus tam fideles, tamque boni exempli ſervos ulterius cruciari: ſed proceſſit in medium; jugulumque gladiis militum objecit.* Unde inter execrationem civilis belli, qui currum Lepidi Planciqûe proſequebantur milites, hunc uſurparunt verſum:

De Germanis non de Gallis duo triumphant conſules.

At, quamvis honos prætorius in hoc denario exprimi videatur (ad præturam enim pervenit, & in illa ludos Apollinares edidiſſe videtur) non tamen ab ipſo L. Plautio Planco cuſum hunc denarium fuiſſe arbitror, quod prætoribus pecuniam ſignare non fuerit licitum, ſed a filio ejus; qui, poſt patris interitum, caſtra Caſſii & Bruti ſecutus fuiſſe videtur, & in illis quæſturæ munere functus fuiſſe; unde in Oriente ſignari hæc moneta potuit & per Auroram illa pars orbis deſignari.

II.

Marcus SCAVR*us* AED*ilis* CVR*ulis*. Figura genuflexa, læva ſtantem camelum capiſtro retinens, dextra ramum oleæ cum vittis more ſupplicis præfert. Infra ſcribitur REX ARETAS. ad latera EX *Senatus Conſulto.*

Publius HYPSAEVS AED*ilis* CVR*ulis*. *Caius* HYPSAE*us* *ConSul.* PREIVER*num* CAPTV*m*. Jupiter in citis quadrigis, læva tenens fulmen, dextra equorum habenas. Sub equis ſcorpio eſt, nota monetarii, unde in quibusdam denariis abeſt.

De parte denarii priore vidimus ad nummum primum tab. I. Fam. Æmiliæ pag. 8. & 9. Duarum vero familiarum decora in hoc denario recen-

censentur, Æmiliæ & Plautiæ. Æmiliæ peculiaris gloria erat rex Arabum Aretas supplex factus; privata Plautiæ laus Privernum Latii oppidum, olim a consule P. Plautio Hypsæo captum A. V. C. CCCCXII. Sed quum eodem A. V. C. DCLXXXXV. ædilitatem curulem gessissent M. Scaurus & P. Hypsæus, hæc illorum juncta dignitas in hoc denario expressa fuit, non quidem, ut arbitror, ab ipsis illis ædilibus curulibus, sed a filiis eorundem, qui reipublicæ partes contra triumviros, libertatis oppressores, secuti, simul quæsturam sub Bruto vel Cassio gesserint, adeoque EX *Senatus Consulto*, ut in omnium fere eorundem quæstorum nummis additur, hanc pecuniam, magna vi, in usum belli civilis signarunt.

III.

Publius YPSAE*us*. *Senatus Consulto*. Caput Veneris cum delphino.

Caius YPSAE*us* CO*n*S*ul* PRIV*ernum* CEPIT. Jupiter in citis quadrigis, læva equorum tenens habenas, dextra fulmen.

Hunc & sequentes ab eodem quæstore Bruti & Cassii partium cusos fuisse arbitror, filio videlicet P. Hypsæi, ædilis curulis, & ipso Publio dicto; quem in eodem bello civili periisse existimo; post illa tempora enim nihil amplius de familia Plautia Hypsæa legitur. Veneris caput signatum arbitror, ob cultum ejus deæ in urbe Græca, in qua nummi cusi fuerunt, nullus enim ex illis in urbe Roma, sed omnes extra Italiam cusi sunt. Vaillantius arbitratur signatos fuisse a patre P. Hypsæo, quum is, ante ædilitatem curulem, proquæstore adesset Pompejo Magno in Cilicia, Bithynia, & bello Mithridatico, concessa illi a senatu signandæ pecuniæ potestate ob magnas tanti belli inpensas, qua de caussa nota S. C. adponatur.

Litera A.

Publius YPSAE*us*. *Senatus Consulto*. Caput Veneris; retro illud delphinus est.

Caius YPSAE*us* CO*n*S*ul* PRIV*ernum* CEPIT. Jupiter, ut supra, in quadrigis.

Nihil plane differt a nummo præcedenti, nisi quod inscriptio, quæ ad caput Veneris adest, alio modo, sive loco, ponatur.

Litera B.

Senatus Consulto. Caput Veneris Reginæ myrto coronatum. Adest post caput sceptrum, signum potestatis.

Caius YPSAE*us* CO*n*S*ul* PRIV*ernum* CEPIT. Jupiter, ut supra, in quadrigis.

Reginæ ornatu dea Venus in hoc nummo adparet, quod sceptrum testatur; delphinus, maris, unde ortum dixit, symbolum, in præcedentibus adpingitur. Cusi forsitan omnes hi denarii in insula Cypro sunt.

IV.

Publius YPSAE*us*. *Senatus Consulto*. Caput Neptuni cum tridente adposito.

Caius YPSAE*us* CO*n*S*ul* PRIV*ernum* CEPIT. Jupiter, ut supra, in quadrigis.

Neptuni symbolum docet, urbem fuisse maritimam, in qua hi denarii cusi sunt, & forsitan ad usum classis, quas compluribus in locis Brutus & Cassius habuerunt. Cyprus vero antiquis Ægypti regibus, æque ac Paphos insula, inserviit ad monetam signandam; unde credibile est hosce denarios in Cypro insula vel Papho signatos fuisse.

Litera C.

In omnibus præcedenti est similis, nisi quod scorpio adpareat sub equorum pedibus; qui in hisce denariis nihil aliud quam monetarii nota est.

V.

Aulus PLAVTIVS AED*ilis* CVR*ulis*. *Senatus Consulto*. Caput muliebre turritum, Magnæ Matris, ut opinor.

BACCHIVS IVDAEVS. Figura ingeniculata, supplex, altera manu ramum oleæ porrigit, altera stantem camelum capistro retinet.

Plautii, qui Auli prænomen tulerunt, in familia Plautiorum Sylvanorum quærendi sunt; in illa enim, non tantum tempore reipublicæ, sed & sub Cæsaribus plures Auli Plautii enituerunt. Primus inter illos est A. Plautius Silvanus, qui post ædilitatem plebis ad præturam pervenit A. V. C. DCLXI. Secundus A. Plautius Silvanus numeratur inter quæstores A. V. C. DCLXXXXII. Tertius, post tribunatum plebis obtinuit ædilitatem curulem A. V. C. DCLXXXXIX. una cum Cn. Plancio. Hujus filium, Aulum quoque dictum, inter quæstores Bruti vel Cassii fuisse existimo, atque decus paternum in hoc denario celebrasse, videlicet ædilitatem ejus curulem, quam & inscriptio nummi testatur & caput Magnæ Matris turritum, propter ludos Megalenses editos. Bacchius Judæus in altera nummi parte supplex exprimitur; quoniam eo tempore, quo ab Æmilio Scauro ad pacis conditiones redactus fuit rex Arabum Aretas, Bacchius Judæus, qui partes Arabum fovisse creditur, ad similes supplicis conditiones videtur fuisse compulsus ab Aulo Plautio Silvano, Æmilii Scauri, ut nummus testari videtur, quæstore in Syria; quod factum fuit A. V. C. DCLXXXXII. Ex horum A. Plautiorum prosapia videtur fuisse Plautius Silvanus, prætor, qui solutis venis damnationem prævenit, quod uxorem Aproniam accusaretur in præceps dedisse, teste Tacito Ann. IV. c. 22. Item insignis ille A. Plautius Silvanus, quem primum consularium Britanniæ præposuit Claudius imperator, qui magnis illum honoribus cumulavit. Item temporibus Vespasiani T. Plautius M. F. A. N. Silvanus Ælianus, sub eodem iterum consul, & filius ejus P. Plautius Pulcher triumphalis. Plautius quoque Silvanus, bis consul sub Antonino Pio.

Omnes vero hosce nummos a variis conjuratoribus quæstoribus cusos esse arbitror, quod nusquam in illis vox ROMA adscribatur, unde patet extra urbem cusos fuisse, neque potuisse signari a prætoribus urbanis, vel ædilibus curulibus, quum illis jus cudendæ monetæ nequaquam fuerit. Deinde, quod honores & nomina, quæ adscribuntur passim in denariis, atque per symbola sua depinguntur, incidant in illa tempora, quibus vixerunt patres illorum, qui quæsturam, ut honorum initium, sub Bruto & Cassio gerere potuerunt. Denique nota senatusconsulti adscribitur, quod Bruto & Cassio in pro-

vinciam ituris, ex publico senatus decreto concessum fuisse videatur, ut quæstores illorum ex pecunia publica & vectigalibus provinciarum argentum in exercitus sui usum signarent.

Præter Ursinum & Vaillantium aliosque, denarium hunc, in quo Bacchius Judæus exprimitur, contemplatus quoque fuit Begerus in Observ. & Conject. p. 44. & in Thes. Brand. tom. II. p. 572.

VI.

Caput Romæ galeatum cum nota denarii.
Caius PLVTIus. ROMA. Dioscuri in equis.

Denarium hunc refert Vaillantius ad C. Plautium, quem virum primarium adpellat Cic. in Orat. pro L. Flacco. Tribunatum plebis seditiosum is gessit A. V. C. DCLXXXI. Statuit idem cusum hunc ab illo fuisse denarium in quæstura provinciali anno DCLXXVII. Sed & typus simplex & antiquus, & vetus scriptura Plutius, pro Plotio vel Plautio, ad antiquiora tempora nos jubet respicere. Referri itaque potest ad C. Plautium Hypsæum, cujus quæsturam urbanam ponit Pighius A. V. C. DLXXXXIV. in qua signasse hunc denarium videtur. Tribunus plebis exstitit A. V. C. DLXXXXIX. & ædilis curulis A. V. C. DCII. atque tandem ad præturam pervenit, & provinciam Hispaniam ulteriorem sortitus, res contra Viriathum male gessit, bis prælio fusus, A. V. C. DCV.

PLOTIA.

Familia Plotia, Plautia, & Plutia, eadem olim fuit, sed diversimoda pronunciatione prior syllaba nominis variantem scripturam accepit.

I.

CAESAR AVGVSTVS TRIBVNICia POTESTate. Caput Augusti nudum.
Caius PLOTIVS RVFVS III VIR *Auro Argento Aeri Flando Feriundo*. In area nummi est nota senatusconsulti.

Cajus Plotius Rufus, qui in hoc & sequentibus nummis triumvir monetalis senatus fuisse agnoscitur, is ipse forsitan est, quem in Augustum conspirasse legimus. Plautium illum (permutabatur enim vulgo pronunciatio nominis) vocat Suetonius in Vita Augusti cap. XIX. *Conjurationesque complures, prius quam invalescerent, indicio detectas, compressit.* Et paullo post: *Exin Plautii Rufi, Luciique Paulli progeneri sui.*

II.

AVGVSTVS TRIBVNICia POTESTate. In corona quernea.
Caius PLOTIVS RVFVS IIIVIR *Auro Argento Aeri Flando Feriundo*. In area nummi est nota senatusconsulti.

III.

OB CIVIS SERVATOS. Media vox in corona civica, sive quernea est. Utrinque lauri ramus est.
Caius PLOTIVS RVFVS III VIR *Auro Argento Aeri Flando Feriundo*. In area nummi est nota senatusconsulti.

Quernea corona, quotannis ante fores Cæsaris, sicut & rami laurei, adpendebatur, tanquam perpetuo triumphatoris & civium servatoris.

IV.

AVGVSTVS. C. . . . . EX *Decreto Decurionum*. Caput Augusti nudum.
ROMA. Publio Plotio . . . . NES ITERum. Roma gradiens, habitu succincto, læva hastam puram transversam gerit, dextra victoriolam.

Romæ & Augusti celebravit honores colonia, quæ nummum hunc signari fecit. Literæ quædam erosæ fraudem interpretationi faciunt, NES tamen posterior pars est vocis DECVRIONES.

POBLICIA.

Poblicia gens plebeja fuit, eadem cum Publicia, a Publius enim sive Poblius est Publicius & Poblicius. Cognomen Malleoli habuit, ut ex nummis constat. Malleolum inde, sive parvum malleum, adlusione facta ad cognomen suum, denariis suis adpinxerunt Malleoli.

I.

Lucius METELlus. *Aulus* ALB*inus Spurii Filius*. Caput Apollinis laureatum.
Caius MALLeolus ROMA. Roma tribus clypeis insidens, dextra tenens hastam, læva parazonium, coronatur a Victoria post tergum adstante.

Vidimus jam typum hunc in gente Cæcilia pag. 48 & 49. Inquiramus jam, quis ille fuerit C. Malleolus, qui cum duobus collegis in hoc denario nomen suum signavit. Triumviros monetales una fuisse non dubito. Tempus, quo vixerint, atque honorum illud primum incrementum gesserint, nos docet num. VI. quo determinatur sub censura L. Licinii & Cn. Domitii, qui illum magistratum adepti fuerunt A. V. C. DCLXI. atque usque ad lustrum factum gesserunt. Unde plures triumviri monetales nomina horum censorum in denariis suis expresserunt; videlicet M. Aurelius Scaurus in Fam. Aurel. num. V. L. Cosconius in Fam. Coscon. num. I. L. Pomponius Cn. F. in Fam. Pompon. num. II. L. Porcius Licinus in Fam. Porcia num. I. Hi itaque omnes hinc agnoscuntur honores suos auspicati fuisse A. V. C. DCLXI. vel paullo post, illis certe annis, quibus censuram Licinius & Domitius gesserunt. Itaque ille M. Æmilius Scaurus potuit esse filius M. Æmilii Scauri consulis A. V. C. DCXLV. & pater M. Aurelii Scauri, qui A. V. C. DCLXXXX. prætor provincialis fuisse legitur. Noster vero C. Poblicius Malleolus, de quo nihil apud scriptores legitur, ratione temporis, pater fuisse videtur C. Poblicii Malleoli, qui proconsulis Cn. Dolabellæ A. V. C. DCLXXIII. in Cilicia quæstor, ibidem periit, atque Verrem successorem, & bonorum simul raptorem habuit.

Litera A.

Caput Apollinis, nulla addita inscriptione.
Caius MALLeolus. ROMA. Typus idem, qui in præcedenti denario.

Nummus hic documento esse potest, solitos sæpe fuisse triumviros monetales nomina collegarum omittere, & suum tantummodo ponere.

II.

Sine epigraphe. Caput Romæ galeatum, cum denarii nota & malleolo.

Caius MAL*leolus*. Vir nudus, tanquam heros, palliolo vel ſtrophio dependente per tergum & crura, dextrum pedem thoraci imponit, dextra manu haſtam tenens. Ante illum ſtat tropæum erectum, poſt eundem prora eſt, cui cicada inſiſtit.

Typus hic, qui victoriæ alicujus monumentum exhibet, duplicem admittit interpretationem. Ipſe nummus cuſus videtur a Cajo Poblicio Malleolo, quæſtore Cn. Dolabellæ in Cilicia, A. V. DCLXXII. Vel ergo referri poteſt typus ad priſca gentis Poblicriæ decora, vel ad res geſtas illo anno, quo denarios hosce quæſtor Dolabellæ Poblicius ſignavit. Si, quod eligit Vaillantius, majorum laudes commendare voluit Poblicius, referri typus debet ad res geſtas M. Dolabellæ Malleoli, conſulis A. V. C. DXXI. cum M. Æmilio Lepido; quo anno ambo hi conſules miſſi fuerunt contra Sardos tumultuantes, quos compeſcuerunt, magna inde præda, teſte Zonara, relata; quam tamen Corſi, quum eo forte adpellerent, diripuerunt. Malim tamen ad poſteriora tempora referre, ut videlicet Poblicius Dolabellæ, prætoris ſui, res feliciter contra Cilicas geſtas, hoc typo commendet. Cilices enim, quamvis piratæ, maxime tamen incommodi Romanis hoſtes erant. Florus lib. III. cap. 6. *Interim, dum populus Romanus per diverſa terrarum diſtractus eſt, Cilices invaſerant maria: ſublatisque commerciis, rupto fœdere generis humani, ſic maria bello, quaſi tempeſtate præcluſerant. Audaciam perditis furioſisque latronibus dabat inquieta Mithridaticis præliis Aſia: dum ſub alieni belli tumultu, exterique regis invidia, impune graſſantur.* Addit deinde, quomodo Cretam, Cyrenas, Achajam ſinumque Maleum latrociniis ſuis infeſtaverint. Adjunxiſſe quoque ſeſe Sertorio exuli Cilicas auctor eſt Plutarchus, in Vita ejus pag. 571. Αὖθις εἰς Ἰβηρίαν ἀπέπλει, καὶ ταύτης μὲν ἀπεκρούσθη, Κιλικίων δὲ ληστρίδων αὐτῷ προσγενομένων, Πιτυούσῃ νήσῳ προσέβαλεν, καὶ ἀπέβη τὴν παρ' Ἀννίου φρουρὰν βιασάμενος. *In Hiſpaniam retro vela fecit: qua quum arceretur, adjunctis ſibi navibus piraticis ex Cilicia, decurrit ad inſulam Pityuſam, expoſitisque militibus, præſidium Annii oppreſſit.* Idem pag. 572. ubi egit de deſiderio, quo captus fuerat Sertoruis transmigrandi ad Inſulas Fortunatas, ut ibi vitam in quiete degeret. Αἰσθόμενοι δὲ οἱ Κίλικες, οὐδὲν εἰρήνης δεόμενοι καὶ σχολῆς, ἀλλὰ πλούτου καὶ λαφύρων, εἰς Λιβύην ἀνέπλευσαν. *Id ubi ſenſerunt Cilices, qui non quærebant pacem vel otium, ſed pecuniam & prædam, abnavigaverunt in Africam.* Itaque contra hos prædones plures Romanorum duces miſſi fuerunt, & inter illos fortiſſimi, Servilius, qui Iſaurici inde nomen reportavit, & tandem Pompejus Magnus. Primus vero miſſus fuit Dolabella, quem aliquam victoriam ex iisdem reportaſſe indicat adpoſitum tropæum, addita enim navis prora Cilicas indicat, ut rei navalis, quia piraticam exercebant, ſcientiſſimos. Figura illa nuda ipſum Dolabellam, tanquam Martem Victorem, adumbrare per adulationem videtur.

Cicadam, quam rati cernimus inſiſtere, Begerus explicat de ſpecioſo parſimoniæ velo, quo rapinas ſuas, qua infamem fuiſſe Malleolum ex Cicerone diſcimus, prætexerit idem Poblicius. Contemplatus enim hunc denarium fuit Begerus in Conject. & Obſerv. p. 42. & Theſ. Brand. tom. II. p. 572. Verum ego nihil aliud ſignificare exiſtimo quam monetarii notam, habeo enim ipſe hujus generis denarium, in quo abeſt illa cicada & nuda tantum ratis exprimitur.

III.

Sine epigraphe. Caput idem Romæ galeatum cum malleolo & denarii nota.

Caius MAL*leolus*. Typus idem, quem habuimus in denario præcedente, ſed pro prora navis eſt incudis figura, cui nomen Caji Malleoli inſcribitur, quod factum fuiſſe ſine ullo myſterio docet ſequens denarius, in quo ſub incude ſcribitur in ipſa nummi area. Incus vero refertur ad malleolum, qui ſupra caput Romæ adparet in parte priori; quæ duo inſtrumenta ad rem monetariam requiruntur, & quorum alterum aperte ad cognomen hujus Poblicii adludit.

Begerus, in libris adlatis, perſuaſit ſibi, ipſius Poblicii Malleoli faciem ſub capite formoſo, quod Romæ eſſe adſerimus, latere. Perſuadebit id, ut puto, nemini. Quis enim unquam quæſtorem, (gradus enim fere primus ad honores quæſtura erat) eo arrogantiæ progreſſum credat, ut faciem ſuam in publica pecunia inſculpſerit, & quidem liberæ reipublicæ tempore? Accidit enim hoc bellum contra Cilicas, republica adhuc ſtante & florente. Romæ caput magis vel minus adfabre & pulchre exprimi in nummis ſolet pro artificum & ſculptorum arte & peritia.

Litera B.

Similis in omnibus eſt præcedenti, ſed literæ *Caius* MAL*leolus*, ſub ipſo incude in area nummi ponuntur.

C. Malleolum quæſtorem Dolabellæ fuiſſe, teſte Cicerone, diximus, cujus teſtimonium, quamvis Urſinus jam præoccupaverit, ad noſcendum tamen hominem, hic repeti debet, emendata, quam quidam male exſcripſerunt, citatione. Cicero, poſtquam lib. I. in Verrem (non III.) cap. 15. Malleolo ſucceſſiſſe Verrem tradidit: *Itaque idem iſte, quem Cn. Dolabella poſtea, C. Malleolo occiſo proquæſtore habuit* &c. eodem lib. cap XXXVI. ſimilitudinem morum inter Malleolum iſtum & Verrem oſtendit his verbis: *Oſtendent C. Verrem in ea claſſe, quæ contra piratas ædificata ſit, piratam ipſum conſceleratum fuiſſe. C. Malleolo quæſtore Cn. Dolabellæ occiſo, duas ſibi hæreditates veniſſe arbitratus eſt: unam quæſtoriæ procurationis: nam a Dolabella ſtatim pro quæſtore juſſus eſt eſſe: alteram tutelæ. Nam, cum pupilli Malleoli tutor eſſet, in bona ejus impetum fecit. Nam Malleolus in provinciam ſic copioſe profectus erat, ut domi prorſus nihil relinqueret. præterea pecunias occuparat apud populos, & ſyngraphas fecerat: argenti optimi cælati grande pondus ſecum tulerat, (nam ille quoque ſodalis iſtius erat in hoc morbo & cupiditate) grande pondus argenti, familiam magnam, multos artifices multos formoſos homines reliquit. Iſte quod argenti placuit invaſit: quæ mancipia voluit, abduxit: vina, ceteraque, quæ in Aſia facillime comparantur, quæ ille reliquerat, aſportavit, reliqua vendidit: pecuniam exegit.*

IV.

ROMA. Caput Romæ galea Phrygia ornatum, utrimque ad galeam palmæ ramus ſurgit. Adeſt litera alphabetica P.

Caius

Caius POBLICI*us Quinti Filius.* Hercules, leonem amplexu suo atque valido brachiorum nisu suffocans. Ad pedes est clava, in area corytus est, & in coryto sagittæ & arcus. Adest etiam litera P. ut in priore denarii parte.

In familia Publiciorum, quæ Bibuli cognomen gessit, prænomen Quintus invenitur. Occurrunt vero duo prætores Quinti Poblicii apud scriptores veteres. Prior ex illis præturam provincialem gessit A. V. C. DLXXXX. posterior, ut prætor, in urbe jus dixit tempore Ciceronis, ut patet ex Oratione ejusdem pro Cluentio cap. XLV. *D. Matrinium quum defendissem apud M. Junium, Q. Publicium prætores.* Scribebatur enim, ut diximus, promiscue *Publicius* & *Poblicius.* Ab hujus filio cusos denarios existimat Ursinus. Vaillantius & Pighius ad antiquiora referunt tempora, ad A. V. C. DCXVII. quo illum statuunt quæstorem provincialem fuisse prætoris Achajæ, a Mummio ante decem annos in provinciam redactæ; atque propterea, respectu Herculis Nemæi, laborem hunc ejus in denariis exprimi. Vide Pigh. tom. II. pag. 501. & Vaill. tom. II. pag. 257. & 258. Sed nequaquam potuit signari in quæstura provinciali denarius Romæ, ut ibi signatus, adscriptum nomen habens. Unde malim ab antiquiore illo C. Poblicio cusos hosce denarios dicere in quæstura urbana; quæcunque fuerit ratio, cur Herculis hic labor in illo fuerit signatus; non quidem respectu Herculei roboris, quod quendam ex Publiciis habuisse credit Begerus Thes. Brand. tom. II. p. 573. Sed religionis respectu, qua Hercules Romæ colebatur, quæ privatim ad hunc Poblicium respicere potuit. Achaja non magis ad explicationem hujus typi advocari potest quam Siciliæ urbs Heraclea, quæ eundem Herculis typum in nummis suis expressit. Utrum a Pobliciis ibi aliquid memoria dignum gestum fuerit, ex residuis veterum scriptis colligi non potest.

Litera C. D. E. F. G. H.

ROMA. Caput idem Romæ. Adsunt literæ alphabeticæ. C. F. H. Q. R. S.

Caius POBLICI*us Quinti Filius.* Hercules leonem suffocans, ut supra. Eædem literæ C. F. H. &c. in altera hac denariorum parte repetuntur.

Ex literarum illarum alphabeti repetitione adparet, insculptas matricibus illas fuisse, ut partes priores & posteriores sibi invicem responderent; atque ideo literam Q. quam ab utraque parte nummi Ursiniani invenit Vaillantius, quæsturam designare minime posse. In Begeriano utrimque litera K. est, in meo X. in aliis alias observavi. Sed silere nequeo, in quodam optime servato, me animadvertisse corytum, sive thecam illam, in qua sagittæ cum arcu conduntur, sagittas ita habere reconditas, ut spicula emineant, non vero partes posteriores, quæ plumam habere solent. Hæc ne tractando nocerent, inposito operculo, cavere poterant.

V.

Marcus POBLICI*us* LEG*atus* PRO PR*ætore.* Caput Romæ galeatum.

CN*eus* MAGNVS IMP*erator.* Pompejus Magnus, stans habitu militari, dextrum pedem proræ inponit, læva manu tenet parazonium, dextra vero palmæ ramum accipit a figura muliebri stante ex adverso, duo spicula Hispanica cum clypeolo læva manu tenente; quæ figura Hispaniam designat.

Cn. Pompeji Magni res gestæ in Hispania contra Sertorium & reliquias ejus belli notæ sunt. Postea, majoribus rebus gestis, iterum in Hispaniam missus fuit, ut pag. 334. in gente Pompeja legi potest. Ibi tum legatus ejusdem proprætore fuisse ex hoc denario agnoscitur M. Poblicius, ex Malleolorum, ut prænomen Marci innuere videtur, familia. Ut vero in hoc denario Poblicio in Hispaniis, sic in Africa titulus legati proprætore tribuitur Crasso, in Fam. Licinia tab. tertia num. V. VI. VII. & quidem sub imperatore Q. Metello Scipione, uti hic sub imperatore Cneo Pompejo Magno. De legatis proprætore, tempore reipublicæ liberæ, vide Spanhem. tom. II. pag. 179. & in libro minore pag. 560.

VI.

Caius MALLEOL*us.* Caput Romæ galeatum, cum nota denarii.

Lucius LICI*nius.* CN*eus* DOM*itius.* Figura nuda in bigis, dextra hastam elevans, læva tenens clypeum & lituum militarem.

Typum hujus nummi jam sæpe vidimus; quis autem triumvir hic monetalis C. Malleolus fuerit, vide ad nummum primum.

Litera I.

. . . NDVS. MALLEO*lus.* Manus expansa.

IIVIRIQVIN *quennales.* Bos, coloniæ symbolum.

Prioris duumviri quinquennalis nomen periit, literis aliquot tantum superstitibus; nisi forte agnomen fuerit hujus Malleoli, ita ut integra utriusque partis inscriptio sic legenda sit MALLEO*lus secu*NDVS IIVIR QVIN*quennalis.*

Manus hic fidei videtur esse symbolum. In qua colonia cusus sit nummulus non liquet.

POMPEIA.

Gens Pompeja plebeja quidem fuit, sed magnos in republica viros protulit & consulares, quos longe post se reliquit Cn. Pompejus Magnus ex familia Strabonum. Cognomina enim Pompejorum fuerunt Strabo & Rufus, sed Magni deinceps a Cn. Pompejo Strabonis filio propagati sunt. Faustuli quoque in denariis inveniuntur.

TAB. I.

I.

CN*eus* PISO PRO Q*uæstore.* Caput regis Numæ, quod docet inscriptio diadematis NVMA.

MAGN*us* PRO CO*n*S*ule.* Prora navis.

Notissimum est bellum illud, quod contra piratas gessit Cneus Pompejus Magnus, quodque mira fortuna & celeritate confecit. Potestas

summa, qua omnem oram maritimam in potestate habebat, per navis proram in hoc denario exprimitur.

In hoc bello proquæstore illi inter alios fuit Cneus Calpurnius Piso, qui, quod originem a Numa crederetur trahere gens Calpurnia, regis illius antiqui caput in denariis suis expressit, uti vidimus ad illam gentem pag. *66*.

II.

VARRO PRO Q*uæstore*. Caput Jovis Terminalis diademate revinctum.

MAGN*us* PRO CO*nSule*. Sceptrum inter delphinum & aquilam.

Pompejus Magnus imperator in triennium creatus ad opprimendos piratas, plures numero legatos proquæstore a senatu sibi datos habuit. In præcedenti denario occurrebat Cn. Piso, in hoc Terentius Varro, de quo & Jove Terminali sumus dicturi in gente Terentia. Præter classem vero mille navium, additis minoribus quoque navigiis, reges Asiæ, civitates, illarumque præsides, jussi erant a populo Romano, ut in omnibus Pompejo obedientes essent, illumque adjuvarent. Tanta potestas, qua & mari & terræ imperare videbatur, non potuit melius exprimi quam per delphinum in mari regem inter pisces, & per aquilam in terris principem inter alites, atque sceptrum in medio positum, tanquam signum potentiæ. Est itaque hic denarius testimonium ejus, quod de lege Gabinia, qua tantam potestatem adeptus fuit Pompejus, dixit Plutarchus in Vita ejus pag. 631. Ἔγραψε δὲ Γαβίνιος, εἷς τῶν Πομπηΐου συνήθων, νόμον, οὐ ναυαρχίαν, ἄντικρυς δὲ μοναρχίαν αὐτῷ διδόντα, καὶ δύναμιν ἐπὶ πάντας ἀνθρώπους ἀνυπεύθυνον. *Legem Gabinius, Pompeji familiaris, rogavit, qua non classis, sed plane in omnes mortales imperium & arbitrium ei concedebat liberum.* Ut vero in mari celeritas delphini, in terra, seu aëre, aquilæ vis celebratur, sic adposite ad nummum dixit Dio, neque in terra neque in mari quemquam Pompejo resistere potuisse. lib. XXXVI. pag. 18. Παρασκευασάμενος οὖν ὡς τό, τε πρᾶγμα καὶ τὸ φρόνημα αὐτοῦ ἀπῄτει, πᾶσαν ἅμα τὴν θάλασσαν ὅσην οἱ καταποντισταὶ ἐλύπουν, τὰ μὲν αὐτός, τὰ δὲ καὶ διὰ τῶν ὑποστρατήγων περιέπλευσε, καὶ τὰ πλείω αὐτοετὲς ἡμέρωσε. πολλῇ μὲν γὰρ καὶ τῇ παρασκευῇ τῇ τε τοῦ ναυτικοῦ καὶ τῇ τῶν ὁπλιτῶν ἐχρῆτο, ὥστε καὶ ἐν τῇ θαλάσσῃ καὶ ἐν τῇ γῇ ἀνυπόστατος εἶναι. *Pompejus quum se, ut res ipsa, atque sui spiritus exposcebant, comparasset, universum uno tempore mare, in quo piratæ grassabantur, partim ipse præsens, partim per suos legatos circumnavigavit, majorique id ex parte spatio unius anni pacavit. Ad eam rem multo nautico armatorumque militum apparatu usus est, ita ut neque in terra, neque in mari esset qui resistere posset.*

III.

Marcus POBLICI*us* LEG*atus* PRO PR*ætore*. Caput Romæ galeatum.

CN*eus* MAGNVS IMP*erator*. Pompejus Magnus, dextrum pedem proræ inponens, læva tenet parazonium, dextra vero palmam accipit a figura muliebri, quæ Hispaniæ est symbolum, læva duo spicula & clypeolum tenente.

Cn. Pompejus Magnus, qui jam antea contra Sertorium in Hispania magna virtutis suæ documenta dederat, post tertium consulatum, iterum in Hispaniam cum proconsulari potestate profectus fuit. In quinque enim annos illam ipsi provinciam, ut robore militari præstantem, quo vires Cæsaris opprimeret, decretam fuisse narrat Dio Cassius ad A. V. C. DCC. lib. XL. pag. 141. Ἐπεὶ δὲ τά τε ἐν τῷ ἄστει ἐστασιάζετο, καὶ ὁ Κράσσος ἐτεθνήκει, ὅ, τε Πομπήιος ἔν τε δυνάμει αὖθις, ἅτε τρίτον ὑπατευκώς, καὶ τὴν ἐν τῇ Ἰβηρίᾳ ἀρχὴν ἐπὶ πέντε ἄλλα ἔτη δοθῆναί οἱ διαπεπραγμένος, ἐγένετο, καὶ αὐτῷ οὐκέτ' οἰκείως, (ἄλλως τε καὶ τῆς παιδὸς, ὅπερ που καὶ μόνον ἐν τῇ φιλίᾳ αὐτοὺς κατεῖχε τε, καὶ τετελευτηκότος) ἐφοβήθη μή, τῶν στρατιωτῶν ψιλωθείς, ἐπί τε ἐκείνῳ καὶ ἐπὶ τοῖς ἄλλοις ἐχθροῖς γένηται· καὶ οὐ διῆκεν αὐτούς. *Enimvero quandoquidem & Romæ seditiones erant, & Crassus interierat, Pompejus autem rursus ad potentiam pristinam pervenerat (quippe & consul tertium fuerat, & in quinque alios annos ut sibi Hispania decerneretur, effecerat) animoque jam a Cæsare alieniore (mortua præsertim jam filia, quæ sola eorum amicitiam continuerat) esse incipiebat: ea Cæsarem, veritum ne legionibus nudatus in Pompeji inimicorumque potestate esset, moverunt ut exercitum retineret.*

Hinc typus hujus denarii clarus est, adventum Pompeji læta excipit Hispania, illique victorias suas gratulatur; & quoniam legatum propraetorem sibi fecerat M. Poblicium, hinc quæstores, utrumque magistratum, sive utramque potestatem, majorem & minorem, in hoc denario expresserunt.

IV.

CN*eus* MAGNVS IMP*erator*. Caput Pompeji Magni. Post additur litera P. quæ quum in denariis gentis Minatiæ absit, videtur tantum monetarii vel matricis nota fuisse.

Marcus MINAT*ius* SABIN*us* PR*o* Q*uæstore*. Hispania stans inter armorum, quam premit pedibus, congeriem, læva tenens spiculum, dextram offert Pompejo Magno ex navi digredienti.

Explicavimus hujus denarii typum ad gentem Minatiam pag. 282. Post mortem enim Cnei Pompeji Magni cusus est hic denarius, tempore Sexti Pompeji, cujus proquæstore videtur fuisse hic M. Minatius Sabinus.

V.

MAGN*us*. Caput Jani bifrontis, inberbe, laureatum.

PIVS IMP*erator*. Navis prora.

Agnoscimus ex inscriptione nummum hunc, sive assem æreum, cusum fuisse a Sexto Pompejo, Cnei Filio. Ille enim Pius dicitur in nummis, quod, receptis civibus triumvirorum proscriptiones effugientibus, patris fratrisque cædem vellet vindicare; Magnus, quod agnomem illud patris hereditario jure ad ipsum transiisset; Imperator, quod hunc meruisset titulum, victo in Hispania prælio insigni Asinio Pollione, atque magna Hispaniæ parte recepta. Pugnam & fædum ejus exitum propter errorem exercitus Asinii, qui ducem suum periisse credebat, describit Dio libro XLV. p. 275. *Sed jam res ipsius quoque Sexti exponendæ sunt. Is quum a Corduba profugisset, primum in Lacetanis se abdens, persecutores latuit, quod patris memoria eum is populus benevolentia prosequebatur, post, quum Cæsar in Italiam se recepisset, in Bætica exercitu non magno relicto, Lacetani atque ii qui ex prælio superfuerant, Sexto sese conjunxerunt. Cum his Pompejus in Bæticam, quod eam suis rebus commodiorem judicabat esse, regressus, multis urbibus, aliis deditione, aliis vi receptis, idque eo facilius quod jam Cæsar mortem oppetierat, nihilque virium præfectus ejus, C. Asinius Pollio, habebat, ad Carthaginem, eam quæ in Hispania sita est, arma convertit. Quumque Asinius per*

ab-

absentiam ejus, sociis ipsius maleficium inferret, reversus valida cum manu Sextus, prælio congressus cum Pollione, in fugam eum convertit: reliquos fortiter pugnantes, casu quodam hujusmodi accidente, terruit ac vicit. Asinius, quo facilius in fuga lateret, paludamentum abjecerat: alius quidam inter equites præcipuus, cognominis Pollioni, ceciderat: ita quum alterius paludamentum in hostium potestatem venisset, alter occubuisset, militesque alterum vidissent, alterum audiissent, in eum errorem delapsi sunt ut ducem suum cæsum crederent: itaque cesserunt. Sextus ea victoria potitus, totam fere eam regionem obtinuit.

Notandum vero inprimis in hoc asse illud est, quod Jani facies, quæ hactenus in omnibus nummis sive barbatam sive inberbem dei ejus exhibentibus imaginem, uniformis occurrit, in hoc delineatus sit ad ipsius Cnei Pompeji Magni oris habitum. Quod quidem nemo arbitretur fortuito sculptoris Morelliani, vel ipsius Morellii artificiosa delineatione factum fuisse; sed revera ita sese res in nummis habet, præsertim in illis, qui majorem sculptoris artem produnt. Habeo ipse duos, horum alter inscribitur MAG*nus*, alter integre MAGNVS. Uterque lauream habet coronam, non spiceam, ut credidit Vaillantius. Posterior ex illis, viridi ærugine præclarus, utramque Jani bifrontis faciem plane ad habitum oris Cn. Pompeji Magni exhibet, & quidem magis senilem, quam exstat in Morelliana pictura. Facile vero Pompeji facies ex ore, naso, fronte, coma & reliquis notis in nummis dignosci potest.

Litera A.

DIVI F*ilius*. Caput Cæsaris Octaviani nudum, cum stella ante faciem.

DIVOS IVLIVS. In laurea. In parte sive ora nummi inferiore cernitur vocabulum PIVS. cum instrumento sellæ curulis aliquam speciem exhibente.

De hoc nummo ita judico; interea dum in Sicilia nummi ærei in Sexti Pompeji usum fabricantur, atque fusi prius ærei disci a monetariis incudi & malleo subjiciuntur, ut signaturam accipiant, una cum iisdem, per festinationem, nummum, jam ante a Cæsare cusum, subjectum fuisse, qui ita in ora extrema typum, vel typi ejus partem acceperit, qui Sexti nummis conveniebat, abjectus deinde a monetariis, errorem suum animadvertentibus. Integer vero typus ille sellæ curulis, seu quodcunque fuerit, jam inter Pompeji nummos non amplius invenitur.

VI.

MAG*nus* PIVS IMP*erator* ITER*um*. Caput nudum Sexti Pompeji in corona quernea cum glandibus.

PRAEF*ectus* CLAS*si* ET ORAE MARIT*imæ*. EX *Senatus Consulto*. Capita adversa Cnei Pompeji Magni patris & Cnei Pompeji filii, in Hispania occisi. Hinc tripus est, inde lituus. Argentei nota huic nummo adponitur pro nota aurei, quod sculptoris vitio factum fuisse credo. Invenitur enim ex auro, non ex argento, rarissimus hic & præstantissimus nummus.

Postquam vulgasset hunc nummum Fulvius Ursinus, credens bis depingi caput Cnei Pompeji Magni, solum in priore denarii parte, junctum cum filio Cneo in parte posteriore, errorem ejus animadverterunt viri docti, quorum omnium nunc constans opinio est, in parte priore faciem Sexti Pompeji exprimi, in posteriori Cneorum Pompejorum, patris & filii. Inter illos Petri Seguini verba inprimis legi merentur, quoniam & ipse hunc nummum aureum possedit, & pulcherrimam ejusdem dedit interpretationem in Select. Numism. sive Differt. de Num. p. 210. & seqq. „ At quoniam præcipua controversia est „ de primo illo rarissimo & exquisitissimo aureo, „ tribus capitibus Cn. Pompeji & filiorum in„ signito; ausim adfirmare, eum solum pluri„ mum conferre ad litem componendam. Qua „ parte enim unicum visitur caput, quod vul„ go Cnei patris æstimatur, nulla hic ἀνασολὴ τῆ κόμης. Crines enim illius promissi, & „ in frontem sunt caduci: tantum abest ut sint „ arrecti, & velut ab ipsa fronte revulsi, qua„ les videre licet in familiæ Minatiæ nummis, „ immo & in altero duorum minorum capitum, „ quæ in aversa parte hujusce aurei sunt insculpta, videlicet in eo quod dextram occupat. „ Illud enim esse Pompeji patris existimo, ex „ adverso filii natu majoris, tum propter cin„ cinnum illum capillitii modice assurgentis, „ qui in integris & affabre cusis nummis, qua„ lis est a Plutarcho descriptus, dignoscitur: „ tum propter rugas in fronte adparentes, & „ genas concavas, quæ in vultu etiam minuto „ & compendioso senilem patris ætatem refe„ runt, nec florenti filii ætati conveniunt. Ne„ que vero vultum illum unicum anterioris par„ tis hujus nummi ex eo quis argumentetur es„ se Pompeji patris, quod sit junior, & majo„ rem Alexandri similitudinem exprimat. Nam „ præterquam quod barbatus est, quod nus„ quam vidimus in nummis aut statuis Alexan„ dri; in eo cernitur nescio quid rude, agre„ ste, ac consonum moribus Sexti, qualis de„ scribitur a Paterculo, *Adolescens studiis rudis*, „ *sermone barbarus*; quod multum abest a for„ ma Alexandri, & comitate Pompeji patris. „ Deinde circumscriptus cernitur corona quer„ nea, ut fatetur Ursinus ipse: ideoque existi„ mandum non est cum Fulvio, expressam esse „ in hoc aureo nummo coronam lauream, quam „ Senatus Pompejo patri concesserat, festis so„ lemnibus gestandam; sed potius querneam, „ quam ob cives servatos, ut loquar cum num„ mis, Sextus Pompejus meruerat. Siquidem „ Sextus in proscriptos a triumviris plurima „ pietatis officia exercuerat, cum submissis ad „ Italiæ littora navibus, profugorum esset per„ fugium, receptosque benigne, liberaliter & „ honorifice haberet, ac demum composito fœ„ dere cum Antonio & Cæsare Octaviano, plu„ rimos patriæ restitueret, inter quos fuere Clau„ dius Nero vir Liviæ, & M. Titius, qui post„ ea ipsummet Sextum interfecit. Unde & fieri „ potest, ut etiam ejus beneficii in cives & „ magnates Romanos impensi gratia, Sextus, „ *Pius* appellatus fuerit. Scio illud fortassis ad„ sumpsisse cognomen ob pietatem in Cneum „ patrem, cujus vindicandi causa arma sumpse„ rat: quod innuit apud Ursinum septimus fa„ miliæ Pompejæ nummus, in quo videre est „ antiquum illud monumentum pietatis filiorum „ in parentes, sub symbolo duorum fratrum Cata„ nensium Amphinomi & Anapiæ. Equidem „ in prælio Mundensi, in quo Pompeji juve„ nes a Cæsare dictatore fusi & profligati sunt, „ Pompejanis partibus pro tessera PIETAS fuit; „ sed nil obstat quominus duplici titulo *Pii* no„ mine

„ mine donatus fuerit, & propter obſervantiam in patrem, & propter charitatem in patriam & cives ſuos. At certum eſt, coronam querneam ſervati civis fuiſſe notam & præmium honorarium, ideoque civicam adpellatam: ac proinde corona in illo aureo expreſſa, nullo modo caput Pompeji patris deſignat, nec ad ipſum pertinet, (quippe nec eſt laurea, qualis fuerat illi decreta) ſed ad Sextum filium, qui querneam illam meruerat."

Et hæc quidem pluribus Seguini ipſius verbis deſcribere, atque inſerere neceſſe duxi, propter alterum nummum, item aureum, qui ſervatur in Muſeo Saxo-Gothano, in quo a parte capitis, quod in prima nummi pagina ſolum obſervatur, abeſt corona quernea, vultus vero non eſt Sexti, ſed ipſius Cnei Pompeji Magni patris, in ſecunda vero facies Cnei & Sexti fratrum obſervantur. Quæ doctiſſimus amicus meus, Chriſtianus Sigiſmundus Liebeus, ad illum commentatur in opere recens edito pag. 29. ibi videri poſſunt, ubi ita verba ſua concludit: „ Sed ea de re ſtatuent, quibus nummum, unde vulgatæ adhuc icones expreſſæ ſunt, cum præſenti propius conferre libuerit; mihi delineatum eum deſcriptumque adcuratius dediſſe in præſenti ſuffecerit." Quum vero bonis avibus in manus meus inciderit, non quidem ipſe hic nummus aureus rariſſimus, ſed ad aureum, inprimis bene ſervatum & eleganter cuſum, expreſſus fuſusque argenteus tantæ artis & aſperitatis, ut facile minus peritos in fraudem inducere poſſit, examen, quanta potui cura, inſtitui, atque obſervavi, prorſus ad Morellii noſtri picturam ipſum illum argenteum nummum meum ex utraque parte accedere, niſi quod barba illa Sexti Pompeji mentum aliquanto altius tegat, & myſtacis quoque pilos ſubtilis artifex expreſſerit.

Itaque nullo modo dubitandum eſt, quin plures & diſcrepantes matrices habuerit Sextus Pompejus, quarum quædam Sexti caput cum corona quernea, ut hic, habuerint in parte priori, Cneorum, patris fratriſque, in parte poſteriori; aliæ vero, ut nummus ille Saxo-Gothanus, caput patris Cnei, ſine corona quernea, quæ illi non conveniebat, ſolum, & juncta fratrum, Cnei & Sexti, ab altera parte capita.

Litem tamen aliquam movere poſſe videtur lituus in denario Morelliano ad patris Cnei Pompeji caput adpoſitus, in Saxo-Gothano ad caput filii Cnei Pompeji, quum tamen Sextus Pompejus, teſte Cicerone, paternum auguratus poſſederit honorem; unde videtur non ad Cnei junioris, ſed ad Sexti caput debuiſſe adpingi. In oratione enim XIII. Philippica (non III. ut vitioſe apud alios) cap. 5. de auguratu Sexti & reddendo illi, quod ſervus fuerat depeculatus, patrimonio pluribus agens, ita loquitur. *Satis inconſiderati fuit, ne dicam audacis, rem ullam ex illis adtingere. retinere vero quis poterit, clariſſimo domino reſtituto? An is non reddet, qui domini patrimonium circumplexus, quaſi theſaurum draco, Pompeji ſervus, libertus Cæſaris, agri Lucani poſſeſſiones occupavit? Atque illud ſepties millies, quod adoleſcenti, P. C. ſpopondiſtis, ita deſcribite, ut videatur a vobis Cn. Pompeji filius in patrimonio ſuo collocatus. Hæc ſenatus: reliqua populus Rom. in ea familia, quam vidit ampliſſimam, perſequetur: in primis paternum auguratus locum, in quo eum, ut, quod a patre accepi, filio reddam, mea nominatione cooptabo. Utrum igitur augurem Iovis optimi maximi, cujus interpretes, internuntiique conſtituti ſumus, utrum populus Rom. libentius ſanciet, Pompejum an Antonium? Mihi quidem numine deorum immortalium videtur hoc fortuna voluiſſe, ut actis Cæſaris firmis, ac ratis, Cn. Pompeji filius poſſet & dignitatem, & fortunas patrias recuperare.* Sed facile diſpelli poteſt hæc objectio. Patre Cneo defuncto, honor iſte conveniebat Cneo, ut filio majori; ideoque ad ejus faciem ſignatur a Sexto; Cneo occiſo, hæres paterni honoris erat Sextus. Adde, Sextum non tantum augurem ſed & pontificem fuiſſe, ut patet ex pacis conditionibus apud Appianum lib. V. pag. 713. inter quas erat; Στρατηγεῖν δ' ἀπόντα δι' ὅτε κελεύοι τῶν φίλων, καὶ τῆς μεγίστης ἱερωσύνης ἐς τοὺς ἱερέας ἐγγραφῆναι. *Ut abſens conſulatum per quemlibet amicorum gereret, & adſcriberetur in pontificum collegium.* Quibus conſideratis, patet, in altero nummo lituum ad auguratum Cn. Pompeji Magni patris pertinere poſſe; in altero lituum ad auguratum Sexti, tripodem, ad ejusdem pontificatum.

Imperator iterum in hoc denario dicitur Sextus Pompejus; unde colligimus cuſum fuiſſe hunc nummum poſt fœdam illam ſtragem, quam paſſus primam fuit in freto Siculo Cæſar, claſſe ejus prius per Menecratem, Democharem, & Apollophanem libertos Pompeji ducesque miſere lacerata. Cæſaris & Cæſarianorum cladem deſcribit Appianus lib. V. p. 720. & ſeqq. quod contigit A. V. C. DCCXVI. uti, hiſtoriam eandem narrans, teſtatur Dio lib. XLVIII. p. 385.

Magnus inſuper, nomine paterno, vocatur Sextus; quod illi datum fuiſſe patet ex honorifica in Sextum Pompejum clauſula, qua orationem ſuam Philippicam finit Cicero cap. XXI. *Quæ cum ita ſint, de mandatis, litteriſque M. Lepidi, viri clariſſimi, Servilio aſſentior: & hoc amplius cenſeo, Magnum Pompejum, Cn. F. pro patris majorumque ſuorum animo, ſtudioque in rempub. ſuaque priſtina virtute, induſtria, voluntate, feciſſe, quod ſuam, eorumque, quos ſecum haberet, operam ſenatui, populoque Rom. pollicitus eſſet, eamque rem S. P. Q. R. gratam, acceptamque eſſe, eique, honori, dignitatique eam rem fore. Hoc vel conjungi cum hoc S. C. licet, vel ſejungi poteſt, ſeparatimque perſcribi, ut proprio S. C. Pompejus collaudatus eſſe videatur.* Magni cognomen in gente Pompeja ſuperfuiſſe tempore Cæſarum Caligulæ & Claudii, oſtendit Suetonius, qui in Caligula cap. XXXV. notat, eundem *Cn. Pompejo, ſtirpis antiquæ, Magni cognomen abſtuliſſe.* Et in Claudio cap. XXVII. eundem, ut nobiliſſimum juvenem, generum ab imperatore delectum fuiſſe.

Præfectus claſſis & oræ maritimæ ſcribitur denique Sextus Pompejus, ex antiquo ſenatus decreto, in ejus gratiam lato, quum Hiſpania diſceſſiſſet, omnesque honores Antonii inimicis largiretur ſenatus, Τῷ τε γὰρ Πομπηΐῳ τῷ Σέξτῳ τὸ ναυτικὸν ἐνεχείρισαν. *Re navali Sexto Pompejo commiſſa.* inquit Dio lib. XLVI. pag. 317. Et licet a Cæſare dignitate iſta eſſet ſpoliatus, jus & titulum tamen retinebat. Dio lib. XLVII. p. 334. Ναυαρχεῖν τε γὰρ πρότερον αἱρεθεὶς, καὶ χρόνον τινὰ ἐν τῇ θαλάσσῃ δυνηθεὶς, ἰσχύν τε οἰκείαν, καίπερ τῆς ἀρχῆς μετὰ τοῦθ' ὑπὸ τοῦ Καίσαρος στερηθεὶς περιεβέβλητο. *Illi enim prius imperium claſſis fuerat commiſſum: quumque aliquamdiu mare obtinuiſſet, etſi poſt a Cæſare erat illa præfectura ſpoliatus, tamen proprias ſibi vires paraverat.* Et lib. XLVIII. p. 366. Ὁ γὰρ Σέξτος, ὡς τότε ἐκ τῆς Ἰβηρίας κατὰ τὰς πρὸς τὸν Λέπιδον συνθήκας ἀπηλλάγη, καὶ μετὰ τοῦτο ναύαρχος οὐ πολλῷ ὕστερον κατέστη, τῆς μὲν ἀρχῆς ὑπὸ τοῦ Καίσαρος παρελύθη· τοῦ δὲ δὴ ναυτικοῦ καὶ ὡς ἀντεχόμενος, ἐτόλ-

μησε

μηζε μὲν ἐς τὴν Ἰταλίαν πλεῦσαι. ἐπικρατούντων δὲ ἤδη τῶν ἀμφὶ τὸν Καίσαρα αὐτῆς, μαθὼν ὅτι ἐν τοῖς σφαγεῦσι τοῖς τοῦ πατρὸς αὐτοῦ ἑάλωκε, τῆς μὲν ἠπείρου ἀπέσχετο, καὶ δὲ δὴ τὰς νήσους περιπλέων, τά τε γιγνόμενα ἐκαραδόκει, καὶ τὴν τροφὴν οὐκ ἐξ ἀδικημάτων ἐποιεῖτο (ἅτε γὰρ μὴ μετεσχηκὼς τοῦ φόνου, καὶ ὑπ' αὐτοῦ τοῦ Καίσαρος ἤλπιζε κατ' ἀχθήσεσθαι) ἐπεὶ μέντοι καὶ ἐν τῷ λευκώματι τὸ ὄνομα αὐτοῦ ἐξετέθη, καὶ ἔγνω καὶ ἐπ' αὐτῷ ἐπικεκηρυγμένον, ἀπέγνω τε τὴν δι' αὐτοῦ κάθοδον, καὶ πρὸς πόλεμον ἡτοιμάζετο. ναυπηγίαν τε γὰρ τριηρῶν ἐποιεῖτο, καὶ τοὺς αὐτομολοῦντας ἐδέχετο, τούς τε καταποντιστὰς προσεταιρίζετο, καὶ τοὺς ἐκπίπτοντας ὑπελάμβανε. *Is Pompejus quum secundum pacta cum Lepido inita ex Hispania discessisset, ac non multo post classi esset præfectus, quum Cæsar ei jam præfecturam ademisset, nihilominus naves retinens, ausus fuerat in Italiam navigare: mox quum eam jam Cæsar occupasset, se autem inter superioris Cæsaris occisores damnatum esse audiret, a continenti abstinens, & circum insulas navigans, eventum exspectarat: victumque citra ullius injuriam sibi pararat: fore sperans ut, quoniam cædis particeps non fuisset, ab ejus filio ipso reduceretur: verum quum se quoque proscriptum esse intellexisset, desperato in patriam reditu, ad bellum se instruxit: triremes fabricatus est, profugos ad se recepit, prædones maritimos socios sibi adscivit, ejectosque patria suscepit.*

TAB. II.

I.

MAG*nus* PIUS IMP*erator* ITER*um*. Caput Cnei Pompei Magni, cum urceolo & lituo, quæ ad auguratum & sacerdotium ejusdem Cnei, vel filii Sexti Magni Pii spectant.

PRAEF*ectus* CLAS*sis* ET ORAE MARIT*imæ*. EX S*enatus* C*onsulto*. Fratres Catanenses Anapus & Amphinomus, qui parentum corpora (ut crebro in Catanæ urbis nummis cernitur) Ætnæis incendiis eripiunt. Medius inter illos est Neptunus, dextra tenens acrostolium, & dextrum pedem inponens proræ.

De titulo præfecturæ maritimæ, Sexto datæ, jam diximus ad denarium VI. tab. præcedentis. Imperator iterum vocatur pariter ut in illo denario, Neptunum vero signavit ut faventem sibi, cujus & filius videri voluit, præsertim, quum aliquanto post, & quidem eadem æstate, sine ulla pugna, universa fere classis Cæsaris naufragio & vi tempestatis periisset, uti testatur Appianus lib. V. p. 729. Ὁ δὲ Πομπήϊος οὐδ' ἐπὶ τοιᾶδε δίκαιαία τοσαῖς δε ναυαγίαις ἐπιχειρεῖν ἠξίου, ἀλλ' ἔθυε μόνοι θαλάσσῃ καὶ Ποσειδῶνι, καὶ υἱὸς αὐτῶν ὑφίσατο καλεῖσθαι, πειθόμενος οὐκ ἄνευ θεοῦ δὶς οὕτω θέρους πταῖσαι τοὺς πολεμίους. Φασὶ, δι' αὐτὸν ὑπὸ τῶνδε χαυνούμενον, καὶ τὴν συνήθη τοῖς αὐτοκράτορσιν χλαμύδα, ἐκ φοινικῆς ἐς κυανῆν μεταλλάξαι, εἰσποιούμενον ἄρα τῷ Ποσειδῶνι. *Pompejus ne hac quidem tot naufragiorum occasione usus, tantum maris & Neptuni sacris operabatur, quorum etiam filius adpellari se sustinuit, persuasus, non sine deo bis ita per æstivos menses hostem adflictum adversis tempestatibus. Ferunt eum, his successibus inflatum, mutasse quoque paludamentum, cæruleumque sumsisse pro puniceo, adoptatum scilicet a Neptuno.* Testatur idem Dio lib. XLVIII. pag. 387. ad A. V. C. CCCCXVI. Καὶ διὰ τοῦτο ὅ, τε Καῖσαρ τῆς μὲν Σικελίας ἀπέγνω, τῆς δ' ἠπείρου τὴν παραθαλασσίας φυλακὴν ἀγαπητῶς ἐποιήσατο. καὶ ὁ Σέξτος ἔτι καὶ μᾶλλον ἤρθη, καὶ τοῦ τε Ποσειδῶνος ὡς ὄντως ἐπίστευεν εἶναι, καὶ στολὴν κυανοειδῆ ἐνεδύσατο. ἵππους τε καὶ (ὥς γε τινὲς φασί) καὶ ἄνδρας ἐς τὸ πορθμὸν ζῶντας ἐνέβαλε. *Hac accepta clade Cæsar, Siciliæ potiundæ spe abjecta, contentus fuit continentis oram maritimam tueri. Pompejus autem magis tum elatus animo, vere Neptuni filius esse creditus est, vestemque cæruleam induit, & (ut quidam referunt) equos virosque vivos in fretum conjecit.* Qui jam ante eodem lib. pag. 368. de eodem dixerat Δόξαν τε τινὰ καὶ φρόνημα, ὡς καὶ τοῦ Ποσειδῶνος παῖς ὤν, ὅτι πάσης ποτὲ ὁ πατὴρ αὐτοῦ τῆς θαλάσσης ἦρξε, προσεθέτο. *Auctus ea etiam gloria atque fastu, quasi Neptuni filius esset: nam & pater quondam ejus imperium mari universo habuerat.*

II.

NEPTVNI scilicet *filius*. Caput Cn. Pompeji Magni, qui hic tanquam Neptunus depingitur, addito delphino & tridente.

Quintus NASIDIVS. Triremis prætoria cum velo & remigantibus, adest astrum Dioscurorum, felix navigantibus omen, nisi de Syracusarum symbolo accipere placet.

De Q. Nasidio in familia Nasidia egimus. Partem nummi anteriorem illustrat Dionis Cassii modo adlatus locus.

III.

PRAEF*ectus* ORAE MARIT*imæ* ET CLAS*sis*. S*enatus* C*onsulto*. Scylla, monstrum marinum, superne virgo, inferne in caudas delphinorum atque canes, sive latrantia monstra circa inguinem desinit, manibus temonem supra cervicem tollit, quasi minitans & irata.

MAG*nus* PIVS IMP*erator* ITER*um*. Triremis prætoria cum aquila legionaria, acrostolio aliisque ornamentis. Ad latus medium est columna rotunda, cui insistit figura Neptuni, dextra tridentem tenentis, læva delphinum, atque alterum pedem proræ navis inprimentis.

Titulus, quo in hoc denario ornatur Sextus, imperatoris iterum, revocat eundem ad illud tempus, quo primus hujus tabellæ denarius cusus est. Typus vero Scyllæ iratæ egregie adumbrat naufragium, quod οὐκ ἄνευ θεοῦ, *non sine deo*, bis æstivis mensibus passa fuerat classis Cæsaris. Appianus lib. V. p. 721. narrat, quomodo Cæsar, accepto damni, quod ad Cumas passus fuerat, nuncio, fretum enavigaverit, occursurus Calvisio, Ἀνύσαντι pergit deinde δι' αὐτῷ τοῦ πόρου τὸ πλέον, καὶ Στυλίδα ἤδη παραπλέοντι, καὶ ἐς τὸ Σκύλλαιον ἐπικαμπτόντι ἐκθορῶν ἐκ τῆς Μεσσήνης ὁ Πομπήϊος, ἐξήπλετο τῶν ὑστάτων, καὶ τὰς προόπλους ἐδίωκε, καὶ πάσας ἐνέβαλλε, καὶ ἐς μάχην προυκαλεῖτο. *Jamque superata ejus majore parte, in præternavigantem quam vocant Stylida & flectentem cursum versus Scyllam scopulum, Pompejus a Messana fecit impetum, adgressusque postremas, etiam præcedentes persecutus est, omnibusque impetitas provocabat ad prælium.* Narrat deinde pugnam navalem, Cæsari adversam, & tempestatem horrendam, qua Cæsar, collisis inter se navibus & submersis, majorem navium virumque partem, ipse Vibonem elapsus, amisit.

Triremis prætoria, ab altera parte cum ornamentis suis posita, imperium maris, quod post has victorias sibi vindicabat Sextus, designat. Quam vero turrim opinatur Vaillantius, quales Pompeji navibus impositæ fuerint, ego de columna explico, quod & basis inferne, & rotunditas in medio, & insistens Neptuni signum evincit. Monumentum itaque videtur fuisse positum a Sexto Pompejo in honorem Neptuni, cujus sese filium vocabat, cujusque favore incruenta

cruenta victoria potitus fuerat. Locus Dionis, quem adducit Vaillantius satis incaute, testimonium contra illius fert opinionem; ostendit enim Pompeji naves minores & agiles fuisse, Cæsaris majores gravioresque atque turribus etiam armatas. Exstat is Dionis locus lib. XLIX. pag. 393. Ἦσαν δὲ οἱ μὲν, τῷ πλήθει τῶν νεῶν, οἱ δὲ, ταῖς ἐμπειρίαις τῶν ναυτικῶν προφέροντες· καὶ τοῖς μὲν τό, τε ὕψος τῶν σκαφῶν, καὶ τὸ πάχος τῶν ἐποτίδων, οἵ τε πύργοι συνήροντο· τοὺς δ' ἑτέρους οἵ τε διέκπλοι ἀνέφερον, πρός τε τὴν ῥώμην τῶν τοῦ Καίσαρος ἐπιβατῶν ἡ τόλμα αὐτῶν ἀντήρκει. αὐτόμολοι γὰρ οἱ πλείους ἐκ τῆς Ἰταλίας ὄντες, ἀπονοίᾳ πολλῇ ἐχρῶντο. κἀκ τούτου πλεονεκτοῦντες ἅμα ἀλλήλων, καὶ ἐλαττούμενοι οἷς εἶπον, ἴσην τὴν ἰσχὺν ἐκ τῶν ὑπαρχόντων σφίσιν ἀντιπάλου εἶχον. καὶ διὰ τοῦτο χρόνῳ καὶ ἀγχώμαλα ἐπὶ πλεῖστον ἠγωνίσαντο. οἵ τε γὰρ Σέξτειοι τοὺς μὲν ἄνδρας τοὺς ἐναντίους τῷ ῥοθίῳ ἐξέπλησσον; καὶ τινὰς ναῦς, ῥύμῃ τε σφίσι προσπίπτοντες, καὶ τὰς παρεξειρεσίας αὐτῶν ἀναρρηγνύντες, ἐτίτρωσκον· ἀπὸ δὲ δὴ τῶν πύργων ἐν τῇ προσμίξει βαλλόμενοι, καὶ χειρῶν ἐπιβολαῖς σιδηρῶν προσαρτώμενοι, οὐδὲν ἔλαττον ὧν ἔδρων ἔπασχον. *Erant multitudine navium alteri, alteri peritia rei nauticæ superiores: atque alteris navium altitudo, crassities epotidum turresque proderant, alteros facultas enavigandi adjuvabat: & contra robur classiariorum Cæsaris; audacia Pompejanorum (quippe plerique ex Italia quum perfugissent, ex desperatione salutis ad furorem vertebantur) sufficiebat. Itaque quum utrique in quo hostibus præstarent suis, haberent, quasi æquatis viribus congressi sunt, diuque æquo marte pugnatum est. Pompejani enim adversarios suos impetu terrebant, navesque nonnullas vehementius incitatis suis invadentes, ita ut earum remos quoque exteriores detergerent, vulnerabant: sed de turribus in conflictu jaculis petiti; manicisque ferreis injectis affixi hostium navibus, non minus damni recipiebant.* In illo loco turres memorantur fuisse in navibus Cæsareanis non item in Pompejanis. Præterea locus ille Dionis respicit ad ultimam Sexti Pompeji victoriam, quam ad Tauromenium est consecutus, unde imperator tertium dictus fuit, quum in hoc denario imperator iterum, ex victoria priore, dicatur. Neque tamen nego Pompeji quoque naves, præsertim prætorianas, turribus fuisse instructas; docet illud disertis verbis Appianus lib. V. p. 732. ubi describit navale prælium ad Mylas inter Agrippam Cæsaris & Papiam Sexti Pompeji duces. Ἐσκεύαστο δ' ἀμφοτέροις πάντα λαμπρῶς, καὶ πύργους ἐπὶ τῶν νεῶν εἶχον κατά τε πρῷραν καὶ κατὰ πρύμναν. *Erat autem utrimque adparatus magnificus, inpositis prora puppique turribus.* Confirmat idem in submersione prætoriæ navis ducis Papiæ, p. 733. Ὁ δὲ Ἀγρίππας ἵετο μάλιστα εὐθὺ τοῦ Παπίου, καὶ αὐτῷ κατὰ τὴν ἐπωτίδα ἐμπεσών, κατέσεισε τὴν ναῦν, καὶ ἐς τὰ κοῖλα ἀνέρρηξεν, ἡ δὲ τούς τε ἐν τοῖς πύργοις ἀπεσείσατο, καὶ τὴν θάλασσαν ἀθρόως ἐδέχετο, καὶ τῶν ἐρετῶν οἱ μὲν θαλαμῖται πάντες ἀπελήφθησαν, οἱ δ' ἕτεροι τὸ κατάστρωμα ἀναρρήξαντες, ἐξενήχοντο, Παπίας δὲ ἐς τὴν παρορμοῦσαν ἀναληφθείς, αὖθις ἐπῄει τοῖς πολεμίοις. *Agrippa navim Papiæ petebat maxime, ictamque sub prora & consussam perfregit usque carinam: qui in ejus turribus ad propugnandum constiterant, excussi sunt: mare in navem admissum, obruit remigum ordinem infimum: reliqui perfracta contabulatione, natatu evaserunt: Papia receptus in navem proximam rursus in prælium rediit.* Hos Appiani potius locos adducere debuerat Vaillantius ad probandum in navibus Sexti turres fuisse. Facile vero dignosci ex adspectu nummorum potest, non esse turrim in navi positam, quæ in puppi prorave collocari debuerat, sed columnam in littore maris collocatam.

Litera B.

PRAEF*ectus* CLAS*sis* ET ORAE MARI*Timæ*. EX *Senatus Consulto*. Scyllæ effigies, ut supra.

MAG*nus* PIVS IMP*erator* ITER*um*. Navis prætoria & columna Neptuni, ut supra.

Nihil a præcedenti discrepat, nisi quod alio ordine concepta sit inscriptio.

IV.

MAG*nus* PIVS IMP*erator* ITER*um*. Caput Neptuni barbatum & diademate cinctum, post illud tridens cernitur.

PRAEF*ectus* CLAS*sis* ET ORAE MARI*Timæ*. EX *Senatus Consulto*. Tropæum maritimæ victoriæ, quod ex ornatu anchoræ adjectæ, tridentis, proræ, & acrostolii agnoscitur. Notari præterea debet illud inferne desinere in duo canum capita, respectu ad Scyllæum illud Cæsaris naufragium.

Interpretationem hujus denarii jam dedimus ad partem priorem nummi III. præcedentis. Neptuni vero, cujus ope vicerat, & cui columnam illam, victoriæ testem, statua ejusdem imposita, dedicaverat, caput cum tridente in hoc denario expressit.

Litera C.

In omnibus præcedenti est similis, nisi quod utramque partem corolla in extrema denarii ora ambiat.

Litera D.

MAG*nus* PIVS IMP*erator* ITER*um*. Caput idem Neptuni addito tridente.

IMP*erator* TER*tium*. Tropæum terrestre & navale, præter clypeum enim infra prora navis quoque adpingitur.

Imperator iterum & tertium in rariore hoc denario vocatur Pompejus, ob victoriam non tantum apud Mylas, sed & ad Tauromenium reportatam. Tum enim non tantum deletæ prope navales Cæsaris fuerunt copiæ, sed & terrestres ejusdem, duce Cornificio, gravissima incommoda & damna perpessæ, ægerrime evaserunt, ut copiose narrat Appianus lib. V. pag. 735. 736. 737. & Dio lib. XLIX. p. 394. 395.

V.

SEX*tus* MAGN*us* PIVS IMP*erator*. SAL. Caput Cnei Pompeji Magni patris.

PIETAS. Dea stans, dextra tenens ramusculum, læva hastam transversam.

Literæ illæ, quæ sub collo Pompeji Magni videntur, torquent antiquarios, & varie legi possunt. Per SAL*us* legi posse putavit Ursinus, fatetur tamen de dea Salute nihil se legisse, quod ad Sextum Pompejum aliquo modo pertineat; nisi (addidit Patinus) quod profugos excepit & servavit. Acutam & ingeniosam sententiam protulit Vaillantius tom. II. pag. 703. Sextum scilicet, ut in nummo II. Neptuni, sic hic SAL*aciæ* dici filium, quam Neptuni esse sponsam nos docet Augustinus lib. VII. de Civitate Dei; unde & dixerit Pacuvius,

— *Hinc sævitiam Salaciæ fugimus.*

Oedi-

Oedipum in hoc ænigmate ſolvendo agnoſcit ſibi fuiſſe Appianum, cujus verba huc ſpectantia, ex libro V. adduximus ad tabulæ hujus nummum primum. Secutus vero ibi interpretis, qui *Salaciæ* habet, verba eſt Vaillantius, in Græcis enim codicibus exſtat θαλάσσης, unde vetus Appiani interpres P. Candidus habet, *ſed mari duntaxat ac Neptuno contentus peregiſſe ſacra, ſe filium ejus vocari paſſus eſt.* Quæ ultima non bene verſa ſunt, in Græcis enim eſt υἱὸς αὐτῶν Plauſibilis eſt hæc conjectura, plauſibilior etiam foret, ſi nihil haberet, quod objici poſſet. Nunc non tantum emendatione Græcorum Appiani opus eſt, ſed & repugnat, quod ſimpliciter IMP*erator* vocetur Pompejus, uti in nummo V. tabulæ præcedentis, non vero IMP*erator* ITER*um*, ut in reliquis qui præceſſerunt. Quum enim eo veſaniæ proceſſit Sextus, ut Neptuni ſeſe filium diceret, jam iterum imperator dicebatur, victa claſſe Cæſarea ad Mylas, & naufragio fœdiſſimo disjecta. Videntur itaque aliquid aliud literæ SAL. deſignare; & vel conjungi debere cum inſcriptione partis averſæ, ut legatur PIETAS SAL*utaris*, vel inſcriptio partis prioris ita concipi poteſt SAL*ve* SEX*tus* MAG*nus* PIUS IMP*erator*. prouti ſimilis fere inſcriptio EXPECTATE VENI in Carauſii nummo occurrit. Atque ita lætitia exprimeretur illorum, qui in Sicilia adhuc reipublicæ partes fovebant, quique eo, fugientes proſcriptionem, elapſi in tutum pervenerant, quorum certe ingens ſtudium in Sextum fuiſſe agnoſci debet ex ſingulari ejus liberalitate, qua duplum promiſerat illi, qui proſcriptum ſervaſſet, ejus pretii quod occiſori ſtatuerant triumviri, prouti narrat de proſcriptis agens Dio lib. XLVII. pag. 334. Ἡ δὲ ἀναχώρησις σφίσι πρός τε τὸν Βροῦτον καὶ πρὸς τὸν Κάσσιον τόν τε Σέξτον ἐγίγνετο· καὶ οἵ γε πλείους πρὸς τοῦτον συγκατέφυγον. ναυαρχεῖν τε γὰρ πρότερον αἱρεθεὶς, καὶ χρόνον τινὰ ἐν τῇ θαλάσσῃ δυνηθεὶς, ἰσχύν τε οἰκείαν, καίπερ τῆς ἀρχῆς μετὰ τοῦθ' ὑπὸ τοῦ Καίσαρος στερηθεὶς, περιεβάλετο, καὶ τὴν Σικελίαν κατέσχεν, ἔπειθ' ὡς ἐκείνῳ ἐπεκηρύχθη, αἵ τε ἄλλαι σφαγαὶ ἐγίγνοντο, πλεῖστον τοῖς ὁμοίοις συνήρετο. Τῇ γὰρ Ἰταλίᾳ ἐγγύθεν ἐφορμῶν, διέπεμπεν ἐς τὴν Ῥώμην καὶ ἐς τὰς ἄλλας πόλεις, τά τε ἄλλα τοῖς τινὰ περισώσασι διπλάσια τῶν τοῖς φονεύουσι προκειμένων ἐπαγγελλόμενος, καὶ αὐτοῖς ἐκείνοις καὶ ὑποδοχὴν καὶ ἐπικουρίαν καὶ χρήματα καὶ τιμὰς ὑπισχνούμενος. ὅθεν περ συχνοὶ πρὸς αὐτὸν ἦλθον. *Hi autem ſe fere ad Brutum Caſſiumque, aut ad Sextum Pompejum, recipiebant. ad Sextum vero plerique; ei enim prius claſſis imperium fuerat commiſſum: quumque aliquandiu mare obtinuiſſet, etſi poſt à Cæſare erat ea præfectura ſpoliatus, tamen proprias ſibi vires paraverat: Siciliaque occupata, quum proſcriptus ipſe quoque inter reliquos eſſet, cædesque iſtæ fierent, multum hominibus ejusdem fortunæ profuit. Quippe haud procul ab Italia claſſem tenens in ſtatione, Romam, aliasque ad civitates mittebat, qui duplum ejus mercedis, quæ erat occiſoribus propoſita, ei qui aliquem proſcriptorum ſaluti adſeruiſſet, ſuo nomine pollicerentur, hoſpitiumque proſcriptis, auxilium, pecuniam & honores à ſe promitterent. Itaque multi ad eum omnino pervenerunt.* Hisce omnibus quum pietas (quæ & Cnei filii in Hiſpania teſſera fuerat) hæc Sexti ſalutaris adeo fuerit, quidni legatur in hoc denario PIETAS SAL*utaris*. Cuſum certe ante aliquam a Sexto victoriam in Sicilia reportatam inde videtur conſtare, quod nullam ejus contineat memoriam, & ſimpliciter imperator dicatur, quem titulum jam in Hiſpania meruerat. Siciliam quomodo ſui juris fecerit Sextus, docet Dio lib. XLVIII. p. 367.

TAB. III.

Litera A.

ΠΟΜΠΗΙΟΣ. *Pompejus.* Caput Cnei Pompeji Magni.

ΠΟΜΠΗΙΩΠΟΛΕΙΤΩΝ. *Pompejopolitarum.* Figura muliebris turrita & velata, rupibus inſidens, pede fluvium premit.

Pompejus Magnus, poſtquam magno belli adparatu ita perterrefecerat atque oppreſſerat piratas, & inprimis Cilicas, ut ultro in fidem ejus ſeſe dederent, magna erga eosdem uſus eſt clementia, ut in hiſtoria ejus docet Dio Caſſius lib. XXVI. pag. 18. Πολλῇ δὲ καὶ τῇ φιλανθρωπίᾳ τῇ πρὸς τοὺς ὁμολογοῦντας· ὥστε καὶ ἀπὸ τῆς τοιαύτης παμπόλλους προσποιήσασθαι· οἱ γὰρ ἄνθρωποι, ταῖς τε δυνάμεσιν ἡττώμενοι, καὶ τῆς χρηστότητος αὐτοῦ πειρώμενοι, προθυμότατα αὐτῷ προσεχώρουν. τά τε γὰρ ἄλλα αὐτῶν ἐπεμελεῖτο, καὶ, ὅπως μηδ' αὖθις ποτὲ ἐς ἀνάγκην πονηρῶν ἔργων ὑπὸ πενίας ἀφίκωνται, καὶ χώρας σφίσιν ὅσας ἐρήμους ἑώρα, καὶ πόλεις ὅσαι ἐποίκων ἐδέοντο, ἐδίδου. καὶ ἄλλαι τε ἐκ τούτου συνῳκίσθησαν, καὶ ἡ Πομπηϊόπολις ἐπικληθεῖσα· ἔστι δὲ ἐν τῇ Κιλικίᾳ τῇ παραθαλασσίᾳ· καὶ ἐπεπόρθητο ὑπὸ τοῦ Τιγράνου, Σόλοι πρότερον ὀνομαζομένη. *Tum vero magna erga dedentes ſe ei humanitate: qua plurimos ſibi conciliavit. Vi enim ſuperati, poſtquam ejus bonitatem ſenſerunt, promptiſſime ſe. unusquisque ejus fidei permiſit. Ipſe cum cæteris in rebus eis proſpexit, tum, ne denuo paupertas eos ad flagitia impelleret, agros, eis, quos deſertos videbat, colendos, habitandasque urbes colonis indigentes tradidit. Itaque & aliæ urbes habitari cœptæ ſunt, & quam Pompejopolim nominant, Soli prius dicta, ſita in maritima Ciliciæ ora, quam Tigranes ante vaſtaverat.* Eadem fere exſtant apud Strabonem pag. 462. Μετὰ δὲ Λάτμον (Λάμον fluvium emendant alii) Σόλοι, πόλις ἀξιόλογος, τῆς ἄλλης Κιλικίας ἀρχὴ, τῆς περὶ τὸν Ἴσσον, Ἀχαιῶν καὶ Ῥοδίων κτίσμα, τῶν ἐκ Λίνδου· Εἰς ταύτην λειπανδρήσασαν Πομπήϊος Μάγνος κατῴκισε τοὺς περιγιγνομένους τῶν πειρατῶν, οὓς μάλιστα ἔγνω σωτηρίας καὶ προνοίας τινὸς ἀξίους, καὶ μετονόμασε Πομπηϊούπολιν. *Poſt Lamum ſunt Soli, urbs memorabilis, alterius principium Cilciæ quæ ad Iſſum eſt: condita ab Achæis & Lindiis Rhodiorum. In hanc, frequentia hominum deſtitutam, Pompejus Magnus piratarum reliquias transtulit, quas judicabat potiſſimum ſalute & procuratione dignas, ac mutato nomine, eam Pompejopolim dixit.* Unde apud Pomponium Melam lib. I. cap. 13. *Deinde urbs eſt, olim a Rhodiis Argivisque, poſt piratis, Pompejo adſignante, poſſeſſa; nunc Pompejopolis, tunc Solæ.* Gloriatur idem Magnus apud Lucanum lib. II. 576.

Qui, quum ſigna tuli toto fulgentia ponto,
Ante bis exactum quam Cynthia conderet orbem,
Omne fretum metuens pelagi pirata reliquit,
Anguſtamque domum terrarum in ſede popoſcit.

Merito itaque Pompejum, ut conditorem ſuum, & ab illo dicti Pompejopolitani, in hoc rariſſimo ſuo nummo celebrarunt.

I.

Caput Jovis laureatum cum ſemiſſis nota.

SEX*tus* POM*peius*. ROMA. Prora navis, cum nota ſemiſſis.

Cnei Pompeji Magni avus fuit Sextus Pompejus, is liberos reliquit Cneum & Sextum, Cneus

Pompejus a vitio oculorum Strabonis accepit cognomen, pater vero exstitit Cnei Pompeji Magni. Frater Cnei Pompeji Strabonis, Sextus, Pompeji Magni patruus, vir fuit eximius, qui a studiis civilibus plurimum laudatur Ciceroni. De eo lib. I. Off. cap. 6. *Ut in astrologia C. Sulpicium audivimus: in geometria Sextum Pompejum ipsi cognovimus.* Idem, lib III. de Oratore cap. 21. *Quid est, quod aut Sextus Pompejus, aut duo Balbi, aut meus amicus, qui cum Panetio vixit, M. Vigellius, de virtute hominum Stoici possint dicere, qua in disputatione ego his debeam, aut vestrum quisquam concedere?* De doctrina ejusdem atque sapientia tertium apud Ciceronem testimonium exstat Orat. Philip. XII. cap. 11. *Cn. Pompejus, Sexti filius, consul, me præsente, cum essem tiro in ejus exercitu, cum P. Vettio Scatone, duce Marsorum, inter bina castra collocutus est. Quo quidem memini Sex. Pompejum, fratrem consulis, ad colloquium ipsum Roma venire, doctum virum atque sapientem: quem quum Scato salutasset, Quem te adpellem? inquit. At ille, Voluntate hospitem: necessitate hostem.*

Hic Sextus Pompejus, Cnei Pompeji Strabonis frater, quum filius Cnei, nepos Sexti, fuerit, nos in dubio relinquere videtur, cui ex duobus Sextis Pompejis hic semissis sit adjudicandus; nepoti tribuit Vaillantius, & quæsturæ ejus provinciali A. V. C. DCXLV. adsignat. Sed quum vox ROMA, quæ adscribitur, cusum in urbe denotet, ad ejus vel avi quæsturam urbanam debere referri, res clamat.

Litera B.

Caput Jani bifrontis, barbatum & laureatum, cum modio in capite.

Lucius POMP*eius vel* POMP*onius*. ROMA. Prora navis cum nota semissis.

Literæ L. POMP. quæ in quinque æreis nummis diversæ magnitudinis inveniuntur, incertos nos relinquunt, utrum ad gentem Pomponiam, ad quam retulit Vaillantius, an ad Pompejam, ad quam cum Ursino sculpi jussit Morellius, referendi sint. In utraque familia prænomen Lucii invenitur. Lucius Pompejus a Pighio inter quæstores provinciales ponitur A. V. C. DLXXXIV. qui eundem ex Livii mentione illustrat. Virtutem ejus commendavit Livius lib. XLII. cap. 65. ubi narrat, quomodo præsidium suum egregie contra Macedonum copias & regem Persen defenderit. *Prædam custodiendam ducendamque in castra trecentis Cretensium dedit. Ipse revocato ab effusa cæde equite, & reliquis peditum, ducit ad proximum præsidium; ratus haud magno certamine opprimi posse. L. Pompejus, tribunus militum præerat, qui perculsos milites repentino hostium adventu in propinquum tumulum recepit; loci se præsidio, quia numero & viribus inpar erat, defensurus.* &c. Inter tribunos plebis collocatur A. V. C. DLXXXIX. atque inter ædiles plebis A. V. C. DLXXXXI. tandemque inter prætores A. V. C. DLXXXXIV. Inter Pomponios, præter L. Pomponium Molonem (cujus denarium vide in Familia Pomponia) & præter L. Pomponium Flaccum, consulem A. V. C. DCCLXIX. exstat L. Pomponius, Vejentanus dictus, apud Livium lib. XXV. cap. 1. *Consentini & Thurini in fidem populi Romani redierunt, & plures rediissent, ni L. Pomponius Vejentanus, præfectus socium, prosperis aliquot populationibus in agro Bruttio, justi ducis speciem nactus, tumultuario exercitu coacto, cum Hannone conflixisset. Magna ibi vis hominum, sed inconditæ turbæ agrestium servorumque, cæsa aut capta est: minimumque jacturæ fuit, quod præfectus inter cæteros est captus, & tum temerariæ pugnæ auctor, & ante publicanus, omnibus malis artibus & reipublicæ & societatibus infidus damnosusque.* Et quoniam post tribunatum plebis plerumque præfecti sociorum creabantur, hinc Pighius illum inter tribunos plebis collocat A. V. C. DXXXVIII. inter quæstores provinciales A. V. C. DXXXIII. &c, anno post, inter proquæstores. Strages vero & captivitas ejusdem accidit A. V. C. DXL.

Assem vero hunc, cum semisse suo & reliquis partibus, ad quæsturam istius L. Pomponii Vejentani pertinere inde colligit Vaillantius, quod pondus assis sit referendum ad tempora, quæ intercesserunt bellum Punicum primum & secundum, est enim (illo teste) assis hujus pondus conveniens cum sextantario. Asses vero sextantarii facti fuerunt initio belli Punici primi, ab A. V. C. CDLXXXVIII. usque ad DXXXV. Unciales deinde cusi fuerunt ab A. V. C. DXXXVI. usque DLXXV. quo semiunciales succedere ceperunt. Vaillantio quidem in hisce fides habenda esse videtur, quoniam plures ex iisdem primus edidit, & inter illos semissem quoque, cum victoria rati insistente, quem non vidit Morellius, quemque inspicere licet apud Vaill. tab. CXV. num. 4. Sed, quum Morellii delineatio testetur semissem num. I. & alterum semissem lit. C. ejusdem esse magnitudinis, nos vero cum Vaillantio priorem semissem retulerimus ad Sextum Pompejum Cn. Strabonis fratrem, posterioraque adeo tempora; dubitari merito possit, an non & prior ille ad gentem Pomponiam sit referendus; atque in illo designetur Sextus Pomponius, cujus, ut legati, mentionem facit Livius lib. XXI. cap. 51. ubi de Titi Sempronii Longi consulis reditu ex Sicilia in Italiam A. V. C. DXXXV. agit, quem postea clades ad Trebiam secuta est: *Repetenti Siciliam consuli exscensio hostium in agrum Vibonensem facta nunciatur, literæque a senatu de transitu in Italiam Annibalis, &, ut primo quoque tempore collegæ ferret auxilium, missæ traduntur. Multis simul anxius curis, exercitum extemplo in naves inpositum, Ariminum supero mari misit: Sexto Pomponio legato cum viginti quinque longis navibus Vibonensem agrum maritimamque oram Italiam tuendam adtribuit.* Hunc Sex. Pomponium tribunum plebis agnoscit Pighius A. V. C. DXXXVI. quæstorem vero provincialem A. V. C. DXXI. Si itaque as quidem sextantarius est, atque æquali pondere imminutus uterque hic semissis, necessario ad tempora quæ bellum Punicum secundum præcesserunt, asses hi atque semisses erunt relegandi; pro re dijudicanda velim ut examinent pondus illi quibus copia horum nummorum suppetit; mihi quidem jam ad manum non sunt.

Litera C.

Caput Herculis inberbe in leonis exuviis, post tria sunt puncta, quæ quadrantem denotant.

Lucius POMP*eius* vel POMP*onius*. ROMA; Prora navis, adsunt quadrantis similes notæ.

Litera D.

Similis in omnibus est præcedenti, sed pictura & ornatus navis aliquantum discrepant.

Litera

Litera E.

Caput Mercurii galero alato ornatum, ad humeros caduceus exstat.

Lucius POMP*ejus* vel POMP*onius*. ROMA. Prora navis. Tria puncta, quæ adduntur, quadrantis pretium & pondus designant.

Notari debet, quod hic quadrans, respectu picturæ Morellianæ, minor esse videatur, quam quadrantes illi duo qui præcedunt, quum Vaillantius tab. CXV. num. 5. & 6. iisdem magnitudinem parem inter se assignarit. Lis dirimi nequit, nisi ipsorum nummorum adspectu.

Litera F.

SEXTI F*ilius*. Caput puerile vel juvenile. Post illud litera S. est, quæ videtur postulasse, ut litera C. ab altera parte capitis poneretur (ut fit in nummulo sequenti) sed illam a monetario fuisse omissam, quoniam universum illum locum inscriptio occuparet, est verosimile.

Titus POMP*ejus* vel POMP*onius*. Buccula stans.

Hic & sequens nummulus inter rarissimos collocandi sunt; non tantum quod in paucissimis museis inveniantur, sed quod capita contineant liberorum Augusti, hic quidem Caji, Agrippæ & Juliæ filii, Augusti nepotis, sequens vero Juliæ, quæ ejusdem Augusti filia fuit. Priorem nummulum ipse servo, vidique in illo caput valde esse puerile, magis etiam quam in Morellii delineatione depingitur, sic ut ad neminem melius quam ad Cajum referri possit.

Nota, quæ in hoc nummulo dimidia sui parte, in sequenti integra additur, S. C. sæpius in minutis hisce æreis nummulis observatur, ut norunt qui tirones in hisce studiis non sunt. Quod notandum duxi, ne quis credat æreos hos nummulos in coloniis fuisse cusos. De bove vel buccula, quæ in utroque nummo est, id quoque scire oportet; quamvis vulgare coloniæ alicujus sit symbolum, non tamen adstruere nummulos in colonia aliqua esse cusos. Inveniuntur enim elegantissimi nummi argentei, cum effigie Augusti, qui ab altera parte simillimam huic bucculam exhibent. Illi plerumque additam habent inscriptionem CAESAR AVGVSTVS, uti patere potest ex nummis Augusti tom. II. ique nonnunquam IMP. titulum, vel nihil omnino a parte altera habent, ut ibid. tab. XVI. num. 39. 40. Quæ docent tempus, quo cusi sunt hi nummuli, videlicet postquam Augusti titulum adsumserat Cæsar Octavianus, adeoque post A. V. C. DCCXXVII. Natus vero est Cajus, Agrippæ & Juliæ filius, A. V. C. DCCXXXIV. & triennio post ab Augusto adoptatus fuit, uti apud Norisium ad Cenotaph. Pisana cerni potest. Inveniuntur vero plures Augusti nummi, qui ad bovem, vel etiam taurum cornupetam, adscriptum habent titulum IMP. IX. vel X. vel etiam XII. ut videre est in Augusto tab. XVI. num. 34. & 35. & seqq. Hic titulus IX. & X. Augusti cadit in A. V. C. DCCXLI. vel DCCXLII. quo septem vel octo annorum puer fuit Cajus, qualis in nummulo meo adparet, inflata aliquantulum, ut pueris esse solet, bucca.

Quis hosce duos æreos nummulos signaverit, dubios nos relinquit dubia literarum lectio, quum æque legi possit T*itus* POMP*ejus* & T*itus* POMP*onius* SEX*ti* F*ilius*. Hanc ambiguitatem tolli posse puto ex consideratione scripturæ, quæ in hujus tabellæ nummis invenitur. Qui sine controversia ad Pompejam familiam pertinent nummi, quales sunt Q. Pompeji Rufi, num. III. & Sexti Pompeji Faustuli, num. V. hanc exhibent scripturam POM. non addita litera P. vel separata in fine, vel connexa cum litera postrema M. Id vero quum fiat, quumque connecti videamus literas M. & P. in nummis B. C. II. D. E. omnes illi ad Familiam Pomponiam spectare videntur; qui vero POM. habent simpliciter, ut num. I. semissis ille cum Sexti Pompeji nomine, & insignes hi duo nummuli, ad familiam Pompejam pertinere videntur. Itaque T. Pompejus Sexti filius, qui triumvir monetalis cum fratre vel cognato patruele Publio Pompejo videtur fuisse, hosce cudit nummulos, non vero T. Pomponius vel P. Pomponius. De hisce vero Tito & Publio Pompejo Sexti cujusdam Pompeji filiis nihil legitur. Filius Cnei Pompeji Magni, Sextus Pompejus Pius, filios non videtur habuisse, sed filiam ex Scribonia, L. Scribonii Libonis filia, quam desponsam fuisse Marco Marcello, nepoti Cæsaris Octaviani, narrat Dio lib. XLVIII. p. 380. ubi de reconciliatione eorundem agitur. Ἀλλὰ τῇ τε ὑστεραίᾳ ἀνθειστιάθη, καὶ τὴν θυγατέρα Μάρκῳ Μαρκέλλῳ τῷ τοῦ Καίσαρος ἀδελφιδῷ συνηγγύησεν. *Postridie ipse convivio exceptus, filiam suam M. Marcello, cujus avunculus erat Cæsar, despondit.* Licet vero nihil de hisce T. & P. Pompejis legatur, patrem tamen eorum Sextum me invenisse puto, videlicet consulem eo anno, quo obiit Augustus. Dio lib. LVI. p. 403. ad A. V. C. DCCLXVII. Τῷ γὰρ ἐχομένῳ ἔτει, ἐν ᾧ Σέξτος τε Ἀπουλήϊος καὶ Σέξτος Πομπήϊος ὑπάτευσαν, ἐξορμηθεὶς ἐς τὴν Καμπανίαν ὁ Αὔγουστος, καὶ τὸν ἀγῶνα τὸν ἐν Νεαπόλει διαθεὶς, ἔπειτα ἐν Νώλῃ μετήλλαξε. *Namque anno insequenti, Sex. Apulejo, Sex. Pompejo consulibus, in Campaniam profectus Augustus, exhibito Neapoli spectaculo, Nolæ morti concessit.* Suetonius in vita Aug. cap. 100. *Obiit in cubiculo eodem quo pater Octavius, duobus Sextis, Pompejo & Apulejo, consulibus.* Sexti Pompeji consulis pater videtur fuisse is, qui prænomine Titus, T. F. dicitur Josepho lib. Antiq. Jud. XIV. cap. X. §. 13. pag. 708. nostræ edit. Τίτος Πομπήϊος Τίτου. *Titus Pompejus Titi filius.* Quod enim sequitur Longinus, non est cognomen hujus Pompeji, ut patet ex §. 19. p. 710. ubi Cornelius Longinus Pompejo subjungitur. Hujus itaque Titi Pompeji T. F. cujus ad A. V. C. DCCIV. mentionem injicit Josephus, nepotes, & Sexti Pompeji, consulis postea, filii, simul illum magistratum triumviratus monetalis gessisse videntur. De buccula in Augusti nummis dicturi sumus. Hæc quum scripsissem, atque ad gentem Pomponiam fecissem transitum, similem priori huic nostro nummulum inveni a Vaillantio relatum in gente Pomponia num. XXI. qui quidem a parte capitis hanc habet inscriptionem SEX*ti* F*ilius* PIVS. a parte bovis T*itus* POMP*onius* juxta Vaillantium, cujus explicationem hic vide. „ Quin ad Pomponiam gentem pertineat hic nummus dubitare non finit epigraphe T. POMP*onius*: sed an pertineat ad T. Pomponium, cognomine Atticum, augurari (*sic*) possumus. In tota Pomponiorum gente solus ille Titi praenomine gaudet, ejus quidem patris prænomen ignoratur, sed potuit Sextus vocari. Ejus avus fuit M. Pomponius, ædilis plebis an. „ DCLXXI.

„ DCLXXI. teste Plinio lib. VII. 48. Nobis superest cognomen PIVS, quod habere potuit a Q. Cæcilio avunculo, a quo fuit adoptatus; nam id cognomen Cæciliæ genti familiare fuit, ut videre est in Cæciliis; & sæpe ad adoptionem denotandam solum adpositum est cognomen, & diverso modo adpellatus est T. Pomponius, ut tradit Varro, de Re Rust. lib. II. c. 2. Nunc T. Pomponius nunc Q. Cæcilius cum cognomento eodem dictus est. Bos nummum in colonia, cujus est symbolum, percussum indicat, in gratiam forsan Tiberii Imp. qui ejus progener fuit, nam ipse Vipsaniam Agrippinam, Agrippæ & Pomponiæ filiam, duxerat uxorem, Pomponia autem T. Pomponii erat filia. Oculis Vaillantii Morellianos meosque oppono, atque uni nummulo Vaillantiano tres adversos, duos Morellianos, meum unum; unde suspicor POM. exstitisse in Vaillantiano nummo, sed POMP. lectum fuisse a viro docto oculis suis aut æris rubigine decepto. Magnum tamen aliquid docet ille Vaillantii nummulus, & quidem, ut ego puto, hæsisse in Pompejis quibusdam, propter Sextum Pium, Cnei Magni filium, cognomen Pii, sicuti in aliis, propter Cneum Cnei Magni filium, cognomen Magni, quod Pompejis illis, pro vesania sua, ademisse Caligulam scribit Suetonius in Vita ejus cap. XXXV.

Litera G.

Senatus Consulto. Caput Juliæ Augusti filiæ.

Publius POM*peius.* Buccula gradiens.

Quamvis Liviæ forsitan caput hoc muliebre adsignari possit, malo tamen ad Juliam, filiam Augusti, referre, duabus de caussis; quod collega P. Pompeji & frater (ut videtur) Titus, eodem anno Cajum, Juliæ filium, Augusti nepotem, expresserit; quodque non dissimilis videatur ejusdem Juliæ capitis comtura in nummis Tiberii tab. XIII. num. 37.

III.

RVFVS CO*n*S*ul.* *Quintus* POM*peius* RVF*i* F*ilius.* juxta Vaillantii lectionem. Caput Quinti Pompeji Rufi consulis. Sed in denariis non F. sed P. esse videtur, ut in pictura Morellii.

SVLLA CO*n*S*ul.* Caput Sullæ consulis & dictatoris.

Quintus Pompejus vir fuit clarus in historia Romana. Prætor, Q. Fabii Maximi filio, propter prodigam ejusdem vitam, bonis paternis interdixit, ut testis est Val. Max. III. v. 2. *Age Q. Fabii Max. Allobrogici & civis, & Imperatoris clarissimi filius Q. Fabius Maximus, quam perditam luxuria vitam egit? cujus ut cætera flagitia obliterentur, tamen abunde illo dedecore mores nudari possunt, quod ei Q. Pompejus prætor urbanus paternis bonis interdixit: neque in tanta civitate, qui illud decretum reprehenderet, inventus est.* Consul postea cum Cornelio Sulla magnas res gessit, ejusque filio Q. Pompejo Rufo filiam Faustam uxorem dedit Sulla. Filius vero ille Q. Pompejus Rufus, patre adhuc superstite, qui ægre cum collega Sulla discrimen evaserat, in seditione Sulpiciana periit, teste Appiano lib. I. Bel. Civ. pag. 384. Κἀν τῷδε Πομπηΐυ τ͂ υἱὸν κηδεύοντα τῷ Σύλλᾳ, παῤῥησιαζόμενόν τι, καὶ λέγοντα, κτείνουσιν οἱ τ͂ Συλπικίυ στασιῶται. *Interim Pompejus, consulis filius, Sullæ gener, nescio quid locutus, a Sulpicianis interficitur.* Non diu post pater ipse similiter, sed fraude Cn. Pompeji Strabonis (qui Magni pater fuit) interiit. Appian. ibid. p. 388. *Et Sulla quidem vel post consulatum tutus erat exercitus præsidio, quem ex S. C. acceptum ad bellum Mithridaticum gerendum, propugnatorem erat habiturus. Collegam vero ejus Pompejum periclitantem miseratus populus, Italiam ei decrevit, & alterum exercitum, qui tum in ea militabat Cn. Pompeji auspiciis. Id cognitum Cneus tulit ægerrime: & postquam Quintus in castra pervenit, cum postridie quiddam pro potestate apud milites ageret, cessit ei tanquam privatus: sed paullo post ille cinctus corona quasi ad audiendum confluentium occisus est: cæteris vero diffugientibus Cneus supervenit indignabundus, ac si contra jus fasque necato Consule: nihilominus post indignationem ad imperium pristinum rediit.* Testatur idem Livius in Epitome lib. LXXVII. *Q. Pompejus consul, ad accipiendum a Cn. Pompejo proconsule exercitum profectus, consilio ejus occisus est.* Filii fatum ibidem recensuerat, de Marii & Sulpicii agens factione: *Et adversantibus consulibus, Q. Pompejo & L. Sullæ vim intulisset, occiso Q. Pompejo consulis filio, genero Sullæ.*

Denarius hic & sequens a nepote consulis cusus est; ex Fausta Sullæ filia & Q. Pompejo Rufo nati sunt Q. Pompejus Rufus Q. F. Q. N. tribunus plebis seditiosis temporibus Clodianis, & Pompeja, quam Cæsar, corruptam a Clodio suspicatus, dimisit.

Dixi literam P. quæ post Q. Pompeji Rufi nomen cernitur, Vaillantio F. visam fuisse. Verum non errabimus forsan, si legamus Q. POM*peius* RVF*us Pater,* atque ita statuamus Q. Pompejum nepotem universum familiæ suæ decus hoc denario expressisse, & avorum quidem, ut in consulatu, honore maximo, collegarum, facies & nomina; patris vero duntaxat nomen, ut, qui maturo fato interceptus, ad dignitatem istam pervenire non potuerat. Vel simpliciter legendum est, RVFVS CO*n*S*ul* *Quinti* POM*pei* RVF*i* *Pater.* Quod præfero.

IV.

Quinti POMPEI *Quinti* F*ilii.* RVFVS CO*n*-S*ul.* Sella curulis inter spiculum & lauri ramum.

Quinti POMP*ei* RVF*i.* SVLLA CO*n*S*ul.* Sella curulis inter lituum & corollam lauream.

Confirmat opinionem & explicationem meam, quam dedi ad denarium præcedentem, hujus denarii typus & inscriptio. Nomen nepotis, qui denarium cudit, ponitur in secundo casu, patris item; adeoque (ut sæpe) ex utraque nummi parte desumta inscriptione, hæc lectio concinnanda est. *Quinti* POMPEI *Quinti* F*ilii* *Quinti* POMPEI RVF*i* scilicet *nepotis.* Avi vero RVFVS CO*n*S*ul* & SVLLA CO*n*S*ul* in primo casu ponuntur, habentque dignitatibus suis convenientia emblemata.

Vide alias quæ de hisce iisdem denariis diximus ad Fam. Corn. tab. IV. nummos priores.

V.

Caput Romæ galeatum, cum nota denarii. Post caput olla ansata est.

SEX*tus* POM*peius* FOSTLVS. ROMA. Lupa cum gemellis Romulo & Remo, sub ficu arbore, cui avicula insidet; adstat pastor Faustulus dextram extendens, læva baculo innixus.

Quoniam sæpius apud veteres cognomen omittitur, hinc difficulter adseri potest, ad quem Sextum Pom-

Pompejum Foftuli five Fauftuli cognomen fpectaverit. In hiftoriis plures occurrunt Sexti Pompeji, ut vidimus ad num. 1. hujus tabulæ. Hunc vero denarium eruditi paffim adfignant Sexto Pompejo, qui conful fuit cum L. Cornuficio, eodem anno, quo interiit Pompeji Magni alter filius, item Sextus Pompejus dictus, five A. V. C. DCCXVIII. Qui quidem Sextus Pompejus conful, pater videtur fuiffe Titi & Publii, de quibus vide fupra p. 341. ut & alterius Sexti Pompeji, confulis eo anno quo mortuus fuit Auguftus; de quo actum eft ad num. lit. F. notatum. Confulatus prioris Sexti meminit Dio lib. XLIX. pag. 403. Καὶ οὕτως ὅ, τε Σέξτος ἐπί τε τοῦ Κορνουφικίου τοῦ Λευκίου καὶ ἐπὶ Σέξτου τινὸς Πομπηΐου ὑπάτων ἀπέθανε. *Ita Sextus Pompejus mortuus eft, L. Cornuficio, & Sexto alio quodam Pompejo confulibus.* In quo Dionis loco vocem Σέξτου perperam ita cepiffe videtur Pighius, quafi Sexti filius diceretur ille Pompejus; quum ad illum annum citet Dionem ut adfirmantem hunc Sextum Pompejum Sexti fuiffe filium. Sed hunc in Faftis, five Chronologia Camilli de Sylveftris Rhodigini p. 260. Sextum Pompejum Rufum vocari video. Quisquis vero fuerit hic Sextus Pompejus, propter cognomen Fauftuli, adlufit ad hiftoriam Romuli & Remi, inventorum atque nutritorum a paftore Fauftulo.

Avem ficui arbori infidentem de pico explicant antiquarii, juxta Ovid. lib. III. Faft. vf. 37.

Martia, picus, avis gemino pro ftipite pugnant,
Et lupa.

Ibid. vf. 53.

Lacte quis infantes nefcit creviffe ferino,
Et picum expofitis fæpe tuliffe cibos?

In meo denario clare tres pici adparent, præter enim illam mediam, duobus exterioribus ramis totidem aviculæ infident. Poëta vero fynecdoche numeri ufus eft, vel fculptor aves ad ramorum numerum multiplicavit.

Litera H.

COL*onia* V*ictrix* I*ulia* CELSA IIVIR*is*. Caput nudum Cæfaris Augufti.

Lucio POMP*eio* BVCCO *Lucio* CORNE*lio* FRONT*one*. Bos. Colonia Victrix Julia Celfa in Hifpania Tarraconenfi nota eft. Vide Vaillantium de Coloniis. Homines hi hiftoricis ignoti funt.

Litera I.

AVGVSTVS DIVI F*ilius*. Caput Augufti nudum.

Colonia V*ictrix* *Julia* CEL*fa* *Lucio* SVRA *Lucio* BVCCO IIVIR*is*. Bos.

Omittitur in hoc nummo familiæ nomen, fi idem L. Buccus eft ac præcedens L. Pompejus Buccus, unde Suræ fuffectum fuiffe Frontonem arbitratur Vaill. tom. I. pag. 43. fed plures familiæ Bucci cognomen habuerunt.

Litera K.

TI*berius* CAESAR AVGVSTVS. Caput Tiberii laureatum.

Colonia V*ictrix* *Julia* CEL*fa*. BAGG*io* FRONT*one* CN*eo* BVCCO IIVIR*is*. Bos.

Cneus Buccus defcendiffe videtur a L. Pompejo Bucco, qui ejusdem hujus Coloniæ fub Augufto duumvir fuit.

Litera L.

TI*berius* CAESAR AVG*ufti* F*ilius* AVGVSTVS IMP*erator*. Caput Tiberii laureatum.

CLVNIA. CN*eo* POMP*onio* (ut arbitror, non POMP*eio*) *Marco* AVO*nio* *Tito* ANTO*nio* *Marco* IVL*io* SERAN*o* IIIIVIR*is*.

Vide de hoc nummo Vaill. tom. I. p. 104. Pompejæ genti illum abjudico, quia in nummis fcribi folet POM. vel POMPE. vel POMPEI. at in iisdem POMP. Pomponiam defignare folet.

Litera M.

C*aius* CAESAR AVG*uftus* GERMANIC*us* IMP*erator* *Pontifex* *Maximus* TR*ibunitia* *Poteftate* CO*nSul*. Caput Caji laureatum.

SAL*us* AVG*ufta*. CN*eo* ATEL*lio* FLAC*co* CN*eo* POMP*onio* FLAC*co* IIVIR*is* *Quinquennalibus* V*ictricis* *Juliæ* *Novæ* *Carthaginis*. Caput muliebre.

Inter rariores atque præftantiffimos coloniarum nummos hic adfervandus eft, cui etiam, optime fervato, nobiliorem locum in mufeo noftro inter multos ejus generis nummos dedimus. Exprimit vero faciem Cæfoniæ illius, quam, fororem fuam, infano amore deperiiffe narrat Caligulam Suetonius. Hanc tanquam Salutem Augufti in nummis fuis venerati funt coloni Novæ Carthaginis, eadem adulatione, qua fub Tiberio fimiliter depicta in nummis atque adpellata invenitur Livia. Confule Vaillantium de Colon. tom. I. pag. 149.

POMPONIA.

Gens Pomponia, quamvis originem fuam a Numa conata fuerit deducere, plebeja tamen fuit, ut agnofcere licet ex tribunis plebis, qui in illa gente exftiterunt.

TAB. I.

Lucius POMPON*ius* MOLO. Caput Apollinis laureatum.

NVMA POMPIL*ius*. Rex Numa ftans habitu augurali ante aram ignitam, ad quam victimarius caprum mactandum adducit.

Notum ex Plutarcho eft, a Pompone Numæ regis filio originem fuam repetiiffe Pomponios. Hanc nobilitatem ut inprimis familiæ fuæ vindicaret L. Pomponius Molo, ritum facrificiorum, quæ Numa inftituiffe fertur, ab altera denarii parte expreffit. Apollo cur ab altera parte expreffus

pressus sit, duplex esse caussa potest, vel peculiaris quædam alicujus ex Pomponia familia, vel ipsius Numæ respectu, qui quum Musas coluisse legatur, Apollinem negligere non potuit. De Musis sive Camœnis testis est Plutarchus in Vita Numæ p. 65. Τῷ δὲ Νουμᾷ, δρᾶμα θεᾶς τινὸς ἢ νύμφης ὀρείας ἔρως ἦν, καὶ συνουσία πρὸς αὐτὸν ἀπόρρητος (ὥσπερ εἴρηται) καὶ κοιναὶ μετὰ Μουσῶν διατριβαί. τὰ γὰρ πλεῖστα τῶν μαντευμάτων, εἰς Μούσας ἀνῆγε. *Numæ fabula, deæ cujuspiam aut nymphæ montanæ amor & arcanum cum ipso contubernium, ut supra diximus, erat, mutuaque cum Musis consuetudo. Plerasque autem divinationes suas contulit in Musas.*

Molonis cognomen tulit Apollonius, Rhetor ille celeberrimus, domo Alabandensis, sæpius a Cicerone laudatus, a Strabone quoque lib. XIV. & cui Rhodi operam dedisse Julium Cæsarem in Vita ejus cap. IV. scribit Suetonius. Sed inter Pomponios Romanos, qui Molonis habuerit cognomen, apud scriptores non invenitur, licet (denarii hujus, ut videtur, auctoritate) L. Pomponium Molonem inter tribunos plebis collocet Pighius A. V. C. DCLXXXXIII. quem ex Cic. ep. VII. ad Q. Fratrem, quæ lib. Ep. II. exstat, collegam in ædilitate fuisse docet C. Cosconii, A. V. C. DCLXXXXVI. Verum apud Ciceronem simpliciter Pomponius adpellatur, non addito Molonis cognomine. Pighium tamen sequitur Vaillantius p. 278. atque insuper prætorem fuisse statuit cum eodem C. Cosconio A. V. C. DCLXXXXVIII. Scilicet, ut ludos Apollinares ab illo prætore editos, atque a prætore eodem cusum hunc denarium fuisse, nobis persuadeat. Tutius ignorabimus hunc L. Pomponium Molonem, quousque clarior lux ex sententia magis verosimili adfulgeat.

Litera A.

NVMA POMPIL*ius*. Rex Numa adstans habitu augurali ad aram accensam, ad quam caprum victimarius adducit.

Ab altera parte incusus nummus eundem typum exhibet. Quales nummos observari norunt antiquarii.

II.

Lucius POMPONI*us* CN*ei Filius*. Caput Romæ cum galea alata.

Lucius LIC*inius*. CN*eus* DOM*itius*. Mars nudus in citis bigis, dextra vibrans spiculum, læva tenens clypeum & lituum militarem.

Sæpius habuimus jam hunc typum, videlicet in familiis Licinia, Domitia, Poblicia, aliisque. Occurrit in hoc denario L. Pomponius Cnei filius. Hunc diversum arbitror a L. Pomponio Molone, non tantum quia cognomen illud abest, quodque Cnei filium sese scribat, sed etiam quia discrepat nummi fabrica, atque omnes hi denarii, cum hoc Martis bigis invecti typo, serrati sint, præcedentes vero omnes sint æqualiter rotundi.

Quamvis vero ignotus nobis sit hic L. Pomponius Cn. filius, tempus tamen, quo vixerit, agnoscitur ex censoribus Licinio & Domitio, qui simul censores fuerunt ab A. V. C. DCLX. usque ad DCLXV. unde patet hunc Pomponium sub illis fuisse triumvirum monetalem, quoniam præter eundem inveniuntur Æmilius Scaurus, Cosconius & alii, qui, quum alio anno sub iisdem censoribus triumviri monetales exstiterint, suum addiderunt nomen in denariis suis, sed omnes eundem typum exhibent.

Vaillantius hunc Lucium Pomponium Cn. F. censet fratrem minorem fuisse Cn. Pomponii Cn. F. quem inter quæstores provinciales recenset Pighius A. V. C. DCLVI. quæ quidem opinio verisimilitudine non caret.

III.

RVFVS. *Senatus Consulto*. Caput Jovis laureatum.

Quintus POMPONI*us*. Aquila respiciens & sceptro insistens, dextro ungue tenet lauream; post illam est anguis, monetarii signum, ut docet sequens, qui scorpionem habet, & meus, ab utroque discrepans, in quo squilla invenitur.

Quintum Pomponium Rufum, patrem & filium exstitisse seculo urbis conditæ quinto, ostendit Cn. Pomponius Rufus Q. F. Q. N. quem inter quæstores provinciales collocat Pighius A. V. C. DVIII. inter tribunos plebis A. V. C. DXIII. Hujus filius censetur eidem Cn. Pomponius Cn. F. Cn. N. tribunus plebis A. V. C. DXLVI. Fratrem, vel fratris filium, videtur innuere Vaillantius (nam verba ejus vitiose inpressa sunt) fuisse illum, qui hunc denarium signaverit, idque judicat fecisse in ædilitate curuli. Ego non puto tam antiquum hunc esse denarium, sed ad tempora denariorum sequentium Q. Pomponii Musæ esse referendum, & quidem hanc ejus opinionis meæ caussam adfero: tab. III. numero secundo occurrit pars anterior hujus denarii conjuncta cum aversa parte denarii III. hujus tabellæ; quod monetariorum errore factum fuisse patet, at simul indicat, matrices horum nummorum, tamquam eodem fere tempore cusorum, permutatas fuisse; quod non semel in hisce Consularibus Nummis observatum fuit. Si itaque posset constare de tempore, quo vixit Q. Pomponius Musa, de Q. Pomponio Rufo aliquid certius dici posset.

Aquila & caput Jovis non respiciunt ædilitatem curulem istius Pomponii Rufi, sed honorem eundem potius, quem pater & avus gesserat, non enim ædilium fuit signare pecuniam, sed quæstorum vel triumvirorum monetalium.

Litera B.

RVFVS. *Senatus Consulto*. Caput Jovis laureatum.

Quintus POMPONI*us*. Aquila sceptro insistens dextro ungue tenet lauream corollam, ipsa respicit ad tergum, post est scorpio, monetarii signum.

IV.

Quintus POMPONI*us* MUSA. Caput Apollinis Regis, diademate ornatum, atque crinibus in cirros contortis & dependentibus. Frustra enim Herculis Musagetæ caput esse autumat Vaillantius: qui barbatus leonina indutus pelle altera parte conspicitur. Idem hoc caput observatur in numero I. II. III. tabulæ primæ gentis Valeriæ, unde triumvirum monetalem sub Augusto eodem cum L. Valerio Acisculo fuisse existimo, Augusto VI. consule, A. V. C. DCCXXVI.

HERCVLES MVSARVM. Herculis Musagetæ imago, dextra lyram tangentis, dependente a capite & ad humeros leonina, atque abjecta ad pedes clava.

De Hercule Musarum Ursinus & alii viri docti plurima congesserunt, quæ hic repetere nihil necesse est. Duos vero Musarum ductores & principes in hoc denario depinxit Pomponius, Apol-

Apollinem Regem, cujus caput in parte denarii prima posuit, & Herculem Musageten, cujus effigiem in altera ejusdem parte posuit. Et Apollo quidem natura princeps & comes Musarum est; at, quoniam inermes sunt Musæ, vetustas Herculem comitem earundem & ducem fecit, ut scilicet Musarum quies defensione Herculis tuta foret, Herculis vero facta voce Musarum celebrarentur; in quam rem elegantem orationem vide Eumenii rhetoris apud Ursinum pag. 225.

Musa vox, utrum cognomen familiæ Pomponiæ fuerit, an vero non fuerit, & ponatur in hisce denariis ad indicandum nomen deæ quæ depingatur, ut in Salute, Valetudine, aliisque exempla prostant, vehementer dubitarunt antiquarii, eaque de re anxia inprimis disquisitio fuit inter Morellium & Perizonium, ut ad sequentem denarium, adlatis eorundem argumentis verbisque ostensuri sumus. Mihi tamen videtur hic ipse denarius universam litem decidere, atque cognomen illud genti Pomponiæ adjudicare. Scribitur enim hic clare Quintus Pomponius Musa in denario, in quo nullum alicujus Musæ est vestigium, in priore enim parte caput exhibetur Apollinis Regis, ut ex collatione nummorum ejus Græcorum, præsertim qui in Sicilia cusi sunt, atque in Paruta nostro prostant, eximie patere potest, in parte posteriore Herculis Musagetæ effigies est, Græci etiam nummis, & inde Romæ recepti. In sequentibus itaque denariis Musa itidem Q. Pomponii est cognomen, Musæ vero deæ per attributa sua satis innotescunt.

V.

Caput Musæ lauro coronatum; post illud volumen est convolutum, dependentibus lorulis quibus colligari possit.

Quintus POMPONI*us* MVSA. Musa stans stolata, lævo cubito columnæ innititur, dextra chartam sive membranam convolutam tenet.

Ut caput hoc muliebre, sicuti & sequentia, Musæ potius quam Apollini (qui alias simili facie oris & habitu depingi solet) adsignem, facit ornamentum illud baccatum, quod ex gemmis cernitur ad tempora omnium Musarum, quodque clarissime in denariis, quos ipse possideo, expressum inveni. Notari vero debet illud ornamentum muliebre, quod non quidem in auricula ima gestat muliebre caput, sed ad tempora, a capite sub coma dependens, uti quibusdam mulieribus hodieque mos esse solet. Quale vero nomen apud Græcos hæc quidem gemmarum compositio, quæ in Musarum harum capite adparet, obtinuerit, nos docet Pollux in Onomastico lib. V. cap. XVII. segm. 97. p. 532. ubi inter varia hujus muliebris mundi genera recenset βοτρύδια. Clarum jam est a forma illud nomen inditum esse, ut ipse mox addit: Δῆλον ὡς ἀπὸ τῶ σχημάτων, θεμένων αὐτῶν τοῖς ἐνωτίοις τὰς προσηγορίας. *Sed liquet, quod a forma ipsorum nomina illis indiderint.* Botrydion itaque optime adpellare possumus, quoniam, quatuor baccas sive gemmas conjunctas habens, uvas in botrum collectas & conglobatas repræsentat. Musis vero lauream, fratris Apollinis coronam, dari posse quis neget, quum lauro ipsæ etiam vates suos coronent. Propert. lib. III. 1. vs. 19.

Mollia Pegasides vestro date serta poëtæ.
Non faciet capiti dura corona meo.

Stat ab altera parte Musa columnæ innixa, quia stabilis illi debet esse tranquillitas, Ovid.

Carmina secessum scribentis & otia quærunt.

Eumenius rhetor in Oratione De Instaurandis Scolis, cap. VII. ubi Fulvium Nobiliorem laudat, Romanum imperatorem antiquum: *Idemque from is novem signa, hoc est omnium Camœnarum, ex Ambraciensi oppido translata, sub tutela fortissimi numinis* (scilicet Herculis Musagetæ) *consecravit, ut res est, quia mutuis operibus & premiis juvari ornarique deberent; Musarum quies defensione Herculis, & virtus Herculis voce Musarum.* Vel columnæ innititur, quia facta virorum fortium columnis inscribebantur; depingitur enim hic illa Musa, cui heroici carminis tutela consecrata fuit, Calliope, de qua Virg.

Carmina Calliope libris heroica mandat.

Anthologia item lib. I.

Καλλιόπη σοφίην ἡρωΐδ@ εὗρεν ἀοιδῆς.
Calliope scientiam heroici invenit carminis.

Omnibus inde sororibus præfert Orpheus in Hymno.

Καλλιόπη θ' ἣδε προφερεστάτη ἐςὶν ἁπασῶν.
Calliopeque, illa vero omnes supereminet.

Volumen manu tenet, quod & post caput Musæ cernitur, respectu librorum, quibus heroes laudantur, ut sunt Ilias & Odyssea Homeri, quem inter Musas consecrarunt veteres.

Dixi vero ad præcedentem denarium, anxiam fuisse disquisitionem inter Morellium nostrum atque Perizonium de voce Musa, utrum cognomen Q. Pomponii sit, an ipsius deæ designatio. Morellii de Num. Consul. verba sunt pag. 140. „ Dubitat clariss. Perizonius, quod MUSA cognomen fuerit gentis POMPONIAE. Sed cum „ Antonius Musa, Augusti medicus, eodem cognomine quoque usus sit, quis impediet dicere idem „ cognomen etiam in gente Pomponia reperiri. „ Qua occasione obiter noto, nummos exstare Tiberii cum inscriptione, M. ANT. MUSO &c. „ Aut ergo cognomen fuit Musus, aut error est in „ nummo genuino. Perizonii hæc sententiæ pridem latæ est adsertio, ibidem p. 141. „ Alterum, de *Antonio Musa*, cujus cognomen do„ cui neutiquam esse sollicitandum, aut in *Mu„ sus* mutandum, quum ex Horatii metro, ge„ nuinum esse *Musa*, satis constet. Reliqua, „ ut dixi, memoriam meam nunc fugiunt, & ta„ men de singulis, quantum opus est, in sequen„ tibus agam. Nam meam epistolam clariss. „ Morellium accepisse, & ex ea nonnulla in suis „ emendasse, ipse scriptis mox literis, & sini„ stra, ut videtur ex literarum forma, manu „ signatis, quas una cum Epistola publice edita, ac „ mihi inscripta, ad me misit, diserte testatur. Regessit Morellius pag. 169. „ Quod MVSA „ cognomen fuerit usitatum, certum est, quia „ Antonius Musa, Augusti Medicus, eodem u„ tebatur, sed an fuerit cognomen gentis POM„ PONIAE, non sine ratione dubitatur, quia „ nusquam reperitur ulli Pomponio tributum: „ quapropter literæ tuæ valde persuadent, Her„ culem Musarum, Musasque ipsas a Pomponiis „ in gentis nummis expressas fuisse, quia plures „ in ea gente exstiterint Poëtæ. Incertum ta„ men est, an Musarum nummi a Pomponio „ Rufo cusi sint, etiamsi vir doctus fuerit: nam fir-

„ firmissime credo, secundum nummum Tabulæ III. percusum fuisse errore monetali, jungendo caput tertii nummi Tab. I. aversæ parti tertii nummi in Tabula secunda. Obiter „ etiam mones, Antonium Musam in metro „ Horatiano MVSVS vocari, qua occasione „ in mentem venit, nummos extare Tiberii, „ cum inscriptione: M. ANT. MVSO &c. & „ talem edidit cl. Vaillant in Colon. pag. 121." Iterum respondit Perizonius p. 245. Quod ad „ *Musam* cognomen, ut incertum est, an ullus „ unquam Pomponius id habuerit, ita *Antonium* „ Medicum eo fuisse insignitum, non tantum „ ex aliis constat auctoribus, sed vel maxime ex „ metro Horatiano, ubi ille, non *Musus*, ut ais „ quasi ex mea Epistola, sed *Musa* vocatur. „ Verba Horatii sunt Epist. I. 15. 2.

„ — — — — *Nam nisi Bajas*
„ *Musa supervacuas Antonius &c.*

„ Certissimum ex eo evadit, *Musam*, non *Musum*, fuisse illius cognomen.

„ De Pomponiis, utrum quis eorum cognomen *Musæ* habuerit, res vere est incertissima, „ immo parum verisimilis. Nam quum hoc sit „ nomen novem dearum, earumque effigies in „ illis nummis exprimantur, non magis ergo illud pro cognomine Pomponii istius necessario accipi debet, quam *Jovis*, *Martis*, aliorumque deorum nomina, in nummis sæpe „ itidem conspicua, & nominibus hominum „ addita. Sæpe autem in his errarunt Ursinus, „ Patinus, Schottus, dum pro cognomine virorum arripuerunt nomina aliena, sive heroum, „ sive aliorum ex prisca historia hominum, ut „ pluribus ostendi Differt. Triade p. 254. &c. „ probante id nuper illustri & eximiæ eruditionis viro, Phil. a Turre in Monum. Veteris Antii pag. 9. Sæpe tamen etiam ipsis figuris in nummo expressis alluserunt ad cognomina sua, sed ex rebus vulgaribus potissimum „ sumpta, illi, qui eum cudi curarunt, quod „ idem vir illustris multis declarat exemplis pag. „ 20. 21. Colligendum ergo ex his, potuisse „ quidem Pomponium quendam *Musæ* habere cognomen, sed tamen id ex solis his nummis „ adfirmari non debere, quamdiu nulla veterum „ scriptorum auctoritas accedat." Denique in istis finit Morellius pag. 292. „ Scio medicum „ Augusti Antonium, cognomine MVSA usum „ fuisse, diversum ergo ab illo crediderim Antonium Musum duumvirum in municipio „ Turiaso, quem nobis demonstrat nummus Tiberii, & quidem distinctissime. Observavi in „ nummis hujus familiæ, quod V in nomine „ MVSA semper sic exprimatur V́, an non „ inde conjicere liceret, aliquam singularem sub „ hac lineola superaddita latere pronunciationem, „ de quo videatur Gruterus pag. IX. ubi notatur M. AVRELVS VRSVLVS; at extra „ omne dubium legi debet: M. AVRELIVS, „ & lineola literæ L imposita, literam I. significat, & L. sequitur, quibus observatis nascitur conjectura, in nummis Gentis Pomponiæ „ propter impositam lineolam in voce MVSA „ legi forte debere Muisa, nam Miusa non quadrat, quia I. litera per lineolam notata in nomine M. Aurelii Vrsuli literam L. sequitur. „ Idem videtur accidere pag. X. ubi legitur: I. „ O. M. & SALVT. CELEAN. & impositum „ I necessario sequitur literam T. sed dubio non „ caret sequens vox, an nempe legi debeat CELEIAN. vel CELEAIN, quamvis neutrum „ intelligam. Quoad pronunciationem vocis „ MVSA, credo, quod fieri debeat, quasi Mu„ sa cum quadam varietate toni & dialectorum." Ad quæ tandem hanc observationem adjecit Perizonius p. 294. „ In inscriptione illa apud Gruterum nulla esse debet hæsitatio, licet vitiose „ in uno videatur scripta. Nam pro VE. COS. „ leg. BF. COS. h. e. *Beneficiarius Consulis*, ut „ nos docuit Reinesius in Epp. ad Rupertum pag. „ 82. & 113. At reliqua sunt satis expedita. Legenda enim, *Jovi Opt. Max. Et Saluti Celejanæ*, vel forsan N male descripto pro E, *Celeiæ*. *Celeja* fuit oppidum Rhætorum Veterum. Vide Plinium Nat. Hist. III. 24. Sæpe „ etiam in Inscriptionibus apud Gruterum reperitur, in quibus aliquando etiam CL. CELEIA „ dicitur, h. e. *Claudia Celeja*. Notulam autem „ supra Nomen MVSA in Nummis Pomponiæ „ G. scriptam, non leniorem & breviorem pronuntiationem denotare existimem, sed graviorem & productiorem, quam & in genuina sua, „ seu Græca lingua, vox ista desiderat. Antiquiores Romani scripsissent MOVSA, ut „ multa similia, at posteriores dein omiserunt „ O, & ejus loco videtur Pomponius lineolam „ addidisse, quæ declararet, V solum hic tamen „ esse pronunciandum, ac vetus OV.

Hæc Perizonius; cujus illam quidem de lineola in litera V. vocis MVSA observationem verissimam credo; clare in omnibus denariis, quos habeo vel vidi, adparet, neque frustra ponitur. De Musa, ut cognomine familiæ L. Pomponii, non muto sententiam, propter rationes ad denarium præcedentem adlatas.

VI.

Caput Musæ, ut supra, laureatum, post illud est nescio quod instrumentum; neque forsan erravero si dixerim malleolum esse musicum, quo utuntur musici, ut chordas vel remittant vel intendant.

Quintus POMPONI*us* MVSA stans, toga talari induta, dextra citharam tangit columnæ impositam, voce (ut videtur) accinens.

Musa hæc Melpomene videtur esse, de qua in epigrammate Græco:

Μελπομένη θνητοῖσι μελίφρονα βάρβιτον ἦρε.
Melpomene hominibus mellitam barbiton adtulit.

Vocem & cantum addidit Horatius, ut recte observavit Vaillantius:

— — — *Præcipe lugubres*
Melpomene cantus, cui liquidam pater
Vocem cum cithara dedit.

Et huic Musæ optime illud instrumentum, quod de malleolo musicorum interpretatus sum, convenit, ut quæ barbiton adtulisse mortalibus dicatur.

TAB.

TAB. II.

I.

Caput Musæ laureatum, ut supra. Post illud astrum est.

Quintus POMPONI*us* MVSA. Musa stolata stans, partem vestis læva manu subducit, dextra radium tenet, quo globum cœlestem tripodi inpositum demonstrat.

Ex singulari habitu statim agnoscitur esse Uranie, nam, ut in epigrammate citato,

Ὀυρανίη πόλον εὗρε καὶ ὀυρανίων χορὸν ἄστρων.
Uranie polum invenit, & cœlestium chorum astrorum.

Hinc astrum post caput Musæ pingitur.

II.

Caput Musæ laureatum, ut in reliquis, post illud corolla laurea est, sive sertum cum dependentibus lemniscis.

Quintus POMPONI*us* MVSA. Musa stolata stans, dextram, veste exsertam, quiete tenet, læva graphium demissum habet, sparsis capillis, os aperire ad cantum, capite aliquantum elevato, videtur. Male a reliquis antiquariis depingitur.

Musa hæc vel potest esse Euterpe vel potius Erato. Euterpe quidem illa ex Musis est, cui tragicum syrma & carminis ejus inventum antiquitas tribuit. Epigramma vetus.

Ἐυτερπὴ τραγικοῖο χορȣ̃ πολυηχέα φωνήν.
Euterpe tragici chori multisonam vocem.

Graphium læva tenet, ut notet delectum verborum in tragœdia, ubi, ut artis monstrator ait,

Sæpe stilum vertas, iterum quæ digna legi sunt,
Scripturus.

Corona laurea huic Musæ in primis convenit, quod tragœdia Agamemnonas atque reges & heroas passim inducere sit solita. Hinc Tragœdia ipsa ad Ovid. Amor. III. 1, 25.

Materia premis ingenium, cane facta virorum,
Hæc animo, dices, area digna meo est.

Hinc Socrates philosophus ille magnus apud Ælianum lib. II. cap. XI. non vilem chorum (ita enim χορὸν pro χοῖρον recte emendari existimo) neque ex plebe homines in trægœdia induci & cædi ait, sed τὰς μονάρχας, Ἀτρέας τε ἐκείνȣς, καὶ Θυέστας καὶ Ἀγαμέμνονας, καὶ Αἰγίσθȣς. *Monarchas, Atreos illos, Thyestas, & Agamemnones, & Ægisthos.* Scilicet, ut Ovid. II. Trist. vs. 381.

Omne genus scripti gravitate tragædia vincit.

Unde *labor æternus* eidem poëtæ dicitur Amor. I. 1, 68. Nondum a Musa, tragœdiæ inventrice, discedimus, nisi cur densam cæsariem & sparsos capillos gerat, viderimus. Docet nos Ovidius, qui post absolutum, quem Tragœdiæ peroranti tribuerat sermonem, subdit lib. III. Amor. El. I. vs. 31.

Hactenus: & movit pictis innixa cothurnis
Densum cæsarie terque quaterque caput.

Atque hæ quidem pro Euterpe pugnant rationes; neque tamen minores pro Erato militant. Tragœdia loquens sceptrum gerit apud Ovidium, quod quum ad sequentis Musæ caput addatur, ibi potius tragœdiæ inventrix Euterpe, quam hic videtur depingi. Corolla vero ad Musæ hujus caput est, quae Euterpen ab altera parte denarii habet, quoniam deorum hymnos coronati canebant. Hymnorum origo vetustissima, antiquissimum enim poëseos genus est, unde apud Theocritum Idyll. XVII. 8.

Ὕμνοι δ' καὶ ἀθανάτων γέρας αὐτῶν.
Hymni immortalium etiam sunt præmium.

Inter Musas Erato invenisse hymnos dicitur. Epigramma.

Ὕμνȣς ἀθανάτων Ἐρατὼ πολυτερπέας εὗρε.
Hymnos immortalium jucundissimos Erato invenit.

Et quoniam Elegiaci carminis inventum Musæ isti quoque adscribitur, hinc sparsis eadem in denario capillis pingitur; unde apud Ovidium Amor. III. IX. 3.

Flebilis indignos Elegeia solve capillos.
Ah! nimis ex vero nunc tibi nomen inest.

Ut recte observavit Ursinus. Dea vero, quæ primum meditata fuit carminis genus, recte stilum altera manu gerit, ut non tantum decantet deorum hymnos, sed & ad posteritatis commendationem conscribat.

III.

Caput Musæ laureatum, ut in reliquis. Post illud sceptrum est.

Quintus POMPONI*us* MVSA. Musa stans habitu singulari, clavæ videlicet dextra innititur, læva personam tragicam tenet, latus parazonio, sive ense cingitur, atque caput leonis velatur exuviis; quod ultimum probe est notandum, quoniam illi, qui ridicule bifrontem hanc Musam pinxerunt, non minus ridiculam addiderunt expositionem.

Sceptrum, quod ad caput Musæ in parte denarii anteriore est, indicat ad quam Musam referenda sit imago deæ, quæ in ejusdem nummi parte posteriore est, videlicet ad Euterpen, quam tragœdiam invenisse diximus. Tragœdia ipsa, ubi describitur ad Ovidium perorans lib. Amor. III. el. I. vs. 13.

Læva manus sceptrum late regale tenebat.

Musa dea, quæ ab altera parte stans depingitur, læva manu personam gerit, quæ ex adcurata Morellii nostri (reliquos enim non moror) pictura, discernitur ad tragœdiam pertinere, est enim persona Sileni, quod ex fronte, naso, barba, aure acuta agnoscitur. Sileni vero comites Bacchi, & Baccho sacra tragœdia fuit; quoniam antiquissimum tragœdo præmium caper sive hircus fuit. Horat. de Arte vs. 220.

Carmine qui tragico vilem certavit ob hircum.

Unde & nomen tragœdiæ; uti enim disputat J. C. Scaliger lib. I. Poët. cap. VI. pag. 11. nomen traxit ab hirco, nullam aliam ob causam, nisi quia in ejus numinis honorem ageretur ejusmodi fabula, cujus victima esset hircus. Ad Silenos Satyri quoque pertinent, quos in tragœdiis inducebant veteres, sicuti in comœdiis mimos. Vide Scalig. ibid. cap. XII. pag. 19. Tragœdiæ quo-

que convenit parazonium, quo cincta Musa adparet & in hoc nummo & in illo, qui sequitur tab. tertia num. II. At reliqua tragœdiæ minus convenire videntur, clava Herculis, & leonina pellis, quæ caput Musæ vestit, atque dein a tergo usque ad pedes defluit. Turbate de hoc typo Ursinus & Vaillantius egerunt, ut apud eosdem cerni potest. Nam Ursinus ita loquitur, quasi de sequentis denarii parte aversa ageret, ibique Musa altera manu personam, altera Herculis clavam gereret. Vaillantius minus distincte, ut sæpe, loquitur. Verba ejus sunt de Euterpe, quæ tragœdiam invenit: „ Ideo bifrons hominis „ & feminæ expressa videtur, quod hominum „ ut & feminarum gesta tragœdia exhibeat. Clavam Herculis manu tenet, quod huic Deo „ comœdia dicata sit, ut ex *Aristophanis comœdia* „ intelligitur, quæ βάτραχοι inscripta est. Personam sinistra tenet, quæ tragœdiam a comœdia „ distinguere videtur; nam in illa reges & principes, nonnunquam his temporibus heroës „ & dii, sub personis, & in comœdia, humiles & privatæ personæ." Quæ de bifronte figura dicit, nummi pictura melior refellit. Mox, cum addit: „ Clavam Hercules manu tenet, „ quod huic deo comœdia dicata sit." Quid quæso ad rem, aut quid tragœdiæ, de qua agitur, cum comœdia est. Sit, secundum quosdam, comœdia in tutela Herculis, dici tamen nequit, illud hic locum habere, nisi statuamus simul & tragœdiam & comœdiam hujus unius Musæ adtributis declarari. At sequens nummus comœdiam sub Thaliæ numine exhibet; unde ad solam tragœdiam & Euterpen omnis hic ornatus spectare videtur. Tragœdia admodum antiquum carminis genus fuit; magnorum virorum res gestæ, & tragici plerumque exitus in eadem celebrata fuerunt; quis major Hercule? cujus exitus magis tragicus? Herculem post tot exantlatos labores ad cælum misit vivicomburium in monte Oeta. Hercules itaque primus tragicorum poetarum labor fuisse videtur; & adhuc superest decantatus in scena Hercules Oeteus. Adde quod robustum carmen tragœdia, violentum, æternum, ut dixit Ovid. Amor. III. 1, 68. ad eandem:

Exiguum vati concede, Tragœdia, tempus.
Tu, labor æternus, quod petit illa, breve est.

Carmen ergo vere Herculeum.

IV.

Caput Musæ laureatum, ut in reliquis. Post illud aliquod instrumentum est mihi non satis notum, sed similitudinem aliquam habet cum ferreo instrumento, quod ore tenere & pollice percutere ita pueri solent, ut non ingratum stridorem efficiat.

Quintus POMPONI*us* MVSA. Dea stans, læva columnæ innixa, dextra larvam scenicam tenet, cujus hiatus magis debuerat aperiri, prouti in meo denario ad larvarum veterum formam, ingenti hiatu os diducitur.

Thaliam esse Musam hanc ornatus ejusdem facile prodit. Epigramma vetus:

Κωμικὸν εὗρε Θάλεια βίον τε καὶ ἤθεα κεδνά.
Thalia comicam invenit rationem, & mores honestos.

V.

Caput Musæ laureatum, post quod depingitur animal quasi bufo, sed videtur pingi debuisse testudo, ut fecerunt Ursinus & alii, propterea, quod ex testudine inventa lyram, quæ inde testudo vocari solet, fabricatam fuisse primitus ferunt.

Quintus POMPONI*us* MVSA. Musa stans, læva manu tenet citharam, dextra plectrum, pedem dextrum percussuræ terram ritu, aliquantum elevat.

Cognoscitur ex gestu esse Polyhymnia, quæ cantum moderari solebat, unde apud Nonnum in Dionys. lib. V. p. 147.

Καὶ παλάμας ἐλέλιξε Πολύμνια μαῖα χορείης
Μιμηλὴν δ' ἐχάραξεν ἀναύδεος εἰκόνα φωνῆς.
Φθεγγομένη παλάμῃσι σοφὸν τύπον ἔμφρονι σιγῇ
Ὄμματα δινεύουσα.
Et manus convolvebat Polymnia mater choreæ,
Imitantem vero signabat mutæ imaginem vocis,
Referens manibus ingeniosum typum prudenti silentio,
Oculos volvens.

An hæc illa ex Musis, quam præter omnes veneratum fuisse Numam, in Vita ejus refert Plutarchus pag. 65. Τὰ γὰρ πλεῖστα τῶν μαντευμάτων εἰς Μούσας ἀνῆγε, καὶ μίαν Μοῦσαν ἰδίως καὶ διαφερόντως ἐδίδαξε σέβεσθαι τοὺς Ῥωμαίους, Τακίτην προσαγορεύσας, οἷτε Σιωπηλὴν ἢ νέαν. *Plerasque autem divinationes suas retulit ad Musas; unam peculiariter atque eximie præcepit coli a Romanis, quam Tacitam vocavit aliis dictam Siopelen & novam.* Voluit forsan hoc nomine subintelligi Numa, regem in republica id esse, quod Musa illa Polyhymnia in canentium choro, moderatorem scilicet omnis docoræ harmoniæ. Epigramma vetus:

Τέρψιας ὀρχηθμοῖο Πολύμνια πάνσοφος εὗρεν.
Ἁρμονίην πάσαισι Πολύμνια δῶκεν ἀοιδαῖς.
Polyhymnia doctissima voluptates tripudii reperit.
Polyhymnia harmoniam omnibus dedit canticis.

Illa itaque dea in hoc denario
— — — — *Carmina vultu*
Signat cuncta, manu, loquitur Polyhymnia gestu.

prouti in Virgilii legitur Catalectis.

VI.

Caput Musæ laureatum, ut supra; post sunt duæ tubæ decussatim positæ.

Quintus POMPONI*us* MVSA. Dea columnæ innixa læva manu caput suffulcit, dextra duas tibias tenet.

Agnoscimus Terpsichoren, juxta epigramma vetus, in quo legitur:

Τερψιχόρη χαρίεσσα πόρεν τεχνήμονας αὐλούς.
Terpsichore gratiosa dedit artifices tibias.

Quamvis alii, permutantes inventa Musarum, ad Euterpen referant, ut in Catalectis:

Dulciloquos calamos Euterpe flatibus urget.

Tubarum & tibiarum inventio se invicem sequitur.

Litera B.

Caput Musæ, ut supra, post illud nescio quod est instrumentum, quod non male videtur esse chelys.

Quintus POMPONI*us* MVSA. Musa eadem quam vidimus num. V. videlicet Polyhymnia.

TAB.

TAB. III.

I.

Caput Musæ, ut supra. Retro duplex tuba est, sibi invicem inserta.

Quintus POMPONI*us* MVSA. Polyhymnia, ut supra.

Non mirum est matricum partes nonnunquam fuisse permutatas, quum omnes Musarum caput habeant. Tubæ in hoc denario, quæ hic sibi invicem inseruntur, at decussatim ponuntur num. VI. tab. præced. docent, ab altera denarii parte Terpsichoren debuisse poni, non vero Polyhymniam.

II.

RVFVS. *Senatus Consulto.* Caput Jovis laureatum.

Quintus POMPONI*us* MVSA. Musa Euterpe tragœdiæ inventrix, tragico depingitur habitu, ut supra num. III. tab. præcedentis.

Facile adparet, per errorem monetarii conjunctas fuisse partes matricum, quæ separari debuerant; prior enim hujus denarii pars conjungi debuit cum parte posteriore num. III. tabulæ primæ, vel literæ ibidem A. posterior vero cum numeri III. præcedentis tabulæ parte priore. Quod bene quoque animadvertit Ursinus; neque puto audiendum esse Vaillantium, qui ab uno eodemque Q. Pomponio Rufo existimat omnes hosce denarios cusos fuisse, & vocem MVSA in hoc quidem denario referri debere ad deæ adpellationem, sed num. IV. tab. primæ MVSA*geta* integre debere legi, ut referatur ad Herculem Musarum, cujus caput ibi depingi credit. Quod quum non sit Herculis, sed Apollinis, in vanum abit illa ejusdem conjectura.

Ego existimo Q. Pomponium Rufum, & Q. Pomponium Musam, distinctos esse homines, cognatione forsan propinquos, sed cognominibus discrepantes; qui vixerint eodem tempore (unde hic typorum & matricum error) qui extra urbem Romam (cujus nomen nusquam adscribitur) nummos hos signarunt; & quorum alter, ad cognomen suum adludens, novem Musas, Apollinem Regem, & Herculem Musarum ducem in nummis suis expresserit. Qui illi Q. Pomponii fuerint, quo tempore vixerint, ignoro.

III.

Caput Musæ laureatum, ut passim; post illud idem est signum, quod vidimus tab. secunda num. VI.

Quintus POMPONI*us* MVSA. Musa eadem quæ dicto num. VI. occurrebat.

Exigua picturæ discrepantia est, reliqua conveniunt cum numero indicato, quem vide.

IV.

Caput Musæ laureatum, ut supra; post illud videtur esse chelys, ut lit. B. in tab. priori.

Octo Musas habuimus, novenarium numerum explere videtur hæc, quæ sine plectro vel columna tangens lyram, ratione gestus quoque a reliquis differens, Clio esse videtur. Ideo citharam tenet atque tangit; nam invenisse dicitur

Κλειὼ καλλιχόρε κιθάρης μελιηδέα μολπήν.
Clio pulchrichoriæ citharæ suavem cantum.

Jamque adeo novem, quarum plenum inveniri numerum desiderabat Vaillantius, demonstrasse visi sumus. Hasce omnes conjunctim pulcherrimum epigramma vetus, unde ad singulas Musas, quæ conveniebant, excerpsimus, Anthologiæ lib. I. ita celebravit:

Καλλιόπη σοφίην ἡρωΐδος εὗρεν ἀοιδῆς.
Κλειὼ καλλιχόρε κιθάρης μελιηδέα μολπήν.
Εὐτέρπη τραγικοῖο χορε̃ πολυηχέα φωνήν.
Μελπομένη θνητοῖσι μελίφρονα βάρβιτον ἦρε.
Τερψιχόρη χαρίεσσα πόρεν τεχνήμονας αὐλες.
Ὕμνες ἀθανάτων Ἐρατὼ πολυτερπέας εὗρε.
Ἁρμονίην πάσαισι Πολύμνια δῶκεν ἀοιδῆς.
Οὐρανίη πόλον εὗρε ϗ̀ ἐρανίων χορὸν ἄστρων.
Κωμικὸν εὗρε Θάλεια βίον τε ϗ̀ ἤθεα κεδνά.
Calliope reperit sapientes provida cantus
Heroum: Clio citharam clarissima; vocem
Mimorum Euterpe tragicis lætata querelis.
Melpomene dulcem mortalibus attulit ipsa
Barbiton. At suavis tibi tradita tibia fertur
Terpsichore. Divumque Erato mox protulit hymnos.
Harmoniam cunctisque Polyhymnia cantibus addit.
Uranie cœli motus atque astra notavit.
Comica vita tibi est, moresque Thalia reperti.

TAB. IV.

I.

CORINT*hus.* IIVIR*is.* Caput Julii Cæsaris laureatum.

Lucio POMPONIO *Caio* IVLIO. Caput Augusti nudum. Corinthus post longam desolationem condita iterum a Julio Cæsare, multis beneficiis ab Augusto aucta videtur, utrique gratiam habuit, & in Augusti honorem plurimos nummos cudit. L. Pomponii nomen & prænomen docet duumvirum hunc ad Pomponiam gentem pertinere.

II.

COR*inthus. Publio* ALVSIT*io Caio* IVLIO IIVIR*is* ITER*um.* Caput Augusti nudum.

COR*inthus Lucio* POMP*onio Caio* IVLIo IIVIR*is.* Arcus pulcherrimus cum fornicibus & statuis.

Pulcherrimus & conspicuus hic nummus arcum exhibet Augusto propter victoriam Actiacam, vel adventum ejusdem, in urbe Corintho erectum. Disputantem adi Vaillantium tom. I. pag. 44. cur bis duumvirorum nomina, ita ut quatuor numero sint, legantur in nummo, quum alias Corinthiorum nummi duumvirorum modo nomina exhibeant. Addi potest, pulcherrimum hunc arcum decretum Augusto fuisse ab illis, qui a capite ejus iterum IIviri inscribuntur, dedicatum & perfectum fuisse ab illis, qui simul cum arcu in posteriori parte ponuntur. Vel etiam, permutatas matrices diversorum nummorum fuisse & male sibi invicem adplicatas, quod in consularibus argenteis sæpissime factum fuit; idque suadere videtur inscriptio COR*inthus*, quæ ab utraque nummi parte legitur.

III.

Colonia Cæsarea Augusta. PIETATIS AVGVSTAE. Caput Juliæ sive Liviæ, Augusti uxoris, velatum.

IVNIANO LVPO PR*æfecto Cohortis* CAESAR*eanæ*, *Caio* POMPON*io* PARRA IIVIR*is.* Templum tetrastylum.

Affectum suum erga Liviam hoc nummo declararunt Cæsaraugustani, sicut in plurimis nummis erga conditorem quoque Cæsarem Augustum; huic post apotheosim templum sub nomine Æternitatis Augustæ dedicarunt, Liviæ post mortem alterum, sub titulo Pietatis Augustæ; itaque illam velatam in hoc nummo expresserunt, quam jam norunt antiquarii sub nomine Salutis, Justitiæ, & Pietatis in nummis, etiam Romæ cusis, celebratam fuisse. Huic Pomponio Parræ cognomen fuit.

IV.

T*iberius* CAESAR DIVI AVGVSTI F*ilius* AVGVSTVS. Caput Tiberii laureatum.

Colonia Cæsarea Augusta. IVNIANO LVPO PR*æfecto Cohortis* CAESAR*eanæ Caio* POMPO*nio* PARRA IIVIR*is*. Aquila legionaria inter duo signa militaria.

Docet hic nummus, quo tempore cusus sit præcedens ille, qui Liviæ habet imaginem, Tiberio videlicet imperante, prouti patet ex iisdem duumviris utrique nummo inscriptis. Aquila & signa militaria docent veteranos milites in hanc coloniam missos fuisse.

V.

T*iberius* CAESAR DIVI AVGVSTI F*ilius* AVGVSTVS. Caput Tiberii laureatum.

MVN*icipium* AVGUSTA BILBILIS. *Caio* POMP*onio* CAPEL*la*, *Caio* VAL*Erio* TRANQ*uillo* IIVIR*is*. Ultima illa IIVIR*is*. scribuntur in corona quernea.

Bilbilitani Hispaniæ Tarraconensis in hoc nummo blandiuntur Tiberio, tanquam civium servatori. Capella multarum familiarum cognomen fuit, atque ita hinc quoque Pomponiæ fuisse agnoscitur.

Ex Nummis autem hujus tabulæ discimus Pomponiæ gentis nomen nunquam scribi per POM. sed semper per POMP. vel productius additis aliquot sequentibus literis ex eodem nomine. Unde corroboratur conjectura nostra ad Familiæ Pompejæ nummos, nullos ex illis qui POM. inscriptum habent, ad Pomponiam, sed omnes ad Pompejam familiam referendos esse.

VI.

ΤΙΒΕΡΙΟΣ ΚΑΙΣΑΡ ΣΕΒΑΣΤΟΣ. *Tiberius Cæsar Augustus*. Caput Tiberii laureatum.

ΕΠΙ ΦΛΑΚΚΟΥ ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ ΒΠ. *Sub Flacco, Antiochensium anno* LXXXII.

Præclarum hunc nummum illustrat Em. Card. Norisius in Epocha Syro-Macedonum Differt. III. pag. 165. & 166. ubi ostendit hunc L. Pomponium Flaccum, Syriæ præsidem fuisse factum A. V. C. DCCLXXV. atque in eo magistratu in Syria obiisse A. V. C. DCCLXXXVI. anno æræ Antiochensis (quæ incepit ab autumno A. V. C. DCCV.) labente jam LXXXII. unde patet paullo ante mortem præsidis Flacci hunc nummum signatum fuisse. Ad mores Tiberii se composuisse notat Sueton. in Vita Tiberii cap. XLII. *Postea princeps, in ipsa publicorum morum correctione, cum Pomponio Flacco & L. Pisone noctem continuumque biduum epulando, potandoque, consumsit: quorum alteri Syriam provinciam: alteri præfecturam urbis confestim detulit.* Plura de eodem apud Flavium Josephum leguntur, & de morte ejusdem hæc apud Tacitum lib. VI. Annal. cap. 27. *Exin Flacco Pomponio, Syriæ proprætore, defuncto, recitantur Cæsaris literæ, queis incusabat egregium quemque & regendis exercitibus idoneum, abnuere id munus.* Consul hic L. Pomponius Flaccus fuerat A. V. C. DCCLXX. Pomponio Græcino fratri, semestri consuli suffecto, successor datus.

TAB. V.

I.

ΑΥΤΟΚΡ*άτωρ* ΔΟΜΙΤΙΑΝΟΣ ΣΕΒΑΣΤΟΣ ΓΕΡΜΑ*νικος*. Caput Domitiani laureatum.

ΕΠΙ ΤΙΤ*ου* ΠΟΜΠ*ονιου* ΒΑΣΣΟΥ ΠΡΕΣΒΕΥΤ*ου*. ΕΤ. ΙΔ. *Sub Tito Pomponio Basso legato. anno* XIV. Mons Argæus, in medio antrum est, in summo vertice statua nuda cum globo & hasta.

Depingitur in hoc nummo Argæus, mons Cappadociæ, quem passim, varie depictum, in nummis Cæsarum (ut ibi visuri sumus) depinxerunt Cappadoces; nummi vero, qui illum montem exhibent, cusi fuerunt in Cappadociæ metropoli Cæsarea. Veteres autem non fluvios solum, sed & montes, divino honore prosequebantur, unde Argæus & Rhodope & alii, tanquam divinitatis eorundem cultusque singularis symbolum, inveniuntur nummis insculpti.

L. Pomponi Bassi hujus, qui Cappadociam, ut legatus Cæsaris, rexit, notitiam & laudes haurimus ex Plinii junioris, quam ad illum scripsit, epistola lib. IV. 23. ubi prætoriorum ejus & secessuum laudat amænitatem: *Ita senescere oportet virum, qui magistratus amplissimos gesserit, exercitus rexerit, totumque se reipublicæ, quamdiu decebat, obtulerit. Nam & prima vitæ tempora, & media patriæ, extrema nobis impertire debemus, ut ipsæ leges monent, quæ majorem annis* LX. *otio reddunt.* Laudatur hic Pomponius Bassus, ut qui patriæ sese impenderit, qui magistratus amplissimos gesserit, atque exercitus rexerit, atque ita ut legatus Cæsaris Cappadociam (uti nummi docent) administraverit. Invenitur hujus Pomponii Bassi nummus apud Vaill. p. 23. cum æra anni H. sive octavi, quem editum cernere licet in Museo Farnesiano tab. VIII. num. 2. Cognoscitur hinc L. Pomponius Bassus præfuisse Cappadociæ ad minimum ab anno VIII. usque ad annum XIV. imperii Cæsaris Domitiani, atque sub Trajano quietem elegisse, & tranquillam duxisse cum honesta hilaritate senectam, ut cui similem vitam contingere sibi aliquando in fine ejus epistolæ optat Plinius.

II.

ΑΥΤΟΚΡΑΤΩΡ ΚΑΙΣΑΡ ΝΕΡΟΥΑΣ ΣΕΒΑΣΤΟΣ. *Imperator Nerva Cæsar Augustus.* Caput Nervæ laureatum.

ΕΠΙ ΠΟΜΠΟΝΙΟΥ ΒΑΣ*σου* ΠΡ*εσβευτου*. ΚΟΙΝΟΝ ΓΑΛΑΤΙΑΣ. *Sub Pomponio Basso legato. Commune Galatiæ.* Templum sex columnarum.

Ex hoc nummo discimus, mortuo Domitiano, cum legati titulo sub Nerva mansisse Pomponium in provincia ipsi commendata, & quidem præter Cappadociam, Galatiam quoque (utraque enim Cæsaris provincia fuit) rexisse.

III.

ΑΥΤ*οκράτωρ* ΝΕΡ*ουας* ΤΡΑΙΑΝΟΣ ΚΑΙΣΑΡ ΣΕΒΑΣΤΟΣ ΓΕΡ*μανικος*. *Imperator Nerva Trajanus Cæsar Augustus Germanicus.* Caput Trajani laureatum.

ΚΟΙΝΟΝ ΓΑΛΑΤΙΑΣ ΕΠΙ ΠΟΜΠΟΝΙΟΥ ΒΑΣΣΟΥ. *Commune Galatiæ, sub Pomponio Basso.* Deus Lunus cum adtributis, ut illarum regionum numen.

Titu-

Titulus legati in hoc & sequentibus nummis subintelligitur: Nummi vero docent, sub Trajano quoque prorogatam eandem illi dignitatem & provinciam fuisse.

IV.

ΑΥΤοκράτωρ ΝΕΡουας ΤΡΑΙΑΝΟΣ ΚΑΙΣαρ ΣΕΒ. . . . . *Imperator Nerva Trajanus Cæsar Aug.* . . . . . . Caput Trajani laureatum.

ΚΟΙΝΟΝ ΓΑΛΑΤΙΑΣ ΕΠΙ ΠΟΜπονιυ ΒΑΣΣΟΥ. *Commune Galatiæ, sub Pomponio Basso.* Deus Lunus cum adtributis, stans in aditu templi, numini ejus, ut videtur, consecrati.

V.

ΑΥτοκράτωρ ΝΕΡουας ΤΡΑΙΑΝΟΣ ΚΑΙΣΑΡ ΣΕΒαστος ΓΕΡΜανικος. *Imperator Nerva Trajanus Cæsar Augustus Germanicus.* Caput Trajani laureatum.

ΚΟΙΝΟΝ ΓΑΛΑΤΙΑΣ ΕΠΙ ΠΟΜΠΟΝΙΟΥ ΒΑσσυ. *Commune Galatiæ, sub Pomponio Basso.* Templum sex columnarum.

VI.

ΑΥΤοκράτωρ ΝΕΡουας ΤΡΑΙΑΝΟΣ ΚΑΙΣαρ ΣΕΒ. . . . . *Imperator Nerva Trajanus Cæsar Aug.* . . . . Caput Trajani laureatum.

ΚΟΙΝΟΝ ΓΑΛΑΤΙΑΣ ΕΠΙ ΠΟΜπονιυ ΒΑΣΣΟΥ. *Commune Galatiæ, sub Pomponio Basso.* Templum idem sex columnarum.

VII.

ΑΥΤοκράτωρ ΝΕΡουας ΤΡΑΙΑΝΟΣ ΚΑΙΣΑΡ ΣΕΒαστος. *Imperator Nerva Trajanus Cæsar Augustus.* Caput Trajani laureatum.

ΚΟΙΝΟΝ ΓΑΛΑΤΙΑΣ ΕΠΙ ΒΑΣΣΟΥ. *Commune Galatiæ, sub Basso.* Figura muliebris sedens stolata, capite turrito, dextra duas spicas tenet, læva hastam.

Provinciæ Galatiæ videtur esse typus, quæ fruges suas ostentans fæcunditatem suam laudat.

VIII.

ΑΥΤοκράτωρ ΚΑΙσαρ ΝΕΡουας ΤΡΑΙΑΝΟΣ ΔΑΚΙΚΟΣ. *Imperator Cæsar Nerva Trajanus Dacicus.* Caput Trajani laureatum.

ΕΠΙ ΒΑΣΣΟΥ. ΕΤους Γ. *Sub Basso. anno tertio.* Mons Argæus cum corolla in vertice, quæ ad victoriam Cæsaris Dacicam referenda est.

Inscriptio hujus nummi docet cusum fuisse illum post A. V. C. DCCCLV. sive N. C. CII. quo Dacici titulum recepit Trajanus. Omnes itaque qui præcesserunt, ante illum annum cusi fuerunt, ut qui Dacici titulum nondum agnoscant.

Nummus vero hic in Cappadocia est cusus, non in Galatia; ex quo patere potest, quamdiu vir hic, tantopere Plinio laudatus, Cappadociæ & Galatiæ præfuerit, titulo legati Cæsaris, videlicet ab anno octavo Domitiani usque ad quintum Trajani, adeoque minimum ab V. C. DCCCXLII. usque ad DCCCLV. id est tredecim annis Quid mirum si, tot laboribus defunctus, otium & quietem vitæ, quæ supererat, elegerit.

PORCIA.

Gens Porcia plebeja fuit in varia cognomina divisa. Inveniuntur in nummis Licini, Læcæ, & Catones; ultimi ex Tusculo oriundi erant.

TAB. I.

I.

Lucius PORCIus LICInius. Caput Romæ galeatum cum denarii nota.

Lucius LICinius CNeus DOMitius. Mars nudus in citis bigis, dextra tenens hastam, læva clypeum, lituum militarem, & habenas equorum.

Sæpius typum hunc & nomina censorum L. Licinii & Cnei Domitii habuimus; interpretatio nummi cerni potest in nummis Domitiorum & Liciniorum, qui simul censuram gesserunt ab A. V.C. DCLXI. per plures annos. Illo itaque tempore triumvir monetalis fuit hic Lucius Porcius Licinus. Creditur itaque Vaillantio nepos vel pronepos fuisse L. Porcii Licini consulis A. V. C. DLXIX.

II.

Publius LAECA. ROMA. Caput Romæ galeatum cum denarii nota.

PROVOCO. Figura stans habitu militari, media inter duas figuras, a dextris habet figuram togatam, civis Romani symbolum, a læva lictorem cum virgis, ipsa vero dextram extendit supra caput civis Romani, qua corollam tenet in pictura Morelliana, quæ in reliquis abest.

Denarius hic præclarum monumentum est legis Porciæ, quæ lex, teste Cicerone Orat. pro C. Rabirio cap. IV. *virgas ab omnium civium Romanorum corpore amovit.* Unde indignatio ejusdem contra Verrem, qui Messanæ civem Romanum, virgis contra jus cæsum, insuper in crucem egerat. Historia exstat lib. V. in Verr. cap. LXII. *Cædebatur virgis in medio foro Messanæ civis Ro. judices, cum interea nullus gemitus, nulla vox alia istius miseri, inter dolorem, crepitumque plagarum audiebatur, nisi hæc,* CIVIS ROMANVS SVM. *Hac se commemoratione civitatis omnia verbera depulsurum, cruciatumque a corpore dejecturum arbitrabatur. Is non modo hoc non perfecit ut virgarum vim deprecaretur: sed, cum imploraret sæpius, usurparetque nomen civitatis, crux, crux inquam, infelici, & ærumnoso, qui numquam istam potestatem viderat, comparabatur O nomen dulce libertatis: ô jus eximium nostræ civitatis: ô lex Porcia legesque Semproniæ: ô graviter desiderata, & aliquando reddita plebi Romanæ tribunitia potestas!* Huc etiam spectant verba illa declamatoris incerti, ex oratiuncula, quæ Sallustii nomen præfert contra Ciceronem. *Te consule, fortunatam, Cicero? imo vero infelicem & miseram, quæ crudelissimam proscriptionem civium perpessa est, quum tu, perturbata republica, metu perculsos omnes bonos parere crudelitati tuæ cogebas: quum omnia judicia, omnes leges in tua libidine erant: quum tu, sublata lege Porcia, erepta libertate, nostrum omnium vitæ necisque potestatem ad te unum revocaveras.*

A quo autem Porcio, tribuno plebis, hæc lex lata fuerit, incertum est, neque certo liquet, ad quem P. Porcium Læcam hic denarius referendus sit. Occurrit in historia Romana P. Porcius Læca tribunus plebis A. V. C. DLVI. a quo eodem anno legem hanc fuisse latam existimat Pighius Annal. Tom. II. p. 225. Præturam idem sortitus fuit A. V. C. DLVIII. Fratrem creditur habuisse Marcum, qui tribunus Plebis A. V. C. DLIV. intercessione sua prohibuit, teste Livio, ne L. Manlius Acidinus proconsule ex Hispania decedens, urbem ovans introiret, quum a senatu Manlius illud impetrasset. Alter P. Porcius Læca invenitur inter quæstores provinciales apud Pighium Tom. II. pag. 385. ad A. V. C. DLXXXVI. filius, ut videtur, tribuni plebis &

& prætoris. Tertius occurrit P. Porcius Læca P. F. P. N. inter proquæstores anni DCXXIV. Inter conjuratos, qui cum Catilina erant, commemoratur quoque quidam Læca, qui Marci prænomen habuit, a Cicerone in Orat. pro P. Sulla c. II. *Quis nostrum Ser. Sullam? quis Publium; quis Marcum Læcam, quis Cornelium defendendum putavit?* Corrupte vero ibi editur *Leccam*, quod nomen pro Læca in vetustis editionibus passim, ut & apud Glandorpium in Onomastico, invaluit; ut & in quibusdam MSS. Sallustii in Cat. cap XVII. ubi Senator dicitur fuisse ille M. Porcius Læca. Cui ex his adjudicari denarius debeat incertum est. Romæ signatum esse adscriptum urbis nomen docet, unde ad triumvirum monetalem refero, neque forsan erravero, si dixerim illum Marcum, Catilinariæ conjurationis socium, simul fuisse triumvirum monetalem cum quodam incognito nobis Publio Porcio Læca, qui hunc denarium signaverit. Nam Publius ille Læca, qui Glandorpio ponitur inter conjuratos ex Ciceronis illo loco, non pertinet ad Læcas, sed fuit frater Servii Sullæ, prouti apud Sallustium loco citato, senatorii ordinis enumerantur *Publius & Servius Sullæ, Servii filii.*

An recte Morellius corollam pinxerit in dextra figuræ mediæ nescio; denarii enim, quos ego inspexi & servo, illam non agnoscunt. Si corollam viderit in nummo, vicisse indicat hunc populi ardorem, & quasi triumphare ob libertatem sibi a virgis lictorum concessa; prouti dea Libertas ipsa in sequenti denario triumphans a Victoria coronatur. Prætorem cum quibusdam designari non existimo, neque enim togatus est, sed militari habitu indutus; legatum itaque Romanum & belli ducem designari existimo.

Harduinus, solito discedendi ab aliis pruritu inductus, provocationem populo Romano datam, & Læcæ mentionem irridet ad Plinium Tom. I. p. 721. & meliorem scilicet hanc exsculpit sententiam P. LAE*lius* CA*to* PR*ætor* O*mnium* V*otis* O*rdinum* CO*nstitutus.*

III.

LAECA. Caput Romæ galeatum cum denarii nota.

M*arcus* PORC*ius*. ROMA. Libertas, quadrigis vecta, dextra pileum tenet, læva hastam & equorum habenas. Illam a fronte advolans victoria coronat.

Harduinus non minus bellam ad hunc denarium loco citato interpretationem habet. Literas enim LAECA discerpi jubet, & legi LAE*lius* CA*to.* addens: „ In aversa parte Marcus „ Porcius curru quadrijugo vehitur, supervoli„ tante Victoria, & coronam porrigente. Sub „ bigis M. PORC. Infra ROMA. Docet hic „ nummus P. Lælium Catonem fuisse paterno „ genere Lælium, materno Catonem ex gente „ Porcia. Unde M. Porcii victoriam in altera „ nummi parte jussit inscribi." Mirari haud debemus nova hæc de Porcio Catone somnia, in viro qui ex dea Libertate M. Porcium quadrijugis vectum fecit.

Respicit hic typus eandem legem Porciam de provocatione, quæ revera magnum libertatis erat munimentum, & singulare populi Romani decus. In tribuniciæ itaque potestatis honorem, atque hanc civium prærogativam, hunc typum elegit M. Porcius Læca, ut libertatem populo per proavos suos datam gloriaretur. Hinc Dea Libertas in quadrigis dextra pileum, libertatis symbolum, gerens, læva hastam & equorum habenas, sicuti in Fam. Cassia tab. I. num. VIII. ubi similis typus similem familiæ suæ gloriam respicit.

Commemorantur inter Porcios Læcas duo cum prænomine Marci; de utroque ad priorem denarium actum est. Incertum vero est, utrum ad priorem an ad posteriorem hic denarius spectet.

IV.

M*arcus* CATO PROPR*ætore*. ROMA. Caput Libertatis.

VICTRIX. Victoria sedens, dextra pateram tenet, læva palmam.

Marcus Cato, qui & Uticensis dictus fuit, Siciliam sortitus fuit proprætore lege Pompeja A. V. C. DCIV. Eo itaque tempore cusos hosce denarios & sequentes quinarios existimat Vaillantius, statuitque omnes, in provinciam ituros, curasse, ut Romæ moneta signaretur, ut (inquit) vox ROMA penitus arguit. Convellit idem sententiam Ursini, qui crediderat signatam hanc monetam eo tempore, quo quæstor cum jure prætorio, adjecto etiam quæstore, missus fuit in Cyprum, ut regem Ptolemæum regno privaret. Et id quidem recte, quoniam in nummis scribi proprætore tum non potuit, neque opus habuit tanta pecuniæ vi (est enim horum denariorum & quinariorum ingens copia) quum contra regem inermem proficisceretur, atque ad occupandas alienas divitias. Sed neque occasione provinciæ Siciliæ, quam proprætore regere debuerat, nisi a Curione, quem Cæsar miserat, fuisset præventus, cusos existimo. Id enim probandum Vaillantio fuerat, Romæ signasse pecuniam magistratus in provinciam ituros. Nam vox ROMA hic quidem connectenda mihi videtur cum inscriptione partis alterius, ut fit ROMA VICTRIX. Neque in Sicilia cusos existimo, quum ibi a Curione fuerit præventus. Sed puto tantam nummorum vim cusam fuisse in Africa, eo tempore, quo ibi contra Cæsarem Scipio Metellus bellum gereret, aderatque Uticæ M. Cato, qui proprætoris tunc habebat titulum, ut patet ex Plutarcho in Vita ejus pag. 786. & 787. cui στρατηγικὸς & ἀντιστράτηγος adpellatur. i. e. *prætorius* & *proprætore*, respectu scilicet provinciæ Siciliæ. Narrat enim in loco priore, quod, devicto ad Pharsalum Pompejo, cedere imperio Ciceroni voluerit Cato, ille vero recipere noluerit. Οὕτω δὴ διαβαλὼν εἰς Κέρκυραν, ὅπου τὸ ναυτικὸν ἦν, ἐξίςατο μὲν Κικέρωνι τῆς ἀρχῆς, ὡς ὑπατικῷ στρατηγικός. *Ita in Corcyram, ubi classis erat, trajecit, & Ciceroni imperio, ut consuli prætorius, cessit.* Aliquanto post: Ἐξιούντων δὲ πάντων ἄρχειν αὐτὸν, καὶ πρώτων τῶν περὶ Σκιπίωνα καὶ Οὔαρον ἐξιςαμένων καὶ παραδιδόντων τὴν ἡγεμονίαν, οὐκ ἔφη καταλύσειν τὰς νόμους, περὶ ὧν τῷ καταλύοντι ἀνθυπάτῳ προςάξειν. *Petentibus omnibus ut imperium susciperet, Scipioneque & Varo cedentibus ei, ac ducatum tradentibus, negavit convulsurum se leges, quarum caussa oppugnarunt convellentem, neque se proprætorem præsente proconsule imperaturum.* Credo itaque hanc pecuniam Uticæ, jussu Catonis, fuisse signatam, in usum militum, contra vim Cæsaris.

Inscriptio quoque & typus considerandi sunt. Conjungi utrasque partes debere existimo, ut legatur ROMA VICTRIX. Romam enim victricem fore considerabat, quamdiu libertas antiqua foret illibata. Hinc deæ Libertatis caput in parte priore. Roma enim victrix sub tyrannis dici non poterat, utpote serva tyrannidis. Et

Et licet Uticæ vel Adrumeti ſignaretur hæc moneta, ibi tamen, quum, fuſo Scipione, in magnis eſſet anguſtiis, de Romanæ urbis felicitate nondum deſperabat Cato; prout ipſum Catonem in ſenatu Uticenſi perorantem introducit Plutarchus in Vita ejus pag. 788. Ἱσαμένων δὲ πρὸς τὰ δεινὰ, καὶ δεχομένων τὸν ὑπὲρ τῆς ἐλευθερίας κίνδυνον, οὐκ ἐπαινεσόμενον μόνον, ἀλλὰ καὶ θαυμασόμενον τὴν ἀρετὴν, καὶ παρέξων ἑαυτὸν ἄρχοντα καὶ συναγωνιζόμενον· ἄχρις οὗ τὴν ἐσχάτην τύχην τῆς πατρίδος ἐξελέγξωσιν, ἣν οὐκ Ἰτύκην, οὐδὲ Ἀδρύμετον οὖσαν ἀλλὰ Ῥώμην, πολλάκις ἐκ χαλεπωτέρων σφαλμάτων ὑπὸ μεγέθους ἀναφέρεσθαι. *Quod ſi reſiſterent malis, & diſcrimen pro libertate ſubirent, non commendaturum modo, ſed etiam virtutem eorum admiraturum, præbiturumque ipſis ducem ſe & commilitonem, quoad noviſſimam patriæ fortunam exploraſſent, non Uticam eam neque Adrumetum, ſed Romam eſſe: quæ ſæpe ob magnitudinem ſuam erexiſſet ſe ex gravioribus lapſibus.*

Signavit itaque in denariis ſuis Cato caput deæ Libertatis, & Victoriam ſtabilem (quare ſedentem fecit) dextra tenentem pateram, tanquam libantem pro perpetua victoria liberæ & æternæ Urbis; qua de cauſſa inſcribitur denarius ROMA VICTRIX. Contra vero evenit, &

Victrix cauſſa deo placuit, ſed victa Catoni.

Lucano teſte lib. 1. vſ. 128.

Victoriæ typum aliter explicant Urſinus & Vaillantius. Referunt enim ad ædem Victoriæ Virginis a M. Porcio Catone, antiquiore, quondam A. V. C. DLXI. dedicatam. Mentionem ejus facit Livius lib. XXXV. cap. 9. *Iisdem diebus ædiculam Victoriæ Virginis, prope ædem Victoriæ, M. Porcius Cato dedicavit, biennio poſt, quam vovit.* Quam in Urbis regione VIII. Victor commemorat, *Ædes Victoriæ cum alia ædicula Victoriæ Virginis, dedicata a M. Porcio Catone fuit.* Unde ſuſpicatur quoque Urſinus ex hujus denarii inſcriptione reponi apud utrumque debere *Victoriæ Victricis.* Ego retinendam antiquam lectionem puto, Victoriæ Virgini enim votum feciſſe Cato videtur, ut quæ nunquam vi peregrina fuerat oppreſſa, quamque perpetuo illibatam florere apud Romanos optabat.

Litera A.

Marcus CATO. ROMA. Caput deæ Libertatis, ſed modus comendi capitis aliquantum differt, & dignitatis titulus in Catone abeſt.

VICTRIX. Victoria ſedens, ut ſupra.

Litera B.

Marcus CATO PROPR*ætore.* Caput deæ ejusdem.

VICTRIX. Victoria ut ſupra.

Quamvis hi nummi inter ſe videantur eſſe ſimiles, differre tamen (habeo enim omnes) deprehendi artificio, magnitudine, & pondere. Major reliquis & ponderoſior ſecundus eſt, primus minor, tertius primum pondere vincit, utpote denſior, ſed rudioris eſt fabricæ. Ex qua ruditate argumentum quoque capio Romæ cuſum non fuiſſe, &, ex multitudine omnium horum denariorum & quinariorum, ſuſpicior ad uſum belli civilis in Africa cuſos fuiſſe. Quinarii ipſi etiam, quoad pondus, diſcrepant, ſicuti denarii hi; quod itidem ad belli civilis turbas refero.

Litera C.

Marcus CATO PROPR*ætore.* Caput Bacchi, ſive Liberi Patris, hedera & baccis coronatum.

VICTRIX. Victoria, ſedens, ut ſupra; nam etſi hi quinarii nihil oſtendant in extenſa Victoriæ manu, unus tamen ex meis pateram (niſi corollam in omnibus malis) ſatis clare depingit. Reliqui illam partem minus ab incude tactam habent, quod & Morellianis hisce contigiſſe exiſtimo.

Harduinus ad Plinium ſimilem profert quinarium, ſed qui inſuper poſt Bacchi caput vocem ROMA exhibet, & ſub collo fibulam, ſignum monetarii. Vox ROMA vero notari debet, ex qua videlicet in omnibus vel integra, vel pro parte ſuppleta, lectio emergit ROMA VICTRIX. In denariis enim & quinariis, ubi tantum ſcribitur VICTRIX, ſubintelligi vox ROMA debet. Harduini ejusdem explicatio a reliquis ejus nugis non abludit. Scribit enim ad Plinii lib. XVI. cap. XV. p. 744. hoc pacto: „ Eſt & in muſeo noſtro quinarius, exhibens „ una parte caput Concordiæ: poſt ROM. in„ fra M. CATO PROPR. *Marcus Cato Pro„ prætore.* In altera ſedens Victoria, dextram „ extendit, ſiniſtro humero palmam gerit. In„ fra VICTRIX. Sententia ſub his litteris la„ tens hæc eſt: *Victoria Imperatoris Cæſaris „ Triumphalis Nona.* Colligatæ hic ſunt litte„ ræ duæ T. & R. quoniam eæ ad eandem vo„ cem pertinent. IMP. CÆSAR nomen fuit „ Octavii Cæſaris, poſt devictum Antonium, „ præſertim antequam Auguſtus cognominare„ tur.

Caput Liberi Patris ad ædilitatem reſpicere poteſt, quam plurimi ex majoribus Catonis geſſerunt, vel ad dei ejus in Africa cultum.

V.

& aliquot ſine numero ſeqq.

Marcus CATO. Caput Liberi Patris coronatum hedera & baccis. Subtus eſt ſpiculum; pro quo in ſequentibus aliquot obſerves fibulam, tridentem, botrum, lituum, ſtellam cum lunula, literas B. I. A. In aliis vidi galeam. Unum ipſe ſervo cum capite bubulo; quæ ſunt ſigna monetariorum. Pars averſa præcedenti ſimilis eſt.

VI.

Caput Romæ galeatum, cum nota denarii.

Caius CATO. ROMA. Victoria in citis bigis, dextra præfert corollam, læva equorum habenas tenet.

Duo Porcii Catones occurrunt in veterum ſcriptis, qui prænomen Cai habuerunt. C. Porcius Cato, conſul A. V. C. DCXXXIX. qui male contra Scordiſcos pugnavit; & turbulentus ille tribunus plebis, qui Ptolemæi reductionem in regnum per Lentulum impedire conatus fuit. Magiſtratum illum geſſit A. V. C. DCLXXXXVII. Ad quem ex duobus nummus hic referendus ſit dubitat Urſinus. Priori (quod & typi ſimplicitas ſuadere videtur) tribuit Vaillantius, negatque recte cudi potuiſſe tempore conſulatus, quo male pugnavit & ignominioſe contra Scordiſcos, ſed ad quæſturam ejus provincialem refert; typum vero explicat de M. Catonis Cenſorii victoria de Hiſpa-

ſpanis relata, & putat hunc ejus nepotem memoriam victoriæ ejus voluiſſe renovare & ſimul dedicationis ædis Victoriæ Victricis ab eodem avo ſuo factam. In quæſtura provinciali cuſum fuisſe denarium redarguit adſcripta vox ROMA. Cudit itaque ille C. Porcius Cato eundem in quæſtura urbana vel triumviratu monetali. Typus eſt ſimplex, nam nullius peculiaris victoriæ reſpectu bigæ & quadrigæ cum inſiſtente Victoria ſignari ſolebant. Pro Æde Victoriæ Victricis Livius & Publius Victor ædem Victoriæ Virginis, ut oſtendimus, agnoſcunt.

VII.

Caput Jovis laureatum.

CATO. & monogramma, quod per ΠΑΝΟΡμ *Panormus*, videtur debere explicari. Roma ſtans, veſte militari & parazonio ſuccincta, galeata, dextra tenens pateram, læva haſtam, poſt eſt clypeus.

Vaillantius monogramma illud Tarſum, urbem Ciliciæ, deſignare credidit, ſed opinione ſua fallitur, pertinet enim ad Siciliam, & urbem ibi primariam Panormum, quæ facta fuit colonia ſub Auguſto, quam militarem fuiſſe teſtantur nummi, qui plurimi occurrunt apud Parutam tab. VII. num. 68. & ſeqq. ubi occurrunt nomina Q. Fabii, L. Poſtumii, M. Aurelii, & Catonis, qui omnes videntur fuiſſe IIIVIRI vel IVVIRI deducendæ coloniæ. Nummus vero hic ſub accuratius examen a Morellio revocatus, ipſam Romam depingi docet, non, ut in Parutianis tabulis cernitur, Minervam. Paſſim enim Roma parazonio accingi ſolet. Ad tempora itaque Auguſti Cæſaris hi nummi relegandi ſunt.

Litera D.

Inſcriptio, quæ ab utraque parte cernitur, ita videtur debere concinnari. *Caio* BALCO *Lucio* PORCIO PR*imo* vel PR*imis* II VIR*is Coloniæ Victricis Iuliæ Leptis.* A priore parte eſt Victoria humero alato; ab altera bos, coloniæ ſymbolum.

Inter alias colonias, quas in Africa conſtituit Julius Cæſar, fuit etiam Leptis, quæ Juliæ a conditore ſuo nomen recepit, & Victrix dicta fuit, unde Victoriam, deam Julio ſemper faventem, expreſſit. Ex duabus altera illa lectio, in qua primi duumviri Leptitani dicuntur hic Cajus Balbus & Lucius Porcius, poſſet eligi, niſi dicerentur iidem duumviri ſub Auguſto in nummo ſequenti.

Litera E.

Inſcriptio ſimilis eſt præcedenti, ſed quum hic nummus pro capite Victoriæ habeat caput Cæſaris Auguſti laureatum, adſcribitur ibidem AVGVST*us Pontifex Maximus* TRI*bunicia* PO*teſtate* XII.

Ab altera parte ſolitum coloniæ ſymbolum bos eſt.

Literæ PR. variam patiuntur interpretationem, ſi legamus PRIMO, alter ex illis duumviris Primi cognomen habuit, ſi PRIMIS, uterque id geſſit; ut enim primi illi dicantur fuiſſe IIVIRI coloniæ Leptitanæ, non convenit cum coloniæ inſtitutione, quæ Julio Cæſari adſcribitur. Utrum PR*ætores* dicantur vel PR*ætorii*, dubito, licet in ſequenti nummo, ſub Sexto Catone cuſo, eo ſenſu literæ illæ accipi debeant, ubi vide quæ dicturi ſumus.

Litera F.

CAESAR TR*ibunitia* POT*eſtate*. Caput Cæſaris Auguſti nudum.

S*extus* CATO PR*ætor*. Sella curulis.

Gentis Pupiæ nummi omnes ſimilem ſellam curulem habent, & præterea caput Jovis Ammonis, vel arietem. Qui typus quum manifeſte Africam deſignet, Leptis vero Africæ provinciæ colonia ſit, & hic Sextus Cato in Africam miſſus fuiſſe videatur, tanquam prætor vel prætorius, Balbus quoque ille & Porcius, qui in præcedentibus nummis leguntur, itidem ut prætores mitti potuerunt, atque honoris cauſſa a Leptitanis duumviratu urbis ſuæ donari. Illud enim aliquando factum fuiſſe exempla docent in imperatore Tiberio & rege Juba filio. Fuit enim Tiberius duumvir coloniæ Corinthi una cum M. Æmilio Labeone; idemque imperator, quinquennalis audit apud Gruterum in Inſcript. p. CCCCLXXXXI. num. 10. Rex Juba una cum Cneo Atellio duumvir quinquennalis fuiſſe agnoſcitur in nummo gentis Lætiliæ, ubi vide pag. 236. quæ a nobis adnotata ſunt.

Litera G.

IMP*erator* AVGVSTVS TRIB*unicia* POT*eſtate* XIV. Caput Auguſti laureatum cum ſimpulo & lituo.

CAESAR*ea* AVGVSTA M*arco* POR*cio* CN*eo* FAD*o* IIVIR*is*. Colonus agens boves.

Poſtquam, defuncto Lepido, pontificatum maximum adeptus fuit Auguſtus, ſæpius pontificalia ſigna illa in nummis adponuntur. Cuſus eſt hic nummus in Hiſpania.

Litera H.

AVGVSTVS DIVI F*ilius*. Caput Auguſti laureatum.

CAESAR*ea* AVGVSTA M*arco* PORCI*o* CN*eo* FAD*o* IIVIR*is*. Vexillum ſuper aram erectum.

In colonia deducenda ſacra fieri ſolebant, exſtructa ad eam rem ara, cui aræ deinde vexillum legionis in coloniam deducendæ inponebatur. Hinc toties hic typus in minutis coloniarum Hiſpaniæ nummus repetitur.

TAB. II.

I.

TI*berius* CAESAR DIVI AVG*uſti* F*ilius* AVGVSTVS TR*ibunitia* POT*eſtate* XXXIII. Statua equeſtris imperatoris Tiberii.

C*olonia* C*æſarea* A*uguſta*. L*ucius* VETTIACVS M*arcus* CATO IIVIR*i*. Aquila legionaria inter duo ſigna militaria.

Nummum hunc rariſſimum, & egregium hiſtoriæ monumentum, ut & ſequentem, primus edidit Abbas Petrus Seguinus, cujus ad eorum illuſtrationem hic exſtat commentarius in Num. Select. ed. ſecundæ pag. 119. & ſeqq. „ Poſterior eſt Tiberii, „ habetque ſtatuam ipſius equeſtrem nudo capi- „ te,

„ te, cum inſcriptione „ TI. CAESAR DIVI „ AVGV. F. AVGVSTVS P. MAX. TR. „ POT. XXXIII. In averſa, tria ſigna militaria ordine conſueto, CATO. L. VETTIACVS II. VIR. & in ſuperiori parte nummi „ C. C. A. Deletum eſt prænomen Catonis, „ qui apud Ant. Auguſtinum *Marcus* dicitur in „ altero Tiberii nummo, ſed non ejusdem typi.

„ Poſtremum hunc nummum pluris æſtimo, „ non ſolum quod ſubrarus mihi videtur, ſed „ quod illum acceperim ab eruditiſſimo & humaniſſimo viro Nicolao Heinſio, apud Suecos „ Oratore Fœderatarum Belgii Provinciarum; „ cujus olim urbanitatem expertus ſum Hagæ „ Comitum, cum illius muſeum omni antiquitatum genere refertiſſimum, data opera inviſi, „ & facundo ejus alloquio frui mihi conceſſum „ eſt.

„ Primus cuſus videtur tribus legionibus IV. „ VI. & X. Cæſarauguſtæ hyberna agentibus: „ quæ ſigna militaria manipulorum, more veteri expreſſa, hic inſculpſerunt. Verum ut lux „ interpretationi noſtræ major adfulgeat, delibanda hic a nobis de ſignis militaribus pauca quædam, ad utriusque nummi intelligentiam plane neceſſaria. Legionis totius ſignum aquila „ fuit, unius una, vel aurea, vel argentea, „ ſummæ haſtæ inſiſtens, expanſis alis, fulmen „ ſæpe, ut in Tiberiano nummo cernis, unguibus tenens: nec magnæ illa molis, cum in ſigniferi baltheo, clade Variana, unam delituiſſe Florus teſtetur. Manipulorum autem „ ſigna, primis Reip. temporibus, fuerunt impoſiti perticis fœnei ſtramineive manipuli.

„ *Unde maniplaris nomina miles habet.*

„ Ovid. Faſt. III. Tales forte in Auguſtæo nummo aſpicis duos. Poſteriori ævo non fœnum impoſuere perticis, ſed aut velum transverſo e ligno „ pendens, quale inter manipulos medium intueris, „ mixto ſimul recentiore ritu cum vetuſto, aut manum, ut in ſecundo nummo, forte ut manus ad „ manipuli vocem adluderet. Quid autem orbiculi totam haſtam tegentes? Clypeoli ſunt, in „ quibus aureæ vel argenteæ imagines, deorum „ primum, deinde etiam imperatorum. Hinc Tacitus lib. Hiſt. IV, 41. *Vexillarius direptam Galbæ imaginem ſolo adflixit.* Herodianus etiam agens de „ Maximino lib. VIII. *Poſtquam de ſignis militaribus illius imagines detraxerunt, prodeuntem mox tentorio cum filio, ut ad eos loqueretur, continuo obtruncant.* Nec tantum Imperatorum, ſed & virorum principum. Apud eundem Tacitum lib. „ I. Annal. Druſi imago inter ſigna. *Tua, Dive Auguſte, cœlo recepta mens; tua, pater Druſe, imago.* Immo ipſius Sejani per adulationem „ apud Suetonium in Tiberio cap. XLVIII. *Munera Syriacis legionibus dedit, quod ſolæ nullam Sejani imaginem inter ſigna coluiſſent.* Sed & nomina Imperatorum in vexillis inſcribebantur. Suetonius in Veſpaſiano c. VI. *Aſſenſere cuncti, nomenque ejus vexillis omnibus ſine mora inſcripſerunt.* Ubi obiter obſervandum, nomen *vexilli* indiſcriminatim pro quolibet ſignorum genere accipi. „ Quamvis vexilla proprie ſint equitum, quæ vela „ quædam erant quadra, expanſa ad haſtam, ſed „ vela monica: quale forte eſt illud in nummo noſtro Auguſtæo inter duos manipulos, & qualia ſunt apud nos in equeſtribus turmis. Quid „ ergo ſi hic equeſtre ſignum unum, inter pedeſtria duo, medium dicamus eſſe; quæ ſigna, „ legiones peditibus equitibusque, ſed paucioribus equitibus conflatas, repræſentent? In noſtro etiam Tiberii nummo videntur quaſi folia „ hederacea pendula. An folia & flores, quibus „ decorabantur ſigna in rebus lætis, aut venerationis cauſa? Certe apud Claudianum,

— — — *Mavortia ſigna rubeſcunt*
Floribus, & ſubitis armantur frondibus haſtæ.

„ An vero propria cohortium ſigna fuerint, an „ ſigna in iis nulla, niſi manipulorum ex quibus „ erant conflatæ, diſceptent eruditi. Ego quidem nulla niſi manipulorum fuiſſe puto. Verumtamen cum per ſigna cohortes diſcerni Tacitus „ lib. I. Annal. dixerit; veriſimile eſt, ſigna ordinum „ cujusque cohortis ab aliis aliarum cohortium „ diſtincta notis quibusdam fuiſſe. Certe apud „ Ful. Urſinum in nummo unico familiæ Neriæ, „ & in quarto familiæ Valeriæ, viſuntur ſigna „ militaria cum H. P. Quæ dicta ego velim de „ Reip. tempore, deque Imperii ætate ſuperiori. Nam inferiori ejusdem ævo, cum novi „ ſe quotidie mores obtruderent, mutata Reipub. militiæque facie, ſuos ſingulis cohortibus dracones fuiſſe teſtatur Vegetius. Haſtæ „ porro, quibus impoſita ſigna, inferiori parte, „ quod ex nummis patet, acutæ erant, ut in terram defigerentur, ſive in caſtris, ſive in acie, „ cum ſtaret. Quod iis commune cum haſtis „ militum cæteris erat, de quibus Virgilius, *Stant terræ defixæ haſtæ.* Æn. VI." Vaillantius, reliqua Seguini laudans, recte animadvertit nihil illum de ſtatua equeſtri pronunciaſſe. In opere itaque de Coloniis tom. I. p. 100. notat Cæſarauguſtanos gratulatos fuiſſe Tiberio detectam Sejani conjurationem, atque cum multis aliis urbibus ſtatuas & aras in honorem Cæſaris erexiſſe. Id vero tanto feciſſe ſtudioſius, quod antea eundem Sejanum, ut amicum Cæſaris, coluiſſent. Quantopere certe apud Hiſpanos Sejanus cultus fuerit, adparet ex rariſſimo ibidem Bilbilitanorum nummo pag. 95. in quo conjunguntur Tiberius Cæſar V. conſul, & Lucius Ælius Sejanus ejusdem in quinto iſto conſulatu collega. Quem etiam nummum in Fam. Ælia p. 8. contemplati ſumus, & cujus generis duos poſſidemus, utrumque notabilem, alterum propter nomen Sejani expreſſum, alterum propter erâſum publice ejusdem Sejani nomen, ut Cæſaris & reipublicæ hoſtis. Eo itaque anno, quo ſimul conſules fuerunt, A. V. C. DCCLXXXIV. Tiberius tribuniciam poteſtatem XXXIII receperat, quo, ad diem V. Kal. Novemb. occiſo Sejano, ſtatim ſatisfacere Tiberio voluerunt Cæſarauguſtani, & ſtatuam equeſtrem illi propterea decretam, necdum forte per temporis anguſtiam erectam, in præſtantiſſimo hoc nummo expreſſerunt.

II.

T*Iberius* CAES*ar* DIVI AVG*uſti Filius* AVGVSTVS PON*tifex* MAX*imus* TR*ibunicia* POT*eſtate* XXXIII. Statua Tiberii ſedentis, dextra tenentis pateram, læva haſtam.

Colonia Cæſarea Auguſta. Lucius VETTIACVS *Marcus* CATO IIVIIR*i*. Vexillum aræ impoſitum inter duo ſigna militaria totidem aris impoſita, media inter illa hæc legitur inſcriptio, LEG*io* IV. LEG*io* VI. LEG*io* X.

Et hic inſignis nummus docet, non tantum ſtatuam equeſtrem Tiberio propter Sejanum in-

teremtum posuisse Cæsaraugustanos, sed & aliam, sedentem, eo ritu, quem præferunt Tiberii ejusdem nummi Romani primi moduli, ob civitates Asiæ restitutas.

Altera pars nummi docet quinam milites veterani sub Augusto in hanc coloniam deducti fuerint, videlicet ex legionibus IV. VI. & X. quod & alter Cæsareæaugustæ nummus docet, sub Cæsare Augusto cusus, atque ab eodem Seguino pag. 119. vulgatus, quem, nunc in thesauro regis Galliarum exstantem, accuratius depictum lectumque dedit Morellius inter Augusti nummos a nobis publicandos Tom. II. tab. XXVI. num. 5. 6. Ibi a priore parte colonus agit boves cum hac inscriptione *Colonia Cæsarea Augusta* TIB*erio* FLAVO PRAEF*ecto* GERM*anorum*, *Lucio* IVVENT*io* LVPERCO II VIR*is*. Ab altera parte idem typus, qui in hoc nummo est, observatur, videlicet vexillum aræ inpositum inter duo signa militaria totidem aris inposita, cum hac inscriptione AVGVSTO DIVI F*ilio*. LEG*io* IV. LEG*io* VI. LEG*io* X. Eundem nummum contemplatus fuit Vaillantius pag. 22. ubi notat errorem Seguini, qui existimat a tribus illis legionibus Cesaraugustæ hiberna agentibus cusum fuisse nummum, quum revera denotet legiones, ex quibus veterani in coloniam hanc deducti fuerunt.

Quod Familiarum nummi nos non docent suppeditant ipsius Tiberii nummi ex Morellii extypis nobis devulgandi. Inter quos tab. VII. num. 13. & 14. unus est in eadem civitate cusus, & sub iisdem quidem duumviris, ut tribunicia Cæsaris potestas adscripta docet, non tamen additis duumvirorum nominibus. Præter statuam Tiberii, templum quoque in honorem ejusdem erectum fuisse nummus ille docet. Est enim in priore ejus parte templum hexastylum cum inscriptione *Colonia Cæsarea Augusta* PIETATI AVGVSTAE. A parte vero altera eadem hæc est statua Tiberii sedentis, addita hac inscriptione, T*iberius* CAESAR DIVI AVG*usti Filius* AVGVST*us Pontifex Maximus* TR*ibunicia* POT*estate* XXXIII. Adparet Hispanam hanc coloniam adulatam ita omnibus modis Tiberio fuisse, tanquam hoc pietati ejus Dii dedissent, quod tam metuendus hostis Sejanus fuerit oppressus, scilicet,

> —— *Sequitur fortunam, ut semper, & odit*
> *Damnatos. Idem populus, si Nortia Tusco*
> *Favisset, si oppressa foret secura senectus*
> *Principis, hac ipsa Sejanum diceret hora*
> *Augustum.*

Juvenale teste Sat. X. vs. 73. Bilbilitanorum nummi id satis ostendunt, in quibus, quod nulli ante contigerat, collega Tiberii legitur Sejanus.

III.

T*Iberius* CAESAR DIVI AVGVSTI *Filius* AVGVSTVS. Caput Tiberii laureatum.

Marcus CATO *Lucius* VETTIACVS II VIR*i*. Colonus agens boves.

Sub iisdem duumviris cusus nummus hic videtur signatus fuisse aliquot mensibus ante detectam Sejani conspirationem.

POSTVMIA.

Inter Postumiæ, gentis nobilissimæ, decora recensetur, quod semper Patricia fuerit, & nemo ex illa plebejo se adoptandum dederit, sed integra permanserit ad interitum reipublicæ.

TAB. I.

I.

Aulus POSTVMIVS CO*nSul*. Caput nudum Auli Postumii consulis & dictatoris.

ALBINVS BRVTI F*ilius*. In corona spicea.

Decimus Brutus, nequaquam patrem prænomine Marcum habuit, ut statuit Pighius tom. III. pag. 465. ex male intellecto loco Ciceronis in Bruto cap. XXVIII. qui ibi de antiquiore D. Bruto M. F. agit, sed Decimi Bruti, qui A. V. C. DCLXXVI. consul fuit, videtur fuisse filius, Decimi Bruti vetustioris nepos. Adoptatus fuit a Postumio Albino, ut docet inscriptio ALBINVS BRVTI F*ilius*. Sed utrum is Postumius Auli prænomen habuerit, ex denario non liquet. Patrem itaque habere potuit Aulum Postumium Albinum, virum prætorium, qui Siciliam tenuit A. V. C. DCCV. Curioni successor a Cæsare datus, & de quo loquitur Appianus lib. II. B. C. p. 457. ubi dicit Cæsarem pro lubitu provinciarum præsides mutasse, ἐς δὲ Σικελίαν, Αὖλον Ἀλβῖνον. *in Siciliam Aulum Albinum* (scilicet) misisse. Potuit quoque filius esse Lucii Postumii, qui inter ædiles curules recensetur A. V. C. DCLXXXXIII atque postea ad præturam pervenit. Hic est ille Decimus Brutus, qui, inter intimos Cæsaris amicos, una cum M. Junio Bruto aliisque contra illum conspiravit, quique Mutinæ ab Antonio obsessus fuit, & tandem e fuga retractus, Antonii ejusdem jussu fuit interfectus. Hunc, ut in historia Romana illius temporis notissimum, passim Decimum Brutum, veteri adpellatione, scribunt auctores; sed alterum Albini nomen, præter denarium hunc, illi quoque vindicat Plutarchus in Vita M. Bruti pag. 989. ubi a Labeone sollicitatum eundem ad conspirationis arcanum fuisse ait: Δεξαμένου δὲ προθύμως, τόν θ' ἕτερον Βροῦτον, ἐπίκλησιν Ἀλβῖνον, ἄλλως μὲν οὐκ ὄντα ῥέκτην οὐδὲ θαρραλέον, ἐρρωμένον δὲ πλήθει μονομάχων, οὓς ἐπὶ θέαν Ῥωμαίων ἔτρεφεν, καὶ παρὰ Καίσαρι πεπιστευμένον ἐδόκει προσάγεσθαι. *Hic quum parato animo operam suam esset pollicitus, alterum Brutum, Albinum cognomine, qui de cætero strenuus non erat neque animosus, sed gladiatorum manu, quos ad exhibendum populo Romano alebat, validus esset, & probatus Cæsari, visum est adjungere.*

Itaque hic Albinus, Bruti filius, ut antiquitatem generis, ad quod transierat, ostenderet, Auli Postumii consulis & dictatoris caput signavit, quem præcipuum auctorem generis sui decusque Postumii habebant. Corona spicea, cur ab altera parte sit, vera caussa in incerto est, quam enim profert Vaillantius, quod quæstor urbanus annonæ abundantiam procuraverit, non probo; quod denarius hic nequaquam Romæ, sed extra Romam cusus fuerit. Credo itaque cusum fuisse tempore belli civilis, dum Mutinæ obsessus fuit Decimus Brutus. Ille enim, ut testatur Appianus, Gallia (quam illi provinciam a Cæsare datam, confirmaverat senatus) vi ab Antonio expulsus, ut liceret sibi tuto cum exercitu abire, finxit accepisse se literas, quibus in urbem revocaretur, atque ita veluti in Italiam properans, & abire cum suis ab Antonio permissus, in itinere Mutinam urbem occupavit, ibique egregie

gie impetum Antonii ſuſtinuit. Verba Appiani ſunt lib. III. B. C. pag. 558. Καὶ δείσας ὁ Δέκιμος, μὴ οὐδ' ἐσελθεῖν ἐς τινα αὐτῶν ἔτι δύνηται, πλάσσεται γράμματα τῆς βουλῆς καλούσης αὐτὸν ἐς Ῥώμην σὺν τῷ στρατῷ, καὶ ἀναζεύξας ἐχώρει τὴν ἐπὶ τῆς Ἰταλίας, ὑποδεχομένων αὐτὸν ὡς ἀπιόντα πάντων, μέχρι Μουτίνην παροδεύων, πόλιν εὐδαίμονα, τάς τε πύλας ἀπέκλειε, καὶ τὰ τῶν Μουτιναίων ἐς τὰς τροφὰς συνέφερεν ὑποζύγιά τε ὅσα ἦν κατέθυε καὶ ἐταρίχευε, μὴ χρόνιος ἡ πολιορκία γένοιτο, καὶ τὸν Ἀντώνιον ὑπέμενε. *Decimus, veritus ne ulla earum* (urbium) *ſibi pateret, finxit ſe cum exercitu a ſenatu in urbem revocari per literas, ingresſusque iter verſus Italiam, omnibus ut abeuntem excipientibus, ubi Mutinam urbem opulentam pervenit, tanquam pertranſiturus, portas clauſit, & annona Mutinenſium uſus eſt ad alendum exercitum, mactatorumque jumentorum carnes ſalivit, ſi forte contingerit diuturnior obſidio: ibique exſpectabat Antonium.* Quod teſtimonium Appiani videtur ad hujus typi explicationem poſſe pertinere. Corona ſpicea enim abundantiam ſignificat; ſignata itaque in uſum militum pecunia, promiſit iisdem, curaturum ſeſe, ut in obſeſſa urbe nullius rei forent indigi, ſicuti ſtatim, occupata Mutina, in futurum provideraт.

II.

ROMA. Caput Dianæ cum arcu & pharetra.

Aulus ALBINVS *Spurii Filius.* Tres equites, haſtis, clypeis, & galeis armati, citato curſu feruntur, quos figura minor, clypeo & gladio armata, tanquam fugiens præcurrit.

Antequam ad explicationem perveniam, pauca dicenda ſunt, quæ ad typi picturam ſpectant, quæque in duobus meis præſtantioribus obſervavi. Omnes, qui hactenus hunc denarium ante Morellium depinxerunt ediderunтque, inſcriptionem ita exhibent, A. ALBINVS. Accedit in Morelliana pictura illud inſuper, quod figura literæ M. cernatur ſupra caput peditis fugientis. At in altero meo expreſſe legitur A. ALBINVS S. F. in illo verò partem illam denarii (ut fieri ſolet) ubi pedes fugiens conſpicitur, minus bene tetigit inſtrumentum monetarii, ſic, ut fugientis crus alterum & dimidia tantum corporis pars conſpicua ſit. Alter vero denarius meus vice verſa, alteram illam partem poſteriorem incudi ſubjectam non habuit, ſic ut lædantur duo pedes equi poſteriores, & ex epigraphe hæ tantum adpareant literæ A. ALBINV per rotunditatem nummi reliquis ablatis. Sed in illo, quod in nullis aliis amicorum mihi tam clare obſervare licuit, pars illa nummi, ſive area, quæ ante equites eſt, non modo exhibet peditem illum, ſed duo inſuper vexilla hoſtium fugientium clare & nitide expreſſa; ex quibus quum unum, idque non ſatis clare, conſpiciendum ſeſe præbuerit in illo nummo quem delineavit Morellius, credidit is literam M eſſe, quam in illa parte obſervavit, illam enim non male fluxa illa vexilli extremitas in nummi parte ibi minus bene ſervata referre ſolet. Obſervari præterea volo, peditem illum in fugam verſum ita in meo exprimi, ut qui, dextro poplite velut ſucciſo, in terram procumbat, conculcandus ab equis, facie & habitu corporis averſo ab equis, non, ut Begerus & Gorlæus pinxerunt, adverſo, ſive corpore plane proſtrato.

Uberius hæc proferre placuit, ut adpareat quanto hæ obſervationes ad hiſtoriam adjumento ſint. Vetus enim inſcriptionis lectio A. ALBINVS. incertos nos reddit, ad quem Aulum Poſtumium Albinum hic denarius ſit referendus, manifeſto jam errore Vaillantii, qui hunc Aulum Albinum facit A. F. A. N. qui ſcilicet in prætura ſua urbana A. V. DLXVIII. ediderit ludos Apollinares, & propterea caput Dianæ ſignaverit. Begerus alios ludos dedit, adſeverans cuſum ab Albino Bruti filio; quum hic & ſequens nummus in urbe cuſi ſint; Decimus vero Brutus Albinus & extra Romam denarios ſuos ſignaverit, & Bruti filium ſeſe inſcripſerit. Contra Urſinus, præcedentem nummum, a Decimo Bruto ſignatum, peſſime refert ad A. Albinum, Spurii filium, qui (uti credit) is eſt, qui frater fuit & legatus Spurii Poſtumii Sp. F. qui conſul. A. V. C. DCXLIII. cum Q. Minutio Rufo, Numidiam Provinciam obtinuit, quorum fratrum mentio eſt apud Salluſtium de Bello Jugurthino. Rectius idem Urſinus II. III. & IV. nummum ab uno eodemque A. Albino Spurii filio cuſos exiſtimat, qui, quis fuerit, jam reſtat inquirendum. Adſcripta vox ROMA docet in urbe cuſos hos denarios fuiſſe, non ergo ab illo Aulo, quem in Numidia proprætore frater reliquerat, ut ex Salluſtio ſcribit Urſinus. Caput laureatum, quod habet nummus III. idem plane eſt, quod in nummo IV. conſpicitur. Hi tres nummi Aulum hunc Albinum unanimi conſenſu Spurii faciunt filium. Cuſi ergo ſunt eodem tempore ab illo qui quartum cudit, id eſt illo A. Albino Spurii filio, qui una cum L. Metello & C. Malleolo triumvir monetalis fuit. Is itaque, ratione temporis, videtur fuiſſe filius Spurii Albini, conſulis A. V. C. DCXLIII.

Caput Dianæ, quod in antica denarii parte cernitur, ludos Apollinares ſpectare poteſt, ſicuti caput Apollinis in duobus ſequentibus. Non quod prætores ſignaverint pecuniam cum iſto typo, ut ſemper ſupponit Vaillantius, ſed quod, vel præturam majorum hoc pacto voluerint celebrare, vel ad ſumtus ludorum Apollinarium, juſſu ſenatus, triumviri monetales hanc pecuniam ſignaverint, vel quod Albinus hic reſpexerit ad ludos illos ſeculares quartos, quibus proavus A. Poſtumius Albinus A. V. C. DLXXXI. XVvir ſacris faciundis præfuit; quod veriſſimum puto, & etiam alterius Albini nummo confirmatur, qui ſequitur num. VII.

Tres equites, qui in altera denarii parte fugientem hoſtis peditatum perſequuntur & conculcant, nobilem illam Poſtumii dictatoris pugnam ad lacum Regillenſem in memoriam revocant, de qua Florus lib. I. cap. 11. *Apud Regilli lacum dimicatur, diu Marte vario, donec Poſtumius ipſe dictator ſignum in hoſtes jaculatus eſt (novum & inſigne commentum) uti peteretur curſu. Coſſus equitum magiſter exuere frenos imperavit (& hoc novum) quo acrius incurrerent. Ea denique atrocitas fuit prœlii, ut interfuiſſe ſpectaculo deos fama tradiderit, duos in candidis equis, Caſtorem atque Pollucem, nemo dubitavit. Itaque & imperator veneratus eſt, pactusque victoriam templa promiſit; & reddidit, plane quaſi ſtipendium commilitonibus Deis.* Item Valerius Maximus I, VIII. 1. *Cum apud lacum Regillum A. Poſtumius dictator, & Tuſculanorum dux Mamilius Octavius magnis viribus inter ſe concurrerent, ac neutra acies aliquandiu pedem referret; Caſtor ac Pollux Romanarum partium propugnatores viſi, hoſtiles copias penitus fuderunt.* Hinc, veluti Polluce & Caſtore latera ſtipatus, in hoſtes invectus pingitur dictator.

ROMA. Caput Apollinis laureatum, cum denarii nota & aſtro.

FAMILIA POSTVMIA.

Aulus ALBINVS *Spurii Filius.* Dioscuri stantes cum adtributis aquatum equos suos deducunt, tanquam a pugna recenti delassatos & sitientes. Adest in area luna corniculans.

Luna corniculans & Apollinis sidus, cum deæ ejusdem capite, sæculares ludos innuunt, de quibus ad num. VII. Typum vero Pollucis & Castoris, cum equis suis egregie (ut Begerus quoque vidit) Dionysii Halicarnassæi explicant verba, apud quem lib. I. historia omnis luculenter hoc pacto traditur. *In eo prælio*, inquit, *feruntur Postumio, & stipantibus eum militibus, adparuisse duo equites, statura & forma longe, quam nostra natura fert, præstantiores, primæ lanuginis juvenes, præcedentes Romanum equitatum, hostemque cominus congredientem hastis ferientes, tundentesque ac fugantes. Post fugam Latinorum, cum & castra essent capta, & prælium finitum, Romæ in foro sub vesperam visi itidem duo adolescentes, militari cultu, procerissimi & pulcherrimi, pari ætate, vultu adhuc retinentes, quam in pugna habuerant, speciem, & equis sudore madentibus. Cumque de equis descendissent ambo, lavissentque fontana, quæ ad ædem Vestæ profluens, parvam, sed profundam, facit lacunam, multis eos circumstantibus rogantibusque, ecquid ab exercitu novi adferrent? pugnam exposuisse dicuntur & victoriam, digressique e foro, nusquam adparuisse postea, quamvis diligenter a præfecto Urbis quæsiti. Quum autem postero die reipublicæ principes a dictatore literas accepissent, & præter alia, quæ in prælio acciderunt, cognovissent, etiam hanc deorum visionem rati, utrobique eorundem deorum spectra oculis obversata, ut verisimile erat, crediderunt, Castoris & Pollucis ea fuisse. Hujus incredibilis, & admirandæ deorum visionis, Romæ multa exstant monumenta, cum ipsa ædes Castoris & Pollucis, quam in foro populus Romanus ædificavit, in eo ipso loco, ubi visæ fuerunt ipsorum imagines, tum fons ædi vicinus, qui istis diis sacer dicitur, & qui ad hunc usque diem talis creditur.*

IV.

Aulus ALB*inus Spurii Filius. Lucius* METEL*lus.* Caput Apollinis laureatum.

Caius MALL*eolus.* ROMA. Roma clypeis insidens dextra hastam tenet, læva parazonium. Illam post tergum adstans Victoria coronat.

De typo hujus denarii jam egimus ad Fam. Cæciliam, ubi refutavimus Vaillantium, qui Honori caput laureatum tribuit, quod Apollinis est, & triumviros sacris ædibus reficiendis existimat fuisse Albinum, Metellum, & Malleolum, qui tamen simul triumviri monetales exstiterunt. Ex illis vero familia Postumiorum Albinorum sibi Apollinis potissimum vindicavit caput, sicuti in denario præcedente, item Dianæ typum num. II. & VII. non alia de caussa, nisi quod Aulus Postumius Albinus consul A. V. C. DLXXIII. decemvir sacrorum factus fuerit in L. Cornelii Lentuli demortui locum. Ille itaque A. Postumius Albinus ludos sæculares quartos Apollini & Dianæ sacros curavit, iis enim præerat decemvirorum collegium. Vide infra num. VII.

Ratione temporis A. Albinus S. F. in nostro denario signatus, videtur fuisse filius Spurii Postumii Albini consulis A. V. C. DCXLIII. Habuit triumviratum monetalem, ut incrementum aditumque honorum, quos tamen ampliores adiisse non legimus morte forsitan interceptum. Filium vero videtur reliquisse Aulum Postumium Albinum, qui Prætor Siciliæ fuit A. V. C. DCCV.

V.

Caput Romæ galeatum cum apice sacerdotali & denarii nota.

Lucius POST*umius Auli Filius.* ROMA. Mars tropæophorus in citis quadrigis; præter tropæum armatus idem deus hastam & clypeum gerit.

Additus apex, qualem Martis flamines gerebant, ad talem nos Postumium ducit, qui flamen Martialis fuerit. Unde ita Ursinus „Quintus hujus tabellæ denarius pertinet ad L. POSTVMIVM ALBINVM Flaminem Martialem, de quo meminit Livius lib. XLV. his verbis: *Flamen Martialis inauguratus est eo anno L. Postumius Albinus*, &c. annus tunc Vrbis fuit DLXXXVI. & consules Q. Allius, M. Iunius. Ad hoc autem indicandum sacerdotium, apicem Flaminii insigne, in altera denarii parte Postumius signavit. De A. Postumio Albino flamine Martiale & consule, quem Metellus pont. max. cum ad bellum gerendum proficisci vellet, in urbe tenuit, facit mentionem Florus lib. II. 9. & Valerius Max. lib. I. c. 1. sed ad priorem Postumium argenteus denarius spectat, qui Lucii prænomine affectus fuit." Verum, ut recte notat Vaillantius, iste L. Postumius Albinus, cujus Livius facit mentionem, filius fuit Spurii, & Lucii nepos; noster vero, in denario Auli filius scribitur. Hinc nepoti ejusdem adsignat, quem flaminem quoque fuisse indicat Cicero in Bruto cap. XXXV. *M. Aurelius Scaurus non sæpe dicebat, sed polite: Latine vero inprimis est eleganter locutus. Quæ laus eadem in A. Albino bene loquendi fuit. Nam flamen Albinus etiam in numero est habitus disertorum.*

Percussit itaque monetam hanc in primo honore suo, triumviratu videlicet monetali, quod arguit vox ROMA. quæ docet Romæ cusum numisma fuisse. Prætorius postea periit bello Marsico, quod exarsit A.V.C. DCLXIII. atque per biennium gestum multos fortissimos & nobilissimos viros absumsit.

Partis posterioris typus, qui Martem tropæophorum habet, respicere videtur ad avi L. Postumii Albini victoriam de Lusitanis & Vaccæis, de illis enim triumphavit idem prætor A. V. C. DLXXIV. consul deinde factus A. V. C. DLXXX. & A. V. C. DLXXXV. flamen Martialis. Fuit enim is, qui denarium hunc cudit L. Postumius Albinus A. F. L. N.

VI.

Caput Dianæ Venatricis cum arcu & pharetra.

Caius POSTVMI*us* & monogramma AT. vel TA. monetarii, ut videtur signum. Canis venaticus currens, infra quem venabulum extenditur.

Caius Postumius Albinus, Pighio tom. II. p. 354. creditur fuisse Spurii filius, Lucii nepos; quod & agnoscit Vaillantius tom. II. pag. 314. ubi stemma Postumiorum Albinorum digessit. Fratrem itaque facit Spurii Postumii Albini, qui A. V. C. DLXXXVI. flamen Martialis fuit factus, & in consulatu suo A.V.C. DLXXXXIX. ab uxore veneno fuit sublatus. Iste vero C. Postumius Albinus inter quæstores extitit, qui una cum L. Æmilio Paullo ad bellum Macedonicum contra regem Persen profecti sunt. Typum itaque

que idem Vaillantius ad præturam ejusdem urbanam refert A. V. C. DLXXXVIII. & denarium putat indicare ludos Apollinares ab illo fuisse celebratos.

Verum apud prætores non erat jus cudendæ monetæ, & vox ROMA quum absit, probari non potest, in urbe cusum numisma fuisse. Unde ego ad alium C. Postumium Albinum referri debere arbitror, qui scilicet fuerit ex posteritate A. Postumii Albini, qui consulatu functus fuit A. V. C. DCLIV. & qui, quum Xvir sacris faciundis in Lentuli locum fuisset factus, ludos sæculares curavit. Quantopere enim ludos illos sæculares ab eodem curatos in nummis posteritas ejus ostentaverit, patet ex num. II. III. IV. & præcipue illo, qui sequitur, VII.

TAB. II.

VII.

Caput Dianæ venatricis cum arcu & pharetra, in vertice ejusdem est caput cervinum, sive respectu ipsius deæ sit positum, sive sit monetarii signum.

Aulus POST*umius Auli Filius Spurii Nepos* ALBIN*us*. Mons, supra quem stat sacerdos sive decemvir sacris faciundis, dextram extendens inter cornua bovis super frontem ejusdem, ara intermedia. In meo asperrimo figura sacrificans dextra manu expansa grana quædam orbiculata & hirsuta, tanquam sparsura tenet. Puto esse molam salsam, quam, pro more sacrificandi, super frontem media inter cornua spargit. Pictor Begeri (ipse enim antiquarius nihil monet) simile quid in suo nummo videtur animadvertisse; sed perperam depinxit manum clausam, quæ virgas teneat.

Aulum Postumium, qui in hoc denario Auli filius & Spurii nepos vocatur, antiquarii judicant fuisse filium A. Albini, consulis A. V. C. DCLIV. nepotem Spurii Albini, consulis A. V. C. DCV. pronepotem A. Postumii Albini consulis A. V. C. DLXXIII. censoris A. V. C. DLXXIX. & denique Xviri sacris faciundis in Lentuli locum facti A. V. C. DLXXXI. In quæstura provinciali videtur hic A. Postumius Albinus hunc denarium signasse, in quo celebravit ludos sæculares, qui fieri solebant in honorem Apollinis & Dianæ, unde mons Aventinus, Dianæ sacer, in ipso denario conspicitur. Ludi vero hi sæculares quartum celebrati fuerunt consulibus L. Marcio Censorino & Manio Manilio Nepote A. V. C. DCIV. sive ex Varronis computo A. V. C. DCV. Quamvis triplicem de tempore eorundem adferat sententiam Censorinus in libello de Die Natali cap. XVII. *De quartorum ludorum anno triplex opinio est. Antias enim, & Varro, & Livius relatos esse prodiderunt L. Marcio Censorino, Manio Manilio coss. post Romam conditam anno* DCV. *At Piso Censorius, & Cn. Gellius, sed & Cassius Hemina, qui illo tempore vivebat, post annum factos tertium adfirmant, Cn. Cornelio Lentulo, L. Mummio Achaico coss. id est, anno* DCVIII. *In Quindecimvirorum autem Commentariis notantur sub anno* DCXXVIII. *Manio Æmilio Lepido, L. Aurelio Oreste coss.* Jam vero A. V. C. DLXXXI. decemvir sacrorum factus fuit proavus A. Postumii Albini hujus, qui denarium cudit, A. Postumius Albinus. Livius lib. XLII. cap. 10. *L. Cornelius Lentulus Xvir sacrorum, eo anno mortuus est. In locum ejus suffectus A. Postumius Albinus.* At ille jam grandis natu, utpote consularis, vivere non poterat XXII. vel XXV. sive, ut alii volunt, plus XL. post anno, quo ludi sæculares fuerant editi. Unde credibile est mortuo patre Aulo, ad filium Spurium, qui consul agnoscitur A. V. C. DCV. dignitatem illam transiisse, atque illum, pro ratione ejusdem dignitatis, sacra ista & quartos ludos sæculares curasse, quorum memoria in tot denariis nepotum ejusdem invenitur.

VIII.

HISPAN*ia*. Caput Hispaniæ velatum, fluxis capillis.

Aulus POST*umius Auli Filius Spurii Nepos* ALBIN*us*. Vir togatus stans dextram adtollit versus aquilam legionariam, post virum stantem eriguntur fasces.

Inscriptio denarii docet cusum hunc esse ab eodem Albino, qui præcedentem signavit, & utrumque extra urbem Romam. Caput Hispaniæ, quod in anteriore nummi parte est, itidem docet sensum hujus denarii eundem esse qui nummi V. In utroque enim respiciuntur res gestæ a L. Postumio in Hispania, quarum mentionem fecit Livius lib. XLI. cap. 6. *Per eos dies Ti. Sempronius Gracchus, & L. Postumius Albinus ex Hispania Romam quum revertissent, senatus iis a M. Titinio prætore datus in æde Bellonæ, ad disserendas res quas gessissent, postulandosque honores meritos, ut Diis immortalibus haberetur honos.* & cap. VII. *Triumphi deinde ex Hispania duo continui acti. Prior Sempronius Gracchus de Celtiberis, sociisque eorum; postero die L. Postumius de Lusitanis aliisque ejusdem regionis Hispanis triumphavit.* Vaccæos eosdem adpellatos fuisse, quos non nominat Livius, epitome ejus libri, cujus pars prior periit, ostendit: *A. Postumio Albino proconsule Vaccæi ac Lusitani subacti sunt.* Triumphavit A. V. C. DLXXV. uti etiam Marmora Capitolina testantur.

In typo posterioris partis denarii fasces proconsulare imperium denotant; aquila legionaria exercitum, a quo sublata dextra jusjurandum poscit Postumius, quemve pro signis adloquitur.

IX.

AVGVSTVS DIVI *Filius*. Caput Augusti laureatum.

Marco POSTVM*io* ALBIN*o Lucio* POR*Cio* CAPIT*one* IIVIR*is Quinquennalibus*. Vir togatus stans, nudo capite, dextra situlam tenet, læva ramum laureum.

Antequam ad explicationem pergam, de ipsius nummi pictura aliquid dicendum est. Morellius ita depinxit tanquam togatus ille in pectore latum haberet limbum a mento ad pedes dependentem, omne enim illud spatium reliquit album, quasi aliquid a toga separatum esset. Quum id itaque mihi novum videretur, nummos meos, quos in coloniis cusos servo, inspexi, inter quos memineram & hunc perrarum & præstantem una cum tribus sequentibus servari. Instituto deinde examine inveni deceptum fuisse Morellium a nummo, qui partem illam a pectore ad pedes detritam & glabram habuerit, quum in meo duo diversa oculis facile observari possint; togam videlicet ibi tres vel quatuor, ut necesse erat, habere plicas, deinde ipsam illam togam ita post collum esse rejectam, ut ab altera colli parte redeat in pectus, & sic ad pedes usque defluat.

In qua colonia insignis hic nummus una cum tribus sequentibus cusus sit, is, qui proxime sequitur, docet; videlicet Carthagine Nova Hispaniæ urbe; ubi hic Postumius Albinus IIvir

quin-

quinquennalis fuit cum L. Porcio Capitone, & iterum eundem gessit honorem cum P. Turullio. Hinc patere potest Postumii ejus nobilitas, qui ab antiquis illis magnis in republica viris genus duxisse videtur.

In ipso nummo vir togatus dextra situlam tenet, læva ramum laureum. Vaillantius putat censorem hac pictura repræsentari, atque Postumium nostrum adlusisse ad illum ex proavis suis M. Postumium Albinum, qui cum Camillo censuram gessit A. V. C. CCCLI. vel veterem census agendi, lustrandi, condendi morem, a Julio Cæsare, oppressa libertate, abrogatum, restitutum ab Augusto, celebrasse; de quo Suetonius in Vita ejus cap. XXXVII. *Censores creari desitos longo intervallo, creavit.* Hæc Vaillantii sententia est in præstantissimo ejus libro de Coloniarum Nummis tom. I. pag. 40. Nos aliter sentimus. Quæ sequuntur numismata templum singula exhibent, in honorem Augusti Carthagine exstructum, quod inscriptio docet, in ipso ejus peristylio posita, AVGVSTO. Dedicatum videtur illud templum fuisse, quum iterum (sicuti ibi inscribitur) IIvir quinquennalis esset noster M. Postumius Albinus cum Publio Turullio. Votum antea fuerat, & ædificari (ut videtur) cœptum, quum prima vice IIvir quinquennalis una cum L. Porcio Capitone esset Postumius. Lustrari vero solebat ille locus, in quo templum erat ædificandum; hinc lustratio loci in hoc nummo, templum ipsum in sequentibus. Testimonium hujus moris dat Tacitus, ubi tot hujus rei circumstantias, quot nemo alius, adducit lib. V. Hist. cap. LIII. in restitutione Capitolii. *Undecimo calendas Julias, serena luce, spatium omne quod templo dicabatur, evinctum vittis coronisque. Ingressi milites quibus fausta nomina, felicibus ramis. Dein virgines Vestales, cum pueris puellisque patrimis matrimisque, aqua rivis & fontibus amnibusque hausta perluere. Tum Helvidius Priscus prætor, præeunte Plauto Æliano pontifice, lustrata bove taurisque area* &c. Ad hanc lustrationem & dedicationem præter aquam, quam dextra in situla propterea gerit figura togata in nummo, requirebatur (quem gerit læva manu figura eadem) lauri ramus, sic enim, quæcunque dominos novos erant habitura, lustrabantur. Ovid. lib. V. Fastor. vs.

Uda fit hinc laurus, lauro sparguntur ab uda
Omnia quæ dominos sunt habitura novos.

X.

Publio TVRVLLIO (sic enim legendum esse ad sequentes docemus) IIVIR*o* QVINQ*uennali*. *Victrix Iulia Nova Karthago.* Caput Augusti radiatum.

Victrix Iulia Nova Karthago. Marcus POSTV*mius* ALBINVS IIVIR QVINQ*uennalis* ITER*um*. Templum cum quatuor columnis, in cujus peristylio scribitur AVGVSTO.

Nummus hic, una cum duobus sequentibus, docet in qua urbe & colonia omnes hi nummi cusi sint, videlicet in Hispaniæ urbe Carthagine Nova, quæ Victrix insuper & Julia dicta fuit. Corona radiata, qua caput Augusti in hoc nummo ornatur, innuere videtur post obitum Augusti, ejusque apotheosin, cusum eundem fuisse. In præcedente enim laurea ornatur, &, ut vivente adhuc, adscribitur nomen AVGVSTVS DIVI F*ilius*. Nulla nunc epigraphe additur, corona addita divum significat. Templum itaque, quod vivo voverant atque jam designaverant, post mortem ejusdem perfecerunt.

XI.

Victrix Iulia Nova Karthago. Publio TVRVLLIO (ita expresse in meo legitur non ut vitiose apud Morellium TVRVLB...). IIVIR*o* QVINQ*Vennali*. Figura quadrigas agens, ante quas vexillum erectum conspicitur.

Victrix Iulia Nova Karthago. Marcus POSTV*mius* ALBINVS IIVIR QVINQ*uennalis* ITER*um*. Templum idem inscriptum AVGVSTO.

Nummulus hic docet in honorem Augusti non templum modo Carthagine conditum fuisse, sed & ludos in ejusdem memoriam fuisse institutos. Vexillum illud ante equos ad coloniæ deductionem referendum, videtur, quod videlicet eadem fuerit militaris.

XII.

Victrix Iulia Nova Karthago. Publio TVRVLLIO (sic in hoc quoque meo legitur, non, ut vitiose apud Morellium, TVRVLB...) IIVIR*o* QVINQ*uennali*. Figura quadrigas agens, ante quas vexillum erectum conspicitur.

Victrix Iulia Nova Karthago. Marcus POSTV*mius* ALBINVS IIVIR QVINQ*uennalis* ITER*um*. Templum idem inscriptum AVGVSTO.

Omnino hic nummulus præcedenti est similis, discrepans in eo, quod aliter conversæ sint quadrigæ, & effuso cursu ferantur, quæ in præcedente tolutim gradientibus equis ad certamen se præparabant. Vexillum hic ponere ante equos neglexit Morellius, quod tamen in meo comparet.

PROCILIA.

Gens Procilia, Lanuvio (ut videtur) oriunda, plebeja fuit, ut ex tribunatu plebis colligitur.

I.

Senatus Consulto. Caput Jovis laureatum.

Lucius PROCILI*us* F. Juno Sospita gradiens, dextra hastam vibrat, læva scutum oblongum tenet, ante pedes serpens progreditur.

Junonis Sospitæ pulcherrimam juxta nummum nostrum descriptionem dat Cicero lib. I. de Nat. Deor. cap. XXIX. *Quid igitur censes? Apim illum, sanctum Ægyptiorum bovem, nonne Deum videri Ægyptiis? Tam hercle quam tibi illam nostram Sospitam, quam tu nunquam ne in somnis quidem vides, nisi cum pelle caprina, cum hasta, cum scutulo, cum calceolis repandis. At non est talis Argiva, nec Romana Juno. Ergo alia species Junonis Argivis, alia Lanuvinis.* Omnia hæc in denario nostro, in quo etiam calcei repandi notari omnino debent, qui in nummis ipsis aliquanto etiam magis longiusque incurvantur.

Procilius hic videtur is esse, cujus crebra mentio exstat apud Ciceronem lib. I. ad Attic. ep. 2. *O magnum hominem! & a quo multo plura didiceris, quam de Procilio.* IV. 15. *Nunc Romanas res accipe. Ad d.* III. *non. Quint. Sufenas & Cato absoluti: Procilius condemnatus: ex quo intellectum est τελεαρεοπαγίτας ambitum, comitia, interregnum, majestatem, totam denique rempublicam flocci facere. Debemus patrem familias domi suæ occidere nolle; neque tamen id ipsum abunde; nam absolverunt* XXII. con-

condemnarunt XXVIII. & ep. ſequenti 16. *De Procilio rumores non boni: ſed judicia noſti.* Et in Epiſt. ad Q. Fratrem II, 8. *Id, Majis ſenatus frequens, divinus fuit in ſupplicatione Gabinio denegan-da. Adjurat Procilius hoc nemini accidiſſe.*

II.

Senatus Conſulto. Caput Junonis Soſpitæ, ſive Lanuvinæ, pelle caprina tectum.

Lucius PROCILI*us* F. Juno Lanuvina in equorum bigis, more ſolito ornata, ſub bigis ſerpens erigitur, qui adludere ad nomen ejus videtur, quaſi Juno illa Lanuvina ſoſpites mortales reddat.

Litera F. quæ in utroque denario & in omnibus (ne alphabeticam credamus) conſpicitur, antiquariis neglecta, mihi videtur deſignare flaminem ſive ſacerdotem Junonis Lanuvinæ fuiſſe hunc Lucium Procilium; ut integra ſit lectio *Lucius* PROCILI*us Flamen Junonis Soſpitæ.* quæ duæ ultimæ voces non ſcribuntur in nummo ſed depinguntur per ipſius deæ imaginem & currum. Quæ enim Vaillantius ex Cicerone profert de novis magiſtratibus minus placent. Cicero in Orat. pro L. Muræna cap. XLI. *Conſervate populo Romano beneficium: reddite reipublicæ conſulem: date hoc ipſius pudori, date patri mortuo, date generi, & familiæ, date etiam Lanuvio, municipio honeſtiſſimo: quod in hac tota cauſſa frequens mæſtumque vidiſtis. Nolite a ſacris patriis Junonis Soſpitæ, cui omnes conſules facere neceſſe eſt, domeſticum & ſuum conſulem potiſſimum avellere* Junonem vero Soſpitam, ſive Lanuvinam, ſuum habuiſſe flaminem adparet ex Ciceronis Orat. pro Milone cap. X. *Interim quum ſciret Clodius iter ſollenne, legitimum, neceſſarium ante diem* XIII. *Kal. Febr. Miloni eſſe Lanuvium ad flaminem prodendum, quod erat dictator Lanuvii Milo* &c.

Adſcripta nota ſenatusconſulti docet juſſu ejusdem ſignatam hanc monetam fuiſſe, ſive Romæ (quamvis vox Roma abſit, occupante ſcilicet locum ejus nota S. C.) a triumviro monetali L. Procilio, ſive extra Romam ab eodem quæſtore. Prius tamen ſimplicius mihi videtur. De ædibus Jovi atque Junoni Soſpitæ in foro Olitorio communibus cave credas Vaillantio illud non facile probaturo.

PROCVLEIA.

Familia Proculeia ſub Auguſto floruit, nova, ut videtur.

I.

Caput Neptuni barbatum & laureatum, poſt illud monogramma eſt, ex quo emergunt literæ ΚΟΡΚΥ*ραίων*. *Corcyrenſium.*

Caius PROCVLEI*us Lucii Filius.* Bipennis.

Monogramma illud antiquariis, Morellio excepto, non fuit intellectum, quum tamen in nummis Corcyrenſium illi non diſſimile crebro inveniatur. Patinus, a quo primum hi duo nummi editi ſunt, neglexit; nec diligentior fuit Vaillantius. Spanhemius propterea nummos Cominiæ (ſi Diis placet) genti vindicat, in edit. pr. p. 563. „ Ex quo præterea diſcimus, ad eandem „ forte Cominiorum gentem, cujus frequens „ mentio in lapidibus antiquis, referendos num„ mos illos, quos ſub Proculeiæ gentis nomine „ edidere nuper minus adcurate diligentes anti„ quarii; quum vel ſuperior nummus, (in quo ſcil. ΕΠΙ ΚΟΜΙΝΙΟΥ ΠΡΟΚΟΥΛΕΙΟΥ ΚΥΠΡΙΩΝ vitioſe legerat Spanh. ut adparet ex Fam. Cominia) „ doceat Cominios inter alia habuiſſe co„ gnomen Proculeiorum; neque iſtud inter gen„ tium Romanarum nomina, ſed cognomina „ collocandum." Rectius Morellius in libello ſeu Epiſt. ad Periz. p. 268. „ Monogramma „ K O. quod nummis Proculeiæ familiæ adje„ ctum eſt, forſan ad ipſam gentem pertinet, „ quæritur tamen, an non inde conjicere liceret, „ hosce nummos ΚΟΡΚΥΡΑΙΩΝ eſſe, vel Corcyræ „ fuiſſe cuſos." Imo Corcyræ cuſi ſunt; & in hoc quidem bipennis eſt ad exprimendam Corcyrenſium, ſive antiquorum Phæacum, ex Aſia & Amazonibus originem, in ſequenti vero raja piſcis ſitum ad mare indicat.

II.

Caput Neptuni Regis diademate revinctum, niſi ſit Jovis Caſii, qui apud Corcyrenſes colebatur, ut ex nummis eorundem patet. Terminalis Jovis vel Neptuni eſſe docet inferior pars colli. Poſt caput adeſt idem Corcyræ monogramma.

Caius PROCVLEI*us Lucii Filius.* Raia piſcis.

Non dubitant Patinus & Vaillantius, quin hic Proculeius ſit ille inſignis Auguſti amicus, cujus fidem & probitatem tanti fecit Antonius, ut moriens in ſinu Cleopatræ eidem nulli ex Cæſaris amicis niſi illi ut ſeſe crederet perſuaſerit. Commendat illum a fraterno amore luculento carmine Horatius, quod, ut & reliqua, apud Glandorpium & Vaillantium quæras.

Præfuiſſe ſub Auguſto Corcyræ videtur, ubi hi nummi ſignati ſunt. Simillimum quoque huic, itidem ex ære, protulit Haymius in Theſ. Britannico tom. I. p. 137. ſed in quo Proculei inſcriptio abeſt. Haymius, in hoc ſtudio, Græco præſertim, parum verſatus, Archytam, philoſophum Tarentinum exprimi credidit, atque hunc jam ab antiquis Tarentinis fuiſſe expreſſum, repetitum vero in eorundem moneta fuiſſe ſub Auguſto, quum ille prætorem illuc miſerit Proculeium. Fons erroris monogramma fuit male lectum & ſolutum, conſtat enim ex K. O. & Y. ita ut A. literam & P. ſed hanc minus diſerte, deinde I. in ſe comprehendat; quæ ſimul efficiunt ΚΟΡΚΥΡΑΙ*ων*. At Haymius lectionem a litera A. incepit, & leget A R K. in qua lectione duplex eſt vitium, non enim Archytæ philoſophi nomen per K. ſed per X ſcribitur; deinde litera O. quæ aperte exprimitur, nullum in Archyta locum habet. Ad Corcyrenſes itaque & ille Haymii nummus pertinet.

PVPIA.

Gens Pupia plebeja fuit, ut patet ex tribunis plebis, quos eadem produxit, & lege Pupia ab iisdem dicta.

I.

ΑΥΛΟΣ ΠΟΥΠΙΟΣ. . . . . . . *Aulus Pupius.* Caput Jovis Ammonis.

ΤΑΜΙΑΣ. *Quæſtor.* Sella curulis inter duos faſces cum ſecuribus. Infra ſunt literæ. . . ΤΙΣ . . . ad latera L. Α. quæ legi debent L. A. vel L. Δ. i. e. *anno primo*, vel *anno quarto*. Λ. enim quæ trigeſimum annum denotat, locum hic habere non poteſt; nihil vero magis vulgare eſt in nummis, quam ut media linea transverſa deſtituta litera A. figuram literæ Λ. exibeat. Literæ

ræ . . . ΤΙΣ ... quomodo suppleri debeant mox dicturi sumus.

Integrum nomen Pupii, ex addito cognomine, quod exhibet tertius nummus, fuit Aulus Pupius Rufus, de quo ad nummum tertium acturi sumus. Caput Jovis Ammonis, tanquam urbis conditoris, exprimi credunt antiquarii, & propterea literas . . . ΤΙΣ. . . sive, ut scribit nummus . . . TIC . . . integre KTICTHC scribi debere; prouti in plurimis Græcarum urbium nummis conditorum capita, addito hoc titulo, exprimuntur. Hanc sententiam egregie confirmat a Vaillantio editus nummus, in Fam. Pupia num. V. in quo itidem caput Jovis Ammonis cum epigraphe KTICTHC. TAMIAC, *Conditor* scil. Jupiter Ammon. *Quæstor.* & ab altera parte ΠΟΥΠΙΟC. ΝΙΚΑΙΕΩΝ. *Pupius. Nicæensium.* Res itaque satis clara videtur, hic quoque KTICTHC legi debere, nec dubitandi ansa foret, nisi scrupulum duo alii nummi moverent, quorum alterum ex Devoniæ ducis cimelio publicavit Haymius tom. II. p. 163. alterum ipse possideo. Prior huic non dissimilis, erosa reliqua inscriptione, has literas profert, ANTICT. . . quem itaque differre a Vaillantiano pronunciat, sed de sensu & interpretatione, nisi integrior in alio occurrat lectio, desperat. Meus, quoad typum, similis est num. III. habet eandem lectionem, quam tertius ille, in parte priore; sed in parte posteriore supra arietem legitur ANTIC. . . plane ut in Haymiano, nisi quod litera T. in meo detrita sit. Hinc suspicio nasci posset ultimam in meo literam C. esse partem literæ O. & integre legi debere ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ sed nulla in Bithynia est Antiochia. Unde, quum Vaillantianus habeat KTICTης, in Haymiano meoque per incuriam monetarii omissam existimo fuisse literam K, atque nummum illum Haimianum meumque integre sic legi debere, ΑΥΛΟC ΠΟΥΠΙΟC ΤΑΜΙΑC ΑΝέθηκε ΤΙCΤῃ (pro ΚΤΙCΤῃ) *Aulus Pupius quæstor posuit conditori* scilicet *Jovi Ammoni*, cujus in Haymiano atque primo hoc Morelliano exprimitur effigies, quæ vice scripturæ est, in meo vero symbolum, aries. Dedicationes vero ejusmodi in nummis Græcis sæpe legi, nemo nisi tyro in hisce literis nescit, atque exemplo esse possunt plurimi Antinoi, qui & ipse Bithynus fuit, nummi. Omnes enim hi nummi Auli Pupii Rufi in Bithynia cusi sunt.

II.

. . . . BAI. TAMIAC. . . . . . .
Caput Jovis Ammonis, cum inscriptione corrosa, unde TAMIAC i. e. *quæstor* tantum elici potest.
. . . . Epigraphe tota erosa est. Sella curulis inter duos fasces cum securibus.

Literæ BAI. quæ ante TAMIAC. animadvertuntur, nequaquam Aulo Pupio Rufo convenire possunt. Suspicor itaque legendum esse ΒΑΛ. i. e. *Balbus*, ut successor aliquis Pupii intelligatur, qui cum simili imperio in Bithyniam missus fuerit, unde magistratus eadem insignia in parte posteriore adparent.

III.

ΡΟΥΦΟC ΤΑΜΙΑC. *Rufus quæstor.* Mensa quadripes cum hasta prætoris, infra clypeolus exprimitur, sed male; evidenter enim in meo lecythus sive urceolus depingitur. In eodem meo quoque pictura mensæ talis est, ut esse debet, atque animadvertitur in denariis gentis Caniniæ, ubi vide quæ supra pag. 69. diximus. Imo uterque meus talem mensam exhibet, quorum alter huic simillimus est, alter ita discrepat, ut a priore parte legat ΠΟΥΠΙΟC ΤΑΜΙΑC. ab altera vero, supra arietem ANTIC. . Quod notari inprimis volo contra Vaillantium, qui duo fulcra lignea depingi credidit, pro igne, cum clathro ferreo transverso, ad victimas scilicet Jovi Ammoni quotannis cremandas.

ΠΟΥΠΙΟΣ L.... *Pupius. anno* .... Aries. In hoc nummo, aries, ut symbolum Jovis Ammonis, ponitur, & Jupiter Ammon, ut Nicææ conditor (ΝΙΚΑΙΕΩΝ enim expresse nummus Vaillantii primo similis habet) celebratur. Ostendit enim illustr. Spanhemius in lib. de Usu & Pr. Num. edit. secundæ tom. II. pag. 163. plures simul unius urbis conditores ex remota antiquitate celebrari. Meretur ibidem consuli vir ille doctissimus, quare Aulus Pupius Rufus, qui quæstor tantummodo fuit, prætoris tamen aut proconsulis insignia in nummis suis exhibeat, quod scilicet provinciarum quæstoribus illud jus competeret, quod urbanis negatum erat, sicuti pluribus ibidem exemplis probat pag. 164. Temporibus Augusti, vel aliquanto post, huic provinciæ præfuisse videtur.

QVINCTIA.

Quinctia familia antiquitus patricia fuisse existimatur. Cognomen in nummis (sed sub Cæsare Augusto,) habet Crispinorum, & agnomen Sulpicianorum.

I.

AVGVSTVS TRIBVNIC*ia* POTEST*ate*. In corona quernea glandifera.
T*itus* CRISPINVS SVLPICIAN*us* III VIR *Auro Argento Aeri Flando Feriundo.* In area nummi *Senatus Consulto.*

T. Quinctius Crispinus, ex antiquorum Quinctiorum Crispinorum familia, non potuit (ut videbatur Vaillantio) in Sulpiciam transire, & inde Sulpiciani nomen nancisci; in quo mentem calamus præcucurrit. Debuit enim scribere, transiisse illum ex familia Sulpicia in Quinctiam. Qui enim transibant ad familiam, in quam adoptati erant, veteris familiæ nomen producebant, atque ita hic pro Sulpicio dictus fuit Sulpicianus. Dio Cassius in initio lib. LV. p. 548. consulem una cum Druso memorat Crispinum, ad A. V. C. DCCXLV. Τῷ δὲ ἐχομένῳ ἔτει ὁ Δροῦσος μετὰ τοῦ Κρισπίνου ὑπάτευσε· καὶ αὐτῷ σημεῖα οὐκ ἀγαθὰ συνηνέχθη. *Anno insequenti; Druso & T. Quintio Crispino consulibus, signa Druso haud læta acciderunt.* Punitum inter adulteros Juliæ Augusti filiæ refert Vellejus Paterculus lib. II. cap. 100. *Quinctiliusque Crispinus, singularem nequitiam supercilio truci protegens.* Vel hic ipse, vel filius ejus adoptivus, nummum hunc cudit.

Hic & sequentes nummi a triumviris monetalibus senatus in honorem Augusti cusi fuerunt

II. III. IV.

AVGVSTVS TRIBVNIC*ia* POTEST*ate*. In corona quernea glandifera.
Titus CRISPINVS IIIVIR *Auro Argento Aeri Flando Feriundo.* In area *Senatus Consulto.* Nummus III. nomen gentis Quintiæ, quartus insuper agnomen adscribit Sulpiciani &c.

Titus Crispinus hic idem est qui præcessit. Mire vero variat in nomine suo vel integre vel pro parte scribendo, adtexendo nomine producto familiæ antiquæ vel omittendo & illo, & gentis ipsius,

ipsius, in quam adoptatus erat, & cognomine tantum ponendo, uti adparet in sex sequentibus, qui nullum adscriptum habent numerum, & quos recensere opus non est.

V.

Caput Romæ galeatum, cum apice & nota denarii.

Titus Quinctius. ROMA. Dioscuri in equis; subtus animadvertitur clypeus.

Ad quam ex Quinctiis familiam hic nummus pertineret difficile foret divinare, nisi apex sacerdotalis additus ad Flamininos referendum esse suaderet. Inter hos Vaillantius enumerat Titum, Titi Flaminii, qui regem Macedoniæ devicit, patrem; & ad illum spectare hunc denarium existimat. Æquo tamen jure filio tribui potest; imo & aliis qui Titi prænomen postea habuerunt, sicuti nepoti, qui in obitu patris, A. V. C. CLXXIX. munus insigne gladiatorium cum visceratione epuloque & ludis scenicis populo dedit; de quo Livius scribit in fine libri XLI. qui lib. XLV. cap. 44. notat eundem augurem factum fuisse; quod contigit A. V. C. DLXXXVI. Quin & is filium habuit, nomine Titum, qui consul factus fuit A. V. C. DCIII. Quicunque vero ex his in primo triumviratus vel quæsturæ urbanæ honore hunc nummum cudit, is per apicem & clypeolum videtur adlusisse ad originem cognominis familiæ suæ, quæ a flamine Diali C. Quinctio Flaminino, de quo Livius agit lib. XXVII. Flaminina dicta fuisse videtur.

VI.

Caput Romæ galeatum cum nota denarii.

SeXtus Quinctius. ROMA. Dioscuri in equis.

De Sexto Quinctio nihil ex veteribus scriptoribus cognosci potest. Fratrem Titi fuisse auguratur Vaillantius. Typus simplex & ratio scribendi horum denariorum antiquitatem denotant.

QVINCTILIA.

Gens Quinctilia antiqua fuit & patricia. Vari & Rufi in nummis occurrunt.

I.

Caput Jovis laureatum, qui Philius apud Antiochenos dicebatur.

ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ ΕΠΙ ΟΥΑΡΟΥ ϞΚ. *Antiochensium sub Varo, anno* XCVI. Mulier turrita (quæ Antiochia ipsa est) sedens, dextra palmæ ramum tenet, pede Orontem fluvium calcat.

Hic est ille P. Quinctilius S. F. Varus, de quo mentio est plurima apud Josephum in libris de Bello Judaico. Consul is fuit A. V. C. DCCXLI. cum Tiberio Claudio Nerone, atque legatus propraetore missus in Syriam, illam per plures annos, tres certe, ut ex nummis colligitur, rexit; sed ita, ut Syriam omnem exhauserit, teste Velleio Paterculo lib. II. cap. 117. *Pecuniæ vero quam non contemtor, Syria, cui præfuerat, declaravit; quam pauper divitem ingressus, dives pauperem reliquit.* De illo plura collegit eminentissimus vere Cardinalis Norisius Dissertat. II. de Cenotaph. Pisanis pag. 310.

Nummi Vari, qui supersunt, docent illum præfuisse Syriæ annis imperii Augusti ΕΚ. ΖΚ. sive ut in tertio ϞΚ. i. e. XXV. & XXVI. Tertium depinxit Morellius, secundum (quem cum primo exhibuit Vaillantius) ipse habeo; tres vero simul reperiuntur apud Noris. de Epoch. Syromac. Diss. III. cap. VII. p. 247. ubi plura videri possunt.

Syriam administrare cœpit A. V. C. DCCXLVIII. ipse vero postea in Germania periit, cæsis ad internecionem legionibus, alis, & cohortibus, circumventus ab Arminio.

II.

AVGVSTVS DIVI *Filius.* Caput Augusti laureatum.

Caius VAR*ius* RVF*us*, SEX*tus* IVL*ius* POL*lio* IIVIR*i Quinquennales.* Instrumenta pontificalia, apex, securis, adspergillum, capeduncula.

Apud Oscenses in Hispania signatum hunc nummum fuisse conjicit Morellius de Numm. Cons. p. 209. ex collatione denarii, qui occurrit in gente Domitia tab. II. num. quarto. Ego quidem in Hispaniæ aliqua urbe signatum esse existimo, sed instrumenta hæc pontificalia respicere ad Augustum, cui, mortuo Lepido, dignitatem illam in sacris supremam hi duumviri quinquennales fuerint gratulati. Et hæc quoque sententia Perizonii fuisse videtur, dum super hoc nummo ita rescribit Morellio p. 287. „ Nummus secundus in *Quinctilia* gente nihil plane „ habet, quod referendum sit ad *Oscam*, nec „ convenit cum nummo 4. tab. II. *Domitiorum*, nisi in solis insignibus pontificatus maximi, quæ istic denotant, Augustum tunc „ pontificem fuisse maximum, ut in illo Domitii *Cn. Domitium*, (Vide Liv. Epit. 67.) æque ac Lepidum in nummo 6. tab. II. Æmiliorum. At nummum illum a Patino quidem „ *Quinctiliæ* genti adscriptum, neutiquam ego „ tamen ad eam retulerim, sed ad *Variam.* Exponendus enim videtur *C. Varius Rufus*, *Sex. Julius Pollio IIViri Quinquennales.*

„ Ita jam exposuit etiam Vaillantius hunc „ Nummum, & recte ad *Variam* Gentem retulit: sed in eo peccavit vir doctus gravissime, „ quod *duos* tantum *in Historia Rom. Varios nomine* „ *occurrere* adfirmat. Nam vel unus nobis Tacitus plures offert *L. Varium Consularem*, Ann. „ XIII. 32. *Varium Ligurem*, IV. 42. *Varium Crispinum*, Hist. I. 80, Tum Seneca Suasor. 6. & „ Epist. 40. *Varium Geminum.* Sed omnium celeberrimus fuit *Q. Varius Hybrida*, celebris orator temporibus Sullanis, ac tribunus plebis. „ Erat is natione Hispanus domo Sucronensis. „ Sed nihil ille ad hunc *C. Varium Rufum*, temporibus Augusti æqualem, pertinet. Ab hoc „ autem ortum crediderim *Rufum Crispinum*, equitem Romanum & præfectum prætorii sub „ imp. Claudio. Vide Tacitum Ann. XII. 42. „ & XVI. 17. Nam apud eundem d. l. reperio „ *Varium Crispinum tribunum prætorianorum*, „ quem crediderim Rufi Crispini filium vel agnatum, atque adeo Rufum Crispinum fuisse „ *Varium* gentis suæ nomine.

III.

Publius QVINCTIL*ius* VAR. ... erosum in nummo fuit *Quinquennalis.* Caput Vipsanii Agrippæ nudum.

AVG*ustus* PONT*ifex* MAX*imus.* Caput Augusti nudum inter capita nepotum Lucii & Caji.

Insignis hic & perrarus nummus, incertum in qua colonia cusus, exhibet Augustum imperatorem, cum Agrippa, quem tantum jam fecerat, ut, nolens occidere, participem imperii elegerit, una

una cum deſtinatis ſucceſſoribus filiis ejusdem ex Julia nepotibus ſuis Cajo & Lucio.

Cuſus videtur hic nummus circa A. V. C. DCCXXXVII. vel paullo poſt; adoptatos enim ab Auguſto liberos exprimit IIvir quinquennalis, qui nummum cudit, quique libertus videtur fuiſſe Syriæ iſtius præſidis P. Quinctilii Vari.

RABIRIA.

Gens Rabiria plebeja fuit, ut ex qua fuerit C. Rabirius, tribunus plebis.

I.

Sphinx ſedens; ante pectus monſtri botrus eſt.

ΡΑΒΙΡΙΟΣ. ΧΙΟΣ. *Rabirius Chius.* Diota Chia, cum ſolis & lunæ aſtris.

Tam vulgare hoc in Chiorum nummis eſt monumentum ſphingis & diotæ, ut octoginta circiter inſulæ iſtius nummos poſſideam, omnes fere inter ſe diſcrepantes minutis quibusdam ſignis, & magiſtratus nomine; unde Rabirium hunc quoque magiſtratum ibi geſſiſſe exiſtimo, non vero Roma profectum cum aliquo imperio fuiſſe.

Sphingem ſignavit Chius propter ſapientiam Homerici carminis, erat enim inter VII. urbes, quæ de Homeri patria certabant, unde non tantum ſervo Smyrnæorum & Clazomeniorum nummos cum Homeri, ut civis ſui, effigie & nomine, verum etiam Chiorum, quos aliquando in Theſauro meo Numiſmatico Geographico editurum me ſpero. Diotæ Chiæ in magna erant æſtimatione, unde in omnibus fere nummis Chiis figulina eorum commendantur. Vinum quoque Chium notiſſimum, unde in plurimis nummis Chiorum botrus invenitur, in hoc inſuper ſolis & lunæ aſtra, quoniam utriusque virtute ad maturitatem uvæ producuntur.

RENIA.

Renia gens incognita eſt apud veteres, ſoli nummi illam indicant.

I.

Caput Romæ galeatum cum denarii nota.

Caius RENI*us*. ROMA. Figura muliebris in renorum bigis, dextra flagrum læva ſceptrum tenet.

Optime ad fidem denarii nummum hunc depinxit Morellius, aperte enim meus muliebrem quoque figuram, & ſimilem renorum, quod animal hirco non abſimile eſt, faciem agnoſcit. Figura illa muliebris Juno Moneta eſt, quam C. Renius ille, triumvir monetalis, apte bigis inpoſuit; pro equis renos poſuit ad nomen ſuum alludens.

ROSCIA.

Gens Roſcia plebeja fuit, uti docent tribuni plebis, qui in illa exſtiterunt.

TAB. I.

I.

Lucii ROSCI*i*. Caput Junonis Soſpitæ ſive Lanuvinæ, pelle caprina tectum; poſt illud eſt caput barbatum, monetarii, ut videtur nota.

FABATI. Puella Lanuvina ſerpentem paſcens. Poſt puellam piſcis eſt.

Nota eſt Juno Lanuvina, ejusque imago ſæpius in nummis Familiarum occurrit. In denariis autem Roſcii Fabati virgo illa Lanuvina occurrit, draconem jejunum paſcens, plane ex ſententia Propertii lib. IV. El. VIII. vſ. 3.

Lanuvium annoſi vetus eſt tutela draconis,
Hic ubi tam raræ non perit hora moræ.
Qua ſacer abripitur cæco deſcenſus hiatu,
Qua penetrat virgo, tale iter omne cave.
Jejuni ſerpentis honos cum pabula poſcit
Annua, & ex ima ſibila torquet humo.
Talia demiſſæ pallent ad ſacra puellæ,
Cum temere anguino creditur ore manus.
Ille ſibi admotas a virgine corripit eſcas,
Virginis in palmis ipſa caniſtra tremunt.

Addit huic ceremoniæ Ælianus de Animalib. lib. XI. cap. 16. præter alias circumſtantias, prodi a ſerpente puellam, ſi virginitatem mentita fuerit. Verba Æliani adſcribam, quoniam alios interpretes effugerunt. Ἴδιον δὲ ἦν ἄρα τῶν δρακόντων καὶ ἡ μαντική. ἐν γοῦν Λαουινίῳ τῷ δὲ τῷ πολίσματι, ὅπερ τῆς Λατίνων χώρας ἐστὶ, κέκληται δὲ ἀπὸ τῆς Λατίνου θυγατρὸς Λαουινίας, ἡνίκα Λατῖνος Αἰνείᾳ συνεμάχησε, κατὰ τῶν καλουμένων Ρουτουλῶν, εἶτα ἐνίκησεν αὐτούς. ἐνίκησε δὲ Αἰνείας ὁ Ἀγχίσου ὁ Τρὼς τὴν πόλιν τὴν προειρημένην. εἴη δὲ ἂν τῆς Ῥώμης μητρομήτωρ ὡς ἂν εἴποι τις. ἐντεῦθεν γὰρ ὁρμηθεὶς Ἀσκάνιος ὁ Αἰνείου καὶ Κρεούσης τῆς Τρωάδος, ᾤκησε τὴν Ἄλβαν. Ἀλβανῶν δὲ ἡ Ῥώμη ἄποικος. Οὐκοῦν ἐν τῷ Λαουινίῳ ἄλσος τιμᾶται μέγα καὶ δασὺ, καὶ ἔχει πλησίον νεὼν Ἥρας Ἀργολίδος. ἐν δὲ τῷ ἄλσει φωλεός ἐστι μέγας καὶ βαθὺς, καὶ ἔστι κοίτη δράκοντος. παρθένοι τε ἱεραῖ νενομισμέναις ἡμέραις παρίασιν εἰς τὸ ἄλσος ἐν ταῖν χεροῖν φέρουσαι μᾶζαν, καὶ τοὺς ὀφθαλμοὺς τελαμῶσι κατειλημμέναι. ἄγει δὲ αὐτὰς εὐθύωρον ἐπὶ τὴν κοίτην τοῦ δράκοντος πνεῦμα θεῖον, καὶ ἀπταίστως προΐασι βάδην καὶ ἡσυχῆ, ὥσπερ οὖν ἀκαλύπτοις ὁρῶσαι τοῖς ὀφθαλμοῖς. καὶ ἐὰν μὲν παρθένοι ὦσι, προσίεται τὰς τροφὰς ἁγνὰς ὁ δράκων, καὶ πρεπούσας ζώῳ θεοφιλεῖ· εἰ δὲ μὴ, ἄπαστοι μένουσι, προειδότος αὐτοῦ τὴν φθορὰν, καὶ μεμαντευμένου. μύρμηκες δὲ τὴν μᾶζαν τὴν τῆς διακορηθείσης εἰς μικρὰ καταθρύψαντες, ὡς ἂν εὔφορα αὐτοῖς εἴη, εἶτα ἐκφέρουσιν ἔξω τοῦ ἄλσους, καθαίροντες τὸν τόπον· γνωρίζεταί τε ὑπὸ τῶν ἐπιχωρίων τὸ πραχθὲν, καὶ αἱ παρελθοῦσαι ἐλέγχονται· καὶ ἥγε τὴν παρθενείαν αἰσχύνασα, τῇ ἐκ τοῦ νόμου κολάζεται τιμωρίαις. Μαντικὴν μὲν δὴ δρακόντων ἂν ἀποφήναιμι τὸν τρόπον τοῦτον. *Eſt & peculiaris Draconum divinatio. Nam & in Lavinio oppido Latinorum, quod à Lavinia Latini (regis) filia nomen tulit: quo tempore Latinus Æneæ adverſus Rutulos auxilium ferens eos devicit, & Æneas Trojanus Anchiſæ filius civitate prædicta potitus eſt, quæ quidem non temere Romæ veluti avia nominari poſſet. Ex hac enim profectus Aſcanius, Æneæ & Creuſæ Trojanæ filius, Albam condidit, cujus colonia eſt Roma. Cæterum in Lavinio ſacer eſt lucus magnus & opacus, juxtaque ipſum ædes Junonis Argolidis. In eodem luco latibulum eſt amplum ac profundum, Draconis cubile. In lucum quotannis virgines certis diebus ingrediuntur, quæ mazam geſtant manibus, oculos faſciis devinctæ. Eas recta ad latibulum divinus quidam ſpiritus deducit.* Pro-

Progrediuntur illæ ſenſim ac pedetentim ſine offenſione, acſi detectis oculis viderent. Quod ſi virgines fuerint, cibos tanquam puros & deo gratæ animanti convenientes admittit draco: ſin minus, non attingit, corruptas eſſe intelligens & divinans. Formicæ vero hanc relictam ab illo mazam minutatim confractam, ut levius ferant, e loco exportant, expurgandi gratia loci. Hoc quum fit, ab indigenis animadvertitur, & quæ ingreſſæ fuerant indicantur, examinanturque, & cujus pudicitiam eſſe violatam conſtiterit, pœna legibus conſtituta plectitur. Dracones igitur non expertes eſſe vaticinationis hoc modo demonſtrarim.

Roſcius autem Fabatus, qui omnes hosce denarios, mira varietate minorum, quæ paſſim adponuntur, ſignorum cudit, illos omnes extra Romam in Gallis ſignavit. Fuit enim Julii Cæſaris ibidem A. V. C. DCLXXXXVIII. quæſtor, ut Urſinus & Vaillantius oſtenderunt, Cæſarisque dignitatis defenſor acerrimus.

Junonem Lunuvinam ſignavit in omnibus denariis, ad oſtendendam originem ſuam, quæ egregie quoque patet ex Cicerone, cujus ſingularem huic typo illuſtrando locum haud neglexerunt antiquarii. Exſtat lib. I. de Divin. cap. 36. *Quid*, inquit, *amores ac deliciæ tuæ Roſcius? num aut ipſe, aut pro eo Lanuvium totum mentiebatur? qui cum eſſet in cunabulis, educareturque in Solonio (qui eſt campus agri Lanuvini) noctu lumine adpoſito, experrecta nutrix, animadvertit puerum dormientem circumplicatum ſerpentis amplexu; quo aſpectu exterrita clamorem ſuſtulit. Pater autem Roſcii ad haruſpices retulit, qui reſponderunt nihil illo puero clarius, nihil nobilius fore.*

II.

Lucii ROSCII. Caput idem Junonis Lanuvinæ; poſt illud caput ſenile eſt.

FABATI. Puella eadem draconem paſcens. Poſt puellam eſt caput juvenile inberbe.

Plerumque minora hæc ſigna monetariorum eſſe judicantur; ſed ſæpe etiam reſpiciunt aliquid quod referri ad rem quam repræſentant, poſſit. Hic itaque caput ſenile & juvenile referri poteſt ad ſerpentis naturam, qui ſenectam cum pelle exuere atque ita juveneſcere ſolet.

Qui ſequuntur omnes eandem inſcriptionem & eundem habent typum, ſed minoribus tantum diſtinguuntur ſignis, quæ recenſebimus.

III.

Poſt caput Junonis eſt pegaſus dimidiatus; poſt virginem Meduſæ alatum & anguibus circumdatum caput. Deæ cultum Corinthi denotare poteſt.

IV.

Poſt Junonis caput eſt hirci cornutum caput; poſt puellam inſtrumentum mihi incognitum.

V.

Poſt Junonem eſt ſuis caput, niſi ſit lupi; poſt puellam ſceptrum eſt. Junonem reginam denotat, Argis cultam, ſi lupi ſit caput, quod tamen ſuis majorem ſpeciem præ ſe fert.

VI.

Poſt Junonem iterum ſuis eſt caput; poſt virginem ferrum quo equi calceantur.

VII.

Suis iterum caput, annulo cinctum, & incurvi unci genus.

VIII.

Columella, & columellæ ab altera parte impoſitum ſuis caput

IX.

Caput cervi & caput bovis.

X.

Lacerta & chamæleon.

XI.

Sæpia piſcis & palmæ ramus.

XII.

Sæpia piſcis & tridens.

XIII.

Pavo, ales Junonia, & ferrum quo equi calceantur.

XIV.

Ara cum ſpicis & papaveribus inpoſitis. Aquila ab altera parte.

XV.

Papilio a parte utraque.

XVI.

Piſcis & calix.

XVII.

Calices, quibus utuntur monetarii ad liquefacienda metalla.

XVIII.

Lauri ramus & vaſculum.

XIX.

Calix monetarii & malleus.

XX.

Matricis pars ſuperior, & malleus quo percutiebatur.

XXI.

Inſtrumenti monetarii genus & malleus.

XXII.

Vaſculum & decempeda.

XXIII.

Ignotum quid & bipennis.

XXIV.

Bipennis & culter.

TAB. II.

XXV.

Apex ſacerdotalis ab utraque parte.

XXVI.

Sellæ & tubæ genus.

XXVII.

Bilancis genus & ciſtula.

XXVIII.

Clypeolus & pharetra.

XXIX.

Diſcus & figura ſartaginis. qualis videtur & reponi debere ſupra num. IV.

XXX.

Diſcus & galea.

XXXI.

Inſtrumenta duo fabrilia.

XXXII.

Cornucopiæ & gubernaculum.

XXXIII.

Ara accenſa cum olla tripede.

XXXIV.

Temo navis, & navicula cum malo erecto.

XXXV.

Prora navis & acroſtolium.

XXXVI.

Duo incognita.

XXXVII.

Avicula tubæ inſiſtens & vaſculi genus.

XXXVIII.

Lyra & aliud inſtrumentum.

XXXIX.

Falces incurvæ.

XL. & XLI.

Instrumenta ignota, in posteriori præter columellam membrum virile cernitur.

XLII.

Flos & spiculum.

XLIII.

Instrumentum aliquod & litera S.

Observavi præterea nummos qui haberent pateram & hastam, cuniculum & avem, pharetram & cistulam, aliaque.

RVBELLIA.

Gens fuit equestris Tibure oriunda, ut ex Tacito antiquarii docuerunt.

I.

Caius RVBELLIVS BLANDVS. S*enatus* C*onsulto* in medio nummo.

IIIVIR. A*uro* A*rgento* A*eri* F*lando* F*eriundo*. Incudis figura.

Mentionem C. Rubellii Blandi facit Tacitus Annal. III, 23. in Æmiliæ Lepidæ damnatione. *Itumque in sententiam Rubellii Blandi, a quo aqua atque igni arcebatur.* Iterum in judicio C. Lutorii Prisci, lib. III. cap. 41. *Solus Lepido Rubellius Blandus e consularibus adsensit.* Matrimonium supra sortem suam filium ejus fuisse sortitum docet Tacitus ibid. lib. VI. cap. 27. *Tot luctibus funesta civitate, pars mæroris fuit, quod Julia, Drusi filia, quondam Neronis uxor, denupsit in domum Rubellii Blandi, cujus avum Tiburtem equitem Romanum plerique meminerant.* Unde progener Tiberii Tacito vocatur lib. eodem VI. cap. 45. ubi quatuor ejusdem progeneri enumerantur, *Cn. Domitius, Cassius Longinus, M. Vinicius, & Rubellius Blandus.* Uxorem enim, ut modo diximus, habebat Juliam, uxorem quondam Neronis, filii Germanici, filiam vero Drusi, & neptem adeo Tiberii. Hic Tiberii progener, C. Rubellius Blandus, C. Rubellii Blandi consularis filius, ex Julia Drusi filium genuit, quem male Blandum quoque vocant Vaillantius, Glandorpius aliique, is enim Rubellius Plautus adpellatus fuit, ut ostendit Lipsius ad Tacitum Annal. XIII. 19. Constanter enim ubique Plautum postea vocat, etiam ubi jussu Neronis propter maternam nobilitatem in Asia fuisse interfectum tradit lib. XIV. cap. 59.

Hic nummulus, quia sub Augusto cusus fuit, pertinet ad Rubellii Plauti avum Rubellii Blandi, qui Tiberii progener fuit, patrem, C. Rubellium, quem consularem vocat Tacitus, suffectum videlicet Germanico A. V. C. DCCLXXI. qui hunc nummulum, ut triumvir monetalis, jam ante sub Augusto cudit.

RVBRIA.

Familia Rubria plebeja fuisse colligitur ex lege Rubria, quæ a Rubrio tribuno plebis ita dicta fuit. Cognomen Dosseni i. e. Dorseni in nummis habet. Antiqui enim dossum & dorsum dicebant.

I.

DOSSEN*us*. Caput Neptuni laureatum cum tridente.

Lucius RVBRI*us*. Victoria longam palmam dextra lævaque supra humeros tenens, nuda parte corporis superiore, graditur ante aram, in qua serpens erigitur ovi figuram spiris implicitam tenens, quam temere alii neglexerunt, sicut enim illa num. VII. & VIII. quoque observatur, ita in meo quinario aliquanto adhuc clarius, quam a Morellio depicta est, exprimitur.

Diu hæsi, quis ille foret L. Rubrius Dossenus, qui omnes hos nummos cuderit, in Ursini tandem sententia acquiescendum statui, illum videlicet esse, cui, capto Corfinio, pepercit Cæsar. Erant senatorii ordinis, ut apud Cæsarem de B. C. lib. I. cap. 23. legimus, *L. Domitius, & P. Lentulus Spinther, L. Vibullius Rufus, Sex. Quinctilius Varus quæstor, L. Rubrius* &c. L. Rubrius ille apud Ciceronem, cujus hæreditatem invaserat Antonius, non fuit Dossenus, Cassinas enim cognominatur in Philipp. II. cap. 16. *Te is, quem tu vidisti nunquam, L. Rubrius Cassinas, fecit hæredem.* Dosseni vel Dosseni, hujus nostri Rubrii forsan filii, meminit Horatius lib. II. Ep. 1. vs. 173.

Quantus sit Dossennus edacibus in parasitis.

L. Rubrius Dossenus, vita a Cæsare donatus, inter amicos receptus fuisse videtur; &, nisi me fallit conjectura, unus ex urbi præfectis fuit eo tempore, quo Cæsar periculosum illud in Hispaniis contra Pompeji liberos bellum confecit. Jam sparsim in hoc opere septem invenimus, restat octavus, ut plenissime illustretur Dionis Cassii locus, plus semel adductus, in quo de octo præfectis urbis sub Lepido agitur. Conjecturæ meæ fons est pictura Victoriæ, quæ eodem modo palmam & brachia pandens depingitur in nummo præfecti urbis Oppii, in gente Oppia. Ubi vide quæ diximus pag. 303. & 304. Victoria itaque illa ad res gestas Cæsaris respicit, & perpetuam felicitatem, victoriarumque nunquam intermissum cursum.

Neptunus & serpens ad Epidaurium Æsculapium respicere videntur, de quo ad num. VIII.

II.

DOSSEN*us*. Caput Jovis laureatum cum sceptro.

Lucius RVBRI*us*. Thensa a quatuor equis tracta, quam fulmen Jovis thensam esse designat. Quæ in summa parte volat Victoria, Cæsaris res gestas respicit.

Thensam hanc Cæsaris esse putat Ursinus, quod inter ea, quæ humano fastigio ampliora sibi decerni passus fuit Cæsar, recenseatur thensa quoque a Suetonio in Vita ejus cap. 76. *thensam & ferculum Circensi pompa, templa, aras,* &c. Si hoc verum foret, egregie illustraret Dionis locum & ab illo lucem caperet, cujus verba sunt lib. XLIV. p. 243. καὶ, ἐπειδὰν καὶ τούτοις ἠρέσκετο, οὕτω δὴ ἔς τε τὰ θέατρα τόν τε δίφρον αὐτοῦ τὸν ἐπίχρυσον, καὶ τὸν στέφανον τὸν διάλιθον καὶ διάχρυσον, ἐξ ἴσου τοῖς τῶν θεῶν, ἐσκομίζεσθαι· κἀν ταῖς ἱπποδρομίαις ὄχλον ἐσάγεσθαι ἐψηφίσαντο. καὶ τέλος Δία τε αὐτὸν ἄντικρυς Ἰούλιον προσηγόρευσαν, καὶ ναὸν αὐτῷ τῇ ἐπιεικείᾳ αὐτοῦ τεμενισθῆναι ἔγνωσαν, ἱερέα σφίσι τὸν Ἀντώνιον, ὥσπερ τινὰ διάλιον, προχειρισάμενοι. *Quum hæc etiam Cæsari placuissent, jam in theatra etiam sellam ejus auream, coronamque gemmis auroque insignem, (qui honor alias diis tribui solebat) inferri, atque in Circum etiam introduci a multitudine jusserunt. denique Jovis ipsi cognomentum palam imposuerunt: templumque ei Clementiæ dedicari jusserunt, sacerdotioque ejus Antonium, quasi flaminem dialem aliquem, præfecerunt.* Sed belle notat

notat idem Dio, hæc extremis Cæſaris temporibus & paulo ante mortem geſta fuiſſe, quum velut in victimam propediem futuram certatim ille honorum cumulus ingereretur.

Non igitur exiſtimo Cæſaris ipſius has eſſe thenſas, ſed deorum, Jovis, Junonis, Minervæ; erant enim & illæ deæ inter numina majora, quibus fulmen adtribuebatur. Horum numinum thenſæ in Circenſi pompa ſolebant transvehi. Sed, inquiet aliquis, quid thenſæ hæ & Circenſes ſolemnitates ad Rubrium? Dicam: anno, quo in Hiſpaniis bellum contra Pompeji liberos geſſit Cæſar, atque anno poſt, quo rediit in urbem, octo præfecti urbis (quorum ſupremum & octavum hunc L. Rubrium Doſſenum jam ex hisce nummis eruimus) ſub Lepido magiſtro equitum *πάντα τὰ ἐν τῷ ἄστει πράγματα μετὰ τοῦ Λεπίδου ἱππαρχοῦντος ἔσχον. omnium rerum curam in urbe una cum Lepido magiſtro equitum, habuerunt.* Dione teſte lib. XLIII. pag. 269. itaque etiam ludorum Circenſium &c. Notat ibidem Dio lictoribus, veſte, & ſede curuli eosdem fuiſſe uſos, unde & faſces & ſellam curulem, ut dignitatis & honoris emblema, notavimus in nummis eorundem ad Fam. Norbanam. num. I. II. III. pag. 296. Imo ibidem num. V. Cybeles ſtatua in curru ſuo a leonibus tracto nullam aliam ob rationem cernitur. Sicut igitur ibi ſella curulis, faſces (quæ utraque & in Fam. Livineiæ nummis) & currus Cybeles, tanquam emblema poteſtatis præfectorum urbis liquido ponuntur, expreſſis verbis teſtimonium dicente Dione; ſic in hisce Rubrii nummis thenſæ deorum ejusdem poteſtatis ſunt ſymbolum; & licet non adſit nota literarum PR. vel PR. VR. quæ præfectum urbi fuiſſe Rubrium denotet, non moveor tamen illo defectu, quod in quibusdam gentis Norbanæ aliarumque adſcribatur ille titulus, in aliis omittatur, quod & per ſe, & per ſymbola illa ſatis noti tum temporis eſſent hi præfecti, & Rubrius quoque ſufficere thenſas, ut reliqui faſces aliaque ſimilia, exiſtimaverit.

Litera A.

DOSSEN*us*. Caput Jovis laureatum cum ſceptro.

Lucius RVBRI*us*. & in circuitu IMPE*rator* CAES*ar* TRAIAN*us* AVG*uſtus* GER*manicus* DAC*icus* *Pater Patriæ* REST*ituit*. Thenſa ſimilis.

Rarum nummum hunc facit Trajani reſtitutio, qui plurima talia antiquitatis monumenta, ne intercid erent, reſtituit; ſed fortuna ita voluit, ut plerorumque reſtitutiones ipſis nummis reſtitutis rariores facti fuerint.

III.

DOS*ſenus*. Caput Junonis velatum cum ſceptro.

Lucius RVBRI*us*. Thenſa ſimilis.

Junonis ornatus in hoc a ſequenti nummo discrepat, quod comæ frontis margaritis exornentur. Pro fulmine in ornatu thenſæ inſuper eſt aquila.

IV.

DOS*ſenus*. Caput Junonis velatum cum ſceptro.

Lucius RVBRI*us*. IMP*erator* CAES*ar* TRAIAN*us* AVG*uſtus* GER*manicus* DAC*icus* *Pater Patriæ* REST*ituit*. Thenſa ſimilis.

V.

DOS*ſenus*. Caput Minervæ galeatum, cum ægide ad pectus.

Lucius RVBRI*us*. Thenſa ſimilis, ſed pro fulmine ales Jovis aquila eſt; neque Victoria ſimplex ſupra thenſam cernitur ſed bigis vecta.

Bigas Victoriæ, itidem ut Victoriam ſolam, ad Cæſaris res geſtas reſpicere exiſtimo. Licet vero Jovis num. II. &c. ſit thenſa (quod ex aquila, & fulmine patet) tamen capita Junonis & Minervæ in nummis exhibita, docent illas quoque ſuas habuiſſe thenſas. De thenſa quidem Jovis Sueton. in Veſp. cap. V. *Nero diebus ultimis monitus per quietem, ut thenſam Jovis Optimi Maximi e ſacrario in domum Veſpaſiani, & inde in circum deduceret.* Sed & de thenſa Minervæ mentionem fecit Dio lib. XLVII. p. 351. ubi narrat, quomodo thenſa Minervæ, ex Circo in Capitolium quum eſſet reducenda, confracta fuerit.

Litera B.

DOS*ſenus*. Caput Minervæ galeatum cum ægide ad pectus.

Lucius RVBRI*us*. In circuitu, IMP*erator* CAES*ar* TRAIAN*us* AVG*uſtus* GER*manicus* DAC*icus* *Pater Patriæ* REST*ituit*. Thenſa ſimilis, ut ſupra num. V.

Quanti æſtimaverit Trajanus hujus præfecturæ Rubrianæ memoriam, inde patet, quod omnes denarios reſtituerit.

VI.

Caput Romæ galeatum cum denarii nota.

C. F. L. R. Q. M. ROMA. Victoria in bigis, dextra tenens corollam, læva equorum habenas.

Literæ L. R. ut de reliquis taceam, varie legi poſſunt; Lucius Rupilius, L. Rutilius. Prænomen enim Lucii in tribus hisce familiis invenitur. Reliquæ literæ itidem varie legi poſſunt, Cajus Fabius, Cajus Fulvius, C. Fundanius, C. Furius. Ultimæ quoque variam interpretationem admittunt. Quintus Mœnius, Q. Mamilius, Q. Manlius, Q. Marcius, Q. Cæcilius Metellus, Q. Minucius, Q. Mucius, Q. Mummius. In omnibus enim his familiis prænomen Quinti invenitur. Nimis itaque indulgendum conjecturis foret, ſi certos aliquos ex his, qui una triumviri monotales fuerint, deſignare vellemus.

VII.

Caput Jani gemini barbatum & laureatum, Intermedia cernitur columna lemniſcata, cui a parte ſuperiore inponitur dimidia pars figuræ ovi, cui circumvolutus ſerpens caput & collum ſurſum elevat.

Lucius RVBRI*us* DOSSEN*us*. Dimidia ratis.

Quum vitioſa hujus nummi pictura circumfertur apud eruditos, veram hic delineavit Morellius verbisque jam ante deſcripſerat ad Periz. p. 171. & 172. „ Ara cum impoſito ſerpente me- „ dia inter duas Jani facies deeſt in ſecundo Fa- „ miliæ EPPIÆ nummo, quod idem in ſepti- „ mo gentis RVBRIÆ accidit. Unde enaſci „ poſſet conjectura, fuiſſe ex hisce familiis le- „ gatos ad accerſendum ex Epidauro Æſculapium „ miſſos; ſed ad rem medicam potius nummos „ hosce pertinere reor, comprobante id Plinii „ te-

„ testimonio, Rubrios inter celeberrimos medi-„ cos apud principes recensentis." Nummum eundem Liebeus noster ex ducis sui cimelio depinxit p. 398. & quidem (quod semper antiquarii facere debent) ad veram magnitudinem, nimis enim magnum & hunc & omnes suos depinxit Morellius. Ibique non modo recte reprehendit Vaillantium, quod neglexerit istam Morellii admonitionem, sed insuper quod non inspecto nummo uncialem dixerit, qui semiuncialis est. Quæ omnia sæpius Vaillantio acciderunt in Familiarum editione, eo ipso quod prævertere hunc Morellii nostri laborem vellet.

Rubrium ex octo præfectis urbi fuisse, ut puto, demonstravi, idque argentei ejus denarii indicant. Ærei vero nummi, quos itidem, ut Clovius & Oppius, præfecti quoque Romæ, signavit, aliquid præferunt, quod non spectat ad istam dignitatem, vel ad Cæsaris victorias, sed ad peculiare gentis Rubriæ decus. Expressa videlicet in ærea moneta cernitur columna, figura ovi, & serpens, quæ symbola sunt Æsculapii ejusque cultus divini. Tetigerat idem in quinario suo, num. I. Rubrius, ubi eadem dei ejus symbola. Itaque cum Ursino, Morellio atque Liebeo, & Eppii & Rubrii majores fuisse existimo inter legatos, qui ad accersendum Epidauro Æsculapium missi fuerunt. Posteriorem enim de Rubriis medicis apud Morellium sententiam recte refutavit Liebeus.

VIII.

Conjuncta capita Herculis & Mercurii cum adtributis suis, clava, caduceo, leonina pelle, & petaso.

Lucius RVBRI*us* DOSSEN*us*. Templum duabus columnis suffultum, in cujus aditu eadem est ara, & super aram figura ovi & serpens caput atque colla exserens. Ad latus templi navis est.

Nimis aperta hæc dei sunt symbola, ut non Æsculapii cultum nos doceant. De æde vero Salutis restituta, ut vult Vaillantius, cogitare prohibet navis, quæ advectum per mare Æsculapium clarissime docet. Omnia hæc in Epitome libri Liviani XI. exstant. *Quum civitas pestilentia laboraret; missis legatis, ut Æsculapii signum Romam ab Epidauro transferrent; anguem, qui se in navem illorum contulerat, in quo ipsum numen esse constabat, deportavere: eoque in insulam Tiberis egresso, eodem loco sedes Æsculapio consecrata est.* Accidit hoc A. V. C. CCCCLXII. Aliquanto ante libri sacri id faciendum esse innuerant, uti nos docet ipse Livius in extremo libri X. *Inventum in libris, Æsculapium ab Epidauro Romam arcessendum; neque eo anno, quia bello occupati consules erant, quidquam de ea re actum, præterquam quod unum diem Æsculapio supplicatio habita est.* De figura illa ovi diximus ad Eppiæ familiæ nummum pag. 163. quamvis in Tyriorum nummis ejusmodi figuræ ovi anguis circumvolutus cernatur; alia enim ibi caussa est, ut videre licet apud Vaill. lib. de Colon. tom. II. p. 146.

RVSTIA.

Familia Rustia non valde nota fuit, cognomen in denariis non habet.

I.

Caput Martis galeatum, sub cujus mento est dei ejus astrum sex radiis constans, ne quis denarii notam literam X. esse existimet, post caput ejusdem nota hæc est *Senatus Consulto.*

Lucius RVSTI*us*. Aries stans.

Rustios ex colonia Sutrina oriundos fuisse, non immerito suspicatur Ursinus propter tabulam Sutrinam, in qua inter coloniæ ejus pontifices L. Rustius L. F. numeratur. In lapide Tibure reperto C. Rustius C. F. apud eundem agnoscitur. Cicero quoque in Bruto cap. 75. C. Rustii cujusdam urbanitatem commemorat, ubi C. Rusium alii, Ruscium alii eundem fuisse dictum volunt. C. Rustius forsitan reponendum est. De Rustio quodam, qui in exercitu Crassi lascivos libros, Milesiaca inscriptos, secum habuit, ex Appiano consuli potest Ursinus. Hunc L. Rustium inter triumviros vel quatuorviros monetales tempore Cæsaris statuit fuisse Vaillantius; & pecuniam ex senatus consulto cusam fuisse cum capite Martis, addita ejusdem stella, & signo quod inter cælestia signa sacrum illi esse solet, ariete videlicet, propter fastos a Cæsare emendatos, & quod annus a Mense Martio initium habuisse creditur tempore Romuli. Non displicet hæc conjectura, quam sic illustro: In anno Romuli decem mensium primus fuit Martius. Ovid. Fast. III, 75.

A te principium Romano ducimus anno,
Primus de patrio nomine mensis erit.

Festus: *Martius mensis initium anni fuit, & in Latio, & post Romam conditam, eo quod gens erat bellicosissima. Cujus rei testimonium est, quod posteriores menses, qui annum finiunt, a numero adpellati, ultimum habent Decembrem.* Numa duodecim menses instituit, & a Januario annum inchoavit. In emendatione itaque anni Julius ordinem Numæ secutus est, & a Januario principium duxit; sed, dum post peractum quadriennium unum diem intercalari voluit, respexit principium mensium in Kalendario Romuli designatorum; ut a Martio quadriennii circuitum jusserit numerari, nam ante Martium proprius erat intercalationis locus, quem etiam sibi observandum Cæsar putavit. Hinc Martem & arietem sidusque dei Martis expressum in denario hoc fuisse a veri specie non abhorret, ita ut plurimi quidem nummi, sub Cæsare cusi, per solis & lunæ astrum ad emendationem anni in genere spectent, hic vero in specie denotet intercalandi rationem ab eodem ita constitutam, ut deinceps semper mensis Martius primus ordine procederet.

II.

Quintus RVSTIVS. FORTVNÆ ANTIATES. Duæ figuræ muliebres medio corpore, eminentes supra aræ supremam partem, cujus extrema utrimque capite arietis exornantur. Altera vero figura muliebris, quæ ad dextram est, habitu Amazonis depingitur & galeata, dextra pateram gerens; altera, quæ ad lævam est, matronali comtu decorum caput gerit, eique pectus stola defluente tegitur.

CAESARI AVGVSTO. Ara inscripta FOR*tunæ* RE*duci*. Infra legitur EX *Senatus Consulto*. Begerus, qui Thes. Brand. tom. II. p. 581. coronam radiatam aræ huic incumbere credidit atque depinxit, erravit; quadratum enim illud, quod in summa ara est, pro corona radiata accepit. Morellii picturam meus nitidissimus & eximie conservatus confirmat.

Fortunæ Antiates, templumque earumdem Antii, a plurimis celebrantur scriptoribus. Licet non-

nonnunquam singulari numero respectu unius numinis, cujus tamen duplicem haberent & adpellationem & effigiem veteres, vocentur hæ Fortunæ Antiates, duas tamen earundem fuisse effigies, & pro denominatione earundem diversas, insignis hic denarius ostendit. Nomina fuerunt Fortis, sive Equestris, & Felix. Docent id inscriptiones antiquæ Antii effossæ, quas jam olim retulit Pyrrhus Ligorius, & quarum alteram recensuit quoque Fabrettus Inscript. cap. IX. p. 632.

MINISIA
FORTVNAE. FELICI
SACRVM
C. MINISIVS. C. F. PRIMITIVOS
EX. VOTO. S. L. M.

Altera sic sese habet.

FORTI. FORTVNAE
SACRVM
VERCINIA. L. LIBERTA
LAEDA PRO SALVTE
M. VERCINI. MARCI. LIBERTI
PHAGONI
MEDICI ANTIATVM VI. VIR. AVGVSTAL.
SVA PECVNIA DEDICAVIT.

Ex hisce Fortuna illa, quæ Felix nuncupatur, designatur in nummo figura illa muliebri, quæ vestita est toto pectore, & comto capite; Fortis vero convenientem sibi habet imaginem Amazonico ritu exserta mamilla, & galeato capite. Hanc Equestrem adpellat Tacitus lib. III. Annal. cap. 71. *Incessit dein religio, quonam in templo locandum foret donum, quod pro valetudine Augustæ equites Romani voverant Equestri Fortunæ. Nam etsi delubra ejus deæ multa in urbe, nullum tamen tali cognomento erat. Repertum est ædem esse apud Antium, quæ sic nuncuparetur.* Male hunc Taciti locum tentari a multis puto, & Freinshemio potius aliisque adhæreo, qui non debere sollicitari existimant. Cui enim Fortunæ convenientius equites vota facerent quam Equestri? Equestris vero dicta fuit, non quod equestre ejusdem esset simulacrum, sed propter fortitudinem equitum, quorum ope, quum victoriam quoque contra Celtiberos reportasset Q. Fulvius Flaccus, Fortunæ Equestri ædem vovit, ut narrat Livius lib. XL. cap. 40. Fortuna equestris itaque eadem videtur esse quæ Fortuna Fortis. Has vero, Fortem & Felicem, quas denarius noster repræsentat, sorores vocat Martialis lib. V. Epigr. 1. ubi de suburbanis Domitiani:

Seu tua fatidicæ discunt responsa sorores;
Plana suburbani qua cubat unda freti.

De Fortuna Antiatum & templo ejusdem qui plura scire desiderat, adeat is Vulpii Vetus Latium Profanum tom. III. cap. V. p. 98. & seqq.

Fortunæ vero Antiates exhibentur in priori parte, in posteriori ara Fortunæ Reducis. Scilicet, quum in Asiam profecturus esset Cæsar, vota Fortunis Antiatibus facta fuerunt, ara Fortunæ Reduci dicata, ubi rediit. In simili casu cecinit Horatius lib. I. Ode. 35.

O Diva, gratum quæ regis Antium, &c.
Serves iturum Cæsarem in ultimos
Orbis Britannos.

Consecrata autem fuit illa ara Fortunæ Reduci A. V. C. DCCXXXV. teste Dione lib. XLIV. p. 527. Καὶ αὐτὸς ἐς τὴν Ῥώμην ἠπείχθη. καὶ αὐτῷ ἐπί τε τούτοις καὶ ἐπὶ τοῖς ἄλλοις τοῖς ἐν τῇ ἀποδημίᾳ πραχθεῖσι, πολλὰ καὶ παντοῖα ἐψηφίσθη· ὧν οὐδὲν προσήκατο, πλὴν τύχῃ τε ἐπαναγωγῷ (οὕτω γάρ πως αὐτὴν ἐκάλεσαν) βωμὸν ἱδρυθῆναι· καὶ τὴν ἡμέραν ἐν ᾗ ἀφίξοιτο, ἔν τε ταῖς ἱερομηνίαις ἀριθμεῖσθαι, καὶ Αὐγουστάλια ὀνομάζεσθαι. *Ac ipse Romam contendit. Ob reditum ejus, ac propter ea quæ absens egisset, multa ac varia in honorem ejus decreta sunt, quorum nihil accepit, nisi quod Fortunæ Reduci aram consecrari, diemque sui reditus inter ferias referri, & Augustalia dici passus est.* Eo itaque anno triumvir monetalis fuit Q. Rustius, Lucii forsan filius vel propinquus, qui denarium hunc signavit, & in illo aram fortunæ Reduci, propter salvum Augusti reditum, ex senatusconsulto erectam; & tutelam Fortunarum Antiatum, quæ in itinere isto propitiæ Cæsari fuerant, celebravit.

Pro coronide, sicut graviori carmini comici lusus addi solent, Harduini addamus interpretationem. Verba ejus sunt ad Plinii lib. III. p. 152. „ Q. RVSTIVS FORTVNAE ANTIAT. „ Duo hac parte capita sunt conjuncta; dextrum „ est civis Narbonensis, pileo urbano & domestico tecti; alterum Fortunæ, capitis muliebri tegmine. CAESARI AVGVSTO. Ara; „ in qua scriptum est, FOR. RE. Infra EX S. C. „ Fortuna non Antii solum, sed ubique terrarum „ colebatur. Et quod caput est, in hoc numismate hæc sententia primis duntaxat vocum litteris „ magna ex parte expressa continetur. Q. RVSTIVS FORTVNAE *Aedificavit Aram Narbone, Titulo Imperatoris Augusti Tutatricis.* CAESARI AVGVSTO. ara FOR*tunæ* RE*ducis.*

RVSTICELIA.

Gentis nomen fuisse credidit Morellius, quum fuerit cognomen gentis Bæbiæ, uti docuit clariss. Liebeus, sicuti mox dicturi sumus.

I.

PIETAS AVGVSTA. Caput Liviæ Augustæ.

. . RVSTICELIVS . . CORDVS IIVIRI QVINQ*uennales Decreto Decurionum*, in area nummi.

Primus insignem hunc nummum protulit Patinus in addendis ad Ursinum, Vaillantius deinde, tertius depinxit Morellius, qui Perizonii sententiam his verbis perquisivit pag. 191. „ Idem „ fiat de nummo Liviæ æreo, ex quo Patinus „ in omissis gentem CELIAM eruere conatus „ est; at cum nummum ipsum Versaliæ in „ Thesauro Regio inspexissem, errorem Patini „ facile quidem deprehendi, sed veram Nummi „ inscriptionem nec assecutus sum, nec intellexi; sequentia tamen mihi adparuerunt. T. „ RVSTI CEL. IVS. L. vel C. CORDVS „ II. VIR. QVINQ. D. D. Literæ prænominum non satis expressæ sunt, sed CEL. „ IVS distincte puncto intermedio dividitur; potest ergo legi: T. Rusticelius, vel Rustice-

li-

„ lius Justus L. vel C. Cordus &c. Qua lectio-„ ne uterque duumvir denominatur. Interim de „ hujus nummi vera lectione supra memoratum „ auxilium a dn. Oudineto expeto: hæc Patini „ correctio ingeniosa, reique veritati proxima „ debetur rev. Raph. Fabretto, cujus memoria „ benedicta sit, illumque legant plura expeten-„ tes. L. vel C. Cordus forsan pater vel frater „ fuit A. Cremutii Cordi, qui sub Tiberio cri-„ mine postulatus, egressus e senatu vitam „ abstinentia finivit, & filiam reliquit Mar-„ tiam, a qua Livia culta est, uti notavit Glan-„ dorpius." Respondit Perizonius in hunc modum pag. 270. „ At Celia gens nulla fuit, ac im-„ perite prorsus in Omissis eam constituit Pati-„ nus ex nummo parum bene lecto aut intelle-„ cto. Sed eum jam confutavit Fabrettus In-„ script. p. 244. Morellius ait se punctum inve-„ nisse in Nummo inter CEL. & IVS. Si ita, „ certissimus is est error artificis. Sed Vaillantius „ simpliciter edidit L. RVSTICELIVS COR-„ DVS, qui tamen & ipse genti Cæliæ hunc „ nummum subjicit. Et videtur nummus satis „ esse obscurus, ut ex Morellii verbis liquet. „ Crediderim ergo scriptum istic *Rusticellus*, „ quod, ut & *Rusticus*, usitatum fuit olim co-„ gnomen. Eo præditus fuit orator Bononien-„ sis, quem Cicero laudat in Bruto cap. 46. Sic „ *Rusticellus Hercules* apud Plinium VII. 20. Fa-„ brettus quidem legit *Rusticelius*, idque confir-„ mat ex variis Lapidibus, in quibus hoc gentis „ nomen occurrit. Ego vero nullus dubito, „ fuisse hanc gentem plane plebejam, & serioris „ ætatis, quam ut ad tempora Augusti, nedum „ reip. exsurgat. Nummus autem iste tempore „ Augusti vel Tiberii videtur cusus. *Cordus* por-„ ro variorum fuit hominum cognomen sub Cæ-„ saribus. Apud unum Tacitum habemus non „ modo *Cremutium Cordum*, sed & *Cæsium Cordum* procos. Cretæ Ann. III. 38. & *Julium Cordum* Hist. I. 76. Quare ergo magis ad Cremu-„ tium, quam ad reliquos pertineat hic *Cordus?* „ Nec enim sub Cæsaribus cognomina erant fa-„ miliarum amplius communia, neque ex iis quic-„ quam de familiis antiquioribus constitui potest. „ In quo peccant plerique nummorum editores, „ qui de antiquis familiis agentes in eas inserunt ex „ Lapidibus fere homines, longe serioris tempo-„ ris, & alterius plane familiæ, licet idem utri-„ usque sit nomen." Fabrettus in præclaro illo suo opere p. 243. ita scripserat: „ Rusticeliam „ gentem hoc nummo æreo nobis exhibuit, quam-„ vis aliud cogitans, Carolus Patinus in supple-„ mento Familiarum Romanarum Fulvii Ursini „ p. 130. PIETAS AVGVSTA &c. qui cum „ adscribit, nec quidquam de τῷ RVSTI statuit, „ nisi quod interpunctione (quam nullam adesse „ quovis pignore decertarem) a sua Celia gente, „ nemini absque diphtongo *æ* vel *œ* adhuc cogni-„ ta, diversam facit, superflua quidem animadversio-„ ne duumviratum subditum geminatis nominibus „ inplet; quia duumvir unicus nominandi casu ipse „ L. Rusticelius Cordus adpellari potuit: frequen-„ tissimum namque est, unum tantum ex duumviris „ nummis inscribi, ut septem usque exemplis in „ colonia Corintho ostendit P. Harduinus de „ num. Antiq. Pop. & Urb. Nos igitur, pace „ egregii viri, nummum hunc novum Rusticeliis „ nostris jure merito vindicamus, Ciceronis in „ Bruto mentione C. Rusticelii Bononiensis inter „ *exercitatos* sui temporis oratores habiti, aliis „ apud Gruterum inscriptionibus, tribus sequen-„ tibus nostris ineditis, & hoc potissimum cele-„ berrimo posteritati notis.

„ P. RVSTICELIVS. SALTATOR
„ HER. V. M

„ Tibure ex MS. Holstenii.

„ DIS. MANIBVS
„ C. RVSTICELIO FELICI
„ AFRO SIGILLARIO.
„ VIX. ANN. L. FECIT
„ OPPIA

„ Ex Angelotto in Historia Reatina."

Sequitur deinde inscriptio longior, in qua memorantur A. Rusticelius Hilarus, atque alii aliquot Rusticelii variis cognominibus. Vaillantii liber de Coloniis in omnium manibus est. Is tom. I. pag. 78. dividit vocabulum & legit L*ucius* RVST*ius* CELIVS CORDVS &c. Verum omnem dubitationem & sententiarum varietatem in hoc nummo sustulit Liebeus noster in Thes. Saxo-Goth. p. 225. & 226. ubi & reliquorum omnium errores castigavit, & nummum cum vultu Tiberii adtulit, qui controversiæ finis est. Scribuntur ibi duo duumviri quinquennales BAEBIVS P*ublii Filius* RVSTICELIVS & CAS*sius* TERNA. In gente quoque Bæbia agnoscuntur duumviri quinquennales Lucius Bæbius Pollio & C. Aquinus Mela, ut cerni potest supra pag. 44. Recte itaque colligit Liebeus Rusticelium scribi apud Ciceronem debere, præterea non proprie gentis hic esse nomen, sed cognomen gentis Bæbiæ; & duos duumviros quinquennales inscribi L. Rusticelium & collegam Cordum.

Colonia, quæ cuderit nummum, nomen suum nobis invidit; nullus tamen dubito, quin in urbe Corintho cusus fuerit hic nummus, sicuti & nummus L. Bæbii Pollionis. Illa certe urbs Augusto, Liviæ, Tiberio, & universæ Augusti familiæ plures & divinos honores exhibuit. Liviam Pietatis Augustæ nomine in nummis designari novum non est, quum & Romæ cusa numismata ejus vultum cum hac epigraphe præferant.

R V T I L I A.

Gens Rutilia, quæ tribunos plebis protulit, inde cognoscitur fuisse plebeja. Cognomen Flacci in denariis superest.

I.

FLAC*cus*. Caput Romæ galeatum.

Lucius RVTILI*us*. Victoria in citis bigis, dextra corollam tenens, læva equorum habenas.

Refertur hic denarius ad Rutilium Flaccum, qui ædilis plebis fuit A. V. C. DLXXXXVII. & prætor provincialis A. V. C. DC. Denarium vero jam ante in quæstura sua provinciali signasse videtur.

S A L V I A.

Gens fuit plebeja, ex qua tribuni plebis exstiterunt.

I.

Caius CAESAR IIIVIR R*ei* P*ublicæ* C*onstituendæ*. Caput Cæsaris nudum.

Quin-

FAMILIA SALVIA.

Quintus SALVIUS IMP*erator* CO*n*S*ul* DESIG*natus.* Fulmen alatum.

Videri de hoc denario Ursinus & Vaillantius possunt. Conveniunt inter se antiquarii Salvium hic, ut in publico monumento, vocari, qui a scriptoribus passim vulgari adpellatione Salvidienus dicitur. Notus homo est ex Appiani Dionis, Suetonii, Velleji, Senecæ & aliorum scriptis. Adhæserat primum Cæsari, sed proditus Cæsari per ipsum Antonium, quod cum exercitu, cui præerat, defectionem a Cæsare molitus fuisset, callide a Cæsare eversus fuit. Appianus lib. IV. bell. civ. pag. 710. *Salvidienum vero Narbonensis exercitus ducem apud Cæsarem detulit, voluisse ad se deficere, & super ea re misisse nuntium obsidenti Brundisium: hoc secretum ille protulit, non omnibus probantibus, ingenuus alioquin & facilis ad amicitiam. Cæsar continuo Salvidienum ad se properare jussit quasi opus haberet ejus præsentia, remissurus mox ad exercitum: quem ubi venit coargutum occidit: exercitum ejus, ut suspectum, dedit Antonio.* Accidisse illud narrat Dio A. V. C. DCCXIV. lib. XLVIII. pag. 376. Ταῦτά τε οὖν οὕτως ἐν τῷ ἔτει ἐκείνῳ ἐπεράχθη καὶ Σφαῖρον ὁ Καῖσαρ παιδαγωγόν τε καὶ ἐξελεύθερον αὐτοῦ γενόμενον, δημοσίᾳ ἔθαψε. τόν τε Ῥοῦφον τὸν Σαλουιδιηνὸν, ὡς καὶ ἐπιβουλεύσαντά οἱ, ἀπέκτεινεν. οὗτος δὲ ἦν μὲν ἐξ ἀφανεστάτων, καὶ αὐτῷ ἡ κεφαλὴ ποιμαίνοντι φλόγα ἀνέδωκεν· ἐς τοσοῦτον δὲ ὑπὸ τοῦ Καίσαρος προήχθη· ὥστε αὐτόν τε ὕπατον, μηδὲ βουλεύοντα, ἀποδειχθῆναι, καὶ τὸν ἀδελφὸν αὐτοῦ προαποθανόντα, διὰ τοῦ Τιβέριδος, γεφύρας ἐπ' αὐτὸ τοῦτο ποιηθείσης, ἐξενεχθῆναι· ἀλλ' (οὐδὲν γὰρ τῶν ἀνθρωπίνων βέβαιόν ἐστι) κατηγορήθη τε ἐν τῷ βουλευτηρίῳ ὑπ' αὐτοῦ τοῦ Καίσαρος, καὶ ὡς πολέμιος ἐκείνου καὶ τοῦ δήμου παντὸς, ἐσφάγη· ἱερομηνίαι τε ἐπ' αὐτῷ ἐγένοντο, καὶ προσέτι καὶ ἡ φυλακὴ τῆς πόλεως τοῖς τρισὶν ἀνδράσι, μετὰ καὶ εἰθισμένης προσθήκης, τοῦ μηδὲν ἀπ' αὐτῆς ἀποτριβῆναι, ἐπετράπη. *Hæc eo anno acta. Sphærum etiam Cæsar, prædagogum & libertum suum, publice sepeliit: ac Salvidienum, quod ab eo insidiis peteretur, necavit. Ei Salvidieno, obscurissimo genere nato, pascenti gregem flamma e capite emicuit: eumque Cæsar ad id dignitatis evexerat, ut consul, quum senator nunquam fuisset, designaretur: utque frater ejus, qui prior vita abierat, ponte in Tiberi facto, super eum efferretur. Sed, ut nihil est in rebus humanis perpetuum, idem in senatu ab ipso Cæsare accusatus, ac tanquam Cæsaris & populi totius hostis, jugulatus est: supplicationesque ejus rei ergo decretæ: ac triumviris custodia urbis mandata, addito, pro more, Curarent ne quid ea detrimenti caperet.* Ne vero dubitemus esse eundem, qui Q. Salvius in denario nostro scribitur, idem Salvidienus Quintus adpellatur Dioni lib. eod. pag. 364. Πυθόμενος ταῦθ' ὁ Καῖσαρ, τοῖς μὲν Σεντινάταις Κύϊντον Σαλουιδιηνὸν Ῥοῦφον προσκατέλιπεν, αὐτὸς δὲ πρὸς τὴν Ῥώμην ὥρμησε. *Eo cognito Cæsar, relicto ad oppugnationem Sentinatium Q. Salvidieno Rufo, Romam ipse contendit.* Paullo post narrat, quomodo oppidum illud ceperit Salvidienus. Καὶ οὕτως ὁ Καῖσαρ ἀμαχεί τε ἐς τὸ ἄστυ ἐσεδέχθη· καὶ ἐπειδὴ ἐπιδιώξας αὐτὸν οὐ κατέλαβεν, ἀνέστρεψε, καὶ φρουρὰν τῆς πόλεως ἀκριβεστέραν ἐποιήσατο· κἀν τούτῳ ὁ Ῥοῦφος, ὡς τάφετα ἐκεῖνός τε ἀπὸ τῶν Σεντινατῶν ἀπεχώρησε, καὶ Γάϊος Φούρνιος ὁ τὸ τεῖχος φρουρῶν ἐπεξῆλθεν ἐπὶ πολὺ διώκων αὐτὸν· προσέβαλέ τε ἀπροσδοκήτοις τοῖς ἔνδον οὖσι, καὶ ἑλὼν τὴν πόλιν διήρπασε καὶ κατέκαυσε. *Ita Cæsar in urbem citra omne certamen receptus, Antoniumque frustra insecutus, reversus, Romam accuratiori custodia firmavit. Cæsare a Sentinatibus discedente, ut dixi, ac C. Furnio, (qui ei oppido præerat) ejus insequendi causa ab oppido longius progresso, Salvidienus ex improviso oppidum aggressus cepit, diripuit, incenditque.* Narrat idem aliquanto post fidelem ejus contra Sextum Pompejum in bello Siculo operam. Imperatoris itaque titulum illo bello consecutus fuisse videtur, atque consul designatus a Cæsare ob id meritum fuisse, quod refertur ad A. V. C. DCCXII. quo credibile est hunc denarium quoque ad ejusdem militiæ usum fuisse signatum. Consulatum vero non iniit, quod ante illud tempus fuerit occisus; prouti sententiam suam recte emendavit Vaill. in Cæss. tom. II. p. 30.

Fulmen alatum in denario suo sculpsit, vel respectu summæ potentiæ, quam ipse quoque Cæsari vindicatum ibat, vel celeritatis suæ, qua Sentinum, Umbriæ oppidum, occupaverat, & adversas ibi partes fregerat.

II.

CAESAR AVGVST*us* PONT*ifex* MAX*imus* TRIBVNIC*ia* POT*estate.* Caput Augusti nudum.

Marcus SALVIVS OTHO IIIVIR *Auro Argento Aeri Flando Feriundo. Senatus Consulto* in area nummi.

M. Salvius Otho, qui hunc & sequentes nummos æreos signavit, avus fuit M. Salvii Othonis, qui post Neronem imperavit. Ipse ad præturam usque processit, ut Tacitus & Suetonius adfirmant. Filium reliquit Lucium Salvium Othonem consularem. Sed utrum noster M. Salvius Otho filius fuerit tribuni plebis Salvii, Ciceronis amici, qui A. V. C. DCCX. prima triumvirorum victima cecidit, dubito; neque enim id siluissent vel Tacitus vel Suetonius. Tragœdiam istius Salvii narrat Appianus lib. IV. Bel. Civ. pag. 598. *Prima sævitia fortuito in magistratus effusa est, ante omnes cæso tribuno pleb. Salvio. Est autem is magistratus sacrosanctus priscis legibus, & tantæ potestatis, ut* COSS. *aliquot in carcerem miserit. Hic tribunus primum quidem intercesserat, quominus hostis judicaretur Antonius, sed postea Ciceronem in omnibus rebus juverat. Cognita autem triumvirorum conspiratione & in Urbem festinatione, convivium domesticis præbuit, quasi non diu cum illis convicturus: cumque irrupissent armati in triclinium, adsurgentibus omnibus metu perculsis, centurio jussit cæteros quietos discumbere, Salvium, ita ut erat, capillis correptum super mensam protraxit quantum opus erat, atque ita præciso capite domesticos jussit silere & loco manere, ita ut erant immotos, ne excitato tumultu paterentur similia: illi etiam post centurionis abitum attoniti, sine voce in multam noctem accubuerunt cum trunco tribuni corpore.*

III.

CAESAR AVGVST*us* PONT*ifex* MAX*imus* TRIBVNIC*ia* POT*estate.* Caput Cæsaris Augusti, cui post caput adstans Victoria coronam lauream dextra inponit, læva tenens cornucopiæ.

Marcus SALVIVS OTHO IIIVIR *Auro Agento Aeri Flando Feriundo. Senatus Consulto* in area nummi.

Laurea quam capiti Cæsaris Augusti Victoria inponit, res ejus prospere in Occidente gestas respicit, & victorias de Hispanis &c. Adscriptus titulus pontificis maximi docet Othonem fuisse triumvirum monetalem senatus post Lepidi obitum.

IV.

CAESAR AVGVST*us* PONT*ifex* MAX*imus* TRIBVNIC*ia* POT*estate.* Caput Augusti nudum.

Marcus SALVIVS OTHO IIIVIR *Auro Ar-*

Argento Aeri Flando Feriundo. *Senatus Consulto* in area nummi.

Caput Augusti alio modo conversum est, in reliquis similis est num. II.

SALVSTIA.

Gens fuit plebeja, sed nobilitavit ejus famam insignis historiarum scriptor C. Salustius Crispus.

I.

SALVSTIVS AVTOR. Caput Salustii Crispi historiographi, pectore tenus; ante faciem palmæ ramus est.

PETRONI PLACEAS. Tres viri stantes, quorum prior tibiam tenere videtur, medius quid quasi cicutam compactis fistulis, vel organi musici genus habet, tertius ritu loquentis adstat & quasi munera illa recipientis.

Hic & sequens nummus ex genere Contorniatorum est, de quibus libellum peculiarem conscripsimus, ubi etiam de hoc ipso nummo egimus. Cusi fuerunt temporibus imperatorum, qui post Constantinum floruerunt, atque usum in spectaculis & ludicris certaminibus habuisse videntur. Plurimi illorum incisiones habent, ita ut palmæ ramus, vel aliquid, aliud excavatum adpareat, quod spatium argento olim impletum fuit.

II.

SALVSTIVS AVTOR. Caput idem Salustii Crispi. Post illud cordis figura est.

Nulla ab altera parte adest inscriptio, sed Apollo, sive Oriens, cernitur in quadrigis, capite radiato, dextra tenens lauream, læva globum. Quadrigæ sunt adversæ atque crocodilo insistunt.

Hunc nummum non memini me vidisse vulgatum præterquam a Morellio nostro; multi vero ex hoc genere nummi nobis faciem & effigiem virorum doctorum servarunt, ut Salustii, Terentii, Horatii, Apuleji. Sed, quod jure miremur, est quod barba Salustio adfingatur, quam nequaquam illius tempore gesserunt Romani. Ex hac observatione inducor, ut credam temporibus Juliani Imperatoris Salustii hos nummos cusos fuisse, quod ille imperator barbam quoque aluerit, unde ad Cæsaris sui imitationem Salustii quoque faciem adcommodarunt artifices. Adstipulari huic conjecturæ meæ videtur crocodilus, cui currus Solis, sive Orientis, ab altera parte est impositus. Ægyptia enim sacra & Isidis cultum summopere illi cordi fuisse docent nummi ejusmodi habitu ejusdem Juliani cusi. Cur cordis figura Sallustio adponatur vix aliam invenio rationem, nisi prudentiam ejusdem & in historia condenda sapientiam, nam, juxta virtus illud Martialis de eo dictum,

Hic erit, ut perhibent doctorum corda virorum,
Primus Romana Crispus in historia.

SANQVINIA.

Sanquiniæ gentis quum nulla mentio apud antiquos exstet, nisi apud Tacitum, exigua nobis ejusdem notitia superest. M. Sanquinium consulem suffectum is memorat, qui filius vel fratris filius videtur Sanquinii ejus, qui denarios sequentes signavit.

I.

Marcus SANQVINIVS IIIVIR. Caput Julii Cæsaris laureatum cum stella crinita in vertice.

AVGVST*us* DIVI F*ilius* LVDOS SAE*culares* scil. *fecit.* Sacerdos Salius galea & clypeolo Saliorum ornatus, dextra caduceum alatum gerit.

Dubitatum fuit inter antiquarios, ad quem caput illud laureatum pertineret. Recte vero demonstravit Morellius Cæsari, ut Divo, esse adtribuendum. Verba ejus sunt pag. 202. „ Non „ una eruditis de duobus primis nummis gentis „ SANQVINIAE est sententia. Clariss. Vail- „ lant in illis caput Castoris exprimi credidit; „ Clariss. vero Begerus rectius caput ipsius Au- „ gusti repræsentari existimavit, quasi divi Cæ- „ saris spiritu animatum, propter stellam crini- „ tam capiti imminentem. Uterque nummus „ adservatur in Thesauro Schwartzburgico, plu- „ resque alios contemplatus sum alibi, ex quibus „ tamen nihil aliud colligere mihi licuit, quam „ caput esse ipsius Julii Cæsaris, a Goltzio & „ aliis jam ita expressum. Facies equidem cum „ Augusti delineamentis convenit, sed figura & „ ambitus totius capitis Julium indicant, præ- „ sertim cum sculptorum in exprimendis capi- „ tibus non eadem semper fuerit accuratio." Recte inquam: habeo enim & ipse hunc nummum, & sequentem ter, omnes subæratos, unum etiam delapsa universa argentea lamina totum ex ære optime signatum; in omnibus tamen Julio Cæsari quam Augusto similior facies est. Stella crinita, quæ apotheosin ejusdem indicat, res nota est; & ideo & in hoc denario & in sequenti caput Cæsaris, non addito Cæsaris nomine, ponitur, ut divi, cujus filius in secundo vocatur Augustus, cujus Augusti ibidem ab altera parte caput depingitur.

Pars aversa hujus nummi sub sacerdotis Salii typo, addita inscriptione rei interprete, celebrat ludos sæculares quintum ab Augusto celebratos A. V. C. DCCXXXVI. quo cusi hi sunt denarii, quoque triumvir monetalis Cæsaris Augusti fuit M. Sanquinius, atque in illo honore collegam habuit L. Mescinium Rufum, ut ex ludis sæcularibus in ejusdem denariis expressis licet colligere.

II.

Marcus SANQVINIVS IIIVIR. Caput idem Julii Cæsaris laureatum cum stella crinita in vertice.

AVGVSTVS DIVI *Filius.* Caput Augusti nudum.

Cur & in hoc denario & in præcedenti Julii Cæsaris caput signatum fuerit, hanc puto esse rationem. Emendaverat annum Julius, cujus rei memoriam etiam plures denarii ejusdem servant. Ludi sæculares recurrebant post certum temporis spatium. Verum tempus anni celebrandorum illorum ex emendatione Juliana deprehendi poterat. Primus post illam emendationem celebrans istos ludos Augustus Julii emendatoris caput, ut patris quoque sui, expressit.

III.

OB CIVIS SERVATOS. Media vox in corona civica est, quam pro more utrimque lauri ramus ambit.

Marcus SANQVINIVS *Quinti Filius* IIIVIR *Auro Argento Aeri Flando Feriundo.* In area nummi *Senatus Consulto.*

IV.

IV.

AVGVSTVS TRIBVNIC*ia* POTEST*ate*. In corona civica.

Marcus SANQVINIVS *Quinti Filius* III VIR *Auro Argento Aeri Flando Feriundo*. In area nummi *Senatus Consulto*.

Duo hi nummi videntur ab eodem M. Sanquinio cusi, sed diversis temporibus, quum non potuerit uno eodemque anno & Cæsaris & senatus triumvir monetalis exsistere.

SATRIENA.

Satrieni nulli apud veteres memorantur, Satrii vero multi. Satrius legatus C. Trebonii, L. Satrius præfectus aquis sub Tiberio, Satrius Secundus, cliens Sejani, aliique quorum nomina exstant apud Glandorpium p. 766. a Satrio autem est nomen productum Satrieni.

I.

Caput Martis vel Minervæ galeatûm, quod in iis, qui capite tantum expresso sequuntur, varios numeros II. III. &c. additos habet usque ad CXXVI. unde patet immensa horum denariorum multitudo a magno matricum numero; ipse servo unum cum numero LVI.

Publius SATRIENVS. ROMA. Lupa.

Publium Satrienum, a quo cusi hi sunt denarii, credit Vaillantius flaminem fuisse Martialem, & inde Martis & lupi, Martii animalis, effigiem in iisdem spectari. Potuit etiam simul ad originem gentis Romanæ & Martem patrem respicere, atque lupam conditorum nutricem, licet conditores ipsi, Romulus & Remus, non adsint. Tempus, quo vixerit, mihi penitus ignotum est. Si tamen Martis illud caput est, quod lubentius Minervæ esse crediderim. Mars enim præter barbæ lanuiginem, longe breviorem habet capillum, uti patebit conferenti Fam. Fontejæ num. IV. Minerva vero longiorem in & cervicem pendulum; confer Fam. Corn. tab. quinta num. II. Unde existimo hunc Satrienum inter quæstores dictatoris Sullæ fuisse, & prudentiam Sullæ & virtutem Romanorum celebrare voluisse, quos quidem *raptores Italicæ libertatis lupos* non male vocaverat dux eo tempore Samnitium Pontius Telesinus, ut exstat apud Vellejum lib. II. cap. 72. sed quorum silvam idem exscindere nequaquam potuit.

II.

T*Iberius* CAESAR DIVI AVG*usti Filius* AVGVSTVS, Caput Tiberii laureatum.

ROMA. literis transverso ordine positis. Lupa similis, sub qua itidem aliquot literæ non tam transverso ordine positæ quam mendose scriptæ, OSATRIS. quæ scribi debuerant. P. SATRIENVS. ut in denario gentis Lolliæ LIBERTATS pro LIBERTATIS & PALIANVS pro PALIKANVS.

Quod aversa hujus denarii pars, quæ sine dubio ad P. Satrienum spectat, caput Tiberii in parte priore referat, permutatione matricum & errore monetali sine dubio factum est. Imo a falsariis & monetæ adulteratoribus cusus videtur, quod hominum genus magnum nobis numerum in subæratis suis reliquit. Illi itaque inprovide matrices nihil ad se invicem pertinentes permutasse videntur in hoc denario fabricando. Non enim potuit sub Tiberio signari, sub quo nulli denarii cum triumvirorum curatorumve nominibus & symbolis cusi inveniuntur. Neque etiam sub Augusto, sub quo nulli monetarii vocem Romam denariis suis adposuerunt. Itaque credo falsarios istos inventa matrice antiquiore Syllanorum temporum, & ipsa adulterina, addidisse illis Tiberii caput, & ita hunc inconcinnum nummum produxisse.

Occasione horum P. Satrieni denariorum dubitare quoque cœpi de nummulo æreo in gente Fadia relato, qui Minervæ quoque caput galeatum habet, capillis pariter ad cervicem defluentibus, uti modo supra ad num. I. dixi, & ab altera parte dextras junctas cum inscriptione L. FAD. L. SAT. Posteriora L. SAT*urninus* leguntur ab antiquariis; sed (ut ibi quoque monui) L. SA*Trienus* etiam legi potest, vel si mavis, L. Satrius. Inter Satrios (qui Satrienis videntur dedisse originem) plures Lucii prænomen habuerunt. Potuit itaque non tantum hic P. Satrienus numerari inter quæstores tempore Sullano, verum etiam duo illi L. Fadius & L. Satrius vel Satrienus, qui dextras juncta signarunt propter concordiam Sullæ cum nobilitate Romana. Unde nummos hosce revoco ad A. V. C. DCLXXII. quo Sulla omnium magistratum numerum auxit, & quum discordiis civilibus exhaustus esset senatus, ex equitum numero præstantiores addidit. Honorum vero majorum primus gradus, ut legitime adirentur, erat quæstura. Hæc caussa fuit, cur numerum illorum insigniter auxerit, ita ut quotannis viginti quæstores partim populi suffragio partim consulum electione crearentur.

SAVFEIA.

Gens Saufeja plebeja fuit, quod ex ea tribunos plebis fuisse lex Saufeja declarat.

I.

Caput Romæ galeatum cum denarii nota.

Lucius SAVF*eius*. ROMA. Victoria in bigis, dextra flagrum tenens, læva equorum habenas.

Typus denarii simplex est. Qui cudit L. Saufejus creditur fuisse is, qui Ciceroni & Attico familiaris fuit, atque inde Attici amicitia, quamvis inter proscriptos relatus esset, evasit. Refertur inter quæstores urbanos A. V. C. DCLXXXXV. quo videtur hic denarius cusus fuisse.

II.

Caput Jani bifrontis barbatum & laureatum.

Lucius SAVF*ejus*. ROMA. Prora navis; desuper est luna crescens.

Quo minus ad eundem L. Saufejum, qui denarium præcedentem signavit, æreus hic nummus, qui assem valet, referri possit, pondus ejusdem facit; quem sextantarium esse docet Vaillantius, unde ad tempora belli Punici primi relegat, quo ob inpensas reipublicæ as libralis ad sextantarium sive duas uncias reductus fuit.

Lunam bicornem ad Janum, non ad monetarium, respicere existimo. Annum enim ex Numæ instituto Janus aperuit, unde mensi Januario nomen ab eodem inpositum fuit.

III.

Caput Minervæ galeatum cum quatuor globulis.

ROMA. *Caius* SAVF*eius*, ut volunt antiquarii; ut ego lego, *Caius* SAXA. Prora navis cum quatuor globulis, nota trientis.

Qui ad Saufejam gentem hunc & sequentes nummos referunt, innui hic putant C. Saufejum, quæstorem urbanum Mario VI. consule, quem obsessum in Capitolio, & dedentem se cum Glaucia prætore & Apulejo Saturnino, perfide contra fidem datam necavit Marius. Quod mihi non facile persuadebunt. Longe enim alia est scriptura horum trium nummorum & diversa plurimum a præcedentibus. In iis enim litera F. conjuncta cum V. naturalem suam figuram habet; at in his nihil est, quod literam F. formare possit, superior enim ejusdem linea deest; media non recte, ut debebat, procedit, sed sursum versus, & transiens literam A. format figuram literæ X. atque ita clare monogramma adparet, quod integre lectum efficit SAX. vel SAXA. litera A. bis vicem suam fungente. Hinc judico non ad familiam Saufejam hos nummos pertinere, sed ad aliquam, cui Saxæ cognomen fuerit. Inveniuntur vero Decidii Saxæ & Voconii Saxæ. L. Decidius Saxa explorator fuit Cæsaris B. Civ. lib. I. cap. 66. L. Decidius Saxa legatus in Syriam missus fuit A. V. C. DCCXIII. vide Noris. Cenot. Pis. Diss. II. cap. XVI. §. 5. quem tribunum plebis agnoscit Pigh. A. V. DCCIX. Inter Voconios Q. Voconius Saxa, tribunus plebis A. V. C. DLXXXIV. legem tulit de coërcendis mulierum hæreditatibus. Voconiæ itaque genti addicendos hos nummos arbitror, sive ab illius Voconii patre Cajo, sive potius antiquiore aliquo cusos.

IV.

Caput laureatum Jovis Capitolini cum nota semissis.

Caius SAXA. ROMA. Prora navis cum nota semissis.

V.

Caput Jani bifrontis barbatum & laureatum cum nota assis inter tempora.

Caius SAXA. ROMA. Prora navis cum nota assis.

Hi tres nummi ab uno eodemque Cajo Voconio Saxa in quæstura urbana cusi fuisse videntur.

SCRIBONIA.

Gentem Scriboniam fuisse plebejam constat inter veteres, tribunatum plebis enim gessit. Curiones & Libones in nummis supersunt, quamvis Scriboniorum Libonum cognomen tantum exprimatur.

Litera A.

I.

Caput Romæ galeatum cum denarii nota.

Caius SCR*ibonius*. ROMA. Dioscuri more solito in equis hastati decurrentes.

Ratio scripturæ & simplicitas typi antiquum hunc denarium esse docent. Videtur itaque idem C. Scribonius æreum quoque assem illum & trientem signasse, qui exstant num. II. & lit. B. Verum difficile est definire ad quem C. Scribonium pertineat. Pondus nummorum æreorum magno usui esse posset, si semper ab editoribus adscriptum fuisset, & si, ubi a Vaillantio adscribitur, exactum fuisset ad ipsum nummum, non vero ex conjectura adsignatæ ab Ursino & Patino magnitudinis expressa fuisset, quod a Vaillantio sæpius factum fuisse res demonstrat.

Convenit inter antiquarios hunc denarium esse referendum ad familiam Curionum ex gente Scribonia. Fuere Curiones in libera republica plures, qui Caji prænomen habuerunt. C. Scribonius Curio, qui in locum C. Mamilii Vituli A. V. C. DLXXV. cum pluribus pontificibus peste absumti, creatus fuit curio maximus, ut testatur Livius lib. XLI. cap. 21. C. Scribonius Curio, primus ex ea familia orator insignis; filius patri cognominis, & ipse orator, Cæsari maxime infestus, consul A. V. C. DCLXXVII. & nepos, tertius orator, cujus tribunitia potestas in Cæsaris favorem notissima fuit, & qui, Cæsaris secutus partes, in Africa occubuit.

Si nummus, sive æreus ille as num. II. sextantarius, sive duarum unciarum est, cusus fuit ante bellum Punicum secundum, si vero uncialis, intermedio tempore inter A. V. C. DXXXVI. & DLXXV. locari debet. Jam si verum est, quod scribit Vaillantius tom. I. p. 150. bello Punico II. quo propter bellicas clades & Annibalis terrorem sextantarii asses facti fuerunt unciales, literam illam I. sive cippum, qui passim ad tempora Jani exprimitur in antiquioribus nummis, fuisse omissam, omne tollitur dubium, & ad tempora belli Punici primi hic C. Scribonius & nummi illius relegandi sunt; sed Vaillantii sententia est falsissima, plures enim servo asses diversi leviorisque ponderis, qui pariter illam assis notam inter Jani tempora exhibent.

Existimo itaque assem illum (cujus exemplar, ut pondus exigam, mihi non est ad manus) esse, ut ex pictura Morellii colligo, uncialem, & referendum ad priorem illum C. Scribonium Curionem, qui in C Mamilii Vituli locum factus fuit curio maximus A. V. C. DLXXV. Pervenerat is Scribonius Curio ad tribuniciam potestatem A. V. C. DLIV. & ad præturam urbanam A. V. C. DLX. Assem vero illum, ut & trientem, atque hunc denarium jam ante cudit in quæstura sua urbana.

II.

Caput Jani bifrontis barbatum, & laureatum, cum nota assis ad tempora.

Caius SCR*ibonius*. ROMA. Prora navis, ad latus assis est nota.

Patinus primus nummum hunc vulgavit, quæ de eo dicenda erant jam diximus.

Litera B.

Caput Romæ, nisi Minervæ malis, galeatum, cum quatuor globulis trientis indicibus.

Caius SCR*ibonius*. ROMA. Prora navis cum quatuor itidem globulis.

Eundem hunc trientem, quem Morellius, ut ineditum, depinxit, vulgavit itidem Vaillantius, qui aliquot literis auctiorem exhibet; legit enim C. SCRIB. atque ex longiore scriptura filio vel nepoti prioris Scribonii adsignat; ego ab eodem signatum fuisse existimo. Argumentum enim a pondere trientis non a scriptura illa desumi debuerat.

III.

BON*us* EVENT*us*. LIBO. Caput Boni Eventus.

PVTEAL SCRIBON*ii*. Putei operculum sive ara, ad quam adpenditur corolla cum dua-

duabus lyris, & in inferiore parte cernitur malleolus.

IV.

CONCORD*ia*. PAVLVS LEPIDVS. Caput deæ Concordiæ velatum.

LIBO. PVTEAL SCRIBON*ii*. Aræ similis præcedenti figura cum iisdem ornamentis.

In altero ex his denariis solus Scribonius Libo memoratur, in altero Paulli Lepidi adscribitur nomen. Nummus ille posterior propter Paullum Lepidum ad Æmiliam gentem quoque pertinet, ubi ponitur tab. prima num. V. sed, uti & alibi diximus, gravi morbo eramus oppressi, quum notæ nostræ in illos nummos excuderentur, unde factum est, ut quæ ad illum nummum spectarent, fuerint a typothetis omissa. Commode vero hic locum obtinere possunt, quoniam Scribonii denarius interpretationem suam ab illo Æmilii nummo quoque mutuatur. Non commemorabo Ericii aliorumve nugas, Morellii tantum & Perizonii rationes examinabo, ut meam epicrisin addam. Ad tempora Augusti spectare recte crediderat Perizonius, datis ea de re ad Morellium literis. In quibus tamen adquiescere non potuit Morellius, judicans ante Augusti tempora, & sub republica, cusos hos denarios fuisse; unde his verbis ad illum scripsit pag. 154. „ Major difficultas „ residet in explicandis gentis Æmiliæ nummis, „ qui in Ursino per Patinum aucto Tab. I. n. 5. „ 6. extant. Siquidem firmissime credo, illos „ stante adhuc Republica, & ante imperium Mo- „ narchicum fuisse conflatos, quoniam ratio fa- „ bricæ oculis in re nummaria versatis nullo „ modo potest concedere, ut usque in Tiberii „ Cæsaris tempora rejiciantur, etiamsi caput Con- „ cordiæ illud persuadere posset: sed ad Tiberii „ templum Concordiæ hos nummos te non re- „ jecisse, docent literæ tuæ, quia hæc ratio „ facile evanesceret ex consideratione nummo- „ rum gentis Mussidiæ, & aliorum, in quibus „ idem caput Concordiæ adparet, quod sine du- „ bio Concordiæ Novæ est, cui templum ædi- „ ficari, annuumque ibi festum celebrari jussit „ senatus, quum Julius Cæsar ad bellum adver- „ sus Parthos se pararet, de quibus omnibus Dio „ Lib. XLIV. Hinc non vana sequitur conclu- „ sio, tales nummos ad illam Concordiam, vel „ etiam triumvirorum spectare, cujus expressio- „ nis tamen potuit esse causa nobis ignota aut in- „ certa. Si proinde prædicti nummi ad Lepi- „ di triumviri fratrem referendi non sunt, alius „ Paullus Lepidus erit quærendus, quod per li- „ teras doctissime tentasti, hac inductus persua- „ sione: nummos hos esse cusos primis vel mediis „ temporibus Augusti, quum Paullus Lepidus, „ cujus patruus fuit triumvir, jam consul fue- „ rit sub triumvirorum dominatione, & dein „ primis annis Augusti censor. Illius autem uxor „ Cornelia fuit, filia Scriboniæ, uxoris Augu- „ sti, ex qua ille genuit Juliam, sicuti Paullus „ Lepidus ex Cornelia filios L. Paullum, & M. „ Lepidum, qui ad consulatum pervenerunt sub „ Augusto. Ab hisce vel forte a patre eorum, „ ipso Paullo Lepido, nummos hos cusos cer- „ tissimo tibi documento est, quod in iis mo- „ numentum gentis SCRIBONIAE exhibetur, „ nempe PVTEAL LIBO*nis*: & Concordiam „ fraternam inter Paullum & Lepidum filios cen- „ soris denotari tanto magis credis, quia inter eo- „ rum avum L. Paullum, & ejus fratrem, M. „ Lepidum triumvirum, celebris fuit discordia. „ Quæ omnia ex literis tuis proponere libet, ut „ etiam alii eruditi ad penitiorem rei investiga- „ tionem incitentur. Ubi tamen considerandum, „ quod ultimis Augusti temporibus non alii fue- „ rint cusi nummi, quam cum effigie ipsius, aut „ certa minimum nota, illum designante, & hinc „ credere possemus, illa ætate nullos amplius of- „ ficinam monetariam exivisse nummos, qui rei- „ publicæ veteris formam saperent." Acceptis hisce literis nequaquam sententiam suam mutavit Perizonius, sed pluribus argumentis defendit. Rescripsit enim pag. 220. „ De nummis *Paulli* „ *Lepidi* necdum aliter existimare possum, quam „ nuper feci & scripsi. Certum etenim, hos „ nummos exhibere simul monumenta gentium, „ *Æmiliæ* & *Scriboniæ*. Harum vero gentium „ conjunctio quædam reperitur jam quidem in „ liberæ reip. ultimis temporibus, siquidem a- „ pud Dionem Cassium lib. XL. p. 150. L. Paul- „ lus consul, pater Paulli Lepidi censoris, dici- „ tur συγγενὴς, *cognatus*, Scribonii Curionis. Ve- „ rum præcipua, & cum *Libonibus* quidem Scri- „ boniis, quorum monumentum & mentio in „ istis exprimitur nummis, facta est per matri- „ monium Paulli Lepidi cum Cornelia Scriboniæ „ filia, quæ Scribonia filia porro fuit L. Libo- „ nis, uxor Augusti, mater denique unicæ Au- „ gusti filiæ, ex qua omnis dein Cæsarum pro- „ genies. Ea vero conjunctio ab Æmiliis potis- „ simum hic ostentatur, quippe quæ ipsis glo- „ riosa tum sane erat, & per quam Paullus Le- „ pidus ipse socrum habebat illam Augusti quon- „ dam uxorem Scriboniam, atque filii ejus con- „ sobrini erant C. & L. Cæsarum, unde & alter „ eorum ex duabus Augusti neptibus alteram ac- „ cepit uxorem, sicut alteram, Agrippinam, „ Germanicus. Hinc jam apud Propertium lib. & „ eleg. ult. inducitur Cornelia, Paulli Lepidi u- „ xor, mortua, de matre Scribonia ac Augusto „ sic loquens,

„ *Nec te, dulce caput, mater Scribonia, læsi,*
„ *In me mutatum quid, nisi fata, velis?*
„ *Maternis laudor lacrymis, urbisque querelis,*
„ *Defensa & gemitu Cæsaris ossa mea.*
„ *Ille sua nata dignam vixisse sororem*
„ *Increpat, & lacrymas vidimus ire Deo.*

„ Cum quibus conferri jam velim, quæ apud „ Tacitum Ann. II. 27. etiam sub Tiberio ad „ Libonem Drusum, hinc in luxuriam impellen- „ dum, commemorantur a perfido ejus sodali, „ qui *Amitam Scriboniam, quæ quondam Augusti* „ *conjux fuerat, consobrinos Cæsares, illi ostentabat.* „ Sine dubio igitur cusi sunt hi nummi, si non a „ *Paulli Lepidi* filiis, *Paullo* & *Lepido*, tum cer- „ te ab ipso patre, Scriboniæ genero, primis fer- „ me Augusti temporibus, vel Triumvirorum ul- „ timis, sub Antonio & Augusto, quos forsan „ respicit *Concordia*, ut certe facit in num. 3. tab. „ 11. Antoniæ gentis. Sed alia possit esse causa „ *Concordiæ*, etiam in aliis Paulli Lepidi nummis „ expressæ, quæ nobis nunc latet, sicuti haud „ semper scimus quæ causa moverit singulos, „ quare hunc aut illum Deum suis in nummis „ exhibuerint. Quapropter incassum mihi obji- „ citur, quod ultimis Augusti temporibus nulli „ cusi fuerint nummi, nisi cum effigie ejus, aut „ qualicumque nota. Nam ex mea hac sententia „ opus non esset, referri hos nummos ad extre- „ ma plane Augusti tempora. Sed tamen haud

„ pro-

„ probabile etiam est, ut, quæ moribus tantum & „ adulatione invalescunt, nullisdum legibus sancita, „ ut illa, inquam, ita statim obtineant in universum, „ utque ideo neque tam nobilis Familiæ homi- „ nes, & ipsi Augusto conjuncti, ausi fuerint „ more solito suarum quoque gentium decora in „ nummis ab se cudendis exprimere. Notum „ est insuper, quantæ civilitatis in eo genere „ fuerit Augustus; quippe qui non tantum præ- „ cipuos senatorum excitaverit ipse ad monu- „ menta sui nominis in urbe, vel nova exstru- „ enda, vel vetera suæ familiæ reficienda, sed „ & opera cujusque illustrium Romanæ urbis „ virorum antiqua, *manentibus titulis*, *restituerit*, „ teste Suetonio cap. 29. & 31. Adde quod Pa- „ tinus eundem Paulli Lepidi nummum exhibet „ cum clypeo *Clementiæ* ex S. C. in aversa, quæ „ prorsus videtur ad commendandam triumviró- „ rum, vel unius potius Augusti, jam rerum poten- „ tis clementiam pertinere." Addit deinde ex- plicationem nummi inter Æmiliæ gentis nummos, quam hic ponere itidem oportet, ut suo loco o- missam, & conjecturam ejus de tempore cusorum denariorum confirmantem „ Sed vel maxime istam „ Morellii sententiam refutat nummus VII. ejus- „ dem apud Ursinum tabulæ, in quo *M. Lepidus* „ *Aimiliam Refectam* ab se *ex SC.* gloriatur. Cum „ hoc autem conferendus est omnino Tacitus ab „ Ursino jam laudatus, qui Ann. III. 72. scribit, „ *Iisdem diebus Lepidus a Senatu petivit, ut Basi-* „ *licam Paulli, Æmilia monumenta, propria pecunia* „ *firmaret ornaretque. Erat etiam in more publica* „ *munificentia: nec Augustus arguerat Taurum &c.* „ *quo tum exemplo Lepidus, quanquam pecuniæ mo-* „ *dicus, avitum decus recoluit.* Etenim habemus „ & hic, æque ac in nummo, *Basilicam Æmi-* „ *liam Paulli* a *Lepido* ex SC. refectam, seu *firma-* „ *tam ornatamque*: ut adeo quin utrobique res ea- „ dem, ejusdem hominis, & temporis, desi- „ gnetur, nullum possit esse dubium. Jam ve- „ ro ex Tacito liquet rem gestam sub Tiberio, & „ anno ejus octavo demum, quando is Augustum „ adhucdum imitari volebat; atque adeo M. „ hunc Lepidum puto esse illum, qui con- „ sul fuit nono ante Tiberii principatum anno. „ Ille autem filius fuit Paulli Lepidi, nepos L. „ Paulli, qui Basilicam hanc exstruxit. Hinc er- „ go Tacitus Lepidum ait *recoluisse AVITVM* „ *Decus.* h. e. avi sui, L. Paulli, monumentum. „ Conflagraverat hæc Basilica sub Augusto & „ refecta utcunque postea ab Æmilio Paullo, sed „ qui pecunia adjutus fuerit ab Augusto & ab „ amicis suis, teste Dione lib. LIV. p. 538. „ Hunc Paullum ego crediderim fuisse L. Paul- „ lum, progenerum Augusti, & ejus in con- „ sulatu XIV. collegam, filium Paulli Lepi- „ di, & hujus M. Lepidi fratrem majorem na- „ tu. Sed quum ille dein offendisset Augustum, „ videtur hoc opus relictum imperfectum, ac „ dein a M. Lepido ejus fratre *firmatum* proprie „ *ornatumque.* Jam si res gesta sub Tiberio, tum „ vero etiam nummus hic sub Tiberio demum „ est cusus, in quo quum nusquam appareat *effigies* „ imperatoris, nec ulla certa, quæ *eum designet* „ *nota*, satis ex eo liquet, quid tribuendum sit „ hisce asseverationibus Cl. Morellii, jam *ultimis* „ *Augusti temporibus non alios quam cum ejus effigie,* „ *aut certa nota* nummos fuisse cusos, nullos qui „ hac in parte *veteris reip. formam saperent.* Im- „ mo vero concessum fuit etiam sub Tiberio, ut „ diserte Tacitus d. l. nos docet, nobilissimis „ præsertim hominibus *exundantes opes vel hostiles* „ *exuvias ornatum ad Urbis & posterorum gloriam* „ *conferre*, nedum *avita* suæ gentis monumenta „ *reficere.* Hinc porro liquet, quod modo dixi, „ non ita statim sub primis plane Cæsaribus eo- „ rum majestatem, superstite adhuc magnam par- „ tem veteri nobilitate, elatam fuisse supra no- „ bilissimos & patricios senatores eo usque, „ ut ideo his non amplius licuerit *decora* gentis „ suæ *recolere*, ejusque rei memoriam etiam per „ nummos ad posteritatem propagare. Ita vero „ nihil etiam obstat, quo minus & superiores „ nummos referamus ad ultima fere Augusti tem- „ pora, sive ad Paullum & Lepidum fratres, fi- „ lios censoris Paulli Lepidi, nepotes Scribo- „ niæ, consobrinos C. & L. Cæsarum, qui ad „ testandam seu optandam, vel suam inter se, „ quum antea celebris inter L. Paullum & M. Le- „ pidum III. Virum, fratres itidem, fuisset ini- „ micitia, vel gentium Æmiliæ & Scriboniæ, „ unde ipsi erant orti, concordiam, hujus deæ „ effigiem & nomen ac utriusque gentis monu- „ menta, suis in nummis simul expresserint. Ce- „ terum valde hic miror Vaillantium, oblectan- „ tem se pristinis glandibus, & commemoran- „ tem nobis ad numm. hujus Familiæ X. & „ XXXVIII. ex Ursino, Augustino, aliisque, „ *Paullum Lepidum III. Viri fratrem*, quum nul- „ lus fuerit III. Viri frater, nisi L. Paullus, con- „ sul ultimis plane reip. annis, Paullus autem „ Lepidus fuerit istius L. Paulli F. Quod quum „ clarissime sit probatum jam dudum, debuisset „ ille id vel sequi vel refutare, priusquam nobis „ eandem simpliciter reponeret cantilenam sine „ ullo rei documento vel minimo." His præ- missis id quod mihi videtur dicam. Credo cusos fuisse hos denarios sub Augusto a triumviris ejus- dem monetalibus L. Scribonio Libone & Æmilio Paullo atque Lepido. Inter Scribonios Libones, qui temporibus Augusti vixerunt, clarissimi fuerunt L. Scribonius Libo, socer Sexti Pompeji, & per Scri- boniam sororem Cæsari Augusto nuptam ejusdem adfinis, qui ad consulatum pervenit. A. V. C. DCCXIX. sive, ut alii numerant, A. V. C. DCCXX. collega M. Antonio II. Cos. quum C. Cæsar Octavianus consul iterum esset designatus. Hic, ætate tam provectus, & summo honore fun- ctus, non potuit triumviratu monetali sub Augu- sto fungi. Alter deinde L. Scribonius Libo L. F. L. N. in serie consulum occurrit A. V. C. DCCLXVIII. sive DCCLXIX. una cum T. Statilio Sisenna, sub secundo Tiberii consulatu at- que tribunicia potestate ejusdem XVII. Hi quin- quaginta fere annis inter se diffident, unde non potuit posterior esse filius prioris, cujus soror Scri- bonia Cæsari Augusto nupta fuit, filia, Scribonia quoque dicta, Sexto Pompejo. Intercessisse quo- que inter illos duos alium, qui pater fuerit poste- rioris, nos docent Taciti verba de L. Scribonio Libone Druso, quem constat propinquum fuisse L. Scribonii Libonis consulis sub Tiberio, qui Drusus tum juvenis adhuc, anno, quo alter Scri- bonius Libo consul erat, prætura, tamquam victima infula, ornatus fuit a Tiberio interitum illi ma- chinante. Illi lib. II. Annal. cap. XXVII. *proa-* *vum Pompejum* adsignat Tacitus; quod ita proce- dit: L. Scribonius Libo, adfinis Augusti per sororem Scriboniam, generum habuit Sex- tum Pompejum, data illi filia Scribonia. Ex Sexto Pompejo & Scribonia nata fuit filia Pompeja dicta, illa L. Scribonio Liboni cui- dam, filio fratris consulis prioris Libonis nu- pta, peperit L. Scribonium Libonem Drusum. Ita Libonis Drusi per matrem Drusi Pompejam, filiam suam, avus fuit Sextus Pompejus, proa-

vus

FAMILIA SCRIBONIA.

vus Cneus Pompejus Magnus; quod ut clarius pateat, en stemma Scriboniorum, prout ad Tacitum. p. 35. concepit Th. Ryckius:

L. Scribonius Libo Cos. a. 720. — Scribonius Libo hujus frater. — Scribonia horum soror, duorum Consularium primo, dein conjux — Augusti

L. Scribonius Libo — Scribonia — Sex. Pompejus M.

Iulia — Agrippa

L. Scribonius L. F. Libo Cos. a. 769. — Pompeja Marcello ante desponsata. — Scribonius Libo.

C. & L. Cæsares, Iulia, Agrippina, Agrippa.

L. Scribonius Libo Drusus — Scribonius Libo. — Scribonia — M. Licinius Crassus Frugi.

&c.

Censeo itaque Scribonium Libonem, qui in nostro adparet denario, patrem fuisse Scribonii Libonis consulis sub Tiberio, vel Scribonii Libonis Drusi prætoris sub eodem, atque ita maritum Pompejæ, Sexti Pompeji filiæ. Qui, vel juvenis obiisse videtur, vel honoribus abstinuisse, ut plures Romani, nihil enim de magistratibus ejus legitur.

Collegas in triumviratu monetali habuit Paullum & Lepidum, qui duo fuerunt fratres, filii Paulli Lepidi, cujus pater fuerat L. Paulus IIIviri Lepidi frater. Is matrimonio tenuit Corneliam, P. Cornelii Scipionis Nasicæ & Scriboniæ, quæ postea Augusto nupsit, filiam, ex qua illi Lepidus & Paullus nati fuerunt; unde Scriboniorum cum Juliæ, Augusti filiæ progenie, cognatio, quæ aucta fuit, postquam progener Augusti factus fuit iste Paullus, ducta nepte ejus Julia. Lepidus, major natu, dictus fuit Manius Æmilius Lepidus, & tranquille consenuit, sub Tiberio mortuus, cui amplum illud ab Augusto testimonium datum fuit, quum de illis ageretur, qui imperio digni essent: *Manium Lepidum dixerat capacem, sed adspernantem*, uti legitur apud Tacit. I. Annal. 13. Minor natu fuit Lucius Æmilius Paullus, cui Augustus, ut dixi, neptem suam Juliam uxorem dedit, ex qua genuit Æmiliam Lepidam, quam sibi despondit Germanici frater Claudius, sed virginem repudiavit, quod parentes ejus Augustum offendissent. Hic enim Paullus, fratri, quietis amantissimo, dissimilis, conjuravit in Augustum, ut testatur Suetonius in vita Augusti cap. XIX. *Conjurationesque complures, priusquam invalescerent, indicio detectas compressit; & alias alio tempore: Lepidi juvenis, deinde Varronis Murenæ, & Fannii Cæpionis, mox M. Egnatii, exin Plautii Rufi, Luciique Paulli progeneri sui.* Imo parum absuit quin servi cujusdam Paulli, indigna manu cecidisset, sed nullo tum Paulli sed privato servi istius ausu & consilio. Suetonius ibid. cap. XVI. *Tunc etiam per devios tramites refugientem, servus Æmilii Paulli, comitis ejus, dolens proscriptum olim ab eo patrem Paullum, & quasi occasione ultionis oblata, interficere conatus est.*

Vixerunt itaque uno & eodem tempore fratres Æmilii, Manius Lepidus & Lucius Paullus, cum Scribonio Libone, qui vel filius fuit L. Scribonii Libonis consulis A. V. C. DCCXIV. seu, ut alii DCCXV. vel fratris ejusdem filius. Et quidem existimo hos tres simul fuisse triumviros monetales eo tempore, quo pax (licet haud diuturna) firmata fuit inter Cæsarem Octavianum, M. Antonium, & Sextum Pompejum. In hunc annum atque hoc tempus, felicissimum Romanis, si propria fuissent fortunæ dona, mire omnia, quæ in hisce denariis inveniuntur, conveniunt. Ætas Lepidi & Paulli, atque Scribonii Libonis, minorem enim hunc magistratum juvenes accipere solebant; Concordiæ deæ caput & addita inscriptio, symbolum quoque ejusdem lyræ duæ, quales in Trajani denariis Græcis cernuntur; & denique Boni Eventus caput & adscriptum nomen. Quæ omnia tam manifeste videntur indicare illam inter infestissimos ante duces & exercitus concordiam, & quem vix sperare potuerat populus Romanus bonum tanti mali eventum, ut ante oculos ponant, pingantque, quod mirifice descriptum reliquit, de hac ipsa concordia & insperato eventu agens, Dio Cassius lib. XLVIII. pag. 379. cujus verba lectori non invidebo. Sunt vero hæc: Γενομένης δὲ τούτου, πολλὴ καὶ ἄπλετος βοὴ καὶ ἐκ τῆς ἠπείρου ἅμα καὶ ἐκ τῶν νεῶν ἠγέρθη. πολλοὶ μὲν γὰρ στρατιῶται, πολλοὶ δὲ καὶ ἰδιῶται παρόντες ἀθρόον, καὶ ἀχθόμενοι, ἐπὶ τῆς εἰρήνης ἐπιθυμοῦντες ἰσχυρῶς, ἐξαπιναίως, ἅτε καὶ τῷ πολέμῳ δεινῶς ἔχοντες, ἐξέκραγον· ὥστε καὶ τὰ ὄρη συνηχῆσαι, κἀκ τούτου καὶ φρίκην σφίσι καὶ ἔκπληξιν μεγάλην ἐγγενέσθαι, καὶ πολλοὺς μὲν ὑπ' αὐτῶν τούτων ἐκθανεῖν, πολλοὺς δὲ καὶ συμπατηθέντας ἢ καὶ ἀποπνιγέντας ἀπολέσθαι. οἵ τε γὰρ ἐν τοῖς σκάφεσιν ὄντες, οὐκ ἀνέμειναν τῇ γῇ αὐτῇ προσελθεῖν, ἀλλ' ἐξεπήδων ἐς τὴν θάλασσαν, καὶ οἱ ἕτεροι ἐς αὐτὸν τὸν βυθὸν ἐπεισέβαινον. κἀν τούτῳ ἠσπάζοντό τε ἀλλήλοις ἅμα νηχόμενοι, καὶ περιέβαλλον κολυμβῶντες· ὥστε ποικίλην μὲν αὐτῶν θέαν, ποικίλην δὲ καὶ ἀκοὴν συμβῆναι. *Quo facto, immensus clamor & in terra & in mari sublatus est. Nam multi milites, multi inermes, aderant frequentes, qui bellum exosi, ac magnopere pacem expetentes, quum repente se malis bellorum liberatos viderent, adeo exclamaverunt ut sonitum montes reddiderint, horrorque & terror ingens in eis coortus sit, quo ipso multi statim exanimati sunt, multi conculcati & suffocati perierunt. Qui in navibus erant, non expectato dum terræ naves adpellerent, in mare prosiluerunt, vicissimque alteri a terra in mare decurrerunt: ibi simul natantes, sese mutuo salutabant, amplectebanturque: eratque ea res & visu & auditu mirabilis.*

Litera C.

Sine epigraphe. Caput muliebre, quod plane similiter comtum invenitur in Fam. Plætoria. Et, si quidem ibi Sortis est caput, bona & faventе sorte & Fortuna dici potest coaluisse hæc concordia inter triumviros Antonium Cæsaremque & Sextum Pompejum, verum, uti sæpe scimus accidisse, existimo permutatas fuisse utriusque familiæ nummorum matrices; tanto magis, quod oblonga illa nota velut columnæ vel trabis, quæ post caput muliebre est, cernatur itidem in nummo gentis Plætoriæ, quæ exstat ibidem in medio tabulæ II.

LIBO. PVTEAL SCRIBON*ii*. Forma putealis eadem quæ in præcedentibus denariis observatur.

Ne longior in hujus typi & putealis Scribonii sim interpretatione, omissis aliorum somniis, lectorem inspicere jubeo maximi Salmasii Commentarios sive Exercitationes Plinianas pag. 801. & 802. Ibi operose docet vir summus, temporibus Augusti non exstitisse amplius memoriam loci, ubi novacula cum cote Navii condita fuerat, sed puteal illud, sive aram illam Navii, sublatam fuisse gladiatorio munere divi Julii. Ostendit itaque puteal Scribonii non aliud dici posse, quam cujus mentio exstat apud Festum, cujus locum ita farciendum esse scribit: *Scribonii puteal ante atrium Minervæ, quod Scribonius, cui negotium datum fuerat, ut conquireret sacella, id ponendum curavit, quia in eo loco olim sacellum fuit, quod ignorabatur. Tradunt quidam fulgur conditum eo loco, quod nefas est integi, sed super foramine aperto cælum patet.* In Julia porticu notat idem Salmasius ex Persii Scholiaste puteal illud fuisse. Illud vero puteal quum inde Scribonii vel Libonis fuerit dictum, mirari non debemus a Scribonio Libone renovatam fuisse memoriam sacri hujus loci, qui ab aliquo ex proavis suis nomen nactus fuerat.

Harduinus ad Plinium lib. XXXVI. cap. XV. pag. 742. ita de interpretatione hujus typi scripsit. „ Caput Concordiæ velatum exhibet, & nomina Paulli Lepidi, ut jam superius vidimus, ad librum XXXIII. qui *Paullus* ex patre, *Lepidus* ex matre fuit, filia Lepidi triumviri; ex altera parte in ambitu legitur, PVTEAL. SCRIBON. infra LIBO: in medio, compages lignea quadrata, sertis ac floribus circumdata: hinc inde pendent velut arculæ duæ, vel sacculi forenses duo, in quibus essent instrumenta litium: in imo malleolus, quo signum a Prætore daretur prætorii dimittendi. Curiæ ea septa sive claustra sunt, cujusmodi apud nos est, quod vocant *le Parquet*. Prætor urbanus, cum hic nummus cuderetur, Scribonius Libo fuit, & idem primus auctor hæc claustra construendi. Hujus meminit Horatius lib. I. Epist. XIX. vs. 8.

„ —— —— —— *Forum* PUTEALQUE *Libonis*
„ *Mandabo siccis.*

„ Quoniam siccos oportet esse, non madidos, qui coram Libone prætore perorarent. Et lib. II. Sat. VI. vs. 35.

„ *Roscius orabat, sibi adesses ad* PVTEAL *cras.*

„ Nimirum ut apud Prætorem causam ipsius agitaret. Claustra illa septave, quod putei crepidinem repræsentarent, Romani *Puteal* appellarunt. Fuit prætor urbanus Scribonius Libo e gente patricia: cujus e posteris C. Scribonius consul a Plinio memoratur, libro II. sect. XXXV. Vidimus & alium pariter ex argento nummum, parte una simili forma putealis: superne, PVTEAL. infra, SCRIBON. Parte altera caput Augusti nudum, CAESAR AVGVSTVS. Alius est Statius Libo, cujus est nummus ex ære mediocri, in Thesauro Regio, & apud Patinum, pag. 266. Caput Augusti nudum exhibet: epihraphe, CN. STATI. LIBO *Cneius Statius* (non *Statilius*) *Libo* triumvir monetalis. Clypeus votivus rotundus, dextro latere: sinistro, urceus insigne sacerdotum: infra SACERDOS. Sententia est: *Solidum Auro Clypeum Eduæ Restitutori Donavit Ordo Sacerdotum*, Cæsari Augusto scilicet, cujus hic vultus est, ut recte agnovit D. Vaillant in famil. Ab Augusto enimvero Eduæ deinceps cognomen Augustæ fuit, quoniam collapsam restituit." Hæc Harduinus. Illi vero materna illa nobilitas ex Lepido nulla auctoritate fingitur; de sacculis forensibus risum simpliciter meretur, contrarium figuræ ipsæ docent. Nec illud de malleolo siccis oculis legi potest. Caussam malim fateri me nescire. In Malleolis familiæ Publiciæ cur ponatur cognominis est ratio. Forsan Scribonius Libo pro agnomine illud habuit. De Statii Sacerdotis nummo ad Fam. Statiam dicturi sumus. Sed Scribonii ille nummus cum capite Augusti multum officere conjecturæ nostræ videtur. Vellem depictum fuisse ab Harduino, nam neque Vaillantius neque Morellius illum observarunt. Crediderim cusum fuisse a consobrino Libonis nostri, qui IIIvir monetalis Augusti fuerit.

SEMPRONIA.

Sempronii plebeji fuerunt. In nummis inveniuntur Atratini, Pitiones, Gracci.

TAB. I.

I.

PITIO. Caput Romæ galeatum.

Lucius SEMP*ronius*. ROMA. Dioscuri equitantes more solito.

Antiquitatem denarii simplex typus, brevis inscriptio, & cusus ab eodem Sempronio as sextantarius, qui sequitur, indicat. Penuria scriptorum invidit nobis in Semproniis cognomen Pitionis. Non male tamen Pitiones ex Atratinorum stirpe oriundos suspicatur Vaillantius, quorum plurimi Auli & Lucii prænomina usurparunt, quum in Semproniis Gracchisque Tiberii, in Longis Tiberii & Publii, in Sophis Publii, in Tuditanis Caji & Marci prænomina occurrant. Credit idem Vaillantius tempore belli Punici primi ante cladem Cannensem vixisse hunc L. Sempronium Pitionem, filium forte L. Sempronii Atratini, quem ædilem curulem (ut ait) agnoscit Pighius A. V. C. CCCCLXXXVI. (ubi tamen frustra eundem quæras) unde circa annum DXXXVII. cusos hos nummos existimat. Quæstorem urbanum fuisse docet adscripta vox ROMA.

II.

Caput Jani geminum laureatum & barbatum, cum assis nota ad tempora.

Lucius SEMP*ronius*. ROMA. Prora navis.

Sex-

Sextantarius as esse videtur, atque ad tempus belli Punici primi atque præcedentem L. Sempronium Pitionem pertinere; licet æquo jure ad Atratinum aliquem referri possit.

III.

Senatus Consulto. Caput Julii Cæsaris laureatum.

TI*berius* SEMPRONIVS GRACCVS *Quæstor* DESIG*natus. Senatus Consulto.* Signum cohortis, aquila legionaria, aratrum & decempeda.

Cusum hunc nummum fuisse post fata Julii Cæsaris ostendunt sequentes aliquot nummi, qui caput Cæsaris Octaviani exhibent. Ex decreto itaque senatus cusus hic denarius est, ut adposita nota indicat. Quo tempore cusus sit, in sequentibus dicturi sumus, ubi hic Graccus insuper IIIvir monetalis inscribitur.

Litera A.

Caput idem Julii Cæsaris sine nota senatus consulti.

Epigraphe & typus præcedenti similis.

IV.

DIVI IVLI F*ilius.* Caput Cæsaris Octaviani nudum, lanugine decorum.

TI*berius* SEMPRONIVS· GRACCVS IIIIVIR *Quæstor* DESIG*natus.* Signum cohortis, aquila legionaria, aratrum & decempeda.

Ut intelligatur quo tempore cusi fuerint hi denarii quædam observanda sunt, quæ notavit Vaill. pag. 375. Primo Cæsarem non dici in denariis Divi filium, nisi post victum & occisum Antonium, atque triumphum de Ægypto, quum solus teneret imperium, & propterea Fortunam, tanquam conservatricem Cæsaris, exprimi nummo V. Post illud tempus cessavit IIIviri adpellatio, & dictus fuit Cæsar Divi filius usque dum Augusti nomen adsumeret. Secundo observari debet IIIIvirum monetæ scilicet cudendæ vocari Ti. Sempronium Graccum, aucto ternario a Cæsare numero usque ad illud tempus, quo divisione cum senatu facta, ternarium revocavit Augustus, & IIIviros monetæ aureæ & argenteæ cudendæ ipse creavit, æreæ curam senatui reliquit. Tertio, Gracchum minorem hunc magistratum ante quæsturam gessisse; denique juxta observationem Quinctiliani lib. I. cap. 9. GRACCVS sine adspiratione pro GRACCHUS scribi jam tum solitum fuisse.

Tempus, quo cusi hi denarii sunt, referendum est, ad A. V. C. DCCXXIV. sive, ut Dio Cassius cum aliis computat DCCXXV. eo enim anno instauratam fuisse Carthaginem scribit Dio Cassius lib. LII. pag. 494. Καὶ Καρχηδόνα ἐπαπῴκισεν, ὅτι ὁ Λέπιδος μέρος τι αὐτῆς ἠρημώκει, καὶ διὰ τοῦτο τὰ δίκαια τῆς ἀποικίας σφῶν λελυκέναι ἐδόκει, *Carthaginem quoque denuo coloniam deduxit, quia Lepidus, quum partem ejus habitatoribus orbasset, videbatur jus coloniæ dissolvisse.* Uberius de præclaro hoc ejus facto egerat lib. XLIII. pag. 238. & 239. Τούτοις τε οὖν ἐσεμνύνετο καὶ ὅτι καὶ τὴν Καρχηδόνα τήν τε Κόρινθον ἀνέστησε. πολλὰς μὲν γὰρ καὶ ἄλλας ἐν τῇ Ἰταλίᾳ καὶ ἔξω πόλεις, τὰς μὲν ἀνῳκοδόμησε, τὰς δὲ καὶ ἐκ καινῆς κατεστήσατο. ἀλλὰ τοῦτο μὲν καὶ ἄλλοις τισὶν ἐπέπρακτο· τὴν δὲ Κόρινθον τήν τε Καρχηδόνα, πόλεις ἀρχαίας, λαμπράς, ἐπισήμους, ἀπολωλυίας, ἣ μὲν ἀποικίας Ῥωμαίων ἐνόμισε δεῖν, ἀπῴκισεν· ἣ δὲ τοῖς ἀρχαίοις ἐτίμησεν ὀνόμασιν, ἀπέδωκε τῇ μνήμῃ τῶν ἐνοικη-

σάντων ποτὲ αὐτάς, μηδὲν διὰ τὴν ἐκείνων ἔχθραν τοῖς χωρίοις τοῖς μηδὲν σφᾶς ἀδικήσασι μνησικακήσας. καὶ αἱ μὲν, ὥσπερ ἅμα πρότερον καθῃρέθησαν, οὕτω καὶ τότε ἅμα ἀνεβιώσκοντο, καὶ ἔμελλον καὶ αὖθις ἀνθήσειν. *Addidit hoc etiam suis præclaris factis, quod Carthaginem Corinthumque instauravit. Quod enim multas alias urbes per Italiam, atque extra eam, partim refecit, partim novas condidit, id cum aliis quibusdam ei fuit commune: Corinthum vero Carthaginemque, urbes antiquas, splendidas, illustres, quæ jam perierant, colonias Romanorum deduxit: quod ex usu fore censebat: easque pristinis suis nominibus decoravit, restituitque eas memoriæ eorum qui olim eas habitaverant: ut ostenderet, se nullum adversus loca nihil de se male merita, ob inimicitias habitatorum, odium exercere. Ita Carthago & Corinthus, quæ urbes prius uno tempore deletæ fuerant, tunc simul quasi reviviscere cœperunt olim claræ rursus futuræ.*

Cur vero Graccus, sive Gracchus, lubentius Carthaginis instaurationem quam aliud quid nobile vel memorabile eo anno gestum signare voluerit, in promtu caussa est, nobiliras Gracchorum antiqua scilicet, quod jam olim avus vel proavus ejus Gracchus destinatus fuerat IIIvir ad coloniam Carthaginem deducendam A. V. C. DCXXXIII. quæ tamen vetantibus aruspicum responsis tum deducta non fuerat, de quibus fusius agit Ursinus. Videtur autem hic esse ille Sempronius Gracchus, qui notatur Vellejo, ut adulter Juliæ Augusti filiæ lib. II. cap. 100. & cujus interitum ita describit Tacitus lib. I. Annal. cap. 53. *Par caussa sævitiæ in Sempronium Gracchum, qui familia nobili, sollers ingenio, & prave facundus, eandem Juliam in matrimonio M. Agrippæ temeraverat. nec is libidini finis. traditam Tiberio, pervicax adulter contumacia & odiis in maritum accendebat. litteræque, quas Julia patri Augusto cum insectatione Tiberii scripsit, a Graccho compositæ credebantur. Igitur amotus Cercinam, Africi maris insulam, quatuordecim annis exsilium toleravit. Tunc milites ad cædem missi, invenere in prominenti litoris nihil lætum opperientem. quorum adventu breve tempus petivit, ut suprema mandata uxori Alliariæ per litteras daret: cervicemque percussoribus obtulit. constantia mortis, haud indignus Sempronio nomine; vita, degeneraverat.*

Litera B.

DIVI IVLI F*ilius.* Caput Cæsaris Octaviani nudum, lanugine decorum.

TI*berius* SEMPRON*ius* GRACCVS IIIIVIR *Quæstor* DESIG*natus.* Signum cohortis, aquila legionaria, aratrum & decempeda.

Positione literarum diversa tantum differt.

Litera C.

DIVI IVLI F*ilius.* Caput Cæsaris Octaviani nudum, lanugine decorum.

TI*berius* SEMPRON*ius* GRACCVS IIIIVIR *Quæstor* DESIG*natus.* Signum cohortis, aquila legionaria, aratrum & decempeda.

Et hic positione literarum diversa tantum differt.

V.

DIVI IVLI F*ilius.* Caput Cæsaris Octaviani nudum, lanugine decorum.

TI*berius* SEMPRON*ius* GRACCVS IIIIVIR *Quæstor* DESIG*natus.* Fortuna stans, dextra tenens temonem læva cornucopiæ.

Fortuna fortunam Cæſaris, & in illo populi Romani fortunam reſpicere videtur. Nota illa aquilæ incuſa, quæ poſt Cæſaris caput eſt, ſignificat nummum hunc aureum olim extitiſſe in muſeo ducum Mantuæ.

VI.

AVGVSTVS TRIBVNIC*ia* POTEST*ate.* In corona quernea.

TI*berius* SEMPRONIVS GRACCVS IIIVIR *Auro Argento Aeri Flando Feriundo.* In area nummi *Senatus Conſulto.*

Docet hic nummus (quod & ex aliis liquet) nonnunquam illos, qui triumviri Cæſaris fuerant, poſtea factos etiam fuiſſe ſenatus.

Litera D.

Caput Romæ galeatum.

AVTR*onius.* connexis literis A.V.T.R. ROMA.

Similem fere nummum tab. ſequenti num IV. exhiberi credidit Morellius, quare & hunc ad gentem Semproniam retulit, quum debuiſſet referre ad gentem Autroniam, ut rectius fecit Vaillantius. Referri tamen cum illo non poteſt ad L. Autronium, qui conſul deſignatus cum P. Sulla, conſulatum, quem ille geſſit A. V. C. DCLXXXVIII. non iniit, ambitus damnatus, denarii enim forma ex antiquiſſimis eſt, & ſi non ulterius certe ad belli Punici ſecundi tempora adſurgit; ut adplicari nequeat ad illum L. Autronium, qui in conjuratione Catilinæ periit. Antiquiorem vero hunc Autronium injuria temporis & ſcriptorum penuria nobis invidit. Vetuſtatem gentis docet præſultator ille, qui ludis Circenſibus Jovi non placuerat, teſte Livio lib. II. 36. quem ſervum fuiſſe Autronii Maximi docet Macrobius lib. I. Saturn. cap. II. *Anno enim poſt Romam conditam* CCCCXLIV. *Autronius quidam Maximus ſervum ſuum verberatum patibuloque conſtrictum ante ſpectaculi commiſſionem per circum egit; ob quam cauſam indignatus Jupiter, Annio cuidam per quietem imperavit, ut ſenatui nunciaret, non ſibi placuiſſe plenum crudelitatis admiſſum. Quo diſſimulante, filium ipſius mors repentina conſumſit: ac poſt ſecundam denunciationem, ob eandem negligentiam, ipſe quoque in ſubitam corporis debilitatem ſolutus eſt. ſic demum ex conſilio amicorum lectica delatus ſenatui retulit: & vix conſummato ſermone ſine mora recuperata bona valetudine curia pedibus egreſſus eſt. ex ſenatus itaque conſulto & Mævia lege ad propitiandum Jovem additus eſt illis Circenſibus dies II, qui inſtauratitius dictus eſt, non a patibulo, ut quidam putant, Græco nomine* ἀπὸ τοῦ σαυροῦ, *ſed a redintegratione, ut Varroni placet; qui inſtaurare ait eſſe inſtar novare.*

Litera E.

ΠΙΤΙΟ. Caput Jani more ſolito, cum nota aſſis.

L*ucius* SEMP*ronius.* ROMA. Prora navis cum nota aſſis.

Inſcriptio hujus nummi, & pondus ſextantarii, docet cuſum fuiſſe ante cladem Cannenſem, atque imminutionem ſextantarii ponderis ad unciales aſſes. Omnino itaque probabile eſt, cuſum hunc aſſem fuiſſe ab eodem L. Sempronio Pitione, qui ſignavit denarium in hac tabula primum. Quem quidem antiquiſſimum eſſe quum alia evincunt, tum & ipſius denarii conſpectus, quem in muſeo meo conſului, quod de Pitionis cognomine dubitare viderem Jac. Perizonium, cujus verba adducam ad num. III. tab. ſequentis. Pithonem enim pro Pitione mallet, ſed nulla linea intermedia eſt inter literas T. & I. quæ exſtaret, ſi pro Pitione Pitho ſubſtituendus foret. Vaillantius deinde, quum ipſum hunc æreum aſſem in theſauro regio deprehendiſſet, Urſinianum nummum, hujus tabulæ ſecundum, inde emendari debere judicavit. Quod an ſit admittendum dubito, non tantum, quia Urſinus, cui ex denario aſſem illum præcedente, Pitionis cognomen in gente Sempronia ignotum non erat, illud non animadverterit in iſto aſſe; tum quod ſemiſſem, mox ſecuturum, Morellius & Vaillantius invenerint & ediderint; in quo pariter, ut in aſſe illo, omne cognomen abeſt; ſic ut Atratinis Semproniis non minore jure quam Pitionibus adſcibi as ille & ſemiſſis poſſint.

Litera F.

Caput Jovis Capitolini laureatum, cum nota ſemiſſis.

L*ucius* SEMP*ronius.* ROMA. Prora navis cum nota ſemiſſis.

Licet nullum adſit cognomen, Pitioni tamen inter Sempronios adjudicat Vaillantius hunc ſemiſſem uncialem, aſſis præcedentis dimidium ponderantem; ſed idem reſpectu aſſis, qui num. II. occurrit, dici poteſt. Ego itaque malim credere ad Sempronios Atratinos pertinere & aſſem dictum & hunc ſemiſſem, & cuſum fuiſſe antequam Pitionis cognomen aliquis ex Semproniis Atratinis ſibi adſciverit. Imo ſi jam tum exſtiterint recentes illi Pitiones ex Semproniorum familia Atratina, illos Pitiones in nummis inſcribi decebat ad diſtinctionem; Atratinis vero, ut antiquum ſervantibus cognomen, ſufficere poterat, ſi familiæ ſuæ nomine Sempronii tantum dicerentur.

Diximus ad num I. non exſtare apud Pighium ad A. V. C. CCCCLXXXVI. vel CCCCLXXXVII. ædilem curulem L. Atratinum, quod unde Vaillantio innotuerit neſcio; alii vero Atratini ante illud tempus inveniuntur. L. Sempronius Atratinus A. F. trib. mil. conſul. pot. A. V. C. CCCIX. & A. Sempronius Atratinus trib. mil. conſulari pot. A. V. C. CCCXXVIII. atque C. Sempronius Atratinus, conſul. A. V. C. CCCXXX. Deinde A. V. C. CCCLXXIV. Tito Quinctio dictatori magiſter equitum legitur fuiſſe A. Sempronius Atratinus. Ab hoc usque tempore ad A. V. C. CCCCLXXXVIII. quo primum creditur as ad ſextantem fuiſſe redactus, hiſtoriarum & monumentorum defectu Atratini Sempronii non amplius occurrunt. Imo in hiſtoriis ante A. V. C. DCCXX. quo L. Sempronius Atratinus conſulatum geſſit, a M. Antonio ſubſtitutus, nulli Atratini expreſſo cognomine leguntur. Exſtitiſſe tamen omnino veriſimile eſt, & a priorum aliquo pronepote vel abnepote cuſos bello Punico primo fuiſſe in quæſtura urbana hunc aſſem atque ſemiſſem exiſtimo.

T A B. II.

I.

OB CIVIS SERVATOS. Media vox includitur coronæ querneæ, quam hinc & inde lauri ramus ambit.

TI*berius* SEMPRONIVS GRACCVS IIIVIR *Auro Argento Aeri Flando Feriundo.* In area nummi *Senatus Conſulto.*

Re-

Referendus est hic nummus ad eundem Ti. Sempronium Graccum, qui nummum VI. tab. præcedentis signavit.

II.

Marcus ANT*onius* IMP*erator* TER*tium* CO*nSul* DES*ignatus* ITER*um* ET TER*tium* III VIR R*ei*P*ublicæ* C*onstituendæ*. Capita adversa Antonii triumviri & reginæ Cleopatræ.

Lucius ATRATINVS AVGVR. PRAE*Fectus* CLAS*sis* F*ieri* C*uravit*. Antonius & Cleopatra, tanquam dii marini stantes in curru a quatuor equis marinis tracto; post currum est monogramma ex H. & S. conflatum, sub curru vero ara cum litera Δ. quæ quartum annum præfecturæ classis Atratini denotare videtur.

Lucium Sempronium Atratinum M. Antonio amicitia & familiaritate conjunctum fuisse patet ex eo, quod consul II. creatus Antonius A. V. C. DCCXIX. vel DCCXX. ut alii numerant, hunc Atratinum sibi suffecerit. Unde mirari non debemus, Atratinum, post irritas pacis moras, exorto inter Cæsarem & Antonium bello, partes Antonii fuisse secutum. Antonius illum præfectura classis suæ honoravit, in quo honore ad quartum usque annum permansisse eundem hic nummus docet, & post triumphum Antonii imaginarium Alexandriæ habitum, signasse hunc nummum videtur idem Atratinus.

Hic credi potest fuisse ille Sempronius Atratinus, qui M. Cœlium, a quo pater Atratini Lucius, semel absolutus, iterum ambitus accusabatur, per recriminationem admodum adolescens de vi accusavit. Fuit ipse Ciceronis necessarius, ut verba ejusdem indicant, Orat. pro Cælio cap. I. *Sed ego Atratino, humanissimo atque optimo adolescenti, meo necessario; ignosco, qui habet excusationem vel pietatis, vel necessitatis, vel ætatis. Si voluit accusare, pietati tribuo; si jussus est, necessitati; si speravit aliquid, pueritiæ.* Cujus pueritiæ non modo sed & seræ mortis memoria exstat apud Hieronymum sive Eusebium, in Chronico pag. 155. edit. Scaliger. ad annum CMLXXXIX. *Atratinus, qui septendecim natus annos Cœlium accusaverat, clarus inter oratores habetur: & ad extremum morborum tædio in balneo voluntate exanimatus hæredem dereliquit Augustum.* Videtur enim hic Atratinus postea, victo ad Actium Antonio, una cum reliquis ad Octavianum transiisse & in gratiam receptus fuisse; imo is ipse esse videtur, qui proconsule A. V. C. DCCXXXII. ex Africa triumphasse dicitur in Marm. Capitol. ubi L. Sempronius L. F. L. N. Atratinus vocatur. Hujus forte pronepos exstitit A. Sempronius Atratinus consul sub Domitiano A. V. C. DCCCXLII.

III.

- - - - - - - - - ITAIC. Caput Julii Cæsaris laureatum in triangulo, ut videtur.

ATRATIN*us*. ΠΥΘΙ . . . . Serpens tripodi circumvolutus.

Primus hunc nummum vulgavit Patinus, deinde Begerus, post illum ex Patino Vaillantius, discrepantem ab eorum pictura Haymius in Thes. Brit. tom. II. pag. 163. ex quo nos Parutæ nummis Siculis addidimus pag. 546. Denique ex Morellii schedis prodit, pictura ab editis duobus hactenus nummis satis diversa, quod rudiori ipsius nummi fabricæ adscribendum esse existimo. Quoniam enim hi nummi minus bene servati fuisse videntur, vel ex matrice minus adcurata, hinc ita variare in illorum pictura & explicatione viri eruditi videntur. Ipse Morellius Perizonii quoque opem ad ejus intellectum desideravit, ut videre est pag. 203. ubi hæc ejus verba sunt: „ Tertius nummus tab. II. gentis SEMPRONIÆ est, si Patino credere velimus, capite Augusti insignis; accuratius illum vero edidit supra nobis laudatus Begerus cum capite cornuto, & in aversa parte additis literis ΠΥΘΙ. Ego quidem aliquot istorum nummorum inspexi, sed quod fateri simul habeo, omnes tam mutili atque corrupti erant; ut rei veritatem ex iis dignoscere nequiverim: horum unus caput Julii Cæsaris exhibere mihi fuit visus, in quo laurea sic eminet, ut caput cornutum esse videatur: in alio caput muliebre velatum adparet, quæ tamen pro certo affirmare non ausim. Gratissimum ergo mihi accideret, si integrioris nummi possessor accuratam ejus delineationem submittere vellet. Ex additis literis ΠΥΘΙ conjicere licet SEMPRONIAM gentem a Pythii denominatione cognomen desumsisse, nam alium nummum delineavi, in quo ab una parte caput Jani bifrontis cum literis ΠΙΤΙΟ conspicitur, & in postica L. SEMpronius cum prora navis, cujus rei Oedipus omnibus gratus erit." Quæ respondit Perizonius nihil lucis nummo adtulerunt. Sunt vero illa pag. 282. „ *Semproniæ* gentis nummum edidit Vaillantius, in quo diserte ΠΥΘΙΑ legitur, at ab altera parte TOIC, quod forsan residuum ex ΔΕΛΦΟΙC. Nam in eodem hoc nummo & Græca & Latina reperiuntur, quales etiam Seguinus in Selectis suis exhibet inter Familias Romanas. Cognomen *Pitio*, suspectum mihi, fatebor enim, nusquam reperi in G. Sempronia, nec in ulla alia: neque vero vel nomen gentis cujuscunque inde aut ab ejus primitiva voce formatum, vel cognomen ullum eandem originem præferens. Habemus quidem gentes *Petitiam* & *Petiliam*, ab antiquo nomine *Pettus* formatas, at nullam a *Pito*, nisi *Pitiam*, eamque tantum in Lapidibus. Si conjecturis hic daretur locus, legerem vel RVTIL. h. e. *Rutilus*, quod cognomen fuit antiquum in G. Sempronia, vel PITHO, quod nomen est deæ Suadæ, quæ Eloquentiæ præest, & vim persuadendi habet Græce Πειθώ. Hesiodus Ἔργ. v. 73. *Χάριτές τε Θεαὶ, καὶ πότνια Πειθὼ, Charitesque Deæ, & veneranda Suada.* Viderint & considerent omnia, quorum in manus integri hi nummi inciderint" Quæ de velato capite muliebri refert Morellius confirmantur nummo Haimii, quod tamen ipsum caput velatum Julii Cæsaris esse suspicor, quem velato capite nonnunquam denarii quoque ejus exprimunt. Integra vero inscriptio hæc videtur esse in omnibus hisce nummis, ΛΙΛΥΒΑΙΤΑΝ. *Lilybætanorum.* a parte quidem capitis, quod in triangulo ponitur respectu Siciliæ trium promontoriorum, ex quibus unum Lilybæum dicebatur. Ab altera parte juxta tripodem Apollinis, qui cernitur in Lilybætanorum quoque nummis tab. LXXXXIV. num: 3. apud Parutam, hæc leguntur apud Haymium. ΑΤΡΑΤΙΝΟΣ ΠΥΘΙΟΝ supple *ναὸν ἀνέθηκε* i. e. *Atratinus Pythium templum posuit*. vel potius supple *Ἀπόλλωνα τιμᾷ*. i. e. Atratinus *Pythium Apollinem colit*. Hoc enim genus scribendi in Græcis nummis haud novum est.

De facie itaque Cæsaris non illubenter Morellio fidem habeo, & judico hunc nummum pertinere ad Lucium Sempronium Atratinum; quem necessarium sibi vocat Cicero, illum ipsum,

qui præcedentem nummum in Antonii honorem signavit. Hunc a Julio Cæsare cum imperio in Siciliam missum fuisse existimo, quæ provincia quum duplex fuerit, sic ut alter ex prætoribus Syracusis, alter Lilybæi moraretur, Atratinus Lilybæi proprætore commorans, monetam ibidem cum Cæsaris imagine signavit; ab altera vero parte tripodem Apollinis expressit, quod cultus ejus dei ibi fuerit eximius, sicuti omnes ejus urbis nummi testantur. Caput vero Cæsaris velatum cernitur in nummis, qui cusi sunt Cæsare dictatore jam perpetuo & patre patriæ adpellato, quod ex denariis familiarum Cossutiæ & Sepulliæ patere potest; unde concludo, anno Cæsaris emortuali sive A. V. C. DCCIX. sive DCCX. cum imperio in Sicilia fuisse L. Sempronium Atratinum, eoque anno Lilybæi hosce nummos æreos signasse; quum alter prætor Syracusis moraretur, qui ex Plinio aliisque Sura fuisse cognoscitur apud Pighium tom. III. pag. 465.

IV.

Caput Romæ galeatum cum denarii nota.

ATR*atinus*. ROMA. Dioscuri equitantes more solito.

Denarii antiquitas, ejusque simplicitas, & ratio scribendi per connexionem literarum, moverunt Vaillantium, ut hunc denarium referret ad A. V. C. CCCCLXXXVI. credatque cusum duobus annis postquam argento signato uti cæperint Romani; quod primum factum fuit A. V. C. CCCCLXXXIV. seu, ut alii numerant, CCCCLXXXV. signatumque putat ab A. Sempronio Atratino, fratre L. Sempronii Atratini, ædilitii curulis, & filio L. Sempronii Atratini quæstorii, genus trahente a Sempronio Atratino bis consule. Quam quidem huic antiquissimo certe denario non invidemus vetustatem; sed tamen, si (ut vult Vaillantius) anno CCCCLXXXVI. quæstor provincialis fuit iste Atratinus, uno vel altero anno vetustior est denarius, quum non in quæstura provinciali, sed urbana signatus sit hic denarius, quod adscripta vox ROMA. testatur. Quo minus tamen idem Atratinus; qui sequentem cudit assem, hunc quoque denarium cudisse dicatur, ratio illa scribendi non impedit, quam pro lubitu illo tempore usurpasse videntur.

V.

Caput Jani bifrontis barbatum & laureatum, cum nota assis inter tempora.

ATRA*tinus*. ROMA. Prora navis.

Tempus signati nummi ex pondere colligitur, est enim sextantarius. Hinc liquet cusum eundem fuisse durante bello Punico primo. Utrum vero Sempronius ille Atratinus, qui hunc assem cudit in quæstura sua urbana, prænomen Lucii, Auli, vel Caji habuerit, liquere certo non potest, sed in dubio relinqui necesse est. Si Lucius fuerit dictus, cusus est ab illo Lucio, qui signavit assem & semissem, qui exstant tab. præced. num. II. & lit. F. si Aulo illi prænomen fuerit, ad tempora aliquantum posteriora erit referendus; itidem si Cajus dictus fuerit. Bellum enim Punicum primum, quod geri incepit A. V. C. CCCCLXXXIX. jam per aliquot annos fuerat gestum, quum veri assis pondus imminueretur in pondus sextantarii, ut recte adfirmat Perizon. de Ære Graevi pag. 28. Unde apud Gronovium de Pecunia Vetere pag. 179. scribi videas; „Dum „ Punicum bellum trahitur, constitutum ut as- „ ses sextantario pondere ferirentur." Hinc necesse est, ut si ad Aulum aliquem vel Cajum Sempronium Atratinum referatur nummus, non ad Atratinos Vaillantii spectare posse, sed ad aliquem ex filiis eorundem vel cognatis, qui postea vixerint, de quibus historia, circa hoc tempus admodum mutila, nihil nobis reliquit.

VI.

AVGVSTVS DIVI F*ilius* PATER PATRIAE. Caput Augusti laureatum.

MVN*icipium* AVGVSTA BILBILIS M*arco* SEMP*ronio* TIBERI*no*, L*ucio* LICI*nio* VARO IIVIR*is*. Corona quernea.

Corona quernea respicit cives bello Cantabrico ab Augusto servatos: M. Sempronius Tiberinus quis fuerit, historiæ silent.

VII.

AVGVSTVS DIVI F*ilius* PATER PATRIAE. Caput Augusti laureatum.

MVN*icipium* AVGVSTA BILBILIS M*arco* SEMP*ronio* TIBERI*no* L*ucio* LICIN*io* VARO IIVIR*is*. Fulmen alatum.

In hoc nummo Bilbilitani fulmen alatum videntur expressisse in honorem Augusti, quem ut Jovem Liberatorem contemplati sunt, quod bello Cantabrico cives Romanos in Hispania servasset. Duumviri iidem sunt.

VIII.

IMP*erator* CAESAR AVGVSTVS P*ater* P*atriæ*. Caput Augusti laureatum.

Municipium Calaguris Iulia Marco SEMP*ronio* BARB*ato*, *Quinto* BAEB*io* FLAVO IIVIR*is*. Bos coloniæ symbolum.

M. Sempronius Barbatus non magis notus est quam Tiberinus.

IX.

IMP*erator* AVGVST*us* PATER PATRIAE. Caput Augusti laureatum.

MVN*icipium* CAL*aguris Iulia. Caio* SEMP*ronio Publio* ARRI*o* IIVIRIS. Bos coloniæ symbolum.

Cajus Sempronius Rufus Ciceroni commemoratur VI. ad Atticum 2. & VIII. Epist. 8. utrum filius ejus an propinquus hic duumvir fuerit incertum est.

X.

TI*berius* CAESAR DIVI AVG*usti Filius* AVG*ustus*. Caput Tiberii nudum.

SAG*untum Lucio* SEMP*ronio* GEMINO L*ucio* VAL*erio* SVRA IIVIRIS *Decreto Decurionum*. Ultima illa *Decreto Decurionum* post signatum jam nummum per notam inpressam incusa sunt, quod in coloniarum nummis non est novum. Triremis.

Hispaniæ Tarraconensis urbs Saguntus fide in Romanos & ærumnis antiquitus inclita fuit. Gemini cognomen Tiberio Sempronio a sorte nascendi datum fuisse videtur.

SENTIA.

Gens plebeja fuit, ex qua tribunus plebis A. V. C. DCLVII. exstitit C. Sentius. Cognomen habuit Saturnini.

I.

ARG*entum* PVB*licum*. Caput Romæ galeatum.

Lucius SENTI*us Cai Filius*. Jupiter stans in citis quadrigis dextra sceptrum tenet, læva ful-

fulmen. Supra equos eſt litera alphabetica F. pro qua in ſequentibus A. E. H. M. T. X. obſervantur.

Lucius Sentius hic in aliquot ſequentibus denariis Saturninus cognominatur. Inde patet pertinere illum ad familiam Sentiorum Saturninorum, qui ingenti laude juſtitiæ & probitatis ſub prioribus Cæſaribus floruerunt. Teſtimonia apud Vellejum, Flavium Joſephum aliosque in promtu ſunt. Sed longe antiquiores hi ſunt denarii, & ad reipublicæ tempora referendi. Primum & inſigne hujus familiæ decus traditur fuiſſe C. Sentius, qui Macedoniæ præfuit A. V. C. DCLXXI. tempore belli Socialis, & Thracas Macedoniam vexantes compeſcuit. Ille enim primus ex illa gente ad præturam pervenit, ut teſtatur Cicero, de filio ejusdem agens in Oratione pro Plancio cap. VIII. *Quum hujus ornatiſſimi atque optimi viri, Cnei Saturnini, patrem ædilem, quem prætorem viderunt, quod primus ille non modo in eam familiam, ſed etiam in præfecturam illam ſellam curulem adtuliſſet, mirandum in modum lætati ſunt.* Hunc Cneum Sentium Saturninum Vaillantius cenſet habuiſſe tres filios Cajum, Cneum, & hunc Lucium, quem conjicit triumvirum fuiſſe monetalem A. V. C. DCLXVII. quo ſcilicet prætor urbanus C. Marius Gratidianus, deceptis collegis ſuis, gratiſſimam plebi legem promulgavit nummariam de probandis denariis, ſic ut tota urbe ſtatuas inde meruerit. Refert factum Cicer. lib. III. Off. cap. 20. & inprobat: *Ne noſter quidem Gratidianus officio boni viri functus eſt tum, quum prætor eſſet, collegiumque prætorum tribuni plebis adhibuiſſent, ut res nummaria de communi ſententia conſtitueretur. Conſcripſeruntque communiter edictum cum pœna atque judicio, conſtitueruntque ut omnes ſimul in roſtra poſt meridiem deſcenderent. Et ceteri quidem alius alio, Marius a ſubſelliis in roſtra recta, idque quod communiter compoſitum, ſolus edixit. Et ea res, ſi quæris, ei magno honori fuit, omnibus vicis ſtatuæ, & ad eas thus & cerei. Quid multa? nemo unquam multitudini fuit charior.* De eodem facto Plinius agit lib. XXXIII. cap. 9. *Alii e pondere ſubtrahunt, quum ſit juſtum octoginta quatuor e libris ſignari. Igitur ars facta denarios probare, tam jucunda lege plebi, ut Mario Gratidiano vicatim totas ſtatuas dedicarit.* Ex horum Plinii & Ciceronis verborum contemplatione cenſet Vaillantius Pighium tom. III. p. 239. ſecutus, tum demum triumviros monetales ordinarios inſtitutos fuiſſe, qui tamen (quod in confeſſo eſt) longe ſunt antiquiores.

Sed quoniam eo tempore majori cura monetam complexi ſunt Romani, videndum an non decreverint ſimul, ut argentum, ex quo ſignari debuerint denarii, ex publico, adeoque probatum antea, ne fallacia quædam ſubeſſet, daretur; ut, ſi non probi ſignarentur denarii, jure tenerentur triumviri monetales, qui argentum publicum & bonum in eam rem accepiſſent. Hanc puto eſſe rationem, cur hisce denariis adſcribantur voces ARG*entum* PVB*licum*. Ipſe denarius ex genere quadrigatorum eſt.

II.

Caput Romæ galeatum, ſine inſcriptione.

Lucius SATVRN*inus*. Saturnus in citis quadrigis, dextra tenens falcem læva equorum habenas. Supra equos litera alphabetica B. eſt, pro quibus alii denarii A. D. E. &c. habent.

Miror Vaillantium hic de Romulo cogitare, qui lituum dextra teneat, atque de auguratu Sentii Saturnini inde augurari. Falx eſt non lituus, quem dextra tenet imago curru vecta. Quid vero notius eſt, quam triumviros monetales ad cognomina ſua adludere, quod Furii Craſſipedis, Poblicii Malleoli aliorumque denarii abunde teſtari poſſunt. Sentius itaque, quum Saturninus cognominaretur, Saturnum, qui deus quoque ærario præerat, adludens ad cognomen ſuum, expresſit; & ut Saturnus eſſe cognoſceretur, falcem dextræ addidit: de Saturno ærarii præſide Tertullianus in Apolog. cap. X. p. 112. *Ab ipſo primum tabulæ, & imagine ſignatus nummus, & inde ærario præſidet.*

III.

Lucius SAT*urninus*. Caput Romæ galeatum.

Litera alphabetica I. Caput Romæ galeatum. Facile adparet errorem monetalem in hoc & ſequenti denario deprehendi poſſe, quod ſæpius contigiſſe in aliis quoque denariis vidimus, ut partes matricis, quæ disjungi deberent, conjungerentur.

Ad Saturninum, adeoque ad gentem potius Sentiam, quam aliam, puta Satrienam, Apulejam &c. hos denarios pertinere notæ literarum I. & G. indicant, & ſequentes denarii IV. B. C. D. quæ, ſicuti hi capitum partes, ita averſas partes, in quibus Saturni quadrigæ ſunt, conjunctas habent. Mirari illud non debemus, nam reſtituta moneta, lata lege plebi tam grata, immenſa vis denariorum ex argento publico cuſa videtur, quæ & juſtum haberet pondus & materiam non mixtam ære.

Litera A.

Lucius SAT*urninus*. Caput idem Romæ galeatum.

Litera G. poſt caput Romæ galeatum.

IV.

Lucius SATVRN*inus*. Saturnus, ut ſupra, in citis quadrigis; ſub equorum pedibus eſt litera C.

ROMA. Idem typus Saturni in quadrigis.

Litera B.

Lucius SATVRN*inus*. Saturnus in quadrigis ut ſupra, ſub equis eſt litera Q.

Lucius SATVRN*inus*. Saturnus, ut ſupra.

Litera C.

Lucius SATVRN*inus*. Saturnus iterum in quadrigis, ſubtus eſt quid quaſi prora navis.

Lucius SATVRN*inus*. Saturnus in quadrigis.

Litera D.

Lucius SATVRN*inus*. Saturnus in quadrigis; ſupra equos eſt litera M.

Lucius SATVRN*inus*. Saturnus in quadrigis; ſupra equos duo puncta ſunt. Quæ omnia pertinebant ad matrices dignoſcendas, quas tamen in his omnibus permiſtas cernimus.

V.

V.

Caput Romæ vel Minervæ galeatum.

Lucius FAD*ius Lucius* SAT*urninus* vel SA-T*rienus*. Dextræ junctæ.

Ad Saturninum literæ SAT. ducunt, ſed ad Satrienam familiam æquo jure referri poſſe nemo abnuere poteſt. Ego poſteriori potius adjudico, quod typus tempori Sullæ, & paci Sociali magis quadrare videtur, tum, ſi L. Saturnini in triumviratu monetali collega fuit L. Fadius, cur tot Sentii Saturnini inveniuntur nummi, literis alphabeticis, ob tot officinas & monetarias matrices diſtincti, Fadii vero nulli? Vide me ad familiam Satrienam ſupra pag. 373.

SEPVLLIA.

Gens Sepullia plebeja fuiſſe videtur; nulla ejus in hiſtoriis mentio occurrit. Cognomine Macer in nummis dicitur.

I.

CAESAR IMP*erator*. Caput Cæſaris laureatum; pone illud aſtrum eſt.

Publius SEPVLLIVS MACER. Venus Victrix ſtans, dextra victoriolam tenet, læva haſtam, in ima parte haſtæ aſtrum ſive ſidus Veneris conſpicitur.

Quamvis, propter aſtrum illud, hunc denarium poſt mortem Cæſaris quidam cuſum putent, reliquos vivo etiamnum Cæſare, ego omnes poſt mortem Cæſaris cuſos exiſtimo A.V.C. DCCXIII. ſeu, ut alii numerant, DCCXIV. uti adſtruam ad num. IV. Non tamen hoc aſtrum illius ſideris habet ſpeciem, quod poſt mortem Cæſaris adparuiſſe dicitur; illud enim crinitum fuit, ut egregie patere poteſt non tantum ex Cæſaris Octaviani nummis, qui a poſtica parte hoc aſtrum crinitum exhibent, verum etiam ex primo & ſecundo gentis Sanquiniæ denario. At aſtrum illud, quod in hoc noſtro nummo cernitur, innuit correctionem anni & faſtorum a Julio Cæſare ſuſceptam; quæ res, uti haud vulgaris, in plurimis ejuſdem denariis, modo per ſolis aſtrum, modo per lunæ corniculantis ſidus exprimi ſolet.

II.

CAESAR IMPER*ator*. Caput Cæſaris laureatum.

Publius SEPVLLIVS MACER. Venus Victrix ſtans ut ſupra.

Publius Sepullius, qui hos aliosque ſignavit denarios ſeſtertiumque, quatuorvir monetalis fuit poſt mortem Cæſaris anno DCCXIII. vel DCCXIV. quod inde patet, quoniam, mortuo Cæſare, demum ludi illi fuerunt editi, quorum typus in nummo IV. adparet.

III.

CAESAR DICT*ator* PERPETVO. Caput Cæſaris laureatum & velatum.

Publius SEPVLLIVS MACER. Venus Victrix ſtans, ut ſupra, ſed ad infimam haſtæ partem clypeus juxta pedes deæ cernitur.

Quod velatum Cæſaris caput eſt, deſignat pontificatum ejus maximum. Eundem a Venere originem repetiiſſe, atque deam illam armatam annulo inſculptam geſtaſſe res nota eſt. Sed cogitandum amplius, an non hic Sepullius ad tempora Cæſaris pertineat, & anno ejus ultimo & porro ſub triumviris R. P. C. quatuorvir monetalis fuerit.

IV.

Caput M. Antonii barbatum & velatum, ante quod eſt lituus, poſt illud conſpicitur urceus.

Publius SEPVLLIVS MACER. Deſultor in equo læva manu alterum ducens equum, dextra flagrum tenens, poſt illum corolla cernitur & palmæ ramus.

Suſpicatur Vaillantius vivo Cæſare denarium hunc cuſum fuiſſe, in quo M. Antonius caput velatum habet, utpote augur, imo ut flamen quoque dialis, qui ædem Clementiæ Cæſaris dedicaverit, atque ludos equeſtres in ejuſdem dedicatione ediderit; quam feſtivitatem ſervet hic denarius ab Antonio in conſulatu ſuo ſignari juſſus, ſcilicet A. V. C. DCCX. juxta Varronem. Verum hanc conjecturam penitus evertit barba, quæ in hoc denario tribuitur Antonio, & docet eo tempore & hunc & reliquos Sepullii Macri nummos cuſos fuiſſe, quo propter luctum occiſi Cæſaris barbam nutriebant IIIviri; unde non tantum Lepidus & Antonius ut barbati occurrunt, ſed ipſe quoque Cæſar Octavianus, qui in plurimis nummis adcuratioribus, quos IIIvir reipublicæ reſtituendæ ſignari fecit, barbatus occurrit. Neque mirum id, quum eximius nummorum interpres Dio Caſſius teſtetur illum barbam eo tempore nutriviſſe, & primum depoſuiſſe quinto poſt Cæſaris necem anno. Et rem ipſam & conſules, adeoque tempus annumque, quo illud factum fuit, nos docet Dio Caſſius lib. XLVIII. pag. 377. Τῷ δ' ἐπιγιγνομένῳ, ἐν ᾧ Λούκιός τε Μάρκιος καὶ Γάϊος Σαβῖνος ὑπάτευσαν, τότε ὑπὸ τῶν τελῶν ἀνδρῶν πραχθέντα, ἀφ' οὗ ἐς τὴν ὀλιγαρχίαν ἐσῆλθον, κῦρος παρὰ τῆς βουλῆς ἔλαβε, καὶ τέλη τινὰ ὑπ' αὐτῶν προσκατέστη, διὰ τὸ τὰ ἀναλώματα πολλῷ πλείω, ἤπερ ἐπὶ τοῦ προτέρου Καίσαρος ἐτέτακτο, γίγνεσθαι. πάμπολλα γὰρ αὐτοὶ καὶ μάλιστα ἐς τοὺς στρατιώτας δαπανῶντες, ᾐσχυνόντο μόνοι παρὰ τὸ καθεστηκὸς ἀναλίσκοντες. ἀμέλει τὸν πώγωνα ὁ Καῖσαρ τότε πρῶτον ξυράμενος, αὐτός τε μεγάλως ἑώρτασε, καὶ τοῖς ἄλλοις ἅπασι δημοτελῆ ἑορτὴν παρέσχε. καὶ ὁ μὲν καὶ ἔπειτα ἐπελειοῦτο τὸ γένειον, ὥσπερ οἱ ἄλλοι. *Qui proximus fuit poſt id annus, L. Marcio, C. Sabino coſſ. eo quæ triumviri ab initio magiſtratu egiſſent, omnia rata eſſe ſenatus juſſit, quum vectigalia nova jam ante inſtituiſſent: quod longe majores ſumtus quam quos Cæſar ſuperior ſtatuerat, fiebant. Quum enim immodicam pecuniam impenderent militibus, turpe ſibi putabant ſi præſtitutum ſumtibus modum ipſi ſervarent. Etenim Cæſar tum primum barbam radens, ipſe ſplendide diem eum feſtum egit, & publicum epulum dedit: ab eo tempore genas læves ſervavit, ſicut alii ſolebant.* Factum hoc fuit A. V. C. DCCXV. juxta Dionem, adeoque anno poſtquam cuſos hos denarios crediderim; ad illum enim annum, qui hunc præcedit, ſpectat & hujus denarii & ſeſtertii ſequentis typus. Paullo enim ante quam genas raderet Cæſar, fine præcedentis anni cuſus fuit hic denarius, ratione ludorum, quos contra Cæſaris percuſſores voverant triumviri, eo anno celebratorum. Interpres nummi iterum Dio lib. XLVIII. pag. 376. Κἀν τῷ αὐτῷ τούτῳ χρόνῳ τό, τε ὕδωρ τὸ Ἰούλιον ὠνομασμένον ἐς τὴν πόλιν ἐπωχετεύθη, καὶ ἡ πανήγυρις ἡ ἐπὶ τῷ πολέμῳ τῷ πρὸς τοὺς σφαγέας εὐχθεῖσα ἀπὸ τῶν ὑπάτων ἐποιήθη, τά τε τοῖς ἑπτὰ ἀνδράσιν ὠνομασμένοις προσήκοντα οἱ ποντίφικες, ἐπειδὴ μηδεὶς ἐκείνων παρῆν, ἐπετέλεσαν· καὶ τοῦτο καὶ ἄλλοτε πολλάκις ἐγένετο. *Eodem tempore aquæ, quas Julias nominarunt, in urbem canalibus ductæ ſunt, ludosque, quos pro bello contra Cæſaris percuſſores voverant, conſules exhibuerunt: ac, quia ſeptemviri non aderant, eorum mu-*

nus

nus pontifices obierunt: quod alias etiam ſæpe factum eſt. Habemus in denario Antonium adhuc barbatum, ludos per deſultorem expreſſos, & præmium victorum corollam & palmam.

Litera A.

H. S. quæ ſeſtertii nota eſſe ſolet; eſt vero ſeſtertius quinarii pars dimidia. Caput Mercurii petaſatum.

Publius SEPVLLIVS. Caduceus alatus.

Pacis typus eſt caduceus; ſi hoc eodem anno, quo cuſus fuit elegans hic & rariſſimus ſeſtertius, pacis nobile fœdus ejusve initium contigerit, typi explicationem habemus. Dionem iterum in partes vocemus; is teſtatur eo anno coactos fuiſſe a populo Antonium & Cæſarem Octavianum, ut pacem cum Sexto Pompejo facerent. Ita enim ſcribit lib. XLVIII. pag. 376. Ἠναγκάσθησαν τῷ Σέξτῳ καὶ ἄκοντες ἐπικηρυκεύσασθαι. *Ita demum ad Pompejum de pace ineunda mittere coacti ſunt.*

Litera B.

Caput Antonii, ut auguris, velatum, niſi ſit muliebre.

MACER. Machæra, arcus, & pharetra decuſſatim poſita.

In hoc nummulo æreo rariſſimo quatuorvir monetalis cognomine ſuo tantum utitur, quod in ſeſtertio omiſerat, in denariis præter nomina quoque ſua adpoſuerat; Antonius vero hic Herculi comparatur, quod arma Herculis, arcus & pharetra, indicant; tertium armorum genus machæram potius quam clavam interpretor, quod manubrium adſit. Herculi vero comparari Antonium novum non eſt. In Græcis enim nummis ita pingi oſtendit Vaillantius in lib. de Imperatorum nummis in Græcia cuſis, pag. 2. ubi M. Antonii habitu Herculis nummus ab eodem vulgatur.

Et averſa quidem pars ad Antonium ſpectat; de anteriore vero magna mihi eſt dubitatio neque ſine ratione; eſt enim caput illud inberbe, naſus Antonio non ſuffragatur, & ſi bene ſpectentur faciei lineamenta, matronæ verendæ & modeſtæ effigiem repræſentare videntur. Quid multa? ipſam puto eſſe Octaviam, Cæſaris Octaviani ſororem, mulierem laudatiſſimam, quæ eo ipſo anno Antonio nuptum data fuit, ut fidum pacis pignus, quare bene colligata decuſſatim cernuntur arma in parte poſtica nummuli. Octaviam vero A. V. C. DCCXIV. nuptum datam fuiſſe Antonio Dio iterum confirmat lib. XLVIII. p. 375. Ἐν δ' οὖν τῷ τότε ἐπί τε ἵππων αὐτοὺς, ὥσπερ ἐν ἐπινικίοις τισὶν, ἐσαγαγόντες, καὶ τῇ νικητηρίᾳ στολῇ ἐξ ἴσου τοῖς πέμψασιν αὐτὰ κοσμήσαντες, ἔς τε τὰς πανηγύρεις ἐπὶ τῶν ἀρχικῶν δίφρων θεωρεῖν ποιήσαντες, καὶ τὴν Ὀκταουίαν τὴν τοῦ Καίσαρος ἀδελφὴν, γυναῖκα τῷ Ἀντωνίῳ, ἐπειδὴ ὁ ἀνὴρ αὐτῆς ἐτελεύτησε, καὶ κύουσαν προμνηστευσάμενοι, τοσαύτῃ μεταβολῇ ἐχρήσαντο, ὥστε τὸ μὲν πρῶτον κατὰ συστάσεις γινόμενοι, ἢ καὶ ἐπὶ θέαν τινὰ ἀθροιζόμενοι, παρεκάλουν σφᾶς εἰρηνῆσαι, καὶ πολλὰ ἐπὶ τούτῳ ἐπεβόων. *Itaque qui modo Cæſarem Antoniumque equitantes tanquam in triumpho quodam in urbem adduxerant, veſteque triumphali eos exornaverant, ludos ut ſellis curulibus ſedentes ſpectarent, juſſerant, Octaviam Cæſaris ſororem, marito ejus defuncto, prægnantem tum, Antonio conjugem conciliaverant, ii adeo mutati ſunt ut, vel coitionibus factis; vel ad ſpectaculum congregati, eos ad pacem cum Pompeio componendam hortati ſint, multo eam rem clamore agentes.* En hujus, en iterum præcedentis nummuli explicationem.

SERGIA.

Familia Sergia nobilis fuit, quæ ad Sergeſtum Æneæ comitem genus referebat. Cognomen Sili tulit a naſo ſurſus verſum repando.

I.

ROMA. EX *Senatus Conſulto.* Caput Romæ galeatum cum denarii nota.

MARCVS SERG*ius* SILVS *Quæſtor.* Vir armatus in equo, cujus dextra non adparet, læva gladium & caput humanum abſciſſum ferre cernitur.

Nullum inter antiquarios eſt dubium, quin præclarus hic inſignis fortitudinis typus ſpectet ad illum M. Sergium Silum, cujus ſtupendam in re bellica fortitudinem longo elogio proſequitur Plinius. Exſtat illud apud clariſſimum ſcriptorem lib. VII. cap. XXVIII. pag. edit. Hard. 391. *M. Sergio, ut quidem arbitror: nemo quemquam hominum jure prætulerit: licet pronepos Catilina gratiam nomini deroget. Secundo ſtipendio dexteram manum perdidit: ſtipendiis duobus ter & vicies vulneratus eſt: ob id neutra manu, neutro pede ſatis utilis: uno tantum ſervo, plurimis poſtea ſtipendiis debilis miles. Bis ab Annibale captus (neque enim cum quolibet hoſte res fuit) bis vinculorum ejus profugus, xx. menſibus nullo non die in catenis aut compedibus cuſtoditus. Siniſtra manu ſola quater pugnavit, duobus equis inſidente eo ſuffoſſis. Dexteram ſibi ferream fecit, eaque religata præliatus, Cremonam obſidione exemit, Placentiam tutatus eſt: duodena caſtra hoſtium in Gallia cepit: quæ omnia ex oratione ejus adparent, habita cum in prætura ſacris arceretur a collegis ut debilis. Quos hic coronarum acervos conſtructurus hoſte mutato? Etenim plurimum refert, in quæ cujusque virtus tempora inciderit. Quas Trebia Ticinusque aut Traſymenus civicas dedere? Quæ Cannis corona merita? unde fugiſſe, virtutis ſummum opus fuit. Cæteri profecto victores hominum fuere, Sergius vicit etiam fortunam.* In illis *ſecundo ſtipendio* dextram perdidiſſe dicitur, unde heroicum ejus factum, quod in hoc denario celebratur, contigiſſe videtur, poſtquam jam dextram perdiderat; nusquam enim dextra adparet, ſed quod ferrea ad prehendendum aliquid inutilis eſſet, læva manu & gladium & recifum caput hoſtile extollit. In iisdem Plinii verbis legimus, *Quas Trebia Ticinusque aut Traſymenus civicas dedere? Quæ Cannis corona merita?* Unde ſuſpicor reſpectu fortitudinis, quum aliis in præliis & rebus geſtis, tum præcipue Cannenſi illo prælio & clade præſtitæ, ſtatuam equeſtrem Romæ illi ex ſenatusconſulto fuiſſe erectam ea figura, quæ in denario conſpicitur. Recte enim Vaillantius ad ſtatuam literas illas S. C. revocat; & utique poſt Cannenſem cladem interérat reipublicæ, ut ſimilibus præmiis ad fortitudinis opera excitarentur cives in ſtatu patriæ tam deſperato. Abſciſſum itaque caput hoſtile videtur primarii alicujus Carthaginenſis eſſe, quem occiderit, cive, in quem is impetum fecerat, ſervato; cui Pœno, ad oſtentationem virtutis, caput amputaverat.

Silo illi, ſive familiæ ejusdem cognomen fuit, quod ab aliquo corporis vitio tractum fuiſſe Ci-

cero indicat lib. I. de Nat. Deorum cap. 29. *Redeo ad deos, ecquos si non tam strabones, aut pætulos esse arbitramur? ecquos nævum habere? ecquos Silos, Flaccos, Frontones, Capitones, quæ sunt in nobis? an omnia emendata in illis?* Quæ Ciceronis si legisset Harduinus, non ipse magno errore Valerium Maximum arguisset erroris, quod Sergiis cognomen Sili dederit, quasi Silo non Silus cognomen alicujus gentis fuerit. Verba Harduini ad Plinii dictum locum ita se habent: „ Vetus denarius in „ museo nostro, & apud Patinum in Familiis „ pag. 256. Romæ Victricis caput hinc exhibet, „ cum denarii nota & ROMA. & EX. S. C. „ inde equitem galeatum, qui sinistra strictum „ ensem & caput hostis præcisum gestat. Sub „ equo M. SERGI. *Marcus Sergius*, ille qui in „ equo pingitur. Litera Q. superposita a quæ„ store nummum percussum esse significat, qui „ materno sanguine genus ex illo duceret: infra, „ charactere paullo minore, SILVS. quæ sunt „ totidem vocum primæ literæ, hac sententia „ *Sergius* Italiam *Liberavit Vicies Sexies.* Erro„ re magno Valerius Maximus, lib. VI. cap. I. „ num. 8. aliique Sergium cognomine Silum di„ xere, Plinio teste, lib. XI. sectione LIX. non „ *Silus* alicujus gentis cognomen sed *Silo* fuit." Hæc pro auctoritate sua Harduinus. Ut taceam maternam illam nobilitatem quam ridicule Sergio Silo nostro tribuit, ipse probe scivit Silones eosdem & Silos dici, quorum alterum Latina alterum Græca terminatione dicitur. Ad Plinii enim locum, quem respicit in hac nota lib. XI. pag. 620. *Avibus, serpentibus, piscibus foramina tantum ad olfactus sine naribus. Et hinc cognomina Simorum, Silonum.* Harduinus hæc notavit: „ Græci σιλὺς, *Silones*, vocant, qui naso sursum „ versus adunco & repando deformes sunt, au„ ctore Festo." Reliqua Harduini refutatione non indigent, & recte Silum vocavit Cn. Sergium Valerius Maximus l. c. his verbis: *Metellus quoque Celer stuprosæ mentis acer punitor exstitit, Cn. Sergio Silo promissorum matrifamiliæ nummorum gratia diem ad populum dicendo, eumque hoc uno crimine damnando: Non enim factum tunc, sed animus in quæstionem deductus est: plusque voluisse peccare nocuit, quam non peccasse profuit.*

Vixit itaque hic Marcus Sergius Silus bello secundo Punico, clades vero Cannensis accidit A. V. C. DXXXVII. Ad præturam tandem pervenit ætate grandior, scilicet A. V. C. DLVI. in qua quum, ut debilis, sacris arceretur, militarem illam orationem habuit, ex qua sua excerpsit Plinius. Hujus M. Sergii Sili, qui Catilinæ dicitur proavus, filius fuit M. Sergius Silus, qui inter quæstores provinciales numeratur a Steph. Vinando Pighio A. V. C. DLXXXIII. quique in prælio contra Persen sociorum cohortibus & turmis aliquot præfectus fuit, teste Livio lib. XLIV. cap. 40. Sequitur deinde M. Sergius M. F. M. N. Silus, avus, ut volunt, L. Sergii Catilinæ. Hunc enim nepotem potius fortissimi Sergii istius fuisse existimo quam filium, quinquaginta enim annis discrepat prætura Sergii illius nobilioris, & hujus, qui avus Catilinæ dicitur, quæstura provincialis, qui secundus gradus inter majores magistratus erat; ut potius abnepos, si non trinepos, quam pronepos fortissimi illius Sergii fuerit Catilina. Avum enim Catilinæ inter quæstores provinciales enumerat Pighius A. V. C. DCV. Post hos prætor provincialis recensetur M. Sergius M. F. M. N. Silus A. V. C. DCXLVII. At L. Sergius Catilina honores auspicatus fuit circa A. V. C. DCLXXVI. sic ut inter M. Sergium Silum, prætorem illum provincialem, & L. Sergium Catilinam, pater Catilinæ, L. Sergius quoque dictus, intercessisse videatur. Adeoque ratione temporis L. Sergio Catilinæ, qui industria Ciceronis fuit interceptus, tritavus fuisse videtur celebratus in hoc denario a fortitudine sua apud Plinium M. Sergius Silus. Pronepotes vero in genere nepotes & ulterior progenies vocari solent. Si vero non Lucii Sergii, sed M. Sergii filius fuerit Catilina, avum habuit M. Sergium quæstorem, ut volunt, A. V. C. DCV. & celeberrimum illum Sergium abavum non tritavum habuit.

In hac serie tres Marci Sergii Sili occurrunt, Sergii nostri filius, nepos, pronepos, filius A. V. C. DLXXXIII. nepos DCV. pronepos DCXLVII. honores, alius alios gessisse legitur. Unus igitur horum, incertum quis, in quæstura sua urbana signasse hunc denarium & nobilitatem laudemque Sergiæ fortitudinis hoc typo expressisse videtur. Apud Varronem lib. V. de L. L. pag. 62. & 63. mentio fit quæstoris M. Sergii Manii filii, qui hominem sceleratum T. Quinctium Trogum capitis accusaverit. Utrum tamen ibi pro *Manii* sit scribendum *Marci*, & an ad Sergios Silos pertineat, adfirmare non ausim.

SERVILIA.

Gens Servilia in primis fuit illustris, patricia, postmodum plebeja quoque, multis cognominibus distincta, ex qua consulatus & summos honores plurimi gesserunt. In denariis superest memoria Ahalarum, Geminorum, Rullorum, Cascarum & Cæpionum.

TAB. I.

I.

AHALA. Caput C. Servilii Ahalæ.

BRVTVS. Caput L. Bruti, primi consulis.

Tempore Bruti, qui Cæsarem interfecit, cusi sunt hi denarii. Is paternam originem ad expulsorem illum regum & consulum primum L. Junium Brutum referebat. Maternum illi genus a Serviliis, per matrem Serviliam, &, quod ipse ab avunculo Q. Servilio Cæpione adoptatus esset, Cæpio dictus fuit. Jure itaque Ahalam, qui Sp. Melium regnum adfectantem occiderat, Bruto consuli junctum videmus. Signari a Servilio Casca potuit, cujus est denarius II. tabulæ sequentis.

II.

Caput Romæ galeatum, post illud est litera alphabetica K.

Marcus SERVEILI*us Cai Filius.* Infra est litera Q. Duo equites, dimissis equis, pedestrem pugnam ineunt, alter eorum, qui cedentis fugientisque speciem præ se fert, duo cornua ad caput eminentia habere videtur.

Ad meliorem hujus denarii & sequentium lucem, inquirere debemus, de quo hic danarius agat, sive cujus factum heroicum exprimat, quodnam id factum sit, & a quo honor illi in cudendis denariis his sit habitus.

Servilium Ahalam, & Spurium Melium ab Ahala ob regni occupandi consilia interfectum A. V. C. CCCXIV. exprimi putant Ursinus & Begerus in Thes. Br. tom. II. p. 585. Aliam interpretationem, & merito, amplectitur Vaillantius, at-

atque insigne aliquod factum M. Servilii Caji filii depingi existimat, cui sententiæ potiori jure accedo. Differt enim armatura equitis Romani & peregrini, galeam simplicem ille habet, hic vero cornua in fronte eminentia ostentat. Conferri itaque jubeo nummos gentis Marciæ, qui occurrunt ibidem tab. prima num. IV. & VI. in priori caput signatur Philippi Macedonum regis, qui Persei pater fuit, præter diadema & galeam hircinis cornubus insigne; in posteriore idem Philippus eques cernitur & hastatus, eodem capitis ornatu. Hinc conjecturam capi posse puto, ad Macedonas pertinere alteram figuram, cujus equus fugæ arripienti similis depingitur, Romanum vero militem vel ducem altera designari, quæ priorem persequitur, relicto pariter equo suo, qui in posteriores pedes sese erigit. Romanus itaque dux, cujus hic fortitudo celebratur, est M. Servilius Pulex Geminus, post tribunatum plebis magisterio equitum functus, dictatore P. Sulpicio Galba Maximo A. V. C. DL. qui consul factus fuit cum Ti. Claudio Nerone A. V. C. DLI. Multa ille & gravia pericula pro republica subiit, non tantum ducis sed & militis officio sæpe functus, atque inter fortissimos provocatores numerandus; ter & vicies enim singulari certamine depugnavit hoste semper prostrato & jugulato. Ipse de se testis est in luculenta pro L. Paulli triumpho Macedonico contra Servium Galbam, qui impedire illum conabatur, oratione apud Livium lib. XLIV. cap. 39. *Et tu centurio, miles, quid de imperatore Paullo senatus decrevit potius, quam quid Servius Galba fabuletur, audi: & hoc dicere me potius quam illum audi. Ille nihil præterquam loqui, & id ipsum maledice ac maligne, didicit: ego ter & vicies cum hoste per provocationem pugnavi: ex omnibus, cum quibus manum conserui, spolia retuli; insigne corpus honestis cicatricibus omnibus adverso corpore exceptis habeo.* Unde in Vita L. Paulli Æmilii apud Plutarchum pag. 271. idem M. Servilius Geminus vocatur ἀνὴρ ὑπατικὸς καὶ πολέμιος, εἴκοσι καὶ τρεῖς ἐκ προκλήσεως ἀνῃρηκώς. *vir consularis, qui tres & viginti hostes ex provocatione interemerat.* Videtur itaque in hoc denario una ex illustrioribus provocationibus depingi, qua aliquem Macedonum ducem præstantiorem straverit, quum uterque ex equis descendissent. Inter arma Macedonum enim tales videntur galeæ cornutæ fuisse, qualem & hæc hostilis figura, & ipse rex Philippus in dictis denariis gentis Marciæ gestat. Certamen vero hoc existimo contigisse priori bello contra Persei patrem Philippum, propter ætatem enim vix crediderim adfuisse L. Paullo in bello contra Perseum.

Cusum fuisse hunc denarium opinor a nepote hujus Marci, non ab ipso Marco, qui scilicet illum signasset ad æternam rei memoriam (ut vult Vaillantius) certaminis singularis quod cum aliquo hostium in quæstura sua provinciali A. V. C. DXLII. commiserit. Marcus Servilius Geminus, de quo agimus, duos videtur reliquisse filios Marcum & Cajum Servilios; Caji iterum filius fuit Marcus, qui in quæstura sua provinciali hos denarios signasse videtur; in nullis enim vox ROMA adscribitur.

Litera A.

Caput Romæ galeatum, post illud litera Græca Ψ est alphabetica.

Marcus SERVEIL*Ius Caji Filius.* Typus idem pugnæ virorum qui ab equis descenderunt. Subtus est littera A. alphabetica.

Notandum est in his denariis alphabetum & Romanum & Græcum inveniri. Illud quamvis factum fuerit, ut matrices distinguerentur, confusas tamen easdem fuisse adparet. Eadem enim litera ab utraque parte observari a monetariis debuerat, quod iidem raro, in aliis etiam nummis, fecerunt.

Litera B.

Caput Romæ galeatum; post illud est litera Græca ω.

Inscriptio & typus idem, ut supra, subtus est litera A.

Litera C.

Caput Romæ galeatum; post illud Litera X. est.

Inscriptio & typus idem, subtus est litera C.

Litera D.

Similis, sed a parte capitis Græcorum Φ est, ab altera parte Latinorum D.

Litera E.

Similis, sed a parte capitis M. ab altera N literæ adparent.

Litera F.

Similis. Græcæ literæ sunt, ad caput K. ad alteram partem Π.

Litera G.

Similis. Ad caput Romæ Græcum Θ est, ad partem alteram Latina litera R.

III.

ROMA. Caput Romæ galeatum, post illud corolla cernitur.

Caius SERVEIL*Ius Marci Filius.* Dioscuri in equis subsultantibus. In diversum vero abire notant antiquarii, quod quum alter eorum mortalitatis expers semper fieri potuisset, honorem cum fratre communicare maluerit, sic ut alternis vicibus inter immortales degerent, quum itaque hac de caussa simul nunquam compareant, quasi valedicentes sibi in nummo depinguntur.

Inter Servilios Geminos occurrunt C. Servilius C. F. P. N. Pulex Geminus, qui, quum ædilis curulis esset, magister equitum factus fuit T. Manlio Torquato dictatore, A. V. C. DXLV. Hic frater fuit natu major M. Servilii, de quo ad nummum præcedentem egimus, & anno ante illum, videlicet A. V. C. DL. consul factus fuit. Ad illum Cajum Servilium denarius hic spectare nequit, quoniam is, cujus nomen hisce inscribitur, Marci filius dicitur. Filius itaque natu minor fuit Marci Servilii consulis A. V. C. DLI. de quo plura diximus ad nummum præcedentem. Itaque hic C.

Servilius M. F. C. N. P. PN. Pulex Geminus, & non alius, dici poteſt ſignaſſe hunc denarium. Is inter tribunos plebis numeratur A. V. C. DLXXX. quæſtorem vero provincialem fuiſſe cenſet Pighius A. V. C. DLXXV.

Expreſſit Caſtorem & Pollucem, geminos ſive gemellos ex Leda Jovis filios, adludens ita ad cognominis ſui originem, & forſitan quoque ad patrem & patruum, quorum uterque magiſter equitum fuerat. De Serviliorum cognomine Geminus cerni poteſt Periz. Obſ. Hiſt. cap. 11. quo reſpiciens Morellius hæc ſcripſit p. 130. „Capi- „ te II. jucundum præprimis mihi fuit legere ob- „ ſervata de Serviliorum cognomine GEMI- „ NUS, quibus etiam conjecturæ Pighianæ de „ M. & C. ABURIIS, quod fratres fuerint, „ indeque etiam GEMINI appellati, veritas „ adſtrui poſſe videtur; incertum etenim eſt, „ quale cognomen tres literæ GEM. indicent. „ Occurrit quidem & apud Gruterum ABURIA „ GENESIS, ſed cum mulier non ſit Geneſis, „ ſed Geneſeos organum, forſan ibi genuinum „ hujus gentis cognomen notatum, ac poſtea „ male deſcriptum fuit." Corolla poſt caput Romæ, perpetuas urbis æternæ indicat victorias, vel, ſi de aliqua ſingulari capere velimus, reſpicere poteſt ad nobilem de Celtiberis victoriam, quam reportavit Ti. Gracchus A. V. C. DLXXIV. quo quæſtor urbanus eſſe potuit C. Servilius. In urbe enim cuſum fuiſſe denarium vox Roma adſcripta ſignificat. Vel potius cuſus fuit A. V. C. DLXXII. una cum quadrantibus æreis num. VI. & lit. H. ubi vide quæ adferentur.

IV.

ROMA. Caput deæ Libertatis laureatum, poſt quod baculus auguralis ſive lituus cernitur.

Caius SERVEIL*ius*. Duæ figuræ armatæ equeſtres, quarum prior depingitur fugientis ritu, ceſpitante equo, gladio elato, quam altera in proximo figura haſta per tergum transadigit. Figura victrix parmam gerit, cui ſupra fulmen tranſverſum inſcribitur litera M.

Hunc & ſequentem denarium Vaillantius refert ad Marci filium Cajum Servilium, qui præcedentem quoque ſignavit. Diſſentio ab illo duabus de cauſis; prima eſt, quod patris nomen non adſcribatur, ita ut non conſtet Marci, & quidem ejus Marci, fuiſſe filium. Altera ratio eſt, quod baculus auguralis adpingatur non tantum in hoc denario ad caput Libertatis, verum etiam in ſequenti ad caput Romæ, quo tamquam ſymbolo a priore & reliquis Serviliis diſcernatur. Scio literam M. quæ in parma equitis cernitur, conſiderari a Vaillantio quaſi Marcum deſignet, ſed ego aliter illam exponi poſſe judico, uti mox patebit.

Itaque Cajum Servilium, qui hunc & ſequentem denarium ſignavit, illum Lucullei nominis atrociſſimum inimicum eſſe exiſtimo, de quo Plutarchus in vita Luculli in princip. pag. 491. *Luculli avus vir conſularis fuit, avunculus Metellus Numidicus. Pater repetundarum damnatus eſt: mater Cæcilia infamis fuit ob ſuſpicionem violatæ pudicitiæ. Ipſe Lucullus, adoleſcens etiamnum, priusquam rempublicam adtingeret, ullamve dignitatem ambiret, nihil antiquius habuit, quam Servilium Augurem, patris ſui accuſatorem, publico crimine accuſare: idque factum Romani præclarum exiſtimarunt, inque omnium ore fuit. Et alioquin etiam absque privata occaſione haud vitio dabatur accuſandi munus, volebantque plane Romani, adoleſcentes iis qui deliquiſſent, ut catuli generoſi ſolent feris, infeſtos eſſe. Cauſa illa magna contentione acta, ita ut quidam ſauciarentur, aliqui occiderentur, evaſit tamen Servilius.* Augur ibidem dicitur, atque iſto cognomine tam notus illo tempore fuiſſe videtur, ut non neceſſe judicarit Plutarchus, vel ſcriptor, ex quo ſua hauſerit, prænomen Servilii, vel aliud ejus cognomen adjicere. Ad hoc igitur cognomen ejus adludit, dum in utroque denario lituum auguralem depinxit pone deorum capita, Libertatis & Romæ. Hunc Servilium Augurem Pighius inter quæſtores provinciales enumerat A. V. C. DCLI. inter ædiles curules DCLVI. & prætores denique DCLIX. unde liquet ſignatum fuiſſe hunc denarium ante A. V. C. DCLI.

In averſa nummi parte eques hoſtilem equitem haſta transfigens cernitur. Poteſt deſignare eundem provocatorem inſignem M. Servilium, qui ipſe facinora ſua, ut audivimus, commemorat apud Livium, ſi litera M. parmæ ſeu clypeo inſcripta Marcum deſignaret, neque inſolitum eſſet prænomine tantum aliquem deſignari. Equeſtri laude certe excelluit M. Servilius, unde ab adſidua jactatione tumor ille inguinum qui inimicis riſum movebat apud Livium lib. XLV. cap. 39. *Nudaſſe deinde ſe dicitur &, quo quæque bello vulnera accepta eſſent, retuliſſe; quæ dum oſtentat, adapertis forte quæ velanda erant, tumor inguinum proximis riſum movit. Tum: Hoc quoque quod ridetis, inquit, in equo dies noctesque perſedendo habeo: nec magis me ejus quam cicatricum harum pudet, pœnitetque; quando nunquam mihi inpedimento ad rempublicam bene gerendam domi militiæque fuit.* Apud Plutarchum in Vita Paulli pag. 272. ita efferuntur. Ἅμα δὲ τῆς ἐσθῆτος διασχὼν ἐξέφηνε κατὰ τῶν στέρνων ὠτειλὰς ἀπίστους τὸ πλῆθος. εἶτα μεταστραφεὶς, ἔνια τῶν οὐκ εὐπρεπῶς ἐν ὄχλῳ γυμνοῦσθαι δοκούντων τοῦ σώματος ἀνεκάλυψε· καὶ πρὸς τὸν Γάλβαν ἐπιστρέψας, Σὺ μὲν (ἔφη) γελᾷς ἐπὶ τούτοις, ἐγὼ δὲ σεμνύνομαι πρὸς τοὺς πολίτας. ὑπὲρ τούτων γὰρ ἡμέραν καὶ νύκτα συνεχῶς ἱππαζόμενος, ταῦτ' ἔσχον. *Simul ſe nudavit, oſtenditque innumeras cicatrices adverſo corpore acceptas. Inde converſus: adaperuit quædam quæ ad populum velanda erant, atque ad Galbam reſpiciens, Tu quidem inquit, hæc derides, ego vero apud cives glorior iis quæ pro his in equo noctes dieque perſedendo accepi.* Hinc certe gloria equeſtris denegari Marco Servilio non potuit, ſed tamen valde dubito, utrum aliquid fortiter ab illo in bello factum nummus reſpiciat. Typos enim denariorum contemplanti, in Fam. Manlia ſimillimus eques adparet, licet abſit hoſtilis figura ab eodem confoſſa. Ibi num. IV. occurrit ſtatua equeſtris Manlio Torquato, ob ſimile, ut videtur, factum erecta. Eques Manlius eodem plane habitu quo noſter occurrit; unde ſuſpicor hunc C. Servilium Augurem ex Manliis Torquatis adoptione ad familiam Serviliam transiiſſe, atque ita uno hoc typo ſimul & priſtinæ & novæ familiæ decora Manliæ & Serviliæ celebrare voluiſſe; adeoque literam M. quæ in parma equitis victoris conſpicitur, nomen eſſe productum familiæ antiquæ, ut integra denarii ſit lectio *Caius* SERVEIL*ius Manlianus*.

V.

ROMA. Caput Romæ galeatum cum denarii nota, poſt illud eſt lituus auguralis.

Caius SERVEIL*ius Manlianus*. ut puto legi inſcriptionem debere. Typus præcedenti eſt ſimilis.

Pictura aliquantum differt, lorica ſquammata enim indutus eſt hoſtilis ille eques a Romano equite confoſſus.

VI.

VI.

Caput Herculis inberbe in leonis exuviis, post illud sunt tres globuli, ponderis indices.

Caius SERVEILI*us Marci Filius.* Prora navis.

Refero hunc quadrantem ad illum C. Servilium, qui denarium signavit notatum supra num. III.

VII.

ROMA. Caput simile Herculis, cum iisdem quadrantis notis.

Caius SERVEILI*us Marci Filius.* Prora navis, ut supra. Sed desuper adest corolla.

Corolla, quæ super navem cernitur, victoriam expeditione navali adquisitam indicare videtur, & quidem ejus classis, ad cujus milites remunerandos quadrantes hos, & denarios Dioscuris signatos, percussit C. Servilius. Et sic linteum illud, quod videtur cerni exstans in media nave præcedentis quadrantis, classem paratam utsolvat, atque naviget, innuere potest.

Inquirere jam oportet, quo tempore victoriam illam, cujus symbolum corolla est in num. III. atque hoc nummo, relata fuerit, quæ potius navalis vel navali expeditione adquisita videtur, quam expeditione terrestri. Diximus ad num. III. innui forsan victoriam de Celtiberis. Quæ videlicet conjectura nititur anno quæsturæ provincialis Caji Servilii, quam Pighius ad A. V. C. DLXXIV. pro conjectura videlicet sua, quam in his magistratibus passim facere solet, supputando tempus quod plerumque inter magistratus legitime capessendos intercedere debebat. Sed sicuti nequaquam certa talis est conjectura, magis indicat quo tempore circiter potuerit magistratum illum gerere, quam quo revera gesserit. Unde forsitan non errabimus, si statuamus C. Servilium hunc, Marci filium, quæstorem urbanum fuisse A. V. C. DLXXII. quo, rebellantibus Corsis Sardisque, novus prætor M. Pinarius octo millia peditum ex sociis Latini nominis, & trecentos equites secum in illam provinciam ducere jussus fuit, ut refert Livius lib. XL. cap. 18. magnamque eo tempore classis curam habuisse Romanos docet ibidem Livius, bonumque belli ejus post adversos pestilentiæ casus eventum, aliquanto post describit. *Nec rei navalis* (inquit cap. XVIII. *cura omissa; duumviros in eam rem consules creare jussi, per quos naves viginti deductæ navalibus sociis civibus Romanis, qui servitutem servissent, complerentur; ingenui tantum ut iis præessent. Inter duumviros ita divisa tuenda denis navibus maritima ora, ut promontorium iis Minervæ, velut cardo in medio esset: alter in dextram partem usque ad Massiliam, lævam alter usque ad Barium tueretur.*. Sequitur deinde cap. XIX. *Pestilentiæ tanta vis erat, ut quum propter defectionem Corsorum, bellumque ab Iliensibus concitatum in Sardinia, octo millia peditum ex sociis Latini nominis scribi placuisset, & trecentos equites, quos M. Pinarius prætor secum in Sardiniam trajiceret, tantum hominum demortuum esse, tantum ubique ægrorum consules renunciaverint, ut is numerus effici militum non potuerit. quod deerat militum, sumere à Cn. Bæbio proconsule, qui Pisis hibernabat, jussus prætor, atque inde in Sardiniam trajicere.* Exitus vero belli commemoratur ibid. cap. XXXIV. *In Corsica pugnatum est cum Corsis. ad duo millia eorum M. Pinarius prætor in acie occidit. qua clade compulsi, obsides dederunt, & ceræ centum millia pondo. Inde in Sardiniam exercitus ductus: & cum Iliensibus, gente ne nunc quidem omni parte pacata, secunda prælia facta.* Valde itaque verosimile est isto anno, quo Sardos & Corsos rebelles magno adparatu domuerunt Romani, denarios hosce atque quadrantes in ejus belli usum a C. Servilio Gemino quæstore cusos fuisse. Quæstor enim urbanus illo anno, deinde ad quæsturam provincialem, atque sic ad honores majores est progressus. Pighius perperam credidit hunc C. Servilium M. F. Rullum fuisse, tom. III. pag. 280.

VII.

RVLLI. Caput Minervæ galeatum cum ægide ad pectus.

Publii SERVILI*i Marci Filii.* Victoria in bigis equos subsultantes læva regit, dextra palmam tenet. Sub equis litera alphabetica P. est.

Ursinus fallitur, quum denarium hunc refert ad tribunum illum plebis P. Servilium Rullum, qui tempore Ciceronis tribunus plebis fuit, & cujus rogationes de lege agraria valide orationibus suis inpugnavit idem Tullius. Verum hic Publii fuit filius, unde ad patrem rectius cum Vaillantio & Pighio tom. III. pag. 280. refertur. Is enim Marci filius in his denariis inscribitur. Hunc Pighius inter prætores collocat A. V. C. DCLXXV. tribunum plebis vero facit A. V. C. DCLV. atque inde quæsturam ejus provincialem collocat A. V. C. DCL. Pighii vestigia (ut solet) legens Vaillantius, censet Rullum hunc quæstorem fuisse M. Fulvii in Hispania Citeriore, & ad demonstrandum ipsius virtute Cimbros castris exutos fuisse, Victoriæ typum signasse.

Verum ego puto P. Servilii Rulli M. F. qui hunc denarium signavit, tribunatum plebis aliquot post annis demum esse ponendum, quoniam quæstura ejus provincialis, nostro judicio, incidit in A. V. C. DCLXI. Eo enim anno credimus illum quæstura provinciali in Asia & Cilicia functum fuisse sub prætore Sulla, atque hos denarios signasse tempore belli Mithridatici, atque victorias Sullæ aversæ partis typo designasse. Minervæ certe caput, quod galeatum & ægide ad pectus conspicuum cernitur a priore denarii parte, ut ovo ovum simile est Minervæ capiti signato in nummo gentis Corneliæ tab. quinta num. II. ubi conferri debent, quæ, respectu Sullæ de capite Minervæ in ejus nummis pag. 129. commentati sumus. Hic vero est ille Rullus, cujus gulam taxat Plinius lib. VIII. cap. 52. *Solidum aprum Romanorum primus in epulis adposuit P. Servilius Rullus, pater ejus Rulli, qui Ciceronis consulatu legem agrariam promulgavit. Tam propinqua origo nunc quotidianæ cœnæ est.* Ad quem locum interpretationem hujus denarii adpingit Harduinus pag. 481. bellam sane & elegantem. „Fuit (inquit) Servilius Rullus, de quo Plinius hoc lo-
„ co agit, e gente plebeja, quandoquidem pater
„ is fuit P. Servilii Rulli, tribuni plebis, qui Ci-
„ ceronis consulatu legem Agrariam promulga-
„ vit. Servilia gens tamen patricia fuit, ut pa-
„ tet ex consulatu M. Servilii, quem Plinius
„ commemorat, lib. X. sect. LX. ac fortassis
„ etiam ex magisterio equitum, cujus idem
„ meminit lib. VII. sect. XIX. Non fuit igi-
„ tur Rullus tribunus plebis, nisi ex patris ma-
„ tre, *Servilius*: ex avo paterno plebejo *Rullus*:
„ cum tribunus plebis non nisi plebejus esse po-
„ tuerit. Hoc itaque istius tribuni plebis ge-
„ nus fuit:

„ Rullus ——— Servilia conjux.
„ ———
„ P. Servilius Rullus.
„ ———
„ P. Servilius Rullus, Tribunus plebis.

„ Nomen autem Servilii idcirco cognomini Rulli præponitur, quoniam nobilius illud est, quippe patriciæ gentis. Est in museo nostro, & apud Patin. in Famil. p. 237. n. 7. alicujus ex ea gente nummus argenteus: cujus pars una Victoriam in bigis exhibet, quæ palmam tenet. Infra P. SERVILI. M. F. *Publius Servilius Marci Filius.* triumvir monetalis scilicet triumviri filius. Parte altera caput Romæ galeatum est post RVLLI. Non est autem hic Rulli cognomen: nam si foret, RVLLVS scriberetur non RVLLI. cum RVLLI. scribitur *Rullius* legi oporteret: ut hic SERVILI. *Servilius* est: alibi SERGI. *Sergius*, & sexcenta similia. Sententia est, primis tantum litteris singularum vocum expressa: *Raphanæ Vespasianus Legiones Imposuit.* Raphana urbs est e præcipuis regionis Decapolitanæ. Ibi Vespasianus, cum in Judæa Decapoli proxima res ageret, legiones præsidiarias collocarit. Littera LL. geminatur, ad pluralem siginficandum. Nummus alter a Patino adlatus ibidem, n. 8. priori fere similis est, nisi quod incusum currui bijugo, quem regit Victoria, nomen Vespasiani est, IMP. VES., litteris colligatis. id vero nostram de voce RVLLI interpretationem egregie constabilit. " Hæc Harduinus. Nos quidem concedimus plebejum fuisse P. Rullum, alias enim neque ipse, neque filius ejus tribunatum plebis adipisci potuissent. Sed an non plures familiæ in patricios & plebejos distinctæ fuerunt? An non adoptionibus plebeji sunt facti plures, qui antea patricii erant. An ideo illuc deveniendum ut materna nobilitas nomen det? Quod dicat RVLLI*us* & SERGI*us* & SERVILI*us* legi oportere, ubi RVLLI, SERGI, SERVILI in denariis exstat, plurimum fallitur. Solebant enim Romani tam in secundo casu quam in primo nomen suum denariis inscribere; quod supra satis docuimus ad Furiæ gentis nummum pag. 190. ubi *Marci* FVRII BROCCHI legi debet.

VIII.

RVLLI. Caput Minervæ galeatum cum ægide ad pectus, ut supra.

Publii SERVILI*i Marci Filii.* Victoria in bigis, ut supra; sed inprimitur ad equorum colla signum incusum, cum literis IMP*erator* VES*pasianus.*

Hac Vespasiani mentione Harduinus censet ridiculam suam hujus denarii interpretationem fulciri posse; infirmo sane tibicine. Hæ enim literæ, sive incusa Vespasiani nota, nihil aliud significant, nisi tempore Vespasiani, quacunque de caussa, monetæ huic antiquæ, quæ pariter ut nova in usu erat, notam hanc adpositam fuisse. An non Claudius Augusti, Drusi, Tiberii, Caligulæ innumeros nummos æreos variis notis incusis signari fecit. Quingentos fere æreos Græcorum Regum, Græcarum urbium, & Imperatorum in Græcia cusos nummos possideo pluresque vidi, notas varias incusas ostentantes; neque æreos solum sed & argenteos, quamvis parcius in argento id fieri solebat. Servo quoque argenteum M. Antonii triumviri denarium, in quo solitus est typus aquilæ legionariæ & triremis, qui eodem hoc modo eandem connexis literis incusam notam habet, in qua legitur IMP. VES. Nihil itaque ex Vespasiani illa nota roboris conjecturæ Harduini paradoxæ accedere potest; sed clarissime patet, Vespasianum, ex aliqua fisci sui necessitate, pretium denariorum, ut nos in schellingis nostris aliaque moneta argentea fecimus, aliquando auxisse vel confirmasse. Notari vero volo, retrogrado ordine notam in denario meo M. Antonii triumviri sculptam legi, incuria scilicet sculptoris. Tales vero denarii adservari a studiosis rei antiquariæ debent.

TAB. II.

I.

Cai CASSEI IMP*eratoris.* Caput deæ Libertatis laureatum.

Marcus SERVILIVS LEG*atus.* Cancer forficulis prehendens acrostolium, sub illo animali rosa Rhodiorum est, quæ Rhodi cusos denarios significat.

De typo adfatim diximus ad Fam. Cassiam tab. num. pag. 80. in Servilium, quis is fuerit, nunc inquirendum est. Ahalam cognominat Ursinus, Geminum Vaillantius. Qui scissis partibus reipublicæ pro republica contra Antonium stetisse inveniuntur, recte creduntur Bruto & Cassio adhæsisse, eorumque legati fuisse. Servilios, qui reipublicæ partes foverunt, enumerat Cicero Philipp. II. cap. 11. *Quid duos Servilios, Cascas dicam, an Ahalas? & hos auctoritate mea censes excitatos potius, quam caritate reipublicæ?* Si Gemini inter illos Servilios fuissent, nequaquam illos Tullius omisisset. Habemus itaque Servilios Cascas in denario hoc & seq. num. IV. qui mox sequitur, tertio, habemus & in sequenti Ahalam. Neque novum fuit tempore Ciceronis antiquam familiæ suæ nobilitatem adserere, licet dubiis sæpe rationibus. Quare haud caret suspicione probabili, tabulæ primæ nummum I. a Servilio Ahala quoque cusum fuisse, qui simul ad domus suæ nobilitatem respexerit; quamvis Servilio Cascæ adsignari quoque possit, qui in utraque ejus parte ad solum Brutum in typo respicere potuerit. Hunc M. Servilium Ahalam existimo tribunum illum plebis fuisse A. V. C. DCCX. cujus constantiam laudat Cicero Philipp. IV. cap. ult. *Hodierno autem die primum, referente viro fortissimo nobisque amicissimo, hoc M. Servilio, collegisque ejus, ornatissimis viris, optimis civibus, longo intervallo, me auctore & principe, ad spem libertatis exarsimus.* Ejusdem meminit in epistola ad Cassium lib. XII. epist. 7. *Ea sententia dicta productus sum in concionem a tribuno plebis M. Servilio.* Hic itaque M. Servilius Ahala, in dissensione partium quum percussores Cæsaris secutus esset, legatus Cassii hos denarios signavit. Antiquo vero more CASSE*i* pro CASSII in hoc denario scribitur.

II.

Cai CASSI*i* IMP*eratoris.* Caput idem Libertatis, subtus aquilæ incusum cernitur signum, quod denotat in ducum Mantuæ museo olim aureum hunc nummum extitisse.

Marcus SERVILIVS LEG*atus.* Acrostolium, quod in florescentes extremitates desinit, rosarum folia in extremis habens, unde colligimus Rhodi cusum numisma fuisse. Eadem hæc sententia fuit Morellii in Epist. ad Periz. p. 188. &

& 189. „ Eadem prope difficultas sese exerit in „ flore nummorum CASSIAE & SERVILIAE „ Familiarum, sine dubio tamen ad Rhodios „ pertinentium, rosamque Rhodiorum præ se „ ferentium. Siquidem in primo nummo tabu„ læ II. flos, sive rosa ramusculo in imo num„ mi juncta, in secundo vero distinctius expressa „ deprehenditur; quamvis & alii acrostolium esse „ contendant. Sed de his elegantissima pro mo„ re suo jam tradidit illustrissimus Spanhemius „ in Dissertat. pag. 273. & seq. quem Oraculum „ velut Delphicum, summumque patronum „ consulturus de his omnibus adiissem, si terram „ illam scirem, quæ saluti publicæ unice litan„ tem magnum illum virum jam contineat.

Hujus M. Servilii Ahalæ, qui hunc & præcedentem nummum in Cassii imperatoris sui honorem cudit, patrem fuisse existimo M. Servilium, Ahalam quoque dictum, cui ex conjectura itidem Gemini cognomen dat Pighius, tribunum plebis A. V. C. DCLXXXXIII. in quem Q. Metellus Celer orationem, cujus copiam fieri sibi postulat Cicero in epist. ad Atticum, scripsit. *Orationem Q. Celeris mihi velim mittas contra M. Servilium* inquit lib. ad Att. VI. ep. 3. Postulaverat illum repetundarum.

III.

CASCA LONGVS. Caput Neptuni laureatum, pone quod tridens est.

BRVTVS IMP*erator*. Victoria gradiens, corollam defluentibus lemniscis dextra lævaque adprehendit, læva insuper palmam tenet super humeros.

De hujus quoque denarii typo ad Fam. Juniam pag. 226. actum fuit.

Inter percussores Cæsaris duo Cascæ fratres fuerunt, uti pluribus demonstravimus ad Fam. Juniam, pag. 227. Ex hisce alter, ut a fratre distingueretur, Longus adpellatus fuit; uterque enim frater inter conjuratos exstitit. Et hic quidem, Cæsare Octaviano percussores patris in urbe perquirente, quamvis legibus sacrosanctus foret, permanere tamen non sustinuit, sed urbe cessit. Historiam narrat Dio lib. XLVI. pag. 322. Ἐν τούτοις δὲ τοῖς ὑπαιτίοις καὶ ὁ Κάσκας ὁ Πούπλιος ὁ Σερουΐλιος ὁ δήμαρχος ἐγένετο· καὶ ἐπειδὴ προϋποτοπήσας τὸν Καίσαρα, ὑπεξῆλθε πρὶν καὶ ἐς τὴν πόλιν αὐτὸν ἐσελθεῖν, τῆς τε ἀρχῆς, ὡς καὶ παρὰ τὰ πάτρια ἀποδημήσας, ἐπαύθη, τοῦ πλήθους ὑπὸ Πουπλίου Τιτίου συνάρχοντος αὐτῷ ἀθροισθέντος· καὶ οὕτως ἑάλω. ἐπειδή τε ὁ Τίτιος οὐκ ἐς μακρὰν ἐτελεύτησεν, ἐβεβαιώθη τὸ ἀπὸ τῆς ἀρχαίας τετηρημένον. οὐδεὶς γὰρ ἐς ἐκεῖνο τοῦ χρόνου συνάρχοντά τινα καταλύσας ἀπενιαύτισεν. *Fuit inter istos reos etiam P. Servilius Casca tribunus plebis: isque conjecturam de Cæsaris animo mature faciens, ante adventum ejus Roma discesserat. Adversus eum, P. Titius collega, populo in unum congregato, magistratu eum quod contra leges urbe excessisset, deposuit, reumque peregit. Verum is Titius haud multo post diem suum obiit: idque quod antiquitus jam notatum fuerat, suo exemplo firmavit. Animadversum enim est neminem, ab initio urbis ad ea usque tempora, qui collegam suum magistratu dejecisset, ipsum annum supervixisse.*

IV.

FLORA. PRIMVS. Caput Floræ floribus redimitum, post illud lituus est. In quibusdam est FLORA. in aliis (ut volunt) FLORAL. ultimis literis conexis.

Caius SERVEILI*us Cai Filius*. Duæ figuræ militares armatæ, læva scutum tenentes, stant, ex adverso tollentes dextras pugionibus armatas, veluti jurantes.

Singularis & præclarus hujus denarii typus, præter eos qui ex professo hanc materiam tractarunt, & in describendis Familiarum nummis desudarunt, alios etiam movit, ut ejus mentionem facerent explicationemve susciperent. Hinc Ursino, Pighio, Ericio, Goltzio, Vaillantio, Begero, Oiselio aliisque materiam differendi præbuit. Novissime vero dictorum sententias collegit, & plerorumque refutavit, pluribus hunc typum illustrans ill. Ezechiel Spanh. de Usu & Pr. Num. ed. tertiæ tom. II. pag. 146. 147. 148. quo lectorem ablegamus. Ea enim tantum proferemus quæ nova ad hunc nummum & ante nos dicta non sunt.

Typum aversæ partis qui ad Romuli & Tatii fœdus referunt falluntur, quoniam illi alio habitu & hastis armati tanquam Quirites occurrunt. Qui duos fratres magistros equitum M. & C. Servilios depingi putat, idoneo destituitur argumento. Rectius itaque duos fratres Servilios Cascas, Cajum Servilium & Publium, hic credimus depingi, & quidem armatos, quod vi & armis libertatem vi adquisitam, tyranno occiso, constanter tueri se velle ostendant. Hinc veluti jurejurando sublatis pugionibus in fædus coeunt. Capita vero non pileo, ut suspicabatur Spanhemius, libertatis scilicet symbolo, teguntur, sed galea; quæ bene in denario meo aliisque amicorum discerni a pileo potest. Pileus enim rotundiori orbe, ubi ab inferiori parte laxatur, depingitur semper, & in Bruti notissimo nummo, in quo idus Martiæ celebrantur, & in aliis. At galea super frontem & cervicem longior prominet.

Signatus est hic denarius, uti inscriptio testatur, a Cajo Servilio Caji filio, fratre, ut opinamur P. Servilii Cascæ, qui ad distinctionem Casca Longus adpellatus fuit. Huic vero agnomen Primo fuisse suspicor. Videtur enim fuisse filius natu major, unde & prænomen patris Caji gessit, quum frater, & tribunus ille plebis, Publius diceretur. Et hinc refingo lectionem primæ partis hujus denarii, neque lego, ut hactenus fecerunt viri docti, conjuncta utriusque denarii partis inscriptione, FLORA*lia* PRIMVS scilicet *fecit Caius* SERVEILI*us Cai Filius*. sed FLORA. *Caius* SERVEILIVS *Cai Filius* PRIMVS. Cujus lectionis, ut puto, non ineptam rationem sum redditurus. Ut taceam probabile esse, non unum tantum fratrem Cascam sed utrumque agnomine distinctum fuisse, inauditus mos est loquendi FLORA*lia* PRIMVS, subintellecto *fecit*. Certe in fam. Memmiæ denario num. 1. clare scribitur MEMMIVS AED*ilis* CERIA*lia* PREIMVS FECIT. ubi omne spatium, quod in ora nummi est, inscriptio occupat, hic vero satis vacui spatii superque sit, ubi vel integrum FECIT, vel litera F. locari potuerat. Neque objiciat mihi aliquis illud PRIMVS potuisse & debuisse locari in altera nummi parte, ubi C. Servilii C. F. nomen exstat. Oportet enim valde esse rudem in re nummaria, qui non centies animadverterit discerpi nomina & cognomina atque partem in hac, partem in altera nummi parte poni. Instabit forsan quis paullo oculatior, atque urgebit, fieri illud sæpius, sed tunc simpliciter caput Romæ vel numinis cujusdam poni, non adscripto ejusdem dei nomine, hic vero quum legatur FLORA. PRIMVS. jungi illa debere atque legi FLORA*lia* PRIMVS. Respondeo, & huic objectioni

ni ipsos testes occurrere denarios. Consulenti enim nummos familiæ Scriboniæ offeret sese num. III. caput Boni Eventus, adscripta ejusdem adpellatione BON. EVENT. & insuper LIBO. ubi tamen nemo leget BON*us* EVENT*us* LIBO*nis*. vel BON*um* EVENT*um* LIBO*nis*. sed vocem LIBO, quæ cognomen familiæ Scriboniæ est, conjunget cum voce SCRIBON*ius*, quæ ab altera parte denarii cernitur. Par ratio est in denario gentis Fabiæ, ubi tab. primæ num. I. a priori parte caput est Romæ galeatum & epigraphe ROMA. LABEO, a posteriori parte Q. FABI. neque quisquam dubitabit, quin legendum sit ROMA. *Quinti* FABI*i* LABEO*nis*.

Frater itaque Publii Servilii Cascæ Longi natu major C. Servilius Casca Primus, SERVEI*Lius* non SERVILIVS, ut Marcus ille num. I. & II. in hoc denario legitur, verum hoc nullius momenti est, qui enim CASSI*us* scribitur in II. denario, in primo CASSEIVS vocatur.

Magis operæ pretium est inquirere quo tempore cusus sit hic denarius; & videtur mihi signatus esse A. V. C. DCCXI. quum, acerbe exacta pecunia ex urbibus Asiæ & Græciæ, magnam denariorum vim signarent legati & quæstores Bruti atque Cassii.

Patrem fratres Servilii Cascæ habuerunt Cajum: inscribitur enim noster C. F. in hoc denario. Illum vero fuisse suspicor, qui præcedentis tabulæ num. IV. & V. inscribitur Cajus Servilius & forte Manlianus Augur. Is enim sicuti, ratione cognominis vel agnominis, lituum auguralem ad caput deæ expressit, ita Cajus noster, filius ejus natu major, eundem lituum juxta Floræ caput collocavit, ut nihil vetet, quo minus dictus fuerit C. Servilius C. F. Casca Primus Augur; certe illius, qui Augur dictus fuerat, filius exstiterit. Et ratio temporis bene congruit. Inter prætores enim recensetur iste C. Servilius Augur A. V. C. DCLIX. atque eo tempore gignere filium potuit, qui temporibus Bruti & Cassii quinquagenarius inter legatos eorundem locum obtinere potuit.

Nihil magis familiare Romanis iis temporibus erat, quam cascam & obsoletam vetustatem familiæ suæ & nomini adserere. Hi itaque Servilii Cascæ videntur adpellati fuisse quod genus suum referrent ad Servilios Priscos, quorum memoria exstat primis reipublicæ temporibus. Unde probabilis est conjectura Pighii, qui tom. II. pag. 360. C. Servilium C. F. qui A. V. C. DLXXX. ædilis plebis fuit, credit Cascam cognomine dictum fuisse. Ejus enim anni celebritatem & memoriam ædilis ejusdem, abavi sui, C. Servilius in hoc denario celebrat. Nam, sicuti jam pluribus viri docti operose ostenderunt, eo anno renovata fuisse deæ Floræ sacra, atque institutum ut quotannis celebrarentur, eoque anno ædilem plebis exstitisse abavum ipsius C. Servilium Cascam, hinc deam Floram sertis & flosculis ornatam in denario familiæ Cascarum ex gente Servilia cernimus, peculiari hujus Caji respectu, quod cognominis sibi abavus eo anno ædilis curulis sacris illis adparandis exstitisset, consulibus L. Postumio Albino & M. Popillio Lænate.

Atque hæc quidem ad nummi typique interpretationem a nobis adferenda erant. Paradoxa vero, ut semper sectatur Harduinus ad Plin. tom. II. pag. 139. „Ludorum Floralium, inquit, men„tio est in nummo Serviliæ gentis argenteo, a„pud Patinum, in Famil. p. 260. n. 4. & in „museo nostro. Hinc duos exhibet gladiatores: „in imo C. SERVEIL. M. F. (sed M. F. pro C. F. festinationis in Hard. & Begero videtur esse vitium, quas duas postremas literas Patinus omisit, vidit etiam ut in nostro sunt, Begerus in Thes. Brand. pag. 585.) In altera „parte caput deæ Floræ est: retro lituus, insigne „C. Servilii auguratus: inscriptio FLORAL. „PRIMVS. Quod cave legas, ut vulgo fit, „*Floralia primus*: nam ubi verbum, aut quale „subintelligitur? Lege ergo: FLORAL*ia* PR*o*„*priis* IM*pensis* V*eneri* S*acravit*: nempe Servi„lius, cujus nomen in parte nummi priore legi„tur. *In tutela Veneris sunt horti.*" Hæc Harduinus, quæ refutare non est opus, illud tantum notari jubeo, illum secutum fuisse Begerum, qui M. F. vidisse se putarat, quum C. F. sit in denario, & ita olim quoque legerit Ericius sive Erizzo; quamvis idem Ericius FLORAL. uti apud Begerum & Goltzium quoque est, in nummo suo exstare judicet, dum literas A & L. connectit in explicatione sua. In meo tamen non observavi lineam illam ad alterum crusculum literæ A. neque in iis, quos consuluit Morellius, exstitisse videtur. Crediderim vero putasse illos antiquarios observari a se productam illam lineolam, quod persuaserint sibi dici in hoc denario Floralia primum fecisse C. Servilium, quod quidem indicat Floræ adpictum caput, sed uti demonstravimus, non totidem verbis dicit inscriptio nummi.

Litera A.

Caput Jovis Capitolini laureatum.

Caius SERV*ilius*. literis inverso ordine positis. Duo viri stantes, dextra pugiones extollunt; post alterum ex illis duo sunt globuli.

Eundem hunc nummum protulit Vaillantius, suique nominis nota adposita, velut aucto per se numero nummorum familiæ Serviliæ num. 17. adposuit. Ibi vero, inverso pariter ordine legit M. SERV. Verum ego feliciter utriusque errorem detexi ex ipsius nummi oculata inspectione. Dum enim hæc scribo, eundem vel similem plane nummum æreum, & ejusdem magnitudinis, manu teneo, commodatum mihi ab eruditissimo viro, amico meo, Dorvillio, in quo, sicuti omnia sunt similia, sic quoque hi duo viri capite nudo, vestiti dependentibus palliolis, dextris erectis cultros sive bacillos tenent, sed sinistris, quod animadvertere in nummis suis non tam bene servatis Morellius & Vaillantius non potuerunt, simul tenent porcellum, unde adparet non esse hos Servilios fratres, sed duos fæciales. Deinde inscriptio, quæ subtus est, quinque itidem literis constat; verum illæ nequaquam sunt Latinæ, sed Hetruscæ, ex quibus, quod detritiores visum fugerent, Latinas literas inversas & nomen C. vel M. Servilii duo insignes antiquarii exsculpere sibi posse visi sunt. In hoc nummo Dorvilleano insuper a parte capitis illi duo globuli adponuntur. Inter nummos itaque Hetruscos reponendus est, & a familiarum Romanarum nummis abesse debet.

V.

PISO. CAEPIO *Quæstores*. Caput Saturni laureatum cum falce.

AD FRV*mentum* EMV*ndum* EX *Senatus Consulto*. Duæ figuræ togatæ sedentes inter duas spicas.

Hujus denarii explicationem vide supra in Fam. Calpurnia pag. 66. & 67.

VI

VI.

Caput Apollinis laureatum.

Quintus CAEPIO BRVTVS IMP*erator*. Tropæum inter duos captivos sedentes, virum & mulierem.

Denarius hic spectat ad M. Junium Brutum, & a parte priore Apollinis habet caput, quod, prætor urbanus, ludos Apollinares, licet absens, magnificentissimos edi curasset. Ab altera parte tropæum ejusdem est Bessis devictis erectum; de quo pluribus est actum ad nummos ejusdem Bruti in gente Junia.

Vocatur autem hic Quintus Cæpio Brutus, quod adoptione ex familia Junia in Serviliam transiisset, retento antiquo Bruti cognomine. Q. Servilius Cæpio, consul A. V. C. DCXLVII. reliquit filium Q. Cæpionem & duas filias Servilias, quarum altera nupta fuit L. Lucullo, altera M. Junio Bruto, qui ex ea M. Junium Brutum, percussorem Cæsaris, suscepit: Bruto patre per Pompejum interfecto, mater Bruti junioris Decimo Silano nupsit, Brutum vero adoptavit Serviliarum frater Q. Servilius Cæpio; unde ex ista avunculi sui Cæpionis adoptione in hoc denario aliisque gentis Cestiæ vocatur Q. Cæpio Brutus.

VII.

Caput Herculis inberbe in leonis exuviis. Post illud tres sunt globuli, quadrantis nota.

Caius SERVEILI*us*. ROMA. Prora navis cum duabus ingentibus desuper spicis.

Vaillantius nummum hunc adsignat C. Servilio Pulici Gemino, viro in historia Romana notissimo, filio Caji Servilii Gemini, qui prætor existens a Bojis Gallis Mutinæ fuit captus; & post XVI. annorum captivitatem a filio liberatus. Cusum ab illo existimat hunc denarium in quæstura sua A. V. C. DXXXVII. quo clades Cannensis contigit; atque frumenti abundantiam, laborante populo annonæ inopia, procurasse, quod scilicet hic typus respiciat. Ego vero cusum fuisse existimo A. V. C. DLXXII. a Cajo Servilio Marci filio, cujus similes quadrantes supra num. VI. & lit. H. tabula præcedenti habemus. Eædem enim naves, quarum mentionem facit Livius lib. XL. cap. 18. quæque securitatem oræ Italicæ in bello Corsico præstarunt, sine dubio annonæ copiam procurarunt, ne ad pestilentiæ (quæ sæpe ex egestate cibi oriri solet) labem accederet fames & frugum inopia. Sæpe enim λιμὸς & λοιμὸς simul vexant regiones; de peste vero ejus anni ita Livius lib. XL. cap. 19. *Et pestilentia in agris forisque & conciliabulis, & in urbe tanta erat, ut Libitina tunc vix sufficeret.*

Litera B.

CAESAR. CORINT*hus*. Caput Cæsaris Augusti nudum.

Caius. Lucius. Caio SERVILIO PRIMO *Marco* ANTONIO HIPPARCHO IIVIR*is*. Capita adversa Caji & Lucii Cæsarum, filiorum Agrippæ, Cæsaris Augusti nepotum.

Opportune hic nummus subvenit conjecturæ nostræ de fratre P. Servilii Cascæ Longi Cajo Servilio Casca Primo. Habemus enim in hoc nummo Servilium cognomine Primum, habemus eundem prænomine Cajum, sic ut vix dubitem, quin hic fuerit filius istius Caji Cascæ Primi, qui inter percussores Cæsaris fuit, atque denarium illum num. IV. signavit. Augustus certe; ut in proscriptos acer & fere inexorabilis, sic in proscriptorum liberos clemens fuit, exemplo patris Julii; qui eos, sicut & ille, ad honores quoque admisit. Verum C. Servilius Casca Primus; proscriptione patris amisso patrimonio, Corinthum sese contulisse videtur, in qua colonia illum honores gessisse hic nummus docet, quo de adoptione nepotum Augusto gratulatur. Quomodo Servilii Cascæ Publius & Cajus bona sua perdiderint, refert Dio lib. XLVI. pag. 322. Καὶ αὐτοί τε πυρὸς καὶ ὕδατος εἴρχθησαν, καὶ αἱ οὐσίαι αὐτῶν ἐδημεύθησαν· τά τε ἔθνη οὐκ ἐκεῖνα μόνον ὧν τινὲς αὐτῶν ἦρχον, ἀλλὰ καὶ τὰ λοιπὰ πάντα τοῖς τοῦ Καίσαρος φίλοις ἐπετράπη. *Damnatis autem, aqua & igne interdicebatur, eorumque bona publicabantur: omnes autem præfecturæ, non eæ modo quæ tum ab istis tenebantur, sed reliquæ etiam cunctæ, amicis Cæsaris tradebantur.*

SESTIA.

Gens Sestia eadem videtur esse cum Sextia; patricia olim fuit, sed temporibus triumvirorum plebeji quoque Sestii deprehenduntur.

I.

Lucius SESTI*us* PRO *Quæstore*. Caput deæ Libertatis velatum.

Quintus CAEPIO BRVTVS PRO CO*nSule*. Tripus inter securim & capedunculam.

Quæ de L. Sestio dicenda erant, apud Ursinum exstant, ex quo Vaillantius sua hausit, sed tamen quædam hic etiam repetere necesse est, ut constet a quo; & qua de causa, signatus sit hic denarius.

L. Sestius Publii filius vocatur in Fastis. Colligunt inde viri docti patrem ejus fuisse P. Sestium tribunum plebis A. V. C. DCC. qui prætor Ciliciæ exstitit A. V. C. DCCV. Ipsum vero Lucium, Publii filium, statuunt quæsturam accepisse A. V. C. DCCIX. atque in provinciam abiisse cum Bruto. Bello deinde inter Brutum & triumviros exorto, percussorum partibus adhæsisse titulo proquæstoris, ut in his nummis adpellatur. Propter fidem in Brutum inter proscriptos relatus fuit, Augusto tamen deinde probatus, prouti de utroque testimonium præbet Appianus B. C. lib. IV. pag. 619. Πούπλιος δὲ ὁ ταμίας Βρούτου, τῶν ἀμφὶ τὸν Ἀντώνιον αὐτὸν πειθόντων προδοῦναι Βροῦτον, οὐκ ἀνασχόμενος, διὰ τόδε καὶ προσεγράφη, καὶ κατήχθη, καὶ Καίσαρι φίλος ἐγίγνετο· καὶ ἐπιόντι ποτὲ τῷ Καίσαρι προύθηκεν εἰκόνας Βρούτου καὶ ἐπῃνέθη καὶ ἐπὶ τῷδε ὑπὸ τοῦ Καίσαρος. *Publius, Bruti quæstor, ab Antonianis de proditione frustra solicitatus, proscriptusque ob eam causam, tandem in patriam reversus, in Cæsaris amicitiam receptus est: cui aliquando effigies Bruti domi suæ spectandas præbuit, id quoque probanti.* Melius vero Lucium adpellat Dio Cassius, quem patet de eodem Cestio loqui in fine libri LIII. pag. 518. Καὶ ἐπί τε τούτῳ ἔπαινον ἔσχε, καὶ ὅτι Λούκιον ἀνθ' ἑαυτοῦ Σήστιον ἀνθείλετο, ἀεί τε τῷ Βρούτῳ συσπουδάσαντα, καὶ ἐν πᾶσι τοῖς πολέμοις συστρατεύσαντα· καὶ ἔτι καὶ τότε καὶ μνημονεύοντα αὐτοῦ, καὶ εἰκόνας ἔχοντα, καὶ ἐπαίνους ποιούμενον· τό τε γὰρ φιλικὸν καὶ τὸ πιστὸν τοῦ ἀνδρὸς οὐ μόνον οὐκ ἐμίσησεν, ἀλλὰ καὶ ἐτίμησε. *Laudatum est hoc ejus factum, idque etiam quod in suum locum subrogavit L. Sestium, qui vir semper Bruti rebus faverat, omnibusque in bellis ei adfuerat, ac adhuc ejus me-*

moriam colebat, imagines ejus habebat, eumque laudare solebat: amicitiæ vero observantiam, fidemque Sestii, non modo non odio, sed honori etiam habebat Augustus. Suffectus fuit L. Sestius in locum Augusti XI. consulis A. V. C. DCCXXXI.

Typus aversæ partis ad Bruti sacerdotium atque adoptivum ejusdem nomen spectat, de quibus satis actum est supra ad Fam. Serviliæ nummum IV. tab. secundæ, & ad Bruti in Familia Junia nummos.

II.

Quintus CAEPIO BRVTVS PRO CO*nSule*. Tripus inter apicem sacerdotalem & capeduncu-lam.

Lucius SESTI*us* PRO Q*uæstore*. Mensa prætoris cum hasta ejusdem; subtus videtur esse modius.

Alteram hujus nummi partem mendose Vaillantius de pileo inter duos pugiones est interpretatus. Picturam enim eandem hujus quinarii Morelliani exhibuit Liebeus in Thes. Saxo-Gothano pag. 236. ubi ineditus quoque quinarius, qui ab altera parte Libertatis caput, ab altera Victoriam gradientem habet, depingitur. Honores vero parentum & majorum, ut plurimum, filii & nepotes in nummis suis signabant. Hinc prætura patris Publii Sestii in tribus illis quinariis, Morellii duobus, & tertio Liebei inedito, celebratur. Hasta enim aperte ad prætorem respicit, uti in aliis hujus operis denariis, in indice quærendis ad vocem *Hasta*; & figura illa, cujus duo tantum pedes in nummulo adparent, non sellam curulem, sed mensam ejusdem prætoris adumbrat. Congius sive modius inversus ædilitatem ejusdem Publii respicere videtur. P. Sestius post præturam urbanam Ciliciam obtinuit A. V. C. DCCV. inter ædiles plebis numeratur A. V. C. DCCIII.

III.

Caput Jovis Capitolini laureatum; post illud litera alphabetica A est.

Lucius SESTI*us* PRO Q*uæstore*. Mensa & hasta prætoris, sub qua congius sive modius inversus cernitur.

Spectat hujus quinarii typus ad ædilitatem & præturam P. Sestii, quem honorem consulatu, suffectus Augusto, supergressus est L. Sestius. Nondum enim in familiam Sestiorum consulatus intraverat.

IV.

TI*berius* CAESAR DIVI AVG*usti* F*ilius* AVGVSTVS. Caput Tiberii nudum.

Marcus IVLIVS SETTAL*us* *Lucius* SESTI*us* CELER IIVIR*i* *Coloniæ Immunis Illici Augustæ*. Ara inscripta SAL*uti* AVG*ustæ*.

Credibile est, hanc aram erectam fuisse ab Illicitanis eo tempore, quo detecta conspiratione Sejani (cui ut Cæsaris amico magnos honores universa Hispania habuerat) ostendere vellent, salutem Cæsaris diis curæ fuisse, & in votis suis maxime desideratam.

De L. Sestio Celere nihil legi.

SEXTILIA.

Gens Sextilia, quæ & Sestilia dicebatur, voce diminutiva a Sexto, plebeja fuit. Rufi cognomen habuisse legitur.

I.

ALEXANDER. Caput Alexandri in leonis exuviis.

. . . . TILIVS. Capella fœtum lactans, desuper concha Tyria est.

Non puto hunc æreum nummulum ad Familias Romanas pertinere, sed cusum fuisse tempore Alexandri Severi, atque ad coloniarum nummos ejus imperatoris esse relegandos. Tyri cusum arbitror, atque literas alias in nummo exstare, quam videre se crediderit Morellius. Nisi forte sit ex fictitiorum genere, quales plures occurrent inter Goltzianos, notati litera C. P. qui fere omnes animalia varia habent insculpta, & huic simile artificium redolent.

II.

MAG*istri* JVVENT*utis* *Caius* MITREIVS *Lucii Filius*. Caput *Lucii*, filii M. Vipsanii Agrippæ, ut videtur; subtus delphinus cernitur.

Lucius SEXTILI*us* *Lucii Filius*. Ædificium quoddam, subtus nota numeralis IIII. est.

Consule quæ de hoc nummulo diximus ad gentem Mitreiam pag. 287. Hic vero L. Sextilius videtur fuisse ex familia L. Sextilii IIIviri, cujus acerbam damnationem miseratur Valerius Maximus lib. VIII. cap. 1. ex. 5. III vir ille videtur vixisse A. V. C. DLXXXV. ad illum enim annum fragmenta diarii antiqui (ut notarunt viri eruditi) mentionem faciunt incendii in sacra via. Valerii hæc sunt verba: *Possumus & ad illos brevi diverticulo transgredi, quos leves ob caussas damnationis incursus abripuit. M. Mulvius, Cn. Lollius, L. Sextilius triumviri, quod ad incendium, in Sacra via ortum, extinguendum tardius venerant, a trib. pleb. die dicta ad populum, damnati sunt.*

Numerus IIII. quo sit referendus non constat. Diem fortassis Saturnaliorum indicat quartum. Inter Saturnalitias festivitates enim hos nummos fuisse credimus. Sueton. de Augusto in Vita ejus cap. LXXV. *Festos & solennes dies profusissime, nonnunquam joculariter tantum celebrabat. Saturnalibus, & si quando alias libuisset, modo munera dividebat, vestem, & aurum, & argentum, modo nummos omnis notæ, etiam veteres regios ac peregrinos.*

SICINIA.

Exstincta ante auri argentique usum patricia Sicinia gente, plebeja remansit, cujus denarii nobis supersunt.

Quintus SICINIVS IIIVIR. Caput Apollinis regis diadematum, subtus astrum ejus dei cernitur.

Caius COPONIVS PR*ætor*, vel PR*imus*. *Senatus Consulto*. Exuviæ leonis clavæ erectæ superinpositæ, hinc spiculum, inde arcus cernitur.

Ursinus, & ex illo Begerus Thes. Brand. tom. II. pag. 583. Herculeam fortitudinem notissimi tribuni plebis L. Sicinii Dentati celebrari aversæ partis typo existimant; quam tamen ad Coponios pertinere, ratione originis Tiburtinæ, docuimus ad Fam. Coponiam pag. 111. Ibidem, Vaillantii sententiam secuti, Cajum Coponium prætorem A. V. C. DCCIV. nominari in posteriori denarii parte credidimus, cujus scilicet præturam celebraverit triumvir monetalis eodem anno Quintus Sicinius, quem, hunc explicans denarium Vaill. tom. II. p. 421. filium existimat fuisse

fuiſſe Cnei Sicinii, tribuni plebis A. V. C. DCLXXVII. Nunc nobis alia ſuper his denariis ſententia placet. Cur enim Sicinius IIIvir monetalis Coponii prætoris tantum in nummo ſuo decus, & nullum ſuæ familiæ celebraret? Credo itaque collegas fuiſſe Sicinium & Coponium, atque utrumque triumvirum fuiſſe monetalem, atque integre ſic legi utriusque partis inſcriptionem poſſe, *Caius* COPONIVS PR*imus Quintus* SICINIVS IIIVIR*i*. *Senatus Conſulto*. & ſic ſemper in denariis legi debere, quando ad alterius tantum triumviri nomen dignitas illa adſcribitur, alterius nomen nudum ab altera nummi parte ponitur; prouti ſæpe quoque fit in nominibus decurionum, duumvirorum, aliorumque magiſtratuum, quorum nomina in nummis coloniarum occurrunt. Unde ſequitur, ut alio quoque tempore cuſos hos denarios exiſtimem, temporibus ſcilicet Auguſti, quibus egregie horum denariorum typi conveniunt.

A. V. C. DCCXXVI. victo jam ante & occiſo Antonio, templum Apollinis Palatini dicatum fuit, & ludi Actiaco prælio voti primum acti fuerunt. Illo anno ſtatuimus triumviros monetales fuiſſe Q. Sicinium & C. Coponium Primum; hi ad celebritatem iſtius anni augendam, in Cæſaris Auguſti, cujus triumviri monetales erant, gratiam, caput Apollinis Palatini, ut regis diademate cinctum, ex aſtro ſuo noſcendum, in hoc denario expreſſerunt. Ab altera vero parte leonis exuvias pharetræ inpoſitas; quæ propter Coponiorum ex Tibure originem, ad familiæ illorum originem reſpectum habent, ſed cum Apollinis capite junctæ, & hujus temporis felicitate, deſignare videntur victum & occiſum Antonium, cujus interitus vix magis apte in denario exprimi potuit. Notum eſt M. Antonium, inter alia veſaniæ exempla, non modo Liberum Patrem ſed & Herculem quoque imitatum fuiſſe. Inde hedera coronatus cernitur in familiæ Antoniæ nummis I. II. III. tabula ſecundæ; Herculis vero ritu cum clava & exuviis leonis tabula ibidem XI. numero V. Unde non mirum, ſi in quatuorviri monetalis P. Sepullii Macri nummulo æreo familiæ Sepulliæ lit. B. p. 385. ut ſymbolum Antonii, decuſſatim poſita & colligata arma Herculis, arcum, pharetram, & clavam ſive machæram, ad M. Antonium pertinere agnoverimus. Quid multa? Exuviæ in hoc denario adparent Herculis illius falſi, M. Antonii, clava ejusdem cum arcu & ſagitta, ſeu ſpiculo; clavæ ſuper inponitur pellis leonina, utpote falſo illi deo & ridiculo detracta. In qua victoria juſtam Cæſaris Octaviani cauſſam agnoſcebant Romani, eundemque deorum munere tam metuendum hoſtem ſuperaſſe, quod merito Fortunæ populi Romani erat adſcribendum, uti totidem verbis ſequens docet denarius.

De Q. Sicinio & C. Coponio Primo ad num. III. viſuri ſumus, ne longius a Fortuna illa populi Romani deſcedamus.

II.

FORT*una Populi Romani*. Caput deæ Fortunæ.

Quintus SICINIVS IIIVIR. Palmæ ramus cum lemniſco, ſive vittis, & caduceus alatus decuſſatim poſiti, in area inſuper adeſt corolla.

Lectio quorundam, FORT*itudo Populi Romani*, jam diu exploſa ab eruditis fuit. Vere enim Fortunæ munus victoriam Cæſaris Auguſti de Antonio reputarunt cives, & quidem Fortunæ populi Romani, quæ civibus ſuis bene vellet, & quidem in hoc bello, ut Taciti verbis utar III. Hiſt. 46. *Adfuit, ut ſæpe alias, Fortuna populi Romani.* Senſit Antonius *victores exercitus, Fortunam Imperii, & ultores deos.* quæ Taciti itidem verba ſunt lib. IV. cap. 57. de bello Germanico. Hinc in averſa denarii parte corolla & palma, victoriæ ſymbola, atque caduceus, pacis inde ſecutæ, ſignum.

III.

Quintus SICINIVS. IIIVIR. Caput Apollinis Palatini diadematum.

Caius COPONIVS. PR*imus Senatus Conſulto.* Exuviæ leonis clavæ Herculis inpoſitæ; hinc arcus cernitur in area nummi, inde ſagitta.

Non opus erat ſenatusconſulto, ut denarii argentei ſignarentur, quod triumvirorum proprium erat munus, quique ſub Auguſto ab imperatore, cujus triumviri monetales erant, jubebantur talem monetam ſignare. Hinc, ubi in argenteis denariis ſenatusconſulti nota adſcribitur, præcipue ſub Cæſaribus, ſingulare aliquid denotat. Itaque quum templum Apollinis Palatini dedicaretur ab Auguſto, interceſſit ſenatusconſultum, quod exprimi a triumviris ſuis in argento quoque voluit Auguſtus.

Coponios Tibure oriundos fuiſſe diximus. Huc pertinet inſcriptio vetus, quam nobis ſervavit Franciſcus Martius in Hiſt. Tiburtina lib. V. p. 156. Theſ. Italici tomo VIII. parte IV. pag. 60. ejus libelli. „ Nec prætereundum exiſtimo (in-„ quit auctor) Tibure anno MDCXL. repertam „ fuiſſe inſcriptionem Coponiorum eorundem, „ adhærentem ſtatuæ Fortunæ, in muro latera-„ rio ſacræ ædis: quondam delubri Herculis, ut „ fertur; quam reædificavit magnanimus cardi-„ nalis Roma de integro." Inſcriptio, quam ibidem adfert, ita ſeſe habet.

FORTVNAE. PRAETORIAE. SACRVM
L. MVCCIVS. NICEPHOR.
MAG. HERCVL. AVG.
GN. COPONIVS. EPAGATVS
CVRATOR. PRIMI D. S. P
CVLTORIBVS. D. D.

Occurrit ibi Epagatus, ut cognomen gentis Coponiæ; ex denariis hisce Primi cognomen in eadem Coponiorum familia exſtitiſſe docemur; literas PR. enim legi debere PR*imus*, & de familiæ cognomine capi debere exiſtimamus, prouti integram vocem PRIMVS quoque ſumus interpretati ad num IV. tabulæ ſecundæ in familia Servilia, a ſorte naſcendi deducta adpellatione.

Hic igitur C. Coponius Primus videtur fuiſſe filius natu major C. Coponii prætorii, a triumviris proſcripti, ſed uxoris forma & obſequio, neceſſitate magis quam voluntate, M. Antonio præſtito, ſervati. Hic triumvir monetalis ſub Auguſto, ad majores deinde honores pervenit. Videtur enim is ipſe eſſe, cujus plus ſemel mentio exſtat apud Flavium Joſephum. Lib. Antiq. XVIII. cap. 1. p. 869. ubi de Sulpicio Quirino agitur: Κωπώνιός τε αὐτῷ συγκαταπέμπεται, τάγματος τῶν ἱππέων, ἡγησόμενος Ἰουδαίων τῇ ἐπὶ πᾶσιν ἐξουσίᾳ. *Mittitur etiam cum eo Coponius, vir ordinis equeſtris, qui ſumma cum poteſtate Judæis præeſſet.* Ibid. cap. II. pag. 872. ubi de Samaritanis, templum mortuorum oſſibus polluentibus: Κωπωνίου δὲ τὴν Ἰουδαίαν διέποντος, ὃν ἔφην Κυρηνίῳ συνεκπεμφθῆναι, τάδε πράσσεται. *Cæterum Coponio, quem cum Quirinio miſſum diximus, Judæam adminiſtrante, hu-*

 jus-

jusmodi quidem accidit. Summa eundem poteſtate ornatum fuiſſe docet lib. II. de Bello cap. VIII. pag. 160. Τῆς δὲ Ἀρχελάου χώρας εἰς ἐπαρχίαν περιγραφείσης ἐπίτροπός τις ἱππικῆς παρὰ Ῥωμαίοις τάξεως Κωπώνιος πέμπεται, μέχρι τοῦ κτείνειν λαβὼν παρὰ τοῦ Καίσαρος ἐξουσίαν. *Archelai autem regione in provinciam redacta, procurator quidam ordinis apud Romanos equeſtris, Coponius, mittitur, ſumma a Cæſare poteſtate accepta.*

Quintus Sicinius, in his denariis memoratus, ratione temporis potuit eſſe nepos Sicinii, Q. Pompeji cenſorii ſororis filii, quem in Bruto inter probabiles oratores recenſet Tullius, atque in quæſtura (quam A. V. C. DCLXXVI. ponit Pighius) mortuum fuiſſe ſcribit; vel Cnei Sicinii, hominis inpuri ſed valde faceti, tribuni plebis A. V. C. DCLXXVII. cujus multa ridicule dicta notarunt veteres, Cicero autem hoc ſervavit in Bruto cap. LX. *Is, quum tribunus plebis Curionem & Octavium conſules produxiſſet, Curioque multa dixiſſet, ſedente Cneo Octavio collega, qui devinctus erat faſciis, & multis medicamentis, propter dolorem artuum, delibutus. Numquam, inquit, Octavi, collegæ tuo gratiam referes, qui niſi ſe ſuo more jactaviſſet, hodie te iſtic muſcæ comediſſent.* Erat enim Curio non tantum nimius in geſtibus, ſed, quum diceret, in utramque partem toto corpore vacillare ſolebat, unde C. Julius quærere illo dicente ſolebat: *Quis ex lintre loqueretur?* ut initio capitis illius narrat Cicero. Quinti Sicinii cujusdam, ſed temporis poſterioris, mentio fit in Inſcriptionibus antiquis apud Gruter. pag. DCCLIX. num. 4.

C. ATILIA. C. F
PRIMA. SIBI
ET Q. SICINIO. MV
F. VIRO. SVO
V. F
IN. FRONTE
P. XX
H. L. ET. M
H. N. S
DIS. PENATIBVS

S I L I A.

Gens Silia plebeja fuit, ex ea enim quidam tribunatum plebis geſſerunt.

I.

SILIVS. ANNIVS. LAMIA. Dextræ junctæ tenentes caduceum.

IIIVIR*i Auro Argento Aeri* F*lando* F*eriundo.* Incudis figura cum nota ſenatusconſulti.

Triumviri hi ſenatus fuerunt, ut docet metallum, & nota ſenatusconſulti. Inter hos Silius hic ex æreo nummo ſecundi moduli agnoſcitur fuiſſe Publii filius, & Caji prænomen habuiſſe, prouti cerni poteſt apud Vaill. tom. 2. p. 425. Itaque Cajus Silius honores ſuos a primo hoc gradu fuit auſpicatus. Ad conſulatum usque perveniſſe videtur, ſi is eſt qui A. V. C. DCCLXVI. cum L. Munatio Planco illum honorem geſſit, & poſtea ſub Tiberio propter Germanici amicitiam adflictus fuit. Fuerat enim ejus legatus in Germania Superiore, atque, Germanico decedente, per ſeptennium illi provinciæ præfuit, ejusque ductu Julium Sacrovirum & Gallicos tumultus oppreſſos fuiſſe narrat Tacitus Annal. lib. III. Filius ejusdem creditur fuiſſe formoſiſſimus ille Romanorum C. Silius, quem inſanus Meſſalinæ amor perdidit. Pater Sejani artibus periit A. V. C. DCCLXXVII. morte voluntaria, qua ſententiam prævenit.

II.

SILIVS. ANNIVS. LAMIA. Dextræ junctæ tenentes caduceum.

IIIVIR*i Auro Argento Aeri* F*lando* F*eriundo.* In area nummi S*enatus* C*onſulto.*

Dextræ junctæ cum caduceo concordiam Cæſaris & ſenatus, cui æreæ monetæ jus conceſſerat, indicant, pacemque publicam.

III.

SILIVS. ANNIVS. LAMIA. Cornucopiæ cum ſenatusconſulti nota.

IIIVIR*i Auro Argento Aeri* F*lando* F*eriundo.* Incudis figura, quæ ſæpe in minutis hisce æreis nummulis obſervatur.

IV.

SILIVS. ANNIVS. LAMIA. Lituus & capeduncula.

IIIVIR*i Auro Argento Aeri* F*lando* F*eriundo.* In area nummi nota eſt ſenatusconſulti.

Ex pontificatus inſignibus, qui in prima area nummuli conſpiciuntur, judicant antiquarii Cajum Silium Nervam triumvirum monetalem cum collegis exſtitiſſe A. V. C. DCCXLI. quo pontificatum ſummum ſuſcepit Auguſtus mortuo Lepido.

S O S I A.

Gens Soſia plebeja fuit, ut ex Q. Soſio, tribuno plebis, patet. Nummi hujus gentis perrari ſunt.

Caput Marci Antonii nudum ſine inſcriptione.

Caius SOSIVS IMP*erator.* Tropæum, in cujus imo duo captivi ſedent, mulier mæſta, caput manu ſuſtentans, & vir nudus, manibus poſt tergum ligatis, ad tropæum reſpiciens.

Nobile monumentum hic æreus nummulus eſt devictæ ab Antonio Judææ & debellati Antigoni, ultimi Judæorum ex Aſmoneorum ſtirpe regis. Poſtquam enim illum prælio devicit, atque in poteſtatem ſuam redegit C. Soſius, M. Antonii legatus, cujus fuit hic nummulus, in quo tropæum cernitur, in cujus imo Judæa mæſta ſedet, & Antigonus vinctus cernitur, tanquam mox pœnas rebellionis ſuæ daturus. Hiſtoriam fuſe deſcribit Joſephus; quomodo ſcilicet profligatis partibus dedere ſe hoſtibus maluit quam honeſte mori, lib. Antiq. XIV. cap. 16. pag. 737. Ἔνθα καὶ Ἀντίγονος, μήτε τῆς πάλαι μήτε τῆς τότε τύχης ἔννοιαν λαβὼν, κάτεισι μὲν ἀπὸ τῆς βάρεως, προσπίπτει δὲ τοῖς Σοσίου ποσι. κἀκεῖνος μηδὲν αὐτὸν οἰκτείρας πρὸς τὴν μεταβολὴν, ἐπεκρότησε μὲν ἀλεγκτῶς, καὶ Ἀντιγόνην ἐκάλεσεν· οὐ μὴν ὡς γυναῖκα γε φρουρᾶς ἐλεύθερον ἀφῆκεν, ἀλλ' ὁ μὲν δεθεὶς ἐφυλάττετο. *Atque Antigonus, neque prioris neque præſentis fortunæ memor, ex arce deſcendit, Soſioque ad pedes accidit. Atque ille, nihil miſeratus mutatam ejus fortunam, intemperanter ei inſultavit, & Antigonam appellavit: non tamen ut feminam e cuſtodia liberum emiſit; ſed in vinculis quidem ipſe aſſervabatur.* Quæ fere repetit lib. I. de Bello cap. XVIII. pag. 98. In Herodis deinde gratiam fuit interfectus; Ibid. lib. Antiq. & cap eodem §. 4. p 737. Σόσιος δὲ, χρυσοῦν ἀναθέμενος τῷ Θεῷ στέφανον, ἀνέζευ-

ξεν

ξεν ἀπὸ Ἱεροσολύμων, Ἀντίγονον ἄγων δεσμώτην Ἀντωνίῳ. δείσας δὲ Ἡρώδης, μὴ φυλαχθεὶς Ἀντίγονος ὑπ᾽ Ἀντωνίου, καὶ κομισθεὶς εἰς Ῥώμην ὑπ᾽ αὐτοῦ δικαιολογήσηται πρὸς τὴν σύγκλητον, ἐπιδεικνὺς αὐτὸν μὲν ἐκ βασιλέων, Ἡρώδην δὲ ἰδιώτην, καὶ ὅτι προσήκει αὐτοῦ βασιλεύειν τοὺς παῖδας διὰ τὸ γένος, εἰ καὶ αὐτὸς εἰς Ῥωμαίους ἐπεξήμαρτε· ταῦτα φοβούμενος, πολλοῖς χρήμασι πείθει τὸν Ἀντώνιον ἀνελεῖν τὸν Ἀντίγονον. οὗ γενομένου, τοῦ δέους μὲν Ἡρώδης ἀπαλλάσσεται· παύεται δ᾽ οὕτως ἡ τοῦ Ἀσαμωναίου ἀρχὴ μετὰ ἔτη ἑκατὸν καὶ εἴκοσι ἕξ. *Sosius vero corona aurea Deo consecrata, Hierosolymis profectus est, Antigonum vinctum ducens ad Antonium. Veritus autem Herodes, ne ab Antonio servatus Antigonus & ab eo Romam perductus, causam suam apud senatum ageret, ostendens se quidem regia stirpe, Herodem vero hominem privatum, quodque ad filios suos, licet ipse in Romanos deliquerit, nascendi sorte regnare pertineat: ista metuens, multa pecunia persuasit Antonio, ut Antigonum necaret. Quo facto Herodes quidem metu liberatur. ita vero desiit domus Asamonæi principatus, postquam centum viginti sex annos duravit.* Miser tamen Antigonus vana vitæ spe se lactabat, lib. de Bello I. cap. XVIII. pag. 99. Σόσσιος δὲ, χρυσοῦν ἀναθεὶς τῷ Θεῷ στέφανον, ἀνέζευξεν ἀπὸ Ἱεροσολύμων, ἄγων δεσμώτην Ἀντίγονον Ἀντωνίῳ. τοῦτον μὲν, φιλοψυχήσαντα μέχρις ἐσχάτης ψυχρᾶς ἐλπίδος, ἄξιος τῆς ἀγεννείας πέλεκυς ἐκδέχεται. *Et hæc Sosius, corona aurea Deo consecrata, Hierosolyma reliquit, Antigonum vinctum ducens ad Antonium. Et illum quidem, ex vana spe ad extremum usque, nimium vitæ cupidum, securis, quam meruit animi abjectio, excipit* Quod tamen nulli regum a Romanis antea acciderat, de quo casu sic idem Josephus Antiq. lib. XV. cap. I. p. 741. Ἀντώνιος δὲ, λαβὼν αἰχμάλωτον τὸν Ἀντίγονον, δέσμιον ἔγνω μέχρι τοῦ θριάμβου φυλάττειν. ἐπεὶ δὲ ἤκουσε νεωτερίζειν τὸ ἔθνος, κἀκ τοῦ πρὸς Ἡρώδην μίσους εὔνουν Ἀντιγόνῳ διαμένον, ἔγνω τοῦτον ἐν Ἀντιοχείᾳ πελεκίσαι· σχεδὸν γὰρ οὐδαμῶς ἠρεμεῖν ἠδύναντο Ἰουδαῖοι. μαρτυρεῖ δέ μου τῷ λόγῳ Στράβων ὁ Καππάδοξ λέγων οὕτως „ Ἀντώ„ νιος δὲ Ἀντίγονον τὸν Ἰουδαῖον ἀχθέντα εἰς Ἀντιόχειαν „ πελεκίζει· καὶ ἔδοξε μὲν οὗτος πρῶτος Ῥωμαίων βα„ σιλέα πελεκίσαι, οὐκ οἰηθεὶς ἕτερον τρόπον μεταθεῖναι „ ἂν τὰς γνώμας τῶν Ἰουδαίων, ὥστε δέξασθαι τὸν ἀντ᾽ ἐκεί„ νου καθεσταμένον Ἡρώδην. οὐδὲ γὰρ βασανιζόμενοι βασι„ λέα αὐτὸν ἀναγορεύειν ὑπέμειναν, οὕτως μέγα τι ἐφρό„ νουν περὶ τοῦ πρώτου βασιλέως. τὴν οὖν ἀτιμίαν ἐνό„ μισε μειώσειν τῆς πρὸς αὐτὸν μνήμης, μειώσειν δὲ καὶ „ τὸ πρὸς Ἡρώδην μῖσος." ταῦτα μὲν ὁ Στράβων. *Antonius autem, cum captivum cepisset Antigonum, decreverat usque ad triumphum servare vinctum. Sed cum audiret rebus novis studere gentem, & præ Herodis odio benevolentiam erga Antigonum retinere, statuit eum Antiochiæ securi feriendum: alioquin quiescere Judæi minime poterant. verbisque meis testimonium perhibet Strabo Cappadox, ita dicens. „ Antonius Antigonum Judæum Antiochiam perductum „ securi ferit: & hic quidem Romanorum primus „ visus est regem securi percussisse; ratus non posse „ alia via flecti Judæorum animos, ut Herodem „ in illius locum suffectum* pro rege *agnoscerent.* „ *nam ne tormentis quidem adigi poterant, ut eum „ regem adpellarent; adeo magna illis opinio erat „ de priore rege. Fore igitur existimavit, ut me„ moria ejus ignominia* sensim *minueretur, & o„ dium illorum in Herodem* paulatim *mitigaretur. Atque hæc quidem Strabo.* Hæc hodie apud Strabonem non legi testatur ibidem in Notis Ezechiel Spanhemius. Paucis quoque totam historiam absolvit atque Romanorum in eo taxat crudelitatem Dio Cassius lib. XLIX. pag. 405. Καὶ ὁ μὲν, ταῦτα πράξας, ἐς τὴν Ἰταλίαν ἀφωρμήθη· Γάιος δὲ δὴ Σόσσιος τὴν ἀρχὴν τῆς τε Συρίας καὶ τῆς Κιλικίας παρ᾽ αὐτοῦ λαβὼν, τούς τε Ἀραδίους πολιορκηθέντας τε μέχρι τότε, καὶ λιμῷ καὶ νόσῳ ταλαιπωρηθέντας ἐχειρώσατο, καὶ τὸν Ἀντίγονον τοὺς φρουροὺς τοὺς παρ᾽ ἑαυτῷ τῶν Ῥωμαίων ὄντας ἀποκτείναντα, μάχῃ τε ἐνίκησε, καὶ καταφυγόντα ἐς Ἱεροσόλυμα, πολιορκίᾳ κατεστρέψατο. πολλὰ μὲν δὴ καὶ δεινὰ καὶ οἱ Ἰουδαῖοι τοὺς Ῥωμαίους ἔδρασαν (τὸ γάρ τοι γένος αὐτῶν θυμωθὲν, πικρότατόν ἐστι) πολλῷ δὲ δὴ πλείω αὐτοὶ ἔπαθον. ἑάλωσαν μὲν γὰρ, πρότεροι μὲν ὑπὲρ τοῦ τεμένους τοῦ θεοῦ ἀμυνόμενοι, ἔπειτα δὲ καὶ οἱ ἄλλοι ἐν τῇ τοῦ Κρόνου καὶ τότε ἡμέρᾳ ὠνομασμένῃ. καὶ τοσοῦτόν γε τῆς θρησκείας αὐτοῖς περιῆν, ὥστε τοὺς προτέρους τοὺς μετὰ τοῦ ἱεροῦ χειρωθέντας παραιτήσασθαί τε τὸν Σόσσιον, ἐπειδὴ ἡμέρα αὖθις ἡ τοῦ Κρόνου ἐνέστη, καὶ ἀνελθόντας ἐς αὐτὸ, πάντα μετὰ τῶν λοιπῶν τὰ νομιζόμενα ποιῆσαι. ἐκείνους μὲν οὖν Ἡρώδῃ τινὶ ὁ Ἀντώνιος ἄρχειν ἐπέτρεψε· τὸν δ᾽ Ἀντίγονον ἐμαστίγωσε, σταυρῷ προσδήσας (ὃ μηδεὶς ἄλλος βασιλεὺς ὑπὸ τῶν Ῥωμαίων ἐπεπόνθει) καὶ μετὰ τοῦτο ἀπέσφαξεν, ἐπί μὲν δὴ τοῦ τε Κλαυδίου τοῦ τε Νωρβανοῦ τοῦθ᾽ οὕτως ἐγένετο. *His actis Antonius in Italiam cursum instituit. C. autem Sossius, Syriæ & Ciliciæ ab Antonio præfectus, Aradios, hactenus oppugnationem perpessos, fameque & morbo confectos, subegit: Antigonum, qui præsidium Romanum, quod apud se erat, occiderat, prælio victum, Hierosolymis (eo enim confugerat) vi expugnavit. Judæi (ut est gens ea iræ, si semel ea correpta fuerit, acerbissimæ) multa ac gravia mala quidem ii Romanis intulerunt, longe tamen plura passi sunt. capti enim ab his sunt priores quidem illi, qui pro templo dei sui propugnabant: post reliqui etiam, Saturni die, quam tanta religione festam agunt, ut qui prius cum templo erant capti a Sossio, instante ea die a Sossio veniam exoraverint, ac in templum adscendentes, cum reliquis rem sacram pro more peregerint. Sossius, Herodi cuidam regno Judæorum concesso, Antigonum cruci alligatum (quo supplicio nullus unquam rex a Romanis erat adfectus) flagris cecidit, ac deinde jugulavit. Id factum Claudio & Norbano coss.*

II.

IMPerator. Caput Antonii triumviri nudum.
Caius SOSIVS *Quæstor.* Aquila fulmini insistens, ante cujus pedes est caduceus. Adsunt punctula quædam, quæ literarum obscuros ductus in nummo residuos exstare docent, quasi ZA. legendum foret, prouti cum Goltzio expressit Vaillantius.

Hunc nummum aliquanto integriorem quum in museo ducis sui invenisset Liebeus, eum vulgavit pag. 400. Gothæ Nummariæ. Ubi ostendit literas ΣΑ non ZA. in nummulo æreo exstare; ipsumque adeo nummum non Zabulone (ut credebat Vaillantius) in Judæa cusum esse, sed ubi reliqui Ægyptiorum regum nummi, qui plures literas ΣΑ habent inscriptas, quæ Salamina Cypri urbem, vel verius Saitin, Ægyptiacam, significare possint. Quod cum eodem Liebeo verosimilius quoque existimo. Nummi quidem illi Ægyptiorum regum argentei sunt & tetradrachmales, sed hoc non impedit, quo minus ærea quoque moneta ibi signari potuerit. Caduceus videtur innuere cusum fuisse nummum eo tempore, quo inter Cæsarem & Antonium res ad arma nondum pervenerant.

III.

Caput M. Antonii triumviri nudum sine inscriptione.

CωCIOΤ. quæ literæ ista forma in area nummi exitant.

Parvulus hic nummus æreus videtur esse ex illo genere cujus plures habeo cum inscriptione

 ab

ab altera parte ANTω, ΥΠΑ. Γ. ab altera BACIA. ΘΕΑ ΝΕ. in tabellis Regum Ægypti nummisque suo loco in Thesauro nostro Regio producendis, jamque æri incisis. Quos omnes jussu quæstoris C. Sosii in gratiam M. Antonii & Cleopatræ cusos fuisse existimamus. In ejusdem Cleopatræ gratiam aquilam fulmini insistentem, cum caduceo in præcedente nummo expressit. Aquila enim perpetua in Ægypti regum nummis est.

Præ reliquis Antonio fidus fuit Sosius, unde classi ejusdem in pugna Actiaca præfuit. Vellejus lib. II. cap. LXXXV. *Classis Antonii regimen Publicolæ Sosioque commissum.* Veniam tamen postea meruit apud Augustum, quod in illo, ut inimicissimo sæpe Cæsari, notat Dio Cassius lib. LI. pag. 443. Καὶ ἐν μὲν τούτοις ὅ, τε Σόσσιος ἐπιφανὴς ἐγένετο, πολλάκις τε γὰρ ἀντιπολεμήσας αὐτῷ, καὶ τότε φυγὼν καὶ κατακρυφθεὶς, χρόνῳ τε ὕστερον εὑρεθεὶς, ὅμως ἐσώθη. *Inter vita donatos præcipuus fuit Sossius, qui cum bello sæpe Cæsarem petiisset, tunc fuga elapsus occultatusque, post inventus ac dimissus est.* De eo quoque, ut infesto Cæsari, egerat lib. L. pag. 480. ubi de Cæsare ait: πολλὰ δὲ καὶ τοῦ Σοσσίου τοῦ τε Αντονίου κατηγόρησεν. *Multis Sossium & Antonium accusavit.* Alius itaque Sosius est, vel corruptus, ubi de isto agitur, Dionis locus est lib. L. p. 427. Κἀν τούτῳ ναυμαχία τις ἐγένετο. ὁ γὰρ Σόσσιος, Λουκίου Ταρησίου ναυσὶν ὀλίγαις ἐφορμοῦντος σφίσιν, ἐλπίσας ἄξιόν τι λόγου πράξειν, ἂν, πρὶν τὸν Ἀγρίππαν ἐπελθεῖν, συμβάλῃ αὐτῷ (τῷ γὰρ Ἀγρίππᾳ ἅπαν τὸ ναυτικὸν ἐπετέτραπτο) ἐξανήχθη τε ἐξαπιναίως ὑπὸ τὴν ἕω, ὁμίχλην βαθεῖαν τηρήσας, ἵνα μὴ τὸ πλῆθος σφῶν προϊδὼν φύγῃ, καὶ παραχρῆμα τῇ πρώτῃ προσβολῇ τρεψάμενος αὐτὸν ἐπεδίωξε μὲν, οὐχ εἷλε δέ. τοῦ γὰρ Ἀγρίππου κατὰ τύχην ἀπαντήσαντός οἱ, οὐ μόνον οὐδὲν τῆς νίκης ἀπώνατο, ἀλλὰ καὶ προσδιεφθάρη μετά τε τοῦ Ταρκονδιμότου, καὶ μετὰ ἄλλων πολλῶν. *Interim navalis pugna hujusmodi incidit. Sossius sperans, se, si L. Tauresium, qui paucis cum navibus stationem adversus Antonianos servabat, ante reditum Agrippæ (cui universa Cæsaris classis commissa erat) aggrederetur, posse rem aliquam memorandam gerere; sub auroram repente contra eum evectus est, observata densa nebula, ne Tauresius navium suarum multitudine prævisa fugeret: ac eum primo conflictu fugatum quum insequeretur, obviam facto forte fortuna Agrippa, non modo non adsecutus est Tauresium, aut victoriæ fructum aliquem percepit, sed ipse cum Tarcondimoto aliisque multis interiit.*

Hujus C. Sosii nostri neptis videtur fuisse Sosia Galla, Silii ejus, de quo ad gentis ejus nummos actum fuit, uxor, & cum marito Sejani odio adflicta.

SPURILIA.

Spurilia gens plebeja fuit, Livio enim lib. IV. inter tribunus plebis quidam Spurilius recensetur A. U. C. CCCXXXI. pro quo tamen alii Sp. Icilium legi volunt.

I.

Caput Romæ galeatum cum denarii nota.
Aulus SPURI*lius*. Diana in citis bigis.

Plane nescitur, quis hunc denarium signaverit; nam neque quomodo legi debeat certo constare potest. Pro Spurilio enim legi quoque potest SPURI*us*; cujus illud diminutivum est, imo SPURI*na* quoque, quod cognomen invenitur apud Valerium Maximum lib. IV. cap. V.

STATIA.

Familia Statia plebeja fuit, nam T. Statius ex illa gente inter tribunos plebis recensetur.

I.

Caput Neptuni cum tridente.
MURCUS IMP*erator*. Stat figura togata parazonio instructa, coram quam figura muliebris ingeniculata passis capillis opem ejus implorat. Tropæum in medio erigitur.

Lucii Statii Murci, viri fortis & magnanimi, res gestæ notæ sunt, & plura de illo apud Ursinum & Vaillantium leguntur. Cæsari primum operam suam præstitit, post cædem ejus reipublicæ partes fovit, atque debellatis Bruto & Cassio ad Sextum Pompejum in Siciliam se contulit, a quo perfide cæsus fuit.

In hoc denario rarissimo L. Statius Murcus, titulo imperatoris a Cassio donatus, non suam, ut crediderunt antiquarii, sed Cassii victoriam celebravit. Illud enim satis docent verba Dionis Cassii, si recte adtendamus, lib. XLVII. pag. 343. ubi de Cæcilii Bassi in Syria conatibus agitur. Καὶ ὁ μὲν δυνηθεὶς τινὰ χρόνον, ἔπειτα ὑπό τε Μάρκου Κρίσπου καὶ ὑπὸ Λουκίου Στατίου Μούρκου αὖθις κατείρχθη. τοιούτων δὲ δὴ τῶν πραγμάτων αὐτοῖς ὄντων, ὁ Κάσσιος ἐπελθὼν, τάς τε πόλεις πάσας εὐθὺς πρός τε τὴν δόξαν ὧν ἐν τῇ ταμιείᾳ ἐπεποιήκει, καὶ πρὸς τὴν λοιπὴν εὔκλειαν, ᾠκειώσατο, καὶ τὰ στρατόπεδα τά τε τοῦ Βάσσου, καὶ τὰ τῶν ἑτέρων οὐδὲν ἐπιπονήσας προσέθετο. *Bassus vero quum aliquandiu prævaluisset, postea a M. Crispo & L. Statio Murco iterum est in obsidione habitus. Ad hunc statum rebus Syriæ perductis, Cassius supervenit, ac continuo omnes urbes gloria rerum in quæstura a se gestarum reliquoque ejus nomine adductas, in suam potestatem, exercitusque item Bassi ac cæterorum, sine ullo labore redegit.* Et aliquanto post Παραλαβὼν οὖν τὴν Συρίαν, ἐς τὴν Ἰουδαίαν ὥρμησε, πυθόμενος τοὺς στρατιώτας τοὺς ἐν τῇ Αἰγύπτῳ ὑπὸ τοῦ Καίσαρος καταλειφθέντας προσιέναι· καὶ ἐκείνους τε ἀκονιτὶ καὶ τοὺς Ἰουδαίους, προσεποιήσατο. καὶ μετὰ τοῦτο τὸν μὲν Βάσσον καὶ τὸν Κρίσπον, τούς τε ἄλλους τοὺς οὐκ ἐθελήσαντάς οἱ συστρατεῦσαι, ἀπέπεμψε, μηδὲν ἀδικήσας· τῷ δὲ δὴ Στατίῳ τό, τε ἀξίωμα, μεθ' οὗ ἀφῖκτο, ἐτήρησε, καὶ προσέτι καὶ τὸ ναυτικὸν ἐπέτρεψεν. *Syria occupata, Cassius in Judæam contendit, quod eo progredi Cæsarianos milites in Ægypto relictos audiret: eos, Judæosque, nullo cum negotio sui juris fecit. secundum hæc Bassum & Crispum, reliquosque qui sub se militare nollent, nulla injuria adfectos dimisit: Statio autem & eam dignitatem cum qua ad se venerat, integram reliquit, & classem præterea commisit.* Nulla ibi est mentio victoriæ, ob quam tropæum Statius Murcus erigere poterat, sed in Cassii laude omnia versantur. Ipsius itaque Cassii, qui Phœniciam, Syriam, & Judæam tam facile subegerat, monumenta & res gestas per tropæi ejus imaginem celebravit Murcus, qui, quod dux classis Cassianæ constitutus esset, Neptunum signavit in parte nummi anteriori, in posteriori vero præter tropæum Cassii, ipsum quoque exhibuit, cujus opem supplex omnis Asia imploraret. Viri interitum descripsit idem Dio lib. XLVIII. pag. 368. Ταῦτα μὲν ἕως ἔτι τά τε τοῦ Κασσίου καὶ τὰ τοῦ Βρούτου συνειστήκει, ἔπραξε· φθαρέντων δὲ ἐκείνων, ἄλλοι πρὸς αὐτὸν τὰ μὲν πρῶτα ἀσμένως ἐδέξατο (καὶ γὰρ τὴν δύναμιν ἧς ἦρχεν, ἐπηγάγετο) ἔπειτα δὲ καὶ δραστήριον καὶ φρονηματώδη ἰδὼν ὄντα ἀπέκτεινεν, ἔγκλημα αὐτῷ προδοσίας ἐπενεγκών. *Hæc a Sexto Pompejo gesta sunt, Cassii adhuc Brutique rebus salvis. Secundum eorum interitum, cum*

alii

alii ad eum, tum Statius etiam Murcus, ſeſe receperunt: Statium Pompejus libenter accepit (nimirum ut copias, quibus ille præerat, ad ſe traduceret) deinde autem ſtrenuum & magnanimum eſſe videns, interfecit, proditionis eum inſimulans.

Dedimus explicationem typi ex Dione, ex quo plurimi nummi egregie illuſtrari poſſunt. Quid autem deſtructor ille antiquitatis Harduinus? ad Plinii lib. V. pag. 260. ita ſcribit. „Infra MVR-„ CVS IMP. quibus literis non Murcus aliquis, „ ſed ſententia hæc continetur: *Maritimæ Ur-„ bes Reſtitutæ Cæſarem Veſpaſianum Salutant* „ IMP*eratorem*."

II.

Caput Vulcani cum forcipe, quæ poſt caput cernitur. Dei caput more ſolito pileatum eſt.

STATI*us.* TREBO*nius.* Victoria quadrigas agens.

Inſignem hunc & rariſſimum nummulum æreum ex cimelio ſuo vulgavit abbas Petrus Seguinus pag. 96. cujus commentariolus quum illuſtret plurimum inſcripta nummulo nomina, utile viſum eſt eundem adjicere. Verba ejus ſic ſeſe habent. „ C. Trebonius & L. Statius Mur-„ cus C. Cæſari dictatori primum adhæſerunt. „ Ille Cæſaris legatus in Britannia, hoſtes ſu-„ pervenientes, magno eorum numero cæſo, „ in fugam compulit, & legiones tres, quæ pa-„ bulatum iverant, præſidio equitatus, cui præ-„ erat, ſervavit. In Gallia Romanos, in caſtel-„ lo Vatuca obſeſſos a Germanis, liberavit. Bel-„ lo civili Pompeiano Maſſiliam, poſt arduam „ & diuturnam obſidionem, cepit. Cumque „ Cæſar, omnibus bellis civilibus confectis, con-„ ſul IV. factus eſſet, & dictaturæ honore con-„ tentus, conſulatum depoſuiſſet; ſibi in tres „ ultimos anni menſes C. Trebonium cum Q. „ Fabio Maximo ſuffecit, novo prorſus exem-„ plo. Hinc enim ſuffecti ſive honorarii con-„ ſules, tum primum creari cœpti ſunt A. V. C. „ DCCVIII. Nihilominus conjurationis Brutia-„ næ particeps fuit, ipſique negotium datum „ eſt, ut M. Antonium quæſita colloquii occa-„ ſione detineret, ne cum Cæſare curiam ingre-„ deretur, illique ſuppetias ferret. Tandem cum „ Aſiam decreto ſenatus obtineret, Smyrnæ a „ Dolabella interceptus, biduo ſervilem in mo-„ dum laceratus, ut pecunias publicas exhiberet, „ capite truncatus eſt; & corpus omni ludibrio „ habitum, in mare projectum eſt. Ita primus „ percuſſorum Cæſaris interiit.

„ De L. STATIO MVRCO, qui bello „ Pompeiano Cæſaris legatus fuit, & qui, ipſo „ cæſo a partibus Caſſii ſtetit, plura optime, ut ſo-„ let, Fulv. Urſinus in gente Statia. Sed quia „ dubitat de nomine *Imperatoris*, quod Murco „ tribuitur in epiſtola Caſſii ad Ciceronem, & in „ nummo argenteo, quem exhibet ipſe Urſinus; „ non abs re forte videbitur, ſi illum merito ad-„ eptum fuiſſe nomen Imperatorium demonſtre-„ mus. Ac primo certum eſt, Dolabellam cum „ claſſe Ægyptia, quæ duce Serapione, ut ei „ ſuppetias ferret, a Cleopatra miſſa fuerat, a „ Murco claſſis Caſſianæ præfecto fractum, fuga-„ tum, & Laodiceam compulſum, omnique com-„ meatu intercluſo, ad mortem adactum a Caſſio, „ urbe capta. Duas poſtea retulit inſignes victorias, „ etiam navales; unam ex Rhodiis, ad Rhodum „ ipſam a Caſſio obſeſſam; alteram ex Domitio „ Calvino, qui claſſi Cæſarianæ præerat, & „ Brunduſio ſolverat, ut ad Cæſarem & Anto-„ nium, adverſus Brutum & Caſſium in Mace-„ donia militantes, ſupplementum deduceret. „ Cum videlicet Murcus ipſe & Domitius Ahe-„ nobarbus, qui ad Corcyram in ſtatione erant, „ ut mari portubusque hoſtes ſuos prohiberent, „ junctis viribus claſſem Cæſarianam partim de-„ preſſerunt, partim incenderunt. In his præ-„ liis ars militaris & virtus Murci maxime com-„ mendatur; ut nil mirum, ſi tot victoriis au-„ ctus, a militibus *Imperator* fuerit ſalutatus mo-„ re antiquo, & hoc nomine gaudeat in veteri-„ bus monumentis. Quod ad nummum noſtrum „ pertinet, cuſus videtur in Aſia, a duobus com-„ militonibus Trebonio & Statio, qui ambo, „ legati Bruti & Caſſii, libertati & reipublicæ „ favebant: præſertim a Trebonio, cui Aſia „ provincia fuerat ab ipſo Cæſare decreta, & „ poſt ejus cædem à Senatu confirmata." Hæc Seguinus. At inter percuſſores C. Cæſaris Appianus quoque enumerat Murcum quendam, qui, quamvis non fuerit particeps conjurationis, tamen una cum aliis gloriam tyrannicidæ occupaverit. Ita enim ille B. C. lib. II. pag. 503. Συνέθεον δὲ αὐτοῖς τινὲς χρησάμενοι ξιφίδια, οἱ δὲ ἔργου μὴ μετασχόντες, προσεποιοῦντο τῆς δόξης, Λέντλος τε ὁ Σπινθὴρ, καὶ Φαώνιος, καὶ Ἀκυῖνος, καὶ Δολοβέλλας, καὶ Μοῦρκος, καὶ Πετίσκος· οἱ τῆς μὲν δόξης οὐ μετέσχου, τῆς δὲ τιμωρίας τοῖς ἁμαρτοῦσι συνέτυχον. *Currebant cum iis etiam aliquot alii gladiis arreptis, quamvis non eſſent facinoris ſocii, tamen cupientes videri participes gloriæ: & in his Lentulus Spinter, Favonius, Aquinus, Dolobella, Murcus, Peticus: quibus gloria quidem frui non contigit, ſed pœnas dederunt eaſdem cum ſontibus.* Si vero idem hic Murcus cum L. Statio Murco imperatore fuit, nequaquam pepercisset Cæſar Octavianus, quantumvis amici rogarent, homini qui tam ferventer captaſſet videri percuſſor Cæſaris patris; neque Appianus diceret una cum reliquis meritas pœnas dediſſe. Itaque ſicuti Caſſii, Caſcæ, Dolabellæ, Trebonii aliique plures iſto tempore extiterunt, quorum vel plures ſimul contra Cæſarem conſpiraverant, vel unus eorum, quum alius ex eadem gente vel familia improbaret illud factum, vel certe inter conjuratos non fuerat, ſic videtur conjectura poſſe naſci, an non ab illo Statio Murco, qui percuſſor eſſe Cæſaris adfectavit, hic nummulus cuſus fuerit, una cum Trebonio aliquo, qui Bruti & Caſſii partes fuerit ſecutus. Certe imperatoris titulus, qui L. Statio Murco conveniebat, in hoc ære non exprimitur, & Vulcani caput cum forcipe curam monetæ deſignat, quæ magis convenit quæſtoribus & triumviris, ſive, ut tum erant, quatuorviris monetalibus, quam præfecto claſſis & viro conſulari, ut tunc temporis erant Murcus & Trebonius; quin & plures Trebonios tum exſtitiſſe docet mentio C. Trebonii equitis apud Cæſarem lib. VI. de Bello Gallico.

Sed ſive a Murco & Trebonio, in minore aliquo magiſtratu, ſive juſſu L. Statii Murci & C. Trebonii cuſus fuerit hic nummulus, Victoriæ in quadrigis typus Caſſii celebrat res geſtas, qui Judæam atque Syriam omnemque illam Aſiæ partem ſubegerat; atque ad ſuas partes pertraxerat. Nam eodem fere tempore occiſus Smyrnæ a Dolabella fuit C. Trebonius, qui prima Cæſari victima cecidit. Ubi enim illas Caſſii res geſtas narravit Dio, mox ſubnectit C. Trebonii interitum, & ultionem ejus a Senatu Caſſio demandatam lib. 47. pag. 343. Οὕτω μὲν καὶ ὁ Κάσσιος ἰσχυρὸς διὰ ταχέων ἐγένετο, καὶ τῷ τε Καίσαρι περὶ τῆς συναλλαγῆς τῇ γερουσίᾳ περὶ τῶν παρόντων ὅμοια τῷ Βρούτῳ ἐπέστειλε. καὶ αὐτῷ διὰ ταῦτα ἡ βουλὴ τήν τε ἀρχὴν τῆς

Συ-

Συρίας ἐξεβοήθησε, καὶ τὸν Δολοβέλλα πόλεμον ἐψηφίσατο. Sic vires parvo temporis ſpatio Caſſius nactus, Cæſari de reditu in gratiam, ſenatui de præſenti ſtatu rerum eadem quæ Brutus, ſcripſit: eique his de cauſis ſenatus imperium Syriæ confirmavit, ac bellum contra Dolobellam decrevit. Narrat deinde quomodo a Dolabella oppreſſus fuerit Trebonius, atque a Caſſio viciſſim Dolabella ad mortem compulſus.

STATILIA.

Familia Statilia nova fuit, & ſub Cæſaribus demum cognita. Tauri cognomen in nummis habet.

I.

TAVRVS. REGVLVS. PVLCHER. Dextræ junctæ tenent caduceum.

IIIVIR*i Auro Argento Aeri Flando Feriundo.* In area nummi eſt nota ſenatusconſulti.

Hic Statilius Taurus, triumvir monetalis ſenatus cum collegis Livinejo Regulo & Claudio Pulchro, videtur fuiſſe filius T. Statilii Tauri, qui conſul fuit A. V. C. DCCLXIV. triennio ante principis Auguſti obitum. Utrum filius hujus noſtri triumviri monetalis nepoſve, an alterius Statilii Tauri fuerit M. Statilius Taurus, conſul ſub Claudio A. V. C. DCCLXXXXVII. incertum eſt.

II.

TAVRVS. REGVLVS PVLCHER. Cornucopiæ inter literas S. C. quæ ſenatusconſulti nota ſunt.

IIIVIR*i Auro Argento Aeri Flando Feriundo.* Incudis figura.

In hiſce minutis monetis ſæpe incudis figura cernitur, nunquam in majoribus. Cornucopiæ ubertatem rerum omnium indicat, quæ ſequela pacis erat. Pax ſtabilita erat concordia Cæſaris Auguſti & ſenatus Romani.

III.

TAVRVS. REGVLVS. PVLCHER. Capeduncula & lituus, pontificatus inſignia.

IIIVIR*i Auro Argento Aeri Flando Feriundo.* Nota ſenatusconſulti in area nummi.

Pontificatus inſignia docent, hoſce tres collegas in iſto munere fuiſſe mortuo jam Lepido, quum iſtam dignitatem recepiſſet Auguſtus.

IV.

CN*eus* STATI*lius* LIBO. Caput nudum Auguſti ſenis.

SACERDOS. Patera ſive diſcus & præfericulum.

Primus hunc nummum vulgavit Carolus Patinus atque Urſino adjunxit. Ad fidem numiſmatis melius delineavit Morellius. Exhibuit quoque ad Plinii tom. II. p. 742. Harduinus. Sed omnes mutilum illum viderunt. Defuit enim in illo nummo, in Theſauro Regio adſervato, vocabulum quoddam poſt occiput Auguſti, quod in nummo meo, raro certe, clare legitur, videlicet PRAEF. unde docemur diverſos eſſe homines, qui in anteriore & poſteriore hujus nummi parte occurrunt. In parte anteriore occurit CN*eus* STATI*lius* vel STATI*us* (utrumque enim legi poteſt) PRAEF*ectus*. In poſteriori parte cognomen cujuſdam incerti viri SACERDOS occurrit. Extra Italiam cuſum fuiſſe hunc nummum primus ejuſdem conſpectus prodit, in Hiſpania ſcilicet vel Africa. Eſt itaque hic nummus ex eo genere, qui inter magiſtratus coloniarum præfectos quoque dictos occurrunt. Tales obvii ſunt in quibuſdam Auguſti nummis, ut oſtenſuri ſumus ad Tom. II. ad tabulam XLV. ubi num. 1. 2. 3. 4. occurrunt tales præfecti, videlicet Benignus & Hiberus ſimul juncti, M. Agrippa ejuſdem coloniæ, quæ tamen non nominatur, quinqueviro. In utroque vero tropæum exprimitur, atque propterea Hiſpaniæ potius quam Africæ hoſce nummos adſigno, atque ad res ſub Auguſto in Cantabria geſtas, & colonias illuc deductas ſpectare exiſtimo.

Quamvis vero in hoc nummo, noſtro certe, vox PRÆF*ectus* ad nomen tantum Cn. Statii vel Statilii Libonis adſcribatur, pertinet tamen ad Sacerdotem quoque, ut integra lectio ſic ſit concipienda SACERDOS, CN*eus* STATI*lius* Li*bo* PRAE*fecti*. In denariis enim argenteis ſimiliter dignitatem uni tantum triumviro monetali adſcribi ſupra adſtruximus. Neque enim ridiculam Harduini interpretationem quiſquam, ut puto, probare poterit. Cerni illa poteſt ſupra ad nummos Scribonii Libonis pag. 378.

Cognomen Sacerdos non tantum genti Liciniæ fuit proprium, ſed & pluribus. In Hiſpania Caſſii illud habere potuerunt. Certe Caſſius Sacerdos recenſetur Tacito IV. Ann. cap. 13. A. V. C. DCCLXXVII. in officio Vibii Sereni proconſulis ulterioris Hiſpaniæ. Caſſidius quoque (quod a Caſſio diminutivum eſt) Sacerdos, prætorius, ſtuprorum Albucillæ miniſter, in inſulas deportatus fuiſſe narratur, ultimis Tiberii temporibus, Annal. lib. VI. cap. 48. Non itaque nomen eſt miniſterii ſed cognomen familiæ At quoniam uterque præfectus a ſacris cognomen ſuum fuerat mutuatus, Libonis ſcilicet & Sacerdotis, inſtrumenta ſacrorum in nummo ſimul expreſſerunt, diſcum, ſive pateram, & præfericulum.

SVILLIA.

Gens Suillia nova fuit, & floruit ſub Cæſaribus.

I.

ΤΙΒέριος ΚΛΑΥΔΙΟΣ ΚΑΙΣΑΡ ΓΕΡμάνικος. *Tiberius Claudius Cæſar Germanicus.* Caput Claudii Cæſaris laureatum.

ΙΕΡΑΠΟΛΕΙΤΩΝ. Μάρκος ΣΤΙΛΛΙΟΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΣ. *Hierapolitarum. Marcus Suillius. Antiochus.* Sic enim integre legi debere nummum oſtendit Vaillantius.

Seguinus, qui primus hunc nummum ex cimelio ſuo vulgavit, corrigendos eſſe ex hoc nummo Taciti codices exiſtimat, in quibus Publii nomen habet, non Marci, terribilis ille calumniator & accuſator Suillius, ad quem hunc nummum refert. Verba ejus hæc ſunt pag. 101. „Quamvis prænomen in ipſis legatur MARCVS, in codice vero Taciti PVBLIVS; „unum tamen eundemque SVILLIVM eſſe „autumo. Primo ex eo quod nummi Hierapoli in Aſia cuſi ſint, cujus provinciæ rector „extitit, ut patet ex Taciti verbis: *Repertique „accuſatores, direptos ſocios, cum Suillius provinciam Aſiam regeret, ac publicæ pecuniæ peculatum detulere.* Secundo ex imagine Claudii Imp. „in altero nummorum impreſſa, apud quem *præpotens, ejuſque principis amicitia diu proſpere*, „nun-

„ *nunquam bene usus*, dicitur ab eodem Tacito. „ Debetur igitur *Suillio* prænomen *Marcus* atque „ etiam duplex *ll*, ut in nummo, & apud Carolum Sigonium, qui *Suillios* recenset inter eos „ qui a pecore nomen sumserunt. Quod vero „ ad gesta Suillii pertinet, delatoris vicem sæpius cum maximo virorum illustrium detrimento „ sustinuit. Ejus enim opera Messalina Valerium Asiaticum bis Consulem, cujus hortis, olim a Lucullo magnificentissime exultis, inhiabat, subvertit, & ad necem voluntariam „ compulit: totque aliis perniciem adtulit, ut „ *continuus & sævus accusandis reis Suillius* dicatur a Tacito. Immo cum magna perfidia & „ prævaricatione advocationis munere functus, tandem Nerone ad Imperium evecto „ multorum odia meritus, reus factus & damnatus est incumbente præcipue Seneca, „ cum quo maximas simultates exercuit. Igitur „ adempta bonorum parte, in insulas Baleares „ pulsus est: in ipso tamen discrimine, & post „ damnationem ipsam, animo invictus." In hujus Suillii, quæstoris quondam Germanici, vita & facinoribus copiosus satis est Tacitus; quæsturam ejus commemorat IV. Annal. 31. quomodo Asiaticum accusaverit describit, lib. XI. cap. 1. & Petras, equites Romanos, ibidem; famosum facit, ut continuum accusandis reis, lib. II. cap. 5. damnationem atque exilium in Balearibus fortiter & splendide toleratum, describit lib. XIII. cap. 42. & 43. Ultimo loco illi filius dicitur fuisse Nerulinus. *Igitur ademta bonorum parte (nam filio & nepti pars concedebatur, eximebanturque etiam quæ testamento matris, aut avi acceperant) in insulas Baleares pellitur: non in ipso discrimine, non post damnationem fractus animo. Ferebaturque copiosa & molli vita secretum illud toleravisse. Filium ejus Nerulinum adgressis accusatoribus per invidiam patris & crimina repetundarum, intercessit princeps, tanquam satis expleta ultione.* Hunc Suillium Nerulinum, famosi patris meliorem (ut videtur) filium, ejusque honores sub Vespasiano, Taciti interpres nummus servat infra num. III. Sed quod tam facile Seguino Tacitum emendanti adcredat Vaillantius tom. II. pag. 44. & patrem quoque Marci prænomen tulisse, & in Asia parem filio potestatem ante habuisse credat, ipse Tacitus, ut opinor, refellit. Is enim præter hunc Publium Suillium, prouti constanter ubique in Taciti codicibus vocatur, agnoscit alium quoque Suillium, prænomine Marcum, qui in Fastis vocatur M. Suillius Nervilianus, quique consul fuit una cum C. Antistio Vetere A. V. C. DCCCIII. Ad quem pertinere duos hos nummos, non ad P. Suillium, duobus argumentis demonstrare conabor. Primo, M. Suillius vocatur in nummis, ergo non est violenter quærendus is, qui Publii prænomen ubique habet apud Tacitum, præcipue si apud eundem M. Suillius quoque inveniatur. Verba Taciti sunt Annal. lib. XII. cap. 25. *C. Antistio M. Sulio consulibus adoptio in Domitium auctoritate Pallantis festinatur.* Dein Taciti descriptio, quoad annum, quo consulatum gessit M. Suillius, illustratur a nummo. Postquam enim illa quæ diximus, de adoptione Domitii protulit, sequenti capite addit: *Rogataque lex, qua in familiam Claudiam & nomen Neronis transiret. Augetur & Agrippina cognomento Augustæ.* Jam vero Augustæ titulum in sequenti nummo gerit Agrippina, in cujus potissimum honorem nummum istum signavit M. Suillius Nervilianus, quod in suo consulatu Augustæ nomen adepta fuisset Agrippina, neque enim longe post missus fuit in Asiam, quando-quidem quarto post anno Claudius imperator veneno fuit sublatus.

Antiochus in nummi parte posteriore nomen est magistratus urbis Græcæ. Apollo vero signatur in nummo, ut Hierapoli eximie cultus.

II.

Μ. ΣΟΥΙΛΛΙΟΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΣ. ΙΕΡΑΠΟΛΕΙΤΩΝ. ita enim integre legendum est. *Marcus Suillius. Antiochus. Hierapolitarum.* Caput Agrippinæ, tanquam deæ Liberæ, hedera revinctum.

ΑΓΡΙΠΠΕΙΝΗ ΣΕΒάϛη. *Agrippinæ Augustæ.* Templum sex columnarum, in cujus frontispicio ara cernitur.

Et hunc nummum primus vulgavit Petrus Seguinus pag. 100. hac addita descriptione: „ Memorabimus etiam P. seu M. SUILLIUM, „ quæstorem quondam Germanici Cæsaris; ac „ deinde, cum convictus esset acceptæ ob rem „ judicandam pecuniæ, in insulam imperante Tiberio deportatum, ut ex Tacito discimus. „ Ejus duplex nummus apud me reperitur; uterque Græcus, æreus, & secundæ magnitudinis. Primus habet ab una parte caput Bacchi, seu Liberæ, cum inscriptione, Μ. ΣΥΙΛΛΙ. . . ΙΕΡΑΠΟΛΙΤΩΝ. In altera templum, cum „ inscriptione mutila, & lectu difficillima, ΕΙΝΗ „ ΣΕΒ. forte ΑΓΡΙΠΠΕΙΝΗ ΣΕΒΑΣΤΗ, cujus ævo „ Suillius in aula Claudii. Alter habet caput „ Claudii Imp. cum semesa inscript. . . . . ΟΣ „ ΚΑΙΣΑΡ ΓΕΡ. *Ti. Claudius Cæsar Germanicus*: & „ in aversa figuram muliebrem stantem, cum eadem inscript. Μ. ΣΥΙΛΛΙΟ_ ΙΕΡΑΠΟ.... *M. Suillius Hierapolitanorum.*" Ex hac descriptione patet Morellium nummis Seguini, qui hodie in museo Regis Christianissimi servantur, usum fuisse. Nam Vaillantius postmodum insigniores invenit atque vulgavit. Et hujus quidem typum habuit ab alia matrice profectum; nam inscriptio, quæ in Morelliano typo ad caput Agrippinæ ponitur, & illa quæ ad templum hic est, ibi transponuntur vice versa.

Egregie in hoc nummo M. Suillius & Hierapolitæ adulati fuerunt Agrippinæ, Claudii conjugi, quæ in hoc nummo habitu deæ Liberæ depicta est, atque a divina forma commendatur. Templum quod ab altera parte cernitur, vel Bacchi, vel Apollinis esse potest, vel etiam Claudii & Agrippinæ; ara adposita, sacra pro salute Augustæ facta ibidem fuisse denotat.

III.

ΑΥΤΟΚράτωρ ΚΑΙΣαρ ΣΕΒαστὸς ΟΥΕΣΠΑΣΙΑΝΟΣ. *Imperator Cæsar Augustus Vespasianus.* Caput Vespasiani laureatum.

ΣΜΥΡναίων. ΕΠὶ Μάρκου ΣΥΙΛΛΙΟΥ ΝΕΡΟΥΛΙΝΟΥ ΑΝΘΥΠΑΤΟΥ. *Smyrnæorum sub Marco Suillio Nerulino proconsule.* Mulier stolata & turrita sedens, dextra pateram tenens, læva cornucopiæ.

Hunc quoque nummum exhibuit Vaillantius, sed ex alia itidem matrice. Caput enim ad aliam partem convertitur, cujus inscriptio sic concipitur. ΑΥΤοκράτωρ ΚΑΙΣαρ ΟΥΕΣΠΑΣΙΑΝΟΣ ΣΕΒαστὸς. *Imperator Cæsar Vespasianus Augustus.* Ab altera quoque parte literæ ΣΜΥΡΝαίων. *Smyrnæorum*, non sub figura muliebri sedente, sed retro eandem ponuntur.

Taciti locum, qui de hoc M. Suillio Nerulino, P. Suillii filio agit, supra vidimus. Adparet vero hinc quantum antiquis scriptoribus & deperditæ historiæ lucis ex nummis antiquis accendi possit.

Antequam a Suilliis, quos nummi duplicata litera media *Suillios*, auctores simplici scribentes *Suilios* vo-

vocant, discedamus, Plinii locus est adducendus, & cum Dione conferendus. Verba sunt Plinii lib. VII. cap. V. pag. 376. ubi de septimestri partu aliorumque mensium agit. *Variant hæc pluribus modis. Vestilia, C. Herdicii, ac postea Pomponii atque Orfiti clarissimorum civium conjux, ex his quatuor partus enixa, septimo semper mense, genuit Suilium Rufum undecimo, Corbulonem septimo, utrumque consulem: postea Cæsoniam Caji principis conjugem, octavo.* Ibi Marcum Suilium, qui cum C. Antistio consulatum gessit, quemque ipse Rufum adpellat, intelligit Harduinus, & confert cum loco Dionis lib. LXIII. pag. 722. sive Xiphilini ex Dione exerptis, quod ibi Rufus Corbulonis frater vocetur. Videamus ipsius Dionis apud Xiphilinum verba, quæ exstant apud Xiphilin. edit. Henr. Steph. pag. 192. seu edit. Wech. p. 722. ubi de Neronis cædibus agens, multisque viris illustribus interfectis, ita scribit: Ὧν ἐγὼ τοὺς μὲν ἄλλους ἐάσω (πᾶσί τε γὰρ παρ' αὐτῷ δημόσιον ἔγκλημα ἦν ἀρετή τε καὶ πλοῦτος καὶ γένος· καὶ πάντες ἢ ἑαυτοὺς ἀπεκτίννυσαν, ἢ ὑπ' ἄλλων ἐφονεύοντο) τοῦ δὲ δὴ Κορβούλωνος καὶ Σουλπικίων καὶ Σκριβωνίων, Ῥούφου τε καὶ Πρόκλου, μνημονεύσω· τούτων μὲν, ὅτι ἀδελφοί τε καὶ ἡλικιῶται τρόπον τινὰ ὄντες, καὶ μηδὲν μηδέποτε ἄνευ ἀλλήλων πράξαντες, ἀλλ' ὥσπερ τῷ γένει, οὕτω καὶ τῇ προαιρέσει τῇ τε οὐσίᾳ συμπεφυκότες, καὶ τὰς Γερμανίας τὰς ἀμφοτέρας ἐπὶ πολὺ ἅμα διῳκήκεσαν, ἦλθόν τε εἰς τὴν Ἑλλάδα μετάπεμπτοι, ὥστε αὐτῶν τοῦ Νέρωνος δεομένου· καὶ ἐγκλήματος οἷα ὁ καιρὸς ἐκεῖνος ἔφερε, λαβόντες, καὶ μήτε λόγου τυγχάνοντες, μήτε ἐς ὀφθαλμοὺς τοῦ Νέρωνος ἀφικνούμενοι, καὶ διὰ τοῦθ' ὑφ' ἁπάντων ὁμοίως ἀτιμαζόμενοι, ἀποθανεῖν τὸ ἐπεθύμησαν, καὶ ἐτελεύτησαν τὰς φλέβας αὐτῶν σχάσαντες. *Quibus prætermissis, (erat enim apud ipsum crimen publicum omnibus virtus, opes, nobilitas: atque ob eam causam vel sibi mortem omnes inferebant, vel ab eo occidebantur) tantum Corbulonis, Sulpitiorumque ac Scriboniorum, Rufi & Procli, mentionem faciam. Nam hi, quum fratres essent ac fere æquales, nihilque unquam disjuncti & separati fecissent, ut erant genere & instituto vitæ & facultatibus conjuncti, diuque simul utramque Germaniam administraverant: ita simul accersiti in Græciam venerunt, tanquam Nero eorum opera indigeret. Quumque rei facti criminum quæ illa tempora ferebant, non possent cum Nerone colloqui aut in conspectum ejus venire, ac proinde ab omnibus pariter despicerentur, mortem obire maluerunt, tandemque incisis venis mortui sunt.*

Commemorantur ibi ut fratres, si non Corbulo, (cujus fatum paullo post exsequitur Dio) certe Sulpicius, Scribonius, Rufus & Proclus. Corbulo fuit ex gente Domitia, Sulpicius & Scribonius ex Sulpicia & Scribonia, Rufus & Proclus cognomina sunt, & ad plures gentes adplicari possunt. At Corbulonis matrem Vestiliam facit Plinius, quæ & Cæsoniæ, Caji conjugis, mater fuerit, & præterea, tum aliorum, tum Suilii vel Suillii Rufi. Itaque ex eadem matre Vestilia, uxore plurium virorum (commemorantur enim apud Plinium illi tantum ex quibus filios filiamque peperit mense septimo, ex quibus octavo & undecimo mense peperit, reliquisque prætermissis) nati fuerunt Corbulo & Suillius Rufus, de quo non video quomodo dicere possit Harduinus, suspicari se ex Pomponio hunc fuisse natum, fuit enim (inquit) in Pomponia gente Ruforum familia & cognomen, quasi non plures familiæ & gentes Rufi cognomen habuerint. Ipse paullo antea M. Suillium Rufum, qui cum C. Antistio consul fuit, fecerat hujus Vestiliæ filium, & Corbulonis fratrem uterinum. Sed utraque Harduini conjectura falsa est; nam ille M. Suillius, consul cum C. Antistio, Nerviliani cognomen habuit, uti vidimus ad num. I. & II. & Suilius Rufus vocari non potuit is, qui Pomponium habuerit patrem, verum Pomponius Rufus. Quis vero fuerit ille Rufus, Corbulonis frater uterinus, insania Neronis ad mortem spontaneam compulsus, difficile est definire. Nam P. Suillius Rufus in insulis Balearibus senex vixit, in exilium illuc deportatus, quum jam gravis annis esset. Suspicor itaque Cn. Domitium Corbulonem & P. Suillium Rufum revera fratres uterinos ex matre Vestilia fuisse; dicit enim *utrumque consulem* Plinius, & consul suffectus ex K. Juliis fuit P. Suillius Rufus A. V. C. DCCLXXXXIX. suffectus itidem ex K. Juliis, sed A. V. C. DCCLXXXXII. Cn. Domitius Corbulo. Sed Rufum, quem memorat Dio, non e Suillia gente esse existimo, qui reliquorum, quos commemorat Dio, frater facile esse potuit, licet Vestiliæ non fuerit filius. De Sulpicio Proclo vide infra p. 406,

SVLPICIA.

Sulpicii antiquissimi fuerunt, & semper in republica Romana nobilissimi, inter patricios non tantum sed & inter plebejos. Occurrunt in nummis Galbæ, Rufi, Procli aliique.

TAB. I.

I.

Caput Romæ galeatum, post illud denarii est nota.

Publius GALB*a*. ROMA. Figura muliebris in citis bigis, cui advolans Victoria corollam porrigit, ipsa læva flagrum dextra equorum habenas tenet.

P. Sulpicius Galba, cujus hic est denarius, videtur Pighio & Vaillantio fuisse nepos Sergii Sulpicii Galbæ oratoris, qui M. Tullii Ciceronis competitor in consulatus petitione fuit, ut scribit Cic. ad Att. I. 1. *Prensat unus P. Galba, sine fuco ac fallaciis, more majorum, negatur. Ut opinio est hominum, non aliena rationi nostræ fuit illius hæc præpropera prensatio.* Verba Asconii Pediani ad fragmenta orationis Ciceronianæ in toga candida, sive de Petitione Consulatus hæc sunt pag. edit. Gronov. 1297. *Sex competitores in consulatus petitione Cicero habuit, duos patricios, P. Sulpicium Galbam, L. Sergium Catilinam, quatuor plebejos,* &c. & mox: *Cæteri ejus competitores modeste se gesserunt, visique sunt Q. Cornificius & P. Galba sobrii ac sancti viri.* Idem videtur esse, quem judicem rejecisse Verrem scribit Cicero lib. I. in Ver. cap. 7. *Qui quum P. Galbam judicem rejecisset, M. Lucretium retinuit.* Partibus Sullanis adhæsit tribunus militum jam ante bello Mithridatico, unde ab eodem A. V. C. DCLXXIII. inter quæstores urbanos relatus fuit, quum ille lege Cornelia numerum illorum auxisset, atque viginti numero creasset.

Neque tamen a P. Galba hic depingi existimo ipsum Sullam a Victoria coronatum, ut credidit Vaillantius, sed Romam victricem, ut videlicet adludat hujus denarii typus ad finem belli socialis, qua occasione plures denarios cum variis atque elegantibus typis cusos fuisse in præcedentibus plus semel notavimus.

II.

*S*enatus *C*onsult*o*. Caput virginis Vestalis velatum.

Publius GALB*a* AED*ilis* CVR*ulis*. Culter, simpulum, & secespita.

Vi-

Videtur in hoc denario idem Publius Sulpicius Galba ædilis curulis vocari. Certe quum de consulatu cum Cicerone contenderit, ædilitatem & præturam jam ante gesserat. Unde Pighius ædilem curulem facit A. V. C. DCLXXVII. Pontificatum quoque eodem anno adeptum fuisse credit Vaillantius. Plures certe pontifices ex Sulpicia gente fuerunt: L. Sulpicius Galba, cujus Livius mortem describit lib. XXXII. cap. 7. C. Sulpicius Galba, in locum Tuditani pontifex creatus, & Livio memoratus lib. XLI. cap. 21. Aliquem inter pontifices, vel illos qui sacra curabant, locum obtinuisse P. Galbam, colligi posse videtur ex Ciceronis oratione de Haruspicum Responsis. cap. VI. *De sacris publicis, de ludis maximis, de deorum Penatium, Vestæque matris cæremoniis, de illo ipso sacrificio, quod fit pro salute pop. Romani, quod post Romam conditam hujus unius casti tutoris religionum scelere violatum est, quod tres pontifices statuissent, id semper pop. Romano, semper senatui, semper ipsis diis immortalibus satis sanctum, satis augustum, satis religiosum esse visum est. At vero meam domum P. Lentulus, consul, & pontifex P. Servilius, M. Lucullus, Q. Metellus, M. Glabrio, M. Messalla, L. Lentulus, flamen Martialis: P. Galba, Qu. Scipio, C. Fannius, M. Lepidus, L. Claudius, rex sacrorum: M. Scaurus, M. Crassus, C. Curio, Sext. Cæsar, flamen Quirinalis: Qu. Cornelius, P. Albinovanus, Qu. Terentius, pontifices minores, causa cognita, duobus locis dicta, maxima frequentia amplissimorum ac sapientissimorum civium adstante, omni religione, una mente, omnes liberaverunt.* Hic in collegio illorum qui de sacris judicabant, enumeratur quoque Publius Galba. Unde in hoc denario instrumenta illa sacrorum expressa videntur. At quum cura signandæ monetæ foret apud triumviros monetales, vel apud quæstores, novum aliquid est, quod ædilis curulis nomen in hoc denario legatur. Unde videtur senatusconsulto opus fuisse, quod in nummi parte priori per literas S. C. exprimitur; & quoniam ædiles curules curam ædificiorum publicorum habuerunt, ædes Vestæ jussu senatus forsitan ab hoc Galba fuerunt restitutæ, in quam rem pecuniam cum nomine ædilis, cui cura illa incumbebat, signari jussit senatus, cujus hic exemplum & typum videmus.

III.

Caput Herculis inberbe in rictu leonis, post illud tres sunt globuli.

Publius GALB*a*. ROMA. Triremis, supra quam graditur victoria cum palma & corolla, sub nave delphinus cernitur.

Inter Galbas in historia Romana primus, qui Publii prænomen gerit, est P. Sulpicius Galba Maximus. In quo illud notabile fuit, quod nullo ante magistratu curuli gesto, propter singularem virtutis opinionem consul fuerit creatus, atque missus contra Philippum, Macedoniæ regem. Contigit hoc A. V. C. DXLII. De hoc P. Galba plura legere est apud Livium. Idem secundo consul creatus A. V. C. DLIII. bellum Macedonicum adversus eundem Philippum fortitus fuit. Filius huic a Pighio & Vaillantio datur Publius, is scilicet qui ædilis curulis fuisse legitur apud Livium una cum Claudio Pulchro, ubi narrat damnatos fuisse frumentarios ob annonam compressam.

Ad priorem, ut nimis antiquum, non videtur pertinere hic quadrans, nisi pondus æris addicat, de quo judicium ferre nequeo, quum copia hujus nummi vel sequentis mihi non sit. Publii Galbæ, Publii filii, cognitio vitiosâ quorundam Livii exemplarium lectione nititur. In melioribus enim Servii prænomen habet, atque ita expungitur fictitius ille Publius ex Galbarum numero. Verba Livii hæc sunt lib. XXXVIII. cap. 35. *Et duodecim clypea ærata ab ædilibus curulibus, P. Claudio & Servio Sulpicio Galba sunt posita ex pecunia, qua frumentarios ob annonam compressam damnarunt.* Unde forsitan idem P. Galba, quem credimus hujus tabellæ denarium primum cudisse eo anno, quo inter quæstores urbanos a Sulla erat adlegatus, hunc & sequentem æreos nummos signavit. Victoria cernitur navi insistens, non quidem dimidiatæ, ut passim in antiquioribus nummis, sed integræ, atque iter suum perficienti, quod & ex remis adparet & ex gubernatore, qui stans ad puppim cernitur. Delphinus quoque, qui infra navem adparet, maris & marini itineris est symbolum. Hinc suspicor, non innui hoc typo victoriam aliquam navalem, sed victorem exercitum navibus reportatum, & victoriam quæ Romanis in terra transmarina contigerit. At vero A. V. C. DCLXXIII. quo magistratus fere omnes, & quæstorum numerum, auxit Sulla, atque inter illos quæstores hunc P. Galbam (ut videtur) retulit Cneus Pompejus, dux partium Sullanarum, magnis rebus in Sicilia & Africa præsertim gestis, ex illa provincia rediit, exercitusque, jussu Sullæ, inde deportatus fuit. Expeditio illa Cneo Pompejo Magni cognomen & triumphi honorem peperit. Verum hanc partium suarum felicitatem Sullæ hisce nummis typisque gratulatus fuisse videtur quæstor urbanus Publius Sulpicius Galba, quo respectu victrix Roma quoque signata videtur in denario primo, cui advolans Victoria corollam adportat, ut ubique victrici, pacatis in Italia rebus, & oppressis in provinciis longinquioribus metuendis hostibus. Vel potest celebrari illius antiquioris Galbæ Maximi expeditio in Macedoniam, de qua plura vide ad num. VI. quam posteritas ejus in decus familiæ expresserit.

Litera A.

Caput Jovis Capitolini laureatum cum nota semissis.

Publius GALB*a*. Typus præcedenti est similis, sed adponitur nota semissis.

Nihil novi in hoc nummo est, sed pondus, utpote semissis, discrepat. Præterea abest delphinus, & gubernator sedens ad puppim depingitur, non stans, sicuti in nummo præcedenti.

IV.

Lucius SERVIVS RVFVS. Caput Lucii Servilii Rufi.

Sine inscriptione. Duo Dioscuri nudi stantes manibus hastas transversas atque enses tenentes.

Præclara sunt & digna viri eruditione, quæ ad hujus denarii interpretationem congessit Fulvius Ursinus, illique sublegit Vaillantius; calculo suo comprobavit Spanhemius, ubi Differt. VI. pag. 511. & 515. laudat Ursini animadversionem de duobus prænominibus, quæ uni tamen viro ex gente Sulpicia data fuerint, sic ut alterum, Servii scilicet, sæpius quoque solum apud auctores ponatur, tanquam eo notissimi forent Sulpicii, ut

 apud

apud Tacit. Hist. XI. 5. *post Julios, Claudios, Servios, se primum in familiam novam imperium intulisse*, ait Otho. Ibi prænomine notiore Servii dicuntur, qui proprie Sulpicii juxta gentem suam dicendi erant.

Is, qui hunc & denarium V. mox sequentem signavit, adpellatur Lucius Servius Rufus, quem non sine ratione existimant viri docti filium fuisse natu minorem Servii Sulpicii Rufi, & fratrem Publii, qui legatus Cæsaris exstitit bello Gallico. Publii posterioris mentio est apud Cæsarem lib. IV. de B. Gall. cap. 22. *P. Sulpicium Rufum legatum cum eo præsidio, quod satis esse arbitrabatur, portum tenere jussit.* Lucius noster simpliciter Servius (ut puto) adpellatur apud Ciceronem in epistolis ad patrem Servium Sulpicium lib. IV. ep. 3. & 4. In priore hæc ejus verba sunt: *Servius quidem tuus in omnibus ingenuis artibus, in primisque hac in qua ego me scripsi adquiescere, ita versatur, ut excellat. A me vero sic diligitur, ut tibi uni concedam, præterea nemini, mihique ab eo gratia refertur.* In posteriori ita scribit: *Servius tuus, vel potius noster, summa me observantia colit; cujus ego cum omni probitate summaque virtute tum studiis doctrinaque delector. Is mecum sæpe de tua mansione, aut decessione communicat.* Scriptæ sunt hæ epistolæ Cæsare III. consule, A. V. C. DCCVIII. quo valde juvenis adhuc fuit L. Servius Rufus, quod ex Ciceronis verbis, qui de eo, ut in studiis humanioribus versante, loquitur. Frater vero jam ante bello Gallico legatus Cæsaris fuit. Is itaque post mortem patris ad aliquem magistratum pervenit, quæsturam, ut puto, atque gentis & familiæ suæ decora in utraque nummi parte expressit.

In prima nummi parte caput virile nudum occurrit, quod cui sit tribuendum, jam videndum est. Unanimi consensu Ursinus, Vaillantius, Begerus, Servio Sulpicio Rufo patri tribuunt, Ciceronis amico, viro nobilitate non tantum sed & scientia juris clarissimo. Hic quum ad consulatum pervenisset A. V. C. DCCII. una cum collega M. Claudio Marcello in dissensione civili ad Cæsarem transiit, atque in bello Mutinensi postmodum in legatione obiit, unde statuam illi positam fuisse constat. Sed huic sententiæ puto ipsam nummi picturam adversari, barbata enim est facies, & in Begeriano typo barba longe magis conspicua quam in Morelliano observatur. At temporibus Cæsaris & Ciceronis omnes Romani radebantur. Nam quod triumvirorum Lepidi, Antonii, Cæsaris facies barbatæ nonnunquam in nummis occurrant, propter luctum Cæsaris occisi illud factum fuit, sicuti Dio Cassius testatur. Itaque potius ad vetustiorem Servium Sulpicium refero, illum non tantum nobilissimum, sed qui primus Rufi cognomen in familiam suam intulisse videtur. Is est Servius Sulpicius Rufus, qui tribunus militum consulari potestate plus semel fuit. Hic in tribunatu, quem gessit cum collega L. Quintio Cincinnato, Tusculanos obsidione solvit, & Latinos prælio victos fugavit. Accidit illa Tusculi liberatio A. V. C. CCCLXXVI. Ad illam Tusculi liberationem partis aversæ typus quoque pertinet, ut dicturi sumus ad nummum II.

Litera B.

L*ucius* SERVIUS RUFUS. Caput Servii Sulpicii Rufi idem quod in præcedenti nummo expressum fuit.

IMP*erator* CAES*ar* TRAIAN*us* AVG*ustus* GER*manicus* DAC*icus* *Pater Patriæ* RES*Tituit.* Dioscuri, ut supra.

Hunc denarium, propter Servii Sulpicii antiqui illius memoriam restituit imperatorum optimus Trajanus.

V.

L*ucius* SERVIUS RUFUS. Capita Dioscurorum laureata, pileolis suis tecta, atque stellis radiantia. Adest signuum aquilæ inpressum, quod docet, olim ducum Mantuæ hunc nummum fuisse.

TUSCUL*um.* quæ vox inscribitur portæ urbis Tusculi, quæ cum muris atque turribus suis in hac denarii aurei parte exprimitur.

De Diis Penatibus, qui eodem more, ut Dioscuri, pingebantur, plura diximus ad Fam. Fontejam, pag. 181. nec mirum eodem modo fuisse depictos, quum inter Deos Penates quoque recensiti fuerint Castor & Pollux. Quomodo respectu Tusculi quoque in his denariis signentur, mox visuri sumus.

Tusculana mœnia, & prospectus ipsius urbis, in pulcherrimo hoc aureo nummo occurrunt respectu fidei Romanæ, quæ urbem illam ex Latinorum manibus liberavit, atque Servii Sulpicii, qui expeditioni illi cum collega Cincinnato dux adfuit. Tusculani civitate Romana donati, quum deseruissent Latinorum partes, ad quos antea spectasse videbantur, ab iisdem iratis circumventi, prope excidium passi fuerunt, sed tempestive a Romanis liberati sunt. Rem gestam narrat Livius, cujus verbis nummi hujus typum illustramus. Extant lib. VI. cap. 33. *Incensos ea rabie, impetus Tusculum tulit; ob iram, quod deserto communi concilio Latinorum, non in societatem modo Romanam, sed etiam in civitatem se dedissent. Patentibus portis quum inproviso incidissent, primo clamore oppidum præter arcem captum est, in arcem oppidani refugere cum conjugibus ac liberis: nunciosque Romam, qui certiorem de suo casu senatum facerent, misere. Haud segnius, quam fide populi Romani dignum fuit, exercitus Tusculum ductus. L. Quintius, & Servius Sulpicius tribuni militum duxere. clausas portas Tusculi, Latinosque simul obsidentium atque obsessorum animo hinc mœnia tueri vident, illinc arcem oppugnare; terrere una ac pavere. Adventus Romanorum mutaverat utriusque partis animos. Tusculanos ex ingenti metu in summam alacritatem, Latinos ex prope certa fiducia mox capiendæ arcis, quoniam oppido potirentur, in exiguam de se ipsis spem verterat. Tollitur ex arce clamor ab Tusculanis: excipitur aliquanto majore ab exercitu Romano. Utrimque urgentur Latini: nec impetus Tusculanorum decurrentium ex superiore loco sustinent: nec Romanos subeuntes mœnia, molientesque obices portarum, arcere possunt. Scalis prius mœnia capta; inde effracta claustra portarum; & quum anceps hostis & a fronte & a tergo urgeret; nec ad pugnam ulla vis, nec ad fugam loci quicquam superesset; in medio cæsi ad unum omnes. Recuperato ab hostibus Tusculo, exercitus Romam est reductus.*

Dioscurorum insignem cultum apud Tusculanos fuisse patet ex Festo Pompejo in voce *Stroppus.* Ibi in fine sic legitur, *Et a Tusculanis, quod in pulvinari inponatur Castoris struppum vocari.* Pulvinar illud erat in æde Castoris & Pollucis, cujus mentionem facit Cicero lib. I. de Divin. cap. 43. *Quid, quum in Capitolio ictus centaurus e cælo est? in Aventino portæ & homines? Tusculi ædes Castoris & Pollucis, Romæque Pietatis.*

Hanc

FAMILIA SVLPICIA.

Hanc rationem, cur Dioscuri in nummis hisce ponantur, puto esse simpliciorem, quam ut dicamus fieri id propter amorem mutuum & concordiam Publii & Lucii Sulpiciorum Ruforum fratrum. Utrum enim revera fratres fuerint Publius, qui Julio Cæsari legatus in Galliis fuit, & ille, qui in nummo nostro inscribitur Lucius, certo constare non puto. Cicero enim in epistolis adlatis unius tantum filii facit mentionem, & in oratione Philipp. IX. quæ tota versatur in laude Servii Sulpicii Rufi Q. F. consularis & in legatione pro republica ad Antonium mortui, ut scilicet statua illi honoris caussa poneretur, sæpius filii, sed unius tantum, fit mentio, ut cap. III. *Secum enim ille mortem extulit: quam, si nobiscum remansisset, sua cura, optimi filii, fidelissimæ conjugis diligentia, vitare potuisset.* & cap. IV. *Tum vero denique filium meque seduxit.* & mox: *movebatur singulari pietate filius.* & denique cap. V. *Equidem etiam ad famam Servii Sulpicii filii arbitror adtinere, ut videatur honorem debitum patri præstitisse. Quamquam nullum monumentum clarius Ser. Sulpicius relinquere potuerit, quam, effigiem morum suorum, virtutis, constantiæ, pietatis, ingenii, filium; cujus luctus aut hoc honore vestro, aut nullo solatio levari potest.* Unius tantum ubique filii fit mentio, quod si plures habuisset Servius, utique mentio eorum in hac oratione fieri debuerat. Ex quibus colligo, aut non fuisse Servii Sulpicii filium illum Publium, legatum Cæsaris, sed fratrem forte, aut, quod solum remanet, eo tempore exstinctum fuisse. Sed neque illud dici potest: narrat enim Suetonius in Galba cap. 3. illum Cæsari supervixisse, & lege Pedia fuisse damnatum: *Ejus* (Sergii Galbæ consularis) *nepos, ob repulsam consulatus infensus Julio Cæsari, cujus legatus in Gallia fuerat, conspiravit cum Cassio & Bruto, propter quod Pedia lege damnatus est.* Ubi Galbam vocat, quem Rufum adpellat Cæsar, Appianus item Σεϱβίλιον pro Σεϱϐίον (quod reponi debet) Γάλϐαν inter conjuratos in Cæsarem numerat pag. 499. Videlicet Rufi agnomen videntur quidam Galbæ ex familia Sulpicia habuisse. Ex hujus posteritate videtur fuisse Sulpicius Rufus, ludi procurator, qui sub Claudio imperatore inter Messalinæ mœchos periit, ut narrat Tacitus lib. XI. Ann. cap. XXXV. Q. Sulpicii Rufi cujusdam fit mentio in Inscript. Antiquis apud Gruterum pag. CCCCLXXI. num. 4.

PVPIA. M. F. SECVNDA. V. F
Q. SVLPICIO Q. F. RVFO
IIII VIR. Q. VIRO
Q. SVLPICIO. Q. F. SEDATO.
IIII VIR. I. D. FILIO.

VI.

SER*vius* SVLP*icius.* Caput Honoris laureatum.

Sine inscriptione. Malus pro tropæo erectus cernitur, tanquam aræ vel lapidi quadrato insistens, in ima parte hinc & inde est prora atque acrostolium & remi pars, in media palmæ ramus cernitur, in summa parte velum exiguum, sive linteum, volitat, & ibidem hinc & inde ad antennæ expansæ cornua cernuntur dependentes temo navis & anchora. Præterea ab altera hujus tropæi parte stat vir nudus galeatus, manibus post terga revinctis, ab altera vir palliatus & pileatus.

Ad Sulpicios Galbas redimus. Pertinet enim nobile hoc monumentum ad P. Sulpicium Galbam, qui Philippum, regem Macedoniæ, fregit. Quam historiam copiose persequitur Livius, ubi de initio ejus belli lib. XXXI. cap. 5. *Anno quingentesimo quinquagesimo ab urbe condita, P. Sulpicio Galba, C. Aurelio consulibus, bellum cum rege Philippo initum est, paucis mensibus post pacem Carthaginiensibus datam. Omnium primum eam rem Idibus Martiis, quo die tum consulatus inibatur, P. Sulpicius consul retulit: senatusque decrevit, uti consules majoribus hostiis rem divinam facerent, quibus diis ipsis videretur, cum precatione ea: Quam rem senatus populusque Romanus de republica, deque ineundo novo bello in animo haberet; ea res uti populo Romano, sociisque, ac nomini Latino, bene ac feliciter eveniret.* Mox: *Quum pronunciassent consules; rem divinam rite perfectam esse, & precationi annuisse deos, aruspices respondere, lætaque exta fuisse, & prolationem finium, victoriamque, & triumphum portendi; tum literæ Valerii Aureliique lectæ, & legati Athenienfium auditi.* Pergit deinde eodem cap. & sequenti. *De auxilio mittendo tum respondere placere, (quum consules provincias sortiti essent: atque is consul, cui Macedonia provincia evenisset, ad populum tulisset, ut Philippo regi Macedonum indiceretur bellum. P. Sulpicio provincia Macedonia sorte evenit, isque rogationem promulgavit, Vellent, juberent Philippo regi Macedonibusque, qui sub regno ejus essent, ob injurias, armaque illata sociis populi Romani bellum indici.* Profectionem & adparatum consulis describit cap. XIV. *Tum P. Sulpicius, secundum vota in Capitolio nuncupata, paludatus cum lictoribus profectus ab urbe, Brundusium venit, & veteribus militibus voluntariis ex Africano exercitu in regiones descriptis, navibusque ex classe consulis Cornelii lectis, altera die, quam a Brundusio solvit, in Macedoniam trajecit. Ibi ei præsto fuere Athenienfium legati, orantes, ut se obsidione eximeret. Missus extemplo Athenas est C. Claudius Cento cum viginti longis navibus, & militum copiis.* Res ejusdem præclare gestæ; & quomodo ipse Philippus temerarie inito prælio, saucio equo vix effugerit, narrat cap. XXXVII. Ad denarii itaque illustrationem facit Flori locus, *Lævino consule populus Romanus Ionium mare ingressus, tota Græciæ littora velut triumphante classe peragravit.* Eo quoque tempore Romanis & violentia Philippi, & Macedonibus Romanorum virtus cognita fuerat. Acciderunt enim hæc ante Sulpicii II. consulis cum Philippo rege bellum, videlicet A. V. C. DXLIII. id est, juxta Livii computum, DXL. Tunc enim P. Sulpicio Galbæ cura classis fuerat commendata. Livius lib. XXVII. cap. 31. *Occupato rege apparatu ludorum, & per dies festos licentius quam inter belli tempora remittente animum, P. Sulpicius ab Naupacto profectus, classem adpulit inter Sicyonem & Corinthum, agrumque nobilissimæ fertilitatis effuse vastavit. Fama ejus rei Philippum ab ludis excivit: raptimque cum equitatu profectus, jussis subsequi peditibus, palatos passim per agros, gravesque præda (ut qui nihil tale metuerent) adortus Romanos, compulit ad naves, classis Romana haudquaquam læta præda Naupactum rediit.* Capite dein XXXII. pugnam narrat inter Romanos & Philippum exortam, cum magno regis periculo. *Primum diem, quo fines hostium ingressi sunt, populando absumserunt. Postero die acie instructa ad urbem accesserunt; præmissis equitibus, qui obequitando portis promtum ad excursiones genus lacesserent Ætolorum. Ignorabant Sulpicium cum quindecim navibus ab Naupacto Cyllenen*

trajecisse: & expositis in terram quatuor millibus armatorum silentio noctis, ne conspici agmen posset, intrasse Elim. Itaque improvisa res ingentem injecit terrorem, postquam inter Ætolos Eleosque Romana signa atque arma cognovere. Et primo recipere suos voluerat rex: dein, contracto jam inter Ætolos & Trallos (Illyriorum id est genus) certamine, quum urgeri videret suos, & ipse rex cum equitatu in cohortem Romanam incurrit. Ibi equus pilo trajectus, quum prolapsum per caput regem effudisset, atrox pugna utrimque accensa est: & ab Romanis impetu in regem facto, & protegentibus regiis. Insignis & ipsius pugna fuit, quum pedes inter equites coactus esset prælium inire, deinde quum jam impar certamen esset, caderentque circa eum multi & vulnerarentur, raptus ab suis atque alteri equo injectus fuit. Atque hæc paullo fusius ex Livio adduximus, ut pateat cur in denario hoc præstantissimo tantus rei maritimæ adparatus spectetur. Recte enim Ursinus vidit, & post illum Begerus in Thes. Brand. tom. II. pag. 587. & in Conject. pag. 37. ad Macedonas & Philippum regem terrestri navalique robore Romanorum, duce P. Sulpicio pressos, typum hunc spectare. Unde miror quid Vaillantium perpulerit, ut tam nobilem typum ignobili de Balearibus insulis victoriæ adcommodaret, dum credit cusum fuisse denarium a Servio Sulpicio Galba, quæstore Q. Metelli, qui contra Baleares bellum gessit A. V. C. DCXXX. & DCXXXI.

Explicatio Vaillantii de duobus istis viris qui ad latera tropæi adstant, mira est. „ Alter (in„ quit) in tunica curta videtur insulæ qui præ„ erat, alter nudus archipirata. " Ego per alteram figuram Græcos, per alteram Macedonas exprimi existimo. Res clara est, non fuisse cusum hunc denarium eo ipso tempore, quo de Macedonibus & rege Philippo parta Romanis fuit victoria, sed longo post tempore, utpote signatum non a Publio Sulpicio, sed a quodam Servio Sulpicio, qui in familiæ suæ decus hoc monumentum in argentea & publica moneta exstare voluit. Hoc vero bellum, postea repetitum, tandem Græciæ universæ libertatem adtulit, quum videlicet Isthmiorum ludorum celebritate senatus populusque Romanus & T. Quinctius Flaminius imperator, voce præconis libertatem universæ Græciæ pronunciarent, *Philippo rege Macedonibusque devictis*, ut ait Livius lib. XXXIII. cap. 32. ubi pluribus festum illum diem persequitur. Accidit illud demum A. V. C. DLVII. seu, juxta Livium, DLIV. & imperatore Flaminio, sed a Sulpicio prima magnaque incrementa hæ victoriæ ceperant, & propterea ejus posteritas Macedonum jugum & Græciæ libertatem in denariis suis expressit. Vir enim ille Græcorum more palliatus, & pileo, libertatis symbolo, tectus, Græciam significat; nudus ille captivus, manibus post tergum ligatis, Macedoniæ & Macedonum est typus, unde non sine ratione cornutam gerit galeam, quam in Philippo, Macedonum quoque rege, & nummis ad Macedonicas victorias spectantibus, in Fam. Marcia, & alibi, agnovimus.

Quis Servius Sulpicius Galba inter tot Servios ex illa familia denarium signaverit, difficile est definire. Quo simpliciores denariorum typi sunt, eo vetustiores sunt, quo operosiores, eo sunt recentiores. Signatus itaque videtur fuisse ab avo imperatoris Galbæ, studiis quam dignitate clariore, neque enim præturæ excessit gradum; vel aliquanto ante, ab alio Servio Sulpicio Galba, qui (ut dixi) illis temporibus plures exstiterunt; vel etiam post, ab aliquo ejus nominis triumviro monetali sub Augusto.

Honoris caput conveniens typo aversæ partis est, quod magnus honos populi Romani rebus ex Græcia liberata accesserit, sicuti, ubi de illa Græciæ libertate loquitur, ostendit Livius.

Litera C.

ΤΙΤΟΣ ΑΥΤΟΚΡΑΤΩΡ ΣΕΒαστος. *Titus Imperator Augustus.* Caput Titi laureatum.

ΝΕΙΚομηδέων. ΕΠΙ Μάρκε ΣΟΥΛΠΙΚΙΟΥ ΠΡΟΚΛΟΥ ΑΝΘΥΠΑΤε. *Nicomediensium sub Marco Sulpitio Proclo proconsule.* Caput muliebre turritum.

Hujus M. Sulpicii Procli, proconsulis, Bithyniæ præsidis, genus nobis ex Dione Cassio videtur esse repetendum; frustra enim apud alios quæras. Sulpicii Procli, a Nerone occisi, Dionis excerptor Xiphilinus meminit lib. VI. pag. 722. edit. Wech. & 191. edit. H. Steph. Ὧν ἐγὼ τοὺς μὲν ἄλλους ἐάσω (πᾶσί τε γὰρ παρ' αὐτοῦ δημόσιον ἔγκλημα ἦν ἀρετή τε καὶ πλοῦτος καὶ γένος· καὶ πάντες ἢ ἑαυτοὺς ἀπεκτίννυσαν, ἢ ὑπ' ἄλλων ἐφονεύοντο) τοῦ δὲ δὴ Κορβούλωνος καὶ Σουλπικίων καὶ Σκριβωνίων, Ῥούφου τε καὶ Πρόκλου, μνημονεύσω. τούτων μὲν, ὅτι ἀδελφοί τε καὶ ἡλικιῶται τρόπον τινὰ ὄντες, καὶ μηδὲν μηδέποτε ἄνευ ἀλλήλων πράξαντες, ἀλλ' ὥσπερ τῷ γένει, οὕτω καὶ τῇ προαιρέσει τῇ τε οὐσίᾳ συμπεφυκότες, καὶ τὰς Γερμανίας τὰς ἀμφοτέρας ἐπὶ πολὺ ἅμα διῴκησαν, ἦλθόν τε εἰς τὴν Ἑλλάδα μετάπεμπτοι, ὥστε αὐτῶν τοῦ Νέρωνος δεομένου· *Quibus prætermissis, (erat enim crimen publicum omnibus virtus, opes, nobilitas: atque ob eam causam vel sibi mortem inferebant, vel ab eo occidebantur) tantum Corbulonis, Sulpitiorumque ac Scriboniorum, Rufi & Procli, mentionem faciam. Nam hi, quum fratres essent ac fere æquales, nihilque unquam disjuncti & separati fecissent, ut erant genere & instituto vitæ & facultatibus conjuncti, diuque simul utramque Germaniam administraverant: ita simul accersiti in Græciam venerunt, tanquam Nero eorum opera indigeret.* Ambigua quodammodo ibi verba sunt, nam sicuti Rufi ad Sulpicios videntur pertinere, ita Scribonios cognomine Proclos intellexisse primo intuitu videtur. Sed sicuti Sulpicii cognomine Rufi non tantum inveniuntur, sed &, teste hoc nummo, Procli; sic quoque gens Scribonia utrumque cognomen habere potuit; ut ita duo Scribonii itemque duo Sulpicii Rufi & Procli una cum Corbulone interiisse dicantur.

De M. Sulpicio Proclo proconsule nihil me legisse memini, sed puto fuisse in Bithynia successorem M. Plancii Vari, cujus nummi in illa provincia cusi sub Imperatore Vespasiano, itemque Cæsaribus Tito & Domitiano filiis ejus, inveniuntur atque citantur a Vaillantio in Num. Gr. pag. 21. 22. 24. Nummus M. Plancii Vari cum capite Vespasiani a Morellio nostro est depictus in gente Plancia num. II.

TAB. II.

I.

HISPANIA. Caput muliebre, Hispaniæ scilicet, ante quod duæ spicæ sunt, post illud parma sive clypeolus est cum duobus gæsis Hispanicis.

GALBA IMP*erator*. Imperator Servius Galba eques dextram adtollit.

Servius Sulpicius Galba, imperium nactus, præter nummos cum imagine sua signatos, plurimos quoque signari fecit, qui Hispaniæ provinciæ imaginem & typum præferrent, quod vide-

videlicet in illa provincia imperium fuisset adeptus.

Quod ab altera parte imperator eques dextram adtollens conspiciatur, profectionem ejus significat, ex illa enim provincia profectus imperium occupavit.

Litera A.

Nummus hic omnino similis est præcedenti, nisi quod a parte priore pictura & literarum positio aliquantum differat, & Galba eques ab altera parte ad aliam faciem sit conversus.

Litera B.

IMP*erator* GALBA. Caput Galbæ laureatum, sub collo imperium Romanum designans terræ globus est.

HISPANIA. Figura muliebris stans, Hispaniam designans, dextra papaver & aristas tenet, læva clypeolum cum duobus gæsis Hispanicis.

Papaver & spicæ fertilitatem provinciæ indicant, arma adjuncta bellicosam eandem esse significant.

Litera C.

GALBA IMP*erator*. Caput imperatoris Galbæ laureatum, sub collo est globus.

GALLIA. HISPANIA. Figuræ duæ muliebres stantes ex adverso, Galliam & Hispaniam designantes, dextras jungunt; hæc quidem læva clypeum & gæsum, seu jaculum, fert, illa hastam.

Galba imperator factus, provinciis hisce validissimis hunc honorem habuit, utpote quæ primæ ad ejus partes sese adplicuerant, Gallia quidem, jam ante motu Vindicis odium Neronis professa, Hispania vero Galbam, ut rectorem proprium, secuta.

II.

VIRTVS. Caput Virtutis galeatum.

SER*vius* GALBA IMP*erator*. Imperator, ut supra, in equo, proficiscentis habitu.

Caput Virtutis deæ, more solito galeatum a Galba in denario hoc depingitur, cum nuda inscriptione VIRTVS. Quæ, ita simpliciter concepta, denotat, illum fuisse primum inter imperatores Romanos, qui non successionis ordine obtrusus populo & urbi fuerit, sed sua virtute ad imperium pervenerit, imo virtute quoque provinciaium, quarum typus priorem hanc nummi partem alias occupare solet, civiumque Romanorum, quorum exercitus in validissimis illis provinciis degebant.

Litera D.

VIRTVS. Caput deæ Virtutis galeatum.

IMP*erator* SER*vius* GALBA. Imperator Galba eques, habitu proficiscentis, ut supra.

Pictura nummi discrepat, & imperatoris titulus præponitur.

III.

Dii Penates Patrii. Capita deorum Penatium jugata & laureata. Possent literæ illæ singulares D. P. P. quoque legi *De Pecunia Publica.* Sed quoniam deorum Penatium capita exprimuntur, priorem lectionem prætulerim; vocantur enim adpellatione Πατρῴων Θεῶν, *Deorum patriorum*, apud Halicarn. lib. I. p. 54.

Caius SVLPICI*us Cai Filius.* Duo viri stantes, habitu militari, sive succincto, læva hastas tenent, indicem dextræ manus extendunt ad scrofam humi procumbentem. Desuper est litera monetalis A. pro qua in aliis C. F. P. S. V. in meo quoque Q.

Insignis hujus denarii typus varias doctorum virorum sententias de aversæ præsertim partis interpretatione elicuit. Primus fuit Sebastianus Ericius, qui capita quidem illa de diis Penatibus est interpretatus, & in eo omnes consentiunt, sed alterius partis duplicem protulit interpretationem. Prior est, per duos illos viros hastatos, qui stare cernuntur porcam intermediam digito monstrantes, designari iterum deos Penates & suem illam, quæ felix Æneæ olim ostentum figendarum sedium obvenit. Varronis, præ ceteris eam in rem locum adducit; is exstat. lib. IV. de L. L. pag. 35. *Oppidum, quod primum conditum in Latio stirpis Romanæ, Lavinium, nam ibi dii Penates nostri. Hoc a Latini filia, quæ conjuncta Æneæ Lavinia adpellata. Hinc post triginta annos oppidum alterum conditur Alba; id ab sue alba cognominatum. Hæc e navi Æneæ; cum fugisset Lavinium, triginta parit porcos. Ex hoc prodigio post Lavinium conditum annis triginta; hæc urbs facta; propter colorem suis, & loci naturam, Alba longa dicta.* Deos Penates numero duos esse atque hastas manu tenere, idem ex Dionysio Halicarnassæo adstruit. Locus Dionysii, quem respicit, est lib. I. pag. 54. Νεὼς ἐν Ῥώμῃ δείκνυται τῆς ἀγορᾶς οὐ πρόσω, κατὰ τὴν ἐπὶ Καρίνας φέρουσαν ἐπίτομον ὁδὸν, ὑπεροχῇ σκοτεινὸς ἱδρυμένος οὐ μέγας. λέγεται δὲ κατὰ τὴν ἐπιχώριον γλῶτταν, Ὑπελαίαις τὸ χωρίον. ἐν δὲ τούτῳ κεῖνται τῶν Τρωϊκῶν θεῶν εἰκόνες, ἅπασιν ὁρᾶν, ΔΕΝΑΣ ἐπιγραφὴν ἔχουσαι, δηλοῦσαν τοὺς Πενάτας. δοκεῖ γάρ μοι, τοῦ Π μήπω γράμματος εὑρημένου, τῷ δέλτα δηλοῦν τὴν ἐκείνου δύναμιν τοὺς παλαιούς. εἰσὶ δὲ νεανίαι δύο καθήμενοι, δόρατα διειληφότες, τῆς παλαιᾶς ἔργα τέχνης. πολλὰ δὲ καὶ ἄλλα ἐν ἱεροῖς ἀρχαίοις εἴδωλα τῶν θεῶν τούτων ἐθεασάμεθα, καὶ ἐν ἅπασι νεανίσκοι δύο στρατιωτικὰ σχήματα φαίνονται ἔχοντες. *Templum Romæ non procul foro ostenditur, secundum viam quæ ad Carinas fert compendio, situm in loco obscuro propter circumjecta ædificia; qui Romana vulgo sub olivis dicitur. in eo positæ sunt Trojanorum deorum imagines, quas cuivis fas est inspicere, cum inscriptione DENAS, quæ Penates significat. videntur enim mihi prisci, ante inventum P. usurpasse pro eo D. literam. sunt autem hastati duo juvenes, habitu sedentium, admodum antiqui operis. alia quoque multa in antiquis templis horum deorum idola conspeximus; & in omnibus duos juvenes militari habitu.*

Posterior interpretatio Ericii respicit fœdus inter Romanos & Albanos, Tullo Hostilio & Metio Fuffetio auctoribus, quod describitur a Livio lib. I. cap. 24. adeoque fecialem & patrem patratum, de quibus ibidem agit Livius, depingi existimat, porca intermedia, quam saxo silice ex more fœderis percussurus erat pater patratus.

Priorem interpretationem amplexi sunt Pighius, Ursinus, Vaillantius, Begerus aliique. Notat præterea Pighius tom. II. pag. 40. Sulpiciæ gentis

tis originem forsitan ad Æneæ comites esse referendam, & illum, qui cudit hoc numisma, adludere forsan voluisse ad Sulpiciæ gentis antiquum nomen; quasi comes ille Æneæ porcam sub ilice prægnantem primus viderit monstraveritque, atque inde *Suspicius* sive *Suispicius* (formato nomine ut in *haruspicio* & *extispicio*) dictus fuerit, cujus deinde posteri paullum inflexa voce Sulpicii dicti fuerint. Quam conjecturam, dum in alia re Pighium reprehendit, suam facit Vaillantius, solito elegantiæ suæ, ut alibi loquitur Perizonius, more.

At vero, ubi sus illa prægnans adparet, adesse solent porcelli, ut in Antonii Pii nummis; unde forsitan non errabimus, si duas illas figuras militares, quæ porcam habent intermediam de rege Tullo Hostilio atque dictatore Metio Fuffetio capiamus, atque typum illum universum de fœdere inter populum Romanum & Albanum; nam licet pater patratus porcam saxo silice percusserit, Tulli tamen & Fuffetii illud fiebat auctoritate; hoc autem typo Albanam originem ostentare potuit gens Sulpicia. Sed conjecturæ Pighianæ non minus faventem me profiteor. In fœdere enim sanciendo porcam manibus tenet pater patratus, & scipione seu bacillo aut sceptro tangunt jurantes in Fam. Veturia num. I. & II. at hic recubans scrofa dependentia habet ubera lacte plena, prout in nummis hujus generis asperrimis, quales servo, observare licet. Quod satis est ad fætam suem demonstrandam, quum in exiguo nummo omnia exprimi nequeant. Princeps itaque gentis Sulpiciæ in hoc denarii typo Æneæ scrofam fætam demonstrare digito videtur, & impletum simul esse vaticinium de condenda urbe. Sulpicia certe gens antiquissima fuit, sic ut imperator Galba stemma quoque suum in atrio proposuerit, quo paternam originem ad Jovem atque Minoa & Pasiphaën referret, ut in Vita ejus testatur Suetonius cap. I.

Superest ut inquiramus in illum C. Sulpicium C. F. qui signavit hos denarios, qui omnes sunt ex illo genere, qui adpellantur dentati sive serrati. Sulpicii, qui Caji prænomen habuerunt, plures in historia Romana inveniuntur. C. Sulpicius Camerinus censor A. V. C. CCCLXXIV. quo nondum utebantur Romani moneta argentea. C. Sulpicius, quem Galbam facit C. F. Pighius, ædilis curulis A. V. C. DLXXIX. C. Sulpicius Servii F. Galba, qui inter reos Jugurthinæ conjurationis fuit damnatus, aliique non tantum inter Galbas, sed & Gallos & Longos & Paterculos & Peticos & Rufos. Quoniam vero hic C. Sulpicius C. F. inscribitur, Pighius quidem illum refert ad C. Sulpicium C. F. Ser. N. Gallum sive Galum, cujus quæsturam provincialem ponit A. V. C. CCCCLXXXXIX. qui consulatum fuit adeptus A. V. C. DX. Ad eundem referunt Goltzius, Ericiusque. Ad Sulpicium Platorinum, cujus sunt sequentes nummi, num. IV. & V. adplicat Ursinus. Verum plurimum ratio denariorum discrepat a Platorini nummis, & prior ille Sulpicius Galus nimis antiquus pro typo non satis simplici esse videtur. Vaillantius itaque putat cusum fuisse a C. Sulpicio Galba, C. F, cujus pater Cajus frater fuerit P. Sulpicii Galbæ Maximi. De Cajo Sulpicio Galba plura docet habere Livium, & pervenisse eundem ad præturam A. V. C. DLXXXII.

Ut verum fatear, tot fuere Caji Sulpicii, ut temerarium sit definire a quo cusi fuerint hi denarii, non adscripto cognomine. Sed quod literam Q. quam Ursinianus meusque habet denarius quæstorem interpretatur Vaillantius, in eo errare eundem docent reliquæ literæ alphabeticæ, quæ in aliis denariis inveniuntur.

IV.

CAESAR AVGVSTVS. Caput Cæsaris Augusti nudum.

Caius SVLPICI*us* PLATORIN*us*. Duo viri togati sedentes pro rostris, adstante hasta.

Insigne monumentum hic denarius exhibet; rostra enim nova, sive Julia, depingit, quæ Agrippa ædificanda curarat anno præcedente in Augusti honorem, atque rostris ex Actiaca pugna relatis exornaverat, A. V. C. DCCXXVI. quum ipse consul esset II. cum imperatore Augusto VI, Unde sedentes in his rostris consules Augustus & Agrippa cernuntur. Vide quæ de hisce rostris ex Dione & Appiano habet Ursinus.

C. Sulpicius Platorinus, triumvir monetalis sub Augusto, quos porro honores gesserit, nescitur, sed A. V. C. DCCXXVII. triumvir monetalis exstitit, ut Augusti titulus Cæsari adscriptus docet.

V.

CAESAR AVGVSTVS. Caput Cæsaris Augusti nudum.

Marcus AGRIPPA. PLATORINVS IIIVIR. Caput Marci Agrippæ nudum.

Clientem Agrippæ hunc C. Sulpicium Platorinum fuisse est credibile. Agrippæ vero & Augusti capita in hoc denario expressit, quod anno præcedente illi simul fuerint consules, ipse vero triumvir monetalis Cæsaris, A. V. C. DCCXXVII. ut supra diximus. Conspicui hi nummi sunt, ut & is qui præcedit, & rari; in iis vero recens adscitum nomen Augusti triumvir Cæsari gratulatur.

VI.

GALLIA. Caput muliebre cum duabus spicis, clypeolo & duobus spiculis sive gæsis.

SER*vius* GALBA IMP*erator*. Imperator eques.

Idem plane typus in Hispania adparet num. I. Provincia utraque frugifera simul erat & bellicosa. Imperator eques expeditionem ejus atque profectionem urbem versus ad occupandum imperium designat. Isto habitu statuas Galbæ in utraque provincia positas fuisse credidit Vaillantius, neque a vero abhorret.

Litera E.

TRES GALLIAE. Tria capita muliebria, totidem Gallias significantia.

SER*vius* GALBA IMP*erator*, Imperator eques.

Eximius omnino hic nummus est, & inter rariores, ut qui nobis tres Gallias repræsentet. Erat enim illa provincia triplici olim nomine distincta, Togata, Comata, & Braccata, quod pars Romano uteretur vestitu, pars barbaro, pars quoque vetusto Gallorum more comam aleret; præ antiquiore illa adpellatione temporibus Galbæ alia jam invaluerant nomina Galliæ Belgicæ, Celticæ, & Aquitanicæ.

Muliebria capita accuratius contemplanti adumbratæ in iisdem mihi videntur facies Liviæ, Octa-

Octaviæ, & Agrippinæ Germanici uxoris. Octaviæ in medio locatur, Liviæ caput satis notum est, & Agrippinam quoque comæ decus & faciei lineamenta produnt. Grata enim illarum memoria Galbæ fuisse videtur, uti in imperatoris ejusdem nummis Tom. II. visuri sumus.

Litera F.

SER*vio* SVLPICI*o* GALBAE IMP*eratori* AVG*usto*. Caput idem muliebre, quod in Galliæ & Hispaniæ nummis cernitur, cum clypeolo & duabus spicis.

Senatus P*opulus*Q*ue* R*omanus*. Clypeus votivus cum duobus spiculis.

Universa Imperatoris Galbæ nomina continet hic nummus, & pietatem senatus populique Romani erga principem, a quo omnia præclara exspectabant. Clypei isti votivi in Augusti & Neronis denariis quoque observantur.

Litera G.

SER*vius* SVL*picius* GALBA IMP*erator*. Imperator eques.

ROMA RENASCENS. Roma stans more solito, dextra tenens Victoriæ signum, læva hastam transversam.

Aliam rerum faciem sperabat senatus Romanus Nerone sublato; & exstincta cum illo tyrannica Cæsarum progenie. Erat enim Galba inprimis nobilis senator, & rebus hactenus gestis illustris. Unde creber hic ejus nummorum est typus, ut &, quam renascens Roma sese adeptam credebat, libertas restituta.

Litera H.

SER*vius* GALBA IMP*erator*. Imperator eques.

ROMA RENASCENS. Similis Romæ typus.

Denarius hic pictura præcedenti similis est, sed familiæ sive gentis nomen in Galba omittitur, & spondet urbi imperator futuram felicitatem, quam sibi in præcedente adrogat ipsa Roma.

Litera I.

GENIO P*opuli* R*omani*. Genii Populi Romani caput ad Galbæ faciem expressum, cum cornucopiæ transverso ad collum.

MARTI ULTORI. Martis Ultoris in hostem irruentis typus.

Typum Augusti olim nummis familiarem suum fecit Galba; quasi ope dei ultoris scelerum Neronis ad imperium fuisset evectus. Hinc cum libertate renasciturum sibi populus Romanus credebat pacis bonum, id est omnium rerum ubertatem, cujus symbolum est cornucopiæ. Id sine bono populi Romani Genio fieri non poterat, deum illum in Galba agnoverunt, teste hoc denario, & depinxerunt.

Qui hic Mars Ultor dicitur, Mars Victor vocatur in æreis Galbæ nummis Tomi II. Quod vero & Genius populi Romani dicatur Galba, id itidem ex Cæsaris Augusti denariis adumbratum est, cujus & ipse similem vidi ab utraque parte typum, & depinxit etiam Morellius infra inter Incerta tab. II. Lit. M. in qua tabula plura sunt numismata ad Augustum spectantia, & quædam forsitan etiam ad Galbam nostrum.

Litera K.

Caput Herculis barbatum in pelle leonis.

SVLPI*cius*. ROMA. Prora navis.

Apud Vaillantium in Fam. Sulpicia tab. CXXXIV. num. 4. depingitur nummus pariter æreus, sed ibi caput Herculis inberbe est, neque supra proram navis scribitur SVLPI. literis L. P. ut in nostro connexis, sed SVLP. ita ut postrema litera L. absit, additur vero in initio P. quæ Publium designat. Si recte nummum excepit Vaillantius, diversus ab hoc Morelliano est, aliusque Sulpicius. Quod barbatus sit Hercules, antiquior illo Vaillantii nummo, atque illis, qui occurrunt tab. prima hujus gentis num. III. & lit. A. videtur.

Publii prænomen, sed injuria labefactata litera P. fuisse in nummo Morelliano videtur, duo enim animadverto puncta, quæ erosionem significant, unde male inberbem puto depinxisse Vaillantium, quem barba ornare debuerat, Herculem.

Inter Publios Sulpicios, qui plurimi fuerunt, vetustior, & ad quem hic nummus pertinere possit, occurrit P. Sulpicius Serv. F. P. N. Galba Maximus, qui consul exstitit A. V. C. DXLII. atque iterum A. V. C. DLIII. quo ultimo consulatu suo per legatos suos res magnas contra Philippum Macedonum regem gessit. Melius vero constare nobis conjectura posset, si liceret ipsum nummum ad debitum ejus temporis pondus exigere.

Litera L.

TI*berius* CAESAR AVG*usti* F*ilius* AVGVSTVS IMP*erator* VII. Caput Tiberii laureatum.

MVN*icipium* TVRIASO MAN*io* SVLP*icio* LVCAN*o* *Marco* SEMPR*onio* FRONT*one* IIVIR*is*. Titulus dignitatis coronæ querneæ includitur.

Ex adscripto imperatoris titulo cognoscitur quo tempore cusus hic Tiberii nummus fuerit; videlicet post devictos a Germanico Cheruscos. Duumvir Manius Sulpicius Lucanus quis fuerit ignoratur.

TADIA.

Familiæ Tadiæ unus Cicero mentionem facit. In inscriptionibus quoque antiquis Tadii & Tadiani inveniuntur.

I.

CORINTHVM. Porta urbis Corinthi & Bellerophon Pegasum domans.

Publio TADI*o* CH. . . . *Caio* JVLI*o* NICERA*to*. IIVIR*is*. Neptunus nudus, scopulis insidens, dextram manum quiescentem & in genua repositam habet, læva tridentem tenet.

Hoc typo Corinthus, nobilissima Romanorum colonia, expressit conditorem suum Bellerophonta, ex Pegaso noscendum. Porta urbis adponitur, ut civis & quasi conditor agnoscatur. Ab altera parte Neptunus potentiam maris, qua urbs illa valuit, designat, & rupes cui insidet, arcem validissimam Acrocorinthum.

Tadio, hujus urbi IIviro Chiloni cognomen fuisse existimo, cujus priores tantum literæ in nummo dignoscendæ supersunt, neque supplere (quamvis similem possideam nummum) possum, quoniam ibi detritior adparet.

Tadiorum mentio apud veteres hæc mihi sese obtulit. Publii Tadii meminit Cicero in Verrinis I. cap. 39. *Hinc H-S quaterdecies P. Tadio numerata Athenis testibus planum faciam.* Legatum illum Verri fuisse patet ex lib. V. cap. 25. P. Cæsetius ibi is est, qui quæstor dicitur, P. Tadius vero, quem legatum nominat. Locus ita se habet. *Cum propter istius hanc tantam avaritiam, nomine classis essent in Sicilia, re quidem vera naves inanes, quæ prædam prætori, non quæ prædonibus metum adferrent: tamen, cum P. Cæsetius, & P. Tadius decem navibus his semiplenis navigarent, navem quandam piratarum, præda refertam, non ceperunt, sed abduxerunt, onere suo plane captam, atque depressam. Erat ea navis plena juventutis formosissimæ, plena argenti facti, atque signati, multa cum stragula veste. Hæc una navis a classe nostra non capta est, sed inventa ad Megaridem; qui locus est, non longe a Syracusis. quod ubi isti nuntiatum est, tametsi in acta cum mulierculis jacebat ebrius, erexit se tamen, & statim quæstori, legatoque suo custodes misit complures, ut omnia sibi integra quam primum exhiberentur.* Aperte enim legatum vocat Verris lib. II. cap. 20. *Triennium provinciam obtinuisti: gener electus adolescens unum annum tecum fuit: sodales: viri fortes, legati tui primo anno te reliquerunt: unus legatus P. Tadius, qui erat reliquus, non ita multum tecum fuit: qui si semper una fuisset, tamen summa cura tum tuæ, tum multo etiam magis suæ famæ pepercisset.* Quin & Verris istius matrem ex Tadia familia fuisse innuere videntur hæc Ciceronis verba I. Verr. cap. 49. *Q. Tadius, homo familiarissimus patris istius, non alienus a matris ejus genere, & nomine, tabulas protulit, quibus pecuniam se dedisse ostendit.* Meminit ejusdem lib. IV. Verr. cap. 13. *Hi sunt illi, quibus, in tabulis retulit sese Q. Tadius dedisse jussu istius, Græcis pictoribus.* Frater vel cognatus Publii videtur fuisse Q. Tadius, & hic idem esse potest, qui simpliciter Tadius vocatur I. ad Attic. ep. V. *De Tadiana re mecum Tadius locutus est.* & epist. VIII. *Quod te de Tadiano negotio decidisse scribis, id ego Tadio & gratum esse intellexi, & magnopere jucundum. Ille noster amicus, vir mehercule optimus, & mihi amicissimus, sane tibi iratus est.*

Publii Tadii filius forsan fuit, qui nummum hunc cudit cum collega C. Julio Nicerato, liberto, ut videtur C. Julii Cæsaris. Cæsaris enim tempore cusum fuisse existimo, illique tanquam Bellerophonti suo adulatam fuisse Corinthum, novam Cæsaris coloniam.

Supersunt in Inscriptionibus Antiquis Tadia Honorata & Tadia Ursa, Tadius L. F. Cassianus, Tadius L. F. Secundus, C. Tadius C. L. Januarius, & alius Lucanus. Item L. Tadius Similis, Sex. Tadius Sex. F. T. Tadius T. F. Catianus, aliique apud Gruterum. A Tadiis sunt Tadiani. Apud Fabrett. VI. 76. pag. 457.

T. PVPIVS. T. F. ANI. TADIANVS
LVPERCVS. ITER.
PVPIA. HILARA. FECERVNT
IN. FRONTE PEDES. XII
IN. AGRO. PEDES. XIIX

Tadii Fausti ex sequenti cognoscuntur nummo.

II.

TIberius CAESAR DIVI AVG. Filius AVGustus IMPerator VIII. Caput Tiberii nudum.

SEXtus TADIVS FAVSTVS IIVir. Caio VIBIO MARSO PRoConSule II. Municipes Municipii Iulii Vticensis. Figura muliebris velata sedens, dextra tenens pateram læva hastam.

Figura illa muliebris sedens Liviam designat, & statuam ejus Uticæ erectam. Sextus Tadius Faustus, qui nummum signavit secundo anno proconsularis imperii C. Vibii Marsi, collegam in duumviratu habuit L. Cæcilium Pium, ut patet ex ejus nummo apud Vaillantium tom. I. de Colon. pag. 127.

TARQVITIA.

Gens Tarquitia olim in patricios & plebejos fuit distincta. Hi Laurentini, illi Flacci dicti fuerunt.

I.

Caius ANNIVS Titi Filius Titi Nepos PROCOnSule. EX Senatus. Consulto. Caput Junonis Monetæ.

Quintus TARQVITIus Publii Filius Quæstor. Victoria in citis bigis, dextra palmam, læva equorum habenas tenens, desuper est numerus XXXI.

In familia Fabia & Annia habuimus alterum hujus Annii quæstorem L. Fabium L. F. Hispaniensem, cum eadem litera Q. singulari, in illis, sicuti & in hoc denario, quæstorem significante. Conveniunt antiquarii hunc Annium in Hispanias contra Sertorium Sullæ opera profectum fuisse, atque ex senatusconsulto per quæstores suos hanc pecuniam signasse. Alter quæstorum fuit Q. Tarquitius P. F. quem perperam tamen credidit post Ursinum Vaillantius illum fuisse, qui in ultimo Sertorii convivio inter conjuratos sederit; cujus scilicet meminerit Sallustius in fragmentis ex libro III. Histor. *Alter scriba Mæcenas in imo, medius inter Tarquitium & dominum Perpennam.* Dictus ille fuit Tarquitius Priscus, dux Sertorianarum partium, de quo narrat Frontinus Stratag. lib. II. cap. V. exemplo 31. quomodo pabulatores Pompeji unamque ejus legionem cum duce D. Lælio ad internecionem deleverit: *Octavium Græcinum cum decem cohortibus in morem Romanorum armatis, & decem Hispanorum levis armaturæ, & Tarquitium Priscum cum duobus millibus equitum ire jubet ad insidias tendendas pabulatoribus.* Alius enim a Q. Tarquitio P. F. fuit Tarquitius ille Priscus, qui Sertorianis adhæsit partibus; sicuti inter illas partes L. Annius quoque invenitur, alius itidem a C. Annio T. F. T. N. cujus nomen in priore parte hujus denarii invenitur.

Publius Tarquitius, pater Quincti, is fuisse videtur, qui tribunus plebis exstitit A. V. C. DCXLII. & leges tulit cum M. Druso; cujus clientem & adseclam fuisse notarunt jam eruditi.

II.

II.

ΝΕΡΩν ΚΛΑΥΔΙΟΣ ΚΑΙΣΑΡ ΣΕΒΑΣΤΟΣ. *Nero Claudius Cæſar Auguſtus.* Caput Neronis nudum, ſatis juvenile; quod laureatum cernitur apud Vaillantium & Patinum.

ΝΕΙΚαιέων Μάρκȣ ΤΑΡΚΥΙΤΙΟΥ ΠΡΕΤΑΝΙΚ ..... (corrige ex Vaillantio ΠΡΕΙΣΚȣ Εξȣσίαν) ΑΝΘΥΠΑΤΟελικὴν ΠΡΑΤΤΩΝΤΩΣ. *Nicæenſium, Marco Tarquitio Priſco proconſulari poteſtate prædito.* Ara ignita.

Primus hunc nummum Patinus protulit & Urſinianis adjecit. Emendatum magis dedit Vaillantius. Priſci cognomen docet fuiſſe hunc Tarquitium ex eadem familia, ex qua fuit ille dux & conviva Sertorii.

Hunc Tarquitium Priſcum ex Tacito illuſtravit Vaillantius. Sub Claudio imperatore legatus Statilii Tauri in Africa fuit, quem improbitate ſua evertit. Tacit. Annal. lib. XII. cap. 59. *At Claudius ſæviſſima quæque promere adigebatur ejusdem Agrippinæ artibus, quæ Statilium Taurum, opibus illuſtrem, hortis ejus inhians, pervertit, accuſante Tarquitio Priſco. Legatus is Tauri, Africam imperio proconſulari regentis, poſtquam revenerant, pauca repetundarum crimina, ceterum magicas ſuperſtitiones objectabat. Nec ille diutius falſum accuſatorem indigna ſorte perpeſſus, vim vitæ ſuæ adtulit, ante ſententiam ſenatus. Tarquitius tamen curia exactus eſt; quod patres odio delatoris, contra ambitum Agrippinæ, pervicere.* Gratus tamen propterea Agrippinæ, ſub filio ejus Nerone in Bithyniam miſſus fuit, ut illam vice proconſulis regeret, ſicuti inſcriptio nummi docet, in quo dicitur poteſtatem proconſularem habuiſſe. Quod inſuetum non eſſe in nummis, licet rarius occurrat, docet Caracallæ apud Vaillantium nummus, qui ſimiliter inſcribitur ΕΠΙ Εξȣσίαν ΕΧΟΝΤος ΥΠΑΤΟΡικὴν ΑΥΡήλιȣ ΑΝΤΩΝείνȣ ΕΥΤΥΧΟΥΣ. ΣΜΥΡΝΑΙΩΝ. *Sub poteſtatem conſularem habente Aurelio Antonino Eutyche: Smyrnæorum.* Imperium Tarquitii Priſci in Bithynia confirmat Tacitus lib. Annal. XIV. cap. 46. *Damnatus iisdem conſulibus Tarquitius Priſcus repetundarum, Bithynis interrogantibus, magno patrum gaudio, quia accuſatum ab eo Statilium Taurum proconſule ipſius meminerant.* Damnatus vero fuit A. V. C. DCCCXIII. ſive DCCCXIV. coſſ. Cæſonio Pæto & Petronio Turpiliano. Prænomen vero hujus Tarquitii Priſci, quod non expreſſit Tacitus, nos docet nummus fuiſſe Marcum.

Ara ignita a Vaillantio refertur ad ſacra Jovis Agoræi, cum cujus inſcriptione ſimilis ara in Domitiani nummis cernitur. Cui ſententiæ lubens accedo.

TERENTIA.

Gens Terentia plebeja fuit, cognomina in nummis inveniuntur Lucanorum, Varronum, Culleonum, Longorum & Sabinorum.

I.

Caput Romæ galeatum, cum denarii nota, poſt galeam Victoria cernitur, corollam capiti ejus inponens; quem nummum quum ipſe poſſideam, tum alium quoque habeo, hactenus ineditum, per omnia huic ſimilem, ſed pro Victoria ab hac parte habentem inſcriptionem LIBO.

Caius TER*entius* LV*Canus.* Ita interpretantur Fulvius Urſinus & Vaillantius, ſed, ut meus me docet nummus, legendum eſt *Caius* TER*entius*. LV*Cretius.* ROMA. Dioſcuri more ſolito equitantes.

Mirari non debemus Urſinum & Vaillantium in hoc nummo legiſſe literas LVC. tanquam illæ LV*Canus* dicerent, & cognomen innuerent Caji Terentii. Revera enim fuit illud cognomen in gente Terentia, ut docet pictor ille C. Terentius Lucanus, Plinio memoratus lib. XXXV. cap. 7. & patronus poëtæ Terentii, qui Lucani quoque cognomen habuit. Verum opportuniſſime nuper admodum in manus meas incidit antiquiſſimus, qualis & hic eſt, denarius, per omnia ſimilis, niſi quod pro Victoria poſt caput Romæ exhibeat vocem LIBO. Unde patet triumvirorum monetalium nomina in hoc denario & in ſequentibus nummis æreis deſcribi, videlicet Libonis, C. Terentii, & Lucretii. Pondus nummi ſequentis, videtur eſſe unciale, non ſextantarium, ut credidit Vaillantius. Itaque hi triumviri monetales videntur vixiſſe ſimul illo temporis ſpatio, quod fuit intra A. V. C. DXXXVI. atque DLXXV. quo tempore ſextantariis ſucceſſerunt aſſes unciales, in quorum deinde locum ſemiunciales venerunt.

Deprehenduntur vero iisdem vixiſſe temporibus atque geſſiſſe magiſtratus C. Terentius Varro, Spurius Lucretius, & L. Scribonius Libo, quos ſimul triumviros monetales hosce denarios & ſequentes nummos æreos ſignaſſe exiſtimo. C. Terentius Varro A. V. C. DXLV. proprætore extra ordinem cum imperio miſſus fuit ad obſides Arretinorum Romam deducendos, Livio teſte lib. XXVII. cap. 24. *De Arretinis, & fama indies gravior, & cura creſcere patribus. Itaque C. Hoſtilio ſcriptum eſt, ne differret obſides ab Arretinis accipere: & cui traderet Romam deducendos, C. Terentius Varro cum imperio miſſus.* Fuit idem C. Hoſtilio ſucceſſor datus, atque Etruriam obtinuit cum duabus ejus provinciæ legionibus A. V. C. DXLVII. lib. eod. cap. XXXVI. Spurius Lucretius ædilis plebis exſtitit A. V. C. DXLVII. una cum Cn. Octavio, & uterque in hoc magiſtratu prætor in annum inſequentem eſt deſignatus. Quod ut novum & inſolitum notavit Livius lib. XXVIII. cap. 38. *Prætoria inde comitia habita, creati duo, qui tum ædiles plebis erant, Sp. Lucretius & Cn. Octavius.* Narrat deinde, quomodo illi prorogatum fuerit imperium, ut oppidum Genuam, a Magone Pœno dirutum, exædificaret lib. XXX. cap. 1. quod ad A. V. C. DL. refert Pighius tom. II. Annal. pag. 226. Tertius triumvir L. Scribonius Libo, tribunus plebis agnoſcitur A. V. C. DXLVII.

Et hac quidem occaſione ſimilis conjectura naſci poſſet in quibusdam aliis nummis antiquiſſimis, qui quum duo triumvirorum monetalium adpoſita habeant nomina, antiquarios permoverunt, ut alterum nomen pro cognomine acciperent; ut ex. gr. in Familia Marcia, tab. III. lit. A. & B. nummi exſtant inſcripti *Quintus* MAR*cius.* LIBO. Ibi Libo, quod cognomen Scriboniis non Marciis familiare fuit, Q. Marcio ab antiquariis adſignatur. Et tamen rectius forſan ibi cogitare poſſemus de collegis in triumviratu monetali Q. Marcio, & aliquo Scribonio Libone; inprimis vero in nummo lit. B. tab. I. Familiæ Juniæ, ſupra pag. 222. ubi a parte denarii priori, quemadmodum hic in meo, LIBO agnoſcitur, a parte poſteriori legitur *Caius* IVNI*us Cai Filius.* ROMA. & pariter Dioſcuri depinguntur. Et C. Junii quidem num. V. ibidem aſſis ærei typus eſt, ſed ſextantarii, unde ad hunc Libonem, ut collegam Junii nihil pertinet, ille enim, æque ut collega Terentius, aſſes unciales, non alios, cudere debuit.

II.

Caput Jani bifrontis laureatum & barbatum, cum remo inter tempora, tanquam assis nota, erecto.

Caius TER*entius*. LV*Cretius*. ROMA. Prora navis, desuper volante Victoria cum palma & corolla. Ad latus assis nota est.

Typus Victoriæ in hoc asse, qui in sequenti semisse & quadrante itidem observatur, nos docere videtur, insignem aliquam victoriam navalem a Romanis relatam fuisse eo anno, quo nummi hi cusi fuerunt. Exprimi itaque in illis mihi videtur felix illa pugna navalis, qua A. V. C. DXXXIX. T. Otacilius proprætore, classem Siciliensem extra ordinem sortitus, in Siciliam missus fuit, ut Africæ oram popularetur, atque tuta Italiæ littora redderet, simulque impediret, quo minus supplementum & commeatus ex Africa ad Annibalem transveherentur. Is classem Carthaginensium sibi obviam devicit & disjecit, captis aliquot navibus; atque ita consummavit victoriam a Manlio in Sardinia de Asdrubale Calvo reportatam. Sed dignus nummorum typus est, ut ex Livio rem totam accuratius discutiamus. Ibi lib. XXIII. cap. 32. legimus de Pœnis: *In Sardiniam Asdrubalem, cognomento Calvum, deligunt ducem: & tantum ferme copiarum, quantum Magoni decernunt.* Paullo post eodem capite de Romanis: *Et T. Otacilius Crassus, posteaquam ædem Mentis in Capitolio dedicavit, in Siciliam cum imperio, qui classi præesset, missus.* Narrat deinde cap. XXXIV. Livius, quomodo contra Sardos rebelles T. Manlius fuerit missus, atque Asdrubalis classis tempestatibus fœde vexata fuerit. *Ad eam rem missus est T. Manlius Torquatus, qui bis consul censorque fuerat, subegeratque in consulatu Sardos. Sub idem fere tempus, & a Carthagine in Sardiniam classis missa duce Asdrubale, cui Calvo cognomen erat, fœda tempestate vexata, ad Baleares insulas ejicitur. ibique (adeo non armamenta modo, sed etiam alvei navium quasſati erant) subductæ naves dum reficiuntur, aliquantum temporis triverunt.* Opportune eadem classis Pœnorum ad insulam adpulerat, ut Sardos in rebellione confirmaret jam fere debellatos; magna deinde, & nobilis Romanorum victoria, contigit, Livio itidem teste ibid. cap. XL. *Debellatumque eo prœlio in Sardinia esset, ni classis Punica cum duce Asdrubale, quæ tempestate dejecta ad Baleares erat, in tempore ad spem rebellandi advenisset. Manlius post famam adpulsæ Punicæ classis, Caraleis se recepit, ea occasio Harsicoræ data, Pœno se jungendi. Asdrubal copiis in terram expositis, & classe remissa Carthaginem, duce Harsicora ad sociorum populi Romani agrum populandum profectus, Caraleis perventurus erat, ni Manlius obvio exercitu ab effusa eum populatione continuisset. Primo castra castris modico intervallo sunt objecta, deinceps procursationes leviaque certamina vario eventu inita: postremo descensum in aciem, signisque collatis justo prœlio per quatuor horas pugnatum. Diu pugnam ancipitem Pœni, Sardis facile vinci adsuetis, fecerunt: postremo & ipsi, quum omnia circa strage ac fuga Sardorum repleta essent, fusi. ceterum terga dantes, circumducto cornu, quo pepulerat Sardos, inclusit Romanus. cædes inde magis, quam pugna fuit. Duodecim millia hostium cæsa, Sardorum simul Pœnorumque ferme tria millia & sexcenti capti, & signa militaria septem & viginti. Ante omnia claram & memorabilem pugnam fecit Asdrubal imperator captus, & Hanno, & Mago, nobiles Carthaginienses. Mago ex gente Barchina, propinqua cognatione Annibali junctus: Hanno auctor rebellionis Sardis, bellique ejus haud dubie concitator.* Tantam victoriam consummavit T. Otacilius classi Africanæ domum repetenti obvius, illique cladem illam inferens, quam mox ibidem persequitur Livius. *Per idem tempus T. Otacilius prætor quinquaginta navium ab Lilybæo classe in Africam transvectus, depopulatusque agrum Carthaginiensem, quum Sardiniam inde peteret, quo fama erat Asdrubalem a Balearibus nuper trajecisse, classi Africam repetenti occurrit, levique armatura certamine in alto commisso, septem inde naves cum sociis navalibus cepit: ceteras metus haud secus quam tempestas passim disjecit.*

Nihil itaque mirum, si victoriæ tam memorabiles erexerint adflictos Romanorum animos, sic ut & in ære & in argento hanc deorum opem exstare voluerint, qui suo quasi auxilio id perficere visi fuissent; unde ipsa dea Victoria in nummo primo, qui argenteus est, coronat Romæ caput.

Fere prætermiseram, utrumque meum denarium argenteum non esse ex argento puro, sed subæratum. Quod maxime ad notam temporis facit. Post Cannensem enim cladem ex argenti penuria adulterasse Romanos monetam publicam notat Zonaras in fine lib. VIII. pag. ed. Venet. 314. Paris. 416. ubi narrat, illos ex multis Hieronis muneribus frumentum duntaxat & Victoriæ signum accepisse, καίπερ ἐν ἀχρηματίᾳ ὄντες, ὥστε τὸ ἀργυροῦν νόμισμα ἀμιγὲς καὶ καθαρὸν γινόμενον πρότερον, χαλκῷ προσμίξαι. *Quamquam adeo pecuniæ inopes, ut argenteum nummum, prius impermixtum & purum, ære admixto adulterarent.* Quin & in altero illo denario meo, qui Libonis insuper præfert nomen, omissa Victoriæ icuncula, palmas ingentes supra humeros tenent Dioscuri; tanquam ingentis victoriæ monumentum.

III.

Caput Herculis inberbe pelle leonis tectum, cum tribus globulis, quadrantis indicibus.

Caius TER*entius*. LV*Cretius*. ROMA. Prora navis cum supervolitante Victoria. Adsunt tres globuli.

Litera A.

Caput Jovis Capitolini laureatum, post illud est semissis nota.

Caius TER*entius*. LV*Cretius*. ROMA. Prora navis cum supervolitante Victoria. Ad latus est semissis nota.

Habemus hic semissem, sicut modo quadrantem, assis, qui præcessit. In omnibus eadem insignis victoriæ terrestris simul & navalis in Sardinia insula & mari Mediterraneo a Romanis reportatæ est memoria.

IV.

VARRO PRO Q*uæstore*. Caput terminale Romuli sive Quirini barbatum & regio diademate cinctum.

MAGNVS PRO CO*nSule*. Sceptrum inter delphinum & aquilam.

Typus aversæ partis summum terra marique imperium denotat, quod Pompejo in bello piratico, novo exemplo, concessum fuit. Eo tempore illi proquæstore fuit M. Terentius Varro, Romanorum doctissimus, qui navali quoque corona in illa expeditione donatus fuit. Plura de Varrone collegerunt Ursinus & Vaillantius.

V.

V.

Caput Neptuni cum senatusconsulti nota & literis barbaris atque nota monetali.

MAGN*us* PRO CO*nSule*. Sed literæ quoque barbare collocantur sic, MAGN. POSCOS. Sceptrum inter aquilam & delphinum.

Credidit Ursinus hos denarios omnes in Hispaniis fuisse cusos, quum ibi Varro ageret, motus barbara quoque hac inscriptione. Verum aliis in locis itidem inperiti & literarum rudes fuerunt monetarii. Præterea inter duces, quos Pompejus, in Hispaniis habuit, recensetur Varro, majore potestate quam habuerat proquæstore existens Pompeji ejusdem in bello piratico. Neque cuiquam persuasurus est Ursinus illud, quod conjicit, simul scilicet & legati & proquæstoris munere in Hispaniis functum fuisse Varronem. Scribit enim in Vita Julii Suetonius cap. XXXIV. *Adpellatisque de republica patribus, validissimas Pompeji copias, quæ sub tribus legatis, M. Petrejo, & L. Afranio, & Varrone in Hispania erant, invasit.* Neptuni caput, in hoc denario confirmat maris imperium, quod Pompejo Magno, velut domitori piratarum futuro, cum amplissima potestate a senatu concessum fuit.

Litera B.

VARRO PRO Q*uæstore*. Caput Quirini terminalis, ut supra num. V.

VARRO PRO Q*uæstore*. Caput idem.

Per errorem monetariorum duplicatus capitis fuit typus, quales errores plus semel jam in hoc opere notavimus. Caput vero (ut recte contra Ursinum sensit Vaillantius) Quirini esse, non Jovis terminalis, ostendit barba calaministrata, & similis capillorum cura. Idem observare licet in gentis Memmiæ nummo, cui inscribitur QVIRINVS, quique Romuli sive Quirini caput exhibet.

Litera C.

Caput Jani bifrontis barbatum, & laureatum cum assis nota.

P*ublius* TE*rentius*. Lupa cum parvulis Romulo & Remo.

In gente Terentia Publii prænomen gesserunt P. Terentius Lucanus, cui ex Africa servus, sed mature, ob liberale ingenium formamque, manumissus, P. Terentius, dimidiatus ille Menander, nomen clarum dedit; & P. Terentius Tuscivicanus, tribunus plebis A. V. C. DLXXXI. Eundem inter quinque legatos, qui in Illyricum missi sunt A. V. C. DLXXXVI. coss. Q. Ælio Pæto & M. Junio Penno enumerat Livius lib. XLV. cap. 17. *In Illyricum autem hi nominati, P. Ælius Ligus consularis, C. Cicereius, & Cn. Bæbius Tamphilus (hic priore anno, Cicereius multis ante annis prætor fuerat) P. Terentius Tusciveicanus, P. Manilius.* Denique P. Terentius Hispo quidam commendatur a Cicerone, ut familiaris P. Silio, Epist. lib. XIII. cujus meminit quoque II. ad Att. 10.

Ad quem ex hisce pertineat hic nummus a Morellio nunc primum editus, pondus ejusdem docere debet. Est vero ex minori assium genere sive semiuncialium. Unde patet, non potuisse signari ante A. V. C. DLXXV. quo uncialibus assisemiunciales successerunt. Vix itaque potest pertinere ad P. Terentium Lucanum P. Terentii Afri, poëtæ comici, patronum. Ille enim A. V. C. DLXXVI. quæstor provincialis a Pighio recensetur tom. II. pag. 347. Posteriori itaque, qui A. V. C. DLXXXI. inter tribunos plebis numeratur, magis videtur convenire. Neque tamen omnino poëtæ patrono abjudicari potest, à quo extra Romam signari potuit, quum urbis nomen non addatur. Id enim ubi abest, plerumque docet in provinciis a quæstoribus provincialibus signatum nummum fuisse.

Typus Romuli & Remi sub lupa lactantium antiquitatem generis denotat: Terentios videlicet, eo jam rempore, quo urbis æternæ fundamenta ponerentur, floruisse, Romulo & Remo æquales.

Litera D.

TERENTIVS. Caput nobilis poëtæ comici P. Terentii. Ante faciem in area nummi palmæ ramus est.

. . . . . IVS. Juvenis equum ducens.

Commode patrono suo jungitur Latinum illud os, licet in Africa natum, Terentius. Quem quum nemo nesciat, satis erit notasse, hunc nummum esse ex genere contorniatorum. Inserviebant illi ludicris Circensibus, & sæpe virorum in literis clarorum capita insculpta habebant. Hoc Terentii caput, juxta morem, eo tempore, quo cudebantur hæc numismata, consuetum, sine barba est; quod notari debet, quum barbata ejusdem effigies libris ejus, & forsan verius ad antiquitatem, præfigatur.

A circulo sive torno contorniati dicebantur hi nummi. Solebat vero ille circulus, ut & signum illud palmæ additum, olim argento impleri.

VI.

CAESAR AVGVSTVS. Caput Augusti nudum.

Q*uinto* TERENTIO CVLLEONE PRO CO*nSule*. Caput Apollinis laureatum.

In nummo, quem Ursinianis adjecit Patinus, legitur Q*uinto* TERENTIO CVLLEONE IIVIR*o*. In suo invenisse sese testatur Vaillantius Q*uinto* TERENTIO CVLEONE IIVIR*o*. Neque tamen Morellianus nummus propterea videri debet male a scientissimo artifice Morellio expressus fuisse. Qui enim Culeo & Culleo vocatur in Patini atque Vaillantii nummo, & IIvir dicitur, is in Morelliano proconsulis habet titulum. Nec immerito, simul enim & proconsulis titulo & duumviri munere gavisus fuit. Quod me liquido docet rarissimus ex museo meo nummus integerrimusque, qui in parte posteriore pro capite Apollinis caput habet Julii Cæsaris, laurea corona densa insigne, dependentibus lemniscis, & insuper hanc inscriptionem, Q*uinto* TERENTIO CVLLEONE PRO CO*nSule* IIV*iro*. Ultima sic COS. II' in nummo exhibentur, sic ut pateat, virgulæ alterius partem in litera V. evanuisse usu vel fabricæ vitio.

Terentii Culeones vel Culleones, qui in historia Romana nobis occurrunt, omnes prænomen Quinti habuisse leguntur. Primus ex Terentiis cognomine Culleo, apud Livium lib. XXX. cap. 43. occurrit, captus a Carthaginensibus Q. Terentius

tius Culleo, & Romanis redditus. *Naves longas, elephantes, perfugas, fugitivos, captivorum quatuor millia tradiderunt. Inter quos Q. Terentius Culleo senator fuit.* Ibid. cap. XLV. *Secutus Scipionem triumphantem est pileo capiti imposito Q. Terentius Culleo: omnique deinde vita, ut dignum erat, libertatis auctorem coluit.* Quem senatorem nominat Livius, prætoria familia natum prædicat Valerius Maximus V. II. 5. *Tam hercle probabiliter, quam Q. Terentius Culeo, prætoria familia natus, & inter paucos senatorii ordinis splendidus, optimo exemplo Africani superioris currum triumphantis, quia, captus a Carthaginensibus, ab eo fuerat recuperatus, pileum capite gerens secutus est. Auctori enim libertatis suæ, tanquam patrono, accepti beneficii confessionem, spectante populo Romano, merito reddidit.* Hunc Pighius credit fuisse filium Q. Terentii prætoris A. V. C. DXXXIII. vide illum tom. II. pag. 137. Memoratur deinde apud Liv. lib. XXXVIII. cap. 42. Q. Terentius Culleo prætor, peregrinam provinciam sortitus A. V. C. DLXVI. seu, juxta Marm. Capitol. CCLXVI. Qui credi potest fuisse is ipse, qui ante paucos annos captivitate per Scipionem liberatus fuerat, unde post quindecim annos A. V. C. DLXXXII. vel DLXXXI. ut regionis & linguæ Pænorum gnarus, legatus missus fuit a Romanis ad Masinissam & Carthaginenses. Livius lib. XLII. cap. 35. *In eam rem legati ad Masinissam Carthaginensesque missi, L. Postumius Albinus, Q. Terentius Culleo, C. Aburius.* Terentii Culleonis, tribuni plebis, censoribus Quinctio Flaminino & Claudio Marcello, meminit Plutarchus, in Vita Flaminini pag. 579. Προσεδέξαντο δὲ πολίτας ἀπογραφομένους, πάντας ὅσοι γονέων ἐλευθέρων ἦσαν, ἀναγκασθέντες ὑπὸ τοῦ δημάρχου Τερεντίου τοῦ Κυλλεῶνος, ὃς ἐπηρεάζων τοῖς ἀριστοκρατικοῖς, ἔπεισε τὸν δῆμον ταῦτα ψηφίσασθαι. *Censuerunt omnes, qui cives se profitebantur, si ex ingenuis parentibus essent. Coacti fuere a tribuno plebis Terentio Culleone, qui obtrectans optimatibus populum ad sciscendum induxit.* Gesta hæc sunt A. V. C. DLXIV. Pro Κυλλεῶνος male Λέωνος in Plutarchi editionibus scribitur. Potuit & hic idem esse quem liberavit Scipio. Lepidi denique & Antonii partium studiosus in bello civili agnoscitur Terentius Culeo, sive Culleo. Appianus lib. III. B. C. pag. 579. Ὁ Ἀντώνιος ἐν τῷ τέως τὰς Ἄλπεις ὑπερέβαλε, Κυλλέωνα πείσας τὸν ἐκ Λεπίδου φύλακα αὐτῶν. *Interim Alpes superavit Antonius, permittente Culeone, qui a Lepido harum custodiæ præpositus fuerat.* Hunc postea (nam ex composito agebant) recepit ad se Lepidus. Verba Lepidi sunt scribentis ad Ciceronem lib. Epist. X. ep. 34. de Antonio: *Equitatum habet magnum. Nam omnis ex prælio integer decessit, ita ut sint amplius equitum. . . . . Itaque ad me complures milites & equites ab eo transierunt, & in dies singulos ejus copiæ minuuntur. Silanus & Culleo ab eo discesserunt. Nos, etsi graviter ab his læsi eramus, quod contra nostram voluntatem ad Antonium ierant, tamen nostræ humanitatis & necessitudinis causa, eorum salutis rationem habuimus. Nec tamen eorum opera utimur, neque in castris habemus, neque ulli negotio præfecimus.* Alius est Culeo ille Pompeji amicus, cujus mentionem facit Cicero ad Attic. III. Epist. 15. & VI. 12. ubi conjungitur cum Theophane, pariter Pompeji amico. Filius is esse aut propinquus poterit Culleonis ejus, cujus bonorum auctio memoratur lib. II. Epist. ad Q. fratrem ep. 2. *Sed ego adhuc emi nihil. Culleonis auctio facta est. Tusculano emtor nemo fuit. Si conditio valde bona fuerit, fortasse non omittam.* Qui Illyricum vel Macedoniam proconsule tenuit L. Culleolus, ad quem Ciceronis sunt epistolæ lib. XIII. ep. 41. & 42. nihil forsan ad Terentiam gentem pertinet.

Videamus jam, quis fuisse videatur nostro nummo inscriptus Q. Terentius Culleo proconsule & IIvir coloniæ cujusdam Romanæ. Ipsa quidem colonia, quæ hunc nummum cudit, videtur fuisse Corinthus. Illa enim & duumviros habuit, & a Julio Cæsare fuit condita. Unde in præstantissimo illo nummo meo, sub Augusto post Antonii mortem cuso, Cæsaris conditoris urbis suæ, patris vero Augusti, caput exhibet ab altera parte. In hoc quidem Morelliano, aliorumque nummis, Apollinis videtur esse caput propter victoriam Actiacam & cultum Apollinis. Cæsaris igitur & Augusti partium fuit noster Q. Terentius Culleo, utpote filius ejus, qui in castris Lepidi cum imperio constitutus, Antonium recepit. Hunc enim credibile est postea cum reliquo exercitu Lepidi ad Cæsarem Octavianum transiisse, fidumque in ejus amicitia permansisse, unde filius ejusdem sub Cæsare jam nomine Augusti decorato post A. V. C. DCCXXVI. proconsule provinciæ Macedoniæ præfuisse videtur. Corinthii vero illum honoris caussa duumvirum coloniæ suæ crearunt. Quod mirum videri non debet, quum in aliis coloniis regibus Jubæ filioque Ptolemæo, imo Tiberio imperatori & Druso Cæsari, similis honor oblatus fuerit. Jubæ & Ptolemæi nomina & tituli leguntur in nummis gentis Lætiliæ p. 235. 236. & 237.

Atque ita præclarus ille nummus noster conciliat Patini Vaillantiique nummum cum Morelliano, atque insuper docet simul proconsulis & duumviri titulo gavisum fuisse Q. Terentium Culleonem.

Litera E.

. . . . . ΟΣ ΣΕΒΑΣΤΟΣ, ... *us Augustus.* Caput Tiberii laureatum.

ΕΠΙ ΚΟΥΛΛΕΩΝΟΣ ΑΙΓΕΑΙΩΝ ΔΗΜΟΥ. *Sub Culleone Ægæorum populi.* In laurea.

Egregie hic nummus conjecturam nostram firmat, quam ad præcedentem nummum adtulimus. Præfuisse videlicet Q. Terentium Culleonem Macedoniæ sub Augusto. Illud enim magis credo, quam Ciliciæ præfuisse; quod sequeretur, si Ægas, urbem Ciliciæ, intelligeremus cum Vaillantio in Num. Gr. Imp. p. 8. Corinthii rectorem Macedoniæ, & Græciæ, non Ciliciæ in nummo hoc honorarunt, quem, ut diximus, quoque duumvirum crearunt.

Ultimis itaque Augusti temporibus, & longe post pugnam Actiacam, Macedoniæ præfuisse videtur, atque permansisse in eadem provincia sub Tiberio, qui raro provinciarum præsides mutabat, lepida usus fabella, quam hic adscribam ex Josepho nostro lib. Ant. XVIII. cap. VI. p. 889. Οὔτε γὰρ πρεσβειῶν ἀποδοχὰς ἐκ τοῦ ὀξέως ἐποιεῖτο, ἡγεμόσιν τε ἢ ἐπιτρόποις ὑπ' αὐτοῦ σταλεῖσιν οὐδεμία ἦν διαδοχὴ, ὁπότε μὴ φθαῖεν τετελευτηκότες. ὅθεν καὶ δεσμωτῶν ἀκροάσεως περίοπτος ἦν. ὥστε καὶ τῶν φίλων ἐρομένων τὴν αἰτίαν αὐτὴν τοῦ ἐπὶ τοιούτοις ὀλκνῇ χρωμένου, ἔφη, „τὰς μὲν πρεσβείας τελέσειν ὅπως μὴ ἀπαλλαγῆς αὐταῖς ἐκ τοῦ ὀξέως „γινομένης, ἕτεροι πρέσβεις ἐπιχειροτονηθέντες ἐπανίοιεν, „ὄχλος τε αὐτῷ γίνοιτο ἐπὶ δοχαῖς αὐτῶν καὶ πομπαῖς „προκειμένῳ. τὰς δ' ἀρχὰς συγχωρεῖν τοῖς ἅπαξ εἰς „αὐτὰς ὑπ' αὐτοῦ καταστᾶσιν, αἰδοῖ προμηθείᾳ τῶν ὑπο-

„τε-

„ τελῶν. φύσει μὲν γὰρ εἶναι πᾶσαν ἡγεμονίαν τοῦ πλεονεκτεῖν. τοὺς δὲ μὴ παγίους, ἀλλ' εἰς ὀλίγον καὶ ἄδηλον ὁπότε ἀφαιρεθεῖεν, καὶ μειζόνως ἐξοτρύνειν ἐπὶ κλοπαῖς τοὺς ἔχοντας. εἰ μὲν οὖν ἐφεστήκασιν εἰς πλέον αὐτοὺς, ἄδην τῶν κλοπῶν ἕξειν ὑπὸ τοῦ πολλοῦ τῶν κεκερδημένων ἀμβλυτέρως τὸ λοιπὸν αὐταῖς χρωμένους. διαδοχῆς δὲ ἐπιπαραγιγνομένης ἐκ τοῦ ὀξέως, οὐδαμῶς ἂν ἀρκέσαι τοὺς ἆθλα τοῖς ἄρχουσι προκειμένους, ἀναστροφῆς αὐτοῖς οὐ διδομένης καιρῶν, ἐν οἷς πλήρεις οἱ προειληφότες γενόμενοι ὑποδιδοῖεν τῆς σπουδῆς τῆς ἐπὶ τῷ λαμβάνειν, διὰ τὸ πρὶν ἐν καιρῷ γενέσθαι μεταστῆναι. παράδειγμά τε αὐτοῖς φησί. τραυματίᾳ τινὶ κειμένῳ μυῖαι κατὰ πλῆθος τὰς ὠτειλὰς περιέστησαν· καί τις τῶν παρατυχόντων οἰκτείρας αὐτοῦ τὴν δυστυχίαν, καὶ νομίσας ἀδυναμίᾳ μὴ βοηθεῖν, οἷός τε ἦν ἀποσοβεῖν αὐτάς παραστάς. καὶ δεομένου παύσασθαι τοῦ ἐπὶ τοιοῖσδε, ὑπολαβὼν ἤρετο τὴν αἰτίαν τοῦ ἀπρομηθοῦς εἰς τὴν διαφυγὴν κακοῦ τοῦ ἐφεστηκότος. μειζόνως γὰρ ἂν ἀδικοίης με, εἶπεν, ταύτας ἀπαγαγών. τῶν μέν γε ἤδη πληρωθεισῶν τοῦ αἵματος, οὐκ ἔθ' ὁμοίως ἔπειξις, ὄχλον μοι παρασχεῖν, ἀλλά πῃ καὶ ἀνίσχουσιν. αἱ δ' ἀκραιφνεῖς τῷ κατ' αὐτοὺς λιμῷ συνελθοῦσαι, καὶ τετρυμμένον ἤδη παραλαμβάνουσαι, καὶ ὀλέθρῳ παραδοῖεν. διὰ τάδε οὖν καὐτὸς ὑπὸ πολλῶν τῶν κλοπῶν διεφθαρμένοις τοῖς ὑποτελέσιν προμηθὴς εἶναι, μὴ συνεχὲς ἐξαποστέλλειν τοὺς ἡγησομένους, οἳ ἐν τρόπῳ μυιῶν ἐκπολεμῶεν αὐτοὺς φύσει πρὸς κέρδος ὀρωρεγμένοις σύμμαχον παραλαμβάνοντες τὴν ἐλπίδα τοῦ ταχέως ἀφαιρησομένου τὴν ἔνθεν ἡδονήν." *Neque curabat ut mitterentur qui præsidibus aut procuratoribus ab eo missis succederent, nisi illi decessissent. unde fiebat ut vinctos quoque audire negligeret. Proinde cum amici causam ipsam quærerent, cur adeo procrastinaret, dicebat, „ Legationibus quidem se moras nectere, ne illis cito dimissis, alii mox creati ad ipsum denuo accedant legati, atque ita sibi continuo incumbat negotium illos accipiendi ablegandique. Imperia autem illis, quibus semel ea dederat, diuturna esse sinere, ut aliquo saltem pudore adhibito consulatur subditis. ingenium enim omnium hominum in magistratu proclive esse ad avaritiam. qui vero haud perpetui sunt, sed ad breve tempus, ut incertum sit quando illis auferatur potestas, majori aviditate ad rapinas ferri. itaque si diutius ea fruantur, furtorum satietate tandem expleri, ut qui satis superque sibi acquisiverint; deinde tardiores fieri ad rapiendum. cum autem ocyus illis succedatur, nequaquam fore ut magistratibus sufficiant qui illis in prædam expositi sunt; tanto eis tempore haud concesso, in quo antecessores sui spoliorum pleni de habendi cupiditate remitterent, quod revocati fuerant antequam satis diu magistratum obiissent.* Ac deinde exemplo utebatur. *Quodam vulnerato humi procumbente, magna vis muscarum ulcera circumsedebat: ac viator, cum forte adesset, vicem ejus miseratus est, languidiorem esse ratus quam ut illas arcere posset, propiusque accedens parabat eas depellere. Orante autem* saucio, *ut hujusmodi quid facere omitteret:* alter *subjiciens causam quærebat, cur ita liberari a præsenti molestia negligeret. Cui ille, gravius me læsum ibis illas abigendo. nam hæ jam plenæ cruoris non perinde ac ante certatim agunt, ut mihi molestiam facessant; sed aliquantulum remissius insistunt. Quod si* his depulsis *recentes & famelicæ convenerint, &* me *jam attritum acceperint, etiam ad interitum usque exsugent. Has igitur ob causas & ipsum subditis suis, multis expilationibus male multatis, haud ita frequenter, unum post alium, rectores mittere, qui more muscarum eos infestarent, præsertim cum natura propensis ac lucrum insuper ad cupiditatem augendam injiciatur metus, ne quæstus sibi adeo jucundus cito eripiatar.*" Eundem Tiberium, jam senem, nullos omnino præsides mutasse notat Suetonius in Vita ejus cap. IV. ubi ait ita illum abjecisse curam reipublicæ, ut *non decurias equitum unquam supplerit: non tribunos militum præfectosque, non provinciarum præsides ullos mutaverit.*

Litera F.

TI*berius* CAESAR DIVI AVG*usti Filius* AVG*ustus Pontifex Maximus.* Caput Tiberii nudum.

Colonia Immunis Illici Augusta Lucio TER*entio* LON*go Lucio* PAP*io* AVIT*o* IIVIR*is Quinquennalibus.* Duæ figuræ togatæ jungentes dextras supra aream. In aliis insuper scribitur sub ara IVNCTIO, ut tomo II. in Tiberii nummis, & apud Vaill. de Colon. tom. I. pag. 112.

Celebrarunt in hoc monumento publico Illicitani concordiam fratrum & imperii hæredum Drusi & Germanici, quorum alter imperatoris Tiberii filius erat natura, alter adoptione. IVNCTIO itaque in his nummis, ut recte observat Vaillantius, idem significat quod CONCORDIA in nummis Marci Aurelii & Lucii Veri.

Litera G.

TI*berius* CAESAR DIVI AVG*usti Filius* AVG*ustus Pontifex Maximus.* Caput Tiberii nudum.

Colonia Immunis Illici Augusta Lucio TER*entio* LON*go Lucio* PAP*io* AVIT*o* IIVIR*is Quinquennalibus.* Duæ aquilæ legionariæ vexillo intermedio.

Aquila, in coloniarum nummis (notante Vaillantio) denotat milites ex legione Romana in coloniam fuisse missos, sed duæ aquilæ, vel aquila cum vexillo inter duo signa militaria, denotant veteranos duarum legionum in coloniam illam militarem transmissos fuisse. Illici vel Illice urbs est Hispaniæ Tarraconensis.

Litera H.

Caius CAESAR AVG*ustus* GERMANICVS IMP*erator.* Caput laureatum Caji imperatoris.

MVN*icipium* ERGAVICA *Caio* TER*entio* SVRA *Aulo* LIC*inio* ITE*rum* IIVIR*is.* Bos, coloniæ symbolum.

Literæ ITE. desunt apud Vaillantium. Homines ignoti sunt. Ergavica fuit oppidum Celtiberorum in provincia Tarraconensi.

THORIA.

Gens Thoria plebeja fuit, uti docet lex duplex Thoria, a tribuno plebis ejus nominis sic dicta, origine Lanuvina fuit.

I.

Iuno Sospita Magna Regina. Caput Junonis Sospitæ, sive Lanuvinæ, pelle caprina tectum.

Lucius THORIVS BALBVS. Taurus saliens. Desuper est litera alphabetica P.

De Junone Regina & Magna vel Maxima plura habet Ursinus.

Lucius Thorius is esse videtur, cujus mentionem

nem facit Cicero lib. II. de Finib. cap. 20. *L. Thorius Balbus fuit, Lanuvinus; quem meminiſſe tu non potes. Is ita vivebat, ut nulla tam exquiſita poſſet inveniri voluptas, qua non abundaret. Erat cupidus voluptatum, & cujusvis generis ejus intelligens, & copioſus: ita non ſuperſtitioſus, ut illa plurima in ſua patria ſacrificia & fana contemneret: ita non timidus ad mortem, ut in acie ſit ob rempublicam interfectus.* Omnino adduci is locus debuit, quamvis a Vaillantio, atque ante jam ab Urſino, adlatus. Meminit ejus iterum Cicero ibid. cap. XXII. *Quid adfers? Cur Thorius, Poſtumius, cur Chius, cur omnium horum magiſter, Orata, non jucundiſſime vixerit?* Hunc L. Thorium Balbum Pighius tom. III. pag. 272. collocat inter viginti quæſtores, qui primum lege Cornelia creati fuerunt A. V. C. DCLXXIII. & inter tribunos plebis A. V. C. DCLXXVIII.

Pater ejus fuiſſe videtur Spurius Thorius Balbus, qui tribunus plebis A. V. C. DCXLVI. legem agrariam tulit, & de pecore agros alienos depaſcente. Vitioſam illam priorem & inutilem vocat Cicero, quod fraudaret ærarium publicum, plebi viritim pecuniam ex vectigali provenientem dividendo. In Bruto cap. XXXVI. *Sp. Thorius ſatis valuit in populari genere dicendi, is, qui agrum publicum vitioſa, & inutili lege, vectigali levavit.* Alterius illius legis Thoriæ, ſeu quæ pars prioris fuiſſe videtur, meminit Cicero de Oratore lib. II. cap. 70. *Sed ex his omnibus nihil magis ridetur, quam quod eſt præter exſpectationem, cujus innumerabilia ſunt exempla, vel Appii majoris illius, qui in ſenatu, quum ageretur de agris publicis, & de lege Thoria, & premeretur Lucilius ab iis, qui a pecore ejus depaſci agros publicos dicerent. Non eſt, inquit, Lucilii pecus illud: erratis (defendere Lucilium videbatur) ego liberum puto eſſe, qua lubet paſcitur.* Hujus loci ex MSS. aliam lectionem profert Pighius tom. III. pag. 136. *Non eſt, inquit, Luculli pecus illud, erratis (defendere Lucullum videbatur) ego Lucullum puto eſſe, qua lubet paſcitur.* Acre acetum in utraque eſt lectione. Si Pighianam malimus, reſpicit patrem ejus L. Luculli qui Mithridatem vicit, quique propter improbitatem furti damnatus fuit, ut docet Plutarchus in principio Vitæ Luculli pag. 491. Τῶν δὲ γονέων ὁ μὲν πατὴρ ἑάλω κλοπῇ. *Ex parentibus ejus pater furti damnatus fuit.* Tunc vero Appii ſal in eo conſtitit, quod dicens *ego Lucullum puto eſſe; qua lubet paſcitur*, ambiguitatem captaverit in voce *Lucullum*, quod illa patrem L. Luculli acri quidem ſtimulo pungebat, tanquam furem publicum, ſed ſimul conſiderari poterat tanquam adjectivum neutrius generis, ut ita diceret illos errare, qui dicerent *pecus Luculli*, quum dicere debuiſſent *pecus Lucullеum*, quod raptim pronunciatum, ſonum habebat quaſi dixiſſet, *pecus Lucullum*, ut apud Virgilium Ecl. III. 1.

——— ——— ——— *cujum pecus?*

Si vulgatam ſequamur lectionem, dixit Appius, *Ego liberum puto eſſe, qua lubet, paſcitur.* taxans ita ſimul poëtæ Satyrographi Lucilii, cujus illud pecus, ratione temporis, videtur, libertatem in ſcribendo, ut qui impune, qua luberet, in quemcunque & cujuscunque mores ferretur; quam domini libertatem imitari pecus adſerit. Vel denique nullam domini curam arguit. Hæc in transcurſu.

Taurum itaque expreſſit filius L. Thorius Balbus reſpectu illius paſtionis legisque agrariæ patris ſui, quæ reſpiciebat quoque (ut Cicero docet) agros publicos, ne ab alieno pecore depaſcerentur. A tauro nomen non poteſt apte derivari, quum illud ſit adſpiratum, quæ adſpiratio in taurus non invenitur. Per Junonem Soſpitam originem Lanuvinam indicavit.

Litera P. ſuper tauri tergum alphabetica eſt; in meis enim I. & A. inveni; imo omnes ſe vidiſſe teſtatur Morellius de N. Conſul. ad Periz. p. 204. „ Nummus gentis THORIÆ in Urſini editione litera Q. notatus eſt, aſſervatur integrum in his nummis alphabetum in Theſauro Schwartzburgico. Patinus quidem in Theſauro ſuo p. 42. idem jam obſervavit, ſed in eo errat, quando putat, in hujus gentis nummis etiam muſcas, cancros, aratrum, ſtellas, clavam & ſimilia inveniri: talium vero notarum diverſitas prope infinita eſt, ratione figurarum, literarum, & numerorum, in quamplurimis aliarum familiarum nummis, ita, ut in admirationem trahere poſſint, ſed in quem finem illarum uſus inſtitutus fuerit, ejus rationem nondum adſequi licuit. Interim nihil aliud excogitare poſſum, quam per tales notas, monetarios in officinis diſtinctos, & ad explorandam cujusque fidem ac induſtriam eas adhibitas fuiſſe.

II.

ΟΜΟΝΟΙΑ ΝΙΚΟΜΗδέων. *Concordia Nicomedienſium.* Caput Junonis Soſpitæ & Reginæ; prius epitheton adumbrant cornua caprina in fronte; poſterius diadema, quod comam ambit.

ΕΠΙ ΑΝΘΥΠΑΤΟΥ ΘΩΡΙΟΥ. *Sub proconſule Thorio.* Aper erectis ſetis, ſub cujus ventre intra pedes conſpicitur monogramma, quod literas A. M. E. P. oſtentat, adeoque initiales magiſtratus urbani alicujus, qui videtur Amerini vel ſimile nomen habuiſſe.

Aper Herculis adumbrat cultum. Notus enim inter ejus labores eſt aper Erymanthius. Nicomediæ vero cultum fuiſſe Herculem ex urbis ejus nummis diſcimus. Vidi enim cum inſcriptione ΝΕΙΚΟΜΕΔΕΩΝ. qui a priore parte caput Jovis haberent, a poſteriore Herculem nudum ſtantem, dextra extenſam clavam, læva gerentem leonis exuvias. Unum ipſe habeo cum capite Herculis inberbis; ab altera parte ſimilis eſt inſcriptio cum clava Herculis in corona ſpicea.

Caput Junonis Soſpitæ & Reginæ docet hunc Thorium ad Lanuvinos iſtos Thorios pertinere, & ſi non filium L. Thorii Balbi, & tribuni plebis, qui ad præturam usque pervenit, nepotem, certe conjunctum ſanguine atque ejusdem familiæ. Primis enim Cæſarum temporibus cuſus videtur fuiſſe hic nummus.

TITIA.

Gentem Titiam plebejam, ſed antiquiſſimam fuiſſe conſtat. Variæ leges a tribunis plebis ex illa gente latæ ſunt.

I.

Caput virile, bene barbatum, dependente capillorum cirro atque ad cervicem fluctuante notabile, diademate alato inſuper decorum.

Quintus TITI*us.* Pegaſus, poſterioribus inſiſtens pedibus, ad volatum ſe erigit.

Omnes

Omnes in eo conveniunt antiquarii, ut poëtæ alicujus insignis, cui Titio nomen fuerit, memoriam hic celebrari credant. Quin & ejusdem Titii barbati, tanquam ex intonsis antiquioribusque Romanis, effigiem hic depingi atque exhiberi crediderunt Ursinus & Vaillantius; dei Termini Ericius. Sed perperam; est enim Bacchi, ut recte animadvertit Begerus tom. II. Thes. Brand. p. 589. non tantum quia, ut ibidem addit ex Pausania, Bacchi simulacrum, Lysippi opus, in Helicone fuit, sed ideo inprimis, quod in Bacchi tutela antiquitus fuerit tragœdia. Notus est ille Horatianus versus de Arte 220.

Carmine qui tragico vilem certavit ob hircum.

Tragœdiæ inde nomen, ut notat Julius Cæsar Scaliger lib. I. Poëtic. cap. VI, p. 11. „ Nomen (inquit) traxit ab hirco, nullam aliam ob caussam, nisi quia in ejus numinis honorem ageretur ejusmodi fabula, cujus victima esset „ hircus." Hircus vero & caper victima Bacchi. Virg. Georg. II. vs. 380.

Non aliam ob culpam Baccho caper omnibus aris
Cæditur, & veteres ineunt proscenia ludi, &c.

Sequuntur ibidem plura quæ huc spectant, notante etiam Servio ad veteres ludos: *Dionysia enim antiquissimi rustici, confecta vindemia faciebant.* Hinc & larvas suas, sive personas, Baccho suspendebant tragœdi emeriti. Vide Laurent. de Adult. & Meretr. cap. III.

Bacchum & barbatum & inberbem exprimi veterum monumenta & scripta docent, cirrus ille ad collum fluctuans in multis Bacchi caput habentibus nummis cernitur. Diadema & ala tragœdiæ, quæ sub Bacchi tutela est, tribuitur, tamquam nobilissimo & clarissimo poëseos generi, unde velut regina describitur ab Ovidio lib. III. Amor. vs. 13.

Læva manus sceptrum late regale tenebat:
Lydius apta pedum vincla cothurnus erat.

Hæc omnia demonstrant tragicum aliquem poëtam fuisse insigniorem, nomine Titium, cujus dotes & Musarum symbolum Pegasus, & quem, qui signavit nummum, quisquis ille ex posteritate ejusdem fuerit, celebrat. Frustra quidam apud Ursinum, quos parum considerate sequitur Begerus, putant Titium poëtam, in hisce nummis celebratum, eundem fuisse illum, de quo loquitur Horatius lib. Epist. I. ep. III. vs. 9. de Tiberii agens cohorte & comitibus:

Quid Titius, Romana brevi venturus in ora,
Pindarici fontis qui non expalluit haustus.
Fastidire lacus & rivos ausus apertos,
Ut valet? ut meminit nostri? fidibusne Latinis
Thebanos aptare modos studet auspice Musa,
An tragica desævit & ampullatur in arte?

In hisce Titius ille & a lyrica & a tragica poësi commendatur; verum Augusti & Horatii temporibus nulli amplius asses cudebantur, qualis tamen iste nummus est, qui occurrit infra num. IV. Antiquior itaque Titius, poëta tragicus quærendus est, quem inter intonsos Romanorum avos latere credidit Vaillantius, verum non invenit. Est vero is Cajus Titius, qui Afranium præcessit, poeta & orator insignis, cujus ampla commendatio est apud Ciceronem in Bruto cap. XLV. *Ejusdem fere temporis fuit eques Romanus C. Titius, qui, meo judicio, eo pervenisse videtur, quo potuit fere Latinus orator sine literis Græcis, & sine multo usu pervenire. Hujus orationes tantum argutiarum, tantum exemplorum, tantum urbanitatis habent, ut pene Attico stilo scriptæ esse videantur. Easdem argutias in tragœdias satis ille quidem acute, sed parum tragice transtulit. Quem studebat imitari L. Afranius poëta, homo perargutus, in fabulis quidem etiam, ut scitis, disertus.* Docet insignis hic Ciceronis locus non tantum quis fuerit, sed quo tempore vixerit, quod visuri sumus ad num. IV. ubi inquirendum quoque erit, quis fuerit ille Q. Titius, qui hos nummos signaverit.

Litera A.

Caput idem Bacchi sive Dionysi cum diademate alato.

Quintus TITI*us*. Pegasus, & in circuitu nummi IMP*erator* CAES*ar* TRAIAN*us* AVG*ustus* GER*manicus* DAC*icus* Pater Patri*æ* REST*ituit*.

Inter alia egregia antiquitatis & nobilium virorum monumenta, quæ restituit Trajanus, honos quoque C. Titio, poëtæ & oratori insigni, ut rarus hic nummus docet, fuit habitus.

Litera B.

Caput idem Bacchi sive Dionysi cum diademate alato.

Quintus TITI*us*. Cajus Titius, orator & poëta, in equo subsultante.

Perrarus hic est nummus, qui nobis exhibet ipsum poëtam C. Titium, quem equo vectum videmus, sive quod ipsi propter eloquentiam, ab equestri forte ordine, statua talis equestris fuerit posita; sive, quod dignitatem ejus voluerit exprimere aliquis ex ejus progenie, qui denarium hunc percussit. Vocatur certe apud Ciceronem l. c. *Eques Romanus C. Titius.* Utrum vero caput illud exiguum equitis plane sit simile capiti, quod in parte anteriori Baccho tribuimus, dijudicent quibus inspicere illum denarium aliquando dabitur. Forte aliquid sibi indulsit Morellius; nam eo tempore Romani non fuerunt barbati, ut ex Claudii Marcelli effigie patere potest.

Sed nova huic typo oriri posset interpretatio ex Frontini loco insigni in libro de Aquæductibus, quem ita citat Ann. tom. II. pag. 468. Pighius: *Anno ab urbe condita* DCVIII. *Ser. Sulpicio Galba & L. Aurelio Cotta consulibus, cum Appiæ Anienisque ductus vetustate quassati privatorum etiam fraudibus interciperentur, datum est a senatu negotium M. Titio, qui tum prætor inter cives & peregrinos jus dicebat, eorum ductuum reficiendorum & vindicandorum.* &c. Cogitari itaque hic posset de statua equestri Anci Marcii, in nummo expressa, & de M. Titio prætore, cujus curam circa aquam Marciam exstare in nummo suo voluerit ex posteris ejus aliquis Q. Titius. Verum neque Anci Marcii regis statua equestris ea esse potest, quum inberbis passim sit ejus regis facies etiam in statua equestri; neque M. Titius, ut prætor, aquam illam curavit, sed Q. Marcius Rex, ne-

que in MSS. ibidem Frontini *M. Titio* legitur, ſed *Marco* vel *Marcotio*. Unde proxime ad MSS. & ex auctoritate Plinii recte pro *M. Titio* reſtituit Marchio Polenus, in politiſſima ſua editione Frontini de Aquæductibus, *Marcio, qui tum prætor* &c. pag. 28.

II.

Caput deæ Liberæ, prout hedera & corymbi teſtantur, non vero Muſæ, ut quidam voluerunt.

Quintus TITI*us*. Pegaſus.

Dea Libera ſæpe cum Libero ſive Baccho ſociari ſolet, nulla itaque alia ratione in hoc denario ponitur, niſi propter Bacchum.

III.

Caput Victoriæ humero alato.

Quintus TITI*us*. Pegaſus, ut ſupra.

Typus hujus quinarii reſpicere poteſt & ad victorias, quas, carmine tragico decertans, retulerit poëta C. Titius; & ad victorias bellicas ducis iſtius cujus quæſtor fuerit Q. Titius, qui omnes hosce nummos ſignavit; vel denique ad numen illud Romanum ſuæ reipublicæ perpetuo propitium.

IV.

Caput quaſi Jani bifrontis barbatum.

Quintus TITI*us*. ROMA. Prora navis, ante quam apicula volitans cernitur.

De hoc aſſe adcuratius judicare ut poſſim, fecit fortuna, quæ mihi ſimilem poſſidendum obtulit. Eſt quidem aliquanto minor quam typus Morellianus (qui omnes quarta plerumque parte magnitudinem veram exſuperant) ſed admodum tenuis, ſic ut pertineat ad aſſes leviores ſemiuncialibus. Hinc docemur, quo tempore cuſus fuerit, una cum præcedente quinario & denariis reliquis, videlicet poſt A. V. C. DLXXV. quo ſucceſſerunt aſſes ſemiunciales in locum eorum qui unciam pendebant. Deinde confirmat rationem picturæ Morellianæ in vultu & barba, quæ nihil commune cum Jani habet effigie, ſed plane eadem eſt, quæ in argenteis Titii denariis obſervatur. Tandem crebriore conſpectu animadverti meum aſſem ſimiliter revinctum faſcia regali utrumque caput & ſimiliter alatum habere, ita ut alæ ad tempora ſibi invicem poſteriori ſua parte occurrant. Quæ omnia liquido oſtendunt, Bacchi ſive Dionyſi hic caput geminari, & Jani (qui ſolitus fuit aſſium typus) effigiem mutatam & detortam fuiſſe ad alterius dei, Bacchi videlicet, faciem. Quod mirum in deo videri non debet, quum homini ſimilis honos fuerit habitus. Vidimus enim ſimilem Janum, qui ab utraque parte Cnei Pompeji Magni habet faciem, ſupra in Fam. Pompeja tab. prima num. V. p. 334.

Sed neque apicula illa, quæ a parte proræ ſive navis eſt, otioſa credi debet. Indicat videlicet Caji Titii eloquentiam, cui dici poterat, quod dicit Theocritus Idyll. I. vſ. 146.

Πλῆρές τοι μέλιτος τὸ καλὸν στόμα Θύρσι γένοιτο
Πλῆρες δὲ σχαδόνων.
Utinam tibi melle plenum pulchrum os, Thyrſi, ſit,
Plenum & favis.

Cuique, velut Neſtori Homerico Iliad. I. vſ. 249.

Τοῦ καὶ ἀπὸ γλώσσης μέλιτος γλυκίων ῥέεν αὐδή.
Cujus etiam a lingua melle dulcior fluebat ſermo.

Atticam enim & nativam quidem, non ex imitatione, in Titio urbanitatem admiratus fuit Cicero.

De tempore, quo floruerit, jam videamus. Cicero ſubnectit illum C. Clodio & M. Herennio, qui in conſulatus petione L. Philippum ſuperavit, ita ut aliquanto fuerit iisdem poſterior; dicit enim, *Ejusdem fere temporis fuit eques Romanus C. Titius* &c. Conſul agnoſcitur M. Herennius cum C. Valerio Flacco A. V. C. DCLX. Videtur itaque C. Titius fuiſſe nepos C. Titii tribuni plebis A. V. C. DLXXXXVII. & prætoris DCIII. ut & filius forſitan C. Titii, præfecti equitum, de quo hæc ſcribit Val. Max. lib. II. cap. VII. ex. 9. *L. quoque Calpurnius Piſo conſul, cum in Sicilia bellum adverſus fugitivos gereret, & C. Titius, equitum præfectus, fugitivorum multitudine circumventus, arma cum ſuis tradidiſſet, his præfectum ignominiæ generibus adfecit. Juſſit cum toga laciniis abſciſſis amictum, diſcinctaque tunica indutum, nudis pedibus, a mane in noctem usque ad principia per omne tempus militiæ adeſſe; interdixit etiam convictum hominum, uſumque balnearum; turmasque equitum, quibus præfuerat, ademptis equis, in funditorum alas tranſcripſit.* Accidit hoc A. V. C. DCXX. Nullus vero Q. Titius in hiſtoria Romana occurrit præter illum, cujus Plutarchus mentionem facit ex Sullæ Commentariis libro X. ut viri non obſcuri inter Romanos cives, qui in Græcia negotiarentur. Hunc forſan ſecum ductum Sulla poſtea inter viginti quæſtores, quos fecit, conſtituit A. V. C. DCLXXIII. Certe alius eſſe videtur a M. Titio, qui proconſulis & conſulis deſignati, & præfecti claſſis titulum gerit in inſcriptione apud Manutium in Orthographia, in voce *negotium*, atque apud Urſinum. p. 266.

CIVES. ROMANI. QVI
MITYLENIS. NEGOTI
ANTVR
M. TITIO. L. F. PRO. COS
PRAEF. CLASSIS. COS
DESIGNATO. PATRONO
HONORIS. CAVSSA.

TITINIA.

Gens Titinia plebeja fuit, licet antiqua valde, quum jam medio tertii ſæculi tribuni plebis ex eadem exſtiterint. Sed & aliam fuiſſe patriciam ex Livio docuit Urſinus.

I.

Caput Romæ galeatum, poſt quod eſt nota XVI.

Caius TITINI*us*. Victoria in bigis, quarum læva manu tenet habenas, dextra equos flagro propellens.

Adſcripta nota numeralis XVI. nos docet, quo tempore cuſi ejusmodi denarii fuerint, videlicet bello Punico ſecundo, quum Q. Fabio Maximo dictatore, Annibale urgente, aſſes facti fuerunt unciales, placuitque denarium ſexdecim aſſibus permutari, ut ex Plinio notarunt antiquarii, & a nobis fuit demonſtratum ad ſimilem nummum gentis Juliæ num II. tab. primæ pag. 202. ubi do-

docuimus permansisse denario illud pretium, licet paucis denariis, illis scilicet qui hisce temporibus sunt cusi, nota illa pretii aucti XVI. inscripta fuerit.

Si igitur bello Punico secundo, urgente Annibale, cusus fuit hic denarius, signari non potuit a C. Titinio C. F. M. N. quem numerat inter tribunos plebis A. V. C. DXXXIV. Pighius, uno scilicet anno antequam cœpisset bellum Punicum secundum. Illi potius tribuendum censeo, qui tribunus plebis fuit una cum M. Titinio A. V. C. DLX. filio (ut videtur) dicti C. Titinii.

Victoria in bigis, vel simpliciter bonam victoriæ spem, unde hi nummi victoriati dicti, designat, vel notat reversum jam post Cannensem cladem aliasque propitiam illam civitati suæ deam. Fuerunt vero ante tribunatum C. Titinii plures victoriæ relatæ a Romanis, quarum una a C. Titinio, seu ut triumviro monetali, seu quæstore provinciali, in his denariis expressa fuit.

II.

Caput Jani bifrontis barbatum & laureatum, cum assis nota.

Marcus TITINI*us*. ROMA. Prora navis cum assis nota.

Sicuti uno eodemque anno tribuni plebis exstiterunt C. & M. Titinii, quos fratres, vel fratrum filios fuisse existimare possumus, sic simul videntur fuisse triumviri monetales; assis enim hujus pondus sextantiarum esse videtur. ROMA adscribitur, quæ vox in Caji Titinii denario abest, quia forte credidit sufficere illud decretum senatus Romani per notam XVI. adpositum, ut inde collegerentur denarii in urbe cusi. Certe non semper ROMA adscribitur in denariis Romæ cusis, ut patere potest ex plurimarum familiarum denariis, qui, ab uno eodemque triumviro monetali cusi, partim adscriptum illud urbis nomen adponunt, partim omittunt.

T I T U R I A.

Gentem Tituriam, utrum patriciarum ac plebejarum in numero reponere debeant, nescire se antiquarii fatentur. Cognomen Sabini originem illius & antiquitatem docet.

I.

SABIN*us*. *Argento* PV*blico*. vel *Auctoritate* PV*blica*. Caput regis Tatii Sabini nudum.

Lucius TITVRI*us*. Tarpeja virgo a Sabinis scutis obruta.

Defectus historiæ Romanæ cogit nos ignorare, quisnam ille Lucius Titurius Sabinus fuerit, & quo in loco versatus sit in republica. Ex Sabinis eum traxisse originem cognomen ostendit, unde regis Sabinorum Tatii facies in nummo cernitur, & Sabinorum scutis obruta Tarpeja virgo. Literæ A. PV. & auctoritate publica cusam hanc monetam fuisse innuere possunt, & argento publico, sive manubiali, quod ultimum non displicet; nam, quum in tot denariis nusquam Romæ adpareat inscriptio, omnes illi in provincia cusi videntur, sub legato, cujus quæstor fuerit ille Lucius Titurius Sabinus.

Litera A.

SABIN*us*. Caput regis Tatii Sabini idem. Ante illud palmæ ramus est.

Lucius TITVRI*us*. Virgo Tarpeja Sabinorum scutis obruta.

Palmæ ramus vel ipsius Tatii Sabini regis victoriam, proditione Tarpejæ virginis adquisitam, respicere potest, vel potius legati ejus, cujus quæstor fuit iste L. Titurius. Victoriam enim nobilem ab eodem obtentam fuisse docent tot denarii num. IV. &c. cum Victoriæ typo cusi, atque tot nummi ex manubiali argento, sive publico, signati.

Litera B.

SABIN*us*. Caput idem regis Tatii Sabini.

Lucius TITVRI*us*. Sabinorum scutis obruta virgo Tarpeja. Desuper illam stella cernitur in luna crescente.

Non est superflua in multis denariis illa stellæ & lunæ pictura; docet enim tempus, quo capta Tarpejæ proditione arx a Sabinis fuit, nocte videlicet, cujus symbolum luna & stellæ sunt. Noctu enim negotium esse peractum nos docet Dionys. Halicarn. lib. II. pag. 105. Πέμψασα δή τινα τῶν θεραπαινίδων διὰ πυλίδος, ἣν οὐδεὶς ἔμαθεν ἀνοιγομένην, ἠξίου τὸν βασιλέα τῶν Σαβίνων ἐλθεῖν αὐτῇ δίχα τῶν ἄλλων εἰς λόγους, ὡς ἐκείνῳ διαλεξομένη περὶ πράγματος ἀναγκαίου καὶ μεγάλου. δεξαμένου δὲ τοῦ Τατίου τὸν λόγον κατ᾽ ἐλπίδα προδοσίας, καὶ συνελθόντος εἰς τὸν ἀποδειχθέντα τόπον, προελθοῦσα ὡς ἐφικτὸν ἡ παρθένος, ἐξεληλυθέναι μὲν νυκτὸς ἐκ τοῦ φρουρίου τὸν πατέρα αὐτῆς ἔφη χρείας τινὸς ἕνεκα, τὰς δὲ κλεῖς αὐτὴ φυλάττειν τῶν πυλῶν, καὶ παραδώσειν αὐτοῖς τὸ ἔρυμα νυκτὸς ἀφικομένοις. μισθὸν δὲ τῆς προδοσίας λαβοῦσα τὰ φορήματα τῶν Σαβίνων, ἃ περὶ τοῖς εὐωνύμοις εἶχον ἅπαντες βραχίοσιν. εὐδοκοῦντος δὲ τοῦ Τατίου, λαβοῦσα τὰς πίστεις δι᾽ ὅρκων παρ᾽ αὐτοῦ, καὶ αὐτὴ δοῦσα, τοῦ μὴ ψεύδεσθαι τὰς ὁμολογίας, τόπον τε ὁρίσασα ἐφ᾽ ὃν ἔδει τοὺς Σαβίνους ἐλθεῖν τῶν ὀχυρωτάτων, καὶ νυκτὸς ὥραν τὴν ἀφυλακτοτάτην, ἀπῄει, καὶ τοὺς ἔνδον ἔλαθε. *Ergo ancilla per occultum posticulum emissa, petit a rege Sabinorum ut sine arbitris in colloquium suum veniat, auditurus de seriis negotiis & necessariis. cumque Tatius spe proditionis arripuisset oblatam occasionem, & in condictum locum venisset, virgo quam potuit* latentissime *progressa, ait patrem suum noctu ex arce negotii cujusdam caussa profectum, portarum claves sibi adservandas reliquisse: paratamque se munimentum noctu venientibus tradere, mercede proditionis accepta quod cuncti Sabini gestarent sinistris brachiis. Quod ubi probatum est Tatio, pactorum fide cum sacramento data vicissim & accepta, locoque Sabinis munitissimo præfinito, & nocturna veniendi hora, qua putabat remissiores fieri excubias, clam in arcem revertitur* Ut vero peracta noctu fuit proditio, sic arx quoque nocte fuit occupata. Narrat enim in sequentibus consilium Tarpejæ, ut hostes exarmatos oppirimeret. Πίσων γὰρ ὁ τιμητικός, οὗ καὶ πρότερον ἐμνήσθην, ἄγγελόν φησιν ὑπὸ τῆς Ταρπείας ἀποσταλῆναι νύκτωρ ἐκ τοῦ χωρίου, δηλώσοντα τῷ Ῥωμύλῳ τὰς γενομένας τῇ κόρῃ πρὸς Σαβίνους ὁμολογίας, ὅτι μέλλοι τὰ σκεπαστήρια αὐτῶν αἰτεῖν ὅπλα, διὰ τὸ κοινότερον τῶν ὁμολογιῶν παρακρουσαμένη, δύναμίν τε ἀξιώσοντα πέμπειν ἐπὶ τὸ φρούριον ἑτέραν νυκτός, ὡς αὐτῷ στρατηλάτῃ παραληψόμενον τοὺς πολεμίους γυμνοὺς τῶν ὅπλων· τὸν δὲ ἄγγελον αὐτομολήσαντα πρὸς τὸν βασιλέα Σαβίνων, κατήγορον γενέσθαι τῶν τῆς Ταρπείας βουλευμάτων. *Piso censorius, cujus supra memini, nuntium narrat a Tarpeja noctu ex arce missum Romulo indicaturum quid puella, cum Sabinis pacta esset, & quod a deceptis conditionum ambiguo, petitura esset arma quibus se protegerent, proinde mitteret noctu in arcem ma-*

manum aliam, hostes exarmatos cum suo duce oppressuram facile. eum nuntium transfugisse ad regem Sabinorum, & detulisse Tarpejæ consilia.

Litera C.

SABIN*us*. *Argento* PV*blico*. Caput idem Tatii Sabini regis, adest palmæ ramus.
Lucius TITVRI*us*. Tarpeja virgo Sabinorum scutis obruta. Supra caput ejusdem est stella in luna crescente.

Similis præcedenti est, exceptis literis, quæ denarios ex argento publico signatos esse docent.

II.

SABIN*us*. *Argento* PV*blico*. Caput idem regis Tatii Sabini cum palmæ ramo.
Lucius TITVRI*us*. Raptus Sabinarum.

Typus hic signatur ad originem ex Sabinis significandam.

Litera D.

SABIN*us*. *Argento* PV*blico*. Caput regis Tatii Sabini, ut supra.
Lucius TITVRI*us*. Idem Sabinarum raptus.

Literæ A. PV. in quibusdam omittuntur, licet hi omnes denarii ex argento publico signati videantur, in hoc vero exstant.

III.

TA*tius* SABIN*us*. Caput idem regis Tatii Sabini.
Lucius TITVRI*us*. Sabinarum raptus.

Adpositum Tatii nomen per literam T. literæ A. superpositam, quæ nominis ejus initiales sunt, hunc a reliquis distinguit.

Litera E.

SABIN*us*. Caput idem regis Tatii Sabini, palmæ ramus adest.
Lucius TITVRI*us*. Sabinarum raptus.

Pictura hujus raptus similis est in nummis num. III. & lit. E. a quibus paullulum discrepat in nummis II. & lit. D. qui itidem inter se sunt similes.

IV.

SABIN*us*. Caput idem regis Tatii Sabini.
Lucius TITVRI*us*. Victoria in citis bigis, dextra coronam præferens, læva tenens equorum habenas. In infima nummi area cernitur galea.

In omnibus suis denariis Lucius Titurius cognomen suum ad caput regis Tatii Sabini posuit, ita adludens ad ejusdem regis adpellationem. Galea monetarii est signum; in aliis sunt tridens, fulmen, vel literæ alphabeticæ, aut notæ numerales. Victoria hæc proculdubio obtenta fuit ab illo legato, vel duce, cujus quæstor Lucius Titurius Sabinus exstitit.

Litera F.

SABIN*us*. Caput idem regis Tatii Sabini.
Lucius TITVRI*us*. Victoria similis in bigis. Subtus est litera alphabetica A.

Litera A. nota monetarii est, pro qua in aliis, qui sine numero vel nota sequuntur, observantur literæ Π & B. H. V. notæ numerales XV. XVII. XVIII. XXVIII. quæ spectare ad matrices videntur; ut & tridens, navis, fulmen, caput arietis, spica, aratrum, fax, lagena, &c.

V.

Caput Jani bifrontis laureatum, & palis sive vallis, ut in quibusdam aliis vidimus, ornatum.
Lucius TITVRI*us*. ROMA. Prora navis.

De Saturno hæc habet Tertullianus in Apolog. cap. X. pag. 112. *Si, quantum rerum argumenta, nusquam invenio fideliora, quam apud ipsam Italiam, in qua Saturnus, post multas expeditiones, postque Attica hospitia, consedit, exceptus ab Jano, vel Jane, ut Salii volunt. Mons quem incoluerat, Saturnius dictus: civitas, quam depalaverat, Saturnia usque nunc est.* Fuit vero Saturnus in partem regni a Jano receptus, qui ab eo multa ad rempublicam bene instituendam dedicisse fertur. Primo enim Macrobius lib. Saturn. I. cap. VII. hanc reddidit rationem cur bifrons (ut in nummis quoque nostris) pingatur Janus: *Post ad Janum solum regnum redactum est; qui creditur geminam faciem prætulisse, ut, quæ ante quæque post tergum essent intueretur. quod proculdubio ad prudentiam regis sollertiamque referendum est, qui & præterita nosset & futura prospiceret, sicut Antevorta & Postvorta divinitatis scilicet aptissimæ comites apud Romanos coluntur.* Deinde docet, quænam didicerit a Saturno, inter quæ oppida condere, sive (ut Tertullianus loquitur) depalare, unum ex ejusdem inventis fuit. Pergit enim ita Macrobius: *Hic igitur Janus, cum Saturnum classe pervectum excepisset hospitio, &, ab eo edoctus peritiam ruris, ferum illum & rudem ante fruges cognitas victum in melius redegisset, regni eum societate muneravit. cum primus quoque æra signaret; servavit & in hoc Saturni reverentiam, ut, quoniam ille navi fuerat advectus, ex una quidem parte sui capitis effigies, ex altera vero navis exprimeretur; quo Saturni memoriam in posteros propagaret. ita fuisse signatum hodieque intelligitur in aleæ lusu: cum pueri denarios in sublime jactantes, capita aut navim, lusu teste vetustatis exclamant. Hos una concordesque regnasse vicinaque oppida communi opera condidisse, præter Maronem, qui refert,*

Janiculum huic, illi fuerat Saturnia nomen:

etiam illud in promptu est, quod posteri quoque duos eis continuos menses dicarunt; ut December sacrum Saturni, Januarius alterius vocabulum possideret. Ad quas civitatum munitiones respicit idem Macrobius libro Saturn. I. cap. 9. referens religione plus etiam quam propugnaculis eas munivisse. *Mythici* (inquit) *referunt regnante Jano omnium domos religione ac sanctitate fuisse munitas: idcircoque ei divinos honores esse decretos, & ob merita introitus & exitus ædium eidem consecratos.* Recte itaque Jani caput vallis cingitur, quæ antiquissima muniendi fuit ratio.

Quis

Quis autem fit L. Titurius, qui hunc percusserit nummum, tacentibus historicis, erui nequit. Puto tamen alium esse a L. Titurio Sabino, qui denarios præcedentes signavit, alium quoque ab illo, qui sequentem assem cudit, ille enim Lucii filium se adpellat, & Sabini insuper cognomen adponit; quæ duo quum in hoc asse desint, aliquanto antiquiorem eundem judico.

Litera G.

Caput Jani bifrontis laureatum cum erecta assis nota, more solito, inter tempora.

Lucius TITVRI*us Lucii Filius* SABINVS. Prora navis, in cujus trabe eminente inter proram rostrumque Victoria cum palma & corolla cernitur.

Hunc L. Titurium Sabinum, qui Lucii filium sese scribit, opinor fuisse filium L. Titurii prioris; asses enim hi duo ejusdem sunt magnitudinis & ponderis, non quidem uncialis, ut perperam scribit Vaillantius, sed semiuncialis, ut recte docet Liebeus in Gotha Nummaria pag. 401. atque probant duo nummi, quos ipse in museo meo servo. Ex quibus itidem cum Liebeo meo patet L. Titurium Lucii filium inscribi, & victoriam sub prora in nummis exstare.

Hinc docemur, viguisse in republica Romana patrem L. Titurium & filium L. Titurium Sabinum, post A. V. C. DLXXV. quo uncialibus assibus successerunt semiunciales. Docemur quoque, eo tempore, quo filius L. Titurius Sabinus vel quæstor vel triumvir monetalis exstitit, victoriam navalem aliquam a Romanis reportatam fuisse. Plus nummi sine scriptoribus dare nequeunt.

VI.

Caput Jovis Capitolini laureatum; post illud litera est K.

Publius SABINVS *Quæstor.* Victoria coronans tropæum. Post illud eadem litera alphabetica cernitur.

Nullus nobis in Historia Romana Publius Titurius Sabinus occurrit præter illum, qui Cæsaris legatus fuit in Galliis, & ibidem cæsus est. Meminerunt ejus Florus & ipse Cæsar. Flor. lib. III. cap. 10. *Cottam cum Titurio Sabino legatos ibi amisimus.* Cæsar vero pluribus illorum casum & interitum describit de Bello Gallico lib. V. cap. XXVIII. & seqq. ubi a D. Vossio nummus adfertur, quasi designans concordiam Cottæ & Titurii eorumque reconciliationem, quem fictum arbitror, interpretatio certe ejus prorsus inepta est. Perierunt enim ibi duo illi legati, neque una illa nocte cusus nummus fuit, neque causa exstitit, cur postea signaretur. Quinti prænomen Titurio Cæsar dat ibidem cap. XXVII. *Mittitur ad eos colloquendi caussa C. Arpinius, eques Romanus, familiaris Quinti Titurii.*

Utrum vero hic Q. Titurius Sabinus hosce quinarios signaverit, incertum est. Facere id ut legatus non potuit: an vero antea quæstor fuerit, & ubi locorum, non constat. Ad vetustiorem Titurium referri debere judicat Vaillantius, illum scilicet, cujus meminit Cicero Orat. pro Fontejo cap. V. *Itaque Titurium Tolosæ quaternos denarios in singulas vini amphoras portorii nomine exegisse.* Hunc putat Publii prænomen habuisse, & antequam in Galliam ulteriorem prætor iret; quæstorem exstitisse.

Litera H.

Similis præcedenti, sed ab utraque parte est litera alphabetica A.

Litera H. I. K. L.

Similes, sed literæ alphabeticæ notæve matricum in his ab utraque parte sunt. C. E. X.

TREBANIA.

Gentem Trebaniam plebejam fuisse judicant antiquarii, atque eandem fuisse quæ Trebatia, pronunciatione unaque litera tantum immutata.

I.

Caput Romæ galeatum; post illud denarii nota est.

Lucius TREBANI*us.* ROMA. Jupiter, stans in citis quadrigis, dextra fulmen gerit, læva sceptrum & equorum habenas.

Ubi omnes silent historici, nomen apud illos incognitum sæpe proferunt nummi, verum destituunt nos in rebus gestis eorundem & reliqua historia. Hoc fatum quoque Lucii Trebanii est, cujus quatuor hic quidem cernuntur nummi, denarius argenteus unus, tres vero æerei nummi diversi ponderis, verum omnis notitia reliqua tenebris sepulta jacet.

II.

Caput Minervæ galeatum cum quatuor globulis, qui trientis pretium indicant.

Lucius TREBANI*us.* ROMA. Prora navis, adest eadem trientis nota.

Minervæ caput in minori moneta sæpe signarunt Romani post assem imminutum. Habeo tamen ipse vetustissimum & magnæ molis nummum cum hujus deæ typo, Romæ quidem cusum, sed nullo familiæ nomine addito.

III.

Caput Herculis inberbis in leonis exuviis; post illud tres globuli sunt, unciam, seu quartam assis partem indicantes.

Lucius TREBANI*us.* ROMA. Prora navis cum tribus itidem globulis.

IV.

Caput Jovis Capitolini laureatum cum semissis nota.

Lucius TREBANI*us.* ROMA. Prora navis cum semissis nota.

Patet ex his quæstorem urbanum fuisse hunc L. Trebanium vel triumvirum monetalem.

T V L L I A.

Gens Tullia patricia fuit & plebeja, cognominibus variis diſtincta. Inter plebejos fuerunt Deculæ & Cicerones, quorum adhuc memoria in nummis exſtat.

I.

ROMA. Caput Romæ galeatum.

Marcus TVLL*Ius.* Victoria, ſtans in citis quadrigis, dextra tenet parazonium, læva longam palmam & equorum habenas. Præterea in area nummi ſupra equos corolla conſpicitur, infra eosdem denarii nota.

Celebre M. Tullii Ciceronis nomen fecit, ut multi hunc denarium Romanæ eloquentiæ parenti adſcriberent. Movit illos honor Ciceroni habitus propter res in Cilicia feliciter geſtas A. V. C. DCCII. Servio Sulpicio & Marco Marcello conſulibus, ſic ut inde imperatoris titulum reportaverit, & triumphus atque ſupplicationes abſenti decretæ fuerint, prout ipſe teſtatur in epiſtolis ad Atticum lib. V. epiſt. 20. ad M. Cœlium Rufum ad Fam. lib. II. ep. 10. & ad Catonem, lib. XV. ep. 4. Verum alii vetuſtiorem judicarunt denarium, neque poſſe ad M. Tullium Ciceronem pertinere. Et recte, meo judicio. Nam, præter vetuſtiorem ejus formam, accedit, quod in urbe cuſus fuerit denarius. Si vero ad Ciceronem & ejus res geſtas in Cilicia ſpectaret, cum nomine M. Tullii, ut imperatoris, cuſus fuiſſet, eo enim nomine a militibus ſuis ſalutatus fuit, ut patet ex adducta ad M. Cælium Rufum epiſtola, in qua ita ſcribit Cicero: *Nam Parthico bello nunciato, locorum quibusdam anguſtiis, & natura montium fretus, ad Amanum exercitum adduxi, ſatis probe ornatum auxiliis, & quadam auctoritate apud eos, qui me non norant, nominis noſtri. Multum eſt enim in his locis, Hiccine eſt ille, qui urbem? quem ſenatus? noſti cætera. Cum veniſſem ad Amanum, qui mons mihi cum Bibulo communis eſt, diviſus aquarum divortiis: Caſſius noſter, quod mihi magnæ voluptati fuit, feliciter ab Antiochia hoſtem rejecerat. Bibulus provinciam acceperat. Interea cum meis copiis omnibus vexavi Amanienſeis, hoſteis ſempiternos. multi occiſi, capti: reliqui diſſipati: caſtella munita improviſo adventu capta & incenſa. Ita victoria juſta imperator appellatus apud Iſſum (quo in loco ſæpe, ut ex te audivi, Clitarchus tibi narravit, Darium ab Alexandro eſſe ſuperatum) abduxi exercitum ad infeſtiſſimam Ciliciæ partem. Ibi quinctum, & vigeſimum jam diem aggeribus, vineis, turribus oppugnabam oppidum munitiſſimum Pindeniſſum, tantis operibus, tantoque negotio, ut mihi ad ſummam gloriam nihil deſit, niſi nomen oppidi: quod ſi, ut ſpero, cepero: tum vero litteras publice mittam.* Quod ſi vel omiſſus fuiſſet imperatoris titulus, tamen adſcribi vox ROMA non potuit, quæ teſtatur in urbe cuſum nummum fuiſſe. Sed nec in urbe cudi potuit in gratiam Ciceronis ejusque victoriam; quoniam tum non fuiſſet M. Tullii nomen adſcriptum, ſed alterius, qui eo anno triumvir monetalis exſtitiſſet.

Referendus itaque ad alium M. Tullium videtur hic denarius. Inter illos vero, qui Cicerone ſunt antiquiores, duo M. Tullii inveniuntur, M. Decula pater & filius. Filius conſul fuit A. V. C. DCLXXII. & inſcribitur in Faſtis M. Tullius M. F. A. N. Decula. Putat igitur Vaillantius pertinere ad patrem, ut antiquiorem, quem quæſtorem provincialem poni cernimus apud Pighium A. V. C. DCXXIV. & tribunum plebis A. V. C. DCXXIX. exiſtimatque idem Vaillantius in quæſtura provinciali cuſum fuiſſe denarium ab illo M. Tullio Decula patre, & victoriam coronamque nummo inſculptam ſpectare ad victum a M. Aquilio, ſeu potius M. Perperna, conſule Ariſtonicum, resque ejusdem conſulis in Aſia præclare geſtas. Cui ſententiæ obſtat Romæ cuſus denarius a triumviro monetali, ut videtur, ſeu, ſi malis, quæſtore urbano, non provinciali.

Vix autem determinari poſſe videtur, utrum ad M. Tullium Deculam patrem, an vero ad filium, referendus ſit denarius, quum uterque Marci habuerit prænomen, uterque triumviratum monetalem, vel quæſturam urbanam, initium honorum habuiſſe videatur, & multæ populi Romani victoriæ exſtiterint. Victoriæ tamen de Ariſtonico, ut inſigni & memorabili, repugnare nolo, modo ſtatuatur tum M. Tullius Decula pater triumvir monetalis vel quæſtor urbanus fuiſſe, non provincialis.

II.

Anguis e ciſta Bacchica prorumpens, in corona hederacea cum corymbis.

Marcus TVLL*ius* IMP*erator.* ΛΑΒΑΣ ΠΥΡΡΟΥ. ΛΑΟ*δικέων.* *Labas Pyrrhi filius. Laodicenſium.* Angues duo erecti pharetram cum arcu ſpiris circumplectuntur caudis invicem inplicitis, ab altero latere Laodiceæ monogramma eſt, ab altero caduceus.

Præclarum hoc numiſma, ex illorum numiſmatum genere, quod apud antiquos ciſtophororum nomen a typo ſuo habebat, M. Tullii Ciceronis nomen & res geſtas æternitati conſecravit. Quod quoniam primus edidit in Selectis ſuis pag. 82. Seguinus, & doctiſſimo commentariolo illuſtravit, ut is hic quoque ſpectetur operæ pretium judicavi. „ Nummus (inquit) M. Tullio M. F. Ciceroni tribuendus eſt, qui duodecim circiter annis, poſt celebrem illum conſulatum, quo Romam à conjuratione Catilinæ liberavit, in adminiſtratione Ciliciæ Appio ſucceſſit, A. V. C. DCCII. Pauca item de rebus a Cicerone geſtis nota nobis eſſent, niſi quædam nos ipſe in ſuis ad Atticum & aliis epiſtolis docuiſſet; quæque ideo hîc minime omittenda cenſui. Quod enim Laodicenſes Proconſulis nomen numiſmatibus ſuis inſcripſerint, vel ob rerum iſtarum claritatem factum eſt, vel quod pacis artes eorum in urbe diutius exercuerit. *Nos Aſia*, inquit ille lib. 6. Epiſt. ad Attic. *accepit mirabiliter, adventus noſter ne minimo quidem ſumptui fuit; levantur miſeræ civitates, quod nullus fit ſumptus in nos. Incredibilem in modum concurſus fiunt ex agris & vicis, ex domibus omnibus. Mehercule etiam adventu noſtro reviviſcunt juſtitia, abſtinentia, clementia tui Ciceronis.* Hæc M. Tullius; cui non ita bene cum deceſſore tunc conveniebat. Nam præterquam quod parum amici, immo inviſi, a ſe invicem diſceſſerunt, ut Romam venit Appius, conqueſtus eſt quod Cicero ædificationem cujusdam monumenti, quod provinciales in honorem ipſius conſtruere decreverant, impediret, aut ſaltem non promoveret; atque etiam legatos, Romam ituros ad laudandum Appium, detineret. Interim Cicero, rebus ſtatim ordinatis ac compoſitis in clariſſimis provinciæ ſuæ urbibus Laodicea, Apamea, Synnadis, Philomelo, Iconio, & luſtrato exercitu, ad Cybiſtra Cappadociæ pervenit; ubi dum caſtra ha-

„ ber,

„ bet, Cappadociæ regem Ariobarzanem, opem suam implorantem, & sibi a senatu commendatum, præsentibus & gravibus insidiis impetitum, consilio & autoritate sua liberavit. Inde in Ciliciam contendit ad Amanum montem, qui Syriam a Cilicia dividit, cujus incolæ rebus Parthicis favebant. Hic ad III. Id. Octob. magnum hostium numerum cecidit, plures urbes & castella cepit, aut incendit: quibus rebus gestis, IMPERATOR adpellatus est, VICTORIA JUSTA, ut ipse lib. 2. ep. 10. ad Cœlium Rufum scribit. Certum enim hostium numerum esse oportuit, quo cæso dux exercitus Imperatoris nomen consequeretur: quamvis ea consuetudine paulatim depravata, multi, paucis hostium cæsis, imperatores adpellati sint. Tandem Pindenisso Eleutherocilicum oppido primario, LVII. dierum gravi obsidione capto, exercitum in hyberna dimisit per Quinctum fratrem.

„ Ipse, Epist. 2. lib. 6. ad Atticum, æstivis confectis, Tharso Laodiceam se contulit, ibique forum egit ex Id. Feb. ad Kal. Maias, omnium diœceseon, præterquam Ciliciæ. De hoc foro etiam ad Atticum his verbis Ep. ult. lib. 5. *Id. Feb. forum institueram agere Laodiceæ Cybiraticum, & Apameense: ex Id. Mar. ibidem Synnadense, Pamphylium.* Quod ut clarius intelligatur, sciendum, sub imperio Ciliciensi Ciceronis plures fuisse provincias, nempe Ciliciam ipsam, ex qua tota administratio nomen accipiebat; Pamphyliam, Lycaoniam, & Phrygiæ majoris partem ultra Mæandrum; deinde (Epist. 67. lib. 13.) tres diœceses, quas Asiaticas vocat. nempe Laodiceam, Cybiram, Apameam, quas Appius quoque rexerat extra ordinem, quippe quæ ad Asiæ proconsulem antea pertinebant. Quin & Cyprus insula, post legem Clodiam Pisone & Gabinio Coss. latam, a Lentulo simul cum Cilicia est administrata: item ab Appio & Cicerone, ut late patet ex epistolis ad Atticum ult. lib. 5. & prioribus lib. 6.

„ Earum omnium provinciarum seu diœceseon, prima procos. Romæ advenienti occurrebat LAODICEA, caput unius Asiaticæ diœcesis, quam Cicero maximam appellat Ep. 20. lib. 5. Ad ipsam primo accesserat prid. Kal. Sextiles, provinciam ingrediens. LAODICEAM rediit ineunte mense Feb. ibique mansit usque ad Id. Majas: ibi jus dicebat, & forum agebat omnium diœceseon. Denique ad LAODICEAM rationes confectas administrationis suæ deposuit. Ex quibus omnibus prærogativis concludere possumus, Græcas hasce litteras ΛΑ°. in nummis signatas, poni pro integro verbo ΛΑΟΔΙΚΕΩΝ, & exprimere LAODICEAM urbem, in qua cusi fuerunt. Ad Lycum fluvium sita erat, & a Seleuco Nicatore cum Apamea condita. Et Apamea quidem de nomine uxoris; LAODICEA vero de nomine matris Laodices appellata. Strabo lib. 12. eas vocat Phrygiarum urbium maximas. Quis ergo miretur, fuisse LAODICEÆ cudendæ monetæ officinam? Angues illi, pharetram & arcum amplectentes, ad Herculis arma a quibusdam referuntur in similibus nummis, vel ad serpentes, quos elisit. Sed commodius est, opinor, Asiæ symbolum interpretari. In nummis M.Antonii, cui Asiæ regimen obtigerat, post pugnam Philippensem duo similes angues insculpti sunt, ut videre est apud Ursinum in familia Antonia, numm. VIII. & X. Sed quod omnem dubitationem tollere videtur, in manibus Antiquariorum versatur quinarius argenteus Augusti, ejusdem typi, & cum inscriptione, ASIA RECEPTA, ab Augusto post Antonium devictum cusus. Equidem apud veteres, ejusmodi serpentes potentiam, ubertatem & genios provinciarum innuere dicuntur, ut notat illustris noster Tristanus in fine tomi primi, & annotamus in Epist. ad Excellentiss. COLBERTUM. Caduceo pax & felicitas designantur. Sed cista illa, ex qua exilit serpens, in medio coronæ ex hederæ baccis & foliis contextæ, quæ visitur in altera parte numismatum, ad Bacchum pertinet: vel quod vini ferax fuerit ditio Laodicensis; vel quod inter præcipuos urbis tutelares cultus fuerit Liber Pater. In ejus enim orgiis ejusmodi cista ferebatur, quæ arcana ipsius mysteria continebat. Serpentes etiam gestabant Bacchantes; unde Catullus,

„ *Pars sese tortis serpentibus incingebat,*
„ *Pars obscura cavis celebrabant orgia cistis;*
„ *Orgia, quæ frustra cupiunt audire profani.*

„ Apollonii & aliorum nomina, sunt Magistratuum Græcorum, qui LAODICEÆ & in aliis civitatibus αὐτονόμοις, hoc est legibus suis utentibus, erant Prætorum loco, & vocantur στρατηγοὶ ut plurimum in nummis, aliquando etiam ἡγεμόνες. De his vel similibus conqueritur Cicero ad Atticum Epist. 2. lib. 6. his verbis, quæ huic commentatiunculæ finem imponent: *Mira erant in civitatibus ipsorum furta Græcorum, quæ Magistratus sui fecerant. Quæsivi ipse de iis, qui annis decem proximis magistratum gesserant: aperte fatebantur. Itaque sine ulla ignominia suis humeris pecuniam populis retulerunt.*"

III.

ΕΠΙ Μάρκυ ΤΥΛΛΙυ. *Sub Marco Tullio.* Caput Cereris velatum, ante quod duæ spicæ adparent.

ΤΗΜΕΝΟΘΥΡΕΩΝ. *Temenothyritarum.* Diana Ephesina cum verubus.

Et hunc nummum primus vulgavit idem Seguinus, atque in eo legit ΤΡΙΜΕΝΟΘΥΡΕΩΝ, crediditque ad Tullium Cimbrum pertinere. Quæ vero ad illustrationem ejusdem protulit, hæc sunt, excerpta ex Select. ejusdem pag. 87. „ Postulare videtur, si nulla alia, certe nominis ipsius affinitas, ut M. Tullii nummo æreo locum hîc tribuamus. Habet in anteriori parte caput muliebre velatum, cum duplici spica frumentaria ad pectus, & inscribitur, ΕΠΙ Μ. ΤΥΛΛΙ. *sub M. Tullio.* In aversa stat Dianæ Ephesiæ simulacrum, cum verbo, ΤΡΙΜΕΝΟΤΥΡΕΩΝ, *Trimenothurensium.*

„ Nummum istum elegantissimum dono accepi Romæ ab erudito & solertissimo rerum antiquarum indagatore Francisco Camelio, quem serenissima regina Christina, pro sua in bonas artes & earum studiosos propensione, nedum oratorii sacris & suæ bibliothecæ præfecit; sed etiam in promovendo & adornando veterum suorum numismatum studio vere regio illustrissimi Francisci Gottifredi, nunquam satis deflendi, vices suscipere & reparare merito jussit.

„ Hunc nummum ad præcedentem M. Tullii Ciceronis familiam referendum, locus in quo cusus est, suadebat: siquidem TRIMENO-

„ THU-

„ THURITÆ limitanei erant Phrygiæ majoris ultra Mæandrum, quæ, ut ſupra annotavimus, in adminiſtratione Ciliciensi addicta erat Ciceroni. Sed cum imperatoris nomen, quod Ciceroniano nummo adſcribitur, deſit in iſto, monumentum ſingulare crediderim illuſtris alterius Tullii, cujus nomen in nummis rarum, nempe TVLLII CIMBRI, qui inter præcipuos dictatoris percuſſores numeratur. Etenim Trimenothuritæ, apud quos cuſus eſt, inter Phrygiam majorem & Bithyniam ſiti ſunt; at Bithyniæ viciniores. Conſtat autem ex Appiano lib. IV. Bell. Civ. & aliis, TULLIUM CIMBRVM, interfecto Cæſare, in Bithyniam, ut eam regeret, properaſſe. Quin & Brutum ipſum ac Caſſium, ob Antonii & junioris Cæſaris potentiam, Roma decedere coactos, uno eodemque momento ad Trebonium in Aſiam, & ad Cimbrum in Bithyniam ſcripſiſſe, ut militum delectum agerent, & pecunias colligerent, autor eſt idem Appianus.

„ Igitur TRIMENOTHURITAS ratione viciniæ ſub adminiſtratione Bithynica Cimbri fuiſſe, & ejus nomine nummos cudiſſe, facile adducor ut credam: quemadmodum in aliis Aſiæ provinciis, a Cæſaris percuſſoribus occupatis, ſignatam eorum nominibus pecuniam, patet ex familiæ Caſſiæ, Juniæ, Serviliæ, & aliarum nummis, quos deſcripſit Goltzius in percuſſoribus Cæſaris, & præ manibus habemus.

„ Neque vero faceſſere cuiquam negotium debet nominis ſcriptura: quanquam enim Τύλλιον nonnulli ſcribant, ut Dio; plures tamen cum nummo noſtro, Τύλλιον, ut Appianus, & Plutarchus in Cicerone, Cæſare, & Bruto. Attilium Cimbrum qui prius vocitarunt ex eodem revincuntur nummo: & mendum certe in Græcis Appiani verbis animadvertit dudum Latinus interpres: ubi enim librariorum vitio Græce legitur Ἀτίλιος, ipſe Latine Tullium reddidit. Idem Tullii Cimbri nomen apud Senecam multis in locis, & apud Suetonium in Julio legitur. Quem in Suetonii locum Caſaubonus: *Tullius*, inquit, *adpellatur in omnibus auctorum Latinorum codicibus, & Græcorum nonnullorum.* In hoc Caſaubonus peccavit, quod Lucium Tullium adpellaverit, cum Marcum debuiſſet, ut ex nummo conſtat; immo & ex Plutarcho, apud quem cum Μέτελλος Κίμβρος mendoſe vocetur, nemo non videt ſcriptum eſſe Μέτιλλος pro M. Τύλλιος: adeo in depravata voce veſtigium & argumentum veri nominis relictum eſt.

„ Ex his porro conſtat, quæ ſit habenda fides nummo argenteo Attilii Cimbri, quem vir eruditus in lucem edidit, repugnantibus amicis, qui ejus nummo ſæpius novæ fabricæ notam inuſſerunt.

Seguini errorem, Tullio Cimbro hunc nummum tribuentis, caſtigavit jam Vaillantius, & docuit pertinere ad M. Tullium Ciceronem. Ad ejus enim provinciam & imperium pertinuerunt quoque Trimenothuritæ ſive Timenothuritæ, utroque enim modo in nummis ſcribunt. Priori quidem in illo Seguini, quem ſecutus eſt Vaillantius, poſteriori, in illo quem depinxit Morellius, atque in aliis ſub imperatoribus Romanis percuſſis, ut ſub Gordiano Pio & Valeriano, atque Gallieno; ſicuti ex libro Vaillantii de Num. Imp. Græcis patere poteſt. Nominat Trimenothuritas Ptolemæus, deſcribens Phrygiam Majorem pag. edit. Bat. 137. Δυσμικώτεροι δὲ Τελμενοθυρῖται, ὧν ἐστιν ἡ Τραιανόπολις. *Occidentaliores autem Trimenothuritæ, quorum eſt Trajanopolis.* Hi, quum ad Ciliciæ rectores pertinerent, Ciceroni adventum in provinciam hoc nummulo gratulati fuerunt, atque deam Cererem, quam colebant, nummo ſuo inſculpſerunt, una cum Diana Epheſina, quæ in multarum Aſiæ civitatum nummis adparet.

VALERIA.

Gens Valeria in cognomina plurima diſtincta fuit; una ex antiquiſſimis fuit, & in illa patricii non tantum ſed & plebeji exſtiterunt. Ejus cognomina in nummis tantum ſuperſunt Aciſculorum, Flaccorum, Catullorum, & Meſſallarum inter quos Barbatorum cognomen quidam geſſerunt.

TAB. I.

I.

Lucius VALERIVS. Caput Sibyllæ in corona laurea.

ACISCVLVS. Caput Apollinis regis diadematum, dependentibus cincinnis, cum ſtella in vertice. Poſt dei caput inſtrumentum fabrile eſt acis dictum, unde hæc Valeriorum familia cognomen adſumſit.

De Aci, Siciliæ fluvio, cogitant Urſinus & Begerus, verum recte poſt Spanhemium docuit Vaillantius, non ab eo flumine tractum cognomen, quaſi ejus accolæ & ex Sicilia hi Valerii oriundi fuiſſent, ſed ab inſtrumento fabrili, quod ab altera ſui parte in mucronem deſinebat, quoque ſaxa in latomiis cædi ſolebant, unde Aciſculi dicti ſunt, quemadmodum ab alio inſtrumento utrimque lato & obtuſo Malleoli in familia Poblicia; utraque vero familia hæc inſtrumenta, ut ad cognomen ſuum adludentia, in denariis ſuis expreſſit.

Valerios Aciſculos, propter fabuloſos denariorum typos, ex Græcia oriundos fuiſſe exiſtimat Vaillantius. Nulla certe gens plures fabulas in nummis ſuis exhibuit. Et in hoc quidem denario a priore parte Sibyllæ caput cernitur, quam Delphicam habuit Græcia. Caput, quod ab altera parte eſt, de Caſtore explicat Vaillantius, ſed quum Dioſcuri paſſim pileis ſuis ornentur in dimidiati ovi formam, reſpectu alterius ovi, quod Læda ex Jove conceperat, & cujus putamen hi fratres inter ſe diviſerant, capite pro galea geſtandum; hinc lubentius illis accedo, qui de Apollinis capite explicant. Qui ſæpe cincinnos capiti additos in nummis habet, diadema vero ut rex; ἄνακτος enim nomen præ ceteris geſſit, aſtrum vero eundem Apollinem cum ſole docet eſſe.

Quis fuerit hic L. Valerius Aciſculus plane nobis eſt incognitum, denarii autem ejus admodum affabre cuſi ſunt. Forte unus fuit ex triumviris monetalibus Cæſaris Auguſti, qui Græcas haſce fabulas denariis ſuis inſculpſit, quum nobiliſſimis Græcorum operibus urbem ſuam exornaret Cæſar; neque enim ſemper ejus triumviri monetales caput Cæſaris Auguſti adpoſuerunt.

II.

ACISCVLVS. Caput idem Apollinis regis, cum eodem inſtrumento fabrili, in laurea.

Lucius VALERIVS. Avium Stymphalidum una, ut bellatrix ſpiculis, galea, & clypeo exornata, in laurea.

Stym-

Stymphalides volucres Arcadiæ fuisse perhibentur, quas abegerit, frusta sagittis tentatas, Hercules æneo crepitaculo a Vulcano confecto, quod Pallas Herculi ad hanc expeditionem eunti concesserit. Ploïdas nuncupat. Apollonius lib. II. Argonaut. vi.1054.

Οὐ δὲ γὰρ Ἡρακλέης, ὁπότ' ἤλυθεν Ἀρκαδίηνδε,
Πλωΐδας ὄρνιθας Στυμφαλίδας ἔσθενε λίμνης
Ὤσασθαι τόξοισι (τὸ μέν τ' ἐγὼ αὐτὸς ὄπωπα)
Ἀλλ' ὅγε χαλκείην πλαταγὴν ἐνὶ χερσὶ τινάσσων
Δούπει ἐπὶ σκοπιῆς περιμήκεος, αἱ δ' ἐφέβοντο
Τηλοῦ ἀτυζηλῷ ὑπὸ δείματι κεκληγυῖαι.
Seu neque ut Arcadiam petiit vis Herculis, arcu
Ploïdas inde lacu volucres Stymphalidas ulla
Pellere vi potuit: namque hoc ego lumine vidi.
Ast idem ut manibus crotalum pulsavit in alta
Existens specula prospectans, protinus illæ
Cum clamore procul linquentes litus ierunt.

Fabulam hanc ad veras aves, feritate insignes, pluribus transfert Pausanias lib. VIII. cap. XXII. p. 640. Ἐπὶ δὲ τῷ ὕδατι τῷ ἐν Στυμφάλῳ κατέχει λόγος ὄρνιθάς ποτε ἀνδροφάγους ἐπ' αὐτῷ τραφῆναι. ταύτας κατατοξεῦσαι τὰς ὄρνιθας Ἡρακλῆς λέγεται. Πείσανδρος δὲ αὐτὸν ὁ Καμιρεὺς ἀποκτεῖναι τὰς ὄρνιθας οὔ φησιν, ἀλλὰ ὡς ψόφῳ κροτάλων ἐκδιώξειεν αὐτάς. Γῆς δὲ τῆς Ἀράβων ἡ ἔρημος παρέχεται καὶ ἄλλα θηρία, καὶ ὄρνιθας καλουμένας Στυμφαλίδας, λεόντων καὶ παρδάλεων οὐδέν τι ἡμερωτέρας ἀνθρώποις. αὗται τοῖς ἐπὶ ἄγραν αὐτῶν ἀφικνουμένοις ἐπιπέτονται, καὶ τιτρώσκουσί τε τοῖς ῥάμφεσι καὶ ἀποκτείνουσιν. ὅσα μὲν δὴ χαλκοῦ καὶ σιδήρου φοροῦσιν οἱ ἄνθρωποι, διατρυπῶσιν αἱ ὄρνιθες· ἣν δὲ ἐσθῆτα φλοΐνην παχεῖαν πλέξωνται, τὰ ῥάμφη τῶν Στυμφαλίδων ὑπὸ τῆς ἐσθῆτος ἔχεται τῆς φλοΐνης, καθὰ καὶ πτέρυγες ὀρνίθων τῶν μικρῶν προσέχονται τῷ ἰξῷ. αὗται μέγεθος μὲν κατὰ γέρανόν εἰσιν αἱ ὄρνιθες, ἐοίκασι δὲ ἴβεσι. ῥάμφη δὲ ἀλκιμώτερα φέρουσι, καὶ οὐ σκολιὰ ὥσπερ αἱ ἴβεις. Εἰ μὲν δὴ καὶ ὡς κατ' ἐμὲ ὄρνιθες αἱ Ἀράβιοι τῶν ἐν Ἀρκαδίᾳ ποτὲ ὀρνίθων τὸ ὄνομα, εἶδος δὲ οὐ τὸ αὐτὸ ἐκείναις ἔχουσιν, οὐκ οἶδα. εἰ δὲ τὸν πάντα αἰῶνα κατὰ τὰ αὐτὰ ἱέραξι καὶ ἀετοῖς καὶ Στυμφαλίδες εἰσὶν ὄρνιθες, Ἀράβιόν τε εἶναί μοι θρέμμα αἱ ὄρνιθες αὗται φαίνονται, καὶ δύναιτο ἂν πετομένη ποτὲ μοῖρα ἐξ αὐτῶν ἐς Ἀρκαδίαν ἀφικέσθαι ἐπὶ Στύμφαλον. Ὑπὸ μὲν δὴ τῶν Ἀράβων ἄλλο τι ἐξ ἀρχῆς καλοῖντο ἄν, καὶ οὐ Στυμφαλίδες. Τοῦ Ἡρακλέους δὲ ἡ δόξα, καὶ τὸ Ἑλληνικὸν περὶ τοῦ βαρβαρικοῦ τετιμημένον, ἐξενίκησεν ὡς καὶ τὰς ἐν τῇ ἐρήμῳ τῇ Ἀράβων Στυμφαλίδας ἐπὶ ἡμῶν ὀνομάζεσθαι. *Fabulis vulgatum est, Stymphali aliquando aves, quæ humana carne victitarent, ab Hercule sagittis confectas: at Pisander Camirensis non peremptas eas ab Hercule aves, sed crepitaculorum sonitu e loco pulsas tradidit. Arabiæ quidem deserta, præter cæteras feras, volucres etiam alunt, quas Stymphalidas nuncupant, hominibus nihilo mitiores leonibus & pardis: siquidem in eos, qui in earum aucupia exierint, involant, & rostris eorum corpora verberantes interimunt, ac ærea quidem vel ferrea corporis tegumenta rostris perfodiunt; at si e libro se quodam, qui eas captant, factis amiculis velarint, haud aliter volucrum rostra caudicibus deprehensa tenentur, quam visco aviculárum pinnæ. Gruibus illæ sunt magnitudine pares, forma ibibus persimiles; rostra tamen & validiora, neque, ut ibes, adunca habent. An fuerint vero aliquando in Arcadia aves eodem nomine, quo sunt ætate mea in Arabia, non eadem tamen forma, id ego perspectum non habeo. At si ita suum semper Stymphalidum genus fuit, ut accipitrum, aliquarum*, & aliarum volucrum, *facile adducor indigenas eas esse Arabiæ aves; quarum devolarit aliquando pars in Arcadiam ad Stymphalum*, unde nomen acceperint: *& sane, cum ante alio fortasse in Arabia nomine adpellarentur, Herculis gloria, & Græcorum nomen, multo quam Barbarorum honoratius, obtinuit, ut quæ in Arabiæ desertis degunt, & ipsæ Stymphalides hac ætate nominentur.* Commemorat easdem aves inter labores Herculis Diod. Siculus lib. III. pag. 164. Sunt quoque veteres Græcorum nummi, qui hunc Herculis laborem exhibent, qualis ille maximi moduli, qui ab altera parte sacri senatus caput habet, & in Phrygia Majore a Trimenothuritis sive Temenothuritis sub Nicomacho summo sacerdote cusus fuit, quem exhibet Patinus in Thes. Maurocenico pag. 47. & cui similis exstat inter Lud. Magni Numismata maximi moduli Tab. I. In eo prope columnam, cui Palladis insistit statua, Hercules crepitaculo abigit jaculantem Stymphalidem, non dissimilem Pausaniæ descriptioni; ectypon ipse quoque ejusdem nummi servo.

Litera A.

Similis præcedenti, nisi quod ad impetum incitet sese fera volucris.

III.

ACISCVLVS. Caput idem Apollinis regia cum instrumento fabrili.

Lucius VALERIVS. Europa tauro vecta. Fabula omnibus nota est.

Litera B.

Similis præcedenti, sed caput Apollinis laureæ includitur. Apollinis vero (ut dixi) esse caput, non Castoris, adparet ex nummo gentis Pomponiæ num. IV. in quo ab altera parte Herculis Musagetæ, ab altera ipsum hoc Apollinis est caput.

IV.

Caput Victoriæ, humeros alæ exornant.

ACISCVLVS & instrumentum fabrile in laurea.

Quinarius hic Victoriæ imaginem & instrumentum illud, quod cognomini originem dedit, exhibet. Cusos autem omnes hosce denarios L. Valerii Acisculi, ut & quinarium hunc, existimo A. V. C. DCCXXVI. Augusto VI. consule, adsumto collega M. Vipsanio Agrippa, tertio post victoriam Actiacam anno. Eo enim anno condidit Augustus templum Apollinis in Palatio, ut nos docet Dio Cassius libri LIII. initio pag. 496. Ἐν δὲ οὖν τῷ τότε παρόντι τά τε ἄλλα ὥσπερ εἴθιστο ἔπραξε, καὶ τὰς ἀπογραφὰς ἐξετέλεσε· καὶ ἐν αὐταῖς πρόκριτος τῆς γερουσίας ἐπεκλήθη, ὥσπερ ἐν τῇ ἀκριβεῖ δημοκρατίᾳ ἐνενόμιστο. τό, τε Ἀπολλώνειον τό, τε ἐν τῷ παλατίῳ, καὶ τὸ τεμένισμα τὸ περὶ αὐτό, τάς τε ἀποθήκας τῶν βιβλίων, ἐξεποίησε, καὶ καθιέρωσε. *Eo quidem anno censum etiam peregit, princepsque senatus ipse in eo dictus est, pro eo more qui integro etiamnum populi in republica statu erat receptus. præterea Apollinis in palatio templum, ac bibliothecas perfecit, & dedicavit.* Illas bibliothecas & Græcas & Latinas fuisse docet Suetonius in Vita Augusti cap. XXIX. *Templum Apollinis in ea parte Palatinæ domus excitavit, quam fulmine ictam desiderari a deo haruspices pronunciarunt. Addita porticus cum bibliotheca Latina Græcaque.* Apollini vero similem honorem apud Actium habuerat, victo ibidem Antonio, Sueton. in Vita Aug. cap. 18. *Quoque Actiacæ victoriæ memoria celebratior in posterum esset, urbem Nicopolin apud Actium condidit: ludosque illic quinquennales constituit: & ampliato veteris Apollinis*

templo, locum castrorum, quibus fuerat usus, exornatum navalibus spoliis, Neptuno ac Marti consecravit.

Victoria itaque, quæ in hoc quinario, & laurea, quæ in hoc & reliquis fere nummis cernitur, pertinet ad Cæsarem Augustum, qui nobili illa victoria Actiaca pacem populo Romano reddiderat, & pacis opera, cultum deorum & templa eorundem instauraverat atque condiderat. Opinor igitur eodem hoc anno DCCXXVI. collegas in triumviratu monetali exstitisse Pomponium & Valerium; & Pomponium quidem Musas, ut Apollini comites deas, expressisse tanquam bibliothecæ symbolum, Valerium vero ipsius Apollinis caput & Græcas fabulas, quibus ornatum erat illud ædificium ejusque porticus.

V.

ACISCVLVS. Caput Apollinis radiatum & diademate cinctum, pone illud est instrumentum fabrile.

Lucius VALERIVS. Diana in citis bigis, dextra flagellum tenens, læva equorum habenas.

Hujus denarii eadem est ratio quæ reliquorum. Quantopere Apollinem coluerit Augustus, & quam vicinam illi numini suam majestatem esse voluerit, omnes norunt. Ludos quinquennales Actiacos in honorem Cæsaris institutos fuisse novimus; hosce, quasi ludis Apollinaribus similes, adumbrasse in hujus denarii typo videtur Valerius.

Litera C.

ACISCOLVS. Caput idem Apollinis radiatum.

Lucius VALERIVS. Typus idem, sed in circuitu legitur IMP*erator* CAES*ar* TRAIANus AVG*ustus* GER*manicus* DAC*icus* *Pater Patriæ* REST*ituit*.

Inter nobiles hunc typum judicatum fuisse optimi imperatoris restitutio docet. *Aciscolus* pro *Aciscculus* scribitur.

VI.

ACISCVLVS. Caput Neptuni in laurea; adest idem, quod in reliquis, instrumentum fabrile.

Lucius VALERIVS. Amphitrite, dextra lateri inposita trifidum quid, quasi tridentem, tenens, læva fronti adplicita.

Neptunum signari reor respectu victoriæ contra Antonii classem in mari, regno ejusdem dei, reportatæ, mirabundæ vero eandem victorian species est Amphitrites. Hac ratione typus Europæ designare potest eandem victoriam Actiacam, & quasi a Jove altero, Cæsare Octaviano, raptam Europam ejusque imperium fuisse; per Stymphalin, avem rapacem feramque, innui potest vis Antonii, quam Cæsar, tanquam novus Hercules, depulit & subegit.

In fabulis Amphitrite traditur fuisse uxor Neptuni, quæ, quum nuptias ejus recusaret, delphino conciliatore in easdem consensit, unde pisci honos inter sidera fuit habitus. Amphitrite vero apud poëtas aquam maris ipsam significat. Euripides in Cyclope, vs. 702.

Ἄνω δ' ἐπ' ὄχθον εἶμι, καί περ ὢν τυφλὸς,
Δι' ἀμφιτρείτης τῆσδε προσβαίνων ποδί.

Ego vadum pertranseo cæcus licet,
Per Amphrititen hanc meo incidens pede.

Unde & piscosam vocavit Orpheus in Argonaut.

Γλαυκὴν δ' ἰχθυόεσσαν ἀπείριτον ἀμφιτρίτην.
Glaucam, piscosam, immensam simul Amphitritem.

VII.

Victoriæ bustum cum humeris alatis, post illud est litera P.

Caius VAL*erius* FL*Accus* IMPERAT*or*. EX S*enatus* C*onsulto*. Aquila legionaria inter duo signa militaria, quæ inscriptas habent literas H. & P. id est H*astati* & P*rincipes*.

Caji Flacci imperatoris meminit Cicero; neque dubitant Ursinus atque Vaillantius, quin idem is sit, ad quem denarius hic pertinet, quod a vero alienum non videtur. Ciceronis locus exstat in Oratione pro P. Quinctio cap. VII. *Expulsus atque ejectus ex prædio Quintius, accepta insigni injuria, confugit ad C. Flaccum imperatorem, qui tum erat in provincia, quem ut ipsius dignitas poscit, honoris gratia nomino.* In Gallia egisse tum imperatorem illum C. Valerium Flaccum patet ex tota oratione. Ibi enim habebat prædia P. Quinctius, quibus absentem illum Romæ exuit Sextus Nævius, cujus vim & injuriam ista oratione ostendit Cicero; ejus verba, quæ citatum locum præcedunt, hæc sunt: *Hæc dum Romæ geruntur, Quintius interea contra jus, consuetudinem, edicta prætorum, de saltu agroque communi a servis communibus vi detruditur. Existima, C. Aquilli, modo & ratione omnia Romæ Nævium fecisse, si hoc, quod per literas istius in Gallia gestum est, recte atque ordine factum videtur. Expulsus* &c. Manutius designari credidit illum C. Valerium Flaccum, qui consul fuit A. V. C. DCLX. Vaillantius, alium, quem filium facit præcedentis, & de quo (prouti in editione ejus legitur) ita loquitur. „Manutius putat eum esse, qui ante annos duodecim „ cum M. Herennio consul fuerat anno DCLX. „ Sed, pace tanti viri, non potuit Galliam Ulteriorem hoc tempore regere, nempe anno V. C. „ DCLXI. Sed hic videtur esse filius C. Valerii „ Flacci, qui prætor provincialis anno DCLXX. „ (repone apud Vaill. DCLX.) Citeriorem (hic „ excidit Hispaniam) obtinuit, ut ex Appiani Ibericis colligimus." Hæc Vaillantius, cujus numeri in sequentibus, ubi illum facit quæstorem provincialem anno DCLXXI. ædilem curulem DCLXXVI. prætorem inter cives & peregrinos DCLXXIX. & provincialem, atque Galliam Narbonem provinciam sortitum, DCLXXX. itidem decem annos retro singuli numerandi sunt, prouti suis annis Pighius exhibuit.

Fuerunt itaque illis temporibus duo Caji Valerii Flacci, quorum alter ad consulatum alter ad præturam pervenit. Prior consulatum gessit A. V. C. DCLX. atque Hispaniam Citeriorem deinde sortitus, prorogato imperio, rem ibidem feliciter gessit. De illo enim loqui videtur Appianus, hæc scribens in lib. de Bel. Hispan. pag. 312. Πάλιν δὲ τῶν Κελτιβήρων ἀποστάντων, Φλάκκος ἐπιπεμφθεὶς ἔκτεινε δισμυρίους. Ἐν δὲ Βελγίδῃ πόλει ὁ δῆμος ἐς ἀπόστασιν ὁρμῶν, τὴν βουλὴν ὀκνοῦσαν ἐνέπρησεν αὐτῷ βουλευτηρίῳ. Ὁ δὲ Φλάκκος ἐπελθὼν ἔκτεινε τοὺς αἰτίους. *Iterum rebellantes* (post cladem scilicet a Didio acceptam) *Celtiberos Flaccus eo missus, viginti millibus occisis, repressit. In Belgide autem urbe inclinata ad defectionem*

nem plebe, cunctantem senatum una cum curia crematvit. Superveniens Flaccus sontes supplicio adfecit. Et huic quidem Flacco denarium adsignavit Pighius. Videtur enim ob tantam hostium cædem imperator a militibus salutatus fuisse. Et hunc quidem Flaccum idem Pighius ex conjectura facit Lucii filium Caji nepotem. Alter Flaccus, qui præturam non fuit egressus, is est, quem Cicero Cajum Flaccum imperatorem adpellat. Is, Galliæ Narbonensi præfectus, ut prætor provincialis non potuit imperatoris titulum, quem illi adsignat Cicero, adipisci, nisi justo hostium numero occiso. In illa provincia fuit A. V. C. DCLXX. Est itaque alius a consule A. V. C. DCLX. qui modo præcessit, neque (ut existimat Vaillantius) filius consulis fuisse videtur, qui tam cito pervenerit ad præturam decem annis novemve post patris consulatum. Unde C. Valerius C. F. P. N. Pighio audit, qui tamen, ante dictorum oblitus, unum hunc eundemque denarium duobus hisce Valeriis Flaccis tribuit, tom. III. pag. 215. & pag. 249. Priore loco ex litera H. quæ hastatos significat, Hispaniæ argumentum desumit, posteriore victoriam Gallicam depingi adfirmat, quod deæ effigies, crinibus in vertice nodo revinctis, Sicambrorum more adornetur, illi enim apud poëtas crines in nodum tortos vel vinctos habere dicuntur. Verum victoria de Sicambris relata Romanum in morem pingi debuit, non ejus populi, qui erat victus; neque in nodum (ut Sicambri solebant) deæ capillus constringitur. Capitis enim ornatus haud barbarus est, sed elegans in nummo, habens in vertice spiram unam grandiorem, currentem per tempora, reliquo capillo in varias spiras contorto & ita ad occiput revincto, ut extremæ ejusdem partes fluitent. Passim vero dearum ornatus solebat effingi ad morem & ornatum, qui tum in muliebri mundo eminebat atque consueverat fieri.

Manet itaque in obscuro, ad utrum ex duobus Flaccis referendi sint hi denarii. Prætorius videtur is fuisse, cujus mentio fit apud Cæsarem lib. de Bello Gall. I. cap. 47. laudantem C. Valerium Procillum, C. Valerii Caburi filium, *summa virtute & humanitate adolescentem, cujus pater a C. Valerio Flacco civitate donatus erat.*

Typus in denario exhibitus exercitus victoris insignia respicit, & hastatos, principes, & triarios, quorum duo priores vexillis inscriptas habent primas nominis literas, posteriores per aquilam designantur.

Magnam horum denariorum vim cusam fuisse variæ notæ monetales ostendunt, spica, rostrum navis, tripus; præterea literæ alphabeticæ P. D. F. L. M. Q. S. X. &c.

VIII.

Caput Romæ galeatum, cum nota denarii.

Caius VAL*erius Cai Filius* FLAC*cus.* ROMA. Victoria in citis bigis, dextra flagrum tenens, læva equorum habenas.

In primo nummo tabulæ sequentis simillimus huic denarius exhibetur, ubi de hoc quoque acturi sumus.

Litera D.

NASSICA. Caput Augusti nudum.

Caius VAL*erius Caius* SEX*tius* AEDILES. Caput bovis adversum.

Elegans hic est nummus, quem & ipse possideo, & magnis in hoc studio viris ingenii sui exercitationem præbuit. Novissimus lib. I. Observ. cap. XXV. p. 98. Petrus Wesseling pluribus docuit, frustra fuisse illos, qui de Scipione Nasica cogitaverunt, quasi ejus beneficio Calaguritani, qui hunc nummum in Hispania signarunt, jus municipii consecuti fuissent A. V. C. DLIX. quo Hispaniæ Ulteriori pro prætore præfuit. Nam municipium Calaguris Julia Nassica, cujus incolas *Nassicos* sive *Nascicos* vocat Plinius, lib. III. cap. 3. in Citeriori collocatur Hispania, quacum nihil rei Scipio Nasica habuit. Uti vero in eadem Hispania Citeriore altera Calaguris fuit Fibularensis dicta, a fibularum conficiendarum artificio, sic hanc quoque ab artificio, aliave quadam re, Nassicæ cognomen adeptam fuisse existimat idem P. Wesseling, quod admodum verosimile est, ut videlicet ab altera Calaguri distingueretur. Qui effigiem Nasicæ crediderunt illam esse, quæ Augusti jam omnium consensu agnoscitur, non minus errarunt, quam novissimus ille Plinii commentator, qui tom. I. pag. 394. more suo separans literas, legit, *Narbonensium Augurum Sacrum, Sospite Imperatore Cæsare Augusto.* ideoque caput tauri pro victima cæsa in altera parte poni existimat.

Ædiles quoque in municipiis & coloniis exstitisse ibidem probavit P. Wesseling. Nominantur hi in nummo C. Valerius & Cajus Sextius. Bovis caput solenne aliquod sacrificium, & forte pro salute Cæsaris indicare videtur. Vide plures hujus generis nummos in Augusto tomo II. inter nummos coloniarum.

Litera E.

AVGVSTVS DIVI *Filius.* Caput Augusti laureatum.

CAESAR*ea* AVGVSTA *Quinto* MAXIMO ITER*um Caio* VALENTINO IIVIR*is.* Colonus agens boves.

Quoniam Valerii quidam Valentinorum cognomen habuerunt, inde in gente Valeria nummum hunc collocavit Morellius.

Litera F.

IMP*erator* AVGVST*us* PATER PATRIAE. Caput Augusti laureatum.

Municipium CAL*aguris Iulia Lucio* NOVO *Lucio* VALENTINO IIVIR*is.* Bos.

Propter cognomen Valentini & hic nummus in familia Valeria collocatur.

Litera G.

MVN*icipium* CAL*aguris* IVL*ia.* Caput Augusti nudum.

Caio VALERIO *Lucio* GRANIO IIVIR*is.* Bos.

Quoniam Valerii Valentini Hispaniam Citeriorem, & inprimis Calagurim, incoluerunt, hic quoque Valerius ex Valentinis videtur fuisse.

Litera H.

MVN*icipium* CAL*aguris* IVL*ia*. Caput Augusti nudum.
Caio VALERI*o* *Caio* FENI*o* IIVIR*is*. Bos.

Si hic Cajus Valerius non diversus est a præcedente, vel bis duumvir exstitit, vel, mortuo collega, cum illo quoque, qui mortuum excepit, nummos signavit.

TAB. II.

I.

Caput Romæ galeatum. Post illud nota est XVI.
Caius VAL*erius* *Cai* *Filius* FLAC*cus*. ROMA. Victoria citas bigas agens, dextra flagellum tenet, læva habenas.

Tabula præcedens num. VIII. exhibuit nummum huic typo & inscriptione per omnia similem, nisi quod in denario solita adpareat nota, in hoc minus solita auctæ pecuniæ nota XVI. Priorem publicaverat Ursinus, posteriorem adjecit Patinus.

Meretur hoc discrimen ut in ejus caussam inquiramus. Ex duabus conjecturis alterutra videtur esse eligenda, vel scilicet denarium illum, quem vidit & expressit Fulvius Ursinus, imminutum (ut sæpe fit) & accisum fuisse ab illa parte, quæ post caput Romæ exstat, sic ut numerus denarius, sive nota X. tantum adparuerit, reliqua VI. non conspicua in eodem nummo, quod vel a principio incudis impressionem, ab illa parte minor, non acceperit, temporisve injuria detrita aut diffracta fuerit altera notæ VI. pars; vel dicendum est C. Valerium Flaccum C. F. quum quæstor urbanus vel triumvir monetalis esset, Q. Fabio Maximo dictatore, in initio honoris sui denarios signasse cum nota X. postea vero, aucto denariorum pretio, cum nota altera XVI. Ne vero repetamus, quæ de aucto illo denariorum pretio & nota XVI. diximus, lectorem inspicere jubemus, quæ ad similis notæ denarium diximus in Fam. Julia num II. tabulæ primæ pag. 202. & ad denarium II. gentis Titiniæ, quem pag. 418. & 419. docuimus cusum fuisse spatio annorum, quod fuit inter A. V. C. DXXXV. & DLX. quo intermedio tempore, vel aliquanto post, certum videtur esse, vixisse quoque hunc C. Valerium Flaccum Caji filium.

Et quidem multi Caji Valerii Flacci in historia Romana occurrunt, qui variis vixerunt temporibus, verum hic Caji filius insuper dicitur. Ad Sullæ tempora referri nequit, licet suspicetur id Ursinus, tunc enim tam simplices non erant typi denariorum, neque usquam mentio exstat notam XVI. assium eo tempore in denariis exstitisse, atque contrarium nummi illorum temporum declarant. Quærendus itaque est C. Valerius Flaccus, qui circa initium belli Punici secundi vixerit. Jam vero si denarius ille, quem vidit & expressit Ursinus, nulla sui parte, quoad notam illam X. pro XVI. fuerit mutilus, non diu quæri poterit tempus, quo vixerit noster C. Valerius Flaccus C. F. neque annus, quo uterque denarius cusus fuit in incerto esse potest, sed statui debet A. V. C. DXXXVI. quo gravissima illa ad lacum Trasimenum accepta clade populus Romanus Q. Fabium Maximum dictatorem creavit. Atque ita statuendum foret, eodem hoc anno denarium cum nota X. signatum fuisse a Flacco ante cladem illam funestam civitati, alterum cum nota XVI. post cladem eandem, aucto denarii pretio ad sexdecim asses, prouti constat, & alibi a nobis demonstratum fuit.

Apud Livium A. V. C. DLI. seu potius, juxta Fastos Capitol. DLIV. ædilis curulis & flamen Dialis invenitur C. Valerius Flaccus, qui ibidem frater Lucii Valerii dicitur, lib. XXXI. cap. ult. *Comitiis ædiles curules creati sunt forte ambo, qui statim occipere magistrum non possent. nam C. Cornelius Cethegus absens creatus erat, quum Hispaniam obtineret provinciam: C. Valerius Flaccus, quem præsentem crearant, quia flamen Dialis erat, jurare in leges non poterat: magistratum autem plus quinque dies, nisi qui jurasset in leges, non licebat gerere. Petente Flacco, ut legibus solveretur; senatus decrevit, ut si ædilis qui pro se juraret, arbitratu consulum daret; consules, si eis videretur, cum tribunis plebis agerent, uti ad plebem ferrent. Datus qui juraret pro fratre L. Valerius, prætor designatus. tribuni ad plebem tulerunt, plebesque scivit, ut perinde esset, ac si ipse ædilis jurasset.* Fit ejusdem mentio, ut ædilis curulis lib. XXXII. cap. 7. *Et ab ædilibus curulibus C. Valerio Flacco flamine Diali, & C. Cornelio Cethego ludi Romani magno adparatu facti.* Hunc itaque quum fratrem Lucii, prætoris designati, qui pro illo juravit, adpellet Livius, patet utrumque procreatum fuisse patre Publio, nam Lucius Valerius Flaccus ille, de quo agit Livius, Publii filius, Lucii nepos exstitit, & fratre major natu fuit, honores ante eundem nactus, prætorque designatus, quum ille ædilitatem gereret. Credit itaque Vaillantius fratrem minorem Cajum reliquisse filium Cajum, a quo noster denarius cusus fuerit, licet de eodem historiæ sileant. Quod quidem veri specie non caret, quum ædilis curulis agnoscatur apud Pighium A. V. C. DCXIV. quidam Cajus Valerius, qui apud illum ex conjectura hac eadem scribitur C. Valerius C. F. P. N. Flaccus. Tempora satis conveniunt. Verum si hic C. Valerius Flaccus C. F. P. N. paullo ante annum DCXIV. quo ædilis fuit, hunc nummum signavit, satis diu nota illa XVI. in usu permansit, & necessario sequeretur Ursinianum nummum aliquem defectum in literis XVI. ex quibus superfuerit tantum X. passum fuisse. De quibus viderit, qui similem invenerit nummum, mihi nondum oculis talem usurpare licuit.

II.

Caput Victoriæ pectore tenus, humeris alatis, atque capillo ad verticem revincto. Adest denarii nota.
Lucii VALERI*i* FLACCI. Mars tropæophorus stans, dextra manu hastam transversam tenet, læva tropæum. Ad dextrum ejusdem latus apex pontificialis cernitur, ad lævum spica.

In historia veteri plures L. Valerii Flacci occurrunt. L. Valerius Flaccus magister equitum A. V. C. CCCCXXXII. Liv. IX. 7. L. Valerius Flaccus consul A. V. C. CCCCLXXXXII. Polyb. I. 20. L. Valerius Flaccus, ædilis curulis A. V. C. DLV. Liv. XXXI. 4. prætor Siciliæ A. V. C. DLIV. Liv. XXXII. 1. consul A. V. C. DLVII. Liv. XXXIII. 28. L. Valerius P. F. Flaccus IIIvir coloniæ Cremonam & Placentiam deducendæ A. V. C. DLXIII. Liv.
XXVII.

XXVII. 46. pontifex maximus, mortuus A. V. DLXXIII. Liv. XL. 42. L. Valerius Flaccus consul A. V. C. DCI. apud Obsequentem cap. LXXVII. L. Valerius Flaccus consul, in Fastis A. V. C. DCXXII. L. Valerius Flaccus consul A. V. C. DCLIII. apud Obsequentem cap. CV. L. Valerius Flaccus consul suffectus A. V. C. DCLXVII. apud Appian. 1. Civil. pag. 396. Denique L. Valerius Flaccus, qui prætor Asiam obtinuit A.V.C. DCLXXXXI. coss. Silano & Muræna. Hic est pro quo Cicero peroravit A. V. C. DCLXXXXIV.

Ex tot Valeriis cui hic nummus sit adjudicandus non multum disputant antiquarii, Ursinum enim secuti, L. Valerio Flacco, qui consul A. V. C. DCXXII. cum P. Licinio Crasso fuit, adjudicant Vaillantius & Begerus. Movit illos, quod in denario, præter Martis figuram, apex pontificalis exstet, is vero L. Valerius Flaccus flamen Martialis exstiterit, unde rixa illi cum collega Crasso consule nata fuit; de qua Cicero Philipp. XI. cap. 8. *Cum Aristonico bellum gerendum fuit L. Valerio P. Licinio consulibus. Rogatus est populus, quem id bellum gerere placeret: Crassus consul & pontifex maximus, Flacco collegæ flamini Martiali multam dixit, si a sacris discessisset; quam multam populus remisit: pontifici tamen flaminem parere jussit.*

Exstitit tamen & alius L. Valerius Flaccus, Ciceroni itidem flamen Martialis dictus, ultimus videlicet in numero illorum, quos modo adduximus. *L. Flaccum*, inquit Cicero lib. I. de Divin. cap. 46. *flaminem Martialem, ego audivi quum diceret, Cæciliam Metelli, quum vellet sororis suæ filiam in matrimonium collocare* &c. Quem vero audivit loquentem Cicero, is est; quem ipse quoque luculenta oratione defendit. Filium is L. Valerius Flaccus Flaccum habuit, qui, Pompejanas partes contra Cæsarem secutus, ad Dyrrachium, in initio belli civilis, occubuit. De quo Cæsar lib. III. B. Civ. cap. 53. *Ita uno die sex præliis factis, tribus ad Dyrrhachium, tribus ad munitiones, quum horum omnium ratio haberetur, ad duorum millium numerum ex Pompejanis cecidisse reperiebamus, evocatos centurionesque complures. In eo fuit numero Valerius Flaccus L. filius, ejus qui prætor Asiam obtinuerat.* Pater Lucius memoratur a Cicerone lib. I. ad Attic. epist. 19. fuisse inter legatos, qui, turbatis in Gallia rebus, in illam provinciam missi fuerunt. *Senatus decrevit, ut consules duas Gallias sortirentur, delectus haberetur, vacationes ne valerent, legati cum auctoritate mitterentur, qui adirent Galliæ civitates, darentque operam, ne eæ cum Helvetiis se jungerent. Legati sunt Q. Metellus Creticus, & L. Flaccus, & τὸ ἐπὶ τῇ φακῇ μύρον; Lentulus Clodiani filius.* Ipse Flaccus pater, quarum partium temporibus belli civilis fuerit, non constat. Licet enim filius ad Pompejum se contulerit, ipse quietem præferre (ut multi) potuit. Quem enim in illo laudat vindicandæ a tyrannide patriæ amorem, alia respicit & priora tempora. Testimonium, quod illi dat, luculentum est. Exstat vero in Oratione Ciceronis pro L. Flacco cap. XI. *Sed quum L. Flacci res agatur, cujus ex familia, qui primus consul factus est, primus in hac civitate consul fuit: cujus virtute regibus exterminatis libertas in republica constituta est: quæ usque ad hoc tempus honoribus, imperiis, rerum gestarum gloria continuata permansit: quumque ab hac perenni contestataque virtute majorum non modo non degenerarit L. Flaccus, sed, id quod maxime florere in generis sui gloria viderat, laudem patriæ in libertatem vindicandæ prætor adamavit: in hoc ego reo* &c. Respicitur enim ibi ad Allobroges cum comitatu in ponte Mulvio ab illo prætore deprehensos, & Catilinæ consilia detecta fractasque vires. Sallust. de Conj. Catil. cap. XLV. *Cicero per legatos cuncta edoctus, L. Valerio Flacco & C. Pomptino prætoribus imperat, ut in ponte Mulvio per insidias Allobrogum comitatus deprehendant.*

Quum itaque hic L. Valerius Flaccus pariter flamen Martialis fuerit, atque dignitate, genere, factis vir illustris, non video, cur majore jure priori quam huic flamini Martiali adsignari denarius possit. Mihi quidem secus videtur, & plura suppetere argumenta pro posteriori hoc quam priori. Nam si caput Victoriæ adtente consideremus, pictura ejus in omnibus tantopere similis est illi, quod in nummo æreo gentis Cloviæ conspicitur, ut vix ovum ovo magis sit simile. Fuit vero iste Clovius unus ex octo præfectis, quos sub Lepido Romæ reliquit Cæsar in Hispaniam proficiscens, & de quibus ad plures eorundem nummos nobis sermo fuit. Septem hactenus invenimus. L. Valerius Flaccus octavus fuisse videtur, cum multis aliis Cæsari reconciliatus. Is itaque Victoriam deam eodem plane habitu depinxit, quo collega Clovius, atque iisdem rationibus ductus; quibus idem Clovius, ut ad nummum ejus pag. 98. cerni potest. Ab altera insuper parte spica est, propter caussam quam indagavimus, ad alios collegarum ejus, sive præfectorum urbi, nummos, videlicet Livineji, supra pag. 796. & Norbani, supra pag. 296. In Marte vero tropæophoro mire Cæsari fuit adulatus & ingeniose simul adlusit ad numen illud, cujus, utpote flamen, apicem sacerdotalem ad se pertinentem depinxit, in ipso vero Marte tropæophoro Cæsarem agnovit, late triumphatorem, omnibusque debellatis hostibus placide gradientem, dextra hastam transversam, tanquam pacis numen, gerentem. Vide quæ supra de reliquis septem præfectis urbi diximus, Hirtio, Livineio Norbano &c.

Filium L. Valerii Flacci ex Cæsaris Commentariis novimus, quem credibile est Lucium quoque dictum fuisse, noster certe patrem Lucium, ædilitium, prætorium, & consularem virum habuit. Patris ejus meminit Cicero in Orat. pro Flacco cap. XXXII. ubi ita ad accusatorem ejus Decianum loquitur: *Veridicas adjungis caussas inimicitiarum, quod patri L. Flacci, ædili curuli, pater tuus, tribunus plebis, diem dixerit. At istud, ne ipsi quidem patri Flacci valde molestum esse debuit, præsertim quum ille, cui dies dicta est, prætor postea factus sit & consul: ille, qui diem dixit, non potuerit privatus in civitate consistere.* Pater itaque Flacci ædilis curulis fuit Deciano, patre Deciani, qui Flaccum prætorem Asiæ accusavit, tribuno plebis. Fuerunt vero L. Valerius Flaccus ædilis curulis & C. Decianus tribunus plebis A. V. C. DCLIV. Itaque pater ejus, quem defendit Cicero, non fuit L. Valerius Flaccus consul cum P. Licinio Crasso Muciano, cujus consulatus incidit in A.V.C. DCXXII. neque is, quem credidit P. Manutius fuisse consulem A. V. C. DCLIII. & collegam Marii in sexto ejus consulatu, atque postea in locum Marii septies consulis demortui suffectum, & Cinnæ collegam datum, sed ille, qui post præturam suo tempore gestam, in locum Marii septies consulis atque demortui, suffectus fuit. Quem alium fuisse ab illo, qui collega Marii VI. consulis exstiterat, ostendit Pighius, qui quæsturam ejus recenset A. V. C. DCXLIX. ædilitatem A. V. C. DCLIV. præturam A. V. C. DCLVIII. consulatum denique A. V. C. DCLXVII. quem missum in Asiam, ut Sullæ succederet, C. Fimbria legatus occidit; erat enim ob avaritiam exercitui invi-

visus. Filio, quem Tullius defendit, in Asiæ administratione successit Ciceronis frater, Quintus Tullius Cicero. *At negas*, (inquit Cic. in Orat. pro Flacco cap. XIV.) *fratrem meum, qui L. Flacco successerit, pecuniam ullam in remiges imperasse.* Post Cæsaris vero testimonium de filio ejus ad Dyrrhachium occiso, nihil de illo amplius inveni, nisi quod hic denarius jussu ejus cusus, ostendat illum unum ex octo præfectis urbi, a Cæsare sub Lepido relictis, fuisse.

III.

IIIVIR *Auro Argento Aeri* F*lando* F*eriundo.* Incudis figura.

Lucius VALERIVS CATVLLVS. In area nummi nota est senatusconsulti.

Quis hic Catullus fuerit ignoratur, poëta enim ille doctus jam tum obierat, quum Augustus rerum potiretur, atque divisionem monetæ cum senatu instituerat. Videtur tamen ex poëtæ familia fuisse hic, qui ex ære senatus triumvir agnoscitur.

IV.

MESSAL*la Filius.* Minervæ caput obverso humero dexteriore nudo; caput ejus galea tegitur, defluentibus in tergum capillis, ad lævam humerum hasta exstat. Simillima facies, sed rudioris fabricæ occurrit in Cnei Cornelii Lentuli nummo, qui exstat inter Cornelianos tabulæ primæ num. V. quem ibi de Marte sumus interpretati, quum Minervam forte verius designet.

PATRE CO*nSule. Senatus Consulto.* Sella curulis insistens spiculo, quod sceptri figuram in summa parte habet, atque corolla & lemniscis insuper ornatur.

Insignem hunc denarium Fulvius Ursinus refert ad M. Valerium Messallam, qui consul cum Cneo Domitio Calvino fuit A. V. C. DCC. quo quidem anno adnotat filium ejusdem Messalam ædilem curulem fuisse, idque ex denarii inscriptione, & sella in eo inpressa, posse conjici, cui (inquit) ad indicanda fortasse liberalia, quæ in eo munere Messalla filius fecit, Bacchi thyrsus suppositus est. Conjecturam hanc Ursini parum ingenue suam fecit Vaillantius, notumque Ciceronis locum de cura ædilium addidit. Begerus, Ursini facta mentione, de suo patrem Messallæ, qui denarium cudit, largitur L. Valerium Flaccum illum, cujus denarium habuimus, supra num. II. Eadem enim tabella tom. II. Thes. Brandenb. pag. 591. duos hosce nummos depingens, ita scribit: „ L. Valerius Flaccus flamen Martialis & consul innotescit. Flamen Martialis sub apice, adjectoque Marte Victore; consul sub inscriptione numismatis secundi. Pater enim fuit Messalæ, qui numisma percussit, patrisque in consulatu ædilis Liberalia fecit, id quod sub sella curuli & thyrso nobis imaginamur. " Imo totum illud imaginarium est, nam pereunt funditus in nummo liberalia, si non sit thyrsus, sed aliud quid; & Messallæ consulis filius, cui Ursinus cum Vaillantio patrem M. Valerium Messallam, consulem cum Cn. Domitio Calvino, adsignavit, quo jure filius L. Valerii Flacci, ex alia Valeriorum familia, esse potuerit, demonstrandum Begero relinquimus.

Horum itaque conjecturæ opponamus id quod nos de denarii hujus inscriptione & typo judicamus. Inter Messallas omnium fuit maximus is, qui tempore Augusti vixit, atque eo imperante est mortuus. Hic dictus fuit M. Valerius Corvinus Messalla, filius Messallæ oratoris & consularis, qui tamen fama patrem supergressus fuit. Non enim ipse tantum insignis orator exstitit, atque ad consulatum pervenit sub Augusto, sed omnium virtutum atque laudum exemplar fuit consummatissimum, prouti pleno ore illum laudat Cicero in epistola ad Brutum XV. *Messallam habes. Quibus igitur litteris tam accurate scriptis assequi possum, subtilius ut explicem, quæ gerantur, quæque sint in rep. quam tibi is exponet, qui & optime omnia novit, & elegantissime expedire, & deferre ad te potest: Cave enim existimes, Brute (quanquam non est necesse ea me ad te, quæ tibi nota sunt, scribere: sed tamen tantam omnium laudum excellentiam non queo silentio præterire) cave putes, probitate, constantia, cura, studio reip. quidquam illi esse simile: ut eloquentia, qua mirabiliter excellit, vix in eo locum ad laudandum habere videatur, quanquam in hac ipsa sapientia plus adparet; ita gravi judicio, multaque arte se exercuit in verissimo genere dicendi. Tanta autem industria est, tantumque evigilat in studio, ut non maxima ingenio (quod in eo summum est, gratia habenda videatur. Sed provehor amore. non enim id propositum est huic epistolæ, Messallam ut laudem, præsertim ad Brutum, cui & virtus illius, non minus quam mihi, nota est, & hæc ipsa studia, quæ laudo, notiora: quem cum a me dimittens, graviter ferrem: hoc levabar uno, quod ad te, tanquam ad alterum me, proficiscens, & officio fungebatur, & laudem maximam sequebatur.* Interfecto Cæsare, quamvis inter conjuratos haud fuerat, proscriptus fuit a triumviris, qui, prudentiam ejus timentes, ex numero proscriptorum illum deleverunt, reditumque in patriam illi concesserunt. Noluit illorum beneficio uti, sed ad Brutum sese contulit. Cassio & Bruto interfectis, reliquiæ partium reipublicæ ducem illum eligere voluerunt. Sprevit illum honorem, & a Cæsare Octaviano cum magna virtutis commendatione in gratiam receptus fuit. Hujus est libera illa & nobilis ad Octavianum oratio, laudantis egregiam ejus in debellando Antonio operam: Ἐγώ σοι, ὦ Καῖσαρ, ἀεὶ τῆς βελτίονος καὶ δικαιοτέρας τιμῆς καὶ μερίδος ἐγεννάμην. *Ego quidem, ô Cæsar, semper partis fuis melioris & justioris*, uti refert Plutarchus in extremo Vitæ Bruti, pag. 1009. Quo spectat & illud Taciti Annal. IV. 34. *Massala Corvinus, imperatorem suum Cassium prædicabat.* Hic quoque est, qui postea Salassos domuit, & ex illis triumphavit, cujusque militiam secutus est Tibullus poëta, Messallæ amicitia clarus. Hic est, qui ad præfecturam urbis ab Augusto evectus, honorem novum, sexto se die abdicavit, immodicam, & non civilem potestatem professus. Vide Tacit. Annal. lib. VI. cap. II. licet quasi *nescius exercendi* deposuisse dicatur. Vir ore & scriptis clarus & eloquens, qui multa quoque scripsit; & utinam Commentarios ejus de Familiis Romanis haberemus. Memoriam viri scriptores tamen intercidere non sunt passi, & ego quoque mihi videor in hoc denario agnoscere, quem existimo cusum a filio ejus quæstore Cæsaris in bello contra Antonium, eo anno quo pater consul fuit, quoque nobilis ad Actium pugna Cæsarem victorem & rerum dominum fecit.

Filius enim M. Valerii Corvini fuit M. Valerius Messalla, qui in hoc nummo sese scribit Messallam filium. Meminit ejus Tacitus lib. I. Ann. cap. 8. *Addebat Messalla Valerius, renovandum*

per

per annos ſacramentum in nomen Tiberii. In hoc quoque facundiam agnovit Tacitus, quæ in progenie decrevit, dum in filio ejus imaginem paternæ facundiæ tantum advertat, Ann. lib. III. cap. 35. *Mox Valerius Meſſallinus, cui parens Meſſala: ineratque imago paternæ facundiæ, reſpondit.* Filius itaque M. Valerii Corvini, Meſſalla patre conſule, hunc denarium ſignavit. Conſul vero fuit laudatiſſimus ille Corvinus Meſſalla una cum Cæſare Octaviano III. A. V. C. DCCXXIII. quo pugna Actiaca commiſſa fuit, in qua partem claſſis Cæſareæ quoque creditur rexiſſe, & dicitur a quibusdam dextro cornu præfuiſſe. Eo tempore quæſtor, vel pro quæſtore, videtur fuiſſe Meſſalla filius, atque in hoc denario non unam patris ſui virtutem & felicitatem commendaſſe. Primo quidem ſtudium doctrinæ & eloquentiam, viri enim eloquentiſſimi filius & ipſe plurimum oratione pollebat Meſſalla pater. Eloquentia vero ejus & doctrina atque ſapientia per Minervam, ſtudiorum ejusmodi deam, exprimitur. Pars denarii poſterior viri dignitatem & laudes bellicas habet. Inſiſtit ſella curulis ſceptro longiori cum cuſpide a parte inferiori, atque diademate. Haſtæ cuſpis bellicam virtutem reſpicit. In ejus ſumma parte non eſt pinea nux, ut crediderunt antiquarii, & depingi curavit Begerus, ſed ſceptrum, & quidem tale omnino, quale deprehendi in nummis regum Syriæ variis, ſuo tempore producendis. Sceptrum vero illud & diadema deſignare videtur imperium, quod reſpuit, oblatum ſibi a reliquiis cladis Caſſianæ Brutiæque. Ita enim de illo ſcribit Velleius Paterculus lib. II. cap. 71. *Protinus Meſſalla fulgentiſſimus juvenis, proximus in illis caſtris Bruti Caſſiique auctoritati, quum eſſent, qui eum ducem poſcerent, ſervari beneficio Cæſaris maluit, quam dubiam ſpem armorum tentare amplius. Nec aut Cæſari quidquam ex victoriis ſuis fuit lætius, quam, ſervaſſe Corvinum; aut majus exemplum hominis grati ac pii, quam Corvinus in Cæſarem fuit.* Utrumque teſtatur Appianus, & pietatem Corvini in Cæſarem, & quod ducis adſpernatus titulum Cæſari ſe permiſerit, quamvis poſtea in diſſenſione partium Antonium expertus fuerit. Memorabilis illa eſt hiſtoria quam de Meſſalla Cæſarem ſervante narrat Appianus lib. V. Bell. Civ. pag. 736. *Cæſar in actuariis ad multam noctem jactatus, incertus Cornificiumne per media naufragia peteret, an ad Meſſallam fugeret, forte fortuna ad Abalam portum adpulit cum unico armigero, deſtitutus amicis, ſervis, & ſatellitibus: quem quidam e montibus ad rem cognoſcendam decurrentes, invenerunt animo defectum & corpore; & translatum nunc in hoc, nunc in aliud acatium, quo magis hoſtem fallerent, ad Meſſallam deportarunt, qui non longe aberat. Inde priusquam corpus curaret, ad Cornificium miſit liburnicam, & circa omnes montes dimiſit qui nuntiarent ſe incolumem, juberentque omnes opem ferre Cornificio, & ipſe per litteras pollicitus eſt ei mox adfore auxilium. Curato deinde corpore, cum quieviſſet modicum, ad Stylida noctu profectus eſt, Meſſalla eum deducente ad Carinatem, paratum ad navigationem cum tribus legionibus, quem juſſit in Liparam trajicere, ipſe mox conſecuturus. Agrippæ quoque ſcripſit, ut periculo eximeret Cornificium celeriter, ſubmittendo cum expeditis Laronium. Mæcenatem iterum in Urbem miſit, propter quosdam rerum novarum cupidos, in quorum aliquot animadverſum eſt publice, Meſſallam vero Puteolos, ut legionem primum Vibonem adduceret. Hic Meſſalla Romæ a Triumviris proſcriptus fuerat, propoſitis interfectori præmiis, ſive pecunias, ſive libertatem peteret: profugus deinde ad Brutum & Caſſium, poſt illorum mortem Antonio claſſem ex fœdere tradidit. Id nunc memorare libuit Romanæ virtutis exemplum, quando Meſſalla habens in poteſtate proſcriptorem ſuum deſolatum in tanta calamitate, refovit ut imperatorem ſervavitque.* Ad ſummam vero ejus laudem & auctoritatem pertinet, quod narrat de eodem lib. IV. B. C. pag. 611. *Meſſalla, nobilis juvenis, ad Brutum fugit, cujus magnanimitatem timentes triumviri, edictum tale propoſuerunt; Quoniam Meſſalla, ut ex ipſius cognatis didicimus, ne in urbe quidem fuit, quum C. Cæſar occiſus eſt, exemtus eſto ex proſcriptorum numero: at ille noluit uti hac venia. Poſtquam autem Bruto Caſſioque in Thracia cæſis, non contemnendæ illius exercitus reliquiæ claſſe pecuniaque ad bene ſperandum ſubnixæ, ducem eum ſibi optabant, adſentire gravatus, perſuaſit eis ut fortunæ prægravanti cedentes tranſirent ad militiam Antonii, cui poſtea familiariter adhæſit, donec Cleopatræ faſtu offenſus, migravit ad Cæſarem: a quo Conſul in ipſius Antonii locum ſuffectus, quando ille iterum hoſtis judicatus eſt, navali quoque prælio ad Actium pugnavit pro Cæſare: deinde contra Gallos rebelles miſſus, victor triumphum meruit.* Et illa quidem oblata a percuſſorum reliquiis potentia invidioſe in hoc denario traduci videtur per ſceptrum & diadema; quaſi ſcilicet Cæſaris poteſtas civilis eſſet, illorum vero tyrannica futura fuiſſet. Sella deinde curulis honores inſignis ejus familiæ teſtatur, & ſingularis inſcriptio PATRE CO*nSule* denotat filium fuiſſe quæſtorem, & ſignaſſe extra urbem Romam hunc denarium eodem anno, quo pater ipſius, cujus nomen olim inter proſcriptos fuerat, ſummum in republica magiſtratum gereret; de quo & honore hoc legitur apud Tacitum lib. Ann. XI. cap. 6. *Meminiſſent C. Aſinii & Meſſalæ, ac recentiorum Arruntii & Æſernini, ad ſumma provectos incorrupta vita & facundia.* Senatusconſulti nota, quæ in nummo cernitur, nos docet, hanc pecuniam extra urbem decreto ſenatus cuſam fuiſſe.

V.

IIIVIR*i* SISENNA MESSALLA. Incudis figura.

GALLVS APRONIVS *Auro Argento Aer Flando Feriundo.* In area nummi nota eſt ſenatusconſulti.

Quatuor diverſarum familiarum hominum nomina in hoc nummulo Vaillantio conjungi videntur, qui tamen non IIIIviri, ſed IIIviri dicuntur. Hujus rei ratio ab eodem Vaillantio exponitur, quod ſcilicet extra ordinem aliquis ſit adjectus, atque ita triumviratus monetalis titulus quidem manſerit, ſed extra numerum illum aliqua de cauſſa quartus fuerit adjectus. Quin enim quatuor ſcribantur nomina dubitare nos (ut putat) non ſinit ſimilis nummulus, in quo ſcribitur a parte priore IIIVIR*i* MESSALLA. APRONIVS. a poſteriori GALLVS. SISENNA. *Auro Argento* &c. Sed revera Apronius Galus dictus fuit, cujus hic cognomen præponitur, & tres tantum in nummo ſunt IIIviri, vide quæ diximus ad ſimilem nummum in gente Apronia pag. 31. 32.

Non dubito, quin hic Meſſalla fuerit idem, qui infra num. VII. & VIII. Voluſus Valerius Meſſalla vocatur, de quo ibi erit agendum.

VI.

Marcus ANT*onius* IMP*erator*, AVG*ur* III*vir* R*ei*P*ublicæ* C*onſtituendæ*. M*arcus* BARBAT*us* Q*uæſtor* P*rovincialis*, vel P*ercuſſit*. Caput Marci Antonii nudum.

CAESAR IMP*erator* PONT*ifex* IIIVIR R*ei-*

ReiPublicæ Constituendæ. Caput Cæsaris Octaviani nudum.

Habuimus unum ex Cæsaris Octaviani quæstoribus provincialibus Corvinum Messallam, hic alius Messalla, videlicet Barbatus, inter Antonii quæstores, sive quæstores provinciales, occurrit, eo scilicet tempore, quo amici erant Antonius & Cæsar Octavianus.

Post accisas reipublicæ partes, & cladem Bruti atque Cassii, M. Messalla, qui Corvinus dicebatur, ad M. Antonium sese contulit, uti ex Appiano vidimus. Eodem tempore & una cum gentili suo M. Messalla Barbatus Antonii partes amplexus fuisse videtur, atque dum male sota & sæpius reconciliata inter Cæsarem & Antonium amicitia, non bene coiret, quæstoris munere ab Antonio ornatus fuisse. Hic vero idem Antonii est quæstor, quem male seu mendose Barbatium vocari apud Appianum lib. V. B. C. pag. 688. existimat Ursinus, qui Appiani locum citans, ita scribit: „ Barbati hujus, qui fuit Antonii quæ„ stor, meminit Appianus lib, 5. Bel. Civil. li„ cet in vulgatis libris mendose Βαρβάτιος scri„ ptum sit. Βαρβάτος δὲ, inquit, ὁ Ἀντωνίου ταμίας, „ Ἀντωνίῳ τι προσκρούσας, καὶ διὰ τοῦτ᾽ ἐπανιών, ἔλεγε „ πυνθανομένοις τὸν Ἀντώνιον χαλεπαίνειν τοῖς πολεμοῦσι „ Καίσαρι κατὰ τῆς κοινῆς σφῶν δυναστείας· καὶ οἱ μὲν ὅσοι „ μὴ τῆς ἐξαπάτης ᾔσθοντο τῆς Βαρβάτου, ἐς τὸν Καίσαρα „ ἀπὸ τοῦ Λευκίου μετετίθεντο. Hoc est: *Interea Bar„ batus, Antonii quæstor, ab offenso dimissus; sci„ scitantibus militibus respondit: eum irasci gerenti„ bus bellum contra Cæsarem, & communem poten„ tiam, quo factum est, ut quotquot dolum Barbati non „ senserunt, a Lucio deficerent ad Cæsarem.* M. au„ tem Barbati hujus filius esse potest M. Vale„ rius Barbatus consul, qui M. F. in Fastis descri„ ptus est anno DCCXLI. de quo Suetonius „ meminit lib. 5. his verbis: *Claudius Valeriam „ Messalinam Barbati Messalæ consobrini sui filiam „ in matrimonium duxit.* " At posset aliquis judicare recte scriptum apud Appianum, & male sollicitari ejus scripturam, & Barbatium dictum fuisse hunc Messallam non Barbatum. Præter veterem Appiani lectionem tibicinem illi dare posset ipsum Ciceronem. Ejus verba sunt in Orat. Philipp. XIII. cap. 2. *Addite illa naufragia Cæsaris amicorum, Barbas, Cassios, Barbatios, Polliones.* Ad quem Ciceronis locum quum videret Ursinus scrupulum conjecturæ suæ injici; & ibi reponi debere *Barbatos* judicavit, scribens: „ Opinor legen„ dum esse *Barbatos*. Fuit enim Barbatus Anto„ nii quæstor, ut ex inscriptione antiqui denarii „ colligitur, & Appiano in libris Bellorum Ci„ vilium. " Jam vero Appiani & Ciceronis MSS. Βαρβάτιος & *Barbatios*, non Βαρβάτος & *Barbatos* habeant. Nummi vero, ad quos Ursinus provocat, nihil definiunt, in illis enim non exstat BARBATVS, sed BARBAT. quod utique æquo jure BARBAT*ius* quam BARBAT*us* integre legi & suppleri potest. Si vero apud Appianum Βαρβάτος pro Βαρβάτιος scribi debeat, Barbatii apud Ciceronem ad Polliones pertinere forsan possent, ut legendum ibi sit *Barbas Cassios*, *Barbatios Polliones.* Nam sicuti distinctionem inter Barbas & Cassios sustulit Grævius, quod Barba Cassius quidam inter Cæsaris amicos alibi a Cicerone agnoscatur; sic Barbatius agnomen potuit esse alicujus Asinii Pollionis, sicut Barba cognomen Cassii. Verum videtur tolli disceptatio per nummos Goltzianos in Valeria Fam. infra tab. XXXIV. num. 5. 6. si modo veri sunt; in quibus scribitur integre *Marco* BARBATO PRO*vinciali* PRoPR*ætore*. Filium habuisse consularem & nepotem Augustam recte adnotavit Ursinus. Quo vero propinquitatis gradu M. Valerium Corvinum Messallam adtigerit, non constat. Longius permansisse apud Antonium, quam adfinem suum Corvinum Messallam, docent nummi Goltziani, in quibus juncta M. Antonii & reginæ Cleopatræ capita exhibentur.

VII. & VIII.

CAESAR AVGVST*us* PONT*ifex* MAX*imus* TRIB*unicia* POT*estate*. in altero TRIBVNIC*ia* POT*estate*. Caput Cæsaris Augusti nudum.

VOLVSVS VALER*ius* MESSAL*la* IIIVIR *Auro Argento Aeri Flando Feriundo*. In area nummi senatusconsulta nota est.

Tertius ex Valeriis Messallis in his nummis occurrit, & quidem cum antiquissimo gentis Valeriæ, ex Sabinis oriundæ, prænomine. Dicitur enim Volusus Valerius &c. (quod sibi prænomen hisce temporibus adsumsisse videntur quidam Valerii) Et hic quidem mihi videtur esse ille Volesus (utroque enim modo scribitur) Messalla, cujus mentionem parum honestam Seneca & Tacitus faciunt. Animi enim crudelis & tyrannici fuit. Hæc de illo narrat Seneca lib. II. de Ira cap. 5. *Volesus nuper sub divo Augusto proconsul Asiæ, quum trecentos una die securi percussisset, incedens inter cadavera vultu superbo; quasi magnificum quiddam conspiciendumque fecisset, Græce proclamavit, O rem regiam! Quis hæc rex fecisset? Non fuit hæc ira, sed majus malum & insanabile.* Damnatum propterea sub Augusto fuisse notavit Tacitus lib. Ann. III. cap. 67. *Tiberius, quæ in Silanum parabat, quo excusatius sub exemplo acciperentur, libellos divi Augusti de Voleso Messalla, ejusdem Asiæ proconsule, factumque in eum senatusconsultum recitari jubet.*

Hic est ille Volusus Valerius Messalla, qui a quibusdam Fastorum scriptoribus L. Valerius Messalla Volusus adpellatur, Potiti F. Consulatum gessit A. V. C. DCCLVII. Asiam vero proconsule obtinuit. A. V. C. DCCLXIII.

Gentem Valeriam non modo antiquos Valerios sed & Volusos jactasse in stemmate suo docent versus Ovidii ad L. Cottam Messalinum scripti. Is natura filius erat Corvini Messallæ & frater M. Valerii Messallæ, sed adoptione Cottæ in familiam Aureliam transierat. Plura de eo apud Tacitum, & mortis caussam apud Plinium legas. Versus Ovidii ad illum hi sunt lib. III. de Ponto eleg. II. vs. 103.

Adde, quod est animus semper tibi mitis; & altæ
Indicium mores nobilitatis habet.
Quos Volesus patrii cognoscat nominis auctor,
Quos Numa maternus non neget esse suos.
Adjectisque probent genitiva ad nomina Cottæ,
Si tu non esses, interitura domus.

VARGUNTEIA.

Nescitur utrum familia Varganteja patricia fuerit an plebeja; patriciam tamen malunt antiquarii, quod unus ex sociis Catilinæ L. Varguntejus senator vocetur.

I.

Marcus VARG*unteius*. Caput Romæ galeatum cum nota denarii.

ROMA,

ROMA. Jupiter in lentis quadrigis, utpote triumphalibus, dextra palmam, victoriæ ſymbolum gerit, læva fulmen tenet & equorum habenas.

Adeo incognitus veteribus eſt hic M. Varguntejus, ut nullum ejus indicium apud ſcriptores exſtet; vix Fulvius Urſinus in fragmento veteris marmoris M. Vargunteі nomen invenit, quod teſtatur Marci prænomen in illa gente familiare fuisſe. Memorantur quidem aliquot Varguntеji apud ſcriptores, ſed diverſi omnes ab hoc eſſe videntur. Lucius Varguntejus, Catilinæ ſocius, prænomine ab hoc diſcrepat; ne quid de Q. Varguntejo grammatico, cujus meminit Suetonius, dicam. Fuit & Varguntejus, legatus M. Craſſi in bello Parthico, atque ibi cum IV. cohortibus, teſte Appiano, oppreſſus. At illi prænomen non additur, ſed ſimpliciter Βαργόντηϊος dicitur, ſive Varguntejus, libro de Bel. Parth. pag. 149. & antiquior hi nummi Craſſi temporibus videntur. Vargunteі cujuſdam caſum commemorat Obſequens, cap. CXXII. qui de cœlo ictus & exanimatus inde fuerit, ſed id M. Cicerone & C. Antonio coſſ. contigit.

Manet itaque M. Varguntejus nobis ignotus; ex proavis vero (ut puto) fuit Lucii Varguntеji ſenatoris, Catilinæ ſocii, & fuiſſe triumvirum monetalem exiſtimo, quum hos nummos Romæ omnes ſignarit. In denario noſtro Jupiter Triumphator exprimitur, ob aliquam inſignem victoriam illo anno a populo Romano de hoſtibus relatam. Ornatus Jovis Triumphatoris notari debet, læva fulmen & habenas, dextra palmæ ramum gerit. Idem eſt ornatus in ſimili plane nummo gentis Domitiæ, tabula ſecunda num. I. a Cneo Domitio cuſo. Ibi quidem ramuſculi eſt figura in dextra Jovis, hic vero palma, verum hæc tam minuta forſan unam eandemque figuram in nummo habent: certe palma & lauri ramus ejuſdem rei ſunt indicia, victoriæ ſcilicet a Jove populo Romano conceſſæ. Et hinc jam me inceſſit ſuſpicio iſtum Cneum Domitium, de quo egimus ſupra pag. 155. ut qui de Arvernis triumpharit, triumvirum monetalem fuiſſe una cum noſtro M. Varguntejo.

II.

Caput Herculis inberbe in leonis exuviis, poſt illud ſunt tres globuli, quadrantis nota.

Marcus VARG*unteius*. ROMA. Prora cum eadem quadrantis nota.

In memorata gentis Domitiæ tabula num. VI. & pag. 156. ſimillimus magnitudine & figura nummus æreus cum iisdem hisce typis depingitur, qui inſcribitur CN*eus* DOME*tius*. ROMA. Quod videtur firmare conjecturam modo prolatam; ita ut qui ibi Cneus Dometius dicatur, Cneus Domitius in denario tabulæ ejus primo vocetur, atque una cum noſtro M. Varguntejo triumvir monetalis exſtiterit.

III.

Caput Jovis Capitolini laureatum cun nota ſemiſſis.

Marcus VARG*unteius*. ROMA. Prora navis cum nota ſemiſſis.

Hi nummi nullam victoriæ & triumphi notam habent, quod ærei ſint, vel ante illam felicitatem cuſi.

VENTIDIA.

Gens fuit plebeja e Piceno oriunda. Baſſi cognomen habuit, & Frontonis.

I.

Marcus ANT*onius*. Caput M. Antonii, poſt illud eſt lituus, auguratum ejus denotans.

Publius VENT*idius* PONT*ifex* IMP*erator*. Figura virilis nuda ſtans, dextra haſtam, læva quod tenuit detritum eſt. Fuit forte patera. Nummus eſt ex rarioribus.

P. Ventidius, ſub quo pontifice & imperatore hic nummus cuſus fuit, exemplum luſus Fortunæ eſt eximium. Plures ſcriptores mirati illum ſunt. Sufficient duo, Valerius Maximus & Aulus Gellius. Valerii verba ſunt lib. VI. cap. IX. ex. 9. *Huic tanto incremento majus adjiciam: Aſculo capto Cn. Pompejus, Magni pater, P. Ventidium, ætate impuberem, in triumpho ſuo populi oculis ſubjecit. Hic eſt Ventidius, qui poſtea Romæ ex Parthis, & per Parthos de Craſſi manibus in hoſtili ſolo miſerabiliter jacentibus triumphum duxit. Itaque qui captivus carcerem exhorruerat, victor Capitolium felicitate celebravit. In eodem etiam illud eximium, quod eodem anno prætor & conſul eſt factus.* Operoſius ab Aulo Gellio deſcribitur, cujus integrum de eo adjiciam caput, ut non ipſe tantum cognoſcatur, ſed nummi inſcriptio lucem haud exiguam inde fœnerari poſſit. Exſtat teſtimonium Gellii lib. XV. cap. 4. *In ſermonibus nuper fuit ſeniorum hominum & eruditorum, multos in vetere memoria altiſſimum dignitatis gradum adſcendiſſe ignobiliſſimos prius homines & deſpicatiſſimos. Nihil adeo de quoquam tantæ admirationi fuit, quantæ fuerunt, quæ de Ventidio Baſſo ſcripta ſunt. eum Picentem fuiſſe, genere & loco humili; & matrem ejus a Pompejo Strabone, Pompeji Magni patre, bello ſociali, quo Aſculanos ſubegit, captam cum ipſo eſſe; mox triumphante Pompejo Strabone eum quoque puerum inter ceteros ante currum imperatoris ſinu matris vectum eſſe; poſt, quum adoleviſſet, victum ſibi ægre quæſiſſe, eumque ſordide inveniſſe comparandis mulis & vehiculis, quæ magiſtratibus, qui ſortiti provincias forent, præbenda publice conduxiſſet; in iſto quæſtu notum eſſe cœpiſſe C. Cæſari, & cum eo profectum eſſe in Gallias: tum, quia in ea provincia ſatis naviter verſatus eſſet, & deinceps civili bello mandata ſibi pleraque impigre & ſtrenue feciſſet, non modo in amicitiam Cæſaris, ſed ex ea in ampliſſimum quoque ordinem perveniſſe; mox tribunum quoque plebi ac deinde prætorem creatum, atque in eo tempore judicatum eſſe a ſenatu hoſtem cum M. Antonio: poſt vero conjunctis partibus non priſtinam tantum dignitatem reciperaſſe, ſed pontificatum ac deinde conſulatum quoque adeptum eſſe: eamque rem tam intoleranter tuliſſe populum Romanum, qui Ventidium Baſſum meminerat curandis mulis victitaſſe, ut vulgo per vias urbis verſiculi proſcriberentur:*

Concurrite omnes augures haruſpices:
Portentum inuſitatum conflatum eſt recens.
Nam mulos qui fricabat conſul factus eſt.

Eumdem Baſſum Suetonius Tranquillius præpoſitum eſſe a M. Antonio provinciis orientalibus, Parthosque in Syriam introrumpentes tribus ab eo prœliis fuſos ſcribit, eumque primum omnium de Parthis triumphaſſe, & morte obita publico funere ſepultum eſſe. Cognoſcitur ex illis, *ſed pontificatum ac deinde conſulatum quoque adeptum eſſe*, ipſum pontificem recte in hoc nummo inſcribi. Imperatoris vero titu-

titulum adeptus fuit cæso Parthico imperatore Tito Labieno cum Parthorum exercitu, & egregia relata victoria, neque diu post cæso quoque Pacoro & Parthorum, qui cum rege erant, copiis. Digna hæc P. Ventidii virtus est, ut plenius ex Dione innotescat. Scribit ita Dio Cassius lib. XLVIII. pag. 380. & 381. ubi quum de luxu M. Antonii egit, hæc subjungit. Αὐτὸς μὲν οὖν περὶ ταῦτα εἶχε, τὸν δὲ δὴ Οὐεντίδιον τὸν Πόπλιον ἐς τὴν Ἀσίαν προπέπεμψε. καὶ ὃς ἦλθέ τε ἐπὶ τὸν Λαβιηνὸν πρὶν ἔκπυστος γενέσθαι, καὶ καταπλήξας αὐτὸν τῷ τε αἰφνιδίῳ τῆς ἐφόδου, καὶ τοῖς στρατεύμασιν (ἄνευ γὰρ τῶν Πάρθων, μετὰ τῶν αὐτόθεν στρατιωτῶν μόνων ἦν) ἐκεῖθέν τε μηδὲ ἐς χεῖρας οἱ ὑπομείναντα εὐθὺς ἐξέωσεν, καὶ φεύγοντα ἐς τὴν Συρίαν ἐπεδίωξε, τὸ κουφότατον τοῦ στρατοῦ λαβὼν, καὶ αὐτὸν πρὸς τῷ Ταύρῳ καταλαβὼν, οὐκέτι περαιτέρω προχωρῆσαι εἴασεν, ἀλλ' ἐνταῦθα ἐπὶ πλείους ἡμέρας καταστρατοπεδευσάμενοι ἡσύχαζον. Λαβιηνὸς μὲν γὰρ τοὺς Πάρθους, Οὐεντίδιος δὲ τοὺς ὁπλίτας ἀνέμενεν. ὡς οὖν καὶ οὗτοι ἐν ταῖς αὐταῖς ἅμα ἀμφότεροι ἡμέραις ἦλθον, Οὐεντίδιος μὲν δεδιὼς τὴν ἵππον τῶν βαρβάρων ἐν τῷ μετεώρῳ, ὅπερ ηὐλίζετο, κατέμεινεν· οἱ δὲ δὴ Πάρθοι ἔκ τε τοῦ πλήθους σφῶν, καὶ ἐκ τοῦ προνενικηκέναι ποτὲ, καταφρονήσαντες, πρός τε τὸν γήλοφον ἅμα τῇ ἕῳ, πρὶν καὶ τῷ Λαβιηνῷ συμμῖξαι, προσήλασαν, καὶ ὡς οὐδεὶς σφίσιν ἀντεπεξῄει, καὶ πρὸς τὸ ὄρθιον αὐτὸ προσέβαλον. καὶ αὐτοὺς ἐνταῦθα ἤδη ὄντας οἱ Ῥωμαῖοι ἐπιδραμόντες, ῥᾳδίως πρὸς τὸ κάταντες ἐτρέψαντο. καὶ σφῶν πολλοὶ μὲν ἐν χερσὶν ἀπέθανον, τὸ δὲ δὴ πλεῖον ἐν τῇ ἀναστροφῇ περὶ ἀλλήλοις, οἱ μὲν, ἤδη τετραμμένοι, οἱ δὲ, ἔτι προσιόντες, ἐσφάλησαν. οἵ τε περιλειφθέντες, οὐ πρὸς τὸν Λαβιηνὸν ἀλλ' ἐς Κιλικίαν ἔφυγον. ὁ οὖν Οὐεντίδιος ἐπεδίωξε μὲν αὐτοὺς μέχρι τοῦ στρατοπέδου, ἰδὼν δὲ ἐνταῦθα τὸν Λαβιηνὸν, ἐπέσχε. καὶ ὃς παρετάξατο μὲν ὡς καὶ ἐς χεῖρας αὐτῷ ἥξων, αἰσθόμενος δὲ τοὺς στρατιώτας ἀθύμως, διὰ τὴν τῶν βαρβάρων φυγὴν, ἔχοντας, οὔτε τότε ἐθάρσησεν οἱ ἀντᾶραι, καὶ τῆς νυκτὸς ἀποδρᾶναι ποι ἐπεχείρησε. προγνοὺς οὖν τοῦτο ἐξ αὐτομόλων ὁ Οὐεντίδιος, πολλοὺς μὲν ἐν τῇ ἀποχωρήσει ἐνεδρεύσας ἔκτεινε, πάντας δὲ τοὺς λοιποὺς ἐγκαταλειφθέντας ὑπὸ τοῦ Λαβιηνοῦ παρεστήσατο. καὶ ἐκεῖνος δὲ τότε μὲν τὴν ἐσθῆτα μετεκδὺς διέφυγε, καὶ χρόνον τινὰ ἐν τῇ Κιλικίᾳ διέλαθεν. ὕστερον δὲ ὑπὸ Δημητρίου ἑάλω. οὗτος γὰρ καὶ ἐξελεύθερός τε ὢν τοῦ Καίσαρος τοῦ προτέρου, καὶ τότε τῇ Κύπρῳ πρὸς τοῦ Ἀντωνίου προστεταγμένος, ἀνεζήτησέ τε αὐτὸν, μαθὼν ὅτι κρύπτοιτο, καὶ συνέλαβε. μετὰ δὲ δὴ τοῦτο ὁ Οὐεντίδιος τήν τε Κιλικίαν ἐκομίσατο, καὶ αὐτὸς μὲν ταύτην καθίστατο. *His rebus ipse occupatus, P. Ventidium in Asiam præmisit. Ventidius ante ad Labienum pervenit quam is id futurum cognosceret, territumque repentino adventu, exercituque suo (solus enim tum cum collectis ex Asia militibus Labienus ibi agebat, absque Parthis) inde ne ausum quidem congredi, profligavit, fugientemque in Syriam insecutus est, cum expeditissimis sui exercitus militibus: deprehensumque apud Taurum montem, ulterius progredi prohibuit. Eo loco complures dies oppositis invicem castris quieverunt, Labieno Parthos, Ventidio legiones exspectante. Quum iisdem diebus utrique id quod operiebatur, advenisset, Ventidius, quia equitatum Parthorum metuebat, in sublimi loco (ibi enim castra posuerat) perstitit: Parthi vero sua multitudine freti, hostemque, olim a se superatum, contemnentes, antequam se Labieno conjungerent, summo mane ad tumulum accesserunt: ac, nemine contra exeunte, subire ad ipsum collem intenderunt. Quum jam in sublime evasissent, Romani decurrentes, haud magno labore eos per declive præcipites egerunt: ita Parthi pars a Romanis trucidati, major pars in receptu se invicem perdiderunt, quum alteri jam fugerent, alteri tum primum colli succederent. Ventidius Parthos, non ad Labienum sed in Ciliciam fugam convertentes, usque ad castra insecutus, viso ibi Labieno substitit. Nam Labienus, quum se ad pugnam composuisset, videns militum suorum animos fuga barbarorum consternatos, non ausus confligere, sub noctem aufugere aliquo instituit. Ventidius re e profugis præcognita, multos in ipso discessu per insidias interfecit, reliquos omnes a Labieno desertos sibi adjunxit. Labienus veste mutata effugit, ac aliquamdiu in Cilicia quum latuisset, a Demetrio (fuerat hic superioris Cæsaris libertus, ac tum Cyprum, ab Antonio præpositus ei insulæ, regebat) postquam ubi delitesceret cognoverat, indagatus ac captus est. His ita gestis, Ventidius Ciliciam recepit, ac constituit.* Majorem deinde ejus victoriam, & ipsius Pacori regis cædem ita persequitur lib. XLIX. pag. 403. & 404: juvat enim historiam ipsius Dionis Cassii verbis pertexere: Τὰ δὲ δὴ τοῦ Ἀντωνίου τῶν τε βαρβάρων ὧδε ἔσχεν. ὁ Οὐεντίδιος ὁ Πόπλιος τὸν Πάκορον στρατιάν τε ἀθροίζειν καὶ ἐς τὴν Συρίαν ἐμβάλλειν μαθὼν, ἔδεισεν, ἐπειδὴ μήτε αἱ πόλεις πω καθειστήκεισαν, καὶ τὰ στρατόπεδα ἐν τοῖς χειμαδίοις ἔτι διεσπάρατο· καὶ τοιόνδε τι ἔς τε τὴν διατριβὴν αὐτοῦ, καὶ ἐς τὴν βραδυτῆτα τῆς στρατιᾶς ἐποίησε· Χανναῖόν τινα δυνάστην, γνωρίμως μὲν καὶ αὐτῷ ἔχοντα, τὰ δὲ δὴ τῶν Πάρθων μᾶλλον φρονοῦντα εἰδὼς, τά τε ἄλλα ὡς καὶ πιστότατόν οἱ ὄντα ἐτίμα, καὶ σύμβουλον ἔστιν ὧν ἐποιεῖτο, ἐξ ὧν αὐτὸς μὲν οὐδὲν βλαβήσεσθαι, ἐκείνῳ δὲ δὴ πίστιν τοῦ καὶ τὰ ἀπορρητότατα δῆθεν αὐτῷ συνειδέναι, παρέξειν ἔμελλεν ἐπειδή τε ἐνταῦθα ἦν, φοβεῖσθαί τε ἐπλάσατο μή πως οἱ βάρβαροι τὴν συνήθη σφίσι διάβασιν τοῦ Εὐφράτου, παρ' ᾗ τὸ Ζεῦγμα ἡ πόλις ἐστὶ, παραλιπόντες, ἑτέρᾳ τινὶ ὁδῷ κάτω τοῦ ποταμοῦ χρήσωνται· τῇ μὲν γὰρ πεδία τοῖς πολεμίοις ἐπιτήδεια, τῇ δὲ γηλόφους ἑαυτοῖς πρέποντας εἶναι ἔλεγε. κἀκ τούτου αὐτὸν ἀνέπεισε πιστεῦσαι, καὶ τὸν Πάκορον δι' αὐτοῦ προσεξηπάτησε· (τὴν γὰρ πεδιάδα ἣν προσεποιεῖτο ὁ Οὐεντίδιος μὴ βούλεσθαι αὐτὸν ἐλθεῖν, μακροτέραν τῆς ἑτέρας οὖσαν, τραπεὶς, παρέσχεν οἱ καιρὸν τὰς δυνάμεις ἀθροῖσαι·) καὶ οὕτως ἐν τῇ Συρίᾳ αὐτῷ τῇ Κυρηστικῇ γενομένῳ συμβαλὼν, ἐνίκησεν. ἐπειδὴ γὰρ οὔτε τὸν ποταμὸν διαβῆναι σφᾶς ἐκώλυσεν, οὔτ' αὖ διαβᾶσιν αὐτοῖς ἐπέθετο, μαλακίαν τέ τινα καὶ ἀρρωστίαν τῶν Ῥωμαίων κατέγνωσαν, κἀκ τούτου πρὸς τὸ ἔρυμα αὐτῶν καίπερ ἐν μετεώρῳ ὂν, προσήλασαν, ὡς καὶ αὐτοβοεὶ σφᾶς αἱρήσοντες. ἐπεκδρομῆς τε αἰφνιδίου γενομένης, κατά τε πρανοῦς οὐ χαλεπῶς, ἅτε καὶ ἱππεῖς ὄντες, ἀπεώσθησαν· κἀν ταῦθα ἀνδρείως μὲν ἀμυνόμενοι (κατάφρακτοι γὰρ οἱ πλείους αὐτῶν ἦσαν) ταραττόμενοι δὲ πρός τε τῷ ἀνελπίστῳ, καὶ περὶ ἀλλήλοις ὑπό τε τῶν ὁπλιτῶν καὶ ὑπὸ τῶν σφενδονητῶν μάλιστα ἡττήθησαν· πόρρωθεν γὰρ σφοδραῖς ταῖς βολαῖς ἐξικνούμενοι, χαλεπώτατοι αὐτοῖς ἐγίγνοντο. κἀν τῷ πόνῳ τούτῳ καὶ ὁ Πάκορος πεσὼν, πλεῖστον αὐτοὺς ἔβλαψεν. ὡς γὰρ τάχιστα τὸν ἄρχοντα σφῶν ἀπολωλότα ᾔσθοντο, ὀλίγοι μὲν περὶ τοῦ σώματος αὐτοῦ προθύμως ἠγωνίσαντο· φθαρέντων δὲ καὶ τούτων, πάντες οἱ λοιποὶ ἐνέδοσαν, καὶ αὐτῶν οἱ μὲν, διὰ τῆς γεφύρας οἴκαδε διαφυγεῖν ἐθελήσαντες, οὐκ ἠδυνήθησαν ἀλλὰ προκαταληφθέντες ἀπώλοντο· οἱ δὲ καὶ πρὸς τὸν Ἀντίοχον ἐς τὴν Κομμαγηνὴν κατέφυγον. Οὐεντίδιος δὲ τὰ μὲν ἄλλα τὰ ἐν τῇ Συρίᾳ μετέωρα πρὸς τὴν τοῦ πολέμου ἔκβασιν γιγνόμενα (τὸν γὰρ Πάκορον ὅμοια τοῖς μάλιστα τῶν πώποτε βασιλευσάντων καὶ ἐπὶ δικαιοσύνῃ καὶ ἐπὶ πρᾳότητι ὑπερηγάπων) ῥᾳδίως, τὴν κεφαλὴν αὐτοῦ κατὰ τὰς πόλεις περιπέμψας, κατεστήσατο· αὐτὸς δὲ ἐπὶ τὸν Ἀντίοχον, πρόφασιν μὲν, ὅτι τοὺς οἰκέτας οἱ οὐκ ἐξέδωκε, τῇ δ' ἀληθείᾳ διὰ τὰ χρήματα ἃ πάμπολλα εἶχεν ἐπεστράτευσεν. *Porro autem Antonii & Barbarorum res ita habent. P. Ventidius, quum Pacorum exercitum colligere, & in Syriam proficisci audisset; in metum pervenit, quum neque urbes essent adhuc constitutæ, & exercitus in hybernis etiamnum dispersi: utque & môram Pacoro injiceret, & tarditati suarum copiarum mederetur, regulum quendam Chaunæum, notum quidem sibi familiariter, sed quem certo sciebat Parthis magis cupere, cum alioquin tanquam fidissimum sibi in honore habuit, tum* con-

consilium quoque nonnullis in rebus ab eo petiit, ita ut citra suum tamen detrimentum ei hanc de se opinionem præberet, quasi conscium eum suorum arcanissimorum consiliorum faceret: eo re deducta, simulavit metuere se, ne barbari, consueto suo Euphratis transitu, qui est apud urbem Zeugma, omisso, alia via infra eum locum flumen transirent, quod hic campi Parthis, ibi vero colles sibi commodi essent: idque & persuasit Chauneo, & per eum etiam Pacorum decepit, ita ut campestri itinere (qua Ventidius finxerat se eum nolle venire) prolixiori delecto, spatium copias suas cogendi Ventidio daret. Porro Ventidius ita paratus, Pacorum in Syria Cyrrhestica prælio vicit. Nam quum & passus esset Parthos fluvium transire, neque secundum transitum eos adortus esset, in eam ipsos opinionem adduxerat, ut, effœminatos ac imbecilles esse Romanos judicantes, castra quoque eorum, quamvis edito loco posita, adgrederentur, spe ea primo impetu capiendi: verum a Romanis repentina eruptione facta, non magno labore per declive depulsi (equites enim erant) deinde fortiter quidem pugnantes (& erant plerique gravis armaturæ) tamen improviso hostium incursu perturbati, ac superati a legionibus Romanis sunt, maxime funditoribus victoriam adjuvantibus; qui eminus violentis ictibus barbaros impetentes summopere adfligebant. Pacorus quoque in ea pugna cæsus, maximum adtulit suis damnum, quem simul atque Parthi cecidisse viderunt, pauci pro ejus cadavere alacriter certavere: quibus ipsis quoque concisis, reliqui omnes cesserunt, ac partim, per pontem, domum confugere conati, præventi ab hostibus, perierunt, partim in Commagenem ad Antiochum profugerunt. Ventidius Syriam, quæ suspenso animo eventum belli expectabat, (nam justitiæ ac clementiæ nomine Pacorum Syri summo amore prosequebantur, ita ut majori nullum unquam regem) circum urbes misso Pacori capite, quum facile pacavisset, contra Antiochum duxit, eo obtento quod is ei servos non dedidisset: re autem vera, pecuniæ, quam plurimam Antiochus possidebat, spe potiundæ. Invidit hanc illi gloriam M. Antonius, atque ad se præmia ejus virtutis omnia pertrahere conatus fuit. Frustra, nam & omnia quæ debebantur Ventidio, ut victori gloriosissimo, consecutus est Ventidius, & primus de Parthis triumphavit. Eleganter rem narrat atque historiæ suæ filum persequitur Dio Cassius his verbis, pag. 404. Ἐνταῦθα δὲ ἤδη αὐτῷ ὄντι ὁ Ἀντώνιος ἐξαίφνης ἐπιστὰς, οὐ μόνον οὐχ ἥσθη, ἀλλὰ καὶ ἐφθόνησεν, ὅτι ἔδοξέ τι καθ' ἑαυτὸν ἠνδραγαθῆσθαι· καὶ διὰ τοῦτο καὶ τῆς ἀρχῆς αὐτὸν ἔπαυσε, καὶ ἐς οὐδὲν ἔτι οὔτ' αὐτίκα οὔθ' ὕστερον αὐτῷ ἐχρήσατο, καίτοι καὶ ἱερομηνίας ἐπ' ἀμφοτέροις τοῖς ἔργοις καὶ ἐπινίκια δι' αὐτὸν λαβών. οἵ γε μὴν ἐν τῷ ἄστει Ῥωμαῖοι ἐψηφίσαντο μὲν τῷ Ἀντωνίῳ ταῦτα, πρός τε τὸ προῦχον αὐτοῦ. καὶ ἐκ τοῦ νόμου, ὅτι ἡ στρατηγία ἐκείνου ἦν· ἐψηφίσαντο δὲ καὶ τῷ Οὐεντιδίῳ, ἅτε καὶ τὴν συμφορὰν τὴν ἐπὶ Κράσσου σφίσι γενομένην ἱκανώτατα τοῖς Πάρθοις διὰ τοῦ Πακόρου (καὶ μάλιστα ὅτι ἐν τῇ αὐτῇ ἡμέρᾳ ἑκατέρου τοῦ ἔτους ἀμφότερα συνηνέχθη) νομίζοντες ἀντιποδεδωκέναι. καὶ συνέβη γε τῷ Οὐεντιδίῳ μόνῳ τά τε νικητήρια ἑορτάσαι, ὥσπερ καὶ μόνος ἐνίκησεν (ὁ γὰρ Ἀντώνιος προαπώλετο) καὶ δόξαν ἀπό τε τούτου καὶ ἐκ τοῦ παραλόγου ἅμα τῆς τύχης μείζω λαβεῖν· ἐν γὰρ τοῖς τοῦ Πομπηΐου τοῦ Στράβωνος ἐπινικίοις πομπεύσας ποτὲ μετὰ τῶν ἄλλων αἰχμαλώτων, αὐτὸς ἐπινίκια τῶν Πάρθων πρῶτος Ῥωμαίων ἤγαγε. ταῦτα μὲν χρόνῳ ὕστερον ἐγένετο. *Hoc agenti ei Antonius subito supervenit: ac non modo non gavisus est, sed invidit etiam ob rem proprio ductu præclare gestam: & quamvis sibi propter utrumque factum Ventidii, & supplicationes & triumphus erant decreti, tamen eum & officio suo detrusit, & neque tum neque deinceps ulla in re opera ejus usus est. Romæ autem Antonio hæc decreta sunt, tum ob ejus eminentiam, tum secundum leges, quia ea provincia ipsius fuerat: nihilominus tamen Ventidio quoque eadem concessa sunt, quia videbatur Crassi calamitatem Pacorus abunde compensasse: præsertim quum eadem anni die utraque res evenisset. Sed ut Ventidius solus vicerat, ita solus quoque triumphavit de Parthis, (Antonius enim, antequam triumphare posset, periit) eaque res, & fortunæ opus mirum, auxêre gloriam Ventidii: quippe olim in triumpho Pompeji Strabonis cum aliis captivis ductus, primus postea temporis de Parthis inter Romanos triumphum duxit.* Adparet itaque ex honoribus P. Ventidio publice habitis, imperatoris quoque titulum eo tempore a militibus suis retulisse. Consul fuit A. V. C. DCCX. triumphavit vero proconsule de Parthis A. V. C. DCCXV.

Fortunam ejus cum Servii Tullii regis fato comparat Juvenalis Sat. VII. vs. 199.

Ventidius quid enim, Quid Tullius? anne aliud quam
Sidus? & occulti miranda potentia fati?
Servis regna dabant, captivis fata triumphos.

Cur Antonii facies in nummo signetur per se clarum est; figuram stantem de Antonio quoque interpretatur Vaillantius, ego puto Jovis Statoris esse.

II.

NERO CAESAR AVG*ustus*. Caput Neronis laureatum.

COR*inthus*. T*ito* VENT*idio* FRONTONE IIVIR*o*. Neronis togati statua in templo quatuor columnarum.

Quum Nero Corinthum venisset, victorque in ludis Isthmicis esset proclamatus, & ipse plurimum gavisus fuit, & Corinthii omni arte Cæsari sunt adulati, prouti melius in ipsius Neronis nummis Tomo II. cerni poterit.

T. Ventidius Fronto nobis incognitus est. Fuit vero Frontonis cognomen plurimis familiare. Unius tantum duumviri nomen in hoc nummo exprimitur, ut sæpius in Corinthiorum nummis.

III.

NERO CAESAR AVG*ustus*. Caput Neronis laureatum.

COR*inthus*. T*ito* VEN*tidio* *Frontone* II VIR*o*. Græcia sub habitu mulieris turritæ & stolatæ, læva vestis tenet laciniam, dextra imperatorem togatum coronat.

Respicit hic typus victoriam, quam in ludis sacris Nero Cæsar reportavit, propter quam velut ab universa Græcia coronatur.

VERGINIA vel VERGILIA.

Gens Verginia sive Virginia, pro qua hic Vergiliam mavult Morellius, plebeja fuit, uti ex tribuno plebis A. Verginio constat.

I.

Caput Jani bifrontis barbatum & laureatum.

OCVL*nius*. VER*gilius*. CAR*vilius*. Prora navis.

Habuimus jam hunc assem in gente Carvilia pag. 76. ut & Oculnia pag. 301. Vide quæ ibidem diximus. Inveniuntur enim coætanii circa

A. V. C. DIX. & DX. hi tres fuiſſe.

II.

Caput Jovis Axuris inberbe, laureatum.

VERginius. CARvilius. OCVLnius. Jupiter in citis quadrigis, dextra elevata fulmen tenet, læva equorum habenas. Deſuper eſt litera alphabetica G.

Hi tres, quoniam ſimul triumviri monetales fuerunt, in iisdem nummis nomina ſua adponunt, in nullis vero ROMA adſcribitur; neque tamen veroſimile eſt extra Romam cuſos fuiſſe.

Nummus, qui ſequitur ſine nota, ſub Jovis Axuris capite fulmen habet, ſupra quadrigas decurrentes literam C. pro qua alii G. N. I. &c. exhibent. Vide ſupra in Fam. Carvilia l. c.

VERRIA.

Gens Verria plebeja fuiſſe videtur. Inclaruit maxime Verrio Flacco, juris pontificii peritiſſimo, & liberto ejus Verrio Flacco; cujus opera deſideramus, & fragmenta quædam Feſti Pompeji cura ſervata ſunt, ipſe propter docendi ſingularem curam ab Auguſto in palatium ad nepotes ſuos erudiendos vocatus fuit, & maximos honores doctrina ſua meruit.

I.

AVGVSTVS DIVI *Filius* CO*nSul* XI. DE*Signatus* XII. TR*ibunitia Poteſtate* XIX. Caput Auguſti laureatum.

CAESAR*ea* AVGVSTA *Caio* ALLIARIO T*ito* VERRIO IIVIR*is*. Colonus agens boves.

Titus Verrius propinquus forſan fuit ejus qui juris pontificii dicitur fuiſſe peritiſſimus. Conſulatum XII. Cæſari Auguſto, qui illud erat ſuſcepturus poſt longam illius honoris fugam, Cæſarauguſtani gratulantur.

VETTIA.

Gens Vettia plebeja fuit, ſed perantiqua, a Sabinis enim oriunda cum Tatio rege Romam venit. Tempore Ciceronis Judicis cognomen habuit, quod in denariis ſupereſt; exſtiterunt quoque eodem tempore Vettii Bolani.

I.

T*Atius* SABINVS. S*enatus* C*onſulto*. Caput nudum & barbatum Tatii Sabini regis.

T*itus* VETTIVS IVDEX. Vir togatus inſiſtens bigis lente procedentibus, dextra ſceptrum longius ſive longam haſtam puram tenet, læva equorum habenas. Poſt bigas ſpica frumenti erigitur.

Propinquus L. Vettii Judicis, qui Catilinæ detexit conjurationem, & propterea notus eſt apud hiſtoricos, videtur fuiſſe hic Titus Vettius Judex. Prænomen T. ſive Titus in nummis clare illi vindicatur, non tantum in regio, quem conſuluit & propterea laudavit Vaillantius, ſed in nitidiſſimo quoque meo, qui ſerratus eſt. Sunt vero hi Vettii denarii inter raros.

A Vaillantio hujus pulcherrimi denarii inſcriptio referri videtur ad Titum Vettium illum, qui vixit extremo liberæ reipublicæ tempore, quique Ciceronis temporibus ad honores pervenit; quibus præturam geſſit in urbe, atque ut prætor provincialis deinde Africam ſortitus fuit. Præturam ejus confert Pighius in A. V. C. DCLXXXXIV. quo L. Valerium Flaccum ex Aſia repetundarum poſtulatum defendit oratione luculenta, quæ adhuc exſtat, Cicero, & quidem coram prætore Tito Vettio. Africam provinciam nactus fuit A. V. C. DCLXXXXV. Unde, ut prætorem provincialem deſignatum, adloquitur Cicero Orat. pro L. Flacco cap. XXXIV. *Relinquitur illud, quod vociferari non deſtiſtit, non debuiſſe, cum prætor eſſet, ſuum negotium agere, aut mentionem facere hereditatis. Maximas audio tibi, L. Lucullе, qui de L. Flacco ſententiam laturus es, pro tua eximia liberalitate, maximisque beneficiis in tuos, veniſſe hereditates, cum Aſiam provinciam conſulari imperio obtineres. Si quis eas ſuas eſſe dixiſſet, conceſſiſſes? Tu, T. Vecti, ſi qua tibi in Africa venerit hereditas, uſu amittes? an tuum, nulla avaritia, ſalva dignitate, retinebis? At iſtius hereditatis, jam Globulo prætore, Flacci nomine petita poſſeſſio eſt. non igitur impreſſio, non occaſio, non vis, non tempus, non imperium, non ſecures ad injuriam faciendam Flacci animum impulerunt.* In hisce quidem T. Vectius prætor iſte adpellatur, qui T. Vettius in nummo dicitur, verum antiqui vel utroque modo ſcripſerunt, vel potius T. Vettius reponi debet apud Ciceronem pro T. Vectio. Primus enim ejus gentis Οὐέττιος vocatur apud Plutarchum in Vita Numæ pag. 64. Apud quem tamen nomen ejus, qui Catilinæ cônſilia aperuit, corrupte ſcribitur per Βρέττιον, quod mendum tamen non infeſtat nomen Vettii antiquioris, qui Gracchanis exſtitit temporibus, atque ut amicus C. Gracchi celebratur in Vita ejus apud Plutarchum pag. 835. Δίκην τε τινὶ τῶν φίλων φεύγοντι Βητίῳ συνειπών. *Atque quum amici cujusdam Vettii* (male in verſione eſt *Veſtii*) *rei cauſſam defenderet.* Βέττιος enim, vel Βήττιος, & Οὐέττιος Græcis dicitur qui Latinis Vettius. Sic quum Βέττιον Catilinæ indicem vocaſſe Plutarchum ſit veroſimile, Βρέττιον habent codices MSS. & editi. Ubi enim in vita Luculli pag. 520. calumniam & exitum deſcribit L. Vettii dicit, προῆγον οἱ Πομπηϊανοὶ Βρέττιον &c. Verba Plutarchi hæc ſunt. Ἀγανακτούντων δὲ τῶν βελτίστων ἐπὶ τοῖς γινομένοις, προῆγον οἱ Πομπηϊανοὶ Βρέττιόν τινα συνειληφέναι λέγοντες ἐπιβουλεύοντα Πομπηΐῳ, κἀκεῖνος ἀνακρινόμενος, ἐν μὲν τῇ συγκλήτῳ κατηγόρησεν ἑτέρων τινῶν, ἐν δὲ τῷ δήμῳ Λεύκολλον ὠνόμασεν, ὡς ὑπ᾽ ἐκείνου παρεσκευασμένος ἀποκτεῖναι Πομπήϊον. οὐδεὶς δὲ τῷ λόγῳ προσέσχεν, ἀλλὰ καὶ παραυτίκα δῆλος ἦν ὁ ἄνθρωπος ἐπὶ συκοφαντίᾳ, καὶ διαβολῇ προηγμένος ὑπ᾽ αὐτῶν· καὶ μᾶλλον ἐφωράθη τὸ πρᾶγμα μετ᾽ ὀλίγας ἡμέρας ῥιφθέντος ἐκ τῆς εἱρκτῆς νεκροῦ, λεγομένου μὲν αὐτομάτως τεθνάναι, σημεῖα δ᾽ ἀγχόνης καὶ πληγῶν ἔχοντος, ἐδόκει παρ᾽ αὐτῶν ἀνῃρῆσθαι τῶν παρεσκευακότων. *Quam rem cum optimates iniquo animo ferrent, Vectium quendam produxere Pompejani, captum dicentes, cum Pompejo inſidiaretur. Atque is, quæſtione habita in ſenatu, quosdam alios, apud populum vero Lucullum nominavit, a quo ad occidendum Pompejum ſubmiſſus fuiſſet. Nemo ei indicio fidem habuit, ſtatimque adparuit eum calumniandi cauſſa a Pompejanis ſubornatum fuiſſe: id quod paucis poſt diebus deprehenſum eſt. Nam cadaver Vectii ex carcere projectum inventum eſt: & a Pompejanis, qui eum caſu mortuum fuiſſe dicebant, cum tamen ſtrangulationis & verberum veſtigia conſpicerentur, ſatis patuit eundem ſubornatum cæſumque eſſe.* Vel Βέττιον igitur in Plutarchi locis, vel Οὐέττιον reponere debemus, quum ille videatur conſuluiſſe in hac hiſtoria eosdem auctores quos Caſſius, qui bis Οὐέττιον ſcribit. Verba Dionis ſunt lib. XXXVII. pag. 48. Ἕτεροι δὲ τῶν λανθανόντων, μηνυθέντες Λουκίου Οὐεττίου, ἀνδρὸς ἱππέως,

συγ-

συγκρινωνήσαντός μὲν σφίσι τῆς συνωμοσίας, τότε δὲ ἐπ' ἀδείᾳ αὐτὰς ἐκφαίνοντος, ἐλεγχόμενοι ἐδικαιοῦντο. μέχρις οὗ ἐσαγγείλας τινάς, τά τε ὀνόματα αὐτῶν ἐς δέλτιον συγγράψας, ὕστερον καὶ ἄλλους συχνοὺς προσεγγράψαι ἠθέλησεν. ὑποπτεύσαντες γὰρ αὐτὸν οἱ βουλευταὶ μηδὲν ὑγιὲς πράττειν, τὸ μὲν γραμματεῖον οὐκέτ' αὐτῷ ἔδωκαν, μὴ καὶ ἀπαλείψῃ τινάς, εἰπεῖν δὲ ἀπὸ γλώσσης ἐκέλευσαν, ὅσους παραλελοιπέναι ἔφασκε. καὶ οὕτως αἰδεσθεὶς καὶ φοβηθείς, οὐκέτι πολλοὺς ἐνέδειξε. θορύβου δ' οὖν ὡς ἔν τε τῇ πόλει καὶ παρὰ τοῖς συμμάχοις, ἀγνοίᾳ τῶν ὀνομασμένων, ὄντος, καὶ τῶν μὲν περὶ σφίσιν αὐτοῖς μάτην θορυβουμένων, τῶν δὲ καὶ ἐς ἑτέρους οὐκ ὀρθῶς ὑποπτευόντων, ἔδοξε τῇ γερουσίᾳ τὰ ὀνόματα αὐτῶν ἐκτεθῆναι. κἀκ τούτου οἵ τε ἀναίτιοι κατέστησαν, καὶ τοῖς ὑπευθύνοις δίκαι ἐγίγνοντο. καὶ αὐτῶν οἱ μὲν παρόντες, οἱ δὲ καὶ ἐρήμην ὦφλον. *Alii autem qui nondum deprehensi erant, indicio L. Vettii equitis, qui consors eorum conjurationis, proposita impunitate indicium professus erat, convicti atque supplicio adfecti sunt: donec nonnullis indicatis, eorumque nominibus in tabulam relatis, deinde multos etiam alios in eam adscribere voluit. Tum enim senatus eum mala fide agere ratus, tabulam quidem ei non reddidit, ne quos expungeret: ipsum autem eos quos omissos dicebat, nominatim percensere jusserunt. sic pudore & metu confusus non multos præterea detulit. Quum nomina eorum quos detulerat, ignota, in urbe & apud socios tumultus occasionem præberent, aliique sibi ipsis frustra timerent, alii insontes alios suspicione gravarent: decrevit senatus ut eorum nomina publice ederentur. ita demum innoxiis quies facta: rei in jus vocati, pars præsentes, pars, quum non adparuissent, condemnati sunt.* Iterum Dio Οὐέττιον eundem adpellat lib. XLVIII. pag. 63. Κικέρων δὲ καὶ Λούκουλλος, οὐκ ἀρεσκόμενοι τούτοις, ἀποκτεῖναι τόν τε Καίσαρα καὶ τὸν Πομπήιον διὰ Λουκίου τινὸς Οὐεττίου ἐπεχείρησαν μέν, οὐκ ἠδυνήθησαν δέ· ἀλλ' ὀλίγου καὶ αὐτοὶ προσαπώλοντο. προμηνυθεὶς γὰρ ἐκεῖνος καὶ συλληφθείς, πρὶν τι δρᾶσαι, κατεῖπεν αὐτῶν· καὶ εἴγε μὴ καὶ τὸν Βίβουλον, ὡς καὶ συνεπιβουλεύοντα σφισίν, ἐσηγγέλκει, πάντως ἄν τι δεινὸν ἐπεπόνθεισαν· νῦν δέ, ὅτι τοῦτον Πομπηίῳ τὸ πραττόμενον δηλώσαντα ἀμυνόμενος ᾐτιᾶτο, ὑπωπτεύθη μηδὲ ἐπὶ τῶν λοιπῶν ἀληθεύειν, ἀλλ' ἐκ κατασκευασμοῦ τινὸς πρὸς συκοφαντίαν τῶν ἀντιστασιωτῶν σφῶν παρεσκευάσθαι. καὶ περὶ μὲν τούτων ἄλλοι ἄλλα διεθρύλλουν. οὐ γάρ πω καὶ διελέχθη τι· ἀλλ' ἐς τὸ πλῆθος ὁ Οὐέττιος ἐσαχθείς, καὶ μόνους οὓς εἶπον ὀνομάσας, ἔς τε τὸ οἴκημα ἐσέπεσε, κἀνταῦθα οὐ πολλῷ ὕστερον ἐδολοφονήθη. *Cicero autem & Lucullus, quibus hæc minime placebant, Cæsari Pompeioque per quendam L. Vettium necem paraverunt, neque tamen id successit: sed ipsis fere ea res perniciem adtulisset. Vettius enim per indicium delatus, atque comprehensus antequam facinus patraret, ejus auctores nominavit, ac nisi Bibulum quoque tanquam insidiarum participem nominasset, profecto ii infortunium habuissent. Nunc quum indicii ulciscendi caussa eum qui rem Pompejo aperuerat crimine onerasset, in suspicionem venit, quasi ne de reliquis quidem vera retulisset, sed ex composito ad calumniæ adversariorum exponendos eos submissus esset. Igitur de his varii rumores ferebantur, nihil certi cognoscebatur. Vettius autem ad populum productus, quum eos tantum quos dixi, nominasset, in carcerem conditus ibique haud multo post clam necatus est.* Ex hisce clare liquet Plutarchum & Dionem ex eodem fonte historiam suam hausisse, & apud eundem utroque modo illud nomen Οὐέττιον scribi debere.

T. Vettius Judex, is scilicet qui nummum cudit, regis Sabinorum Tatii Sabini caput in nummo expressit, ut ita antiquitatem gentis indicaret. Etsi enim patricia non erat, equestrem tamen fuisse de L. Vettio adductus modo Dionis locus docet. Antiquissimus ille Vettius e Sabinis, Spurius dicebatur, atque inter interreges fuit, qui post Romuli exitum constitui fuerant, imo ultimus eorum, cujus scilicet vices fuerunt eo die quo Numa regnum suscepit. Plutarch. in Vita Numæ pag. 64. Ἐπεὶ δ' εἰς τὴν ἀγορὰν κατέστησαν, ὁ μὲν τὴν ὥραν ἐκείνην συνειληχὼς μεσοβασιλεὺς Σπόριος Οὐέττιος, ψῆφον ἐπέδωκε τοῖς πολίταις, καὶ πάντες ἤνεγκαν. *Ut in forum descenderunt, Spurius Vettius, qui per eas horas erat interrex, misit Quirites in suffragia, omnesque suffragiis illum regem dixerunt.* Non vero Numæ caput expressit, quamvis illi regnum tradiderit Spurius Vettius, sed Tatii Sabini, quod scilicet una cum illo Romam venerat Spurius Vettius generis auctor, cujus Tatii filiam matrimonio tenuerat idem Numa, ut ibidem legere est apud Plutarchum pag. 61. Ὄνομα μέγα καὶ δόξαν εἶχεν, ὥστε καὶ Τάτιον τὸν ἐν Ῥώμῃ συμβασιλεύσαντα Ῥωμύλῳ, μιᾶς αὐτῷ θυγατρὸς οὔσης Τατίας, ποιήσασθαι γαμβρὸν ἐκεῖνον. *Tanta illi gloria famaque fuit, ut ille, quem consortem regni habebat Romulus, Tatius, unicam ei filiam Tatiam nuptum daret.*

Inquirendum jam restat, quid sibi velit aversæ partis typus, in quo bigis lentis vehitur vir togatus, sceptrum seu hastam puram tenens, pone cujus bigas spica cernitur. Qui bigis lentis, quasi triumphalibus, vehitur, ex sceptro potest intelligi ipse T. Tatius, Romuli in Romano regno socius, atque primorum, quos gessit bellorum, consors. Per aliquot enim annos concorditer rempublicam rexerunt. Triumphus vero hic non potest esse de Crustuminiis (ut censet Vaillantius) illi enim postea a Romulo solo victi sunt, cæso T. Tatio ante illud bellum, sed de Camerinis. Illud diserte testari videtur Dionysius Halicarnasseus lib. Ant. Rom. II. pag. 110. Ἔτη μὲν οὖν πέντε συνεβασίλευσαν ἀλλήλοις, ὑπὲρ οὐδενὸς διαφερόμενοι χρήματος, ἐν οἷς κοινὴν πρᾶξιν ἀπεδείξαντο τὴν ἐπὶ Καμερίνους στρατείαν. λῃστήρια γὰρ ἐκπέμποντες οἱ Καμερῖνοι καὶ πολλὰ τὴν χώραν αὐτῶν κακοῦντες, οὐ συνέβαινον ἐπὶ δίκην, πολλάκις ὑπ' αὐτῶν καλούμενοι· οὓς ἐκ παρατάξεως νικήσαντες· ἐχώρησαν γὰρ αὐτοῖς ὁμόσε· καὶ μετὰ ταῦτα ἐκ τειχομαχίας κατὰ κράτος αὐτοὺς ἑλόντες, ὅπλα μὲν ἀφείλοντο, καὶ χώρας ἐζημίωσαν τῇ τρίτῃ μερίδι· ἣν λυμαινομένων, τῇ τρίτῃ ἡμέρᾳ ἐπεξελθόντες καὶ τροπωσάμενοι αὐτοὺς τὰ μὲν αὐτῶν ἅπαντα τοῖς σφετέροις πολίταις διεῖλον, αὐτοὺς δὲ τοὺς ἀνθρώπους, ὁπόσοι ἐβούλοντο, ἐν Ῥώμῃ κατοικεῖν εἴασαν. ἐγένοντο δ' ὡς τετρακισχίλιοι, οὓς ταῖς φράτραις ἐπεμέρισαν, καὶ τὴν πόλιν αὐτῶν ἀποικίαν Ῥωμαίων ἐποίησαν. ἦν δὲ Ἀλβανῶν ἀπόκτισις ἡ Καμερία πολλοῖς χρόνοις ἀποσταλεῖσα πρότερον τῆς Ῥώμης· τὸ δ' ἀρχαῖον, Ἀβοριγίνων οἴκησις ἐν τοῖς πάνυ ἐπιφανής. *Sic una per quinquennium sine ullis discordiis regnaverunt: in quod spatium incidit expeditio, quam communibus auspiciis adversus Camerinos susceperunt. Camerini enim, quum emissa latronum manu multis malis regionem adfecissent, aliquoties a Romanis in jus vocati venire detrectarant. Quare illos Romani congredi secum ausos, acie primum fuderunt; deinde vi expugnatis mœnibus, victos armis privarunt, & agri parte tertia mulctarunt. quem cum illi iterum infestarent, Romani eos die tertia educto exercitu fuderunt, eorumque bona cuncta inter suos cives diviserunt: ipsos, quotquot vellent, Romæ habitare permiserunt. erant autem ferme quatuor millia: quos in curias distribuerunt, & urbem eorum fecerunt Romanam coloniam. Cameriam istam Albani, multo ante quam Romam, condiderant: temporibus autem priscis Aboriginum fuit domicilium cum primis nobile.*

Neque scrupulus cuiquam injiciatur de curru triumphali, quod non quatuor sed duo cernantur equi; nondum enim eo superbiæ devenerant Romani, quam postea invexit Tarquinius Priscus. Scio exstare apud Dionys. Halicarnass. lib. II.

 pag.

pag. 102. quadrigis invectum fuisse Romulum, & quidem ante collegam in regno T. Tatium, quum victis Cæninatibus & Antemnatibus triumphum ageret. Ita enim illam pompam describit Dionys. Halic. lib. Antiq. lib. II. p. 102. Τελευταῖος δὲ τῆς πομπῆς αὐτὸς ἐπορεύετο, ἐσθῆτα μὲν ἠμφιεσμένος ἁλουργῆ, δάφνῃ δὲ κατεστεμμένος τὰς κόμας, καὶ ἵνα τὸ βασίλειον ἀξίωμα σώζῃ, τεθρίππῳ παρεμβεβηκώς. *Ipse vero pompam extremus claudebat, indutus purpura, & coronatus laurea, atque ut regiam majestatem tueretur, quadrigis invectus.* Sed negat illud Plutarchus in Vita Romuli pag. 27. Ῥωμύλον δ' οὐκ ὀρθῶς φησὶν ἅρματι χρήσασθαι Διονύσιος. Ταρκύνιον γὰρ ἱστοροῦσι τὸν Δημαράτου τῶν βασιλέων πρῶτον εἰς τοῦτο τὸ σχῆμα, καὶ τὸν ὄγκον ἐξᾶραι τοὺς θριάμβους. Ἕτεροι δὲ πρῶτον ἐφ' ἅρματος θριαμβεῦσαι Ποπλικόλαν. Τοῦ δὲ Ῥωμύλου τὰς εἰκόνας ὁρᾶν ἐστιν ἐν Ῥώμῃ τὰς τροπαιοφόρους πεζὰς ἁπάσας. *Romulum minus recte Dionysius dicit curru usum fuisse. Siquidem Tarquinium Demarati filium, proditum memoriæ est, primum ex regibus eam in speciem & fastum evexisse triumphos. Poplicolam scribunt alii primum curru triumphantem invectum. Nam Romuli ejusdem statuas triumphales videre est omnes pedestres.* Ex quo tamen Plutarchi loco haud levis oritur difficultas, cur bigis vehatur T. Tatius, quum pedestris fuerit triumphus Romuli, qui in nummis æreis Hadriani aliorumque pedes quoque semper depingitur. An dicendum est, retinuisse Sabinorum tum forte morem triumphandi bigis T. Tatium? an quod Vettius habuerit auctores, qui scripserint, antiquiores ante Tarquinium Priscum reges bigis triumphasse? Si enim pro lubitu monetarius triumphantem Tatium adornasset, non bigas illi, sed pro more temporis sui quadrigas dedisset. Hac itaque Plutarchi animadversione maxime motus recedo ab illa opinione, quasi hujus denarii parte aversa Regis Titi Tatii Sabini triumphus de Camarinis exprimatur, & puto aliam interpretationem esse quærendam, de qua quum anxie mecum cogito, subiit animum similem fere denarii typum, imo quoad bigas cum togato insistente simillimum, in gente Egnatia, num. II. inveniri, cujus denarii ibi dedimus pag. 160. interpretationem, neque hactenus ejus pœnituit. Imo, sicuti vix ovum ovo similius est, ab eodem artifice & sculptore existimo sculptum fuisse denarium illum gentis Egnatiæ & hunc gentis Vettiæ, & in utroque typum Romæ, quæ dea bigatis nonnunquam imprimi solet, sic ut bigis insistat, translatum fuisse ad Sullam dictatorem, atque exprimi Sullam togatum cum sceptro sive hasta, tanquam dictatoriæ & vere regiæ potestatis symbolo. Inde jam nobis simul innotescit tempus, quo vixerit T. Vettius is, qui hunc nummum (unus, ut videtur, ex viginti quæstoribus a Sulla creatis) percussit in victoris Sullæ gratiam. Valde itaque verosimile esse videtur, hunc T. Vettium patrem fuisse istius T. Vettii, coram quo prætore L. Valerium Flaccum defendit Cicero.

Spica post bigas curam annonæ denotat, quam dictator Sulla gessit; hanc ejus laudem in hoc denario exstare voluit T. Vettius. Et forsitan insuper memoriam epuli illius prodigiosi, quo rapinarum suarum decimas Herculi Sulla dedit, spica quoque illa, ut omnis abundantiæ symbolum, conservat. Legitur illa profusio apud Plutarchum in Vita Sullæ pag. 474. Ἀποθύων δὲ τῆς οὐσίας ἁπάσης ὁ Σύλλας τῷ Ἡρακλεῖ δεκάτην, ἑστιάσεις ἐποιεῖτο τῷ δήμῳ πολυτελεῖς· καὶ τοσοῦτον περιττὴ ἦν ἡ παρασκευὴ τῆς χρείας, ὥστε παμπληθῆ καθ' ἑκάστην ἡμέραν εἰς τὸν ποταμὸν ὄψα ῥιπτεῖσθαι, πίνεσθαι δὲ οἶνον ἐτῶν τεσσαράκοντα, καὶ παλαιότερον. *Patrimonii sui universi consecrans Sulla Herculi decimam, splendidum epulum populo dedit; tantoque exuberantior usu adparatus fuit, ut quotidie magna copia cibariorum in amnem projiceretur, vinum diffunderet quadraginta annis vetustius.*

VETVRIA.

Antiqua Veturiorum gens fuit, Vetusia a *vetus* in initio dicta. Floruit jam sub primis Romanorum regibus. Patricia fuit & plebeja, cognominibus multis distincta, Mamurii, Gemini, Cicurini, Calvini, Crassi, Philones &c. inveniuntur.

I.

TIberius VETurius. Caput Virtutis galeatum, galeam palmæ ramus exornat.

ROMA. Duo viri stantes læva hastas tenent quibus innituntur, dextra bacillos, quibus porcam tangunt, quam in medio illorum vir altero pede ingeniculatus sinu tenet. Alter eorum, qui ad dextram cernitur, barbatus est, alter inberbis.

Disceptatum fuit apud antiquarios, utrum hi nummi ad Veturiam an ad Vettiam gentem sint referendi; dein utrum fœdus inter Tatium & Romulum, an inter Tullum Hostilium & Albanos; an denique aliud quoddam fœdus vel factum innuatur.

Dubitationem de gente connexæ literæ VET. faciunt, quæ & Vettios & Veturios designare possunt. Consulere hac de re Perizonium voluit Morellius, scribens ad illum pag. 136. de gente Veturia, quam illustraverat idem Perizonius in Dissertationum Triade. „ Pag. 223. mentio (inquit) „ fit gentis Veturiæ, qua occasione simul in „ mentem venit, nummos huic genti attributos „ verisimilius spectare ad gentem Vettiam, idque ex eo, quod utraque iisdem initialibus utatur, & figuræ in adversa parte fœdus inter Romulum & Tatium denotantes, potius ad Vettium pertineant, qui mortuo Romulo interrex fuit; cujus rei memoriam sine dubio quidam ex Vettiis hisce nummis conservare voluerunt. Illud tamen contra Ursinum adfirmare non ausim sine peritiorum approbatione. Cæterum non prætermittendum est, in hujus gentis Vettiæ nummo exprimi T. VETTIVS, ut bene observavit Ursinus, in Patini vero editione literam T, qua ex causa nescio, perperam omitti." Ejusdem Morellii verba sunt ad eundem pag. 163. „ In Dissertat. III. pag. „ 223. mentio fit gentis Veturiæ, qua occasione propono, an non ejus nummi in Patino attribui possint genti Vettiæ, idque ex eo, quod utraque iisdem initialibus utatur, & figuræ in aversa parte, fœdus inter Romulum & Tatium denotantes, potius ad Vettium pertineant, qui mortuo Romulo inter-rex fuit, cujus rei memoriam sine dubio quidam ex Vettiis hisce nummis conservare voluerunt. Illud tamen contra Ursinum adfirmare non ausim, præsertim quia te ipsum in partibus ejus stare, ex literis didici. Nam, ut verbis tuis utar, VETTIA gens nova fuit, nec occurrit facile ante bellum Sociale, & civitatem Italicis datam; VETVRIA vero antiquissima & patricia, inter primos quippe consules post ejectos reges, sæpius memorata, ut adeo quando apud Plutarchum in Numa nominatur Vettius inter-rex, prorsus putes, legendum isthæc VETVRIVS vel VETVSIVS, ut tunc dicebantur. Veturii autem multa gesserunt in republica, ad quæ respicere potuit aversæ partis typus in illorum „ num-

„ nummis. Veturia fuit, quæ filium Coriolanum adegit ad fœdus cum Romanis faciendum, & Urbis obsidionem relinquendam. Veturius fuit, qui infelix illud fœdus Caudinum fecit, quo tamen exercitus omnis servabatur. Hisce tuis insuper addo, quod doctissimus Begerus in Continuatione Thesauri Brandeburgici pag. 592. de istis nummis tradidit: fœdus enim Tulli Hostilii cum Albanis exhibere conjecit. Mones insuper TI. prænomen in gente VETTIA nusquam reperiri, sed in nummo ipso T. VETTIVS legitur, ut bene observavit Ursinus: Patinus vero literam T. omisit, sine dubio hæsitans, an debeat esse L. quia Ursinus de solo L. VETTIO loquitur, illique nummum adsignavit. Respondit Perizonius his verbis p. 237. „ Ad nummum *Veturiæ* genti vindicandum recte monui, prænomen *Tiberii*, quod in eo reperitur, in gente *Vettia*, quæ & plebeja prorsus fuit, non fuisse usitatum. Sed ais, *in Nummo ipso T. Vettius legitur*. At non agitur utique de illo nummo, verum de eo, qui ad *Veturiam* gentem refertur ab Ursino, in quo legitur TI. VET. ubi manifeste TI. est prænomen *Tiberius*, distinctum ab *Tito*, quod una litera T. notatur, & in illo gentis Vettiæ Nummo reperitur, nihilque ad hunc Veturii nummum pertinet." Deinde conatur corroborare sententiam suam de Tiberio Veturio Philone, ad quem hunc denarium jam ante crediderat pertinere, atque sententiam suam de typo aversæ partis adjungit. Sunt vero hæc ejus verba ibidem eadem pag. „ Nummum hunc retuli ego Differt. Triade p. 223. ad *Ti. Veturium Philonem*; qui flamen Martialis fuit B. Punico II. ad finem decurrente; at Vaillantius ad *Ti. Veturium Gracchum Sempronianum*, augurem, quem ille nobis etiam quæstorem provincialem, sed ex Pighii commentis, obtrudit. At vocatur ille augur apud Livium XLI. 21. non *Tiberius*, sed *Titus*, eumque non *Calvini* cognomen antea, quod ei tribuit Vaillantius, sed *Crassi*, habuisse putem. Certe reperimus aliquid prorsus insoliti in ejus adpellatione, ut adoptatus ex gente Sempronia in Veturiam, non acceperit hujus, sed retinuerit pristinæ gentis cognomen, secus quam fieri solebat. Nam, ut alios taceam, L. Æmilii Pauli filii adoptati, alter a Scipione, alter a Fabio Maximo, neutiquam retinuerunt *Pauli* cognomen, sed adoptivi patris acceperunt uterque, ac tantum ex pristina gente *Æmiliani* dicebantur, ut hic *Sempronianus*. Quocirca crediderim, librarios, quum notissimum illis esset *Gracchi* cognomen, & apud Livium legerent in *Sempronii Gracchi* locum hunc *Sempronianum Veturium* suffectum, ideo pro *Crasso* usitato Veturiorum tunc cognomine, temere repetiisse cognomen Semproniorum *Gracchus*. Sed & nihil de illo augure legimus, quod ad nummi hujus figuras referri possit, si maxime istic porca conspiciatur in sinu fetialis. De quo ipso tamen valde dubitem, quum certe fetialis, seu pater patratus, non solitus fuerit procumbens in genua porcam sinu gestare, & aliis confodiendam præbere, sed stans jurejurando sancire fœdus, & dein porcam saxo silice percutere. Quid ergo? Putem etiamdum nummum a Ti. Vet. Philone cusum, qui in eo expresserit peculiare factum L. Veturii Philonis, patris forsan sui, vel fratris natu majoris, certe viri illustris, consularis, & dictatorii, qui suo tempore caput fuit istius familiæ. Ille vero multa fortiter gessit, & eo nomine laudatur. Vide Livium XXVIII. 9. Crediderim itaque, exhiberi in nummo hostem supplicem genu flexo, sed qui, haud dubie, quod male meritus esset de Romanis, confodiatur ab eo, quem palam istic respicit quasi deprecans, L. Veturio Philone, favente, ut videtur, Marte, quicum hasta adstat. Ceterum gentes *Vettia*, *Vettidia*, *Vetilia*, & *Veturia*, non a *Vecte*, ut jocular iter autumat de *Vettia* Vaillantius, sed antiquo nomine *Vettus* vel *Vetus*, suam appellationem acceperunt. Pleraque enim gentium nomina, paucis exceptis, ab antiquis nominibus seu prænominibus sunt formata." Nequaquam ita scripsisset, sed conjecturæ suæ de hoste supplice genu flexo vitam petente, sed confosso, parsisset, si facultas illi fuisset ipsius denarii hujus inspiciendi; qui sicuti inter obvios & vulgares collocari haud meretur, ad rariores tamen nequaquam pertingit. Meus quidem in omnibus Morelliano adstipulatur, in porcæ quoque figura & positura, quam male sic comprehendi ab homine genuflexo statuit Begerus, tanquam inversa foret pedibus retortis; sinu enim illam tenet satis placide, atque tangunt tergora porcæ bacillis duo adstantes tanquam juraturi. Quod vero dicit Perizonius, quod non debuerat procumbere in genua figura illa media, sed stare porcam sinu gestans, & dein porcam saxo silice percutere; ad illud respondeo, non semper eodem modo depingi hunc fœderis faciendi ritum in nummis, sed sæpe hoc modo, hominis in genua procumbentis, nonnunquam alio, stantis, atque ita porcam manibus tenentis, qualem ego vidi æreum, Etruscis inscriptum literis, cum capite Jovis ab altera parte, quem sedulo (ut omnia ejus generis inedita, quæ mihi hactenus occurrerunt, depingi curavi) suo tempore inter Etrusca ejus generis monumenta aliave publicandum. Sæpius vero in alterum genu procumbit is, qui porcam tenet, prout non tantum docet is, qui sequitur, nummus, sed tres memorabiles ab Italia, bello Sociali contra Romam conjurante, percussi. Locum illis adsignavit Morellius inter Incerta tab. prima, num. III. lit. C. & D. Ibi a parte priore Italiæ laureatum caput cernitur, cum inscriptione ITALIA, ab altera parte juxta hastam positam, velut dominii & potestatis signum, (quam in hoc nummo utraque figura manu tenet) homo ingeniculatus porcam tenet consistentem in ipso solo, incurvantes vero sese ab utroque latere quatuor viri bacillis suis tangunt eandem porcam, atque ita contra Romam conjurant fædusque inter se fanciunt.

Jam videamus quo tempore nummus noster cusus videatur, ut constet de tempore, quo vixerit ille, qui denarium cudit, Tiberius Veturius. Ostendi jam plus semel in hoc opere, plures & insignes denarios cusos fuisse postquam convenerat inter Romanos & Italiæ populos, ut jus suffragii hisce daretur, propter quod funestissimum bellum, cum internecione exercituum, urbium, virorum ab utraque parte illustrissimorum, moverant Itali, & pertinaciter gesserant. Inter ejus generis nummos unus est gentis Fufiæ atque Cordiæ, in qua Honoris & Virtutis, adscriptis nominibus, capita junguntur, Romæ quoque & Italiæ nomina adscribuntur, atque honos quidem Italiæ accessisse cognoscitur propter jus civitatis adeptum, sed tamen quasi succubuisse statuuntur Itali Romanæ virtuti. Hinc Virtutis solius caput in hoc denario, quem Romæ in civium suorum gratiam signavit Tiberius Veturius. Addi hisce debent, quæ diximus supra ad dictum gen-

gentis Fufiæ & Muciæ denarium, pag. 185. itemque ad alium gentis Farsulejæ, in quo Roma victrix & galeata, ut ipsa dea Virtus, hominem Italum, gentis universæ typum, toga, symbolo civitatis, indutum, in bigas, quibus insistit ipsa, recipit. Vide quæ diximus pag. 178.

Itaque sicuti ante contra Romam conjuraverat universa fere Italia, unde præcipuæ gentes per octo viros exprimuntur in denariis illis, qui inter Incertos collocantur, fædusque porca adhibita faciunt, sic coeuntes in fædera Roma atque Italia in hoc nummo eodem fere modo adhibita porca amicitiam veterem renovant. Et Romana quidem respublica per Sullam hic depingi mihi videtur, Italia vero per virum barbatum, quod antiquior Roma ipsa fuerit Italia.

Quæ alii de hoc typo differunt, videri apud eosdem possunt, & cum hisce conferri. Begerus & in Thes. Brand. & in Conjectaneis de hoc denario egit, ubi illum num. VIII. pag. 22. existimat exhibere fœdus Tulli Hostilii cum Albanis.

Et ex hisce nostris quidem patet facillime, quo tempore vixerit Tiberius Veturius, tempore videlicet Sullæ dictatoris, sub quo tantus motus & tam atrox bellum in Italia exstitit. Signati enim hi sunt denarii vel A. V. C. DCLXIV. quo lex Julia lata fuit de civitate sociorum, proximeve secutis, vel illo anno, quo viginti quæstores lege Cornelia creati fuerunt, videlicet A. V. C. DCLXXII. Si prius eligamus, statim illa concordia & amicitiæ redintegratio in publica pecunia fuit celebrata; si posterius, quæstores, Sullæ gratia multiplicati, & ipsum & novos cives hoc pacto demereri studuerunt.

Quamvis itaque temporibus Numæ Veturium Mamurium, qui ancilia fabricaverat, agnoscat Plutarchus; licet tot postea Veturii consulares & magni in republica viri exstiterint, non tamen ad Calvinos vel Philones vel alios ex antiquis istis nummus referri debet, sed ad aliquem Tiberium Veturium, qui temporibus Sullæ triumvir monetalis, vel quæstor urbanus, exstitit. Quæramus igitur illum si forte invenire possimus. L. Veturium temporibus Sullæ exstitisse invenio apud Orosium. Ubi enim de prodigiis & publicis calamitatibus agit, quæ evenerunt eo tempore, quo Jugurthino bello inquietata fuit respublica, ita scribit lib. V. cap. 15. *Parvo post hoc intercessu temporis L. Veturius, eques Romanus, Æmiliam, virginem Vestalem, furtivo stupro polluit. Duas præterea Vestales eadem Æmilia ad participationem incesti sollicitatas, contubernalibus sui corruptoris exposuit ac tradidit. Indicio per servum facto supplicium de omnibus sumtum est.* Corruptum vero illud nomen est apud Plutarchum, qui eandem historiam narrat in Quæst. Rom. pag. 284. Ἀποφηναμένων δὲ τῶν μαντέων, δεινὴν μὲν αἰσχύνην τῶν ἱερῶν παρθένοις εἶναι, καὶ γνώσεσθαι προελθόντων, ἅψεσθαι δέ τινα καὶ ἱππέων ὕβριν, ἐμήνυσε Βαρβάρου (scribe Βάῤῥου) τινὸς ἱππικοῦ θεράπων τρεῖς παρθένους τῶν Ἑστιάδων, Αἰμυλίαν καὶ Λικινίαν καὶ Μαρκίαν ὑπὸ τὸ αὐτὸ διεφθαρμένας, καὶ συνούσας πολὺν χρόνον ἀνδράσιν, ὧν εἷς ἦν Βετέτιος βάρβαρος (scribe Βετούριος Βάῤῥος) τοῦ μηνυτοῦ δεσπότης. ἐκεῖναι μὲν οὖν ἐκολάσθησαν ἐξελεγχθεῖσαι. *Tum vates respondisse, ingens opprobrium sacris virginibus oblatum, foreque ut publice id innotescat, sed equitum conjunctum fore quoddam dedecus. Ibi Barri cujusdam equitis servum indicium detulisse de tribus Vestalibus virginibus, Æmilia, Licinia & Marcia, sub idem tempus vitiatis, ut quæ jam diu cum viris incestam consuetudinem habuissent, de quibus viris etiam esset Veturius indicis dominus. Et Vestales quidem criminis convictas, pœnas dedisse.* Fons hujus emendationis est Porphyrius, antiquus Horatii interpres, qui ad illa Horatii lib. I. Serm. Sat. VI. vs. 30.

Ut si qui ægrotet, quo morbo Barrus haberi
Et cupiat formosus.

scribit Barrum incestum fecisse cum Æmilia Vestali. Ille L. Veturius Barrus videtur fuisse frater vel propinquus istius Asculani Barri, qui eodem tempore floruit, & ob eloquentiam laudatur plurimum a Cicerone; sed cujus itidem ibi quoque nomen corruptum legitur. Agit de illo in Bruto cap. XLVI. *Omnium autem eloquentissimus extra hanc urbem T. Betucius Barrus Asculanus, cujus sunt aliquot orationes Asculi habitæ. Illa Romæ contra Cæpionem, nobilis sane, cui orationi Cæpionis ore respondit Ælius; qui scriptitavit orationes multas, orator ipse nunquam fuit.* Non dubito, quin reponi ibi debeat T. *Veturius Barrus*, quod si unam addideris literam, quæ facile in MSS. evanescere potuit, emerget & *Ti.* adeoque ipse noster forsitan Tiberius Veturius, cognomine Barrus.

II.

Caput Jani geminum, inberbe & laureatum.
ROMA. Idem typus.

Licet nulla adponatur inscriptio ad caput Jani, recte tamen antiquarii hunc nummum ad eundem Tiberium Veturium retulerunt. Janus sæpe in aureis & argenteis occurrit denariis, ut plurimum inberbis. Sed occasione reconciliatæ amicitiæ considerari in hoc aureo nummo potest velut typus concordiæ inter Latinos & Romanos, civitatis jure unitos, & quasi unum jam corpus factos.

III.

Caput Jovis laureatum cum tribus punctis, quadrantis nota.
Aquila fulmini insistens alis expansis, ante pectus ejusdem monogramma est, quod continet literas VET. aut VEL.

Quoniam inscriptio primi denarii TI. VET. nomen familiæ Veturiæ pariter monogrammate inclusum habuit, hunc quoque nummum ad Veturium eundem pertinere judicant antiquarii. Ego aliter sentio, nam, ut taceam prænomen TI. abesse, semisses Romani non trientes, caput Jovis habere solent. In nullis Romanæ reipublicæ nummis æreis hæc pictura aquilæ cernitur, & totius nummi pictura aliquid alienum a Romano nummo habet. Credo itaque ad Urbium Nummos esse relegandum & quidem urbis adhuc in nummis incognitæ, quam *Velitras* antiqui adpellarunt. Hodie *Velletri* dicitur. Oppidum Volscorum fuit trans montem Albanum, ubi gentem Octaviam præcipuam olim fuisse adnotat Suetonius in Vita Aug. cap. I. Monogramma hanc interpretationem patitur, si enim resolvas adparent literæ urbis ejus initiales VEL*itræ*, vel VELET*ræ*.

VIBIA.

Gens Vibia plebeja fuit, pluribus cognominibus illustris; in nummis Vari tantum occurrunt & Pansæ, Marsique.

TAB.

TAB. I.

I.

Caput M. Antonii nudum & barbatum.

Caius VIBIVS VARVS. Concordia Victrix ſtans, dextra tenet victoriolam, læva cornucopiæ.

Sicuti in hoc denario caput triumviri M. Antonii, ſic num. V. caput triumviri Cæſaris Octaviani agnoſcitur. Hinc patet hunc C. Vibium Varum, cujus ſola notitia ex nummis ſupereſt, vixiſſe temporibus triumviratus, ipſum vero fuiſſe unum ex quatuorviris monetalibus, poſtquam quarto ad tres addito collegium illud auxerat Julius Cæſar. Vaillantius recte contra Urſinum obſervavit hoc caput non Lepidi eſſe ſed Antonii. Tempus & annus cuſi denarii amplius innoteſcit ex barba M. Antonii, & typo Concordiæ Victricis, quæ ab altera nummi parte cernitur. Cuſus itaque eſt antequam barbam raderent Antonius & Cæſar, quam aluerant ob luctum Julii Cæſaris interfecti, ut ſupra ex Dione Caſſio uberius docuimus; & poſt victoriam in campis Philippicis de Bruto & Caſſio relatam. Signati itaque ſunt omnes denarii C. Vibii Vari, quatuorviri monetalis, A. V. C. DCCXI. ſive DCCXII. ut alii numerant, conſulibus L. Munatio Planco, Manio Lepido II. quo anno pugnatum in campis Philippicis fuit; atque communi opera victoriam retulerunt M. Antonius & C. Cæſar Octavianus.

Concordiam itaque inter duos iſtos triumviros celebrat C. Vibius Varus, qua victoria illis obtigerat, & plenam omnium rerum copiam Romani exſpectabant.

Obſervantur ſimiles nummi cum capite Manii Lepidi, atque inſcriptione ejusdem ut conſulis iterum. Patet ex illa inſcriptione, non poſſe ad alium annum hosce nummos referri quam quo pugna in campis Philippicis accidit. Inveniuntur nummi iſti inter Goltzianos infra tab. XXXV. num. 22. & 23. quibus aſteriſcus a Morellio adponitur, ut doceamur, non ex Faſtis Goltzii eſſe hos nummos, ſed ex ejusdem Julio Cæſare, nam ibi quoque nummi Antonii & Lepidi inveniuntur.

II.

Caput Veneris Victricis lauro coronatum. Nota aquilæ, quæ poſt illud inpreſſa cernitur, nos docet nummum hunc rariorem olim ad gazophylacium ducum Mantuæ pertinuiſſe.

Caius VIBIVS VARVS. Venus ſtans juxta columnam, poſteriore corporis parte ad nates usque nuda, dextra quidem veſtem ad pectus usque ſublevat, læva vero concham tenet.

Quem hic argenteum cernimus nummum, haud ex vulgaribus, aureum poſſidet Fridericus II. dux Saxonum Gothanus, in cujus Theſauro, a viro doctiſſimo nobisque amiciſſimo Chriſtiano Sigismundo Liebeo edito, pag. 30. depictus iſte nummus comparet; docuitque ibidem nos egregius interpres non eſſe ſceptrum, quod læva manu tenet Venus Genetrix, ſed concham, quod & exemplis illuſtrat.

Varus itaque in hoc denario reſpexit ad originem C. Cæſaris Octaviani, eique blandiri voluit; & in parte nummi priore Venerem Victricem expreſſit, quæ videlicet patri Julio Cæſari largita fuerat victoriam de Pompejo in campis Pharſalicis. Verebatur jam illud ipſe Pompejus, ut in Vita ejus narrat Plutarchus pag. 655. Τῆς δὲ νυκτὸς ἔδοξε κατὰ τοὺς ὕπνους Πομπήϊος, εἰς τὸ θέατρον εἰσιόντος αὐτοῦ, κροτεῖν τὸν δῆμον, αὐτὸς δὲ κοσμεῖν ἱερὸν Ἀφροδίτης Νικηφόρου πολλοῖς λαφύροις. Καὶ τὰ μὲν ἐθάῤῥει, τὰ δὲ ὑπέθραττεν αὐτὸν ἡ ὄψις, δεδοικότα μὴ τῷ γένει τῷ Καίσαρος εἰς Ἀφροδίτην ἀνήκοντι δόξα καὶ λαμπρότης ἀπ' αὐτοῦ γένηται. *Nocte viſum eſt Pompejo in ſomnis theatrum ingreſſo ſibi plaudere populum, templumque ſe Veneris Victricis multis ſpoliis exornare. Hæc viſio partim erexit eum, partim ſollicitavit nonnihil metuentem ne Cæſaris familiæ Venerem contingenti accederet ab ſe decus & claritas.* Agnoſcit itaque Varus non intermiſſum illum deæ favorem, ſed par fatum fuiſſe in campis Philippicis, quod fuerat in campis Pharſalicis, eorum, qui contra progeniem Veneris ſtarent.

Veneris Genetricis ab altera parte denarii eſt effigies, ipſa concham manu tenet, utpote mari orta, columna adpingitur, propter ludos ob perfectam & dedicatam illi, ut recte cenſet Vaillantius, ædem, editos a filio Julii Cæſaris Octaviano. Refert rem illam Dio Caſſius lib. XLV. pag. 272. Καὶ μετὰ τοῦτο τὴν πανήγυριν τὴν ἐπὶ τῇ τοῦ Ἀφροδισίου ἐκποιήσει καταδειχθεῖσαν, ἣν ὑποδεξάμενοί τινες ζῶντος ἔτι τοῦ Καίσαρος ἐπιτελέσειν, ἐν ὀλιγωρίᾳ, ὥσπερ που καὶ τὴν τῶν Παριλίων ἱπποδρομίαν, ἐποιοῦντο, αὐτὸς ἐπὶ τῇ τοῦ πλήθους θεραπείᾳ, ὡς καὶ προσήκουσαν διὰ τὸ γένος, τοῖς οἰκείοις τέλεσι διέθηκε. *Deinde ludos inſtitutos ob perfectionem fani Veneris, quos vivo adhuc Cæſare quidam ſeſe celebraturos receperant, ſed tum, ſicut & equeſtre certamen Parilibus, negligebant, ipſe ſuis ſumptibus, tamquam ad ſe ratione generis pertinens, ad captandam populi gratiam fecit.* Structuram enim ejus inceperat ipſe Julius Cæſar, ut narrat idem lib. XLIII. pag. 224. Τὴν γὰρ ἀγορὰν τὴν ἀπ' αὐτοῦ κεκλημένην κατεσκευάσατο· καὶ ἔστι μὲν περικαλλεστέρα τῆς Ῥωμαίας, τὸ δὲ ἀξίωμα τὸ ἐκείνης ἐπηύξησεν, ὥστε καὶ μεγάλην αὐτὴν ὀνομάζεσθαι. ταύτην τε οὖν, καὶ τὸν νεὼν τὸν τῆς Ἀφροδίτης, ὡς καὶ ἀρχηγέτιδος τοῦ γένους αὐτοῦ οὔσης, ποιήσας, καθιέρωσεν εὐθὺς τότε. *Forum enim Cæſar exſtruxerat, quod ab ipſo nomen obtinuit, Romano pulchrius: ſed tamen Romani ex eo dignitas aucta eſt, ut Forum Magnum diceretur. Forum vero & templum Veneris (quam ſui generis auctorem ferebat) a ſe condita Cæſar ſtatim tunc conſecravit.* Adde Appianum lib. II. B. C. p. 225. & Sueton. in Vita Cæſaris cap. LXI. LXXVIII. LXXXIV.

III.

Caput Minervæ galeatum cum ægide ad pectus.

Caius VIBIVS VARVS. Hercules ſtans nudus, dextra clavæ innititur, læva leonis ſpolia tenet.

Herculem & Minervam a Vibio ſignari cenſet Fulvius Urſinus, ad originem oſtentandam gentis Vibiæ ex oppido Vibone, quod Hipponium antea dictum fuit, & denique Valentia, quod nomen in nummis quoque obtinet. Ibi enim præ cæteris Herculis & Minervæ cultum viguiſſe. Et certe Valentiæ nummus unus, quem ipſe poſſideo, caput quoque Herculis exhibet, ſed leonina tectum, duo autem tresve Minervæ item caput exhibent galeatum, ſed ſine ægide. Hipponii quoque Græcos poſſideo plures nummos cum capite Minervæ galeato & Victoria ab altera parte. Vaillantius in Minervæ typo cenſet reſpici ad Minervam Victricem ſive *Militarem*, quaſi ejus ope victor in campis Philippicis cum Antonio Cæſar exſtitiſſet; in typo autem Herculis adludi ad ædem Herculis Καλλινίκου ſive Victoris, quam primus poſuerat M. Octavius He-

ren-

rennius adposita in rei testimonium statua cum inscriptione. Auctorem, qui id scribat, non addidit; sed is est Macrobius lib. III. Saturn. cap. 6. *Romæ autem Victoris Herculis ædes duæ sunt; una ad portam trigeminam, altera in foro boario. Hujus commenti caussam Massurius Sabinus Memorialium libro secundo aliter exponit. Marcus, inquit, Octavius Herennius, prima adolescentia tibicen, postquam artis diffisus suæ est, instituit mercaturam; & bene re gesta decimam Herculi profanavit. postea, cum navigans hoc idem ageret, a prædonibus circumventus fortissime repugnavit, & victor recessit. hunc in somnis Hercules docuit sua opera servatum. Cui Octavius impetrato a magistratibus loco ædem sacravit & signum; Victoremque litteris incisis adpellavit. Dedit ergo epitheton deo, quo & argumentum veterum victoriarum Herculis & commemoratio novæ historiæ, quæ recenti Romano sacro causam dedit, contineretur.* Verum, utrum tibicinem inter majores suos agnoscere voluerit Cæsar Octavianus, valde dubito. Dicere possumus per Minervam adulatum Cæsari Octaviano fuisse Vibium, per Herculem, quem laureatum mox exprimit, Antonio. Antonius certe in plurimis nummis Herculis famam adfectavit, quod non uno loco in hoc Opere docuimus; Cæsari vero, qui Apolloniæ & alibi multum liberalibus disciplinis dederat, & multa eruditionis in omni vita specimina dedit, Minervæ cultus haud male adplicatur, sicuti vicissim deæ favor, quo eundem victorem est complexus, patet ex nummis sequentibus.

IV.

Caput insigne Herculis bene barbati laureatum.

Caius VIBIVS VARVS. Minerva, dea bellica, stans, galea & ægide ornata, dextra hastam tenet, læva victoriolam, ad pedes est clypeus.

Celebrat pulcherrimæ fabricæ nummus (sicuti omnes sunt hi Vibiani) fortitudinem & prudentiam M. Antonii & C. Cæsaris Octaviani, unde illis provenerit victoria de Bruto & Cassio in campis Philippicis. Herculeum quidem robur Antonio convenit, prudentia vero militaris, supra ætatem, C. Cæsari.

In hisce enim nummis id agit C. Vibius Varus, ut divinam utrique triumviro adsignet originem, Cæsari quidem a Venere, Antonio autem ab Hercule. Quare mire ad intellectum horum typorum facit locus ex ipsius Cæsaris Octaviani oratione ad Antonium, in qua inter alia multa hæc leguntur apud Appianum Alexandr. lib. III. B. C. pag. 536. Εἴρηται δ' ὅμως ἐς ἀκελευθέστερον φίλον Καίσαρι, καὶ πλείστης ὑπ' ἐκείνου τιμῆς καὶ δυνάμεως ἠξιωμένον, καὶ τάχα ἂν αὐτῷ καὶ θετὸν γενόμενον, εἰ ἤδη σε δεξάμενον Αἰνεάδην ἀντὶ Ἡρακλείδου γενέσθαι· τοῦτο γὰρ αὐτὸν ἐνδοιάσαι, πολλὴν τῆς διαδοχῆς λόγον ποιούμενον. *Non pœnitet tamen locutum me apud amicissimum Cæsaris, & auctum ab eo honoribus summis summaque potentia, & fortasse jam filium adoptivum, si scivisset te æquo animo ex Heraclidarum gente transiturum ad Æneadas: id enim fecit ambigere illum, dum de successore cogitat.*

Litera A.

Similis præcedenti hic nummus est, sed clavam Herculis exhibet post caput Herculis Victoris, M. Antonii robur & fortitudinem innuens.

V.

Caput nudum C. Cæsaris Octaviani, sine inscriptione.

Caius VIBIVS VARVS. Typus idem Minervæ Victricis.

Explicatio hujus denarii ex præcedentibus petenda est.

VI.

Caput Bacchi, vel potius deæ Liberæ, hedera & corymbis decorum.

Caius VIBIVS VARVS. Ara cum inposita persona scenica. Adponitur thyrsus adsiliente ad aram panthera sive tigride.

Ad ædilitatem Vari, quam nescimus, nummus hic referri non debet, omnes enim cudit, quum quatuorvir monetalis esset; verum, sicuti in præcedentibus M. Antonii & C. Cæsaris Octaviani genus ad deos retulit, sic postremo hoc nummo suum genus commendat, filium scilicet sese esse C. Vibii Pansæ, de quo nobis agendum erit in tabulæ hujus sequentibus nummis aliisque tabulæ II. Id enim patet ex capite Deæ Liberæ, quod huic non dissimile observatur num. III. & IV. tabulæ sequentis, & ex persona scenica, quæ aræ in hoc denario inposita cernitur, totam vero nummi aream occupat in num. ibi II. VI. & lit. A. & B.

Adludit itaque ad sacra Liberi, quæ quum primus Romam transtulerit Cæsar, primus quoque edidisse videtur C. Vibii Vari pater C. Vibius Pansa, eo tempore ædilis curulis, uti ad sequentem nummum dicturi sumus. De Cæsare testatur id aperte Servius ad Virgilianos hosce versus Ecl. V. vs. 29.

Daphnis & Armenias curru conjungere tigres
Instituit, Daphnis thiasos inducere Bacchi,
Et foliis lentas intexere mollibus hastas.

Ad quæ verba hæc scribit Servius: *Hoc aperte ad Cæsarem pertinet; quem constat primum sacra Liberi Patris transtulisse Romam.* Versus Virgilianos illustrant tigris & thyrsus in nummo. Persona scenica denotat ludos theatrales sacris festis Cereris Liberi Liberæque exhibitis: *Primi enim ludi theatrales ex Liberalibus nati sunt*, notante Servio ad *veteres ludos* Virgilii Georg. vs. 381. II.

——. —— Et veteres ineunt proscenia ludi.

Ara in nummo ad deam Cererem spectat, cui sacrificari sue solebat, quæ prima mori victima meruit, juxta Ovidium lib. Metam. XV. vs. 112.

Quia semina pando
Eruerit rostro, spemque interceperit anni.

Inde ante pedes deæ Cereris in proxime sequentibus denariis cernitur.

Quod vero filius C. Vibii Pansæ consulis, Vari, non Pansæ, habuerit cognomen, mirum videri non debet, quum multa ejus rei exempla conquiri possent. Filium vero consulis Pansæ triumviri, & inprimis C. Cæsar Octavianus, in honore habuisse videntur, propter benevolum Pansæ in Cæsarem Octavianum animum. Id testatur (si fas sit credere Appiano illa scribenti lib. III. B. C. pag. 574.) Pansæ, ex vulnere moribundi, oratio ad Cæsarem: Πάνσας δ' ἐκ τοῦ τραύματος ἀποθνήσκων, Καίσαρα οἱ παρεστήσατο καὶ εἶπεν, Ἐγὼ τῷ σῷ πατρὶ φίλος ἦν ὡς ἐμαυτῷ, ἀναιρεθέντα δὲ οὐκ εἶχον ἐπαμύνειν οὐδὲ τοῖς πλείοσι μὴ συνθέσθαι &c. *Interea Pansa, ex vulnere moriturus, accersito Cæsari hæc dixit: Ego tuo patri tam amicus fui quam mihi ipsi, mortuum autem ulcisci non*

fuit

fuit mihi integrum, neque non consentire cum pluribus, &c.

VII.

PANSA. Caput Apollinis laureatum, cum lauri ramo.

Caius VIBIVS *Cai Filius*. Ceres Proserpinam filiam quærens, accensis facibus, quas utraque manu præfert, ante pedes ejusdem victima sus cernitur. Nummi typum laurea ambit.

Propter varia deorum capita, quorum magnus in Sicilia erat cultus, credidit Ursinus ex Sicilia Vibios originem habuisse, quum in Cicerone quoque Vibium quendam Siculum invenerit. Verum & ille Vibius in Siciliam ex Italia migrare potuit, & nullum ex hisce numinibus est, quod Romæ quoque, seu in Italia, non fuerit cultum. Imo Jovis Axuris in quibusdam Vibii Pansæ nummis imago magis Campaniæ quam Siciliæ Vibios vindicare videtur.

Omnes hosce nummos cusos existimo, non quum ædilis curulis esset Pansa, sed quum cum exercitu & collega Hirtio contra M. Antonium, Mutinam obsidentem, proficisceretur. Si enim curulis ædilis (quæ potestas jus cudendæ monetæ non videtur habuisse, nisi forte per senatusconsultum more extraordinario) signasset hos denarios, nihil illi erat cum vultu Apollinis, quem tot numero nummi præferunt. Verum ego censeo cusam immensam hanc pecuniæ vim fuisse ad stipendium militare & conducendos milites veteranos contra Antonii molimina, consule jam celeberrimo illo C. Vibio Pansa. In iis vero exprimi Pansa voluit gestos antea per se honores, videlicet ædilitatem curulem atque præturam. Pansa vero in prætura provinciali successit M. Bruto, atque ad provinciam Galliam Cisalpinam profectus fuit A. V. C. DCCVIII. Ergo paulo ante prætor urbanus fuerat, &, ut prætor urbanus, curaverat ludos Apollinares, quapropter Apollinis caput & laurus Apollinis in priori denarii parte, in posteriore corona laurea cernitur. Curulem ædilem eundem jam ante fuisse docet Ceres in aliis nummis; in hoc denario caput Liberæ, & persona scenica in nummis compluribus tabulæ sequentis. Videtur autem fuisse ædilis curulis illo anno, quo Cæsar sacra Liberi & Liberæ Romæ primum celebrari instituit. Unde mirari non debemus, si in tot nummis ædilitas ejus celebretur, quum ille primus fuerit, quibus horum ludorum edendorum cura incubuerit, qui postea solennes & annui apud Romanos fuerunt.

Litera B.

PANSA. Caput idem Apollinis laureatum cum capite caprino.

Caius VIBIVS *Cai Filius.* Ceres, ut supra in corona laurea.

Nisi caprinum caput signum sit monetarii, ad Bacchi hostiam referri posset; sed prius magis placet.

Litera C.

PANSA. Caput idem Apollinis.

Caius VIBIVS *Cai Filius.* Cereris idem typus, sed sine laurea.

Hinc patet lauream ad Apollinares ludos spectare, nam si ad Pansæ victoriam de Antonio esset referenda, in reliquis, qui præcesserunt, quoque conspicua fuisset.

Qui sequuntur typi partis tantum prioris nummorum, cum capite laureato Apollinis, minusculos typos adjectos habent, ut astri, cornucopiæ, lacertæ & literæ S. qui omnes quidem ad Apollinem referri possent, sed potius existimandi sunt ad monetariorum usum & discrimen matricum pertinuisse.

VIII.

PANSA. Caput Apollinis laureatum. Adponitur litera C. & in aliis D. I. K. M. vel signum quoddam monetariorum vel officinæ, ut caput humanum, delphinus, cicada, olla, flos &c.

Caius VIBIVS *Cai Filius.* Minerva in citis quadrigis, dextra tropæum ferens; læva hastam & equorum tenens habenas.

Cusi fuerunt omnes hi denarii ob victoriam de M. Antonio a consulibus Aulo Hirtio & C. Pansa relatam. Hirtii in nummis ratio haberi non potuit, Pansæ, licet valetudinarii ex vulnere, quod postea mortem adtulit, nomen omnibus his denariis impressum fuit, qui juxta caput Apollinis varios minutos typos & literas, uti dictum est, habent.

Minerva tropæophora in his denariis signata videtur in curru propter studium Pansæ; fuit enim eloquentiæ & artibus liberalibus, una cum collega Hirtio, inprimis deditus.

Litera D.

PANSA. Caput Apollinis laureatum & longa coma conspicuum. Adest litera P. in aliis pelta, in aliis delphinus, in aliis urceus, astrum, duæ cornucopiæ, caduceus alatus, tridens, lyra, pharetra, clavus, & alia, ipse enim cum flore habeo, & plurimi generis minuti isti typi inveniuntur.

Caius VIBIVS *Cai Filius.* Minerva eadem in quadrigis decurrentibus.

Eadem hujus nummi, quæ præcedentis, est interpretatio.

Litera E.

PANSA. Caput Libertatis laureatum, adest signum quod videri posset triquetræ Siciliæ, nisi quatuor crura pro tribus cernerentur. Forsan rota est.

Caius VIBIVS *Cai Filius.* Minerva, ut supra, in citis quadrigis.

Libertatis hoc esse caput docet nummus V. tabulæ sequentis, in quo ad simile caput deæ nomen adscribitur. Et inde simul patet, omnes hos denarios, qui Minervam tropæophoram habent, cusos fuisse post victoriam de M. Antonio a consulibus relatam.

Litera F.

PANSA. Caput Apollinis laureatum, ante illud fulmen est, in aliis olla, &c.

Caius VIBIVS *Cai Filius.* Typus idem Minervæ tropæophoræ in citis quadrigis; sed quadrigæ ad aliam partem sunt conversæ.

TAB. II.

I.

Caius VIBIVS *Cai Filius*. Minerva tropæophora, ut supra, in citis quadrigis.

PANSA. Typus idem Minervæ tropæophoræ in citis quadrigis.

Magna festinatione hi denarii, qui quadrigas has habent, cusi sunt, propter magnam senatus eo tempore lætitiam, unde accidit, quod duæ partes posteriores, ut in hoc nummo, utrumque latus unius ejusdemque nummi occupaverint. Præterea magnam artem non redolent, propter eandem scilicet festinationem.

II.

PANSA. Sileni persona scenica.

Caius VIBIVS *Cai Filius Cai Nepos*. IOVIS AXVR*is*. Statua Jovis Axuris sive Anxuris, sedentis, corpore seminudo, capite radiato, dextra pateram tenet, læva hastam.

Solet in plurimis familiarum Romanarum denariis patria indicari ejus familiæ cujus est denarius. Indicatur illa patria plerumque numine aliquo patrio, quod ibi præ cæteris colebatur. In Junone Lanuvina aliisque id plus semel vidimus, quin & in Jovis Axuris effigie & capite non una familia illud indicavit. Colebatur vero Jupiter Axur, ejusque soror virgo, quæ Feroniæ nomen pro Junone gerebat, apud Campanos, ut pluribus ad hunc nummum docuit doctissimus Fulvius Ursinus. Inde Terracinæ, ubi præcipue numinis istius cultus viguit, nomen Anxur olim fuit. Horatius & Virgilius utrumque testantur. Virgil. lib. Æn. VII. vs. 797.

Circæumque jugum queis Jupiter Anxurus arvis
Præsidet.

Circa tractum, inquit, *Campaniæ colebatur puer Juppiter, qui Anxurus dicebatur, quasi ἄνδ ξυρᾶ id est sine novacula, quia barbam nunquam rasisset, & Juno virgo, quæ Feronia dicebatur.* Est autem fons in Campania juxta Terracinam, quæ aliquando Anxur est dictus, juxta Horat. Sat. V. lib. I.

Ora manusque tua lavimus, Feronia, lympha.
Millia tum pransi tria repimus, atque subimus
Impositum saxis late candentibus Anxur.

Quos versus explicans Porphyrio, ita scribit. *Quæ nunc Terracena dicitur* (sic enim, inquit Ursinus, a quo hæc mutuati sumus, est in vetere lapide) *pro Terracina.* Porphyrionis autem verba, cum in vulgatis codicibus mutila sint, ita idem Ursinus profert, ut sunt in vetustissimo libro exarata, *Olim Anxur dicebatur, unde Jovem Anxurum colebant, cujus & Virgilius meminit, cum ait: Juppiter Anxurus arvis præsidet &c.* Adpellationem Anxuris ex Volscorum fuisse lingua docet Plinius lib. III. pag. 153. *A Circeiis palus Pomptina est, quem locum XXXIII. urbium fuisse Mucianus ter consul prodidit. Dein flumen Ufeles; supra quod Terracina oppidum, lingua Volscorum Anxur dictum: & ubi fuere Amyclæ a serpentibus deletæ.* In notis ad illum locum Harduinus negat Jovis Anxuris vel Axuris mentionem in nummo nostro fieri, feliciori scilicet conjectura & Phœbo propitio literas singulares captans, & ad Vespasianum revocans. Verba ejus hæc sunt: „ Cave „ tamen huc putes pertinere argenteum nummum Vibiæ gentis apud Patinum, in Famil. „ pag. 293. num. IV. Parte priore caput barbatum ignotumque exhibet, in familia Pansæ „ gentilitium, retro PANSA. Parte altera Jupiter „ sedet, seminudus, capite laureato, dextra extenta, hastam tenet sinistra. C. VIBIVS C. F. „ C. N. *Caius Vibius Cai filius Cai nepos*, hoc est, „ patre & avo triumviris monetalibus. Latere „ dextro, JOVIS AXVR. Sententia enim latet „ ista sub his literis: *Imperator Optimus Vespasianus* „ *Iovis Sacerdotia Ampliavit Decem Viris Restitutis.*" Imo Jupiter Axur ad Vibiorum originem ex Campania pertinet; persona scenica, quæ Sileni est, in hoc & plurimis denariis, infra num. VII. adjunctam habens Liberi Patris personam, ad Liberalia spectat, & celebrata quondam eadem sub Julio Cæsare ab ædili curuli C. Vibio Pansa, nunc consule.

Litera A.

PANSA. Persona scenica, quæ Sileni caput exhibet. Post illud tibia cernitur.

Caius VIBIVS *Cai Filius Cai Nepos*. IOVIS AXVR*is*. Statua sive effigies ejusdem Jovis Axuris sedentis, ut supra.

Tibiæ genus in extremo inflexum atque incurvum discrimen hujus denarii a priore facit. Aliud tibiæ genus, quasi tubæ minoris, exhibetur infra num. VII. Utroque in Liberalibus usi videntur.

III.

PANSA. Caput deæ Liberæ hedera & corymbis redimitum.

Caius VIBIVS *Cai Filius Cai Nepos*. Ceres, utraque manu faces accensas gerens, capite spicis coronato, festinat, filiam Proserpinam quærens. Inventum deæ, aratrum, ante pedes ejus cernitur.

Historia Cereris nota est. De typo supra jam dictum est.

IV.

PANSA. Deæ Liberæ caput, ut supra.

Caius VIBIVS *Cai Filii Cai Nepos*. Ceres, capite coronato, in draconum bigis, dextra habenas, læva facem tenet.

Diversimode veteres ludere solent in descriptione hac Cereris, filiam Proserpinam quærentis. In Imperatorum nummis Græcis creber hic typus Cereris, bigis draconum vectæ, esse solet. Conspicitur quoque in denariis gentis Voltejæ.

V.

LIBERTATIS. Caput deæ Libertatis laureatum.

Caius PANSA *Cai Filius Cai Nepos*. Roma habitu militari spoliis insidet, dextra hastam, læva tenens parazonium, lævo quoque pede orbem terrarum premens. Advolans Victoria victricem orbis Urbem coronat.

Si historiæ lumen spectemus, omnium Pansæ denariorum hic longe præstantissimus est, qui inter raros insuper locum sibi vindicat. Neque arte minus quam raritate se commendat meus integerrimus, & per omnia Morellianæ delineationi simillimus. Monumentum itaque æternum hic est denarius præclaræ de M. Antonio ad Mutinam

nam victoriæ, quæ reipublicæ Romanæ obtigit conſulibus Hirtio & Panſa, atque C. Cæſare Octaviano proprætore. Tres hi æquam laudis portionem in hac pugna invenerunt, tribus his propterea nomen imperatoris adſignatum fuit, tribus hiſce ſupplicationes a ſenatu quinquaginta dierum decretæ fuerunt. Hirtius quidem victoriam obtinuit ſua ſuorumque præſertim virtute, ſed & animam ſimul pro republica profudit. Panſa vim prælii acerrimam ſuſtinuit, &, graviſſimis vulneribus acceptis, patriæ & civibus victoriam gratulatus, exſpiravit. Cæſar ſolus ſuperſtes, præmia victoriæ omnia ad ſe rapuit, atque ulterius progreſſus, hac ipſa novæ dominationis fundamenta jecit. Dio Caſſius, Appianus, aliique pugnas illas & prælium multiplex copioſe deſcribunt, ſed ex Cicerone & dies prælii innoteſcit, & multa lux denariis noſtris accedit. Videamus quid de tribus hujus belli ducibus dicat Philipp. XIV. cap. VIII. & IX. *Quamobrem aut ſupplicatio ob rempublicam pulcherrime geſtam poſtulantibus veſtris imperatoribus deneganda eſt, quod præter Gabinium contigit nemini: aut, ſupplicatione decernenda, hoſteis eos de quibus decernitis, judicetis neceſſe eſt. Quod ergo ille re, id ego etiam verbo; cum imperatores eos appello, hoc ipſo nomine & eos, qui jam devicti ſunt, & eos, qui ſuperſunt, hoſtes judico, cum victores appello imperatores. Quomodo enim potius Panſam appellem? etſi habet honoris ampliſſimi nomen, quo Hirtium? eſt ille quidem conſul: ſed alterum nomen beneficii eſt populi Rom. alterum virtutis atque victoriæ. Quid? Cæſarem, deorum beneficio reipublicæ procreatum, dubitemne appellare imperatorem? qui primus Antonii immanem & fœdam crudelitatem, non ſolum a jugulis noſtris, ſed etiam a membris & viſceribus avertit? Unius autem diei quot & quantæ virtutes, dii immortales, fuerunt? Princeps enim omnium Panſa prœlii faciendi, & cum Antonio confligendi fuit, dignus imperator legione Martia, digna legio imperatore. cujus ſi acerrimum impetum cohibere Panſa potuiſſet, uno prœlio confecta res eſſet. Sed cum libertatis avida legio effrenatius in aciem hoſtium irrupiſſet, ipſeque in primis Panſa pugnaret, duobus periculoſis vulneribus acceptis, ſublatus e prœlio, reipublicæ vitam reſervavit. Ego vero hunc non ſolum imperatorem, ſed etiam clariſſimum imperatorem judico: qui cum aut morte, aut victoria ſe ſatisfacturum reipublicæ ſpopondiſſet: alterum fecit, alterius dii immortales omen avertant! Quid dicam de Hirtio? qui, re audita, e caſtris duas legiones eduxit incredibili ſtudio, atque virtute, quartam illam, quæ, relicto Antonio, ſe olim cum Martia legione conjunxit, & ſeptimam, quæ, conſtituta ex veteranis, docuit illo prœlio, militibus iis, qui Cæſaris beneficia ſervaſſent, ſenatus, populique Romani carum nomen eſſe. His viginti cohortibus, nullo equitatu, Hirtius ipſe, aquilam quartæ legionis cum inferret, quia nullius pulchriorem ſpeciem imperatoris accepimus, cum tribus Antonii legionibus, equitatuque conflixit, hoſteſque nefarios, huic Jovi maximo, ceteriſque deorum immortalium templis, urbis tectis, libertati populi Romani, noſtræ vitæ, ſanguinique imminentes, proſtravit, fudit, occidit, ut cum admodum paucis, nocte tectus, metu perterritus, princeps latronum duxque fugerit. O ſolem ipſum beatiſſimum, qui antequam ſe abderet, ſtratis cadaveribus parricidarum, cum paucis fugientem vidit Antonium! An vero puisquam dubitabit appellare Cæſarem imperatorem? ætas ejus certe ab hac ſententia neminem deterrebit, quandoquidem virtute ſuperavit ætatem. Ac mihi ſemper eo majora beneficia C. Cæſaris viſa ſunt, quo minus erant ab ætate illa poſtulanda. cui, cum imperium dabamus, eodem tempore etiam ſpem nominis ejus deferebamus: quod, cum eſt ſecutus auctoritatem noſtri decreti, rebus geſtis ſuis comprobavit Hic ergo adoleſcens maximi animi, ut veriſſime ſcribit Hirtius, caſtra multarum legionum paucis cohortibus tutatus eſt, ſecundumque prœlium fecit. Ita trium imperatorum virtute, conſilio, felicitate, uno die locis pluribus reſpublica eſt conſervata. Decerno igitur eorum trium nomine quinquaginta dierum ſupplicationes.* Hæc Ciceronis verba oſtendunt, cur Libertatis caput in nummo imprimatur, *libertati* inquit *populi Romani &c.* Hæc gratulantur illam patriæ victoriam, propter quam in nummo a Victoria ipſa coronatur urbs Roma. Hæc per ſpolia, in denario ſubjecta deæ pedibus, latronum principiſque ejus & ducis fugam & ſtragem oſtentant. Hæc denique declarant, cur Panſæ ſolius in omnibus denariis, quibus victoriæ hujus typus inſculptus eſt, & inprimis hoc tam magnifico, habeatur ratio. Qui ſcilicet clariſſimus imperator a Cicerone judicatur, *qui, quum aut morte aut victoria ſe ſatisfacturum reipublicæ ſpopondiſſet; alterum fecit, alterius dii inmortales* (inquit orator) *omen avertant!* Sed deſtituit illa ſpes Ciceronem, nam teſte Dione lib. XLVI. pag. 317. Συνέβη γὰρ τόν τε Ἵρτιον ἐν τῇ τοῦ Ἀντωνίου στρατοπέδου καταλήψει καὶ τὸν Οὐΐβιον ἐκ τῶν τραυμάτων οὐ πολλῷ ὕστερον φθαρῆναι· ὅθεν αἰτίαν τοῦ θανάτου αὐτῶν πρὸς τὴν τῆς ἀρχῆς διαδοχὴν ἔσχεν. *Nam Hirtius in capiendis Antonii caſtris, Panſa, non multo poſt, ex vulneribus perierat: ita ut eorum mortis culpa Cæſari, tanquam ſucceſſionis cupido, impingeretur.* De quo quidem vix dubitare nos ſinit Suetonius in Vita ejus cap. XI. *Hoc bello, cum Hirtius in acie, Panſaque poſt ex vulnere periſſent, rumor increbuit ambos opera ejus occiſos, ut, Antonio fugato, republica coſſ. orbata, ſolus victores exercitus occuparet. Panſæ quidem adeo ſuſpecta mors fuit, ut Glyco medicus cuſtoditus ſit, quaſi venenum vulneri indidiſſet. Adjicit his Aquillius Niger alterum e coſſ. Hirtium, in pugnæ tumultu ab ipſo interemtum.* Diem pugnæ, & rerum quarumdam, quæ in ea acciderunt, memoriam, Servii Galbæ epiſtola ſervavit. Is legatus quondam Cæſaris bello Gallico, poſtea cum percuſſoribus contra illum conſpiravit, atque huic prælio interfuit. Idem ad diem XVI. Kal. Maji ex caſtris epiſtolam ad Ciceronem ſcripſit, quæ exſtat lib. X. epiſt. 30. Ejus hoc eſt initium. *XVII. Kalend. Maji, quo die Panſa in caſtris Hirtii erat futurus, cum quo ego eram (nam ei obviam proceſſeram millia paſſuum centum, quo maturius veniret) Antonius legiones eduxit duas,* &c. in ſequentibus enim ipſa pugna deſcribitur. Quem locum eo libentius adduxi, ut ex eo pateat dies pugnæ ad Mutinam, quæ accidit menſe integro poſtquam Liberalia Romæ fuerunt celebrata, ita ut hallucinetur Vaillantius, dum ad nummum ſequentem, ubi illum in familia Junia exhibet, credit pugnam factam fuiſſe eo die, quo Liberalia Romæ agerentur.

VI.

Caius PANSA. Perſona ſcenica Sileni.
ALBINVS BRVTI *Filius.* Duæ dextræ junctæ tenent caduceum alatum.

Victo ad Mutinam ingenti prœlio M. Antonio, atque altero ex conſulibus A. Hirtio, dum victoriam conſummare nititur, in ipſis Antonii caſtris, ad prætorium ejus, cæſo, ſolus C. Vibius Panſa ſupererat, ſed graviter vulneratus, & C. Cæſar Octavianus, qui pro quæſtore una cum Hirtio miſſus fuerat. Exſpectaverat Cæſar, ut

 ſibi

ſibi ſummam rerum ſenatus deferret, & imperium in milites, quos ſciebant omnes ipſi addictos eſſe. Verum ſenatus, quique in ſenatu plurimum poterat Cicero, verbis quidem magnificis ornarunt Cæſarem, uti docet adlatus modo ex Philippica ultima locus, verum omni poteſtate excludere ambitionis & vindictæ plenum juvenem conati ſunt. In Decimum Brutum, Albini filium, itaque omne jus imperii, quod ſuum fore ſperaverat Cæſar, transtulerunt Cicero & ſenatus. Hanc Cæſari contumeliam factam indignatur Dio Caſſius lib. XLVI. pag. 317. Τὸν δὲ δὴ Καίσαρα οὐχ ὅτι μεγάλου τινὸς ἔτ' ἠξίωσαν, ἀλλὰ καὶ καταλύειν ἐπεχείρησαν, πάνθ' ὅσα ἐκεῖνος ἤλπιζε λήψεσθαι, τῷ Δεκίμῳ δόντες. οὐ γὰρ ὅτι βουθυσίας, ἀλλὰ καὶ ἐπινίκια αὐτῷ ἐψηφίσαντο. τά τε λοιπὰ τοῦ πολέμου, καὶ τὰ στρατόπεδα, ἄλλα τε καὶ τὰ Οὐϊβίου προσέταξαν τοῖς στρατιώταις τοῖς συμπολιορκηθεῖσίν οἱ, καὶ ἐπαίνους καὶ ὅσα τοῖς τοῦ Καίσαρος πρότερον προεπήγγελτο, καίπερ μηδὲν ἐς τὴν νίκην συμβαλομένοις, ἀλλ' ἀπὸ τῶν τειχῶν αὐτὴν ἰδοῦσι, δοθῆναι ἔγνωσαν. καὶ τὸν Ἀκύλαν ἀποθανόντα ἐν τῇ μάχῃ εἰκόνι ἐτίμησαν· τά τε χρήματα, ἃ ἐς τὴν παρασκευὴν τῶν τοῦ Δεκίμου στρατιωτῶν οἴκοθεν ἀναλώκει, τοῖς κληρονόμοις αὐτοῦ ἀπέδωκαν. τό, τε σύμπαν, ὡς εἰπεῖν, ὅσα τῷ Καίσαρι ἐπὶ τὸν Ἀντώνιον ἐγεγόνει, ταῦτα ἐπ' αὐτὸν ἐκεῖνον ἄλις ἐψηφίσθη. καὶ ὅπως γε ἄν, μηδ' ἂν τὰ μάλιστα βουληθῇ, δυνηθῇ, πάντας αὐτῷ τοὺς ἐχθροὺς ἐπήσκησαν. τῷ τε γὰρ Πομπηΐῳ τῷ Σέξτῳ τὸ ναυτικόν, καὶ τῷ Βρούτῳ τῷ Μάρκῳ τὴν Μακεδονίαν, τῷ τε Κασσίῳ τήν τε Συρίαν καὶ τὸν πόλεμον τὸν πρὸς Δολοβέλλαν ἐνεχείρισαν· πάντως δ' ἂν καὶ τὰς δυνάμεις ἃς εἶχε προσπαρείλοντο, εἰ μήπερ ἐφοβήθησαν φανερῶς ψηφίσασθαι, διὰ τὸ εὔνους οἱ τοὺς στρατιώτας ἐπίστασθαι ὄντας. *Ut vero Cæſari magnum aliquid jam præterea tribuerent tantum abfuit, ut conati ſint etiam detrahere de ejus dignitate, omniaque quæ is ſe accepturum ſperaverat, Decimo tribuerint: cui non ſacrificia tantum pro re bene geſta, ſed triumphum etiam decreverunt, eique belli reliquias mandaverunt: militibus Decimi, qui cum eo in obſidione habiti fuerant, cum alias tum Panſæ legiones addiderunt: iisdemque Bruti militibus collaudationes, & ea præmia, quæ ante Cæſaris militibus promiſſa fuerant, tribuerunt: quum tamen ii ad victoriam nihil contuliſſent, ſed prælium de muro ſpectaviſſent. Aquilam, qui in pugna perierat, ſtatua honoraverunt, pecuniamque, quam is ex ſuis bonis D. Bruti militibus impenderat conducendis, hæredibus ejus reddiderunt. Denique omnia quæ prius contra Antonium Cæſari dederant, tunc adverſus hunc ipſum decreverunt: ac, ne is ulla ratione ad aliquam poſſet pervenire potentiam, omnes ejus inimicos inſtruxerunt, re navali Sexto Pompejo commiſſa, M. Bruto Macedonia, Caſſio Syria & bello contra Dolobellam. Quod niſi militum erga Cæſarem benevolentiam cognitam habuiſſent, haud dubie eos quoque ipſi ademiſſent.* In Ciceronem præcipue culpam derivat Appianus de B. C. lib. pag. 574. Καὶ τὸν στρατὸν τῶν ὑπάτων ἐδίδου Δεκίμῳ, καίπερ ἔτι Πάνσα περιόντος (ἤδη γὰρ ἀπεγιγνώσκετο) στρατηγόντε τὸν Δέκιμον ἀπέφηνεν ἐπ' Ἀντωνίῳ μόνον εἶναι, καὶ εὐχὰς δημοσίας ἐποιεῖτο Δέκιμον Ἀντωνίῳ περιγενέσθαι. *Exercitum conſulum Decimo dandum cenſebat, quamvis Panſa etiamtum ſuperſtite (jam enim deploratus fuerat) & imperium ſoli Decimo committendum contra Antonium, votaque publice nuncupanda pro ejus victoria.* Quæ quidem Appiani verba egregie denarium hunc illuſtrant, in quo viventi adhuc Panſæ collega datur & ſucceſſor Decimus Brutus. Sileni enim perſona ad Panſam ſpectat, dextræque junctæ cum caduceo ad fidem mutuam inter Panſam & Decimum Brutum, ſive, ſi malis, ad concordiam ſenatus, qui Albinum Bruti filium, id eſt, Decimum Brutum ſucceſſorem Panſæ elegerant, ſed quos is, licet deploratus, adhuc viveret, Panſæ quoque nomen & ſymbolum in nummo exprimi voluerunt.

VII.

Caius VIBIVS *Cai Filius.* Caput ſive perſona Sileni. Adeſt tibia in tubæ formam ab una parte amplior.

PANSA. Caput barbatum, ſeu potius perſona Bacchi, hedera revinctum. Sub illo inſtrumentum eſt muſicum ſiſtro non abſimile.

Ex hac Bacchi barbati perſona patet, caput illud muliebre, quod ſæpius ſupra habuimus, hedera & corymbis redimitum, Liberæ deæ potius quam Baccho eſſe adjudicandum.

Litera B.

Caius VIBIVS *Cai Filius.* Perſona ſimilis Sileni. Ante illud inſtrumentum aliquod eſt mihi incognitum.

PANSA. Perſona Bacchi barbata, caput hedera & corymbis redimitur. Sub perſona eadem quaſi ſiſtri eſt figura, ſed quæ tamen in utroque nummo mihi aliud quid eſſe videtur.

Et hujus & præcedentis denarii typus ad Liberalia, ſive ſacra Liberi, ſpectat. Libero Patri perpetuus ejus comes Silenus recte jungitur, tubæ & tibiæ quoque in ejus orgiis adhibitæ fuerunt, verum nihil illuc ſiſtrum, Iſidi proprium, & Ægyptiacis dicatum ſacris, facit. Si itaque bene inſpiciam poſteriorem hunc denarium, thyrſus potius eſſe videtur, adparet enim haſta media, in ſummo nucem pineam & pampinos habens, atque defluentes inferne vittas ſive tenias. Reponi ſignum idem debere in præcedenti denario exiſtimo, in quo minus adcurate excepta videtur fuiſſe minuta illa in denario figura. Illud quoque, quod in hoc nummo ante Sileni perſonam cernitur, aliquid cum papilione commune habere videtur. Hominem propterea Epicureum vocat Pighius Annal. tom. III. pag. 383. argumento parum valido.

VIII.

Caput Jani bifrontis & barbati, laurea, coronatum, cum aſſis nota.

Caius PANSA. Tres navium proræ.

Hunc aſſem judicat Vaillantius cuſum fuiſſe ab eodem nobiliſſimo C. Vibio Panſa, qui præcedentes omnes ſignari fecit, vel in cujus honorem illi ſignati fuerunt. Et quidem exiſtimat in quæſtura ejusdem urbana A. V. C. DCLXXXXVII. cuſos ab illo fuiſſe pro inpenſis claſſis Cæſaris, qua ille Venetos navali prælio devictos ſubegit. Sed ut in hac ſententia vix poſſim adquieſcere, ponderis & magnitudinis horum aſſium ratio facit. Poſſideo ipſe tres æreos hujus C. Vibii Panſæ nummos, quales & hic & ſequentes ſunt. Ex tribus vero aſſibus meis duo ſimiles ſunt primo tabulæ ſequentis, tertius ſecundo tabulæ ſequentis. Verum omnes videntur eſſe vetuſtiores, quam ut ad Julii Cæſaris tempora referri posſint. Certe quum aſſes quoque ſervem a Sexto Pompejo cuſos, nullus vero ex tribus Vibianis meis pondus aut magnitudinem aſſis Pompejani, qui pendet 418. monades, æquet, antiquiores videntur eſſe hi aſſes Vibiani, niſi illo temporis intervallo, quod inter C. Vibium Panſam conſulem ſeu quæſtorem atque Sextum Pompejum Pium Cnei filium fuit, aſſium pondus auctum

ctum ad illam rationem fuerit, quam in Pompejanus affibus obſervamus. Accedit & alia, non minoris momenti, ratio. Inter duos aſſes meos, qui ſimiles figura & inſcriptione ſunt primo tabulæ ſequentis, diſcrimen itidem in magnitudine & pondere invenitur. Nam alter altero minor eſt & levior, quod illis diſcrimen non a temporis injuria, ſed a prima origine adhæſit. Unde ſuſpicor a vetuſtiore Panſa, ſeu potius Panſis duobus vetuſtioribus, nummos meos cuſos fuiſſe, & in illis expreſſam fuiſſe aliquam inſigniorem pro republica legationem, quam Panſarum aliquis obierit, cujus typum quum filius expreſſerit, pro more, in quæſtura ſua, tum nepos vel pronepos, itidem quæſtor, repetiit, aſſium pondere interim imminuto. Subiraſcor nonnunquam Morellio noſtro, quod omnes denarios & æreos nummos juſto majores depinxerit; id antiquariis ſollicite cavendum eſſe exiſtimo.

TAB. III.

I.

Caput idem Jani bifrontis, cum aſſis nota.
Caius VIBI*us* PANS*a*. ROMA. Tres navium proræ.

Hic eſt ille nummus, quales duos diverſæ magnitudinis & ponderis poſſideo. Quoad pondus eorum alter pendet 288. monades alter vero 206. monades. Unde patet, vix potuiſſe uno eodemque anno atque ab eodem quæſtore urbano C. Vibio Panſa ſignari. Et certe, quamvis noſter ille conſul Panſa C. Vibius dicatur, nullique ante illum C. Vibii Panſæ in hiſtoria inveniantur; certum tamen eſt & Vibiam familiam ante illum floruiſſe, & C. prænomen, atque Panſæ habuiſſe cognomen. Imo familiare Caji prænomen in Vibia fuiſſe gente & Panſæ familia, docent Faſti, in quibus conſul noſter ſcribitur Vibius C. F. C. N. Panſa. Ad majores itaque Panſæ aſſes hos pertinere exiſtimo.

II.

Caput idem Jani bifrontis laureatum; cui ex meo aſſis nota addi debet.
Caius PANSA. ROMA. Tres navium proræ. Ante illas Dioſcurorum ſunt capita cum ſtellis.

Aſſis mei forma antiquum illum eſſe oſtendit; & nequaquam ad Julii Cæſaris tempora referri poſſe. Pendet is 288. monades. Præterea pro capitibus Dioſcurorum pileos eorundem habet cum ſtellis, ſed res eodem redit. Omnino vero legatio aliqua inſignis hoc typo innui videtur. Similiter tres navium proræ in gente Bæbia obſervantur num. II.

III.

Caput Jovis laureatum.
VIB*ius*. ROMA. Victoria coronans tropæum.

Typus hic quinariis paſſim ſolet inprimi, quemadmodum bigæ & quadrigæ cum dea Victoria denariis, unde bigati & quadrigati ſunt adpellati. Et quidem typus ille erat ſolennis, etiamſi nulla illo anno victoria relata fuiſſet, ut recte obſervat Vaillantius. Verum utrum ad conſulem C. Vibium Panſam hic denarius, qui quinarii ſolitum typum habet, ſit referendus, magnopere dubito. Credo potius cuſum fuiſſe ab uno ex illis Vibiis Panſis antiquioribus, qui præcedentes ſignavit aſſes, quod ſuadere videtur ſimplex monogramma Vibii.

Litera C.

ΝΙΚΟΜΗΔΕΩΝ. *Nicomedienſium.* Caput Julii Cæſaris nudum.

ΕΠΙ ΓΑΙΟΥ ΟΥΙΒΙΟΥ ΠΑΝΣΑ. *Sub Caio Vibio Panſa.* Victoria gradiens, dextra corollam præfert; læva lauream tenet ſuper humeros. Ante pedes Victoriæ eſt monogramma compoſitum ex literis ΑΑΡΞ. Sub Victoriæ pedibus æra fuit, quæ ærugine periit.

Inſignis hic nummus exhibet victoriam Julii Cæſaris de Pharnace, Mithridatis Magni filio. In qua expeditione, quum illi comes fuerit C. Vibius Panſa, amicorum intimus & præfectus Bithyniæ, hunc nummum ſignavit, in qua ipſe & Nicomedienſes gratulantur Cæſari præclaram & citam de metuendo hoſte victoriam. Male ΠΕΡΓΑΜΗΝΩΝ, *Pergamenorum*, ut Pergami cuſum, hunc nummum inſcripſit Vaillantius pag. 1. in Cæſare, qui propterea, & alia quoque de cauſa, juſte vapulat Liebeo Theſ. Saxo-Goth. pag. 237.

Litera D.

ΝΙΚΟΜΗΔΕΩΝ. *Nicomedienſium.* Caput muliebre turritum Urbis eſt genius.

ΕΠΙ ΓΑΙΟΥ ΟΥΙΒΙΟΥ ΠΑΝΣΑ ΒΑΣ. *Sub Cajo Vibio Panſa. anno* CCXXXII. ſed ſcrib. ΕΛΣ. CCXXXV. literæ enim B. & E. facile in nummis glaucoma oculis contemplantium objiciunt. Aquila expanſis alis fulmini inſiſtens. Ante illam eſt caduceus alatus.

Victoria Romanorum hoc nummo celebratur, unde pax Aſiæ & ſecuritas. Eſt vero victoria Cæſaris de Pharnace, ut docet nummus præcedens, & amplius quoque æra, quæ huic & ſequenti nummo adeſt. Eſt enim æra Bithynica, quam ex his nummis propterea eruere conatur Morellius, de hisce nummis ita ſcribens ad Perizonium pag. 200. & 201. „ Inquirendum nunc, quo „ anno inceperit hæc Bithyniæ epocha: hoc „ colligere datur ex nummis gentis VIBIAE, „ in quorum duobus ΝΙΚΟΜΗΔΕΩΝ legitur, circum caput Cybeles turritum, & ab averſa parte aquila fulmini inſiſtit, cum hac inſcriptione: ΕΠΙ ΓΑΙΟΥ ΟΥΙΒΙΟΥ ΠΑΝΣΑ, quibus literæ ΒΑΣ additæ, annum CCCXXXII. denotantes. In alio tertio caput Julii Cæſaris exprimitur cum iisdem inſcriptionibus. At hi „ nummi cudi non potuerunt ante Bithyniæ recuperationem, quæ facta eſt A. V. C. DCCVII. „ cum Julius Cæſar VENIT, VIDIT, & „ Pharnacem VICIT. Inde ſi CCCXXXII. „ annos retrogradimur, incidimus in A. V. C. „ CCCCLXXV. ſed quia hæc victoria exeunte „ demum anno parta eſt, certior ſtatuitur retrogreſſus ab anno ſequenti V. C. DCCVIII. quo „ facto Epocha inciperet A. V. C. CCCCLXXVI. „ & hoc anno Nicomedes fratrem Zipœtum auxilio Gallorum vicit, Bithyniaque omnis in ejus ditionem conceſſit: Galli tamen regnum „ cum Nicomede dividentes regionem a ſe poſſeſſam Gallo-græciam cognominaverunt. Caput „ au-

„ autem Julii Cæſaris in nummo expreſſum ſine „ dubio indicat, cuſum illum fuiſſe eodem an- „ no, quo ſenatus monetam Julii Cæſaris imagi- „ ne ſignare decrevit, ſi non velimus credere „ adulatores in provinciis Julio Cæſari hunc ho- „ norem citius, quam ſenatum, attribuiſſe. Me- „ moratum Julii Cæſaris nummum luci publicæ „ jam expoſuit clariſſimus Vaillantius in ſuis „ Græcis Imperatorum numiſmatibus pag. 1. ſed „ iſtud miror, quod illum Pergamenis ad- „ ſcripſerit." Verum ad hæc Morelli verba recte docet Liebeus, falſos Morellii fuiſſe oculos, dum literam B. videre putant, quæ E. in nummis eſt, atque ita eſſe adparet in duobus nummis cimeliarchii Saxo-Gothani, quorum alter ſequenti eſt ſimilis, niſi quod monogramma diſcrepet, & laurea ornetur inſuper caput muliebre; alter vero caput habeat Apollinis laureatum, & ab altera parte lyram. Docet vero idem Liebeus æram Bithynicam exordium ſumſiſſe A. V. C. CCCCLXXVI. cuſos vero in Bithynia omnes hos nummos ſub C. Vibio Panſa fuiſſe A. V. C. DCCVII. quo Pharnacem devicit Cæſar, cujus victoriæ nobile monumentum hi nummi conſtituunt. Vide laudatum Liebeum pag. 237. & 238.

Litera E.

ΝΙΚΟΜΗΔΕΩΝ. *Nicomedienſium.* Caput muliebre turritum.

ΕΠΙ ΓΑΙΟΥ ΟΥΙΒΙΟΥ ΠΑΝΣΑ. ΒΛΣ, repone ΕΛΣ. *Sub Cajo Vibio Panſa anno* CCXXXV. Aquila expanſis alis fulmini inſiſtens. Ante aquilam eſt monogramma ex literis TOM. Hæ vero literæ, ut in nummo lit. C. nomen alicujus magiſtratus Græci in illa urbe denotare videntur.

Vide quæ ad præcedentes nummos a nobis dicta ſunt.

TAB. IV.

I.

TI*berius* CAESAR DIVI AVG*uſti Filius.* AVG*uſtus* IMP*erator* VIII. Caput Tiberii Cæſaris nudum.

Caio V*ibio* MARSO PROC*onSule*, NER*one* CAES*are Quæſtore* PR*ovinciali*, *Aulus Memmius* GEMELLVS (ſubintelligitur, ut expreſſe exſtat in ſequenti, *fieri curavit.*) D. D. P. P. i. e. *decuriones poſuerunt*, vel *Decreto Decurionum Publice Poſita.* Statua muliebris ſedens, capite velato, dextra tenens pateram, læva haſtam.

Licet nullum coloniæ adſit nomen, patet tamen ex ſtatua Liviæ ſedentis, & proconſule Vibio Marſo, hoſce nummos omnes ad Uticam pertinere. Videri enim poſſunt, quæ ſuper illis commentatus eſt Vaillantius in opere de Coloniis pag. 125. & ſeqq. Uticenſes enim ſtatuam, quam Liviæ decreto decurionum publice poſuerant, in nummis ſuis quoque expreſſerunt.

C. Vibius Marſus, legatus fuit Germanici, & ſub Tiberio Cæſare, per aliquot annos Africam proconſulari imperio rexit. Obtinuit vero illam provinciam A. V. C. DCCLXXIX. juxta Vaillantii calculum, atque quæſtores habuit Neronem & Druſum, majores Germanici Cæſaris filios, vel certe hunc honoris titulum Uticenſes ſub Vibio Marſo illis obtulerunt, atque eorum nomine nummos ſuos inſcripſerunt; videntur enim honorarii fuiſſe quæſtores, quemadmodum Druſus, Tiberii filius, aliique in coloniarum nummis nonnunquam duumviratus titulo decorantur, quod nequit capi niſi de titulo honorario. Druſi enim ſimilis honor cernitur infra num. VI. & VII.

II.

Caput Tiberii idem, cum eadem capitis inſcriptione.

Aulus Memmius GEMELLVS *Fieri Curavit*, *Caio* VIB*io* MARSO PR*o*CO*nSule*, NE*rone* CAES*are Quæſtore* PR*ovinciali*: *Decreto Decurionum Publice Poſitum.* Statua Liviæ, ut ſupra.

Docet hic nummus, quid ſubintelligi debeat in præcedenti nummo, & locatam hanc Liviæ ſtatuam fuiſſe ab A. Memmio Gemello, proconſule Vibio Marſo; & publice poſitam fuiſſe eandem decreto decurionum. Vel etiam literæ D. D. P. P. ſignificare poſſunt *Decreto Decurionum Pecunia Publica.* Liviæ videlicet ſtatuam illam publica coloniæ Uticæ pecunia fuiſſe confectam ex decreto decurionum, curam vero ſtatuæ faciendæ demandatam A. Memmio Gemello fuiſſe.

III.

Epigraphe eadem, caput Tiberii idem.

Municipes Municipii Iulii Uticenſis, *Caio* VIBIO MARSO PROCO*nSule* III. *Caius* SALVSTIVS IVSTVS IIVIR, Statua eadem Liviæ ſedentis.

Tertio anno proconſularis imperii Caji Vibii Marſi tria nomina duumvirorum in nummis occurrunt; quem nodum bene ſolvit Vaillantius, vel ſcilicet unum ex duumviris fuiſſe mortuum, vel non eodem menſe & die honorem iniiſſe hos duumviros, quo novum proconſularis imperii annum auſpicaretur Vibius Marſus, & ſic quatuor duumviros ſub unius anni proconſulatu aliquo occurrere poſſe.

IV. *vacat.*

V.

TI*berius* CAESAR DIVI AVG*uſti Filius* AVGVST*us* IMP*erator* VIII. Caput Tiberii nudum.

Decreto Decurionum, *Pecunia Publica* (ſic enim legi debere judico hunc & ſimiles) *Aulus Memmius* GEMELLVS (ſcil. *fieri curavit*) *Caio Vibio* MARSO PROCO*nSule* NER*one* CAES*are Quæſtore* PR*ovinciali.* Statua Liviæ ſedentis, ut ſupra.

Vide ad nummum primum.

VI.

Epigraphe eadem, caput Tiberii idem.

Decreto Decurionum, *Pecunia Publica*, *Titus Cæcilius* RVFVS *Fieri Curavit*, *Caio* VIB*io* MARSO PR*o*CO*nSule*, DR*uſo* CAES*are Quæſtore* PR*ovinciali.*

Sicuti in primo & aliquot ſeqq. nummis Nero, ſic in hoc & ſequenti Druſus honoratur quæſtoris provincialis titulo ab Uticenſibus.

VII.

Decreto Decurionum Pecunia Publica Titus Cæcilius RVFVS *Fieri Curavit Caio* VIB*io* MARSO PR*o*CO*nSule* DR*uſo* CAES*are Quæſtore* PR*ovinciali.* Statua Liviæ ſedentis, ut ſupra.

Ex

Ex hoc nummo patet Aulum Memmium Gemellum & Titum Cæcilium Rufum, ſimul fuiſſe duumviros primo proconſulatus C. Vibii Marſi anno, atque ſimul ex decreto decurionum pecunia publica ſtatuam illam Liviæ fieri curaſſe. Factam enim illam ſtatuam fuiſſe primo Vibii Marſi anno patet, quod literæ illæ ſingulares D. D. P. P. & F. C. quæ ad ſtatuam decretam factamque ſpectant, in nummis non legantur, qui ſecundum & tertium proconſulatus Vibii Marſi annum exprimunt; ſed in illis legantur hæ literæ ſingulares M. M. I. V. id eſt, *Municipes Municipii Iuliæ Uticenſis.* ut ſupra num. III. At apud Vaill. in pluribus pag. 127. 128. 129. leguntur quidem literæ D. D. P. P. ſed nequaquam illæ F. C. Ratio eſt, quod ſequentibus illis, alio proconſulis anno, duumviris, adſcribi non poterat *Fieri Curavit* vel *Curarunt*, quoniam illi jam id fecerant, qui primo anno Marſi fuerant duumviri; ſed recte juxta ſtatuam Liviæ poni potuit *Decreto Decurionum*, *Pecunia Publica.* Id enim ſemper erat verum, licet quotannis alii ſuccederent ſibi invicem duumviri. Et talis inſcriptio exſtat, tertio proconſulatus Vibii Marſi anno, apud Vaill. pag. 128. 129.

C. Vibius Marſus vir inſignis fuit, unde *vetuſtis honoribus & illuſtris ſtudiis* vocatur apud Tacitum Annal. lib. VI. cap. 47. ubi narrat, quomodo extremis Tiberii temporibus delatorum artes evaſerit, *tanquam inediam deſtinaviſſet.*

VIII. *vacat.*

IX.

Marcus AGRIPPA *Lucii Filius* CO*nSul* III. Caput M. Agrippæ corona roſtrata inſigne.

Colonia Cæſarea Auguſta TITVLLO ET MONTANO IIVIR*is.* Colonus agens boves.

Cæſarauguſtani in honorem Caji Caligulæ multos nummos ſignarunt, neque ipſi tantum, ſed & parentibus ejus, Germanico & Agrippinæ, quoque illum honorem habuerunt, imo & avo Agrippæ. Verum conjectura Vaillantii non videtur ſine fundamento eſſe, iratum videlicet propterea Cæſarauguſtanis fuiſſe inſanum imperatorem, qui nolebat videri genus a Vipſanio Agrippa duxiſſe; ideoque eum non Cæſareæ Auguſtæ tantum, ſed & univerſæ Hiſpaniæ, abſtuliſſe jus cudendæ monetæ.

X.

Caius CAESAR AV*Guſtus* GERMANICVS IMP*erator* PATER PATRIAE. Caput Caji Cæſaris nudum.

Colonia Cæſarea Auguſta TITVLLO ET MONTANO IIVIR*is.* Colonus agens boves.

Inter Vibios fuerunt qui Tituli vel Titulli cognomen habuerunt. C. VIBIO C. F. VOL. TITVLO. occurrit apud Gruterum in Inſcript. pag. DCCCLIII. num. 9. Ideo hos nummis ad Vibiam gentem retuliſſe videtur Morellius.

XI.

GERMANICVS CAESAR *Cai* CAESARIS PATER. Caput nudum Germanici.

Colonia Cæſarea Auguſta, in area nummi; & in circuitu, TITVLLO ET MONTANO IIVIR*is.*

VINICIA.

Gens equeſtris ſed plebeja fuit, prout patet ex L. Vinicio tribuno plebis cum Vibio Panſa Cnei Pompeji Magni temporibus.

I.

CONCORDIA. Caput deæ Concordiæ.

Lucii VINICI*i* vel *Lucius* VINICI*us.* Victoria volitans inter quatuor corollas, quarum unam lævo amplectitur cubito, manu quoque læva longam palmam tenet ſuper humeros, ad cujus extremam partem dextram extendit.

Hunc denarium cenſet Vaillantius cuſum fuiſſe a Lucio Vinicio patre Lucii Vinicii, qui triumvir monetalis ſub Auguſto in ſequentibus denariis agnoſcitur. Eundem exiſtimat in quæſtura provinciali A. V. C. DCLXXXXVII. quo Pompejus Magnus proconſule frumentariam procurationem obtinuit, hunc denarium ſignaſſe; idem ex typo Victoriæ cum quatuor coronis conjicit eum Pompeji fuiſſe quæſtorem, & illius concordiam cum ſenatu renovare voluiſſe, unde Concordiæ caput a priore parte expreſſerit, a poſteriore quatuor victorias Pompeji, de Africa, Europa, Aſia, & piratis. Addit eundem L. Vinicium A. V. C. DCCII. tribunatum plebis adeptum fuiſſe. Ἀναπόδεικτα hæc ſunt, & nihil aliud Vaillantium ad hanc ſententiam impulit, quam quod neque Lucii vocetur filius, neque ſcribatur triumvir monetalis, quod in duobus ſequentibus legitur. Sed cogitare debuiſſet in IV. nummo, qui caput Auguſti exhibet, neque alia tempora, quam Auguſti, ſpectare poteſt, ſimpliciter quoque Lucium Vinicium, ut in hoc nummo, legi, neque patris nomen, aut muneris dignitatem addi. Rectius itaque Urſinus hunc quoque nummum refert ad eundem, qui ſequentes ſignavit; verum in eo errat, quod credit eundem poſt tribunatum plebis factum fuiſſe triumvirum monetalem, qui certe minor erat magiſtratus. Pater igitur L. Vinicius tribunus olim plebis fuit, at filius triumvir monetalis ſub Auguſto. L. Vinicius pater ſenex, ſeni Auguſto gratus fuit, & colluſor ejus, ut patet ex Suetonio in Vita Auguſti cap. LXXI. *Cænavi, mi Tiberi, cum iisdem: acceſſerunt convivæ Vinicius & Silius pater. Inter cœnam luſimus* γεροντικῶς *& heri & hodie.*

L. Vinicio filius decorus ille adoleſcens videtur fuiſſe, fraterve ejus; quem admonuit idem & reprehendit Auguſtus, quod filiam Juliam Bajas ſalutatum iviſſet, judicans *parum modeſte feciſſe eum*; ut refert Suetonius cap. LXIV. Is itaque L. Vinicius triumvir monetalis factus fuit ſub Auguſto, quum hic tribunitiam poteſtatem VIII. gereret, adeoque A. V. C. DCCXXXVIII. vel DCCXXXIX. atque in hoc quidem denario duas res inſignes celebravit, videlicet concordiam Auguſti cum ſenatu, & victorias ejuſdem. De concordia cum ſenatu, quocum monetæ rationes & provincias diviſit, dubitari nequit, neque de triumviris cogitare debuit Begerus tom II. pag. 595. quaſi ex eorum concordia Victoria laurus eſſet ſparſura. Quæ non intelligo, utrum de IIIviris monetalibus, an de IIIviris reipublicæ conſtituendæ dicta velit. Sed utrumque æque eſt abſurdum. Recte Urſinus judicavit, hic celebrari inſigniores illas quatuor Auguſti victorias, videlicet, ex Sicilia de Sexto Pompejo, de Pannonicis, Dalmatis, Iapidibus & Gallis, ex Macedonia & Actio, & de-

denique de regina Cleopatra ex Ægypto.

Ex hoc itaque nummo dubium aliquod oriri poteſt, an non ſcilicet duo illi nummi, qui priores occurrunt in tab. quinta gentis Corneliæ, & quos ad Pompejum Magnum retulimus ſupra pag. 129. majore vel æquo certe jure pertineant ad Auguſtum. Exhibent illi a parte priore caput inberbe, quod ipſius Auguſti eſſe poteſt, quaſi Herculis vel potius Alexandri Magni, in rictu leonis; & ab altera parte globum terrarum inter quatuor coronas, acroſtolium & ſpicam. Præter ſenatusconſulti notam, quæ in utroque adeſt, in altera monogramma exſtat, quod ibi lectum a nobis fuit FAVST*us.* illæ enim literæ clare adparent; ſed quum exiguum ſit diſcrimen inter literas V. & N. F. & E. legi quoque poſſe videtur ANTEST*ius*, ut ille Anteſtius una cum noſtro L. Vinicio fuerit triumvir monetalis ſub Auguſto; de quo amplius deliberandum.

II.

AVGVSTVS TR*ibunicia* POT*eſtate* VIII. Caput Auguſti nudum.

Lucius VINICIVS *Lucii Filius* IIIVIR. Cippus cum hac inſcriptione, *Senatus Populusque Romanus* IMP*eratori* CAE*ſari* QVOD *Viæ Munitæ Sunt* EX EA *Pecunia Quam* IS AD *Aerarium* DE*tulit*.

Tribuniciam poteſtatem geſſit Cæſar Auguſtus octavum A. V. C. DCCXXVIII. quo omnes hi nummi elegantes & rari, atque inprimis hiſtorici, cuſi fuerunt. Eo anno Cæſar viarum reficiendarum curam ex manubiis dedit viris triumphalibus, atque ipſe ſuis ſumtibus viam Flaminiam ſternendam ſuſcepit. Cujus rei teſtes ſunt hi denarii illo anno cuſi.

III.

Sine epigraphe. Statua Auguſti equeſtris ſupra baſin, in qua (in meo certe nummo) legitur, *Senatus Populusque Romanus* IMP*eratori* CAES*ari.* ante portam urbis.

Lucius VINICIVS *Lucii Filius* IIIVIR. Cippus idem cum eadem inſcriptione, *Senatus PopulusQue Romanus* IMP*eratori* CAE*ſari* QVOD *Viæ Munitæ Sunt* EX EA *Pecunia Quam* IS AD *Aerarium* DE*tulit*.

Porta cum parte murorum deſignat portam Flaminiam, ante quam collocata fuiſſe videtur ſtatua Auguſti equeſtris, a ſenatu populoque Romano erecta, propter viam ſumtibus ipſius ab urbe usque ad Ariminum ſtratam & refectam. Rem geſtam Dio Caſſius aliique narrant.

IV.

Sine epigraphe. Caput Auguſti nudum.

Lucius VINICIVS. Arcus triumphalis elegantiſſimus cum tribus fornicibus, ſupra mediam inſcribitur *Senatus PopulusQue Romanus* IMP*eratori* CAE*ſari*, eique inſiſtunt quadrigæ triumphales.

Hic arcus Auguſto propter vias refectas erectus fuit, & quia per eam triumphalis pompa vehebatur, propterea illi quadrigæ triumphales ſunt impoſitæ.

VIPSANIA.

Gens equeſtris ſed plebeja fuit, ſub Auguſto tamen meruit conſulatum, & gener principis factus fuit M. Vipſanius Agrippa.

I.

DIVVS IVLIVS DIVI F*ilius*. Capita adverſa Julii Cæſaris laureatum, & Caji Cæſaris Octaviani nudum.

Marcus AGRIPPA CO*nSul* DESIG*natus*. In area nummi.

Cuſus eſt hic nummus eodem anno & tempore, quo is, qui ſequitur, ſignatus fuit. Ut Julii amor in Romana plebe & veteranis militibus excitaretur, caput ejus cum filii adoptivi capite in hoc nummo ſociatur.

II.

CAESAR DIVI JVLI*i Filius* IMP*erator*. Caput Cæſaris Cai Octaviani barbatum.

Marcus AGRIPPA CO*nSul* DESIG*natus*. In area nummi.

Propter res eximie & feliciter geſtas conſul deſignatus fuit opera C. Cæſaris, quem conſulatum geſſit A. V. C. DCCXVII. una cum L. Caninio Gallo.

Adducit Harduinus tom. I. ad Plin. pag. 225. nummum aureum huic ſimilem, in quo legitur ad caput C. Cæſaris DIVI IVLI F. PER. III VIR R. P. C. quas literas ipſe more ſuo ſic reſolvit DIVI IVLI*i Filius Protector Eduæ Reſtitutæ* IIIVIR *ReiPublicæ Conſtituendæ*. Verum quis non videt illud PER. legi debere IMPE*Rator*. deficientibus in nummo literis prioribus.

III.

CAESAR AVGVSTVS. Caput Auguſti nudum.

Marcus AGRIPPA PLATORINVS III VIR. Caput M. Vipſanii Agrippæ nudum.

Signavit hunc denarium C. Sulpicius Platorinus triumvir monetalis A. V. C. DCCXXVI. vel, ut alii numerant DCCXXVII. quo conſul fuit M. Vipſanius Agrippa III. cum Cæſare Auguſto VII. uti pluribus docuimus ſupra pag. 408. ad familiam Sulpiciam, in C. Sulpicii Platorini nummis.

IV.

Marcus AGRIPPA *Lucii Filius* CO*nSul* III. Caput Agrippæ corona roſtrata inſigne.

Senatus Conſulto. Neptunus cum ſtrophio, dextra tenens delphinum læva tridentem.

Conſul tertium fuit M. Vipſanius Agrippa cum Cæſare Auguſto VII. A. V. C. DCCXXVI. vel DCCXXVII. diverſimode enim Faſti Capitolini aliique numerant. Quo anno Auguſti nomen recepit Cæſar die Januarii XVII. & reipublicæ conſtituendæ poteſtatem in decem annos accepit. Neque tamen eo anno æream hanc Agrippæ monetam ſignatam exiſtimat Vaillantius, ſed novem poſt annis, quum poteſtatem prorogaret in quinquennium Auguſtus, quam ante in decem annos receperat; videlicet A. V. C. DCCXXXV. vel DCCXXXVI. coſſ. Corn. Lentulo & Lentulo Marcellino; quo anno tribuniciæ poteſtatis conſortem fecit Agrippam Auguſtus, adeoque tantum non participem imperii. Et recta videtur illa Vaillantii ſententia; neque enim alias in ærea moneta, cujus jus apud ſenatum fuiſſe adpoſita ſenatusconſulti nota oſtendit, Agrippæ faciem ſignaſſet ſenatus, niſi conſortem ſummæ poteſtatis feciſſet Auguſtus. Et hinc tanta copia nummorum Agrippæ cum hoc typo, utpote qui quotannis renovari, atque iterum, poſt ſemel communica-

nicatam tribuniciam poteſtatem, nummis inprimi ſolebat. Juris illius communicati non modo meminit Tacitus, ſed id Dio Caſſius quoque egregie deſcribit lib. LIV. pag. 529. ad A. V. C. DCCXXXVI. Ὁ δὲ Ἀγρίππας ἐς τὴν αὐταρχίαν τρόπον τινὰ ὑπ' αὐτοῦ προήχθη. ὁ γὰρ Αὔγουστος, ὡς τά τε κοινὰ θεραπείας ἀκριβοῦς ἐδεῖτο, καὶ ἐδεδίει μὴ, οἷα ἐν τοῖς τοιούτοις φιλεῖ συμβαίνειν, ἐπιβουλευθῇ (βραχὺ γάρ τι καὶ σμικρὸν τὸν θώρακα, ὃν ὑπὸ τῇ στολῇ πολλάκις καὶ ἐς αὐτὸ τὸ συνέδριον ἐσιὼν εἶχεν, ἐπικουρήσειν οἱ ἐνόμιζε) πρῶτον μὲν αὐτὸς πέντε τῆς προστασίας ἔτη, ἐπειδήπερ ὁ δεκέτης χρόνος ἐξήκων ἦν, προσέθετο· (ταῦτα γὰρ Ποπλίου τε καὶ Γναίου Λεντούλων ὑπατευόντων ἐγένετο) ἔπειτα δὲ καὶ τῷ Ἀγρίππᾳ ἄλλα τε ἐξ ἴσου πῃ ἑαυτῷ, καὶ τὴν ἐξουσίαν τὴν δημαρχικὴν ἐς τὸν αὐτὸν χρόνον ἔδωκε. τοσαῦτα γὰρ σφίσιν ἔτη τότε ἐπαρκέσειν ἔφη. ὕστερον γὰρ οὐ πολλῷ καὶ τὰ πολλὰ τῆς αὐτοκράτορος ἡγεμονίας ἔλαβεν, ὥστε αὐτὰ δέκα αὖθις γενέσθαι. *Cæterum Agrippam ad imperium quodammodo Auguſtus provexit. Quum enim rempublicam exquiſita videret cura indigere, inſidiasque ipſe metueret, quæ in hujusmodi re plerumque eveniunt, (contra quas ſane parum præſidii ſibi futurum in thorace, quem frequenter, etiam quum in ſenatum iret, ſub veſte geſtabat, putaret) primum in aliud quinquennium ſuum ſibi principatum prorogavit, quum jam decennium eſſet in exitu (id enim agebat, P. jam, & Cn. Lentulis conſulibus) deinde Agrippæ cum alia fere eadem quæ ſibi, tum tribuniciam poteſtatem itidem ad quinquennium dedit: tot enim ipſis annos tunc ſufficere dicebat. ac non multo poſt pleraque imperatoriæ potentiæ propria accepit, ut iterum decennium ejus principatus duraret.* Quemadmodum autem in pleriſque nummis laurea coronatur ipſe Cæſar Auguſtus, ſic ſemper in nummis æreis, ex ſenatus auctoritate cuſis, roſtrata corona Agrippa decoratur, atque is quaſi alter Neptunus ab altera nummi parte depingitur.

V.

Marcus AGRIPPA *Lucii Filius* CO*nSul* III. Caput Agrippæ idem.

IMP*erator Titus* VESP*aſianus* AVG*uſtus* REST*ituit. Senatus Conſulto.* Neptuni eadem effigies.

Quemadmodum Titus Cæſar ipſius Auguſti reſtituit nummos, ſic Agrippæ virtuti quoque illum honorem habuit, quum metus non erat ut interciderent tot myriades in honorem Agrippæ quotannis cuſi.

VI.

Marcus AGRIPPA *Lucii Filius* CO*nSul* III. Caput Agrippæ idem.

IMP*erator Domitianus* AVG*uſtus* REST*ituit. Senatus Conſulto.* Neptuni ſimilis imago.

Domitiani in hoc idem quod Tito ſtudium fuiſſe hic nummus, & aliæ ejus reſtitutiones, teſtantur.

Litera A.

ΣΕΒΑΣΤΩ ΘΕΩ. *Auguſto deo.* Caput Auguſti ſenis nudum.

. ΑΓΡΙΠΠΑΣ ΑΓΡΙΠΠ. . . . . ΚΑΙ ΤΗΣ ΙΟΥΛΙΑΣ ΥΙΟΣ. *Agrippa Agrippæ & Juliæ filius.* Agrippa juvenis ſtans, togam virilem indutus.

Rariſſimus hic nummus nobis depingit infelicem illum Agrippam Poſtumum, Liviæ novercæ artibus everſum, primamque principatus Tiberii victimam. De quo plura vide ad hunc ipſum nummum Tomo II.

VII.

AVGVSTVS CO*nSul* XI. Caput Cæſaris laureatum.

Marcus AGRIPPA CO*nSul* TER*tium.* COSSVS LENTVLVS. Caput M. Agrippæ corona roſtrata & turrita inſigne.

Præter coronam roſtratam, quæ in ære ſemper fere caput Agrippæ exornat, emicat quoque in hoc & ſequenti denario corona muralis. Roſtrata illi ob victorias navales conceſſa fuit, muralis propter motus in urbe ſedatos, quum illum Romam miſiſſet Auguſtus, ut ſui vice ibi res tranquillas redderet, uti recte ex Dione adnotat Vaillantius. Dionis locus exſtat lib. LIV. pag. 524. Οὐδὲν μᾶλλον ἡσύχασαν, ἀλλὰ καὶ πάνυ αὖθις ἐστασίασαν, καὶ διηνέχθησαν· ὥστε τὸν Λέπιδον ὀψὲ ποτὲ αἱρεθῆναι. ἀγανακτήσας οὖν ἐπὶ τούτῳ ὁ Αὔγουστος, καὶ μήτε μόνῃ τῇ Ῥώμῃ σχολάζειν δυνάμενος, μήτ' αὖ ἄναρχον αὐτὴν καταλιπεῖν τολμῶν, ἐζήτει τινὰ αὐτῇ ἐπιστῆσαι. καὶ ἔκρινε μὲν τὸν Ἀγρίππαν ἐπιτηδειότατον ἐς τοῦτο εἶναι, βουληθεὶς δὲ καὶ ἀξίωμα αὐτῷ μεῖζον προσθεῖναι, ἵνα καὶ ἐκ τούτου ῥᾷον αὐτῶν ἄρχῃ, μετεπέμψατο αὐτὸν, καὶ καταναγκάσας τὴν γυναῖκα, καίπερ ἀδελφιδῆν αὐτοῦ οὖσαν, ἀπαλλάξαντα, τῇ Ἰουλίᾳ συνοικῆσαι, ἐς τὴν Ῥώμην παραχρῆμα καὶ ἐπὶ τῷ γάμῳ καὶ ἐπὶ τῇ τῆς πόλεως διαχειρίσει ἔπεμψε· διά τε τἆλλα, καὶ ὅτι ὁ Μαικήνας συμβουλευόμενός οἱ περὶ αὐτῶν τούτων εἰπεῖν λέγεται, ὅτι Τηλικοῦτον αὐτὸν πεποίηκας, ὥστε ἢ γαμβρόν σου γενέσθαι, ἢ φονευθῆναι. Καὶ ὃς τὰ μὲν ἄλλα οἰδοῦντα ἔτι εὑρὼν, κατέστησε. *Nihilo ſedatius res acta eſt, ſed tantum denuo factionum ac turbarum extitit ut vix tandem Lepidus conſul creatus fuerit. Quæ Auguſtus moleſte ferens, quum neque ſoli Romæ vacare poſſet, neque eam ſine gubernatore relinquere auderet, de præficiendo ei aliquo cogitans, Agrippam ad id aptiſſimum eſſe judicavit: plus tamen ei majeſtatis addendum ratus, quo facilius regere urbem poſſet, uxore eum ſua (quanquam hæc ſororis Auguſti filia erat) repudiata, Juliam ducere juſſit: ac continuo Romam miſit ad nuptias peragendas, urbisque adminiſtrationem ſuſcipiendam: quod ut faceret, præter alia etiam Mæcenatis eum dictum moverat, qui conſultus hac de re, Tantum, inquit, Agrippam jam feciſti, ut vel gener tuus fiat vel occidatur neceſſe ſit. Agrippa, quum turgeſcentes adhuc motus in urbe inveniſſet, omnia ſedavit.* Refert hæc Dio ad A. V. C. DCCXXXIII. Et adparet ex ejus loco, cur ſiverit Auguſtus, ut imago quoque ejus cum ſua in nummis ſignaretur.

Hi autem denarii ſignati fuerunt Coſſo Lentulo IIIviro monetali, ut recte docet idem Vaillantius; qui perperam in Cæſaribus ad conſulem A. V. C. DCCXXXVI. Cn. Cornelium Lentulum retulerat, quod Coſſi Lentuli triumviri monetalis erat proprium. Conſulatus Auguſti XI. in nummo legitur, non quod A. V. C. DCCXXXI. hic nummus cuſus fuerit, eo enim anno conſul XI. fuit princeps cum Vartone Murena, ſed uſque ad conſulatum XII. ſive A. V. C. DCCXLIX. ſemper COS. III. more in nummis & marmoribus uſitato, adpellatur. Videtur cuſus fuiſſe itaque nummus poſt tumultus in urbe ſedatos & honores Agrippæ propterea ab Auguſto habitos.

VIII.

AVGVSTVS CO*nSul* XI. Caput Auguſti laureatum.

Marcus AGRIPPA CO*nSul* TER*tium* COSSVS LENTVLVS. & in circuitu, IMP*erator* CAES*ar* TRAIAN*us* AVG*uſtus* GER*manicus* DAC*icus Pater Patriæ* REST*ituit.* Caput

put M. Agrippæ corona rostrata & turrita, sive murali, insigne.

Nummus Agrippæ, qui ipse inter raros censetur, multo fit rarior hac Trajani restitutione.

Litera B.

IMP*erator* CAESAR. BEN*igno* PRAE*fecto*. Caput Cæsaris Augusti nudum.
HIBERO PRAEF*ecto* Tropæum.

Nulla nota est, unde dignosci queat, ubi locorum æreus hic nummulus cusus sit. Credo tamen in Hispania cusum fuisse, propter duas caussas. Quod videlicet inveniam præfecti titulum in nummis in Hispania cusis; quodque victoria & tropæum Augusti de Cantabris & Asturibus debellatis in nummo exprimi videantur.

Litera C.

M*arco* AGRIPPA QV*inquennali*. HIBERO PRAE*fecto*. Caput Augusti nudum.
. . . . PRAEF*ecto*. Nummus, qui præcedit, docet nomen BEN*igno* in hoc nummulo ærugine absumtum fuisse. Tropæum.

Insignis hic nummulus multas res docet, quarum partem nunc primum in nummis observamus. Primo docet M. Vipsanium Agrippam honoris caussa electum in colonia Romana fuisse quinquennalem. Quod novum non est. Alibi enim in hoc opere docuimus regem Mauritaniæ Jubam Juniorem, una cum Cn. Atellio IIvirum in nummis scribi; imo Tiberium quoque Cæsarem una cum M. Æmilio Labeone IIvirum legi in nummo Corinthiaco. Verum, quod propius ad nostrum hunc nummulum accedit, Nero & Drusus Cæsares, Germanici filii, quinquennales leguntur in coloniæ Victricis Juliæ Novæ Carthaginis nummo apud Vaill. pag. 143. Unde suspicor hos quoque nummulos in Colonia eadem Carthagine Nova cusos fuisse. Notat ibi Vaill. Hadrianum a Spartiano dici quinquennalem fuisse in patria sua & item Adriæ. Idem Vaillantius pag. 107. nos docet quinquennales & duumviros, honoris scilicet caussa, dictos fuisse in coloniis imperatores & Cæsares, sed dedisse magistratum istum gerendum certis hominibus, qui proptererea sæpenumero in Inscriptionibus Antiquis vocantur *præfecti decurionatus* & *quinquennalitatis Cæsaris*. Opportune quidem illud; sed in tanta nummorum serie, congerieque libri illius præstantissimi, qui mihi primum inter laudatissimi viri labores locum merere videtur, in Coloniis inquam suis, nullum protulit nummum cum inscriptione ejusmodi præfecti. At talis liquido in hoc nummulo adparet; ubi quinquennalis vocatur M. Vipsanius Agrippa, Hiberus autem & Benignus dicuntur præfecti, videlicet quinquennalitatis Agrippæ.

Litera D.

C*aius* CAESAR AVGVS*tus*. Caput Caji Caligulæ nudum.
COR*inthus*, P*ublio* VIPSANIO AGRIPPA IIVIR*o*. Pegasus.

Ex libertinis M. Vipsanii Agrippæ si hic esset Agrippa, Marci prænomen gesturus fuisse videtur. Forsan aliquis tenuioris fortunæ ex familia Vipsania Corinthum migravit. Hunc nummum non vidit Vaillantius.

VITELLIA.

Gens Vitellia regum temporibus Romæ jam nota fuit; ex Sabinis oriunda fuisse perhibetur. Alii vero nobilitatem Vitelliorum, qui post reipublicæ tempora vixerunt, in dubium vocant, multumque illi detrahunt.

I.

ΓΕΡΜΑΝΙΚΟΣ ΚΑΙΣΑΡ. *Germanicus Cæsar.* Caput Germanici nudum.
Μητροπόλεως ΝΕΙΚΟΜΕΔΕΩΝ. *Metropolis Nicomediensium*, in area nummi; & in ambitu, ΕΠΙ ΠΟΠΛΙΟΥ ΟΥΙΤΕΛΛΙΟΥ ΑΝΘΥΠΑΤΟΥ. *Sub Publio Vitellio proconsule.*

Egregius hic nummus Publii Vitellii memoriam non tantum renovat, sed & docet nos, illum, eo tempore, quo in Asiam missus a Tiberio fuit Germanicus, Bithyniam proconsulari imperio rexisse. Hic enim est ille P. Vitellius; qui Germanici comes & legatus, amici sui & imperatoris mortem postmodum ultus fuit, oratione in Pisonem habita, atque inter accusatores ejus exsistens; una cum Verannio & Servæo; sacerdotium propterea meruit. Post honorem præturæ, inter Sejani conscios arreptus, in custodia vitam animi ægritudine finiit, quum frustra, petito per speciem studiorum scalpro, ictum sibi intulisset. Vide Tacitum & Suetonium.

VMMIDIA.

Gentem Ummidiam, cujus nummi perperam ab Ursino & Patino collocantur, quasi Numidia gens dicta foret, patriciam censet fuisse Vaillantius, de quo tamen certo constare non potest.

I. II. III.

ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ. *Antiochensium.* Caput urbis Antiochiæ turritum & velatum.
ΕΠΙ ΚΟΥΑΔΡΑΤΟΥ. ET. ΔP. in aliis; ET. EP; S. P. *Sub* Quadrato, anno CIV. CV. CVI. æræ scilicet Antiochensium.

Ummidius Quadratus, cujus hic fit mentio, post varios honorum gradus & consulatum suffectum (cujus mentio fit in antiqua inscriptione apud Raphaëlem Fabrettum & Vaillantium) Syriam provinciam rexit sub imperio Claudii & Neronis.

Hujus Quadrati, ut Syriæ præsidis, mentio fit apud Josephum Antiq. Jud. lib. XX. cap. VI. p. 968. & de Bello II. XII. p. 175. ubi narrat auctor, quomodo, ortis turbis inter Judæos & Samaritanos, Samaritanorum primates adierint πρὸς Οὐμμίδιον Κοαδρᾶτον τῆς Συρίας προεστηκότα. *Ummidium Quadratum, Syriæ præsidem*, qui tunc Tyri degebat, & quomodo, audita utriusque caussa, aliquot Samaritanos, ut turbatores, occidi jusserit Quadratus. Quadrato mortuo, anno æræ Antiochenæ, DCCCXII. successit Domitius Corbulo.

Antiochenses Syriæ in moneta sua signarunt arietem, qui ad lunam crescentem, cum astro respicit, quoniam Cæsareanam anni emendationem receperunt Antiochenses. Incepit vero eorun-

rundem æra A. V. C. DCCV. itaque annus Antiochensium ΔP. sive CIV. qui in primo nummo occurrit, incepit ab auctumno anni V. C. 808. eodemque II. imperii Neronis, III. idus Octobris.

Verum ut Ummidius Quadratus noster melius agnoscatur, ipsam ponamus inscriptionem, & commentariolum ad eandem viri longe doctissimi Henrici Norisii.

C. VMMIDIO. C. F. TER. DVRMIO
QVADRATO. COS. XV. VIR. S. F.
LEG. TI. CAESARIS. AVG. PROV.
LVSIT
LEG. DIVI. CLAVDI. IN. ILLYRICO.
EIVSDEM. ET
NERONIS.CAESARIS.AVG.IN.SYRIA.
PROCOS
PROVINC. CYPRI. Q. DIVI. AVG. ET.
TI. CAESARIS
AVG. AED. CVR. PR. AER. X. VIR.
STLIT. IVD. CVRAT
TABVLAR.PVBLICAR.PRAEF.FRVM.
DANDI. EX. S. C.

Hanc inscriptionem illustrans Norisius, nummos hosce nostros egregia quoque luce perfudit. Verba ejus in libro de Epocha Syro-Maced. pag. 183. hæc sunt: „ Ex hoc insigni monumento prænomen ac familia Quadrati Syriæ præsidis, hactenus perperam in editis voluminibus descripta, intelliguntur; siquidem *C. Ventidius Durmius Quadratus* vocabatur, e Tribu Terentina. Durmia gens Romana in nummis occurrit. Ummidia vero in pluribus apud Gruterum Inscriptionibus; aliisque ineditis memoratur. Verum in vetustis codicibus non semel recte Ummidius Quadratus Syriæ præses legitur. Extat in Bibliotheca MSS. Medicea ad D. Laurentii, in pluteo LXVIII. codex Taciti num. 28. literis Longobardicis exaratus, ubi in lib. 14. legitur: *Corbulo in Syriam accessit; morte Umidii legati vacuam*: quæ pariter habentur in altero ibidem codice num. XXVI. uti etiam in pluribus MSS. Vaticanis, videlicet in codice Taciti num. 585. inter Urbinates, & in duobus Vaticanis num. 1985. & 3405. Spartianus cap. 15. de vita Hadriani scribit: *Numilium Quadratum, & Catilium Severum; & Turbonem graviter insecutus est*. Salmasius in notis monet in Palatino codice ac veteri editione legi: *Umidium Quadratum*; quod & in regio volumine pariter legi testatur suis etiam in notis Casaubonus. Erat hic alter Quadratus prioris filius aut certe affinis. Præterea in eadem Bibliotheca Medicea in codicibus epistolarum Plinii, lib. VI. in epistola, quæ incipit: *O diem lætum*, quæ in editis est XI. laudat Plinius *Fuscum Salinatorem & Numidium Quadratum*. Ibidem in codice num. 34. legimus *Uminidium Quadratum*; at in alio num. 32. recte scribitur: *Umidium Quadratum*, cujus avia in epistola 24. lib. VII. in eisdem codicibus dicitur *Vmidia*, & *Commidia*, quæ plane *Ummidia Quadratilla* dicenda est. Et quidem fictam esse Numidiorum apud Romanos gentem, inde etiam colligo, quod *Numidii* nusquam in vetustis apud Gruterum monumentis memorantur; cum tamen *Umidii* sive *Ummidii* in inscriptis antiquitus saxis sæpius legantur. Quasdam ineditas Ummidiorum Inscriptiones Raphael Fabrettus V. C. mecum communicavit. In base grandiori effossa anno 1687. via Latina, XI. ab Urbe lapide, legitur:

„ C. IVLIO. ASPRO
„ COS. PRAETORI
„ CVRATORI. VIAE
„ APPIAE. SODALI
„ AVGVSTALI. TRIB
„ PL. PR. QVAESTORI
„ PROV. AFRICAE. CV
„ RATORI. AEDIVM. SACR
„ SEX. VMIDIVS
„ AMICO
„ INCOMPARABILI

„ Hoc præ ceteris epigramma recitavi, quod idem dicatum est C. Julio Aspro una cum fratre Consuli, imperante Antonino Caracalla A. V. DCCCCLXV. Christi MCCXII. Illius familiam, perperam in Panvinii, aliorumque Fastis descriptam, restitui pag. 126. Epistolæ Consularis ex Dionis excerptis apud Leunclavium, Caji tamen prænomine omisso; quod memorata demum Inscriptio prodidit. Idem Vir doctissimus alterum mihi epigramma eodem pariter loco erutum, atque eidem Aspro consuli dicatum, indicavit, videlicet:

„ IVLIO. CN. F. PO
„ ASPRO
„ PR. TR. PLEBIS
„ QVAEST. PROVINCIAE
„ AFRICAE
„ CORNELIVS. . . .
„ AMICO. INCOMPA
„ RABILI

Pergit aliquanto post idem Norisius, atque personam Ummidii Quadrati propius describit: „ In editis ac MSS. codicibus Josephi, quos vidi, legitur *Numidius Quadratus* præses Syriæ, qui textus ex tot aliis laudatis emendandus venit, ac præsertim ex Casinate Inscriptione, ex qua plures Ummidii Quadrati magistratus ac dignitates innotescunt. Nam sub exitum imperii Augusti, ac Tiberio, novo principe A. V. DCCLXVII. quæsturam Romæ gessit. Consulatu suffecto perfunctus, Cyprum postea provinciam pro consule administravit, ac legatus a Tiberio Lusitaniæ impositus fuit. Idem a Claudio principe legatus proprætor in Illyricum missus; dein Syriam ejusdem Cæsaris legatus rexit, C. Cassio successor datus circa A. V. DCCCIII. ut ex Taciti Ann. ostendi Dissert. 2. de Cenotaphiis Pisanis pag. 332. Idem Tacitus lib. XIII. A. V. DCCCVIII. ac primo Imperii Neronis, eodem principe ac L. Antistio Vetere Coss. scribit: *Syria P. Antejo destinata, & variis mox artibus delusus, ad postremum in Urbe*

 „ de-

„ *detentus est.* Ita diutius C. Ummidio Quadrato imperium in Syria prorogatum est, quod tandem A. V. DCCCXIII. in provincia cum vita reliquit, hæc scribente eodem Tacito lib. XIV. *Corbulo in Syriam accessit, morte Ummidii legati vacuam.* Obiit septuagenario major; siquidem A.V. DCCLXVII. quæsturam gesserat, quæ lege annali id temporis candidatis ante annum XXV. ætatis non dabatur. Idem autem Quadratus fuerat in Urbe ædilis curulis, prætor ærarii, decemvir litibus judicandis, curator publicarum tabularum, præfectus frumenti dandi, ac unus etiam e collegio XV. virum sacris faciundis; & horum omnium notitiam uni Inscriptioni laudatæ debemus." Et sic in Syriæ administratione Vibio Marso successit Cassius Longinus, Cassio Longino Ummidius Quadratus, Ummidio Quadrato Domitius Corbulo.

VOCONIA.

Gentem Voconiam plebejam fuisse docet lex Voconia de coërcendis mulierum hæreditatibus a Q. Voconio Saxa olim lata.

I.

Sine epigraphe. Caput Julii Cæsaris laureatum.

Quintus VOCONIVS VITVLVS *Quæstor* DESIGN*atus. Senatus Consultô.* Vitulus stans.

Mortuo Cæsare Julio omnes Voconii Vituli nummi cusi fuerunt, quod & divi Julii inscriptio in sequenti, & in tertio caput Octaviani barbatum docet. Iste vero Voconius Vitulus fuit inter quatuorviros monetales, qui fuerunt tempore triumvirorum post necem Cæsaris, quum videlicet, ob luctum Julii Cæsaris, a percussoribus peremti, barbam alerent triumviri; usque quo pœnas de parricidis sumsissent. Neque tamen inveniuntur nummi hujus Voconii Vituli; in quibus Lepidi vel Antonii caput observatur; sive quod illi perierint, sive quod peculiariter C. Cæsari Octaviano addictus fuerit hic Vitulus. Non diu post mortem Cæsaris cusi fuisse videntur nummi, sequentes quidem duo simpliciter a Vitulo, ut quatuorviro monetali, hic vero primus, ut a quæstore insuper designato ex senatusconsulto. Quod senatusconsultum quum Octaviani vi fuisset expressum, dignitatemque illam futuram, & mox novo anno ineundam illi acceptam referret Quintus Voconius Vitulus, non modo Cæsarem Julium, sed & ipsum C. Octavianum expressit; est enim mihi ex auro insignis hujus Voconii Vituli nummus, adhuc ineditus, in quo pars aversa huic est simillima, prior vero pars num. III. quique adeo C. Cæsaris Octaviani caput barbatum, ut in luctu, exhibet.

II.

DIVI IVLII. Caput Cæsaris laureatum, pone illud est lituus.

Quintus VOCONIVS VITVLVS. Vitulus.

Postquam occisus a conjuratis fuit Cæsar, in initio triumviratus Antonii, Lepidi, & Cæsaris Octaviani, omnis fere pecunia illorum Cæsaris imagine signabatur, vel sine inscriptione, vel cum divi titulo, vel etiam dictatoris, &c. Quod factum ab illis triumviris fuit, ut desiderium Julii augerent, & quotidie contra percussores ejusdem plebem concitarent.

Inscriptionem DIVI IVLI interpretatur Harduinus ad Plin. tom. I. pag. 89. *Divus Iunctus Veneri Imperator* IVLI*us.* nimis subtiliter & ingeniose.

III.

DIVI IVLI*i Filius.* Caput nudum Cæsaris Octaviani barbatum.

Quintus VOCONIVS VITVLVS. Vitulus.

Norunt jam antiquarii cur barbata Caji Cæsaris Octaviani in quibusdam nummis cernatur effigies, quod videlicet, ut alibi ex Dione docuimus, non prius barbam, quam promiserant, deposuerint triumviri, quam percussoribus eversis & sublatis. Hinc illud quoque caput, quod in denario gentis Arriæ occurrit, de C. Cæsare interpretatur Morellius, ad cujus interpretationem, quum de hoc ipso quoque nummo agat, verba ejus adscribam, quæ exstant ad Perizon. pag. 165. & 166. „ De capite Augusti in nummo gentis ARRIAE producto, aliquo modo dubitas, quia barbatum est, & vix pro Augusti agnoscendum: ipsius tamen esse, ex sequentibus adparebit. Primo perpendendum est, hunc nummum statim post Cæsaris necem fuisse conflatum, antequam vera Augusti effigies Romæ esset nota, ac præsertim sculptoribus; hinc nomen Cæsaris sive Augusti non adjectum cernitur, quoniam Arrius anxius adhuc erat, & eventus de rebus Cæsaris dubius ac incertus. Idem colligitur ex nummis aliis, e. g. illo quem pag. 251. n. 5. Ursinus adfert, qui statim post Cæsaris obitum fuit cusus a T. Sempronio, in quo caput quoddam exprimitur, quod nullo modo Augusto tribui posset sine adjectis literis, DIVI JULI F. estque quodammodo senile ac barbatum, perinde ac in Arrii nummo, quæ omnia etiam conspiciuntur in rarissimo nummo aureo gentis Voconiæ operi accessuro, itemque illo, qui pag. 136. n. 6. occurrit, ubi vix quispiam caput Caji Cæsaris vel Augusti conjiceret, si additum nomen id non doceret. Hujusque generis adhuc, & diversi passim reperiuntur. Nam Augustus barbatus deprehenditur in nummis, cum jam fuisset IIIVIR R. P. C. sicut Antonius & Lepidus; ex quo fluit, illos barbam aluisse propter luctum ob Cæsaris interitum, quod plurimi non observantes Lepido attribuerunt nummos Antonii caput referentes in gentibus Sepullia & Vibia. Novimus præterea ex Dione, Augustum barbam nutrivisse, primamque demum deposuisse quinto post Cæsaris necem anno. Quas rationes satis roboris habere crederem ad caput hoc Augusto in nummo Arrii vindicandum." Meus quidem nummus aureus, de quo ad num. I. locutus sum, Caji Cæsaris faciem, quamvis barbatam, tamen satis bene expressam exhibet. Voconii Vituli progenies temporibus Pii adhuc superfuisse videtur, ex inscriptione, quam adducit Vaillantius.

VOLTEIA.

Gens Volteja utrum fuerit patricia an plebeja nescitur, verosimile tamen est fuisse plebejam.

I.

Caput Jovis laureatum, sine inscriptione.

Mar.

Marci VOLTEI *Marci Filii.* Templum Jovis Capitolini tetraſtylum, cujus ſuperliminare fulmine exornatur.

Omnes hos denarios cuſos exiſtimo, temporibus Cæſaris & triumvirorum, a M. Voltejo M. F. triumviro monetali. Ut ſic ſentiam contra omnes reliquos antiquarios, qui varii varia de hisce denariis protulerunt, ſimilitudo facit typorum & capitum, quam nummi num. II. III. IV. V. habent cum denariis gentis Vibiæ, tabula prima num. III. IV. VI. VII. adeoque collegas in quatuorviratu monetali fuiſſe exiſtimo C. Vibium Varum, atque M. Voltejum M. F.

In hoc quidem denario caput & templum Jovis Capitolini ſignatur, non numinis marini, Palæmonis vel Neptuni Iſthmii, ut ſuſpicatur Pighius, qui denarium refert ad M. Voltejum, quem quæſtorem in Achaja provincialem vocat A. V. C. DCXI. Vaillantius refert ad nepotem ejus, quæſtorem provincialem A. V. C. DCLXXVII. apud Pighium tom. III. pag. 297. & caput atque templum Jovis Capitolini agnoſcit, ſequentes vero denarios exiſtimat ab eodem ædile curuli cuſos fuiſſe.

Verum ego omnes hos denarios temporibus Caji Cæſaris Octaviani triumviri ſignatos exiſtimo, & quidem a quatuorviro monetali M. Voltejo, qui in omnibus illis blandiri voluit Cæſari, & non modo ejus commendare virtutes, verum patris adoptivi Julii Cæſaris quoque laudes & magnificentiam celebrare. Quod quum in ſingulis denariis hisce demonſtrare conabor, tum quoque & Jovis in hoc effigiem & templi ejus picturam ad Julii Cæſaris commendationem pertinere exiſtimo. Et primo quidem ſciendum eſt, omnes horum nummorum typos ſpectare ad ædilitatem Julii Cæſaris, & magnificentiam ejus liberalitatemque tantam eo tempore, ut collegæ ejusdem Bibuli nomen propterea velut obliteratum fuerit. Qui non inſcite propterea ſibi quod Polluci, Cæſari quod Caſtori, eveniſſe ajebabat apud Sueton. in Vita Julii cap. 10. *Ædilis, præter comitium ac forum baſilicasque, etiam Capitolium ornavit porticibus ad tempus exſtructis, in quibus, abundante rerum copia, pars adparatus exponeretur. Venationes autem, ludosque & cum collega & ſeparatim edidit. Quo factum eſt ut communium quoque impenſarum ſolus gratiam caperet, nec diſſimularet collega ejus M. Bibulus eveniſſe ſibi quod Polluci, ut enim geminis fratribus ædes in foro conſtituta tantum Caſtoris vocaretur, ita ſuam, Cæſarisque munificentiam unius Cæſaris dici.* Ecce autem in nummo Capitolium, quod porticibus ad tempus exſtructis in ædilitate Cæſar ornavit. Imago Jovis, in parte denarii priore, videtur reſpicere ad id quod Dio ſcribit eodem anno contigiſſe. Ubi enim eadem de Bibulo & Cæſare narravit libro XXXVII. pag. 33. hæc addit. Ἐπὶ μὲν οὖν τούτοις ἔχαιρον οἱ Ῥωμαῖοι· τὰ δὲ δὴ τέρατα καὶ πάνυ αὐτοὺς ἐθορύβει. ἐν γὰρ τῷ Καπιτωλίῳ ἀνδριάντες τε πολλοὶ ὑπὸ κεραυνῶν συνεχωνεύθησαν, καὶ ἀγάλματα ἄλλα τε, καὶ Διὸς ἐπὶ κίονος ἱδρυμένον· εἰκών τέ τις λυκαίνης σύν τε τῷ Ῥώμῳ καὶ σὺν τῷ Ῥωμύλῳ ἱδρυμένη ἔπεσε. τά τε γράμματα τῶν στηλῶν, ἐς ἃς οἱ νόμοι ἐσεγράφοντο, συνεχύθη καὶ ἀμυδρὰ ἐγένετο. τά τε οὖν ἄλλα ἐξεθύοντο, τοῖς μάντεσι πειθόμενοι, καὶ τῷ Διὶ ἄγαλμα μεῖζον, πρός τε τὰς ἀνατολὰς καὶ πρὸς τὴν ἀγορὰν βλέπον, ὅπως αἱ συνωμοσίαι ὑφ' ὧν ἐταράττοντο ἐκφανεῖεν, ἱδρυνθῆναι ἐψηφίσαντο. ταῦτά τε ἐν ἐκείνῳ τῷ ἔτει συνέβη. *Atque hæc quidem Romanis lætitiam adferebant: prodigiis vero vehementer terrebantur. In Capitolio enim multæ ſtatuæ de cælo tactæ liquefactæque fluxerant: dejectaque erant cum alia ſimulacra, tum Jovis columnæ inſiſtens: præterea imago lupæ, cum Remo ac Romulo conſecrata, ceciderat: literæ etiam in columnis, quibus leges inſcribebantur, confuſæ atque obliteratæ erant. Reliqua prodigia ſecundum præcepta aruſpicum procurata ſunt. Jovi autem ſtatua major ad orientem ſolem forumque reſpiciens poni juſſa eſt: ut conjurationes, quæ rempublicam perturbabant, detegerentur. Hæc eo anno geſta ſunt.* Hæc itaque quum acciderint eo anno quo ædilis fuit Cæſar, neceſſario cura reficiendæ ſtatuæ Jovis Cæſari, ut ædili, incubuit. Ædilis autem fuit A. V. C. DCLXXXIX. conſulibus L. Julio Cæſare & Q. Marcio Figulo, anno ante conſulatum Ciceronis.

II.

Caput Herculis inberbe in leonis exuviis.
Marci VOLTEI *Marci Filii.* Aper.

Multa hic de Hercule & apro Erymanthio antiquarii habent, ſed quæ huc pertinere non putem. *Venationes* in ædilitate edidiſſe Cæſarem dixit Suetonius, ſymbolum vero venationis aper eſt; quos præ cæteris inſignes in ædilitate ſua exhibuiſſe Cæſar videtur.

Caput Herculis, in prima denarii parte eſt, niſi forte Aventini ſit, Herculis filii,

Satus Hercule pulchro
Pulcher Aventinus.

inquit Virgilius lib. Æneid. VII. vſ. 657. Aventini dein ora & habitum ita deſcribit, vſ. 666.

Ipſe pedes tegumen torquens immane leonis,
Terribili inpexum ſeta, cum dentibus albis,
Indutus capiti, ſic regia tecta ſubibat
Horridus, Herculeoque humeros innexus amictu.

Hoc Aventini caput in denario reſpicere poteſt Cajum Cæſarem, utpote juniorem natu M. Antonio, quem Vibius Varus, collega (ut videtur) M. Volteji, ſub emblemate Herculis bene barbati, expreſſerat in Fam. Vibia num. IV. tab. primæ.

Litera A.

Caput Apollinis laureatum cum cincinnis. Ante illud ſtella eſſe videtur; poſt anchora, quæ ad ſigna minora monetariorum pertinent.
Marci VOLTEI *Marci Filii.* Aper.

Senſus hujus denarii idem eſt qui præcedentis. Apollinis caput ad Cajum Cæſarem ſpectat, de cujus cultu erga illud numen & ſtulta feminis adfectatione multa veteres habent.

III.

Caput Liberæ hedera & corymbis redimitum.
Marci VOLTEI *Marci Filii.* Ceres in draconum bigis utraque manu facem tenet. Poſt deæ currum fabrile aliquod inſtrumentum eſt, ſive nota monetariorum, pro qua in aliis hujus generis nummis cernuntur bufo, forceps, thyrſus, galea, parma, cancer, clavis, clava, ſpiculum, botrus, clypeus, tropæum, aratrum, malleus, caput humanum, malum Punicum.

Liberalia & feſtum Cereris in hujus generis denariis exprimuntur, plane ut in pluribus denariis Vibii Panſæ, tab. ſecunda Fam. Vibiæ num. III. & IV. niſi quod ibi pedes ſit dea, vel, in curru ſtans, altera manu facem teneat, altera habenas;

nas; quæ quidem habenæ in hisce nummis ad ipsas bigas sunt religatæ, quasi ultro properarent dracones, & injussi deam quo vellent veherent. Ovid. lib. Metam. V. vs.

—— —— Geminos dea fertilis angues
Curribus admovit, frenisque coërcuit iras.

Claudiani fæcunda inprimis est Musa de Raptu Proserpinæ vs. 179.

Turrigeramque petit Cybelen, sinuosa draconum
Membra regens, volucri qui pervia nubila tractu
Signant, & placidis humectant frena venenis.
Frontem crista tegit: pingunt maculosa virentes
Terga notæ, rutilum squamis intermicat aurum.
Nunc spiris zephyros tranant, nunc arva volatu
Inferiore secant. Cano rota pulvere labens
Sulcatam fœcundat humum, flavescit aristis
Orbita, surgentes condunt vestigia culmi.
Vestit iter comitata seges. Jam linquitur Ætna,
Totaque decrescit refugo Trinacria visu.

Litera B.

Caput idem deæ Liberæ.

M*arci* VOLTEI M*arci Filii.* Ceres eadem in draconum bigis. Post deam lanceæ cuspis cernitur.

Diximus ad Vibii Pansæ nummos, Liberalia Romæ a Cæsare fuisse instituta, & forsan ædilem eo tempore ipsum Pansam fuisse. Collegam potuit habere Volteji hujus patrem.

IV.

Caput Minervæ Victricis galeatum, galeam laurea exornat. Post deæ caput clypeus est.

M*arci* VOLTEI M*arci Filii.* Cybele turrita currui insidet a duobus leonibus tracto, dextra pateram tenet, læva habenas. Desuper sunt literæ, quæ ad monetarios spectant, ΜΣ.

Quia Minervæ sacra quoque ad ædiles pertinebant, caput deæ similiter ad ædilitatem Cæsaris respicere potest. Verum, sicut in Fam. Vibia tab. primæ num. III. & IV. lit. A. & V. Minerva Victrix exprimitur, sic in hoc quoque denario nullum aliud caput agnosco nisi Minervæ Victricis, quod testatur laurea; quæ galeam ambit. Frustra enim sunt, qui de Marte hic cogitant, quos vultus virginalis & muliebres capilli refellunt. Magnum quoque argumentum ex Minerva Victrice accedere sententiæ meæ existimo, collegas videlicet Vibium Varum atque M. Voltejum in magistratu monetali fuisse, & simul Cæsaris triumviri præcipue laudes & divi Julii memoriam & ædilitatem celebrasse.

Cybeles typus sive Deæ Magnæ in curru leonum Megalesia spectat, atque iterum commendat Julii Cæsaris celeberrimam quondam ædilitatem; & quidni? quum illam tantopere commendet Dio Cassius lib. XXXVII. pag. 33. Παρὰ τοῦτο μόνον ἐν τῇ ἀγορανομίᾳ ἐπῃνέθη, ἀλλ' ὅτι καὶ τὰ Ῥωμαῖα καὶ τὰ Μεγαλήσια πολυτελέστατα ἐποίησεν, ἔτι τε καὶ μονομάχων ἀγῶνας ἐπὶ τῷ πατρὶ μεγαλοφρονέστατα διέθηκεν. ἐγίγνετο μὲν γὰρ τῶν δαπανηθέντων ἐς αὐτὰ, τὰ μὲν, κοινῇ αὐτῷ πρὸς τὸν συνάρχοντα Μάρκον Βίβουλον, τὰ δὲ καὶ ἰδίᾳ. τοσοῦτον δὲ δὴ ἐν τούτοις ὑπερῆρεν, ὥστε καὶ τὴν ἐπ' ἐκείνοις δόξαν σφετερίσασθαι, καὶ δοκεῖν ἅπαντα αὐτὸς ἀνηλωκέναι. ὁ οὖν Βίβουλος αὐτὸς ἐπισκώπτων ἔλεγεν, ὅτι τὸ αὐτὸ τῷ Πολυδεύκει πεπονθὼς εἴη. τοῦ γάρ τοι ναοῦ κοινοῦ οἱ πρὸς τὸν ἀδελφὸν τὸν Κάστορα ὄντος, ἐπ' ἐκείνου μόνου ἡ ἐπωνυμία αὐτοῦ γίνεται.

Ob hoc solum quum ædilis esset, laudatus est: sed & quod ludos Romanos Megalensesque sumptuosissimos fecerat, defunctoque patri gladiatorium munus magnificentissime ediderat. Sumptus ad eas res partim ipse & collega ejus M. Bibulus, in commune contulerant, partim ipse privatim: verum, tantum ipse in his rebus eminuit, ut & alterius gloriam sibi propriam reddiderit, creditusque sit solus omnes impensas sustinuisse. Igitur Bibulus ipse per jocum dixit, idem sibi quod Polluci accidisse: cui quum templum cum fratre suo Castore commune esset, solius tamen Castoris dici consueverit.

Litera C.

Caput Minervæ Victricis, galeam laurus ambit. Post deæ caput est pelta Amazonica.

M*arci* VOLTEI M*arci Filii.* Cybele in leonum bigis, ut supra. Desuper sunt literæ MB. quæ ad notas matricum pertinent.

Litera D.

Similis, sed post deæ caput tripus est, supra bigas literæ ME.

Litera E.

Similis. Post deæ caput astrum est, seu pentagonon, supra bigas literæ ΑΣ.

Litera F.

Similis. Post deæ caput incudis est figura, supra bigas literæ ΞΣ.

Litera G.

Similis. Post deam urceus est, supra bigas sunt literæ ΚΓ.

Litera H.

Similis. Post deam corolla est, supra bigas literæ inversæ KI.

Litera I.

Similis. Post deam pharetra cum arcu est, supra bigas litera O.

Litera K.

Post deæ caput est gallus gallinaceus, supra bigas sunt literæ OB.

Litera L.

Post deæ caput est malum Punicum, supra bigas sunt literæ OH.

Litera M.

Post deæ caput aliquid instar crepitaculi est, supra bigas literæ sunt OZ.

Ad-

Adparet has omnes literas & Græcas esse & numerales, quibus videlicet vel officinæ monetariæ vel matrices a se invicem fuerunt distinctæ.

V.

Caput Apollinis laureatum.

Marci VOLTEI *Marci Filii.* Tripus Apollinis cum serpente tripodi circumvoluto; occiso enim Pythone serpente Delphici oraculi sedem occupavit Apollo. Ad latera tripodis literæ hæ sunt singulares, S. C. D. T. quos tentare non ausus fuit Ursinus, Vaillantius legit, *Senatus Consulto Die Tertio.* nos, *Senatus Consulto Dedicato Tripode.*

Videtur aliquid accidisse eo anno, quo quatuorvir monetalis fuit M. Voltejus, ob quam caussam insigne tripodis donum (ut solebant veteres) Delphos ad Apollinem miserit C. Cæsar Octavianus, quod quum ex senatusconsulto fuerit factum, in denario notare id voluit Voltejus literis, quarum satis perspicua hæc est lectio, præsertim typo ipsius tripodis accedente. Ursinus quindecimvirum sacris faciundis fuisse auguratur, Vaillantius, more solito, de prætore Voltejo cogitat, & nummos, ab illo, ut prætore, cusos ad indicandos ludos Apollinares suspicatur, quid vero intelligat per illam lectionem *Die Tertio* non indicat.

VI.

Caput Jovis Capitolini laureatum, post illud litera G. est, pro qua in Ursiniano est A.

Lucius VOL*teius Lucii Filius* STRAB*o.* Europa tauro vecta manibus velum tenet, post taurum est fulmen; sub tauro est aliquid, quod minus dignosci potest, pro quo apud Ursinum est botrus.

Quum in hoc denario idem Jovis Capitolini caput adpareat, quod est in nummo primo, & nummi ejusdem sint fabricæ, opinor collegam Vibio Varo & Marco Voltejo M. F. in quatuorviratu monetali fuisse L. Voltejum L. F. qui duo Volteji potuerunt esse patrueles. At alter hic Strabonis cognomine distinguitur.

Lucii Vulteji cujusdam meminit Cicero lib. III. in Verrem cap. 66. *Scribas, adparitores recentes arripe, cum L. Vultejo, qui plurimum potest, cæde, concide.* Hujus videtur fuisse filius, qui in hoc nummo se inscribit L. Vultejum Lucii filium Strabonem. Marcus Vultejus, qui priores omnes denarios cudit, filius videtur fuisse tribuni illius Vulteji, cujus, cum Lucano & Livio, infelicem fortitudinem laudat Florus lib. IV. cap. 2. *Duas tamen æstus explicuit. Una, quæ Opiterginos ferebat, in vadis hæsit, memorandumque posteris exitum dedit. Quippe vix mille juvenum manus circumfusi undique exercitus per totum diem tela sustinuit; & quum exitum virtus non haberet, tamen ne in deditionem veniret, hortante tribuno Vultejo, mutuis ictibus in se concurrit.* Si hujus tribuni filius sit M. Voltejus, sive Vultejus, (scribitur enim utroque modo) quid mirum, si liberalitatem Cæsaris in nummis suis celebraverat, si Cajo Cæsari adhæserit, & si ab illo inter quartuorviros monetales relatus fuerit?

Europæ raptus, quæ ab altera parte denarii L. Volteji Strabonis exprimitur, videtur adludere ad aliquam insignem & apud veteres celebratissimam hujus facti picturam, quam credibile est divum Cæsarem quondam in ædilitate sua, inter reliquas res spectabiles, visendam populo Romano proposuisse, uti enim testatur Suetonius in loco supra adducto, ædilis, *præter comitia, ac forum, basilicasque, etiam Capitolium ornavit porticibus ad tempus exstructis, in quibus, abundante rerum copia, pars adparatus exponeretur.* Inter illum adparatum hanc Apellis, vel Zeuxidis vel Polygnoti nobilissimam tabulam fuisse existimo, tanto cum vulgi favore conspectam, ut dignam crediderit materiem Voltejus, quam publico argento insculperet.

VOLVMNIA.

Gens Volumnia plebeja fuit, sed consularis, & nota in annalibus.

I.

NERO CLAV*dius* CAES*ar* AVG*ustus* IM*Perator.* VOLVMNIO LVRINO IIV*iris.* Caput nudum Neronis juvenis cum sceptro ad collum.

NERO CLAV*dius* CAES*ar* AVG*ustus* IM*Perator.* OCTAVIA AVGVSTI, scilicet uxor. Capita adversa Neronis & Octaviæ cum astro solis & lunæ ad frontem.

II.

NERO CLAV*dius* CAES*ar* AVG*ustus* IM*Perator*, LVRINO VOLVMNIO IIV*iris.* Caput Neronis juvenis nudum cum sceptro ad collum.

NERO CLAV*dius* CAES*ar* AVG*ustus* IMP*erator.* OCTAVIA AVG*usti.* Capita eadem Neronis & Octaviæ adversa simili capitis ornatu.

Non adscribitur nomen coloniæ, in qua præstantissimi rarique hi nummi cusi sunt, Corinthi tamen signatos existimo, & quidem sub initium principatus Neronis.

Inter Volumnios ultimus apud historicos occurrit is, quem legatum Augusti Cæsaris fuisse dicit Josephus. quo gradu illum contigerit noster Volumnius sciri non potest.

NUMMI VETERES FAMILIARUM INCERTARUM, MISCELLANEI, URBIS ROMÆ, ET HISPANICI.

NUMMI FAMILIARUM INCERTARVM

TABULA I.

I.



VESTA *Populi Romani* QVIRITIVM. Vestæ caput velatum, cum face accenso ad pectus.

Iupiter Optimus MAX*imus* CAPITOLINVS. Jovis statua, habitu sedentis, dextra fulmen tenet, læva hastam, in templo distylo. In zophoro corolla cernitur.

Nummi Vitelliani cum iisdem typis, ab altera parte caput habentes Vitellii, non sinunt nos dubitare, quin quatuor hi denarii cusi fuerint ejus imperatoris temporibus. Id ipsum jam vidit Ursinus. Nummum Vitellii cum hoc Jovis templo exhibet Beger. tom. II. pag. 629. atque ejusmodi generis plures occurrent in Tomo II. hujus Operis inter Vitellii nummos, ubi caussam, cur signaverit, scrutaturi sumus.

Litera A.

VESTA *Populi Romani* QVIRITIVM. Caput idem velatum Vestæ cum face accensa.

FIDES EXERCITVVM. Dextræ junctæ concordiam significant.

Et hujus denarii typi, quum inversas Vitellianorum nummorum partes occupent apud Beger. tom. II. pag. 629. atque Tomo II. Operis hujus occurrant, eosdem ibi visuri sumus.

II.

Iupiter Optimus Maximus CAPITOLINVS. Caput Jovis Capitolini barbatum & diadamate revinctum.

VESTA *Populi Romani* QVIRITIVM. Dea sedens, velato capite, dextra pateram tenet, læva facem.

Et hic ad Vitellii tempora & nummos spectat, hoc enim ritu sedens Vesta, potissimum in Vitellii nummis, exprimitur.

Litera B.

GENIVS *Populi Romani*. Caput Genii populi Romani, diademate revinctum, cum sceptro ad humerum.

Iupiter Optimus MAX*imus* CAPITOLINVS. Jupiter sedens in templo distylo, ut supra.

In eleganti hoc nummulo Jupiter ipse quasi genius populi Romani consideratur. Et hic ad Vitellii tempora pertinet.

III.

ITALIA. Caput Italiæ, laurea coronatum.

Sacrificulus ingeniculatus porcam manibus supra solum tenet stantem, post illum hasta erigitur. Hinc & inde quatuor viri sunt, coëuntes in fœdera, atque bacillos tenentes manibus, quibus porcam tangunt. Subtus litera monetalis A. cernitur.

Denarii hi egregium monumentum sunt belli Socialis, sive Italici, quod pœne ad internecionem utriusque nominis, Romani atque Italici, gestum fuit. *Quid hac clade tristius? quid calamitosius? quum omne Latium, atque Picenum, Etruria omnis, atque Campania, postremo Italia, contra matrem ac parentem suam Urbem consurgerent.* Florus lib. III. cap. 18.

Octo viri, sive juvenes, fœdus, tacta scipionibus sive bacillis porca, firmantes, in his denariis cernuntur. Hi totidem designant populos, qui videlicet præcipua conjurationis fuerunt capita. Illos enumerant scriptores, Picentes, Vestinos, Marsos, Pelignos, Marrucinos, Samnites, Lucanos, Umbros. Septem priores junguntur apud Orosium lib. V. cap. 18. *Igitur Picentes, Vestini, Marsi Peligni, Marrucini, Samnites, Lucani, quum adhuc occultam defectionem meditarentur, C. Servilium prætorem, legatum ad se missum, apud Asculum occiderunt: statimque clausa civitate, omnes cives Romanos indicta cæde jugulaverunt.* Florus l. c. præter Umbros memorat Marsos, Latinos, Etruscos, Lucanos, Samnites; urbesque aliquot, Ocriculum, Gramentum, Fæsulas, Carseolos, Reate, Nuceriam & Picentiam. Duodecim enumerat populos Appianus lib. I. B. C. pag. 349. Primi enim apud illum defecisse dicuntur Marsi, Peligni, Vestini, Marucini; quos deinde apud eundem secuti dicuntur Picentes, Ferentani, Hirpini, Pompejani, Venusini, Apuli, Lucani, Samnites, nationes jam dudum infensæ Romano nomini. Verum hæc nummis nostris contraria non sunt, præcipui enim octo populi in illis exprimuntur, a quibus initium & robur tantæ defectionis atque perniciosissimi belli exordium sumsit. Adparatum ad hunc defectionem describit Appian. lib. I. B. C. pag. 373. Ἔγνωσαν ἀποστῆναι Ῥωμαίων ἄντικρυς, καὶ πολεμεῖν αὐτοῖς κατὰ κράτος. Κρύφα τε διεπρεσβεύοντο συντιθέμενοι περὶ τῶνδε, καὶ ὅμηρα διέπεμπον ἐς πίστιν ἀλλήλοις. *Decreverunt a populo Romano deficere, eique bellum inferre totis viribus. Itaque per occultas legationes fœdus ineunt, datis ultro citroque obsidibus.*

Hasta, quæ post illum est, qui porcam tenet, imperii & dignitatis est symbolum, ut vidimus in Fam. Veturia, ubi adhibita porca ad amicitiam & concordiam redire visi sunt Romani & Itali, cujusque belli finis nobilissimos nobis peperit

rit nummos, paſſim in hoc Opere ſpectatos.

Exarſit bellum hoc ſociale A. V. C. DCLXII. L. Marcio Philippo & Sexto Julio Cæſare conſulibus, magnaque ſtrage clarorum virorum fuit nobilitatum.

Litera C.

ITALIA. Caput Italiæ laureatum.

Typus ſimilis præcedenti; ſed ſubtus eſt litera C.

Itali, ad imitationem Romanorum per caput muliebre, ſicut illi Romam, ita ipſi Italiam expreſſerunt, quam in omnibus denariis laureato finxerunt capite, propter certam victoriæ ſpem, Apollinis enim non eſſe caput, ſed muliebre, oſtendit inauris ab aure dependens.

Litera E.

ITALIA. Caput Italiæ laureatum.

Typus ſimilis, ſubtus ſunt notæ numerales III.

Credibile eſt magnam vim denariorum ad hujus belli uſum ab Italiæ populis conflatam fuiſſe. Hujus quanta copia perierit, oſtendunt notæ hæ numerales & literæ alphabeticæ, quæ totum alphabetum in nummis exſtitiſſe docent & officinas monetarias plurimas.

IV.

ꟻILEПA (ſic in Morelliano hoc nummo) apud Patinum eſt IAIEПA. Caput muliebre laureatum.

Figura muliebris galeata & togata haſtam tenet cuſpide verſus terram extenta, lævo autem pede bovis recubantis dextrum crus premit.

De inſcriptione ad ſequentem nummum acturi ſumus, nunc ſingularem hunc atque inuſitatum typum, antiquariis hactenus non intellectum, contemplemur. Vidit enim facile Patinus ex inſcriptione Hetruſca ad Italiam pertinere, verum præterea nihil vidit, quod enim de bove addit atque figura adſtante, prorſus nihil eſt. „Coloniam (in-„ quit) in domitas bello terras deductam arguit „ altera (nummi) facies, bove procumbente at-„ que ibi ſedem & cubile ſibi figente." Imo longe aliud quid hic typus deſignat. Bos procumbens Italia eſt, adſtans figura muliebris Roma, quæ ex galea non modo & haſta, ſed præſertim toga, agnoſcitur, quam togam & jus ſuffragii petebant ſocii ſive Itali, negabant Romani. Urbs itaque violenta atque in armis omne jus gerens, bovis, id eſt Italiæ, crus pede lævo premit, tanquam quæ Italos non pro ſociis habeat, ſed populis bello devictis,

> —— —— *Et lævo preſſit pede talia fatus*
> *Exanimum.*

Ut apud Virgilium Turnus ſuperadſiſtens lib. X. vſ. 490. & 495. Erecti vero ante fuerant Itali per Fulvium Flaccum, conſulem Romanum, ad ſpem togæ & jus civitatis; ille enim, ut notat Appianus lib. I. pag. 371. Ὑπατεύων μάλιστα δὴ πρῶτος ὅδε ἐς τὸ φανερώτατον ἠρέθιζε τοὺς Ἰταλιώτας ἐπιθυμεῖν τῆς Ῥωμαίων πολιτείας, ὡς κοινωνοὺς τῆς ἡγεμονίας ἀντὶ ὑπηκόων ἐσομένους. *Conſul, primus omnium aperte injecit populi Romani ſociis civitatis cupidinem, ſperantibus, ſe fore non amplius ſubditos, ſed imperii participes.* Et mox, Flacco eodem & Gracccho a Romanis patriciis occiſo: Οὔτε γὰρ ἠξίουν ἐν ὑπηκόων, ἀντὶ κοινῶν, εἶναι μέρει, οὔτε Φλάκκον καὶ Γράκχον ὑπὲρ αὐτῶν πολιτεύοντας τοιάδε παθεῖν. *Indigne enim ferebant, & ſe pro ſubditis magis quam pro ſociis haberi, & Flaccum Gracchumque, ipſorum commoda publice curantes, tam miſerando multatos exitio.* Quid vero vim illam, quam a raptore libertatis ſuæ Roma patiebatur Italia, tam apte per bovem calcatum & armatam virginem adumbratam expreſſit, quam dictum ducis Italici? qui Romæ excidium minabatur, apud Vellejum Paterculum lib. II. cap. 27. *Quæ non majus periculum adiit, Hannibalis intra tertium milliarium caſtra conſpicata, quam eo die, quo circumvolans ordines exercitus ſui Teleſinus, dictitansque, Adeſſe Romanis ultimum diem, vociferabatur: Eruendam eſſe delendamque urbem; adjiciens, Numquam defuturos raptores Italicæ libertatis lupos; niſi ſilva, in quam refugere ſolerent, eſſet exciſa.*

Litera E.

ꟻILIПA (ſic) Caput idem muliebre laureatum, collum itidem monili exornatur.

Typus ſimilis præcedenti, ſed ſubtus eſt litera alphabetica I.

Typi rationem jam vidimus. Reſtat inſcriptio, quæ ad partem capitis eſt. Video ita expreſſam a Morellio fuiſſe, ut non animadverterit literas mere Etruſcas eſſe, & Etruſcam urbem per inſcriptionem innui, unde videtur mihi crediddiſſe literas perperam & confuſe poſitas fuiſſe, nec ſatis bene factas, ſignificaſſe vero, quaſi ſcriptum foret ITALIA. Ego quum integerrimum talem denarium in muſeo meo ſervem, fabricæ eximiæ hos omnes eſſe adſero, neque confuſas in nummo literarum inveniri notas, ſed inſcriptionem; quæ prodat urbem, in qua cuſi ſunt hi denarii. Hæc autem eſt forma literarum, quæ in meo denario adparent, ꟻ A I E M A. Prima litera (omnes vero Etruſcæ ſunt) Φ Græcorum eſt, ſecunda A, quæ diverſimode ſcribi ſolebat, tertia L. quinta P. Græcorum. Atque ita emergit nobiliſſima Picentum urbs FALERIA, ſeu Græcis literis, ΦΑΛΕΡΙΑ. prouti in æreis quoque nummis meis hoc bello antiquioribus per Φ. ſcribi ſolet. Habeo vero plures diverſimode inſcriptos, alios Græcis, alios Etruſcis, alios denique Latinis literis, quos ſpero me quandoque vulgaturum in Theſauro Numiſmato-Geographico.

Neque mirari debemus, quód Faleriæ moneta Latinorum ad hoc bellum cuſa fuerit, quum Picentes inter præcipuos conjuratorum fuerint; Aſculi enim primus belli furor erupit, occiſis ibi nefarie proconſule Servilio atque legato ejuſdem Fontejo, ut teſtatur Appianus lib. I. B. C. pag. 374. atque omnibus inſuper, qui intra oppidum eſſent, Romanis. Picentum vero urbes præcipuæ fuerunt Aſculum atque Faleria.

Meus nummus ſimiliter R. inverſam habet in typo averſæ partis, ut nummus qui exſtat num. IV.

V.

BONI EVENT*us*. Caput muliebre Boni Eventus.

ROMA RENASCES. Roma ſtans, habitu ſuccincto & militari, dextra tenet victoriolam, læva haſtam transverſam.

Quoniam in Galbæ denariis hic Romæ renaſcen-

ſcentis & reſurgentis typus obſervatur, recte conjicit Urſinus, ad Galbam quoque hunc ipſum ſpectare. Quod vero renaſceretur ſub illo Roma, id deæ acceptum ferebatur, quæ conſiliis Galbæ bonum eventum dederat. Fuit vero Boni Eventus templum prope thermas M. Agrippæ.

Litera F.

BONi EVENTus. Caput idem, ſed ex alia matrice, atque alius artificis.

ROMA RENASCES. Typus præcedenti ſimilis.

Litera G.

BONI EVENTus. Caput muliebre, ſed alio more comtum quam in duobus præcedentibus denariis; habet enim dependentem in cervicem religatam in ſpiras comam, Græci σφενδόνην, Latini *fundam* adpellant.

OB CIVIS SERVATOS. Corona quernea.

Et hic denarius ad Galbæ tempora eſt referendus; verum notari in illo debet diſcrimen capitis muliebris & comarum ejusdem. Videlicet, caput illud, quod in duobus præcedentibus denariis occurrit, nos docet ſimulacrum Boni Eventus, cujus imaginem referunt illi denarii, factum fuiſſe temporibus Cæſaris Auguſti; Livia enim paſſim tali capitis ornatu in nummis cernitur. Illud ſimulacrum, quum exſtaret tempore Galbæ, alterum ejusdem deæ fabricaſſe videtur populus Romanus, atque Bono Eventui, ob rempublicam in ſinu Galbæ quieſcentem dedicaſſe. Ornatus enim ille capitis demum poſt Auguſti tempora in uſu fuit, quod probant nummi Agrippinæ Majoris & Minoris, ut & Poppææ.

VI.

Caput barbatum Herculis, humero tenus. Laurea caput ornat; humeros vero leonina, exſtante ad cervicem clava.

Deſultor in equis, ſub equis muris vel gliris eſt figura inter literas TI. Q. In ima parte ſingulares hæ ſunt literæ D. S. S. Totum alphabetum in hisce denariis ſignatum fuiſſe docent literæ G. A. B. D. F. K. N. Q. X. Y. ex quibus prima in hoc denario ſupra equitem, reliquæ in ſequentibus obſervantur.

Multa hic habet Urſinus de Hercule, apud Sabinos Sango vel Sanco adpellato, quem ſcriptores Semonem Sancum adpellant, Ovidius & Inſcriptiones Veteres deum Fidium Semonem Sancum. Tota illa Urſini conjectura Herculis effigie nititur & literis ſingularibus D. S. S. quæ tamen & aliud quid ſignificare poſſunt. Nihil præterea ad typi explicationem invenias apud Urſinum (Vaillantius enim omnia hæc Incerta Numiſmata ſicco pede tranſiit) neque quid literæ TI. Q. ſignificent; in quas nunc inquiramus.

Literas TI. Q. integre legendas eſſe puto TIberius Quinctius, ut in nummo I. gentis Quinctiæ, ubi literas T. Q. nemo dubitat, quin legendæ ſint, Titus Quinctius. Reliquas literas D. S. S. ſic interpretor Dedit Suis Sumtibus. Et quid dedit ſuis ſumtibus ille Titus Quintius? Ludos deſultorios, quos in nummo expreſſit, ad populi Romani voluptatem. Ludi vero deſultorii, quum inter Apollinares locum haberent, Apollinis quoque forſan in hoc denario typus mus eſt, ſed Sminthii, cujus ſymbolum muris figura eſt, propter fugata (ut notum eſt) ejusmodi animalia. Herculem vero refero ad patriam familiæ hujus T. Quinctii, quæ videtur fuiſſe Tibur. Illud enim Propertio *Herculeum* audit lib. II. Eleg. XXXII. vſ. 6.

Curve te in Herculeum deportant eſſeda Tibur?

Ibi enim inſignis fuit Herculis religio & fanum inſigne, cujus meminit Strabo libro V. pag. 238. Τίβυρα μὲν, ἐν ᾧ τὸ Ἡράκλειον. *Tibure eſt fanum Herculis.*

Quis vero fuerit ille Tiberius Quintius, qui hos denarios ſignavit, non facile dici poſſe puto. Antiquior enim videtur ille T. Quintius, qui primum in Fam. Quintia ſignavit, & in illo Dioſcuros; tales enim denarii antiqui eſſe ſolent. Præterea Titi prænomen, non Tiberii habuit. Neque forſan errabimus, ſi murem illum dicamus non pertinere ad Apollinem, ut Smintheum, quorſum enim ille in nummo Romano? ſed ad cognomen hujus T. Quintii, qui videtur dictus fuiſſe T. Quintius Mus; nam Muris cognomen in gente Decia quoque invenitur.

Iſte itaque Tiberius Quinctius Mus, triumvir monetalis, quocunque vixerit tempore, videtur in his denariis duo celebrare, patriam videlicet Tibur, per Herculis picturam, & præturam patris Tiberii Quinctii Muris, qui in prætura ſua ludos Apollinares & deſultorios dederit ſuis ſumtibus. Ignoti quidem nobis ſunt illi Quinctii Mures, ſed quota pars hiſtoriæ antiquæ periit? Murem non ſine exemplo expreſſit ad cognomen ſuum adludens, ſic enim Furii Craſſipedes pedem tumentem pinxerunt, Purpureones conchylium, Poblicii Malleoli malleum, Valerii Aciſculi inſtrumentum nominis ſui fabrile, alii aliud.

VII.

ROMA. Caput Romæ alatum & galeatum, cum nota denarii.

Sine epigraphe. Roma ſpoliis inſidens, lævaque haſtam tenens, augurium captat inter geminos vultures. Ante pedes eſt lupa cum gemellis.

Eo tempore, quo bellum Sociale in Italia exarſit, populi conjurati varii generis denarios ſignaverunt, ut vidimus ſupra num. III. & IV. & in prioris denarii typo ipſum fœdus & conjurationem expreſſerunt, in poſterioris vero ſignarunt injuriam, quam a Roma urbe, non ut ſocia, ſed domina, patiebantur. Ejusmodi denarios quum vidiſſent Romani, non armis tantum ſed & nummorum typis contra Italos uſi ſunt, atque ſuam præ omnibus Italiæ civitatibus prærogativam in hoc denario expreſſerunt: imperium videlicet ſummum, quod Romulo auguria captanti vultures ſignificarant. Per lupam præterea, Martem, parentem conditoris ſui, jactant, per ſpolia, quibus Urbs inſidet, continuas toto orbe victorias, & denique per alam, galeæ ſeu capiti additam, claritudinem Urbis, Italiæ & terrarum principis.

Litera H.

ROMA. Caput idem Romæ.

Typus idem, ſed (ſi recte expreſſus eſt nummus) proræ navium ſunt pro vulturibus; in circuitu legitur, IMPerator CAESar TRAIANus AV-

AVGustus GERmanicus DACicus Pater Patriæ RESTituit.

Proræ navium ad assium notas & Jani atque Saturni tempora respicere possunt; sed puto alas vulturum in nummo tanquam prorarum rostra sese oculis Morellianis objecisse. Noluit hoc monumentum periculosi status imperii Romani intercidere Trajanus.

VIII.

LEIBERTAS. Caput deæ Libertatis.

Anchora & prora navis decussatim positæ, sed ita, ut summa anchora ex sui medio projiciat literam P. unde utriusque partis integra inscriptio sic concinnatur, LEIBERTAS *Publica.*

Sub Cassio & Bruto elegantem hunc quinarium fuisse cusum typus & inscriptio dubitare non sinunt. Jactabant illi restitutam a se libertatem publicam, sed vano eventu. Anchora & prora navalem Bruti potentiam designant, qua omnia maria occupaverat, ut vidimus in Familia Junia.

Litera I.

Caput Dianæ cum arcu & pharetra, atque literis barbare in nummo expressis, ex quibus D. & T. tantum dignoscuntur.

Roma, spoliis insidens, augurium captat, ante pedes est lupa cum gemellis.

Et typus capitis & literæ, quæ discerni possunt, docent partem denarii priorem pertinere ad nummos familiæ Claudiæ, & illas legi debere TI*berius* CLAVD*ius*. Caput enim idem Dianæ cum arcu & pharetra observatur in Fam. Claudia tab. I. num. VI. licet hic nummus valde rudis sit.

Hinc jam docemur, vel antiquiorem matricis partem alteram a rudibus monetariis adplicatam fuisse matricis recentioris alienæ parti, vel iisdem temporibus istius Tiberii Claudii, Tiberii filii, Appii nepotis, denarios, qui tanto inveniuntur numero, in belli istius Socialis usum signatos fuisse.

Litera K.

SILVANI. Silvanus nudus, dextra tenens falcem incurvam, læva pedum.

HERMEROTIS. Ara cum lemniscis & foco.

Hic nummus, utpote ex plumbo, ad privatum usum spectasse videtur. Consule Petrum Seguinum in Selectis Numism. pag. 21.

Litera L.

SENTIAM. Fortuna stans, dextra temonem tangens, læva tenens cornucopiæ.

FELICITER. In area nummi. Vide eundem Seguinum pag. 4.

Adparet votum esse privati hominis. Habeo & ipse aliquot nummos plumbeos, interque illos unum, qui ab altera parte habet Fortunam sedentem, dextra tenentem pateram, læva cornucopiæ; ab altera parte gubernaculi partem inferiorem latam, cum hac inscriptione FORTVNATA; ut sensus illius nummi sit FORTVNA FORTVNATA.

TAB. II.

Litera A.

BONVS EVENT*us* ET FELICITAS. Caput muliebre, coma per spiras & fundam in cervicem dependente.

PAX *Populi Romani.* Dextræ junctæ tenent caduceum alatum.

Patet ex ratione, quam dedimus de ornatu capitis ad nummum lit. G. tabulæ præcedentis, hunc denarium non fuisse cusum ante tempora Sergii Galbæ, de quo magna omnium fuit exspectatio, ut qui ante imperium dignissimus imperio visus fuerit. Videbatur igitur bene evenisse populo Romano; quod sine cæde & bello civili tanta rerum mutatio facta fuisset, atque, exstincta Cæsarum stirpe, quæ in tyrannos degeneraverat, imperium pervenisset ad senatorem nobilissimum, & vitæ integerrimæ, sub cujus felici rerum administratione pacem omnes pacisque bona exspectabant.

Litera B.

Populi Romani. Dextræ junctæ tenent caduceum alatum inter duo papavera.

ROMA. Roma, spoliis insidens, coronatur a Victoria, quæ ad frontem advolat. Post Romam est lupa cum gemellis.

Symbolum pacis & concordiæ atque ubertatis, in priore hujus denarii parte, muta vox est, quasi scilicet scriptum foret PAX CONCORDIA ET VBERTAS *Populi Romani.*

Litera C.

Populi Romani subintellige CONCORDIA, VICTORIA, PAX ET VBERTAS. Illa enim omnia exprimuntur symbolo dextrarum junctarum, quæ tenent caduceum alatum, cum geminis papaveribus & totidem lauri ramis.

ROMA. Roma, spoliis insidens, dextra tenet victoriolam.

Et hic nummus, propter similitudinem cum typo præcedente, ad Galbæ tempora spectare videtur.

Litera D.

Deæ Pacis caput inter cornucopiæ & lauri ramum.

PAX. Dextræ junctæ caduceum tenent inter duo cornuacopiæ.

Quod per unita plurima symbola simul in prima denarii parte posuerunt Romani, id divisim in utraque nummi parte hic expresserunt.

I.

PAX ET LIBERTAS. Dextræ junctæ tenent caduceum alatum.

Senatus PopulusQue Romanus. In corona quernea.

Multa ad hunc nummum ex Dione Cassio, Cicerone, & Vellejo Paterculo congessit Ursinus,

nus, ut probet amnestiam Ciceronis suasu inductam, atque pacem senatus cum Lepido & Antonio factam; verum vidit obstare sententiæ suæ coronam querneam, quæ nulli ante C. Cæsarem decreta fuit, unde de C. Cæsare IIIviro cogitat. Verum ego & hunc quoque nummum sub Galba cusum existimo; eo enim tempore jam usitata in nummis erat corona quernea. *Libertatem* vero *publicam* & *libertatem restitutam* primus in nummis suis signavit Galba, quorum magna copia superest; unde & hunc ad idem tempus referendum existimo. Siquis tamen & hunc & præcedentem nummum malit ad Augusti referre tempora, nolim magnopere repugnare; præsertim quum exstet insignis nummus argenteus majoris moduli (quem visuri sumus Tomo II. qui XII. Cæsarum nummos complectitur) pacis & libertatis symbola & nomina ad Augusti tempora revocans. In illo nummo, a parte priore est caput Augusti laureatum cum hac inscriptione, IMP*erator* CAESAR DIVI *Filius* CO*n*S*ul* VI. LIBERTATIS P*opuli* R*omani* VINDEX. Ab altera vero parte in corona laurea cernitur dea stans, dextra caduceum tenens, adscripto nomine PAX. Post deam Asiæ receptæ est symbolum, anguis cum cista Bacchi. Sed scire volo harum rerum studiosos multa ex Augusti nummis ad Galbam translata, & in nummis ejusdem expressa fuisse.

II.

SALVS GENERIS HVMANI. Victoria globo insistens, dextra corollam tenet læva palmam.

S*enatus* P*opulusque* R*omanus*. In corona quernea.

Et hunc denarium ad Augustum referunt, qui tamen æquo jure ad Galbam referri potest. Magna enim nummorum copia sub Galba cusa fuit, qui ab altera parte non habent caput imperatoris, sed aliud quid. Pro Augusto pugnant nummi ejusdem aurei, inscripti a parte priore, *Caius* CAESAR DIVI *Filius* IMP*erator* CO*n*S*ul*. IIIVIR R*ei* P*ublicæ* C*onstituendæ*. cum capite Cæsaris, & ab altera parte, SALVS GENERIS HVMANI, ubi sunt tres dextræ (respectu triumvirorum) cum caduceo, fascibus, & globo; ubique cum eadem inscriptione, & typo Victoriæ globo insistentis, dextra lauream, læva palmam tenentis, aut clypeum columnæ adpensum coronantis. Sed & notissimus est Galbæ denarius, qui ab altera parte caput imperatoris habet, ab altera vero inscriptionem, SALVS GENERIS HVMANI. & figuram muliebrem, stantem coram ara accensa, dextra tenentem pateram, læva temonem, & dextro pede globum calcantem. Victoria tamen, globo insistens, pro Cæsare rem conficere videtur.

III.

Similis præcedenti, sed Victoriæ typus ad aliam partem convertitur.

Litera E.

SALVS GENERIS HVMANI. Victoria lævum pedem globo inprimens, clypeum votivum, quem lævo genu sustinet, sinistra tenet, manu dextra inscriptura literas.

S*enatus* P*opulus*Q*ue* R*omanus*. In corona quernea.

Et hic ad Augustum spectat.

Litera F.

S*enatus* P*opulus*Q*ue* R*omanus*. In corona quernea.

S*enatus* P*opulus*Q*ue* R*omanus*. In corona quernea.

Per errorem videtur in hoc nummo bis pars posterior signata fuisse.

Litera G.

GENIVS P*opuli* R*omani*. Caput Genii barbatum & diademate revinctum. Ad humeros est sceptrum.

S*enatus* P*opulus*Q*ue* R*omanus*. In corona quernea.

Et hunc nummum ad Cæsarem Augustum spectare judico.

Litera H.

ROMA. Caput muliebre.

S*enatus* P*opulus*Q*ue* R*omanus*. In Corona quernea.

Videtur etiam hic nummus sub triumviratu Cæsaris & collegarum cusus fuisse; sed bene observari meretur capitis ornatus, nusquam enim memini simili capillorum ornatu Romam in nummis expressam fuisse. Narrant Appianus & Dio Cassius Fulviam, Clodii primum; dein Antonii uxorem, mulierem fuisse ambitiosissimam, cujus muliebris ingenii immoderati quum exemplum adferat Dio Cassius lib. XLVIII. p. 358. illud adscribam. Accidit historia A. V. C. DCCXIII. juxta Dionis computum. Τῷ δ' ἐχομένῳ ἔτει, ὀνόματι μὲν ὅ, τε Σερβίλιος ὁ Πόπλιος καὶ ὁ Ἀντώνιος ὁ Λούκιος, ἔργῳ δὲ, οὗτός τε καὶ ἡ Φουλβία ὑπάτευσαν· ἥ τε γὰρ Καίσαρος πενθερὰ, καὶ τοῦ Ἀντωνίου γυνὴ οὖσα, τόν τε Λέπιδον ὑπὸ νωθείας παρ' οὐδὲν ἦγε, καὶ αὐτὴ τὰ πράγματα διεχείριζεν· ὥστε μήτε τὴν βουλὴν μήτε τὸν δῆμον ἄλλό τι παρὰ τὸ ἐκείνῃ δοκοῦν χρηματίζειν. τοῦ γοῦν Λουκίου αὐτοῦ σπουδάζοντος ἐπινίκια τινῶν ἐν ταῖς Ἄλπεσιν οἰκούντων, ὡς καὶ νικήσαντος σφᾶς, πέμψαι, τέως μὲν ἡ Φουλβία ἀντέλεγεν, οὐδείς οἱ συνεχώρησεν· ἐπεὶ δ' ἐκείνη θεραπευθεῖσα ἐπέτρεψε, πάντες ἐψηφίσαντο. ὥστε τῷ μὲν λόγῳ τὸν Ἀντώνιον καθ' ὧν περ κεκρατηκέναι ἔλεγεν (οὔτε γὰρ ἔπραξέ τι νικητηρίων ἄξιον, οὔθ' ὅλως ἡγεμονίαν ἐν τοῖς χωρίοις ἐκείνοις εἶχε) τῇ δ' ἀληθείᾳ τὴν Φουλβίαν καὶ τιμηθῆναι καὶ πομπεῦσαι. πολὺ γοῦν πλεῖον ἐκείνου, ἅτε καὶ ἀληθέστερον, ἐσεμνύνετο. τὸ γὰρ δοῦναί τινι ἐξουσίαν τοῦ τῶν νικητηρίων πέμψεως, μεῖζον τοῦ διεορτάσαι αὐτὰ παρ' ἑτέρου λαβόντα ἦν. πλήν γε ὅτι τήν τε σκευὴν τὴν ἐπινίκιον ὁ Λούκιος ἐνεδύσατο, καὶ τοῦ ἅρματος ἐπέβη, τά τε ἄλλα τὰ καθήκοντα ἐπὶ τοῖς τοιούτοις ἔπραξεν, αὐτὴ ἡ Φουλβία τὴν πανήγυριν ὑπηρέτῃ ἐκείνῳ χρωμένη ποιεῖν ἔδοξεν. *Anno sequenti P. Servilius & L. Antonius nomen consulum, consulatum autem hic & Fulvia gesserunt. Hæc Cæsaris socrus, ac M. Antonii uxor, Lepido propter ignaviam contempto, ipsa rempublicam administravit: ita ut neque senatus, neque populus quidquam præter ejus sententiam statueret. Ipse L. Antonius, quum de quibusdam Inalpinis a se victis triumphare vellet, quamdiu Fulvia contradixit, ei is triumphus a nemine concessus: ubi ea demulsa concessit, ab omnibus decretus est. ita verbo quidem L. Antonius de iis quos vicisse ajebat (neque enim aut triumpho aliquid dignum egerat, aut omnino cum magistratu ullo ibi locorum fuerat) triumphavit: re autem, & triumphus iste & honor Fulviæ*

viæ fuit. Proinde & magis eo & verius illa superbiit. Est enim majus, triumphandi potestatem alicui concedere, quam eum concessum ab alio ducere. Ac quum habitum triumphalem induisset Lucius, currum conscendisset, reliqua pro moro fecisset, ipsa Fulvia eos ludos, hoc usa administro, visa est exhibere. Plura de Fulvia qui desideret, Appianum, Plutarchum, & inprimis Ciceronem, consulat. Quum itaque Romæ eo tempore omnia pro libitu fecerit Fulvia, non erit absurdum cogitare de Fulviæ imagine, quam, nota adulatione, pro ipsius Romæ capite quatuorviri monetales inpresserint. Vide infra ad lit. M.

Litera I.

SALVS ET LIBERTAS. Minerva galeata & tunicata stans, dextra hastam tenet, læva clypeo innititur.

Senatus PopulusQue Romanus. In corona quernea.

Quod in armis statueret salutem & libertatem Cæsar, Minervam, deam bellicam, expressit.

IV.

MARTI ULTORI. Mars gradiens cum impetu, dextra hastam torquet, læva clypeum protendit.

Senatus PopulusQue Romanus. In corona quernea.

Nullum relinquitur dubium, quin ad C. Cæsarem & quatuorviros ejusdem monetales nummus spectet.

Litera K.

MARS ULTOR. Martis Ultoris idem typus.

Senatus Populusque Romanus. In corona quernea.

Primo casu scribitur, quod tertio scriptum fuit in præcedenti.

Litera L.

GEN*ius Populi Romani.* Caput Genii populi Romani barbatum & diademate ornatum, cum sceptro ad cervicem.

MARS ULTOR. Mars gradiens, dextra spiculum vibrat, læva clypeum protendit.

Ad eadem tempora est referendus.

Litera M.

GENIO *Populi Romani.* Caput Caji Cæsaris nudum & juvenile, cum cornucopiæ ad collum.

MARTI ULTORI. Martis typus, ut supra.

Egregie in hoc denario adparet adulatio ejus temporis, caput enim Octaviani pingitur in nummo, & adscribitur Genii populi Romani nomen, quasi illum ipsum veluti propitium suum genium considerarent, & tanquam Martem Ultorem suspicerent. Quæ supra diximus de Fulvia, exemplo hoc confirmantur.

Litera N.

LIBERTAS RESTITVTA. Caput Libertatis velatum, cum lauri ramo ad pectus.

MARS VLTOR. Mars armatus stans, læva tenet clypeum, dextra vexillum supra terram erigit.

Videtur hic denarius cusus fuisse post cædem Cassii atque Bruti, qua facta, Mars, qui antea stabat in impetu, nunc quiescens depingitur, atque vexillum terræ infigens. Hac victoria (cujus palma quoque testis est) restitutam libertatem jactabant triumviri. Votum Marti templum fuisse ad cædem patris Cæsaris ulciscendam docet Sueton. in Aug. cap. XXIX. *Ædem Marti, bello Philippensi pro ultione paterna suscepto, voverat.* Postquam vero pœnas pependerunt Cæsaris percussores, Romam redux Cæsar cum collegis ludos pro victoria votos celebravit, quo tempore hunc denarium cusum fuisse arbitror. Ludorum horum meminit Dio Cassius lib. XLVIII. p. 376.

Litera O.

MARS VLTOR. Caput Martis Ultoris galeatum, nudis humeris.

CAESAR AVGVSTVS. SIGN*is* RECE*Ptis.* Parthus genuflexus signa reddit.

Bis Martem Ultorem, in Cæsaris gratiam, habemus; primo, ad vindicandam necem patris, deinde ad depellendam contumeliam Romani nominis. Hinc *bis ultor* dicitur Ovidio lib. Fast. V. vs. 595.

Parthe refers aquilas, victos quoque porrigis arcus:
Pignora jam nostri nulla pudoris habes.
Rite deo templumque datum, nomenque Bis-Ultor:
Et meritus voti debita solvit honor.

Dedicationis ejus meminit Dio Cassius lib. LIII. pag. 525. Κἀν τούτῳ ὁ Φραάτης, φοβηθεὶς μὴ καὶ ἐπιστρατεύσῃ οἱ, ὅτι μηδέπω τῶν συγκειμένων ἐπεποιήκει τι, τά τε σημεῖα αὐτῶν καὶ τοὺς αἰχμαλώτους, πλὴν ὀλίγων, οἳ ὑπ' αἰσχύνης σφᾶς ἔφθειραν, ἢ καὶ κατὰ χώραν λαθόντες ἔμειναν, ἀπέπεμψε. καὶ αὐτοὺς ἐκεῖνος, ὡς καὶ πολέμῳ τινὶ τὸν Πάρθον νενικηκὼς ἔλαβε. καὶ γὰρ ἐφρόνει μέγα, λέγων ὅτι τὰ πρότερόν ποτε ἐν ταῖς μάχαις ἀπολόμενα, ἀκονιτὶ ἐκεκόμιστο. ἀμέλει καὶ θυσίας ἐπ' αὐτοῖς, καὶ νεὼν Ἄρεος τιμωροῦ ἐν τῷ Καπιτωλίῳ κατὰ τὸ τοῦ Διὸς τοῦ Φερετρίου ζήλωμα, πρὸς τὴν τῶν σημείων ἀνάθεσιν, καὶ ψηφισθῆναι ἐκέλευσε, καὶ ἐποίησε. *Interim Phraates, quia nihil dum eorum quæ pactus fuerat, perfecisset, veritus, ne bello ab Augusto impeteretur, signa ei militaria, & captivos omnes, paucis demtis, qui se ipsos pudore moti interemerant, aut in Parthia occulte remanserant, misit: eaque Augustus, quasi bello aliquo Parthum vicisset, accepit. Nam hanc rem magnæ sibi laudi ducebat, quod præliis prius amissas res, citra ullum certamen recepisset. Itaque & sacrificia ejus rei caussa, & templum Martis Ultoris in Capitolio ad imitationem Jovis Feretrii, quo signa ea militaria suspenderentur, decerni jussit, ac deinde perfecit.*

V.

MARS VLTOR. Caput Martis Ultoris galeatum.

SIGNA *Populi Romani.* Aquila legionaria inter duo signa cohortium. Ante aquilam ara est.

Mar-

Martis Ultoris effigies respicit ad templum Marti Ultori propter recepta signa civesque a Parthis erecta. Signa illa ab altera nummi parte conspiciuntur. Ante aquilam ara est, quoniam aquilas legionum atque signa militaria venerari solebant Romani. Tertull. Apolog. cap. XVI. pag. 162. *Religio tota castrensis signa veneratur, signa jurat, signa omnibus diis præponit:* Ex hac religione festis diebus quoque inungebantur. Plinius Hist. Nat. lib. XIII. cap. 3. *Aquilæ certe ac signa, pulverulenta illa ac custodiis horrida, inunguntur festis diebus: utinamque dicere possemus, quis primus instituisset. Ita est, nimirum hac mercede corruptæ terrarum orbem devicere aquilæ.*

Litera P.

Caput Martis Ultoris sine inscriptione.

SIGN*a*. Typus præcedenti similis. Nummus barbaram manum redolet.

Litera Q.

Sine epigraphe. Caput Martis galeatum ante quod hasta & clypeus conspicitur.

SIGNA P*opuli* R*omani*. Typus præcedentibus similis, nisi quod nitidior sit, & præter clypeolos, in summo signorum militarium dextræ conspiciantur, concordiæ & fidei symbola.

Litera R.

GENIVS P*opuli* R*omani*. Caput Genii barbatum & diademate ornatum, cum sceptro ad humeros.

SIGNA P*opuli* R*omani*. Aquila legionaria, cum ara, inter signa militaria.

Caput Genii idem est, quod habuimus lit. G. Gratias vero Genio imperii sui tutelari agunt Romani, quod territi Parthi ultro signa reddiderint.

Litera S.

SALVS GENERIS HVMANI. Victoria globo insistens, dextra corollam tenet, læva palmam.

SIGNA P*opuli* R*omani*. Aquila & ara inter signa militaria.

Adstruximus supra, ex Dione Cassio, Augustum prompta Parthorum voluntate in reddendis signis & captivis tantopere gavisum fuisse, ac si ingentem reportasset victoriam. Mirari itaque non debemus Victoriæ typum cum signis populi Romani receptis sociari, atque adscribi parti denarii priori titulum tam superbum; quoniam tanquam salus generis humani suspiciebatur Augustus, cujus solo nomine & gloria moti hostes Romanorum maxime metuendi Parthi signa & captivos reddidissent. Reversi illi in patriam tanquam deum suum Σωτῆρα colebant Augustum. Unde vix relinquitur jam aliquod dubium, quin denarius lit. D. & plures ejus generis, non sint referendi ad Galbæ tempora, neque ad tempora triumvirorum, sed ad Augusti felices rerum successus, quibus territi Parthi signa & captivos remiserunt; signa in plurimis depinguntur nummis, captivi gratum animum corona civica ostendunt, quæ in plurimis nummis insculpitur, & quam propterea in iisdem exprimendam senatus populusque Romanus censuit, ut adscriptæ literarum notæ docent.

VI.

VIC*toria* AUG*usti*. Victoria gradiens, dextra corollam tenet, læva palmam super humeros.

COHORT*es* PRAET*oriæ* PHIL*ippenses*. Tria signa cohortium.

Litera T.

VIC*toria* AVG*usti*. Victoria similis, sed basi insistens.

COHORT*es* PRAET*oriæ* PHIL*ippenses*. Tria cohortium signa.

Conjicit Patinus hisce nummulis celebrari virtutem cohortium prætorianarum in acie Philippensi. Verum oportet ut satis diu post illud prælium cusi fuerint hi nummi, in quibus Augusti nomen Victoriæ adscribitur, quod omnes sciunt aliquot post annos, debellato jam Antonio, adsumtum a Cæsare Octaviano fuisse. Habeo ipse plures hujus generis nummulos, diversæ magnitudinis; maximus inter illos denarii argentei magnitudinem non multum excedit.

Litera V.

FIDEX EXERCITVVM. Dextræ junctæ.

CONCORDIA PRAETORIANORVM. Figura muliebris stolata stans dextra ramum tenet, læva cornucopiæ.

Hic nummus argenteus spectare videtur ad Vitellium imperatorem, qui expertam militum suorum erga se fidem, inprimis prætorianorum, hoc pacto excitare & firmare voluit. Dextræ junctæ & FIDES adscripta EXERCITVVM, in argenteis ejus atque æreis nummis, idem confirmant, ut & sequens nummulus.

Litera W.

FIDES EXERCITVVM. Dextræ junctæ.

FIDES PRAETORIANORVM. Dextræ junctæ.

Perperam creditus fuit hic nummulus argenteus ad M. Antonii tempora & denarios pertinere. Vitellius imperator illum signavit, ut gratum ostenderet sese erga milites, qui ipsum imperatorem fecerant, & Othonianos devicerant. Vide pluribus hunc ipsum, quem & nos possidemus, illustrantem clariss. Liebeum in Thes. Saxo-Gothano pag. 248.

TAB. II

Caput Jani bifrontis inberbe & laureatum.

ROMA. Jupiter in citis quadrigis, dextra tenet fulmen, læva vestis laciniam cum sceptro.

ptro. Pone Jovem ſtat Victoria habenas equorum tenens.

Dolendum eſt, quod triumvir monetalis non adſcripſerit nomen ſuum, neque certi eſſe poſſimus, quo tempore hic nummus cuſus fuerit; qui tria quidem habet ſingularia, uti ex meo mihi obſervare licuit. Præter typi enim præſtantiam notandum venit duplo fere majorem & ponderoſiorem eſſe hunc nummum, quam denarii vulgares eſſe ſolent; deinde literas ROMA, quæ ſub quadrigis ſcribuntur, non exſtantes, ut vulgo ſolet, ſignari, ſed ita, ut ſigilli in morem ipſi nummo ſint inſculpti, exſtantes vero fuerint in matrice. Illud in duobus tantum nummis conſularibus ſive Familiarum obſervare mihi licuit, videlicet in hoc & in nummo illo, quem Titiæ genti adſignavimus ſupra tab. prima num. VI. ſed ibi literæ D. S. S. in omnibus denariis excavatæ tantum & intus preſſæ inveniuntur, reliquæ TI. Q. in omnibus, ſicuti ſemper obſervantur literæ, exſtantes ſunt.

In Familia Fonteja Jani ſimilis fere facies occurrit. Utrum ergo ad Fontejam familiam pertinent, an potius ad Pompejam? ut, ſicuti aſſes Pompejanos cum Jani bifrontis capite in Sicilia ſignavit Sextus, in quorum quibusdam caput Cnei Pompeji geminum pro Jani effingitur capite; ita quoque denarios vulgares, uti ſequens eſt, & duplices, ut hic eſt, ſignaverit idem Sextus, & in iis patris victorias expreſſerit. Verum obſtat vox ROMA, quæ docet Romæ ſignatos fuiſſe nummos, atque ita nos de tempore & auctore incertos relinquit.

Litera A.

Caput Jani bifrontis inberbe & laureatum.

ROMA. Similis præcedenti typus; ſed quadrigæ ad alteram partem ſunt converſæ, neque ipſe nummus tantæ molis eſt, licet vulgares denarios ſuperet aliquantum. Literæ quoque exſtantes ſunt; non inciſæ.

II.

Caput Apollinis, vel potius Vejovis laureatum, ſubtus fulmen eſt.

Jupiter in citis quadrigis, dextra fulmen tenet, læva equorum habenas.

Ad familiam Sentiam hic denarius referendus eſt.

III.

Caput Romæ, ſolito more galea alata exornatum cum denarii nota.

ROMA. Dioſcuri in equis ſolito more haſtati, ſupra illos eſt luna creſcens.

Hic denarius, & ſequentes, ex antiquioribus ſunt, ſed ad quas familias ſint referendi, nullo modo cognoſci poteſt.

Litera B.

Caput idem Romæ cum denarii nota.

ROMA. Dioſcuri in equis, ſub quibus gryphus alatus eſt.

Gryphus ille monetariorum typus eſt, pro quo in ſequentibus aliquot obſervantur cornucopiæ, prora navis, corolla, culter, haſtæ cuſpis, pentagonon, tridens, rota, bos, ſtella, canis, noctua, lituus militaris cum clypeo &c.

Litera C. D. E.

Caput Romæ galeatum, ut ſupra, cum denarii nota.

ROMA. Dioſcuri in equis, ut ſupra.

Sub Dioſcuris in litera C. nihil eſt, in litera D. invenitur anchora, in litera E. ſpica, in quo inſuper ad caput Romæ decempeda cernitur.

I V.

Caput Romæ galeatum, ut ſupra. Poſt caput Romæ litera S. cernitur.

ROMA. Dioſcuri in equis.

Literam illam S. nullum myſterium continere arbitror, ſed unam ex alphabeti eſſe literis, quod integrum ejusmodi denarii olim exhibuerint. Qui tamen invenerit ejusmodi nummum poterit de pondere conjecturam facere, forſan enim ſenarium quoque habuerunt Romani, quem per S. expreſſerint, ſicuti denarium per X. quinarium per V.

V.

Caput Romæ galeatum, ut ſupra, cum denarii nota.

ROMA. Victoria in citis bigis, læva habenas tenet, dextra flagellum quatit.

Plures familiæ hunc typum adhibuerunt; unde inter incertos manet denarius.

Sequentes duo, qui nullam adſcriptam literam, nullumque habent numerum; præter vocem ROMA; exhibent Dianam in cervorum bigis, cum luna creſcente, ſub eorundem ventre. In priore læva manu facem, dextra facem & equorum habenas tenet; in poſteriori, dextra facem læva habenas.

Poteſt hic nummus pertinere ad familiam Aliam, poteſt itidem ad Axiam.

Litera F.

Caput Romæ galeatum, cum denarii nota.

ROMA. Diana ſeminuda, cum luna creſcente in capite, dextra citas incitat bigas, læva equorum habenas tenet. Sub equis eſt gammarus, monetarii ſignum.

Forſitan pertinet hic denarius ad familiam Cariſiam.

VI.

Caput Jovis Capitolini laureatum.

ROMA. Victoria coronat tropæum, cane intermedio.

Solet iſte typus plerumque inveniri in quinariis, ſed tamen hic duodecim amplius inveniuntur denarii cum ejusmodi typo. Canis quoque obſervatur in Gente Sulpicia apud Goltz. infra tab. XXXII. num. 12.

Canis monetarii eſt ſignum, ſicuti in ſequentibus fulmen, tridens, luna creſcens, lanceæ cuſpis, clava, & porca; in aliis literæ inveniuntur MP. ME. T. TV. Poſſent illæ indicare familias Marcias, Menenias, Titias, Tullias, niſi quoque ſimiles, ut matricum notæ, exſtarent in denariis, qui familiæ nomen inſuper adſcriptum habent.

Litera G.

Caput Jovis Capitolini laureatum ; ante illud est decempeda, sicut supra lit. E. ante caput Romæ.
ROMA. Victoria coronans tropæum.

TAB. IV.

Litera A.

Caput Jovis Capitolini laureatum.
Victoria coronans tropæum.

Multi ejusmodi quinarii inveniuntur.

Litera B.

Caput idem Jovis Capitolini laureatum.
ROMA. Victoria coronat tropæum, cui nudus adsidet captivus, ingeniculatus, manibus ad tergum revinctis.

Omnino hic quinarius videtur pertinere ad gentem Fundaniam.

VII.

Caput Apollinis laureatum.
ROMA. Victoria coronans tropæum. Adponitur litera alphabeti D.

Litera C.

Caput idem Apollinis.
Sine epigraphe. Victoria coronans tropæum. Adest litera alphabetica L. In aliis est litera N. vel quatuor coni, vel prorsus nihil.

Litera D. & E. & F.

Caput Romæ galeatum. Post illam est litera V.
ROMA. Dioscuri in equis. Subtus est monogramma AE ; in aliis est litera Q. vel A. vel H. vel M. vel nihil prorsus.

Notari debent hi quinarii & studiose adservari, quod notam valoris sui adscriptam habeant, litera V. enim, sicuti quinque in numero significat, sic docet quinque asses hunc nummulum valere, prout denarius a decem assibus est dictus, & propterea X. literam numeralem adpositam habere solet.

Litera G.

Caput Romæ galeatum, cum nota sestertii, quæ in nummo scribitur per literas H. S.
ROMA. Dioscuri in equis.

Nummus sestertius omnium Romanorum in argento est minimus. Habeo talem parvulum & valde tenuem. Facile comparari nequeunt. Sestertius dimidia pars est quinarii, unde facile patet, quam parvulus esse debeat, qui dimidium faciat quinarium. Si itaque denarius (ut volunt) valuerit sex stuferos, quinarius tres, noster sestertius valuit stuferum unum cum dimidio nostratis monetæ.

Litera H.

LIBERTAS RESTITVTA. Caput Libertatis sub facie Liviæ.
Senatus PopulusQue Romanus. In clypeo votivo, qui una cum globo & duobus astris continetur ambitu coronæ querneæ.

Hic quoque denarius sub Augusto cusus est, postquam Parthi signa & captivos reddidissent. Cœperat jam tum adulatio faciem Augustæ ad deas adplicare.

Litera I.

LIBERTAS RESTITVTA. Caput Libertatis velatum cum lauri ramo.
MARS ADSERTOR. Mars armatus graditur, læva tenens clypeum, dextra adtollens tropæum.

Et hic elegans denarius ad reddita a Parthis signa spectat, quo tempore Mars Romanus adseruit sibi jus suum, atque sine pugna & periculo infamiam Romani nominis sustulit. Si cui placet ad pugnam Philippensem & victoriam de percussoribus Cæsaris referre, Mars adseruisse Cæsari jus suum dici potest, atque victoriam dedisse de patris sui percussoribus.

Litera K.

Caput Martis galeatum.
Senatus Consulto. Thorax.

Duos hujus generis habeo nummulos æreos, alterum aliquanto, alterum duplo minorem. Artificium & qualitas nummi facit, ut revocem ad parvulos illos nummulos, qui sub Trajano imperatore cusi sunt. Inter cujus nummos secundæ magnitudinis unum habeo similiter cum thorace, & inscriptione *Senatus PopulusQue Romanus* OPT*imo* PRINCIPI.

Litera L.

SAT*urnus.* Caput Saturni diademate revinctum, subtus falx messoria est perticæ inserta.
Membrum genitale, supra quod est luna crescens inter anguem & duo astra, supra lunam crescentem cometes, vel solis est astrum.

Puto huncnum mulum argenteum ex Saturnalitiis missilibus fuisse; Augustum quoque Saturnalibus vestem, & aurum, & argentum & alia divisisse notat Sueton. in Vita ejus cap. LXXV. De more vero spargendi missilia in populum plura habet Sueton. præsertim in Nerone, cap. XI.

Interpretatio aversæ partis tota est mystica atque altioris indaginis. Membrum virile, seu genitale, rerum omnium vegetationem indicat. Luna cum stellis, sicuti nobis sunt proximæ, sic illarum humectatione & influxu plurimum terra alitur. Luna, per se ipsam corpus est opacum,

nisi solis lumine illustretur; unde astrum illud, quod supra lunam cernitur, de sole interpretor; qui radium luminis sui recta in lunæ mediam cavitatem demittit; cometes enim hic locum habere nequit. Ex hac rerum cœlestium communicatione terra habitabilis perseverat in vigore suo, atque ita quotidie renovatur, quod optime exprimitur per symbolum serpentis, cujus natura omnibus nota est. Hoc pacto per tot sæcula durat mundus, & a Saturni ævo usque ad nos pervenit.

Litera M.

Caput barbatum Jovis Regis & Capitolini, cui diadema ex meo nummo addi debet.
Senatus Consulto. Aquila expansis alis fulmini insistens.

Videtur Jovis Capitolini esse facies, sicuti ad Jovem quoque aquila spectat. Unde credo cusum fuisse sub Vespasiano vel Domitiano, propter Capitolium refectum, quod bello Vitelliano arserat, atque iterum sub mortem Vespasiani.

Litera N.

Caput Jovis Capitolini laureatum.
Senatus Consulto. Fulmen alatum.

Sub eodem Domitiano cusus hic nummulus videtur. Sub illo enim multi parvuli nummi ærei, quorum mihi festiva copia est, signati fuerunt. De Domitiano Sueton. cap. V. *Plurima & amplissima opera incendio absumta restituit, in queis & Capitolium, quod rursus arserat.*

Litera O.

Caput barbatum, Liberi Patris forsitan.
Gryphus volans, sub quo thyrsus est.

Thyrsus innuere videtur caput illud barbatum de Baccho capi debere. Et hunc ad nummos Saturnalitios refero. Vinum alas dat ingenio, & audaciam timidis ministrat. Vini itaque symbolum gryphus esse potest.

Litera P.

Caput Minervæ galeatum.
Navis cum velo.

Nummulus est plumbeus, qui nihil ad historiam facit.

TAB. V.

I.

Caput Romæ galeatum cum denarii nota.
ROMA. Luna in citis bigis, dextra hastam tenet, læva equorum habenas, in fronte luna crescens emicat. Sub equis sunt literæ T. D. literæ priori avis insidet.

Hunc denarium Vaillantius edidit in gente Didia, ubi primum apud eundem locum occupat. Literas enim illas singulares explicat *Titi Didii*, atque refert ad T. Didium, tribunum plebis A. V. C. DCX. quem putat in quæstura provinciali hunc denarium signasse A. V. C. DCV. & Dianam Luciferam expressisse in nummo, ad notandam militum diligentiam & vigilantiam; avem de gallo gallinaceo interpretatur, &c. Verum adscripta vox ROMA palam clamat, non fuisse in aliqua provincia a quæstore provinciali cusum hunc denarium; verum in ipsa urbe Roma, & quidem a triumviro monetali. Dein avis illa nequaquam gallus gallinaceus esse mihi adparuit in nummo meo, sed, ut recte effinxit Morellius, alterius generis, videlicet turdus. Hinc aliam familiam, & a Didia diversam, in hoc denario agnoscere mihi videor, videlicet aliquam, quæ Turdi habuerit cognomen. Nihil enim magis vulgare est in nummis Familiarum, quam adlusio ad cognomen ejus, a quo nummus cusus est. Vide quæ notavimus tab. prima ad num. VI. qui hoc respectu simillimus nostro esse videtur, in eo enim muris est figura inter literas TI. & Q. unde forsan non vane conjecimus, illum qui cudit nummum istum, dictum fuisse Tiberium Quinctium Murem. Turdus autem cognomen est familiæ Papiriæ, pro TV*r*D*us* autem in ipso hoc nummo scribi videtur TO*r*D*us*. Diana in bigis videtur esse signum ludorum Apollinarium, adeoque patris sui præturam commendare videtur quisquis fuerit hic Turdus. Meminit Turdi cujusdam, hominis infamis, qui fuerit in comitatu Occii Flammæ, Cretæ proconsule, Seneca Controv. VII. Alius a nostro fuisse videtur; neque in Antonii nummo Fam. Anton. tab. quarta, num. I. pag. 24. *Decimus* TVR*dus* est, sed *Decimus* TVR*ulius*, ut ibi diximus, qui longe post hunc Turdum vixisse videtur.

II.

Caput Romæ galeatum, adest denarii nota.
ROMA. Dioscuri in equis. Subtus sunt literæ C. R.

Antiqui sunt denarii, qui Dioscuros insculptos habent. Literæ vero C. R. ad varias familias referri possunt. Fuerunt enim Rabirii, Rabulei, Rebilii, Renii, qui Caji gesserunt prænomen. Ad quem ex his pertineat, definiri nequit.

III.

Caput Romæ galeatum, adest denarii nota.
ROMA. Figura muliebris stolata in citis bigis, utraque manu habenas tenet, desuper sunt literæ C. A V. quas lego *Caius* AV*relius*.

Aurelia gens quum plura cognomina habuerit, inter Aurelios Orestes & Aurelios Scauros quoque inveniuntur, qui Caji habuerunt prænomen. Sed inprimis illud familiare fuit Aureliis Cottis. Nam præter C. Aurelium Cottam, consulem A. V. C. DI. atque iterum DV. alter quoque C. Aurelius Cotta invenitur, consul A. V. C. DLIII. & tertius, consul A. V. C. DCLXXVIII. præter cæteros C. Aurelius Cottas, qui minores tantum magistratus gesserunt. Quisquis noster fuerit, idem fuisse videtur, cujus quinarium vidit Goltzius, inscriptum *Caius* COTTA. quem inter Goltzianos visuri sumus. Ad Cottam bis consulem ille refert; per me licet; verum non potuit signari nisi a Cotta adhuc triumviro monetali; unde in nostro nummo Juno Moneta bigas regit. Ejus deæ enim typus est.

IV.

Caput Romæ galeatum, adest denarii nota.

ROMA. Dioſcuri in equis. Subtus ſunt literæ connexæ M E.

Quum in Fam. Mænia ſive Mainia exſtet ſimilis nummus cum Dioſcuris, inſcriptus P. MAE. ſic, ut A. & E. una cum M. monogramma efficiant, ad eundem Publium Mænium ſive Mainium hic denarius referri poteſt. Vide ſupra de P. Mainio pag. 256.

V.

Caput Romæ galeatum.

Aliquid mihi incognitum cum literis male tranſpoſitis SV IR SEOM. Non intelligo iſtam barbariem.

VI.

Agri Publici Promoti Fines. In corona ex denſis querneis foliis complicata, atque faſciis involuta.

Caput humanum in ſummo cippi vel pali terminalis.

Eſt hic nummulus unus ex elegantiſſimis a me obſervatis, certe is, quem in muſeo meo ſervo, eximius eſt. Cuſum arbitror temporibus Auguſti, id enim corona quernea indicare videtur. Quum vero ſub illo principe, propter bella, quæ præceſſerant, civilia, magna confuſio facta fuiſſet in limitibus, iſtius quoque rei curam optimus princeps geſſiſſe videtur, cujus facti memoriam rariſſimus hic nummulus ſervat.

VII.

Caput Jovis laureatum, poſt illud tres ſunt globuli.

Jupiter in citis quadrigis, dextra fulmen tenet, læva ſceptrum & equorum habenas. Poſt Jovem in curru ſtat Victoria. Sub equis itidem quatuor ſunt globuli, & per puncta expreſſæ literæ, quas Morellius adſequi ſatis clare non potuit.

Nummus hic æreus non pertinet ad Romanos, ſed ad Latinos, & cuſus fuiſſe videtur antiquitus ab urbe Phaleria ſeu Faleria. Etruſcæ enim ſunt literæ, FALEDE vel PHALERE, quæ in ipſo nummo, ſed ſcripturâ, ut dixi, Etruſcâ, leguntur.

VIII.

L. QVL. F. Q. ISC. F. Caput barbarum, vel barbare effictum.

M. C. S. Europa tauro vecta, utraque manu velum ſupra caput ſuſtinet.

Literæ hæ valde ſunt difficiles. Caput Auguſti eſſe poteſt, & nummus videri poſſit cuſus a Coſſetanis in Hiſpania, vel Coſanis in Italia, verum nos Syracuſis illum vindicamus. Rationes vide infra ad num. XIV. Literas a parte priori ſic lego *Lucio Quinctio* LV*cii Filio Quinto* IS*palo Cai Filio* ſcil. IIviris quinquennalibus. Ab altera parte legi poſſet *Municipium* COS*a*. Typus trimque convenit. Ut Græcia, & Creta forſan, oriundi, vetuſtam originem ſignificant per Europæ raptum; recentiorem vero per caput Auguſti. Nam jam ante acceptis Roma colonis, inſtaurata ab Auguſto, ut pleræque Etruſcæ coloniæ, fuiſſe videtur. Adde Cellarium tom. I. pag. 719.

IX.

Caio LVCIEN*o Caio* MVNIO *Quinquennalibus.* Sic enim ipſum hunc nummum legit clariſſ. Liebeus pag. 231. eſt enim jam in Theſauro Fridericiano.

VALENTIA. Cornucopiæ & fulmen per tranſverſum.

Pertinet hic nummus ad Valentiam Italiæ, olim Hipponem, poſt Vibo-Valentiam dictam. Cujus urbis plures (ut alibi diximus) nummos poſſidemus.

X.

- ... - AN*no* XV. Caput muliebre turritum.

EX *Decreto Decurionum.* Adſpergillum, capeduncula, ſecuris, & albogalerus.

Ad coloniam aliquam Hiſpanicam pertinere videtur.

XI.

IMP*erator* CAESAR. Caput Cæſaris Auguſti nudum.

IIVIR. C. I. C. P. I. S. P. D. V. S. P. in circuitu, & in area nummi P. P. D. D.

Oedipo fere opus eſſe videtur ad tot literas ſingulares & tam obſcuras explicandas. Tentabo tamen pro viribus. IIVIR*i Coloniæ Iuliæ Celſæ Poſuerunt. In Signum Publicæ Devotionis Victori Suo Principi* (vel *Votum Solventes Publice*) *Pecunia Publica Decreto Decurionum.*

Julia Celſa, urbs Hiſpaniæ Tarraconenſis, paſſim *Victrix* in nummis adpellatur. Statuam vero videtur poſuiſſe imperatori Cæſari propter victoriam de Cantabris & Aſturibus. Et videtur ſtatuæ baſi addita fuiſſe integra inſcriptio, cujus priores tantum literæ in nummo exprimuntur.

XII.

URSONE. Caput Auguſti laureatum.

Lucio AP*pio* DEC*urione Quinquennali.* Sphinx alata & pileata, lævum pedem ſublevans.

Multi nummi cum capite Auguſti in Hiſpania cuſi ſphingem ab altera parte habent, cujus generis & ipſe plures ſervo. Sphinge uſum fuiſſe aliquando iſtum principem in ſignando refert Suetonius in vita ejus cap. L. Sphinx ſapientiæ & prudentiæ quoque eſt ſymbolum.

Urſo urbs eſt Hiſpaniæ ſupra fretum Gaditanum, quæ & *Orſo* & *Urſaon* apud veteres ſcribitur. Plures nummos in Auguſti honorem cudit, ut in illo principe viſuri ſumus. Pro ſphinge urſum quoque ſignavit, ad nomen ſuum adludens. Qui quoque nummus inter nummos Auguſti proferetur.

XIII.

M. A. B. M. F. Lego M*arcus* AB*urius Marci Filius.* Caput Minervæ galeatum.

EMPOR*itarum* vel EMPOR*iæ.* Pegaſus, deſuper eſt corolla.

Stephanus Byzantinus, ubi urbes hujus nominis recenſet, quatuor enumerat; primam Celticam a Maſſaliotis conditam, ſecundam Macedoniæ, tertiam Siciliæ, quartam Campaniæ. Oportet autem ut hi nummi pertineant vel ad Hiſpanicam urbem vel ad Siculam. De Hiſpanica Livius, ubi Catonis Majoris expeditionem recenſet, ita ſcribit lib. XXXIV. cap. 9. *Jam tunc Emporiæ duo oppida erant, muro diviſa, unum Græci habebant a Phocæa, unde & Maſſalienſes oriundi: alterum Hiſpani. Sed Græcum oppidum, in mare expoſitum, totum orbem muri minus quadringentis paſſus patentem habebat: Hiſpanis retractior a mari trium millium paſſuum in circuitu murus erat. Tertium genus Romani colonia divo Cæſare poſt devictos Pompeji liberos adjecti.* Illi tamen urbem non adjudico, quod neque Hiſpanæ fabricæ ſint hi nummi, quales plures ſervo, variis inſcriptos nominibus, ne-

neque vel Phocæenses vel Massaliotæ pegasum in nummis suis exhibeant. Refero itaque ad Siciliam. In Syracusanorum enim nummis Minervæ capite & pegaso vix quidquam magis est obvium, & puto antiquiores Emporitas, antequam illis accederent coloni Romani, venisse Syracusis. Quod insuper docere videntur antiquiores ejus urbis nummi, Græce inscripti; quales observavi duos apud Parutam, inscriptos ΕΜΠΟΡΙΤΩΝ. utrumque cum pegasi symbolo. Videri vero possunt, quæ ad eosdem commentati sumus in Thesauro Siculo ad Parutæ (qui ad urbem Mazaram retulerat) numismata pag. 471. & 472.

In familia Aburia pag. 1. 2. 3. vidimus nummos M. Aburii M. F. verum is sine dubio antiquior fuit hoc Aburio, uterque tamen ex eadem fuit familia, quod & prænomina testantur. Quum vero Panormus & Syracusæ, præter alias quasdam urbes, præ cæteris legantur fuisse coloniæ Romanorum temporibus Augusti, hunc quoque iisdem temporibus cusum existimamus, ut & reliquos ejus generis.

XIV.

ΠΙΠ. C. S. M. Q. Caput idem Minervæ galeatum.

EMPOR*iæ*. Idem pegasus cum corolla.

Hic nummus confirmare videtur nostram conjecturam de Emporitanis, ut Syracusanorum colonis antiquioribus. Caput Minervæ & pegasus, qui in nummo quoque præcedente inveniuntur, ibi cogitationem de Syracusis nobis injiciebant. Inscriptio, quæ ad caput hujus nummi est, auget suspicionem nostram. Epigraphen enim capitis ita lego: PIP*io* (quod nomen Græcis literis scribitur, prouti multi quoque Romanorum denarii literam P. per Græcum Π. sed altero crure breviore scribunt) *Coloniæ Syracusanæ Metropoleos Quinquennali*. Et sic Emporitæ vetustam istius Siciliæ partis metropolin, quæ jam & ipsa Romanorum sub Augusto erat colonia, ut suam quoque matrem agnoscunt. Imo sic ex hujus nummi inscriptione cognoscitur quomodo supra num. VIII. legi debeant tres singulares illæ literæ, quæ sub Europæ raptu cernuntur, videlicet M.C.S. scilicet hoc pacto: *Metropolis Colonia Syracusana*. Syraculas vero coloniam Romanorum fuisse docet inscriptio vetus literis pedalibus apud Gualtherum, in Parutæ nostri editione pag. 390.

- - - - *c*OLONIA L- - - -
*s*YRACVSANOR*um*
- - - - III - - AN. - -
- - - NCVR - - - NA.
CONCORDIA GRATI.

Augusti vero fuisse, altera ibidem:

SYRACVSAE COLONIA AVGVSTA.

Atque sic hic nummus lucem fœneratur nummo VIII. & vicissim ab illo lucem accipit. Nam sicuti dubitantes diximus, posse ibi depingi caput Augusti, nunc quidem id lubet adfirmare, neque ad alios pertinere quam Syracusanos, eorumque colonos.

Sed cur Europæ raptus in nummo priori Syracusano exprimatur, quæri poterit. Possumus dicere id factum, vel quod veteres quidam Syracusani nummi Europæ quoque raptum expressérint, respectu colonorum, qui olim ex Creta insula, una cum aliis accesserint, sicuti propterea Minotaurum quoque videntur in nummis suis depinxisse, ut cerni potest in Paruta nostro pag. 617. vel cusum fuisse hunc nummum ejusque typum a colonis Augusti, ut gratularentur illi nuptias cum Livia, atque ita per Europæ raptum ingeniose illi adularentur, sicuti per Proserpinæ raptum idem postea fecerunt Græci in nummis Gordiani Pii & uxoris Tranquillinæ.

XV.

Caput Minervæ galeatum, cum palma ad aurem, sive conum galeæ.

ADINOD. Eques, galea, clypeo, & hasta armatus, valido insidens equo, rapido cursu fertur. Subtus monetæ rationem respiciunt quinque globuli quincuncem significantes.

Insignis hic quoque nummus est, quem non intellexit Morellius, nec potuit, quod ejus veram lectionem non fuerit adsecutus. Scribi enim debet LADINOD id est LATINO*rum*. Literæ enim D. duplex habetur ratio, priore loco D. vicem T. obtinet, quoniam quasi diminutiva literæ T. est; posteriori adscribitur, additurque in fine ad vocalem postremam, ut in *maxumod*, *pugnandod*, *pondod* pro *maxumo*, *pugnando*, *pondo*. De qua orthographiæ ratione agit Quinctilianus Institut. Orator. lib. I. cap. 7. sed ut grati hominis est, profiteri unde didicerit, auctorem hujus lectionis in nummo hoc Latinorum, adfero Claudium Bouterouëum qui de Monetis elegans opus scripsit, quod pauci norunt, pauciores possident. Ibi nummus noster ita inscriptus exstat. pag. 90. Est itaque hic nummus Latinorum veterum monumentum, sive cusus eo tempore, quo cum Romanis bello Sociali pro jure suffragii & togæ pugnabant, seu temporibus antiquioribus.

NVMMI MISCELLANEI.

I.

ΣΜΥΡ*ναίων*. ΣΤΡΑ*τήγῳ* ΤΙ*βερίῳ* ΚΛΑΥ*δίῳ* ΣΩΣΑΝΔΡΟΥ. *Smyrnæorum. Stratego Tiberio Claudio Sosandro*. Fluvius recubans, dextra algam tenet, læva urnæ innixa.

ΕΠΙ Τ*ίτου* ΚΛΑΥΔΙΟΥ ΙΕΡΩΝΥΜΟΥ. *Sub Tito Claudio Hieronymo*. Figura muliebris alata stans, dextra vestem ad os sublevans, læva alteram vestis partem tenens.

Ita integra lectio hujus nummuli concinnari debet, quam ex quatuor meis, frustratim sic colligere licet & conjungere. Fluvius recubans Meles est, Unde Homerus Melesigenes adpellari solet. Figura muliebris alata Nemesis est, quæ nonnunquam sic in Smyrnæorum nummis exprimitur. Nihil ad nummos coloniarum facit.

II.

CAESAR. Caput Cæsaris Augusti nudum.

Lucio A - - - - POLLIONE ITER*um*. Cervus stans, sub cujus ventre est litera E.

Possideo nummulum, qui a priore parte habet Victoriam gradientem cum corolla, a posteriore duo signa militaria. Prior pars sic inscribitur *Publius* (Morellius in Fam. Bæbia *Lucius* perperam legit) BAEBIVS POLLIO IIVIR QVIN*quennalis*. Alterius partis inscriptio hæc est, *Caius* AQVINVS MELA IIVIR QVIN*quennalis*. Sic in hoc quoque nummulo pro litera L. forsitan P. exstat, ut legi debeat *Publio* POLLIONE &c. vel pro L. legi debuit C. facili vi-

ſus lapſu, ut ſit *Caio* AQVINO, POLLIONE IIVIR*is* QVIN*quennalibus* ITER*um*. Litera E. Epheſum notare non poteſt, quantumvis cervus adſit, ſed annum quintum denotat. Hoc me docere videntur nummi itidem æerei, ſed aliquanto majores familiæ Lolliæ, in quibus itidem cervus cernitur, & adſcribitur *Lucius* LOLLIVS B. in aliis I Z. ut videre eſt in Fam. Lollia num. VI. & lit. D. ex quibus videtur ſequi, utrumque hunc nummulum minorem, & illum, in quo ſimpliciter IIviri quinquennales ſcribuntur Pollio & Aquinus, & hunc, in quo ſcribuntur iidem IIviri quinquennales iterum, cuſum fuiſſe imperante Augusto, provinciam regente Lollio, illo videlicet Lucio Lollio, cujus plures exſtant ibidem nummi. Quæ provincia videtur fuiſſe Libya vel Cyrene, propter caput Jovis Ammonis & lotum florem. Et plurimos annos ibidem commoratum fuiſſe iſtum L. Lollium plures in nummis anni docent. In qua vero Africæ urbe cuſus fuerit nummus, non liquet, quoniam nomen ejus non adſcribitur.

III.

Caput muliebre diademate ſic revinctum; ut longior in cervice capillus ſurſum verſus diademati innodatur.

GERMANVS INDVT. IIII. Bos gradiens.

Ad tempora Julii Cæſaris hunc nummulum pertinere tres nummi Goltziani teſtantur. Duo ex illis occurrunt infra inter Goltzianos tab. decima nona num. II. & III. inſcripti *Caius* CAESAR IMP*erator*. Caput Cæſaris laureatum cum urceo & lituo. & *Caius* CAESAR DICTATOR. Caput idem cum lituo. Ab altera parte itidem bos eſt, inſcriptio INDVTI. IIII. Hi nummi argentei ſunt, & adpictus aſteriſcus docet nummos eosdem ex Goltzii Cæſare eſſe deſumtos. Tertius nummus, qui itidem Goltziana fide nititur, profertur Tomo II. Tab. VIII. num. 13. 14. itidem argenteus eſt & a parte priore inſcribitur *Lucius* BVCA. habetque caput Veneris cum Cupidine ad collum; & lituo ante faciem. In altera parte ſcribitur GERMAN. INDVTI. IIII. ſedet vero fluvius juxta montes, dextram ſuper navigium extendens, læva urnam, ex qua labitur unda, continens.

Triſtanus, qui hunc Goltzianum nummum operi ſuo inſeruit num. IV. & pag. 27. commentariis illuſtravit, legit GERMAN*ia* INDVTI*a*. & credidit pertinere ad eam coloniam, quam *Induſtriam* adpellat Plinius, ex nummo corrigendus, numeros annum deductæ coloniæ (cujus bos eſt ſymbolum) ſignificare exiſtimat.

Begerus hunc ipſum nummum, de quo jam ad Morellium egimus, protulit in Obſervat. & Conject. p. 47. & 48. in quo quum GERMANVS legatur, recte concludit perperam GERMAN*ia* legi in nummo illo Goltziano. Ipſe vero novam proponit conjecturam, & exiſtimat pertinere caput & inſcriptionem ad Induciomarum (ita enim Cæſari & aliis ſcribitur) Trevirum, qui cum Cingetorige de principatu contendebat, quique Cæſaris partes ſecutus, easdem deſeruit, atque a Labieno fuit occiſus.

Begeri ſententiæ & bos, & ſcriptura Indutiomari pro Induciomaro, & numerus ille IIII. vel III. adverſantur, quæ ſi Trevirum illum dicerent litera V. addi debuerat; ſed ante omnia evertit ejus conjecturam caput illud, quod in nummi priore parte cernitur. Majori cum cura illud in meo quoque nummo ſum contemplatus, & inveni muliebre eſſe non virile, atque recte effictum atque ad nummi fidem a Morellio. Veneris enim eſt facies. Bos quidem paſſim coloniæ ſymbolum eſſe ſolet, verum hic nummus in colonia non eſt cuſus, ejusque rei duplicem do rationem, quod argenteos duos produxerit denarios Goltzius, quodque non tam tenues & minuti ex ære, ſed denſiores, ſi parvuli eſſent, ſignari in coloniis ſolerent. Ut verum fatear, non poſſum mihi in hujus nummi explicatione ſatisfacere. An Germanus quidam & Indutius quatuorviri coloniæ cujusdam deducendæ fuerunt ſub Cæſare? Obſtant nummi argentei. An IIIIviri monetales ſub Cæſare fuerunt Germanus & Indutius? An unus ex quatuorviris monetalibus fuit iſte Germanus Indutius adpellatus? Hæreo, debuerat enim ſcribi IIIIVIR vel IIIIV. non ſimpliciter quartus exprimi numerus. Forſan aliquid occurret, ubi ad Cæſaris perventum erit nummos, nunc ad alios propero.

IV.

GERMANICO ET DRVSO. Caput muliebre turritum.

CAESARIBVS IIVIR*is*. Gubernaculum navis.

Non additur nomen coloniæ, quæ hunc honoris titulum Cæſaribus obtulit. Cæſares IIviratus titulum, ut & quinquennalitatis, geſſiſſe honorarium, aliis eorum vicem ſubeuntibus, plus ſemel jam vidimus.

V.

IIIIVIR TER*tium*. Caput Neptuni cum tridente.

CARTEIA. Delphinus. Subtus evaneſcentes literæ leguntur MINI*us* *Quinti* *Filius*.

Carteia nobilis inter antiquas Hiſpaniæ urbes fuit, ad Bætis fluvii oſtia. Pomponius Mela libro II. cap. 6. *Sinus ultra eſt, in eoque Carteia, ut quidam putant, aliquando Tarteſſus.* Plures ejus coloniæ & inſignes atque ineditos nummos poſſideo, aliquando, Deo dante, in Theſauro Numismatico-Geographico divulgandos, ubi pluribus de Carteia agendum erit, utpote quæ inter primas civitates Hiſpaniæ, primæ terræ in ordine terrarum orbis, explicanda erit.

Nota interim IIIIvirum in hujus coloniæ vel municipii nummo occurrere, ſicuti itidem IIIIvir in quodam ex nummis meis obſervatur, in quo pariter Neptuni caput & delphinus exprimitur. Julio Cæſari itidem nummos cudit, de quibus poſtea.

VI.

ΔΟΜΙΤΙΑΝΟΣ ΚΑΙΣΑΡ ΣΕΒΑ . . . . *Domitianus Cæſar Auguſtus.* Caput Domitiani laureatum.

ΕΠΙ ΠΡΟΚΛΟΥ ΕΜΙΛΙΟΥ ΑΝΤΟΝΙΟΥ ΝΑΣΩΝΟΣ. *Antonii Naſonis ſub Proclo Emilio.* Clypeus cum telo.

Ad Domitiani nummos de hoc nummo agendum erit.

VII.

ΑΓΡΙΠΠΙΝΑΝ ΣΕΒΑΣΤΗΝ. *Agrippinam Auguſtam.* Caput Agrippinæ Claudii.

ΚΟΤΙΑΕΩΝ. ΕΠΙ ΟΥΑΡΟΥ ΥΙΟΥ. *Cotienſium, ſub Varo Filio.* Cybele ſedens cum modio in capite, dextra pateram tenet, inter duos leones.

VIII.

Capitis pars vacat in hoc numero.

ΤΙβερίε ΚΛΑΥδίε ΕΥΘΥΝΙΑ. *Tiberii Claudii cenſura.* Niſi legi debet ΕΥΘΥΜΙΑ *lætitia.* Caput muliebre.

Ad

Ad Claudii imperatoris nummos hic nummis pertinet, inter quos recensendus erit.

IX.

ΝΕΡΩΝΑ ΚΑΙΣΑΡΑ . . . . . *Neronem Cæsarem.* . . Caput Neronis laureatum.

ΜΙΘΡΑΔΑΤΟΥ. ΕΠΙ ΚΛΑΥΔΙΟΥ. *Mithridatis, sub Claudio.* Bilanx.

Mirum quidem, hunc nummulum rarissimum omissum fuisse inter Bosporanos reges a Vaillantio in opere postumo, præsertim quum jam ante vulgatus fuerit a Choulio, in libro de Relig. &c. Romanorum. De illo quoque ad Claudium dictum sumus.

X.

ΔΟΜΙΤΙΑΝΟΣ ΚΑΙΣΑΡ. ΔΟΜΙΤΙΑ ΣΕΒΑΣΤΗ. *Domitianus Cæsar. Domitia Augusta.* Capita adversa Domitiani laureatum, & Domitiæ, more ejus temporis excultum.

ΚΙΑΝΩΝ. ΕΠΙ ΑΡΧΙΕΡΕΩΣ ΚΛΑΥΔ. ΒΙΑΝΤΟΣ. *Cianensium sub summo pontifice Claudio Biante.* Jupiter sedens, dextra pateram tenens læva hastam.

XI.

Similis est præcedenti. ΚΙΑΝΩΝ sub Jove sedente scribitur, non ad latera ejusdem, ut in præcedente nummo.

Vide ad Domitiani nummos tomo II.

XII.

ΝΕΡΩΝ ΚΑΙΣΑΡ ΣΕΒΑΣΤΟΣ. ΑΓΡΙΠΠΙΝΑ ΣΕΒΑΣΤΗ. *Nero Cæsar Augustus. Agrippina Augusta.* Capita adversa Agrippinæ & Neronis, ætate juvenili, sine laurea.

ΕΠΙ ΜΑΡΙΟΥ ΚΟΡΔΟΥ ΚΟΙΝΟΝ ΦΡΥΓΙΑΣ ΑΠΑΜΕΙΣ. *Sub Mario Cordo, commune Phrygiæ Apamenses.* Aquila serpentem unguibus tenens, expansis alis respicit.

De Mario Cordo, ipsoque nummi typo locus differendi erit ad tomum alterum.

XIII.

ΝΕΡΩΝΑ ΣΕΒΑΣΤΟΝ. ΑΚΜΟΝΕΩΝ. *Acmonensium. Neronem Augustum.* Neronis caput laureatum, supra cujus verticem est luna crescens.

ΕΠΙ ΣΕΡΟΤΗΝΙΟΥ ΚΑΠΙΤΟΝΟΣ . . . . . *Sub Serotenio Capitone.* . . . . . Jupiter sedens.

De hoc agetur, ubi de reliquis, ad tomum secundum.

XIV.

ΑΥΡΗΛΙΟΣ ΠΟΛΛΙΩΝ. ΚΑΙΣΑΡΕΩΝ. *Aurelius Pollio. Cæsareensium.* Caput Augusti nudum cum pharetra ad humeros.

ΜΕΝΑΝΔΡΟΣ ΠΑΡΡΑΣΙΟΥ. *Menander Parrhasii* scilicet filius. Templum octo columnarum, in honorem Augusti a Cæsareënsibus erectum. Subtus capricornus conspicitur, ad latus templi lævum caduceus est cum spicis decussatim positis.

De præclaro hoc Augusti nummo, & de reliquis, qui præcesserunt, Cæsarum nummis, quum uberius agendi locus sit in tomo sequenti, eo retulimus, quæ ad illum & reliquos dicenda erant.

XV.

ΑΥΤοκράτωρ ΚΑΙσαρ ΝΕΡουας ΤΡΑΙΑΝΟΣ ΣΕΒαστὸς ΓΕΡμανικὸς ΔΑΚΙΚΟΣ. *Imperator Cæsar Nerva Trajanus Augustus Germanicus Dacicus.* Caput Trajani laureatum.

ΣΤΡατηγῦ ΠοπλΙε ΛΙΒΩΝΙΑΝΟΥ. ΣΑΡΔΙΑΝΩΝ. *Stratego Publio Liboniano. Sardianorum.* Tropæum elegans cum duobus in imo captivis, quorum alter pileum Phrygium in capite gerit.

Victoria Trajani de Germanis & Dacis exprimitur. Dacos enim significare videtur altera figura virilis sub tropæo, cujus caput pileo Phrygio tegitur. Altera Germanos significat.

Quem Publium Libonianum nummus, teste Morellio, vocat, eum Vaillantius pag. 30. Julium adpellat. ΑΡ. ΙΟ. ΛΙΒΩΝΙΑΝΟΥ &c. unde patet illum non fuisse adsecutum veram nummi lectionem, quum pro illis literis ΑΡ. ΙΟ. exstiterit in nummo ΣΤΡΑ. ΠΟ. Quis vero fuerit iste Publius Libonianus nobis non constat; quum productum vetus ejus sit nomen Libo in Libonianum, quod docet illum ab aliquo Publio, cujus familiæ nomen non additur, fuisse adoptatum. Temporibus Marci Aurelii adhuc superfuerunt Libones, nam patruelis Marci; M. Annius Libo M. F. M. N. legitur fuisse legatus Syriæ A. V. C. DCCCCLVII. de quo videtur loqui inscriptio vetus apud Gruterum pag. CCLVI. num. 7. M. ANNIO SABINA LIBONE &c. ita enim repone pro MANIO SABINA LIBONE.

XVI.

Lucius CLODI*us* MACER. Caput Clodii Macri nudum.

PROPR*ætore* AFRICAE. Triremis cum navigantibus.

Hunc nummulum ex argento profert Morellius. Possedit & delineavit jam olim simillimum ex ære Tristanus tom. I. pag. 247. Verum Seguinus, qui sequentem possedit nummum, eumque cum multis aliis in gazam regiam intulit; & eleganter hos fere omnes illustravit, nos docet æreum istum Tristani nummum recentioris fuisse fabricæ, quod idem de hoc argenteo Clodii Macri credimus, non enim ovum ovo magis est simile, quam Macri in utroque facies. At objiciet aliquis Morellium optime gnarum fuisse dignoscendi nummos adulterinos a veris; quod lubens concesserim, sed illud probe scio, illum Goltzianis plures addidisse nummos, quos asterisco itidem inter Goltzianos notavit, qui aperte falsi sunt & fabricæ recentioris, illos scilicet omnes; quibus literæ C. P. adponuntur. Idem ego quoque credo, Morellium, si per fata licuisset illi suis notulis & animadversionibus hosce nummos illustrare, notaturum fuisse; & hunc Clodii Macri, & illos, qui literas C. P. inter Goltzianos adscriptas habent, ad spurios & adulterinos fuisse relegaturum. Non enim videtur Macer signasse vultum suum in nummis, imperio nondum rapto vel legitime suscepto, sed tantummodo inter candidatos imperii sese professus, atque frumenti largitione senatus gratiam captans.

Est tamen quoddam discrimen inter æreum Tristani & argenteum Morellii; adscribitur videlicet ad faciem Macri senatusconsulti nota, & aversa pars aliam navis habet picturam, atque literas inscriptionis alio more collocat. Verum quum idem artifex utrumque cuderit nummum; aliquam in utroque fecit diversitatem, ut fraus melius tegeretur. Quod si cui argenteum hunc Clodii Macri nummum contemplari detur, facile is rem dejudicabit, si peritos artis habeas oculos; Patavini enim ejusmodi facile dignoscuntur. Mihi, fateor, nondum videre contigit.

XVII.

Lucii CLODI*i* MACRI LIBERTAS. *Senatus Consulto.* Caput Africæ elephanti exuviis & proboscide tectum;

AV-

NVMMI MISCELLANEI.

AVG*uſta*. LEG*io* III. Aquila legionaria inter duo ſigna militaria.

Poſſedit olim hunc vel ſimilem nummum Abbas Petrus Seguinus, atque eruditam addidit interpretationem, in ſecunda Select. Num. editione pag. 409. & ſeqq. in qua ipſa, quum reliqua hujus Macri numiſmata egregie ibidem illuſtrentur, ut noſtris parcam, illius adponam verba. „ Provinciæ populi Romani antiquo reipublicæ more adminiſtrabantur, & earum rectores illas ſorte inibant; Legatus vero ad exercitum ab imperatore mittebatur. Clodius Macer a Suetonio Neronis in Africa legatus dicitur; (Sueton. in Galba) ſed quis proconſul eam gubernabat, ſilet hiſtoria. Calvia Criſpinilla (ut apud Tacit. lib. IV.) ſub finem imperii Neronis expoſtulata ad ſupplicium, variis fruſtrationibus, & adverſa diſſimulantis principis fama, periculo exempta eſt, magiſtra libidinum Neronis transgreſſa in Africam ad inſtigandum in arma Clodium Macrum, famem populi Romani haud obſcure molita eſt; ille deinde audita Neronis morte, cum plurimi res novas molirentur, aliquid tentare auſus eſt; & ut militum & provinciæ gratias ſibi conciliaret, legionem tertiam Aug. cui præerat, & Africam liberas pronuntiavit, & nummos in hanc rei memoriam percuſſit. Teſtis eſt ille rariſſimus argenteus Georgii Barbaro Senatoris Veneti comitate acceptus, & a me cum ſexcentis aliis raritate, mole & elegantia præſtantiſſimis, in Theſauro Regio depoſitus, cujus ectypum, quem mihi ſervaveram, hic profero. Ab una parte exhibet caput ipſum Africæ elephantis proboſcide ornatum, cum epigraphe, C. CLODI MACRI. LIBERA S. C. In averſa duo ſigna militaria, aquila legionaria intermedia cum inſcriptione, LEG. III. AVG. Clodius Macer adinſtar plebis Romanæ, quæ pileata poſt Neronis (Suet. in Ner.) cædem tota urbe diſcurrerat, quaſi libertatem recuperaſſet, non modo legionem & provinciam liberas dixit, ſed ut libertatem tueretur, legionem novam contraxit, cui nomen *Liberæ* dedit. Id verba Taciti innuunt, dum ait lib. XI. *In Africa legio cohortesque delectæ a Clodio Macro*. Sed rem penitus confirmat elegantiſſimus ille argenteus nummus a cl. Patino in Suet. Not. pag. 344. vulgatus, aut ab ipſo obſervatus, aut ex Occone excerptus, in quo ipſa Libertas ſtans cum pileo ab una parte ſignatur, C. CLODI. MACRI. & in averſa ſigna militaria cum epigraphe, LEG. I. MACRIANA. LIB. Similis nummi meminit Goltzius in Theſ. Interea cum Roma gravi annona laboraret, rei frumentariæ vectura a Clodio Macro detenta, Calvia Criſpinilla reditum in urbem ſibi conciliare meditans, in id ſeſe interpoſuiſſe videtur, ut Clodius Macer frumenti copiam, omnemque frugum ubertatem liberam ſineret, & ſenatus acta illius comprobaret; id arguere videntur non modo hæc verba Taciti lib. IV. *Claudia Criſpinilla famem populi Romani haud obſcure molita, totius poſtea civitatis grattam obtinuit:* ſed & illi ſuperiores nummi Clodii Macri cum S. C. id eſt Senatusconſulto percuſſi. Hæc nota, ſolennis eſt ſenatus in nummis percutiendis approbatio & conſenſus: hæc etiam reperitur in nummulo æreo novæ fabricæ ab erudito Triſtano tom. I. cum capite ipſius Macri vulgato: notandum tamen eſt in utroque & Triſtani & Patini nummo, literam L. id eſt LVCII. prænominis Clodii Macri, pro C. id eſt CAII, eſſe ſignatam; conſtanter autem litera C. in nummo Regio legitur, & ſole clarior adparet. Cum C. non multum differt a litera L. an alter ab altero qui nummum male legerit, mutuatus eſt literam? prænomen enim Lucii ex Suetonio genti Claudiæ adaptari nequit, illud ob duorum infamiam conſenſu repudiavit (Suet. in Tiberio.) Dum in variis locis multi ad Imperium adſpirarent, Romæ præfectus prætorii Nimphidius Sabinus, in Germania Fontejus Capito, in Africa Clodius Macer, in Hiſpania Sulpitius Galba, hic ſolus Imperio dignus a Senatu exiſtimatus, Imperator ab eo nominatus eſt; quo nuntio accepto, Galba Romam contendit, iterque ingreſſus eſt paludatus, nec prius uſum togæ recuperavit, quam oppreſſis iis qui res novas moliebantur (Suet. in Galba.) Cum autem in Africa Clodium Macrum per Trebonium Garrucianum (Tacit. lib. I.) Numidiæ Procuratorem interemiſſet, legionem III. Aug. & novam Macrianam I. lib. I. cohorteſque a Clodio delectas exauctoravit. Proconſul ipſe biennio magna ſeveritatis ac juſtitiæ cura Africam inteſtina diſſenſione & barbarorum tumultu inquietam ordinaverat, (Suet. in Galba) mox eam novis Clodii Macri motibus quaſi agitatam ſedavit, ſublataque ei omni militia illam ſibimet reſtituiſſe videtur: Numidia de tanto imperatore bene merita, ut Africa prius, nummos quaſi libertatis recuperatæ monimentum in Clodii Macri cum effigie ſua percuſſerat, ita in ſui reſtitutoris honorem, nummos cum imperatoris capite ex una parte & ipſamet effigie in altera cum epigraphe, RESTituta NVMidia, ſignavit." Notari debet differentia literæ C. & L. in nummis Morellianis & nummo regio, antea Seguiniano. Ego puto Seguino eſſe credendum, & Morellium noſtrum ex Feſchiano muſeo hoſce nummos ſuos delineaſſe, in quibus quum litera C. forſan obſcurior fuerit & detritior, lectione Occonis præoccupatum, L. ubique pro C. ſcripſiſſe. Dijudicet, cui nummos ipſos tractare manibus oculiſque contigerit.

XVIII.

L*ucii* C*lodii* MACRI. S*enatus* C*onſulto*. Caput leonis.

LIB*ertas* AVGVSTA. LEG*io* III. Aquila legionaria inter tria ſigna militaria.

Ex hoc nummo patet, literas AVG. quæ ſub ſignis militaribus in præcedente nummo ſpectantur, conjungi debere cum voce LIBERTAS, quæ ibidem in priore denarii parte exſtat. Leonis vero caput Africæ eſt ſymbolum.

XIX.

L*ucii* CLODII MACRI. S*enatus* C*onſulto*. Libertas ſtans, dextra pileum, læva geſtans pateram.

LIB*ertas* MACRIANA. LEGIO I. Aquila legionaria inter ſigna militaria.

In hoc nummo non ipſa legio I. Macriana adpellatur, ut ſenſiſſe videtur Seguinus, verum Libertas, quam ille, Clodius videlicet, ſpondebat ſeſe præſtiturum ſenatui & populo Romano, ſi ſibi imperium deferrent. Quæ enim hic adpellatur *Libertas Macriana*, in nummo præcedente *Libertas Auguſta* vocatur.

XX.

Hi tres nummi Clodii Macri, utpote genuini, valde rari sunt.

XX.

NERO CAESAR. Caput Neronis laureatum.

PAVLIN*us*. Mars nudus stans, galea tectus, dextra ramusculum, læva hastam tenet.

Nummulus est plumbeus, qui non videtur ad historiam facere.

NVMMI BARBARI.

I.

Caput Dianæ Venatricis cum arcu & pharetra, post caput sunt literæ D'M. ante caput est nota senatusconsulti.

ISVRIENA. Victoria in bigis.

Omnes hi nummi tam barbaros habuerunt monetarios, ut, si V. & VII. excipias, vix habeant quo referri possint; neque mereantur longam disquisitionem.

II.

AEΓΙΓΑΑΤΓ. Caput Romæ cum nota denarii.

ESVLIAI. Figura in quadrigis.

III.

GESVI. Caput Romæ galeatum cum denarii nota.

NEND. . . . Victoria in quadrigis.

IV.

Caput Romæ galeatum cum literis barbaris, quasi ROMA.

Jupiter in quadrigis, dextra fulmen, læva sceptrum & equorum habenas tenet. Subtus NKIIIII.

V.

Caput Apollinis vel Vejovis laureatum, subtus est fulmen.

C. POTNII. adparet legendum esse *Cai* POSTVMII. Canis venaticus currens, sub quo est venabulum.

VI.

Caput Romæ galeatum, cum aratro & denarii nota.

Victoria in trigis, dextra palmam tenens, læva corollam. Subtus est lit. I.

VII.

VXICTA. Lege VICTRIX. V. Caput Veneris.

L. THOIVL. IO'ILVTV. Taurus saliens, desuper est litera P.

Facile adparet partem aversam hujus denarii desumtam fuisse ex denariis Thorii Balbi.

VIII.

Caput Romæ galeatum.

M. TIAAI. . . . . . Quadrigæ valde barbare factæ.

Literas M. TVLLIVS. & Victoriæ quadrigas exprimere in hoc nummo voluit barbarus sculptor.

IX.

Caput Romæ galeatum.

Victoria in bigis, læva palmam, dextra equorum tenet habenas. Gothici artificii esse videtur.

X.

Capita duo juvenilia conjuncta, quorum alterum cum cincinnis & laureatum est, alterum galeatum.

BIATE Θ. Eques nudus, dextra palmam tenens.

Nummus hic argenteus, magnæ molis, quatuor enim drachmas æquat, rudioris est fabricæ. Notitia ejus quum pervenisset ad Harduinum, Græce putavit is inscriptum fuisse, scilicet BIATEΩN. unde credidit pertinere ad Messeniæ urbem, quæ Bias adpellata fuit. Primus publicavit ex suo musæo Jacobus de Wilde, observatione Harduiniana contentus, donec alius accessisset Oedipus, ut videre est in ejusdem Select. Num. Antiq. pag. 91. & 92. Oedipum se professus Begerus Thes. Brand. tom. I. pag. 523. solidis argumentis ostendit, non posse pertinere ad Græcos Latine inscriptum nummum, multo minus ad illam Thessaliæ urbem. Adtulit insuper alium ejusdem ponderis & eodem modo inscriptum nummum, qui unum modo caput ab altera parte habet, utrumque vero ad Hispaniæ urbem retulit Biatiam, quam Ptolemæus in Oretanis Tarraconensium ponit, cujusque incolas Plinius lib. II. cap. 7. *Viatienses* adpellat; nummum vero inscribi BIATE putat, sicuti TEATE vel TEATI alium Magnæ Græciæ nummum. Capita juncta Dioscuros credidit Harduinus, refellit, & recte, Begerus, quid vero in nummo priore significent non addit. Herois alicujus vel regis faciem agnoscit, si nomen adesset, in posteriore, sive altero, qui unum modo caput habet. In utroque vero nummo Begerus equitem habet, ferentem super humeros ramum cum foliis tribus satis amplis, prout aquaticæ alicujus plantæ esse solent. Ac præterea ille nummus, qui juncta habet capita, hoc discrimen a nostro habet, quod ante equum unum cernatur folium reliquis simile; neque nummus ille Begerianus ornatum ejusmodi habet in circuitu, qualem noster ab utraque parte, qui ornatus in secundo Begeriano quoque observatur. Nihil quoque addidit Begerus de ramo cum foliis, quem in rudi numismate rudem quoque valde existimo, sic ut vix certum aliquid effingi potuerit, folia crediderit Begerus, Morellius palmam, Wildius, nescio quid male expressum. Quodque ut folium depinxit Begerus ante equum, id Morellius quasi literam Θ agnovit post inscriptionem BIATE.

Mihi quoque hi nummi, ut Begero, Hispanici esse videntur; & in priore quidem parte agnosco capita Honoris & Virtutis, eo modo juncta & ornata, prout factum cernimus in denariis familiæ Fufiæ. Eques vero cum palma super humeros res est haud ignota nummis Hispanicis, ut videri potest in tab. seq. nummorum Hispanicorum num. VI. X. XI. XIV. XIX. Malo itaque Morellio credere quam Begero, in nummo, quem ipse non vidi. Quod si alter ille nummus apud Begerum Augusti exhibeat caput, sicuti multi Hispanorum nummi valde barbare effícti, credi possent cusi esse a Viatiensibus in gratiam Augusti eo tempore, quo videtur inter reliquas sacras ædes Templum Honoris & Virtutis quoque restituisse. Tertio idem restituit Vespasianus, de cujus restitutione loquitur Plinius lib. XXXV. cap. 10. *In auctoritate fuerunt Cornelius Pinus, & Actius Priscus, qui Honoris & Virtutis ædes Imperatori Vespasiano Augusto restituenti pinxerunt.* Dixit etiam quædam de nummis barbaris his & præsertim de hoc nummo Morellius in Epist. ad Periz. p. 211. „ Pergo ad nummos, „ qui a Barbaris sive authoritate publica, sive a „ falsariis cusi sunt: horum quidam tam misere „ effícti sunt, ut vix litera legi possit: in aliis „ li-

„ literæ retrotrgadæ ſunt, & figuræ tam inconditæ, malaque imitatione expreſſæ, ut vix „ dignoſcantur. Nam barbaræ gentes, Græcorum & Romanorum velut ſimiæ, nummos illorum imitati ſunt, cujus inſigne exemplum „ occurrit inter ſelecta Numiſmata ditiſſimi „ Theſauri Wildiani Tab. XI. Hic nummus „ ab una parte ad imitationem nummi FUFIAE & MUCIAE gentium percuſſus oſtendit capita Honoris & Virtutis, & in averſa „ parte equitem, ſolitum Gothorum in Hiſpania ſymbolum monetale, cum hac inſcriptione: BIATE: quapropter R. P. Harduinus „ hunc nummum ad Peloponneſum retulit, & „ eundem in BIA, Meſſeniæ amni, abluere conatus eſt; ſed rectius peritiſſimus ac doctiſſimus Begerus in BIATIA, Hiſpaniæ urbe, „ cuſum fuiſſe docuit. Quamvis autem omnes „ hi nummi inter Conſulares vix mereantur „ ſculpturam, nihilominus tamen quamplurimi „ in futuro prodibunt opere, ſaltem ut imperitioribus innoteſcant, & quid de iis ſentiendum „ ſit, diſcant.

Eques cum palma equitatus Hiſpanici præſtantiam commendat. Quoniam vero Auguſti temporibus argenteos nummos in Hiſpania cuſos fuiſſe non conſtat, referri quoque poſſunt, ad illa tempora, quibus ibi bellum civile fuit Pompejanis contra Cæſarem.

XI.

Cæſaris Auguſti nummus eſt a triumviro ſenatus monetali Aſinio Gallo cuſus, ſed literis miſere luxatis.

NVMMI HISPANICI.

Hi omnes, quum ſint barbari, neque adhuc conſtet de alphabeto Hiſpanico, quamvis Runicæ multæ, ſive antiquorum Danorum Gothorumque literæ, admixtæ videantur, de iis amplius erit cogitandum. Nunc ad alia properamus.

VRBIS ROMAE NVMISMATA.

TAB. I.

I.

RÒMA. Caput urbis Romæ mammis exſertis, galeam corona muralis ambit.

IVPPITER CVSTOS. Jupiter ſedens, dextra fulmen tenet, læva haſtam.

Nummus hic una cum duobus ſequentibus cuſus fuit temporibus Neronis, in illius enim denariis inſcriptio hæc Jovis Cuſtodis ejuſque imago obſervatur. Signari hos fecit, poſtquam, detectis conjurationibus, viſus eſt a Jove cuſtodiri, atque Romæ, quam ipſe incenderat, inſtaurator & reſtitutor haberi voluit.

II.

ROMA RESTITVTA. Caput Romæ galeatum.

IVPPITER CVSTOS. Jupiter ſedens, ut in præcedente denario.

Reſpicit hic nummus Romam, poſt Neronis incendium, in meliorem ſcilicet ſtatum reſtitutam. Offenſus enim angiportis, quibus vetus urbs deformis erat, ſuperbam magis formam ejus deſiderabat. *Videbaturque Nero condendæ urbis novæ, & cognomento ſuo adpellandæ, gloriam quærere,* ait Tacitus Annal. lib. XV. cap. 40. Quorum Taciti verborum egregii teſtes hi nummi ſunt.

III.

ROMA RESTITVTA. Caput Romæ galeatum.

IVPPITER LIBERATOR. Jovis ſedentis typus, ut ſupra.

Hæc quoque inſcriptio ſub Nerone primum occurrit. Ad illum itaque jure referimus, gratiam Jovi liberatori & cuſtodi ſuo habentem, quod conjuratorum in ſuum caput ſicas evaſiſſet.

IV.

Caput muliebre galea, in morem pilei Phrygii adornata, tectum; unde videtur eſſe Minervæ Iliadis.

ROMA. Canis venaticus latrans, lævum adtollens pedem.

Nummuli hujus generis vetuſtiores ſunt temporibus Cæſarum & artis pulcherrimæ, ut eſt is, quem ipſe ſervo.

Nummulum hunc illuſtravit Begerus tomo I. Theſ. Brand. p. 360. ubi de Minerva Daulia locum adduxit ex Rhodigino, quem, ut melius ex ipſo fonte petamus, dabo auctorem, videlicet Ælianum de Animalib. lib. XI. cap. V. pag. 641. Ἐν γῇ τῇ Δαυλίᾳ νεὼν μὲν εἶναι τῆς Ἀθηνᾶς τῆς Ἰλιάδος ᾄδουσιν· τοὺς δὲ ἐνταυθοῖ κύνας τρεφομένους ὑμνοῦσι τῶν μὲν Ἑλλήνων τοὺς ἀφικνουμένους, σαίνειν· ὑλακτεῖν δὲ τοὺς βαρβάρους. *In Daulia regione celebre eſt Iliadis Minervæ templum. ejus loci canes Græcis adventantibus adulari, barbaros adlatrare prædicant.* Præter Dauliam alia numerantur loca, quæ Minervæ Iliadis cultum ſibi vindicarunt, inter quas ipſa Roma quoque recenſetur. Verba Strabonis exſtant lib. VI. pag. 264. ubi, quum de Minerva Iliaca apud Thurios verba fecit, addit Καὶ γὰρ ἐν Ῥώμῃ, καὶ ἐν Λαουινίῳ, καὶ ἐν Λουκερίᾳ, καὶ ἐν Σιρίτιδι Ἰλιὰς Ἀθηνᾶ καλεῖται, ὡς ἐκεῖθεν κομισθεῖσα. *Nam & Romæ, & Lavinii, & Luceriæ, & Siritide Minerva habetur Ilias, quaſi ab Ilio adlata.* Colebatur vero ab iiſdem, ut a Trojanis ſeſe ortos probarent, uti teſtatur de Thuriis ibidem: Τῆς δὲ τῶν Τρώων κατοικίας τεκμήριον ποιοῦνται τὸ τῆς Ἀθηνᾶς τῆς Ἰλιάδος ξόανον, ἱδρυμένον αὐτόθι. *Trojanæ porro coloniæ indicium ponunt Minervæ Iliadis ſimulacrum ibi dedicatum.* Magna itaque fuit ratio, cur Iliadem Minervam coluerint Romani, apud quos facta Trojæ eſſe ferebantur, quique ex Daulio ritu canes quoque deæ ejus templi cuſtodes, habere potuerunt.

V.

Caput Romæ galeatum.

ROMA. In nummi area.

Videtur ad Conſtantini Magni tempora pertinere, novamque ejus imperatoris Romam.

VI.

Caput Martis barbatum & galeatum, poſt illud eſt numerus XV.

ROMA. Aquila fulmini inſiſtens.

Credo hunc nummulum cuſum fuiſſe ſub Domitiano, & numerum XV. reſpicere poſſe ad Capitolii reſtitutionem, quæ ſub Veſpaſiano facta fuit, illud enim ſuadere videtur aquila fulmini inſiſtens. Cuſus itaque nummulus videtur quindecim annis a reſtituto Capitolio. Magna autem vis minutorum ex ære nummorum cuſa fuit ſub Domitiano,

nô, cum capitibus Minervæ, Cereris, Apollinis &c.

VII.

INVICTA ROMA FELIX SENATVS. Bustum Romæ, capite galeato.

REPARATIO MVNERIS FELICITER. Venator ursum conficiens. Subtus palma & discus est sive patera.

Nummus hic ex genere Contorniatorum est, ut docent oræ ejusdem incisæ, atque inscriptio, quæ ad munera amphitheatralia spectat. Multi vero hujus generis nummi temporibus imperatorum Christianorum cusi fuerunt. In genere Contorniati vocabantur, de quibus peculiarem libellum scripsimus; verum hi eo tempore nondum ad oculos nostros pervenerant.

VIII.

INVICTA ROMA FELIX SENATVS. Idem Romæ bustum.

REPARATIO MVNERIS FELICITER. Gladiator multarum palmarum, rudem, quo donatus erat, extollit, jacente sub illo uno ex illis, quorum cæde victoriam sibi pepererat.

Et hic nummus contorniatus est, atque ad eadem ludicra Christianorum principum & Constantinopolitanæ plebis, sæva certe & immania, spectat.

IX.

AETERNA VRBS ROMA. Caput novæ Romæ galeatum.

Senatus Consulto. Jupiter, sedens in templo sex columnarum, dextra globum tenet, læva hastam.

Artificium nummi illum ad Constantini Magni tempora revocat. Notus est ejusdem insanus erga Constantinopolin, ceu filiam suam, adfectus. Æternitatem itaque illi, ut veteri olim Romæ Quirites, spondebat. Quod beneficium Jupiter, rex orbis terrarum & imperator (uti in nummo exprimitur) daturus videbatur.

At vero constat, nulla in nova urbe sua deorum gentilium templa condidisse Constantinum Magnum. Illud enim testantur auctor Vitæ Constantini lib. III. cap. 47. & Augustinus lib. V. de Civitate Dei, cap. 25. Nihilominus Jovis regis & imperatoris in hoc nummo templum observatur. Non dicam Byzantii, veteri olim urbe, exstitisse tamen deorum templa; sed quot numinum effigies in Constantini Magni nummis observantur? Rationem hujus rei existimo fuisse, quod qui monetæ curam gererent gentiles fuerint. Hi enim istis temporibus ad primas dignitates, æque ut Christiani, evehebantur. Quanta vero illorum licentia fuerit, ex unius Libanii in loquendo libertate, præsertim in Oratione de Templis Gentilium non exscindendis, patet, quæ legitur edita a Jacobo Gothofredo, inter ejusdem Opera p. 471. egregium sane illius temporis monumentum. Illi itaque monetæ præfecti Jovem illum, veteris Romani imperii statorem & largitorem, ut credebant, similiter in nummo hoc expresserunt, tutelam æternitatis Constantinopoleos illi commendantes. Ad quæ omnia, ut & plura alia, connivisse Constantinum Magnum certissimum est.

X.

VRBS ROMA. Caput sive bustum Constantinopoleos, sive novæ Romæ, galeatum, atque eo habitu quo passim in nummis exprimi solet.

VIRTVS AVG*usti.* Imperator Constantinus Magnus stat inter duos captivos, humi sedentes, manibus post tergum revinctis. Ipse armatus, atque insuper paludatus & laureatus est, dextra hastam transversam tenens, læva globum.

Insignis hic maximi moduli nummus virtutem, victorias, & potentiam celebrat Constantini Magni, ut qui, sublatis imperii æmulis, atque debellatis barbaris, magna cum gloria victoriis suis frueretur in urbe sui nominis.

XI.

URBS ROMA. Novæ Romæ bustum, capite galeato.

Sine epigraphe. Lupa Romulum & Remum lactans, desuper duo astra sunt.

Frequens admodum hic typus est in minuto nummorum genere. Sed omnes maximi moduli nummi inferioris ævi, exceptis imperatoris Justiniani, rari sunt.

XII.

VRBS ROMA. Romæ caput galeatum.

Sine epigraphe. Antrum, sive specus, in cujus ora lupa cernitur cum gemellis. Duo pastores, læva pedem tenentes singuli, inter se colloquuntur. Desuper duo sunt astra.

Lupæ similis typus in antiquioribus imperatorum Romanorum nummis observatur. Sed quod pro uno pastore Faustulo duo exprimantur, respectu duplicis Romæ fit, veteris & novæ, qui geminus numerus indigitatur quoque per duo astra, cujus alterum velut lumen erat Orientis, alterum Occidentis.

XIII.

INVICTA ROMA. Caput Romæ galeatum.

Sine epigraphe. Lupa cum gemellis. Desuper numerus XL. cernitur, infra maxilla inter duo puncta. Signa, ut puto, sunt monetariorum.

Hi nummi videntur esse cusi eo tempore, quo Gothi Italiam possidebant; talis enim vestitus Romæ observatur in nummulis illis, qui ab altera parte regum Gothorum nomina inscripta habent.

XIV.

INVICTA ROMA. Caput idem Romæ galeatum.

Sine epigraphe. Aquila respiciens & alas pandens, subtus litera A. est, & ad latus numerus XL.

Litera A. posset annum significare regni Gothici in Italia, qui in hoc & præcedente nummo quadragesimus inscribitur, in sequenti vigesimus, nisi in aliis meis litera Γ. in aliis E. observaretur, ut ad matrices sit referenda.

XV.

INVICTA ROMA. Simile Romæ caput.

Sine epigraphe. Ficus ruminalis inter duas aquilas. Infra numerus XX. cernitur.

Per duas aquilas videtur intelligi imperium vetus Romanorum & novum Gothorum, cujus eo tempore labebatur annus vigesimus.

XVI.

PROVIDENTIA. Caput Constantini Magni

gni diademate revinctum, quod in fronte lunæ crescentis habet figuram.

ROMA. Vacca vitulum lactans; desuper est scorpio.

Et Constantini Magni, & filiolæ ipsius, novæ Romæ, hoc nummo laus continetur; laudatur providentia principis, qui locum urbi condendæ elegerit talem, ut urbs, quæ ibi sita esset, Orienti simul & Occidenti imperare posset; laudatur quoque ubertas novæ urbis per lactantem vitulum vaccam expressa. Scorpio forsitan respicit ad situm urbis. Ita Syracusæ, quod sub solis planeta sitæ sint, solis astrum in nummis habere solent.

TAB. II.

I.

Caput Veneris cum quatuor globulis, trientis notis.

ROMA. Hercules centaurum clava domans, cum quatuor itidem globulis.

Antiquus valde veteris Romæ hic nummus est, quod ex magnitudine ejusdem & pondere cognoscitur.

II.

Caput Jani bifrontis, laureatum & barbatum, cum assis nota.

ROMA. Prora navis cum assis nota.

Multi tales asses inveniuntur, qui nullum familiæ nomen inscriptum habent; suntque sextantes, unciales &c.

III.

Caput Jani bifrontis laureatum sine barba, & sine assis nota.

ROMA. Prora navis.

Notandus hic nummus est, quoniam Jani utraque facies ad similitudinem faciei Cnei Pompei Magni facta est, quod fatebitur qui ipsum nummum (si melioris sit artificii, habeo enim duos nequaquam similis artis) inspexerit. De hoc nummo jam egimus ad Pompeji nummos, supra pag. 334. & 335.

IV.

Caput Junonis Sospitæ, quod docet pellis caprina & ungulæ caprinæ ad guttur nexus. Post tres sunt globuli, ponderis indices.

ROMA. Taurus saliens, desuper tres sunt globuli, cum spica. Infra serpens cernitur.

Taurus & spica fertilis agri & pascui sunt symbola. Serpens alius esse non potest, quam Lanuvinus ille, qui in hoc quadrante ratione Junonis Sospitæ, sive Lanuvinæ, cujus caput in anteriore nummi parte est, signatur. Habeo diversæ magnitudinis & ponderis varii.

V.

Caput Mercurii cum petaso.

ROMA. Prora navis, in ipsa puppe, præter duos navigantes, clava Herculis cernitur. Adsunt duo globuli, ponderis indicium.

Solebant Romani in minore moneta deos signare quosvis. Clava itaque respicit Herculis cultum, cujus cum centauro pugna num. I. depingitur.

VI.

Caput Mercurii cum petaso.

ROMA. Prora navis, cum duobus navigantibus, sine clava Herculis.

Stips est, qui passim per unum globulum significari solet, ut infra num. X.

VII.

Caput Minervæ galeatum, cum quatuor globulis, trientis nota.

ROMA. Navis cum eadem trientis nota.

VIII.

Caput idem Minervæ, & similis trientis nota.

ROMA. Typus idem, sed cum supervolitante Victoria; cujus notitia certa esse nequit propter defectum nominis proprii familiæ Romanæ.

IX.

Caput idem Minervæ cum iisdem notis.

ROMA. Prora navis cum iisdem notis.

Imminuto monetæ pondere hic triens cusus est, qui præcedentibus duplo minor est leviorque.

X.

Caput Romæ galeatum cum stipis nota.

ROMA. Typus similis num. V. sed cum stipis nota.

Variæ magnitudinis & ponderis stipes hujus generis sunt, quales plures servo.

XI. XII.

Caput Jovis Capitolini laureatum, cum nota semissis.

ROMA. Navis cum semissis nota.

Varii inveniuntur ponderis semisses, pro ratione imminutæ monetæ.

XIII.

Caput Apollinis laureatum, cum semissis addita nota.

ROMA. Prora navis, cum nota semissis.

In ærea moneta minore Apollo quoque nonnunquam signabatur.

XIV.

Caput Apollinis laureatum. Post illud litera S. est.

ROMA. Jupiter in citis quadrigis, dextra tenens equorum habenas, læva lituum militarem.

Hic nummus videtur subæratus fuisse, & detrito argento æreus factus. Litera S. ad alphabetum monetariorum pertinet.

TAB. III.

I.

Caput Herculis inberbe in rictu leonis. Post sunt tres globulii, quadrantis nota.

ROMA. Prora navis cum Herculis clava,

&

& duobus ſubtus globulis; ad latus inſuper Romæ eſt monogramma.

II.

Similis præcedenti, ſed ſine clava, & ſine Romæ monogrammate.

III.

ROMA. Aquila, ante cujus roſtrum ſtella cernitur; poſt aquilam duo globi ſive terrarum orbes ſunt.

Lupa Romulum & Remum lactans, ſubtus ſimiliter duo globi ſunt.

Hunc nummum Conſtantinopoli reor cuſum fuiſſe, & globos hosce non ad notam aliquam ponderis eſſe referendos, ſed ad orbem orientem & occiduum, qui ſub Conſtantino Magno Romanæ parebat aquilæ atque Romuli poſteritati. Stellam ante aquilæ roſtrum, de claritate ejusdem imperii explico, & ſimul typum Romæ novæ, ut ſtellæ præ cæteris lucentis, agnoſco. Longius aliquanto abeſt a roſtro in nummo meo, hic enim roſtro quaſi impetere ſtellam videtur.

IV.

Caput Solis adverſum & radiatum cum humeris.

ROMA. Luna creſcens, globum terrarum cum duobus aſtris cornubus ſuis complectitur.

Hic nummus ejusdem artificii eſt, cujus eſt præcedens, ibidem & eodem tempore cuſus. Exhibet magnitudinem imperii Romani ſub Conſtantino Magno; ubicunque videlicet ſol cum luna & ſtellis orirentur, ibi orbem Romanum ab iſtis luminibus illuſtrari.

V.

Caput Apollinis laureatum.

ROMA. Equus ſaliens.

Ex antiquioribus urbis Romæ monetis eſt.

VI.

Caput deæ Feroniæ corona turrita cinctum.

ROMA. Deſultor in equo.

Et hic nummulus ad veteres Romanos pertinet. Deæ autem Feroniæ inſignis cultus in Italia vetere fuit.

VII.

Caput Romæ galeatum, niſi malis Minervæ.

ROMA. Caput equi frenatum, poſt illud falx meſſoria eſt.

Et hic quoque ad veteris Romæ monetam ſpectat.



NUMMI

THESAURUS
MORELLIANUS,

SIVE

FAMILIÆ ROMANÆ,

Quarum nummi ſunt incertæ fidei, ut qui nondum hactenus, niſi apud Goltzium, aliosve, inveniuntur.

PARS POSTERIOR.

NUMMI CONSULARES

INCERTAE FIDEI,

ab

HUBERTO GOLTZIO

aliisque Antiquariis prolati.

ANDREÆ MORELLII

In Epiſtola ad Jac. Perizonium teſtimonium de nummis Goltzianis.

Nummi Conſulares Goltzii ordine alphabetico ad finem Operis adjecti ſunt; ſicut libri Apocryphi Canonicis, quia dubiæ ſunt fidei, & major pars haud incertas notas falſitatis præ ſe fert; licet multo labore illorum explicationes tentaverint Viri Illuſtres, Erizzo, Pighius aliique, quorum lucubrationes addere placebit; etiamſi ingenii luſus ſint, in iis tamen multa diſcenda rem nummariam perſcrutantibus ſe objiciunt.

Literæ C. P. quibusdam nummorum typis, una cum aſteriſco, ſubnotatæ, deſignant, nummos iſtos non exſtare apud Goltzium, ſed excerptos (ut videtur) eſſe ex ſchedis Caroli Patini, vel a quodam Cauvino Patavino eſſe fabricatos.

Aſteriſci nota, ſub quibusdam nummis, docet eosdem non in Faſtis Goltzii, ſed in ejusdem Cæſare vel Auguſto exſtare.

Numerus ſubſcriptus indicat, qua pagina illi nummi in Faſtis Goltzii &c. inveniantur.

Notæ γ. δ. ε. ζ. magnitudinem nummi indicant, γ. quidem deſignat denarium, vel etiam nummum æreum minime moduli, δ. nummum paullo majorem, ε. æreum ſecundi moduli, ζ. æreum primi moduli.



NUMMI CONSULARES
INCERTAE FIDEI,
ab
HUBERTO GOLTZIO
aliisque Antiquariis prolati.

TABULA I.

ACILIA.

I.


Caput Romæ galeatum, ante quod est vox GLABRIO, & pone illud ROMA. In aversa parte est vir togatus in quadrigis, dextra tenens equorum habenas, sinistra scipionem eburneum, in cujus apice aquila est. Victoria per aëra volitans ipsi coronam porrigit; in imo MAN*ius* ACILIVS.

Edidit hunc nummum Hubertus Goltzius ad A. V. C. DLXIII. quo Glabrio proconsule de Ætolis & rege Syriæ Antiocho triumphavit. Verba Sebastiani Ericii hunc nummum illustrare conantis, hæc sunt: ex Dissertationibus ejusdem Italico sermone conscriptis pag. *66*. „ Cusa „ fuit hæc moneta Romæ, A. V. C. DLXIII. „ quo tempore Manius Acilius ex senatusconsul- „ to de rege Antiocho & Ætolis triumphavit. „ Scribit enim Livius, defecisse a populi Roma- „ ni amicitia Ætolos, atque regi Antiocho sese „ adjunxisse, regemque, translato in Græciam „ bello, multas ibi civitates occupasse. Mis- „ sus itaque est Manius Acilius, qui, victo „ ad Thermopylas rege Antiocho, & Græcia „ expulso, pariter Ætolos devicit. Triumphum „ inde meruit, cujus expressam cernimus memo- „ riam in hoc denario, qui ab aversa parte trium- „ phalem proconsulis currum habet, atque insi- „ stentem illi Manium Acilium. Victoria advo- „ lans coronat illum, utpote victorem regis Antio- „ chi atque Ætolorum debellatorum. " Exstant hæc apud Livium lib. XXXVII. cap. 46. *Dum hæc in Asia geruntur, duo fere sub idem tempus cum triumphi spe proconsules de provinciis Romam redierunt; Q. Minucius ex Liguribus, Manius Acilius ex Ætolia. Auditis utriusque rebus gestis, Minucio negatus triumphus, Acilio magno consensu decretus: isque triumphans de rege Antiocho & Ætolis urbem est invectus. Prælata sunt in triumpho signa militaria ducenta triginta, & argenti infecti tria millia pondo: cistophororum ducenta quadraginta octo: vasa argentea cælata multa, magnique ponderis. Tulit & supellectilem regiam argenteam, ac vestem magnificam: coronas aureas, dona sociarum civitatum, quadraginta quinque: spolia omnis generis: captivos nobiles, Ætolos, & regios duces sex & triginta duxit. Damocritus, Ætolorum dux, paucos ante dies quum e car-*

cere nocte effugisset, in ripa Tiberis consecutis custodibus, priusquam comprehenderetur, gladio se transfixit. Milites tantum, qui sequerentur currum, defuerunt: alioqui magnificus & spectaculo, & fama rerum triumphus fuit. Eadem fere habet Pighius ad dictum annum, & Vaillantius tom. I. pag. 7. sed nummum a filio Acilio Glabrione cusum fuisse existimat, qui, Postumio Consule in magistratu mortuo A. V. C. DLXXXXIX. in ejus locum suffectus fuit.

II.

Caput muliebre laureatum Pietatis vel Salutis; in postica tripus est, supra quem vas diotum; hinc & inde stella, cum epigraphe MAN*ius* ACIL*ius* MAN*ii* *Filius* *Cai* *Nepos* GLABRIO.

Edidit hunc nummum Goltzius ad annum, quo consul in Postumii locum suffectus fuit Glabrio, videlicet A. V. C. DLXXXXIX. Hæc vero ad ejusdem illustrationem profert Vaillant. pag. 8. „ Manius Glabrio se Manii, qui scilicet de „ Antiocho triumphavit, filium in superiore de„ nario inscripsit, in hoc se Caji, qui ex Livio „ Tribunus plebis, anno 555/6 fuit, nepotem „ adpellat. Is vero Tribunus plebis laudatur, „ anno 592/3 fuit imo & Consul suffectus ex Fa„ stis Capitolinis 599/600 Postumio Consule in Ma„ gistratu mortuo.

„ Salutis caput est, ut in sequente denario „ plane videbimus, quæ ad indicandam nominis „ originem Acilii ab ἀκέομαι, quod est sano, ab „ Acilio signatur. Salutis, & ejus ædis in „ Quirinali, meminerunt Livius lib. IX. & P. Vi„ ctor in regione VI. Æsculapii filia credebatur, „ cujus mentionem facit Marcianus lib. II. Nu„ ptiarum, harum altera ab Aristophane Ὑγίεια, „ altera Ἰασώ, appellatur in Pluto.

„ Tripus, in aversa, ad sacra deæ spectat, il„ lud autem instrumentum pedibus constabat tri„ bus, supra quod sacra fiebant; ex vase autem „ dioto supra tripodem posito effundebat liquo„ rem qui sacra agebat. An vero stellæ, duas soro„ res Hygieam, & Jasum Æsculapii filias desi„ gnent, juxta Hippocratem, qui duas tantum in „ juramento commemorat? an ad Æsculapium „ patrem, & Coronidem, tamquam Sanitatis nu„ mina spectent? "

Non addit Vaillantius, in quo magistratu filii crediderit cusum fuisse aureum hunc denarium, licet notet in iis, quæ subjungit, aureo nummo uti cepisse Romanos M. Livio Salinatore consule A. V. C. DXLVI. postquam LXII. annos ante argenteo nummo uti cœpissent; valuisse autem, juxta Dionem, nummum aureum XXV. argenteos. Crediderim ego cusum fuisse in triumviratu ejusdem monetali, in quo non tantum patris triumphum celebravit, sed & alia quædam, quæ ad patris honores & decus spectabant. Illa sunt ædes Pietatis & cura sacrorum, sive decemviratus sacrorum. Meminit ædis Pietatis, & votæ a Manio Aquilio Glabrione patre, & dedicatæ a filio, Valer. Maxim. lib. II. cap. 5. *Statuam auratam nec in urbe, nec in ulla parte Italiæ quisquam prius adspexit, quam a M. Acilio Glabrione equestris patri poneretur in æde Pietatis. Eam autem ædem P. Cornelio Lentulo, & M. Bæbio Tamphilo Coss. ipse dedicaverat, compos voti factus, rege Antiocho apud Thermopylas superato.* Hausit illa ex Livio, qui locum addit, videlicet in Foro Olitorio, lib. XL. cap. 34. ad A. V. C. DLXXII. *Altera in foro olitorio Pietatis. Eam ædem dedicavit Manius Acilius Glabrio duumvir: statuamque auratam, quæ prima omnium in Italia statua aurata est, patri Glabrioni posuit. Is erat, qui ipse eam ædem voverat, quo die cum rege Antiocho ad Thermopylas depugnasset: locaveratque idem ex senatusconsulto.* Quamvis enim Vaillantius explicet de dea Salute caput illud muliebre, propter notum Aciliæ gentis denarium, in quo Valetudo dea & Salutis caput, adscripto nomine, exprimuntur; caput tamen hoc æque Pietatis esse potest quam Salutis. Simillima enim Pietatis pictura (quoad ornatum capitis) est in familia Antonia, ubi deæ ejusdem nomen adscribitur. Glabrionis patris, ut decemviri sacrorum, meminit Livius lib. XXXI. cap. 50. *M. Aurelius Cotta, decemvir sacrorum, mortuus. In ejus locum Manius Acilius Glabrio suffectus.* Ad hunc vero honorem spectat tripus in parte aversa cum ornatu suo, non vero ad sacra deæ Salutis, aliaque, quæ sibi fingit Vaillantius.

Sed quum, teste Livio, duumvir dedicaverit ædem, & statuam patris equestrem Glabrio filius, adparet inde, nondum stetisse Ædem Pietatis, quum aureus hic nummus ab Acilio Glabrione, triumviro monetali, signaretur. Attamen vota non modo erat a patre, sed & ex senatusconsulto locata, ut ex Livii verbis vidimus. Signavit itaque filius caput deæ, cujus ædes a patre vota & locata erat, licet nondum perfecta, ut dedicari posset. Unde discimus, cusum fuisse nummum decennio illo, quod fuit inter A. V. C. DLXII. & DLXXII. medio fere, ut arbitror, tempore.

III.

IVNIVS SALVIVS IIIVIR*i*. Incudis figura inter malleum & forcipem.

FLAVVS ACILIVS *Auro Argento Aeri Flando Feriundo.* In area nummi est senatusconsulti nota.

Hunc & sequentem nummum vulgavit Goltzius in Augusto p. *66*.

IV.

FLAVVS ACILIVS IIIVIR*i*. Incus.

SALVIVS IVNIVS *Auro Argento Aeri Flando Feriundo.* Senatusconsulti nota in area nummi.

Quum quatuor hic occurrant nomina, triumviri vero senatus, qui parvam hanc monetam æream sub Augusto signarunt, tres modo singulis annis fuerint, unum ex quatuor hisce nominibus cognomen alicujus triumviri fuisse videtur. Flavus itaque, ut puto, dictus fuit non Acilius sed Junius; quum enim Junii in plura cognomina essent dispersi, non item in tot Acilii & Salvii, Junius cognomen Flavi adscripsit. A. IVNIO A. LIBERTO FLAVO. inscriptio posita legitur apud Gruterum pag. DCCCCLXXXI. num. 7.

Incertum foret, nisi sequens id doceret nummus, utrum Acilius, qui hunc nummum signavit, fuerit ex Glabrionibus, proavus consulis Glabrionis, qui sub Domitiano fuit; an pater Aviolæ, Tiberii in Galliis legati, qui rogo, tanquam mortuus, impositus, revixit, & vivus flammis absumtus est, Plinio teste lib. VII. cap. 52. & Valerio Maximo lib. I. cap. 8. Salvius Othonis, imperatoris, avus exstitit.

V.

CAESAR AVGVSTVS TRIBVNIC*ia* POTEST*ate*. Caput Augusti laureatum.

MAN*ius* ACILIVS GLABRIO IIIVIR *Auro Argento Aeri Flando Feriundo.* In area nummi est nota senatusconsulti.

Num-

Nummus hic, quem vulgavit Goltzius in Augusto p. 65. certiores nos reddit de Acilio, cujus nomen simpliciter modo in nummulo praecedenti scribebatur; quod videlicet fuerit dictus Manius Acilius Glabrio. Hic Glabrio, IIIvir monetalis, videtur fuisse filius Manii Acilii Glabrionis, cujus nummum cum titulo proconsulis produxit Morellius lit. A. in familia Acilia, de quo nummo vide quae diximus pag. 4. Nepos videtur fuisse Manii Acilii Glabrionis consulis A. V. C. DCLXXXVI. coram quo praetore olim Verrem accusaverat Cicero, Verrinar. I. 2. Ipse vero avus vel proavus videtur fuisse notissimi illius Glabrionis consulis sub Domitiano.

Publicaverat hunc nummum Goltzius in Augusto pag. 13. & 66.

A L L I A.

VI.

Caput Apollinis vel Jovis Anxuris laureatum sine barba, cum epigraphe AED*ilis* CVR*ulis* EX S C. In postica Aquila insistit fulmini. Adscribitur SEX*tus* ALLIVS Q*uinti* F*ilius* CATVS.

Goltzius in Fastis suis p. 117. hunc nummum exhibet ad A. V. C. DLV. sive consulatum hujus Sexti Ælii Cati cum T. Quinctio Flaminino, cusum vero ab Ælio Cato eodem aedili curuli arbitratur Vaillantius, ita scribens pag. 15.

„ Ad Sextum Ælium, superioris P. Ælii Paeti; cujus nummum sumus interpretati, fratrem; hic pertinet, ut diximus; hic cognominatus autem est Catus, quasi cautus, quod ob ingenii acumen, atque insignem jurisprudentiam, ipsum obtinuisse refert Cicero Tusc. Quaest. lib. I. laudans hunc versum Ennii poetae.

„ *Egregie cordatus homo Catus Ælius Sextus.*

„ Nummi epigraphe nummum indicat ab Ælio Cato percussum, quando is fuit aedilis curulis cum M. Claudio Marcello anno V. C. 553. Marcelli illius quinquies consulis, ab Annibale occisi, filio. "

An tanta antiquitas aureo huic nummo sit adsignanda, valde dubito, praesertim quum belli Punici secundi tempore tanta aerarii fuerit paupertas, ut aurum cusum fuisse vix putem. Fuit Augusti temporibus quoque Sextus Ælius Catus, consul A. V. C. DCCLVI. vel DCCLVII. cum C. Sentio Saturnino, anno, quo adoptatus ab Augusto fuit Tiberius. Idem videtur is Ælius Catus esse, cujus meminit Strabo, lib. VII. scribens illum suis temporibus ex trans-Istrana regione quinquaginta Getarum millia in Thraciam habitatum traduxisse. Nam & is Quinti filius fuit.

Inscribitur in nummo aedilis curulis; unde, si pro genuino hunc habeamus, statuere oportet ex senatusconsulto triumviros monetales imperatoris Augusti signasse aurum in usum aedilium curulium, inscripto eorum nomine, quo scilicet illi, jussu Augusti & decreto senatus, uterentur ad sacras aedes reficiendas & exornandas, quarum inprimis curam habuit Augustus. Ædes illae, juxta hunc nummum, fuerunt Jovis & Apollinis, non enim cum Vaillantio Jovis Axuris caput esse crediderim.

A E L I A.

VII.

Caput Neptuni laureatum pone quod tridens; in postica Neptunus ipse est in quadrigis quatuor equorum marinorum. Subtus legitur Q*uintus* TVBERO.

Publicavit hunc denarium Goltzius ad A. V. C. DCCXLII. quo consul fuit hic Tubero cum Fabio Maximo, in Fastis suis pag. 215. Censet quoque in consulatu ejusdem cusum fuisse Vaillantius, cujus tamen conjectura graves secum fert difficultates. Verba Vaillantii pag. 16. haec sunt: „ Quintus ille Tubero apud Dionem Quinti F. „ indigitatur in ejus consulatu sub Augusto 743. „ cujus pater fuit Quintus ille Tubero Lucii F. „ jurisconsultus, qui Q. Ligarium accusavit apud Caesarem, defendente illum Cicerone: At „ denarius ille videtur esse percussus, dum consulatum gessit Tubero, nam quum apud Frontinum de Aquaeductibus, sub ejus consulatu senatusconsultum fuisset factum de aquarum tutela, & primus fuisset aquarum curator creatus, „ Tubero huic edicto promulgato alludens, Augustum tamquam alterum Neptunum, qui aquis „ imperaret, in nummo repraesentari curavit. "

Sub Augusto potestas signandi argenti ad principem pertinuit, quid igitur consuli cum illo monetae genere? aquaeductus per Neptuni currum minus concinne, & contra veterum Romanorum prudentiam, exprimuntur. Maris deus est Neptunus, salsarum aquarum regnator; at aquaeductus ad urbem aquam dulcem & potabilem advehebant. Itaque Neptuno nihil cum aquaeductibus. Tolerabilior fuisset Vaillantii conjectura, si scripsisset cusum fuisse hunc nummum a Q. Tuberone ante consulatum, ut triumviro monetali Caesaris, in honorem Agrippae, tanquam novi Neptuni, & in Actiacae pugnae memoriam.

Verum ego puto hunc denarium posse referri ad tempora belli Macedonici cum rege Perseo, & ad adparatum navalem, quo contra illum Macedoniae regem usi sunt Romani. Classis enim sub Octavio, quae regem in Samothracia degentem, ad deditionem compulit, meminit Livius lib. XLV. cap. 5. *Dum haec aguntur classis Cnei Octavii Samothracam est adpulsa.* Classis ejusdem & triumphi praetoris Cn. Octavii mentionem facit Vellejus Paterculus lib. I. cap. 9. *Ad eum Cn. Octavius praetor, qui classi praeerat, pervenit; & ratione magis quam vi persuasit, ut se Romanorum fidei committeret. Ita Paullus maximum nobilissimumque regem in triumpho duxit. Quo anno & Octavii praetoris, navalis, & Anicii, regem Illyriorum Gentium ante currum agentis, triumphi fuere celebres.* Illi autem expeditioni adfuit Q. Ælius Tubero, L. Æmilii Paulli, qui bellum illud administrabat, gener, illique captivi regis cura a socero commissa fuit, teste Livio lib. XLV. cap. 8. *Concilio dimisso, tuendi cura regis Q. Ælio mandatur.* Hic, ut opinor, tum quaestoris munere functus, denarium hunc signavit.

Ericius ad nummi hujus explicationem sequentia haec profert pag. 256. „ Cusus fuit Romae „ hic nummus A. V. C. DCCXLVII. consulibus Q. Ælio Tuberone & Paullo Fabio Maximo. Quod vero Neptuni caput & currus in hoc „ nummo depingatur, ortum videtur ex peculiari studio & religione consulis erga illud numen. Observatur pariter in argento nummus

„ collegæ ejusdem in consulatu, Paulli Fabii „ Maximi, qui ab altera parte caput solis coronatum exhibet, ab altera lunam crescentem „ cum quinque stellis desuper, & inscriptione „ EX S.C. PAVLLVS FABI. MAXIM. quem „ nummum eodem quoque anno cusum fuisse „ existimo. Magna vero illa duo, quæ orbem „ illustrant, lumina, Sol & Luna cum stellis, in il„ lo nummo exhibentur, quod, ut puto, vene„ ratione peculiari eadem Paullus prosequere„ tur. "

VIII.

Capita Augusti & Julii sociata, ambo sunt laureata. *Lucius* LAMIA *Lucii Filius*. In parte aversa sella est curulis, in vertice duo astra, a dextra capis seu vas ansatum, a sinistra, lituus, in imo *Caius* CANINIVS *Lucii Filius* GALLVS.

Lucius Ælius Lamia, amicus Ciceronis singularis, unde eques adhuc, potentia Ciceronis inimicorum in exsilium missus fuit, reversus postea præturam obtinuit. Unde prætorius ille Lamia videtur esse, cujus vocem, ut viventis adhuc, in rogo auditam fuisse scribunt Valer. Maximus lib. I. cap. 8. & Plinius lib. I. cap. 52. Videtur is, cujus præturam ex conjectura refert Pighius ad A. V. C. DCCXI. reliquisse filium consulem una cum M. Servilio, A. V. C. DCCLV. Consularis iste videtur duos habuisse filios L. & Q. Ælios Lamias; ex quibus natu major Lucius fuit, non Quintus, ut credidit Vaill. patris enim nomen filii natu majores gerebant. Unus ex hisce fratribus avus vel proavus exstitit L. Ælii Lamiæ, nobilissimi viri, quem, post ereptam uxorem Domitiam Longinam, ob veteres sed innoxios jocos occidi jussit Domitianus. Lucium Lamiam, cujus cum Caninio Gallo nomen huic nummo inscribitur, credidit Vaillantius triumvirum fuisse sacris conquirendis & donis persequendis, atque in ista dignitate signasse hunc denarium, & quidem eo anno, quo sella curulis in sacrario Julii Cæsaris posita fuit, atque Cæsar ex Ægyptiaca præda, juxta Dionem lib. LI. Julii patris sacrarium multis suspensis donis exornavit. Aversam itaque nummi partem sic explicat: " Vas & lituus ad „ pontificatum Julii maximum spectant. Astrum „ Julii est in vertice, divinitatem denotans, & al„ terum est Veneris, in cujus templo erat illud „ sacrarium. In utriusque honorem, nempe Julii „ & Augusti sociata illorum capita cudi curavit „ Ælius Lamia. " Hæc Vaillantius; verum ego, ut credam ab ejusmodi triumviris monetam signatam fuisse, nunquam adducar, neque illo honore, sed triumviratus monetalis eo tempore functos fuisse existimo. Dio Cassius hæc contigisse scribit A. V. C. DCCXXIV. Cæsare IV. consule. Ita enim scribit lib. LI. pag. 459. Ἐπεὶ δὲ ταῦτα διετέλεσε, τό τε Ἀθήναιον καὶ τὸ Χαλκιδικὸν ὠνομασμένον, καὶ τὸ βουλευτήριον τὸ Ἰουλίειον τὸ ἐπὶ τῇ τοῦ πατρὸς αὐτοῦ τιμῇ γενόμενον, καθιέρωσεν. ἐνέστησε δὲ ἐς αὐτὸ τὸ ἄγαλμα τὸ τῆς Νίκης καὶ τὸ νῦν ὄν· δηλῶν, ὡς ἔοικεν, ὅτι παρ᾽ αὐτῆς τὴν ἀρχὴν ἐκτήσατο· ἦν δὲ δὴ τῶν Ταραντίνων, καὶ ἐκεῖθεν ἐς τὴν Ῥώμην κομισθὲν, ἔν τε τῷ συνεδρίῳ ἱδρύθη, καὶ Αἰγυπτίοις λαφύροις ἐκοσμήθη. καὶ τοῦτο καὶ τὰ τοῦ Ἰουλίου ἡρῴου ὁσιωθέντι τό τε ὑπῆρξε· συχνὰ γὰρ καὶ ἐς ἐκεῖνο ἀνετέθη, καὶ ἕτερα τῷ τε Διῒ τῷ Καπιτωλίνῳ καὶ τῇ Ἥρᾳ τῇ τε Ἀθηνᾷ ἱερώθη· πάντων τῶν πρότερον ἐνταῦθα ἀνακεῖσθαι δοκούντων, ἢ καὶ ἔτι κειμένων, ἐκ δόγματος τότε καθαιρεθέντων, ὡς καὶ μεμιασμένων. *Deinde Minervæ templum, & quod Chalcidicum vocatur, tum curiam Juliam, in honorem patris sui factam, dedicavit, in eaque imaginem Victoriæ posuit, quæ hodie quoque exstat, Tarento olim Romam advecta, ac a Cæsare tum in curia posita, & spoliis Ægyptiis decorata: quo Cæsar nimirum ostendebat, imperium se ex victoria esse adeptum. Julii quoque patris sacrarium multis in eo suspensis donariis ex præda Ægyptiaca exornavit, multa etiam Jovi Capitolino Junonique & Minervæ consecravit, quum ex S. C. omnia in eorum templis suspensa ornamenta, tanquam contaminata, essent detracta.* Addit pag. sequente; ludos fuisse editos ista occasione magnificentissimos; in quibus rhinoceros & hippopotamus fuerint exhibiti &c. Ἐν δὲ οὖν τῇ τοῦ ἡρῴου ὁσιώσει, ἀγῶνές τε παντοδαποὶ ἐγένοντο, καὶ τὴν Τροίαν οἱ εὐπατρίδαι παῖδες ἵππευσαν· ἄνδρες τε ἐκ τῶν ὁμοίων σφίσιν ἐπί τε κελήτων καὶ ἐπὶ συνωρίδων, τῶν τε τεθρίππων, ἀντηγωνίσαντο. Κύϊντός τε τις Οὐιντέλιος βουλευτὴς ἐμονομάχησε. καὶ θηρία καὶ βοτὰ ἄλλα τε παμπληθῆ, καὶ ῥινόκερως, ἵππος τε ποτάμιος, πρῶτον τότε ἐν τῇ Ῥώμῃ ὀφθέντα ἐσφάγη. *Porro in sacrarii consecratione ludi omnis generis facti sunt, patriciique pueri Trojam luserunt: virique simili ratione equis celetibus, bigisque & quadrigis certaverunt. Q. Vintelius senator pro gladiatore pugnavit, multæ feræ, ac animantia, & inter hæc Rhinoceros, & equus fluviatilis (Hippopotamum Græci dicunt) tunc primum & visi Romæ, & occisi sunt.*

Credibile itaque est L. Lamiam & C. Caninium Gallum, triumviros monetales ejus anni, communi consensu hujus sacrarii dedicationem in hoc denario signasse, ut & juncta Augusti & Julii patris capita, atque ab altera parte sellam divi Julii, & symbola pontificatus ejus. Ex astris vero alterum spectare potest ad divum Julium, tanquam ejus sidus, alterum ad Augustum, tanquam sidus Apollinis.

Hic L. Lamia fuit ille, propter generis nobilitatem & studiorum claritatem, ab Horatio laudatus. Goltzius nummum protulit in Fastis p. 222. & 224. ad A. V. C. DCCLI. & DCCLV.

IX.

AVGVSTVS TRIBVNIC*iæ* POTEST*ate*. In corona quernea. Ab altera parte præter notam senatusconsulti quæ est in area, legitur in ora nummi SEX*tus* AELIVS CATVS IIIVIR *Auro Argento Aeri Flando Feriundo*.

Hic nummus non sinit nos dubitare, quin is, qui, ut triumvir monetalis Augusti, signavit nummum aureum supra num. VI. triumvir factus senatus, signaverit quoque æreum hunc nummum secundæ magnitudinis. Adpellatur ibi Quinti filius, quod nomen in hoc nummo abest, prouti plura talia exempla passim reperiuntur. Nam titulus ille AED. CVR. qui legitur juxta caput Apollinis in aureo illo nummo, vix mihi videtur posse pertinere ad Sextum Ælium Catum, qui illum nummum signavit (non enim ædilium erat signare monetam, verum triumvirorum monetalium) sed legendum ibi esse in nummo non AED*ilis* CVR*ulis*, sed AED*iles* CVR*ules* EX *Senatus Consulto* scilicet curarunt refici templa Apollinis & Jovis, cujus ibi symbola, aquila cum fulmine & numinis caput, exprimuntur. Quidquid enim quoque anno singulare atque memoria dignum occurrebat, solebant triumviri monetales Cæsaris in monetis suis, anno muneris sui, exprimere.

AEMI-

AEMILIA.

X.

Caput Victoriæ alatæ, ante quod est vox PAVLLVS, in aversa parte Pegasus est alatus, postremis pedibus insistens terræ, anterioribus saliens, cum epigraphe *Marcus* AIMIL*Ius Marci Filius Lucii Nepos.*

Vulgavit nummum hunc Goltzius in Fastis pag. 90. ad A. V. C. CCCCLXXXXVIII. quo scilicet consul fuit cum Fulvio Nobiliore M. Æmilius Paullus. Nummi typum sic explicat Vaill. pag. 22. „ Æmilius & Fulvius Consules post „ Carthaginenses mari deletos, exposito ad Clypeam exercitu, terrestri iterum prælio duos „ Hannones, Pænorum imperatores, vicerunt; in „ quo novem hostium millia cæsa sunt juxta Orosium, posteaque Clypeensi demum præsidio „ navibus imposito, in Siciliam, deinde Romam „ navigarunt. In hanc victoriæ memoriam, „ deam ipsam Victoriam ab una parte signari „ curavit, hæc autem Romæ colebatur, cujus „ ædicula fuerat a Porcio Catone seniore dedicata, & in aversa nummi parte Pegasum Africæ symbolum. " Præclara quidem fuit illa victoria, sed fæda tempestate victoriæ fructum fuisse interceptum narrant Polybius & Livii Epitome lib. XVIII universa classe, quum in Italiam navigaret, in mari Siculo naufragium passa, sic ut ex trecentis navibus vix octoginta superfuerint.

XI.

Caput Romæ galeatum, ante quod vox PAVLLVS, & pone illud *Senatus Consulto.* Ex altera parte *Marcus* AIMIL*Ius Marci Filius Lucii Nepos.* in imo ROMA. Navis Prætoria cum remis, supra quam columna est, & in vertice corona.

Consules Æmilius Paulus & Fulvius Nobilior M. Atilio Regulo a Carthaginensibus capto, cum classe Romana versus Africam ambo navigarunt. Obsederant eo tempore Clupeam urbem Pœni, qua relicta, cum classe ducentarum navium Romanis obviam eunt, & commisso acri certamine ad Mercurii, in Africa, promontorium, magnam cladem Carthaginenses acceperunt. Testatur enim Polybius depressas fuisse Pœnorum naves CXIV. captas XXX. & quindecim fere millia hostium cæsa fuisse. Unde utrique consuli triumphus navalis a senatu decretus fuit, quem anno subsequenti egerunt, quamvis (ut dixi) gravissimam cladem in Siculo mari ex tempestate accepissent.

Aversam partem ita explicat Vaill. pag. 22. „ Nummus vero hic in memoriam ejus triumphi „ navalis videtur percussus, in quo prætoria na„ vis instructa remis exhibetur, cum corona ipsi „ ob rem bene gestam decreta. Columna autem „ in navi erecta est, & monumentum videtur „ illius, quod rostris navium vestitum in Capito„ lio posuit ob suam de Pœnis victoriam: illam „ instante bello Macedonico secundo nocturna „ tempestate disjectam memorat Livius. " Livii locus, quem respicit Vaill. exstat lib. XLII. cap. 20. *In suspensa civitate ad exspectationem novi belli, nocturna tempestate columna rostrata in Capitolio, bello Punico priore posita a M. Æmilio consule, cui collega Ser. Fulvius fuit, tota ad imum fulmine discussa est. Ea res, prodigii loco habita, ad senatum relata est. Patres ad arufpices referre, & decemviros adire libros jusserunt. Decemviri lustrandum oppidum, supplicationem obsecrationemque habendam, victimis majoribus sacrificandum, & in Capitolio Romæ & in Campania ad Minervæ promontorium, renuntiarunt. Ludos per decem dies Jovi optimo maximo primo quoque die faciendos. Ea omnia cum cura facta. Aruspices, in bonum versurum id prodigium, prolationemque finium, & interitum perduellium portendi responderunt: quod ex hostibus spolia fuissent ea rostra, quæ tempestas disjecisset.* Ex his discimus, non ab utroque consule, sed M. Æmilio Paullo positam columnam fuisse, quæ in Paulli quoque numismate adparet, quum in Fulviano similia non inveniantur; cujus tamen Fulvii denarium satis magnificum Victoria & Neptuno triumphatore visuri sumus in gente Fulvia tab. decimaseptima num. VII. Ericius, qui utrumque nummum brevi commentario illustravit, eandem victoriam in utroque agnoscit pag. 18. & 19.

XII.

Caput Dei Triumphi, & literæ EX S. C. in aversa parte est curulis sella, hinc & inde securis, cum fascibus, in vertice *Marcus* AIMIL*ius Lucii Filius* BARBVLA CO*n*S*ul.* in imo *Caius* SERVEIL*Ius Publii Filius* AED*ilis* CVR*ulis.*

Cusum Vaillantius existimat denarium ab ædili curuli C. Servilio Cæpione, dum ita scribit pag. 20. „ Marcus ille Æmilius Barbula, qui Consul „ in nummo scribitur, Magistratum suum gessit „ cum M. Junio Pera anno V. C. 523. cujus me„ memoriam expressit in denario C. Servilius „ Cæpio, hoc anno ædilis curulis, qui non mo„ do nomen ejus & dignitatem consulis in eo ap„ posuit, sed insignia Magistratus exhibuit, nem„ pe sellam curulem, & fasces cum securi, il„ lam quidem eburneam, in qua jus, ut olim „ reges Romani, nunc dicebant consules; & „ fasces, quas ante ipsos ferebant lictores duo„ decim ad plectendos facinorosos, virgæ autem, „ quum vitia essent sanabilia, quæ his corrigeren„ tur, & secures, quum illa essent immedicabilia, „ ipsis (*sic scribit*) amputarentur. " Haud libenter concesserim Vaillantio ædiles curules pecuniam signasse; verum, si quidem genuinus, neque fictus est nummus, ita explicandum existimo: A. V. C. DXXIII. quo consul cum M. Junio Pera fuit M. Æmilius Barbula, indigna res Romano nomini atque intoleranda accidit. Missos enim legatos in Illyricum, ut de injuriis quererentur mercatoribus illatis, regina Illyriorum Teutana contra jus gentium occiderat, ut Polybius, Zonaras & alii narrant. Romani legatis suis statuas in foro tripedaneas, pro more ejus temporis, collocarunt, ut narrat Plinius lib. XXXIV. cap. 6. De Illyriis vero & scelere illorum graves sumsere pœnas, ut docet ambitiose rem exsequens Florus lib. II. cap. 5. *Illyrii, seu Liburni, sub extremis Alpium radicibus agunt, inter Asiam, Titiumque flumen, longissime per totum Adriani maris littus effusi. Hi, regnante Teutana muliere, populationibus non contenti, licentiæ scelus addiderunt. Legatos quippe nostros, ob ea, quæ deliquerant, jure agentes, nec gladio quidem: sed ut victimas, securi percutiunt: præfectos navium igni comburunt, idque quo indignius foret, mulier imperabat. Itaque Cnæo Fulvio Centimalo duce, late domantur. Strictæ in principum colla secures, legatorum manibus litavere.*

Sed quid hæc ad nummum? dicam. Quum triumviri monetales soliti fuerint res ejus anni maxime memorabiles denariis suis inscribere, non videntur sane contenti fuisse Romani honore legatis, qui propter rempublicam cæsi fuerant, habito

habito per statuas erectas, sed insuper votum quoque concepisse de vindicta eorum, qui scelus illud patrassent, quod quidem ego conceptum ex senatusconsulto crediderim in æde dei Triumphi, cujus caput in priore denarii parte exprimitur. Pæna Illyriorum, qui jus gentium violarant, quamque secundum votum illis minabantur Romani, apte ab altera nummi parte exprimitur. In judiciis enim sella curulis ponebatur, aderant fasces & secures, in nummo quidem colligatæ, sed postmodum, ut verbis Flori dicam, *strictæ in principum colla.* Rei sive voti curam habuisse videtur consul Æmilius Barbula, cujus nomen in nummo exprimitur, ædilis curulis C. Servilius adjungitur, non quia is nummum signaverit, sed quod in illo sacrorum ritu quædam quoque ejus partes fuerint.

XIII.

Caput Romæ galeatum cum nota denarii & voce ROMA. In parte aversa Victoria agit quadrigas, sinistra tenens lauream, in imo *Lucius* AIMILI*us Quinti Filius* PAPVS. in area XXVIII.

Nummum hunc, quem in Fastis pag. 103. ad A. V. C. DXXVIII. exhibet Goltzius, commentaro illustravit Sebastianus Ericius, in libro Italice conscripto. Latine versa verba ejusdem ita sonant: „ Signata fuit hæc moneta Romæ „ A. V. C. DXXVIII. quo tempore bellum gerere inceperunt Romani contra Gallos Cisalpinos, quod quidem tanti momenti bellum visum Romanis fuit, ut magnos exercituum delectus habuerint. Italia omnis magno studio pro Romani imperii defensione consurgens, magna vi Gallorum arma propulsabat; & victoria penes Romanos fuit. Meminerunt ejus belli Polybius, Zonaras aliique, Plinius quoque lib. III. ita scriptum reliquit *L. Æmilio Papo, C. Atilio Regulo consulibus, Italia nuntiato Gallico tumultu sola sine externis ullis auxiliis, atque etiam tunc sine Transpadanis, equitum LXXX. millia, peditum* DCC. *millia armavit.* Eutropii hæc sunt verba lib. II. *L. Æmilio consule ingentes Gallorum copiæ Alpes transierunt, sed pro Romanis tota Italia consensit. Traditum est a Fabio historico, qui ei bello interfuit,* DCCC. *millia hominum parata ad id bellum fuisse. Sed res per consules tum prospere gesta est.* XL. *millia hostium interfecta sunt, & triumphus Æmilio decretus.* Florus belli ejusdem in hunc modum meminit: *Galli, Britomaro duce, se non prius soluturos baltea, quam Capitolium adscendissent, juraverunt. Tactum est, victos Æmilius in Capitolio discinxit.* In Epitome vero Liviana ad lib. XX. *Galli Transalpini, qui in Italiam eruperant, cæsi sunt. Eo bello populus Romanus sociorum, Latinique nominis trecenta millia armatorum habuisse dicitur.* Meminerunt triumphi Lucii Æmilii consulis de Gallis iisdem Tabulæ Capitolinæ. In prælio occisus fuit Æmilii collega Gajus Atilius Regulus. Cusa igitur hæc moneta fuit, post reportatam de Gallis victoriam, tempore, quo de iisdem triumphavit consul L. Æmilius, uti quadrigæ triumphales in nummo docent. Quid sibi velint notæ numerales XXVIII. non capio, in aliis nummis quoque similes notæ observantur. "

Hæc Ericius, quocum consentit Vaillantius, neque opus est iis aliquid addere. Notæ numerales ad matrices spectant, & docent, quanta vis nummorum sit deperdita, dum ne ipsum hunc quidem Morellio aliisve, præter Goltzium, videre licuerit.

XIV.

Caput Romæ galeatum, pone quod denarii est nota. In aversa parte Jupiter nudus dextra fulmen tenet, sinistra sceptrum in quadrigis. In imo *Lucius* PAVLVS *Marci Filius Marci Nepos.* & ROMA.

Nummum hunc, quem in Fastis p. 105. sub initium belli Punici secundi ad A. V. C. DXXXIV. exhibuit Goltzius hisce illustravit Ericius pag. 39. „ Cusa fuit hæc moneta Romæ, A. V. C. „ DXXXIV. consulibus L. Æmilo Paullo & M. Livio Salinatore, quo anno illi triumpharunt de Illyriis, qui a Romanis defecerant. Auctor rebellionis fuerat Demetrius Pharius, Illyriorum rex, qui beneficiorum populi Romani oblitus, atque cernens hinc Gallos inde Pœnos insurgere contra Romanos, atque Macedonum rege Philippo confisus, castella Romanorum expugnare cœpit, atque fines eorundem incursare. Bellum senatus consuli L. Æmilio demandavit, cujus intellecto adventu Demetrius Dimalum munivit atque præsidio militari defendit. Ejectis deinde qui Romanis studebant, & aliis locis munitis, præsidiisque iisdem impositis, cum sex veteranorum millibus Pharum occupat. Verum Æmilius consul expugnato Dimalo septem dierum spatio, receptisque in fidem Illyriis, irato animo ad Pharum contendit. Illud quoque castellum, rege interim fuga elapso, recepit, atque alia insuper Illyriorum oppida, atque interim autumno superveniente victor Romam rediit. Rem gestam memoriæ tradit Polybius, ejusque victoriæ penes solum consulem Æmilius laudem fuisse ait. Alii vero volunt, collegam quoque Æmilii M. Livium Salinatorem contra Illyrios rem prospere gessisse, utrique enim consuli bellum illud contra Illyrios gestum adscribit Zonaras. In Liviana epitome lib. XX. Illyrici hujus belli hisce verbis mentio occurrit, *Iterum Illyrici, quum rebellassent domiti, in deditionem venerunt.* Demetrius ipse fuga ad regem Macedoniæ Philippum evasit.

„ Quadriga itaque triumphalis in altera nummi parte triumphum consulis L. Æmilii Paulli de Illyriis exhibet. Quin & vidi monetam argenteam collegæ ejusdem M. Livii Salinatoris, quæ ab altera parte Jovis habet caput, cum inscriptione SALINATOR. A parte altera elegans est currus triumphalis, cui insistit figura Jovis, dextra fulmen, læva sceptrum tenentis, cum duplici inscriptione, videlicet ROMA. in parte summa, atque in ima, M. LIVI. M. F. qui nummus liquido docet, etiam M. Livium Salinatorem eodem tempore de Illyriis triumphasse. "

XV.

Caput Fidei coronatum, pone quod est litera antiqua F. In aversa sella curulis est cum epigraphe *Lucius* AIMIL*ius Marci Filius* PAVLLVS. *Caius* TERENTI*us Auli Filius* VARRO, in summo legitur ex S. C.

In hoc denario inveniuntur nomina consulum illorum, qui fatali illo Romæ anno, si uti victoria sua Annibal voluisset, rempublicam perdidissent; nec quidem ea L. Æmilii Paulli, viri prudentis, & Fabii Maximi præceptorum memoris, culpa fuit, sed Terentii Varronis, cujus teme-

temeritate clades Cannensis, omnium maxima, accepta fuit.

Fidei caput est, quod in nummi hujus parte anteriore cernitur. Patere id poterit conferenti idem in nummis, in quibus nomen deæ adscribitur, ut famil. Cæciliæ, Corneliæ, Liciniæ, tabb. infra X. num. 14. XIV. num. 8. XXII. num. 11. neque sine magna ratione Fides in hoc denario signata fuit, propter vehementissimam contentionem, quæ fuerat inter nobilitatem & plebem de consulibus ejus anni creandis; ut patere potest ex Livio lib. XXII. cap. 35. unde alter consul *par magis in adversandum consuli quam collega*; vocatur Livio ibidem, his verbis: *Tum experta nobilitas, parum fuisse virium in competitoribus L. Æmilium Paullum, qui cum M. Livio consul fuerat, & damnatione collegæ, & sua prope ambustus evaserat, infestum plebei, diu ac multum recusantem, ad petitionem compellit. Is proximo comitiali die, concedentibus omnibus qui cum Varrone certaverant, par magis in adversandum, quam collega, datur consuli.* Fidem itaque mutuam, &c, deæ munere, concordiam inter consules optabant Romani. Imo, novam fidei religionem apud milites quoque exactam fuisse scribit Livius paullo post cap. XXXVIII. *Milites tunc, quod nunquam antea factum erat, jurejurando a tribunis militum adacti, jussu consulum conventuros, neque injussu abituros. nam ad eam diem nil præter sacramentum fuerat, & ubi ad decuriatum aut centuriatum convenissent, sua voluntate ipsi inter se equites decuriati, centuriati pedites conjurabant, sese fugæ atque formidinis ergo non abituros, neque ex ordine recessuros, nisi teli sumendi, aut petendi, aut hostis feriendi, aut civis servandi caussa. id ex voluntario inter ipsos fœdere a tribunis ad legitimam jurejurandi adactionem translatum.*

Lauri ramus, in sella curuli positus, felicis victoriæ omen est, quod misere fefellit, accepta clade qualem nunquam ante acceperant Romani. Accidit prælium ad Cannas A. V. C. DXXXVII.

XVI.

REGILLVS. Caput Junonis caprina pelle amictum: in aversa parte legitur, *Lucius* AIMILIus *Marci Filius* PRo*Prætore*. Adest figura togata in quadrigis triumphalibus dextra tenens equorum habenas.

Goltzii nummus est in Fastis Consul. pag. 122. ad A. V. C. DLXIV. quem hisce illustravit Ericius pag. 69. „ Romæ cusus fuit hic nummus A. V. „ C. DLXIV. quo tempore L. Æmilius Re„ gillus proprætore victoriam navalem de rege „ Syriæ Antiocho retulit. Atque ita eodem hoc „ anno tres Romæ triumphi fuerunt acti, duo „ de rege Antiocho, tertius ex insula Creta. Ex „ hisce duo navales fuerunt, L. Æmilii Regilli „ prætoris de rege Antiocho, & Q. Fabii La„ beonis prætoris ex Creta. Tertius triumphus „ fuit L. Scipionis Asiagenis de Antiocho pari„ ter, Syriæ rege. Quantum igitur pertinet ad „ L. Æmilii Regilli triumphum, de illo post e„ narratas proprætoris res gestas sic scribit Livius „ lib. XXXVII. cap 58. *Per eosdem dies L. Æ„ milio Regillo, qui classe præfectum Antiochi regis „ devicerat, extra urbem in æde Apollinis quum se„ natus datus esset, auditis rebus gestis ejus, quan„ tis cum classibus hostium dimicasset, quot inde na„ ves demersisset aut cepisset, magno consensu Pa„ trum triumphus navalis est decretus. Triumpha„ vit calendis Februariis. In eo triumpho undequin„ quaginta coronæ aureæ translatæ sunt: pecunia ne„ quaquam tanta pro specie regii triumphi: tetra„ drachma Attica triginta quatuor millia septingen„ ta: cistophori centum triginta unum millia tre„ centi.* Victoriæ ejusdem Florus meminit lib. „ II. cap. 8. ubi Xerxi veluti comparat An„ tiochum, Themistocli Æmilium: *Statim & e „ vestigio itur in Asiam. Classis regia Polyxeni, „ Annibalique commissa, nam Rex prælium nec „ spectare poterat. Igitur duce Æmilio Regillo a re„ migantibus Rhodiis tota laceratur. Ne sibi pla„ ceant Athenæ, in Antiocho vicimus Xerxem, in „ Æmilio Themistoclem æquavimus.* Scribit idem „ Appianus in Syriacis.

„ Videmus itaque in nummo hoc currum „ triumphalem, cui insistit Æmilius trium„ phans, ad indicandum navalem de rege Antio„ cho triumphum. Cur a priore nummi parte „ Junonis Sospitæ signetur caput, non liquet „ nobis, nisi forte id factum fuerit ex peculiari „ Æmilii in deam illam pietate. " Hæc Ericius. Vaillantius censet deæ caput signari in nummo, quoniam triumphus Æmilii incidit in Kal. Februarias, quo festum erat dedicationis ædis deæ ejusdem; juxta Ovid.

Principio mensis Phrygiæ contermina matri
Sospita delubris dicitur aucta novis.

XVII.

Caput Romæ galeatum, pone quod est vox ROMA. & ante LEPIDVS: ex aversa parte *Marcus* AIMILIVS *Marci Filius Marci Nepos.* Jupiter in quadrigis triumphalibus, dextra sceptrum tenens, sinistra habenas.

Spectat hic denarius ad M. Æmilium Lepidum, qui, prout scribitur in Marmoribus Capitolinis, consul de Liguribus in Galliis triumphavit A. V. C. DLXXVIII. Goltzius nummum retulit ad A. V. C. DLXVI. in Fastis pag. 123. adeoque ad primum ejus consulatum.

XVIII.

Caput Romæ galeatum, ante quod legitur PAVLLVS, & post ROMA. In parte aversa figura virilis est togata in quadrigis triumphalibus, dextra habenas, sinistra scipionem tenens eburneum. Adscribitur *Lucius* AIMILI*us Lucii Filius.*

Hunc nummum publicavit Goltzius ad A. V. C. DLXXII. in Fastis pag. 127. inque illum hunc commentarium scripsit Ericius pag. 80. „ Signatus hic nummus Romæ fuit A. V. C. „ DLXXII. sub consulatu L. Æmilii Paulli, „ quo tempore victoriam is de Liguribus obti„ nuit. Quum enim ipsi atque collegæ ejus „ Cneo Bæbio a senatu Liguria provincia com„ missa esset, Æmilius ille feliciter cum iisdem „ Liguribus Ingaunis pugnavit, de quibus relata „ victoria, triumphavit, teste Livio. Testimo„ nium quoque hujus rei exstat apud Frontinum „ lib. III. c. 17. *Æmilius Paullus, universis Liguribus „ improviso adortis castra ejus, simulato timore mili„ tem diu continuit, deinde fatigato jam hoste a qua„ tuor portis eruptione facta, stravit cepitque Ligures.* „ Plutarchus quoque victos a consule Æmilio fuisse „ Ligures testatur. Triumphasse eundem de iisdem „ scribit Vellejus Paterculus. Victoriæ ejusdem „ testis est hic nummus, qui quadrigis triumpha„ libus insistentem exhibet consulem L. Æmi„ lium Paullum. Ejusdem de Liguribus victo„ riæ, quæ illi Paullo cum collega Cneo Bæbio „ Tampilo communis fuit; testis est & alter de„ narius argenteus Bæbii ejusdem, qui a priore „ parte deorum Penatium capita exhibet, cum „ inscriptione TAMPILVS. Ab altera parte

„ Victoriæ alatæ est simulacrum, quæ læva manu palmam tenet, dextra coronat virum stantem, veluti ducem victorem, qui dextra manu hastam tenet, lævam gladio ad latus adplicat, ante eundem corona laurea cernitur, quam palmæ ramus transit, cum inscriptione subtus CN. BAEBI. Q. F. Quam monetam eodem anno cusam fuisse existimo & consulibus iisdem, atque item victoriam de Liguribus symbolis iis, quæ in illo nummo sunt, denotari. Figura enim virilis, quam post adstans coronat Victoria, sine dubio consul est Bæbius, adeoque utriusque consulis res gestæ duobus hisce nummis celebrantur."

Nummus Bæbii, de quo loquitur Ericius, exstat infra in familia Bæbia.

XIX.

I. S. M. R. *Juno Sospita Magna Regina.* Caput Junonis pelle caprina amictum: ex altero latere legitur *Manius* LEPID*us Manii Filius* in imo TI*berius* SEMP*ronius Publii Filius* GRAC*cus.* Sella curulis, ad latera S. C.

Bis in Fastis nummum hunc vulgavit Goltzius, in censura videlicet Æmilii Lepidi A. V. C. DLXXIV. in Fast. p. 127. & consulatu Sempronii Gracchi A. V. C. DLXXVI. in Fast. p. 128. Sed Vaillantius pag. 31. utrumque ex his fuisse ædilem existimat, & ludorum magnificentiam in nummo expressam esse. Verba ejus hæc sunt: „ Duo hæc nomina in denario inscripta cum sella curuli M. Lepidum & TI. Sempronium ædiles curules haud dubie denotant, hic vero P. Filius appellatur, & ludos illos magnificentissime edidisse tradit Livius, ut videre est infra in gente Sempronia num. 11. quos assignavimus an. $^{571}_{2}$. M. Lepidus M. F. ejus collega investigandus: non ille est, qui consulatum gessit an $^{566}_{7}$. quia ædilis curulis esse hoc anno non potuit; sed ille M. Lepidus esse videtur filius M. Lepidi prætoris an. $^{535}_{6}$. & qui repulsam consulatus anno sequente passus est. Is vero quæsturam provincialem iniit an. $^{565}_{6}$. & inter III. viros, qui Mutinam Parmamque colonias an. $^{570}_{1}$. deduxere, a Livio recensetur libri XXX. fine, & sequente $^{571}_{2}$. Ædilis curulis creatus est cum TI. Graccho P. filio, ut testatur denarius iste, ipsorum nominibus ornatus cum sella curuli ejus magistratus insigni." Ludi illi certe tantopere magnifici fuerunt, ut utile judicaverit postmodum senatus coërcere nimiam profusionem, sicut testatur Livius lib. XL. cap. 44. *Ludi decreti, & ut duumviri ad ædem locandam crearentur. de pecunia finitur: Ne major caussa ludorum consumeretur, quam quanta Fulvio Nobiliori post Ætolicum bellum ludos facienti decreta esset: neve quid ad eos ludos arcesseret, cogeret, acciperet, faceret, adversus id senatusconsultum, quod L. Æmilio, Cn. Bæbio consulibus de ludis factum esset. Decreverat id senatus propter effusos sumtus factos in ludos Ti. Sempronii ædilis, qui graves non modo Italiæ ac sociis Latini nominis, sed etiam provinciis externis fuerant.* Hi vero ludi quoniam tam fuere magnifici, triumviri monetales ejus anni videntur memoriam illorum in nummis voluisse conservare.

XX.

Caput Romæ galeatum. ROMA. In aversa est tropæum, a cujus dextris lictor Perseo, genibus nixo, manus post terga revincit: a sinistris autem L. Paullus togatus dextram tropæo inponit, sunt pone eum duo pueri prætexta insignes.

Denarii hujus hanc interpretationem dedit Ericius pag. 91. „ Cusus fuit hic nummus Romæ A. V.C. DLXXXV. consule L. Æmilio Paullo, cui sorte Macedonia provincia obtigerat, & victoria de rege Perseo contigerat, accedentibus ad Romanos Macedoniæ civitatibus. Duces vero ejus expeditionis fuerunt consul Paullus Æmilius, atque prætor Cneus Octavius. Perseus vero imminens sibi periculum conspicatus, legatos misit ad Gentium, Illyriorum regem, magna pacta mercede ad belli societatem illum pertrahens. Alienavit postea abs se Gentium Perseus fraudatum parte pecuniæ promissæ. Missus a Romanis contra regem Gentium fuit L. Anicius Gallus prætor, qui XXX. dierum spatio Illyricum omne recepit, atque ipsum regem Gentium in suam redigit potestatem. Prælio autem apud urbem Pydnam Perseum vicit Paullus, occisis viginti peditum millibus, atque equitatu universo cum rege in fugam conjecto. Civitates igitur Macedoniæ Paullo sese tradiderunt. Rex ipse postea ab amicis desertus, quum ad Samorthracem insulam fugisset, ibique templi religione sese tutaretur, tradidit sese Cn. Octavio prætori. Paulli hujus ejusque consulatus plurimi scriptores mentionem fecerunt Plutarchus, Vellejus, Orosius, Justinus, Eutropius & Florus libro secundo cap. XII. ubi de bello Macedonico operose scribit, reliquos enim scriptores, qui velit, consulat. Verba ejus hæc sunt: *Quum aliæ aliæque gentes Syriaci belli sequuntur ruinam, Macedonia se rursus erexit. Fortissimum populum memoria & recordatio suæ nobilitatis agitabat, & successerat Philippo filius Perses, qui semel in perpetuum victam esse Macedoniam, non putabat ex gentis dignitate, multo vehementius sub hoc Macedones, quam sub patre consurgunt. Quippe Thracas in vires suas traxerant. Atque ita industriam Macedonum viribus Thracum, ferociam Thracum disciplina Macedonum temperavere. Accessit his consilium ducis, qui situm regionum suarum de summo speculatus Æmo, positis per abrupta castris ita Macedoniam suam armis, ferroque vallaverat, ut non reliquisse aditum, nisi a cœlo venturis hostibus videretur. Nam Q. Martio Philippo Consule eam provinciam ingressus populus Romanus, exploratis diligenter accessibus per Ascuridem paludem, per acerbos, dubiosque tumulos, & illa, quæ volucribus quoque videbantur invia, accessit: regemque securum, & nihil tale metuentem, subita belli irruptione terruit: cujus tanta trepidatio fuit, ut pecuniam omnem in mare jusserit mergi, ne periret, classem cremari, ne incenderent. Paullo consule quum majora & crebra essent imposita præsidia, per alias vias Macedonia depressa est, summa quidem arte & industria ducis, quum alia minatus alia irrepsisset, cujus adventus ipse eo terribilis regi fuit, ut interesse non auderet, sed gerenda ducibus bella mandaverit. Absens ergo victus, fugit in maria, insulamque Samothracem, fretus celebri religione, quasi templa & aræ possent defendere, quem nec montes sui, nec arma potuissent. Nemo regum diutius amissæ fortunæ conscientiam retinuit. Supplex quum scriberet ad imperatorem ab illo quo confugerat templo, nomenque epistolæ notaret suum, regem addidit. Sed nec reverentior captæ majestatis alius Paullo fuit, quum in conspectum venisset hostis, in templum recepit, & in conviviis adhibuit, liberosque admonuit suos, ut fortunam, cui tantum liceret, revererentur. Inter pulcherrimos hunc quoque populus Romanus* „ *de*

„ *de Macedonia duxit, atque vidit triumphum;*
„ *quippe cujus spectaculo triduum impleverit. Pri-*
„ *mus dies signa, tabulasque, sequens arma, pecu-*
„ *niasque transvexit, tertius captivos, ipsumque re-*
„ *gem attonitum adhuc, tanquam subito malo stu-*
„ *pentem. Sed multo prius gaudium victoriæ po-*
„ *pulus Romanus, quam epistolis victoris perceperat.*
„ *Quippe eodem die, quo victus est Perses in Mace-*
„ *donia, Romæ cognitum est: duo juvenes candidis*
„ *equis apud Juturnæ lacum pulverem & cruorem*
„ *abluebant. Hi nunciavere. Castorem & Pollucem*
„ *fuisse creditum vulgo, quod gemini fuissent; in-*
„ *terfuisse bello, quod sanguine maderent; a Ma-*
„ *cedonia venire, quod adhuc anhelarent.* Integrum
„ locum adduximus Flori, quoniam is univer-
„ sam expeditionis hujus captæque Macedoniæ
„ historiam latissime persequitur, ut & victo-
„ riam Paulli Æmilii, atque triumphum ejus-
„ dem Romæ per tres dies continuos. Victo-
„ riam eandem descripsit Livius. Egregie vero
„ eadem in hoc nostro depingitur numismate.
„ Victoriam enim testatur tropæum; captivus il-
„ le, cujus brachia ligantur, Perseus rex est,
„ duo pueri, ejus sunt filii, qui vero stat, erectus
„ & togatus, Æmilius Paullus est. Idem cognosci
„ potest ex alio nummo argenteo atque aureo,
„ qui a priore parte caput deæ Concordiæ vela-
„ tum exhibet, cum inscriptione CONCOR-
„ DIA. & PAVLLVS LEPIDVS; a poste-
„ riori vero parte tropæum exhibet, cum Paul-
„ lo Æmilio ad partem sinistram, aliaque figura
„ regis captivi ad dextram, filiisque ejusdem duo-
„ bus ad alterum latus, cum literis, supra tropæum
„ scriptis, TER. & subtus voce PAVLLVS. quæ
„ inscriptio & typus eandem historiam respiciunt.
„ TER. vero ibidem scribitur, quoniam ter i-
„ dem Paullus triumphavit, prætor primum,
„ deinde consul, atque iterum consul, sexdecim
„ annis postquam de rege Perseo triumphasset.

„ Victoria quoque eadem occurrit in alia mo-
„ neta argentea ejusdem Paulli, quæ ab altera par-
„ te caput dei Neptuni exhibet, ex barba & capillis
„ noscendum, signoque tridentis; adest ibidem in-
„ scriptio PAVLLVS. A parte posteriore cernitur
„ quadriga triumphalis, cui Victoria insistit co-
„ ronam manu protendens. Subtus vero hæ
„ literæ leguntur L. AIMIL. L. F. ROMA.
„ Quæ moneta anno insequenti Romæ cusa
„ fuit, significans triumphum Macedonicum
„ Æmilii Paulli, proconsulis, de rege Perseo.
„ Et quoniam navalis quoque eadem victoria ex-
„ stitit, capto in insula Samothracia rege per Cn.
„ Octavium prætorem cum classe sua, Neptu-
„ nus cum tridente suo in nummo effingitur.
„ Æmilii sic dicti sunt a lepore in dicendo,
„ quem αἱμυλίαν Græci vocant."

Hactenus Ericius, qui in his suis commentariis tres Æmilii Paulli nummos illustrare conatur. Tertius ex illis, qui mox sequitur num. XXI. a Lucio Æmilio Paullo cusus fuit. Medius ille est, de quo jam supra in nummis Fam. Æmiliæ egimus. In priore, de quo nunc agimus, duas illas figuras minores de liberis Persei explicat Ericius, quod non est verosimile, collocantur enim post Paullum, ut ad illum pertinentes, atque togatæ vel prætextatæ sunt.

Quærit itaque Vaillantius ad insignem hunc nummum, qui sint duo illi prætextati, qui stantes post consulem spectantur; nam inquit, p. 28. „ non videntur L. Paulli esse majores filii,
„ quum prior natu datus sit Corneliæ genti in
„ adoptionem, qui postea dictus est P. Corne-
„ lius Scipio Æmilianus Africanus, nempe mi-
„ nor: & Junior Fabiæ familiæ, posteaque vo-
„ catus Q. Fabius Maximus Æmilianus: nec duo
„ filii, quos domi reliquit in bello Macedoniæ;
„ nam ex iis major, triduum ante parentis trium-
„ phum, & alter triduum post, etiam mortuus,
„ & sic orbus filiis remansit.

„ Verisimile videtur Paullum Lepidum ab hac
„ tam celebri stirpe ut genitum se gloriabatur,
„ in superiore nummo Marcum, Lucii procon-
„ sulis fratrem, exhibuisse, & in hoc ejus filios
„ prætextatos, ingenuos nempe pueros, ex qui-
„ bus duæ iterum Paullorum familiæ sunt or-
„ tæ; percussit; ex Marco enim majore filio ge-
„ nitus est ille M. Æmilius Paullus, qui con-
„ sulatum gessit anno 703. & ex Lucio natu mi-
„ nore ipse fuit nepos, & consulatum etiam, sed
„ suffectus; iniit Kal. Jan. DXIX." Hunc nummum vulgavit Goltzius pag. 132. ad A. V. C. DLXXXV. sed Goltzii ille nummus alter, quem respicit Vaill. depingitur tab. seq. num. XVII. neque spernenda videtur illa Vaillantii conjectura, a quibus vero hi nummi cusi fuerint, docebit Perizon. ad tab. seq. num. XVII.

XXI.

Caput Neptuni laurearum, sub quo legitur PAVLLVS, ante illud est tridens. Est ab altera parte figura muliebris in quadrigis triumphalibus, dextra corollam, sinistra tenens equorum habenas. Adscribitur, *Lucius* AIMIL*ius Lucii Filius*. ROMA.

Spectat hic denarius ad L. Æmilium Paullum, Paulli, qui ad Cannas cecidit, bis consulis, filium. Hic A. V. C. DLXXII. quo nummus hic ejus profertur a Goltzio in Fastis pag. 126. proconsule bellum gessit cum Liguribus Ingaunis, a quibus, pacem petentibus, intra induciarum tempus per fraudem in castris suis obsessus fuit; cumque Paullus, frustra aliquamdiu exspectato subsidio, hostes animadvertisset securiores & socordes, subito cum omni exercitu impetum in illos fecit, atque egregia victoria parta, supra quindecim millia Ligurum interfecit; unde triduo post Ligurum Ingaunorum omne nomen obsidibus datis in deditionem venit, ut narrat Livius lib. XL. cap. 28. Adde Frontin. Stratag. lib. III. cap. 17. Cur vero hoc in nummo signetur Neptunus, idem Livius l. c. nos docet. *Gubernatores nautæque conquisiti, qui prædatores fuissent navibus, atque omnes in custodiam conjecti. Et a C. Matieno duumviro naves ejus generis in Ligustica ora duæ ac triginta captæ sunt.* Triumphus itaque Paullo decretus fuit de Liguribus Ingaunis, quem & egit eodem anno, ut Marmora Capitolina testantur.

XXII.

Caput Apollinis laureatum, SCAVRVS, in postica Pegasus, sub cujus pedibus crescens luna, & inscriptio *Marcus* AIMILI*us Marci Filius*.

Denarium hunc refert Vaill. ad præturam M. Æmilii Scauri, qui consul postea & princeps senatus fuit. Qui idem male audit apud Sallustium, ut Jugurthæ tandem pecunia corruptus. Censet itaque ludos Apollinares, quos ut prætor A. V. C. DCXXXIII. edidit, hic celebrari Vaillantius, ita de hoc nummo scribens pag. 47. „ Scaurus in memoriam lu-
„ dorum Apollinarium, quos ut prætor celebrave-
„ rat, caput ipsius Apollinis exhibuit, uti plures
„ alii prætores eam ob rem iterum (lege, *idem si-*
„ *gnaverant, uti &c.*) signaverant, in hac familia-
„ rum Historia observare est. In aversa parte Pega-
„ sum cudit, Apollini alludens Musarum comiti,
„ imo & patri, quarum pegasus symbolum est, hic

,, enim in Helicone Bœotiæ monte, in quo habi-
,, tabant ſorores, ungula ſaxum feriens illis fon-
,, tem aperuit, qui ex ejus nomine Hippocrene
,, eſt dictus, inde Pegaſus in aërem evolans inter
,, aſtra conſtitutus eſt, quod indicat creſcens Lu-
,, na ſub ejus pedibus, ad denotandum illam ei
,, eſſe inferiorem, de quo Aratus,

,, *Sed Pegaſus æthere ſummò*
,, *Veloces agitat pennas, & ſidere gaudet* "

Verum non eſt credibile pecuniam a prætoribus ſignatam fuiſſe. Lubentius crediderim a filio M. Æmilio Scauro, Sullæ privigno, ſignatam fuiſſe in triumviratu monetali, præturam patris ſui celebrantem, unde ſe M. F. inſcribit, ut generis ſui nobilitatem indicaret, quæ in patre primum antiquas vires receperat, poſtquam tribus ſupra eum ætatibus jacuiſſet. Hic ipſe Scaurus prætor poſtea factus fuit, &, ſi prætores cuderint pecuniam, æque illi atque patri nummus tribui poteſt, propter ludos Apollinares in prætura editos. Ex prætura Sardiniam ſortitus, accuſantibus Sardis, ægre evaſit. Ædilitas ejus, ut ſumtuoſiſſima, & moribus labem inferens, notatur a veteribus. Ædilitatem geſſit A. V. C. DCLXXXXV. Goltzius, qui nummum hunc publicavit in Faſtis pag. 151. retulit ad A. V. C. DCXXXVIII. & ad conſulem M. Æmilium Scaurum cum Cæcilio Metello; adeoque ad patrem.

Luna creſcens in nummo, non ad pegaſum referri debet, ſed ad Dianam, cujus eſt ſymbolum, ad ludos Apollinares ſignificandos, ſicuti pegaſus eſt ipſius Apollinis.

XXIII.

Caput Mercurii cum galero alato, ante quod ſpica eſt. In averſa quadrigæ, aurigante victoria, dextra coronam tenente; additur *Marcus* AIMI-L*ius* M*arci* F*ilius* SCAVRVS.

Goltzius publicavit hunc nummum in Faſtis pag. 152. ad A. V. C. DCXXXVIII. quo de Gallis Carnis triumphum egit Æmilius Scaurus. Ericius pag. 127. ad hujus denarii intellectum ſequentia ſcripſit. ,, Romæ cuſa fuit hæc
,, moneta A. V. C. DCXXXVIII. ſub conſu-
,, latu M. Scauri, quo tempore ille victoriam de
,, Liguribus reportavit. Conſul enim Liguriam
,, provinciam ſortitus fuit. Quod vero cum Li-
,, guribus res illi fuerit, teſtatur Strabo lib. V.
,, *Magna intra Padum pars paludibus occupabatur,*
,, *per quas Annibal magnis difficultatibus iter fecit*
,, *in Tuſciam. Cæterum Scaurus, deductis ex Pado*
,, *usque in Parmenſium agrum foſſis, navigationibus*
,, *commodis, paludes ipſas exſiccavit e campis. Per*
,, *Placentina enim arva Trebia, Padum influens, alii-*
,, *que complures ante fluvii præter modum ſtagnant.*
,, Quodque idem habuerit exercitum cum impe-
,, rio docet Frontinus lib. IV. quum dicit: *Po-*
,, *mifera arbor, quam in pede caſtrorum fuerat com-*
,, *plexa metatio, poſtero die abeunte exercitu, qui*
,, *ſub M. Scauro meruit, intactis fructibus relicta.*
,, Quomodo vero poſtea in conſulatu ſuo Ligures
,, domuerit, deque iis triumphaverit, in libro de
,, Viris Illuſtribus ſcriptum legitur. De hujus
,, Scauri fortuna ſic ſcribitur apud Aſconium Pe-
,, dianum: *M. Scaurus ita fuit patricius, ut tribus ſu-*
,, *pra eum ætatibus jacuerit domus ejus fortuna. Nam*
,, *neque pater, neque avus, neque proavus, ut puto, pro-*
,, *pter tenues opes, & nullam vitæ induſtriam, ho-*
,, *nores adepti ſunt.* Cicero pro Murena de eodem
,, ſic ſcripſit: *M. Æmilius Scaurus memoriam pro-*
,, *pe intermortuam generis ſui virtute renovavit.* Plu-
,, tarchus denique de Fortuna Roman. *Æmilius*
,, *Scaurus ex humili vita, & humiliore genere, no-*
,, *vus homo, a fortuna ſublatus, princeps ſenatus fa-*
,, *ctus eſt.* Ex quibus locis aliisque patet, Scau-
,, rum domum ſuam proſtratam, atque humilem,
,, ſua virtute atque induſtria, ad magnam evexiſſe
,, nobilitatem. Triumphi ejus de Liguribus cla-
,, rum in hoc denario ſupereſt teſtimonium, in
,, quo cernitur quadriga triumphalis deæ Victo-
,, riæ, quæ coronam dextra manu gerit.

,, Invenitur & alter hujus Scauri nummus ar-
,, genteus, eodem hoc anno cuſus, in quo a par-
,, te priore Apollinis eſt caput cum inſcriptione
,, SCAVRVS, a poſteriore pegaſus equus, ſub
,, cujus pedibus eſt luna creſcens cum epigraphe
,, M. AEMILIVS M. F. Pegaſus ibi, ut puto,
,, hieroglyphicam habet ſignificationem, atque
,, famæ eſt ſymbolum; natus enim fingitur pe-
,, gaſus ex cruore cæſæ Meduſæ; virtus vero
,, pulſo timore famam propagavit. Per lunæ vero
,, ſymbolum æternitatem Ægyptii depinxerunt.
,, Quæ ſymbola ſimul juncta ſignificant perpe-
,, tuam & claram M. Scauri famam, multum a
,, vetuſtis ſcriptoribus celebratam. Pegaſus i-
,, dem in multis aliis invenitur nummis, imo
,, conſularibus quoque, ubi eadem interpretatio
,, locum habere poteſt. Ex. gr. in argenteo num-
,, mo familiæ Popilliæ, in quo ab altera parte
,, deæ cujusdam, ut reor, caput eſt, ab altera
,, parte pulcherrima pegaſi pictura. Ad partem
,, priorem adſcribitur COS. LAENAS. ad po-
,, ſteriorem C. POPILLI. P. F. P. N. qui num-
,, mus cuſus fuit ſub conſulatu C. Popillii Læ-
,, natis; item in alio nummo argenteo temporis
,, recentioris, qui ab altera parte habet caput
,, Africæ provinciæ elephantinis exuviis tectæ,
,, protenſis dentibus & proboſcide; ab altera ve-
,, ro parte pulchrum pegaſum, cui hæ ſubſcri-
,, ptæ leguntur litteræ. C. FVRNI P. F. quæ
,, moneta ſub Auguſto Cæſare cuſa fuit. Pega-
,, ſus itidem in pulcherrimo Cæſaris Auguſti num-
,, mo aureo cernitur, aliisque nummis, quos
,, brevitatis gratia enumerare ſuperſedeo; in qui-
,, bus omnibus eandem hanc famæ & gloriæ ſi-
,, gnificationem habere poteſt.

,, Scauri quoque mentionem in alio nummo
,, argenteo factam invenio. In eo ab altera par-
,, te cernitur camelus ſtans, quem loro tenet fi-
,, gura ingeniculata, cum inſcriptione M.
,, SCAVR. AED. CVR. EX S. C. i. e. *Mar-*
,, *cus Scaurus ædilis curulis ex ſenatusconſulto.* Qua-
,, drigæ cernuntur ab altera parte, cum figura
,, inſiſtente, atque inſcriptione P. HYPSAEVS.
,, AED. CVR. i. e. *Publius Hypſæus ædilis cu-*
,, *rulis.* Subtus cernitur: C. HYPSAE. PRI-
,, VER. CAPTVM. i. e. *Caio Hypſæo conſule*
,, *Privernum captum.* Quadriga, quæ in altera
,, parte eſt, teſtatur triumphum C. Hypſæi conſulis
,, propter Privernum captum, ſicut apud Li-
,, vium legi poteſt. Camelus autem cum figura
,, ingeniculata ſignatus eſt in nummo in memo-
,, riam ludorum, quos edidit M. Scaurus, ædilis
,, curulis, prouti hic magiſtratus tales ludos ſuis
,, impenſis edere jubebantur. Denotat igitur is
,, denarius utrumque, & M. Scaurum, & P. Hy-
,, pſæum ædiles curules fuiſſe. Quorum prior
,, per camelum ludos a ſeſe editos in populi gra-
,, tiam indigitavit, alter, P. Hypſæus ſcilicet,
,, maluit triumphum C. Hypſæi conſulis de Pri-
,, verno capto ſignare, pro nobilitate generis
,, ſui, ad quod originem ſuam referebat; quod in
,, multis hujus generis nummis obſervare eſt.

,, Un-

„ Unde exiſtimo hunc M. Scaurum ipſum eſſe „ conſulem, ſub cujus conſulatu nummus præcedens cuſus fuit, ſicuti poſterior ille, quantum conjectura adſequi valemus, in ejusdem ædilitate curuli."

Hæc Ericius. Quæ vero profert ad explicationem aliorum nummorum Familiæ Æmiliæ Scaurorum, parum faciunt ad typorum in nummis illis ſcopum. Quæ ex Ægyptiorum hieroglyphicis profert, in nummis Romanis rariſſime locum habere poſſunt. Pegaſus Apollinis & Muſarum nonnunquam eſt ſymbolum, ſed ſæpius Africæ vel Siciliæ, prouti res exigit. Ipſa vero hujus nummi explicatio penitus fere eſt eadem quæ invenitur apud Pighium tom. III. Annal. pag. 103. niſi quod notet idem, ſequente eundem Vaillantio, non modo contra Ligures Æmilium, ſed contra Gallos Carnos præcipue bellum geſſiſſe, unde de Gallis Carnis titulus triumphi ejus in Faſtis inſcribitur. Carnos vero, gentem Celticam, a Strabone lib. V. collocari in regione tranſpadana ſub Pœninis Alpibus, ſupra Venetos, Noricos & Iapidas, magnam Iſtriæ partem occupantes, eorumque nominis veſtigium in Carniolæ ibidem adpellatione adhuc ſupereſſe. Notant inſuper Pighius & Vaillantius, in ſpica illa, quæ ad caput Mercurii cernitur, adludi a Scauro ad nomen populi devicti, quoniam vox *Karn* ſive *Kern* (nam & *Karni* per K. proprie hi populi ſcribebantur) apud antiquos Celtas, & nunc quoque apud nos, ſignificet granum & illud quod folliculo exemto in granis & frugibus invenitur.

Mercurii caput iidem exiſtimant ſignatum a Scauro fuiſſe, ob peculiarem ejus dei cultum; quod ſcilicet eloquentiæ plurimum ſtuderet, qua magnus evaſerat, atque familiam ſuam extulerat. Verum certum eſt Mercurium a veteribus Celtis & Gallis ſummo honore cultum fuiſſe, unde non mirum, ſi pro ſymbolo devicti populi in nummo ſignetur.

XXIV.

Caput Apollinis laureatum, ex altera parte eſt templum tetraſtylum in conum deſinens, in quo cippo inſidet Apollo nudus, dextra plectrum, ſiniſtra tenens lyram: ante quem Victoria ſtans, ei coronam porrigens, cum epigraphe, MAM*ercus* AIMIL*ius* LEPIDVS LIVIANVS.

Nummum hunc protulit Goltzius in Faſtis pag. 167. ad A. V. C. DCLXXVI. quo conſul cum D. Junio Bruto hic Æmilius Livianus exſtitit. Vaillantius cenſet ludos Apollinares typo hujus nummi deſignari, quod Marcius olim vates populo Romano victoriam de hoſtibus pollicitus erat, ſi Apollini voverent ludos, atque inde, a parta deinceps victoria, ludorum Apollinarium originem exſtitiſſe.

Negari illud non poteſt, ſed a prætore cuſos fuiſſe denarios vix eſt credibile, quum ærarii cura ad quæſtorem, & cudendorum nummorum poteſtas ad triumviros monetales ſpectaverit. Itaque nummus hic aureus cuſus fuiſſe videtur vel ab ipſo Lepido triumviro monetali, vel a triumviris monetalibus ejus anni, quo Lepidus & Appius Claudius, qui conjunguntur in nummo ſequenti, ſimul geſſerunt vel ædilitatem vel præturam, ut, quod in illorum magiſtratu memorabile exſtiterit, expreſſerint in moneta ſua triumviri. Et hic quidem nummus non tam ad ludos Apollinares ſpectare videtur, quam ad reſtitutionem templi Apollinis, quod ædilium curulium erat munus, in quo Apollinis templo ejusmodi ſtatua videtur fuiſſe Apollinis a dea Victoria coronati.

T A B. II.

I.

Caput muliebre velatum Concordiæ. Additur MAM*ercus* LEPID*us* LIVIAN*us*. Ex altera parte legitur AP*pius* CLAVDIVS AP*pii Filius* PVLCHER. Sella curulis.

In cenſura Lepidi cum Servilio Iſaurico denarium hunc publicavit Goltzius ad A. V. C. DCLXXXXII. in Faſtis pag. 173. Vaillantius refert ad præturæ annum A. V. C. DCLXXVI. una cum Appio Claudio, quocum quæſturam urbanam illi Pighius adſignavit A. V. C. DLXV. Sellam curulem, ut inſigne prætorum, poni ait: Concordiæ caput idem refert ad concordiam Lepidi cum patris adoptivi familia. Verum quid illa concordia ad Appium Claudium? Unde potius exiſtimo cuſum fuiſſe & hunc & præcedentem nummum, in utriusque ædilitate curuli, in qua videntur ædes Concordiæ & Apollinis Victoris refeciſſe, quod publicæ religionis monumentum ejus anni triumviri monetales in pecunia publica expreſſerunt.

Nomen Liviani productum docet hunc Lepidum ex Livia, gente plebeja, fuiſſe, atque adoptione in gentem Æmiliam patriciam transiiſſe. M. Livii Druſi itaque filius fuiſſe exiſtimatur, atque adoptatus fuiſſe a Mamerco Æmilio Lepido, ſenatus principe.

II.

Caput Romæ galeatum; adſcribitur LEPIDVS. Ex averſa parte Jupiter eſt in quadrigis triumphalibus, dextra fulmen, ſiniſtra ſceptrum tenens & habenas equorum. Adſcribitur *Marcus* AIMIL*ius Marci Filius Quinti Nepos* PROPR*ætore*.

„ Cuſus fuit hic denarius (inquit Ericius pag. „ 207.) A. V. C. DCCVI. quo iterum dictator „ creatus fuit Julius Cæſar; conſules eodem anno creati ſunt Q. Fufius Calenus & P. Vatinius, triumphavitque conſulibus iis ex Hiſpania proprætore M. Æmilius Lepidus, teſte „ Dione lib. XLIII. *Cæſar ubi primum a M. Lepido prætore dictator dictus eſt, (id autem biennio ante factum eſt) ipſum ſtatim poſt præturam in citeriorem Hiſpaniam miſit, & reverſum triumpho ornavit, cum tamen ille non ſolum neminem viciſſet, ſed ne omnino quidem pugnaſſet; hoc titulo, quod rebus a Longino, & Marcello geſtis interfuiſſet. Itaque Lepidus in triumpho nihil aliud tulit, quam pecunias, quibus ſocios ſpoliarat.* „ Favit hoc modo Cæſar Lepido, quem & conſul poſtea collegam adſumſit, & dictator magiſtrum equitum, Triumphum vero illum Lepidi Faſti Capitolini probant, & nummus hic, „ in quo idem triumphus depingitur."

Publicavit hunc nummum Goltzius in Faſtis pag. 179. ad A. V. C. DCCVI.

III.

Caput Julii Cæſaris laureatum & velatum cum lituo ante caput. CAESAR *Pontifex Maximus* DIC*tator* TER*tium*. Ex averſa parte M. LEPIDVS IMPER*ator*. Caput Lepidi nudum.

Cæſaris & Lepidi geſta nota ſunt. Cæſar A. V. C. DCCVII. dictator & conſul III. Lepidum

dum magistrum equitum creavit, qui imperator in hoc nummo dicitur propter res in Hispaniis scilicet gestas. Ad dictum annum publicavit hunc nummum Goltzius in Fastis pag. 179.

IV.

ROMA. Caput Romæ galeatum. In aversa clypeus est, & inscriptio *Marcus* AIMILI*us Marci Filius Quinti Nepos* LEPIDVS PRAEF*ectus* VRB*i*.

Cæsar in Hispaniam proficiscens ad debellandos Pompeji liberos & partium reliquias, curam urbis Lepido commisit, qui in hoc denario præfectus urbi adpellatur; sed sub illo octo alios constituit præfectos, quos omnes feliciter ex nummis Familiarum eruere nobis datum fuit, ut in ipso opere ejusque indice cerni potest. Acciderunt hæc A. V. C. DCCIV. licet nummum publicaverit Goltzius p. 179. ad A. V. C. DCCVII. Clypeus videtur esse votivus, pro salvo Cæsaris reditu ejusque victoria diis dicatus & suspensus.

V.

Lucius AEMILIVS BVCA. Julius in suggestu, togatus, habitu perorantis depingi videtur; hinc sunt fasces cum securibus, inde aquila legionaria: in imo, DIC*tator* III. ex aversa parte CAESAR IMP*erator* IIII. Cæsar in quadrigis triumphalibus, dextra lauri ramum, sinistra habenas tenens equorum.

Cusus fuit hic nummus Cæsare dictatore III. & imp. III. adeoque A. V. C. DCCVIII. in ejus initio. Est vero monumentum triumphorum Cæsaris. Ut imperator milites (per signa eorundem expressos) adloquens, in priore nummi parte signatur. Vaillantius retulit ad triumphum de Juba, rege Mauritaniæ, Goltzius ad triumphum de Pharnace, Ponti rege, in Fastis p. 180. ad A. V. C. DCCVII. subjecit vero idem currum cum elephantis, qui triumphum de Juba rege designet.

De IIIIviris monetalibus & Æmilio Buca jam ante suo loco actum fuit.

VI.

Caput M. Lepidi nudum. Adscribitur M*arcus* LEPIDVS IMPER*ator*. Est ex aversa parte figura equestris habitu pacificatoris, dextra in altum sublata, cum litteris S*enatus* C*onsulto*.

Invenitur hic denarius apud Goltzium pag. 181. ad A. V. C. DCCVIII. In illo ab altera parte ovatio Cæsaris, ex Albano monte urbem ingredientis, depingitur, quæ contigit A. V. C. DCCIX.

VII.

M*arcus* LEPIDVS IMP*erator* ITER*um* PONT*ifex* MAX*imus* III VIR R*ei* P*ublicæ* C*onstituendæ*. Caput Lepidi, pone quod lituus: ab altera parte, SALVS PROVINCIARVM AFRICAE. S*enatus* C*onsulto*. Lepidus in equo pacificatoris habitu.

Quum Lepidus in Africam cum exercitu esset profectus, quique ibi erat T. Sestius copias cum illo conjunxisset, omniaque hæc sine motu facta fuissent, denarius hic in ejus gratiam cusus fuit, in quo, tanquam salus provinciarum Africæ, pacificatoris habitu, ipse depingitur Lepidus.

Refertur a Goltzio ad A. V. C. DCCXII. in Fastis pag. 188.

VIII.

M*arcus* LEPID*us* IMP*erator* ITER*um* PRO CO*n*S*ule*. Lepidus togatus, in quadrigis triumphalibus, dextra tenet habenas equorum, sinistra scipionem eburneum, ex altera parte IIIVIR R*ei* P*ublicæ* C*onstituendæ*. Victoria stans supra navis proram dextra tenet coronam sinistra palmam.

„ Hæc moneta (inquit Ericius pag. 229.) cusa „ fuit Romæ A. V. C. DCCX. quo M. Æmi„ lius Lepidus ex Hispania triumphavit procon„ sule. Scriptum enim invenitur in Fastis Ca„ pitolinis, M. Lepidum proconsulem ex Hispa„ nia triumphasse eo anno mense Januario. Scri„ bit quoque Appianus M. Lepidum triumvirum „ ex Hispania triumphasse, licet tot cives Roma„ nos, per impiam proscriptionem suam, perdidisset. „ Anno enim præcedente a Cæsare Galliam atque „ Hispaniam obtinuerat. Unde scribit Vellejus da„ tam Lepido fuisse provinciam Hispaniam, „ quum adhuc in Galliis moraretur. Verum de „ Lepidi & Planci triumpho ita scribit idem „ Vellejus: *Lepidus triumvir Paullum fratrem „ proscripsit. Planco non defuit gratia ad impetran„ dum, ut frater ejus Plancus Plotius prosciberetur. „ eoque inter jocos militares, qui currum Lepidi, „ Plancique sequuti erant, inter exsecrationem civium „ usurpabant hunc versum; De Germanis, non de „ Gallis duo triumphant Consules.* In Hispanis cum „ imperio fuisse Lepidum Dio quoque testatur his „ verbis, de Cæsare Octaviano agens: *Huic cum „ Antonius prædia ab se occupata non restitueret, „ Lepidus, qui finitimam Hispaniam obtinebat, per„ suasit, ut cum eo in gratiam rediret, quo posset „ omnia recuperare facilius.* Triumphum denique „ Lepidi ex Hispania, præter dictos auctores, „ nummus quoque hic nos docet; in quo ab al„ tera parte quadrigæ triumphales sunt, quibus „ insistit Lepidus, ab altera proræ insistit Vi„ ctoria cum corolla & palma, quæ inde nava„ lem significat victoriam. Titulus Lepidi im„ peratoris tertium, docet Lepidum, peracta fe„ liciter aliqua expeditione, tertia jam vice il„ lum titulum meruisse.

„ Invenitur & alius argenteus M. Lepidi num„ mus, qui a parte priore ejusdem Lepidi caput „ habet galeatum, cum inscriptione LEPIDVS „ IMP. PONT. MAX. IIIVIR. R. P. C. ab „ altera parte exhibet tropæum inter duo signa mi„ litaria proræ navis inposita, cum literis EX „ S. C. Fuitque is nummus Romæ iisdem fere „ temporibus cusus. Signa vero illa militaria, „ cum tropæo, Lepidi victoriam Hispanicam at„ que triumphum ejusdem designant, unde & a „ parte priori caput ejus, velut ducis, militari, „ modo galea tectum, exhibetur. Temporibus „ Cæsaris Augusti signata fuit ista moneta. Cæ„ sar enim Octavianus, audita Julii cæde, Ro„ mam Apollonia rediit, atque adiit ejus hære„ ditatem, nomenque adsumsit, solo hæreditatis „ non legis respectu, verum, consul eodem anno „ factus, lege in nomen Cæsaris transiit. Inde „ ab omnibus deinceps C. Cæsar (quod antea „ ab omnibus non solebat fieri) adpellari incœ„ pit. Exinde quoque imperator Cæsar dici cœ„ pit, sicut pater ejus, quod nomen posteri ejus „ receperunt. Post tres vero annos ipse illud no„ men adsumsit, sicuti patet ex inscriptione „ nummorum IMP. CAESAR DIVI F. C. N."

Hic Ericii verborum sensus est. Vaillantius vero notat armatum galea caput Lepidi occurrere, sicut & reliquorum nonnunquam IIIvirorum, quod isto habitu, armati scilicet, ex agro Bononiensi Romam contenderint triumviri, in hoc vero nummo, quem jam explicamus, ab altera parte exprimi triumphum Lepidi Hispanicum, ab altera vero parte Victoriam proræ navis insistentem, quod mare esset, Sexti Pompeji reconciliatio-

FAMILIA AEMILIA.

liatione cum populo Romano, liberum. Verum ego non video, quomodo mare liberum per Victoriam proræ insistentem exprimi possit. Victoria enim proræ insistens in hoc nummo, necessario victoriam aliquam navalem denotat, quæ videlicet reportata fuit eo tempore, quo prima vice triumvir cum collegis suis fuit Lepidus, ipse vero iterum imperator. Unde suspicor hosce nummos respicere victoriam navalem Cæsaris Octaviani de Sexto Pompejo, cujus typum & symbolum quoque in Lepidi nummis expresserunt, quoniam ad commune bonum triumvirorum hæc Sexti Pompeji clades spectabat.

IX.

LEPIDVS IMP*erator* PONT*ifex* III. VIR *Rei Publicæ Constituendæ*. Caput Lepidi galeatum: ex aversa parte EX *Senatus Consulto*. Aquila legionaria cum tropæo insistens proræ: hinc inde signum militare.

Cusus videtur post victoriam Philippensem; id tropæum indicat; prora & signa militaria exercitus & classes denotant. Utrumque vulgavit Goltzius in Fastis pag. 186. ad A. V. C. DCCX. & DCCXI.

X.

Caput M. Lepidi nudum, cum inscriptione *Marcus* LEPIDVS PONT*ifex* MAX*imus* III VIR *Rei Publicæ Constituendæ* CO*nSul* ITER*um*. pone caput lituus: in aversa parte, *Caius* VIBIVS VARVS. Mulier stolata stans, dextra victoriam, sinistra cornucopiæ.

De Vibio Varo vide in gente Vibia; typus concordiam inter triumviros significat. Cusus est nummus Lepido iterum consule, A. V. C. DCCXI. cui collega fuit Plancius. Custodia urbis tum illi commissa erat, Cæsar enim & Antonius Brutum & Cassium bello persequebantur.

Exhibuit nummum hunc Goltzius in Fastis pag. 187. ad A. V. C. DCCXI.

XI.

Caius CAESAR DIVI *Filius* IMP*erator* CO*nSul* IIIVIR *Rei Publicæ Constituendæ*. Caput Cæsaris nudum. Ab altera parte tres dextræ junctæ caduceum & fasces decussatim tenent, adsunt globus & securis, & inscriptio SALVS GENERIS HVMANI.

Ad eandem triumvirorum concordiam respicit, quasi illa salus Romani nominis & humani foret generis. Caput non est Lepidi sed Cæsaris barbam propter luctum Julii nutrientis. Vulgavit nummum Goltzius in Fastis pag. 185. ad A. V. C. DCCX. ut Cæsaris; sed sculptor Morellii tertium in tabella nummum sumsit, quum debuisset primum sculpere, qui Lepidi est, & ab altera parte dextras junctas cum caduceo alato, & inscriptione Mussidii IIIviri monetalis exhibet.

XII.

Idem sculptori in hoc quod in priore accidit, nisi quod jam supra num. VII. exhibuerit Lepidi nummum, qui exstat apud Goltzium pag. 188. num. 1. ad A. V. C. DCCXII. atque insuper sculpsit ibidem nummum tertium; qui palam Cæsaris barbam nutrientis est.

XIII.

CONCORDIA. *Lucius* MVSSIDI*us* LONGVS. Caput Concordiæ velatum. Ab altera parte dextræ junctæ caduceum tenent, cum inscriptione, CAESAR LEPI*dus* ANTON*ius* III VIRI *Rei Publicæ Constituendæ*.

Concordiæ est symbolum inter triumviros; Antonium, Lepidum, & Cæsarem. De L. Mussidio vide in Familia Mussidia.

Vulgavit nummum Goltzius in Fastis pag. 190. ad A. V. C. DCCXIII.

XIV.

Caput Lepidi nudum sine inscriptione: ex averso latere; *Marcus* LEPIDVS PONT*ifex* MAX*imus* III VIR *Rei Publicæ Constituendæ*. Præfericulum, lituus, simpulum & culter.

Nummus spectat ad pontificatum Lepidi, quem is, post Julii Cæsaris mortem, in summa illa rerum perturbatione ad se rapuerat.

Protulit Goltzius hunc nummum in Fastis pag. 190. ad A. V. C. DCCXIV.

XV.

Marcus LEPIDVS IMP*erator* ITER*um* PONT*ifex* MAX*imus* III VIR *Rei Publicæ Constituendæ*, circa caput Lepidi; pone vero illud est præfericulum: in postica parte tripus, cui serpens in gyros circumflectitur & se super eum erigit. In imo tripodis duo pulli vescuntur; quod ad pullispicium pertinet, a dextris lituus est, a sinistris simpulum; & EX S. C. per transversum.

Et hic nummus spectat ad pontificatum maximum Lepidi. Exstat apud Goltzium in Fastis p. 192. ad A. V. C. DCCXV.

XVI.

LEPIDVS PONT*ifex* MAX*imus* III VIR. ITER*um* *Rei Publicæ Constituendæ*. Caput Lepidi, hinc lituus, inde urceus: in altero latere, *Publius* SEPVLLI*us* MACER. Tripus inter duas fasces cum securibus.

Spectat nummus ad renovatam triumvirorum potestatem. Typus aversæ partis pontificatum Lepidi, & summam ejus potestatem denotat. De Sepullio Macro consule Familiam Sepulliam.

Vulgavit nummum Goltzius ad A. V. C. DCCXVI. in Fastis pag. 193.

XVII.

Caput Concordiæ velatum cum epigraphe CONCORDIA. PAVLLVS LEPIDVS. Est in averso tropæum, a dextra ejus parte stat Perseus, & Bitis, Cotyis, regis Thraciæ, filius, cippo insidet, uterque nudus, & manibus post terga revinctis. Est a sinistra parte tropæi suggestus, in quo Lucius stans togatus, dextram tropæo inponens, & pone eum figura pariter togata, sed minus alta.

Vide, quæ dicta sunt ad num. XX. tab. præcedentis. Typum vero hunc ita explicat Vaillantius: „ Qui a dextris visuntur, manibus post „ terga revinctis, prior (*scil.* eorum) est Perseus, „ stans, in æternum captivus futurus, alter cippo „ insidet, ut belli socius, nempe Bitis, quem, teste „ Livio in triumpho ductum, pater Cotys Rex „ Thraciæ a Romanis pro lytro per legatos po„ stulavit. Senatus eum a Carseolis accersitum „ patri filium remisit, dicens beneficia gratuita „ esse P. Romani.

„ Caput Concordiæ deæ selegit Paullus Lepi„ dus, ut concordiam suam cum fratre adoptivo „ M. Lepido denotaret, quæ maxime inter fra„ tres optanda; nam Paullus Lepidum P. Roma„ ni hostem judicavit; & Lepidus tandem, trium„ vir Reipublicæ constituendæ factus, eum pro„ scripsit, quem milites servavere honoris caussa, & „ passi sunt eum ad Brutum in Asiam confugere, „ quem

„ quem Octavius Cæsar postea revocavit. "

Perizonium, quum de hisce Æmilii Paulli nummis, præsertim Concordia dea insignitis, aliquid scripsisset in Animadv. suis Histor. rogavit Morellius, an adhuc in eadem sententia persisteret, pag. 132. „ In sexto nummo Tabulæ I. hujus „ gentis Æmiliæ porro considerandum venit ad- „ scriptum, TER. quod Ursinus ad triplicem „ triumphum retulit; id ipsum tamen in anim- „ adversionibus Historicis refellitur. Num ve- „ ro in eadem adhuc perstet sententia vir cla- „ rissimus, id est, de quo per literas ad illum „ cupio esse certior. Æmilium autem TER „ triumphasse, testatur inscriptio, quam adfert „ Ursinus: quare non etiam nummus, ut cum „ lapide eo rectius conveniat. Ac si hæc inter- „ pretatio Lectori non arrideat, triumphum tri- „ duanum, attestante eundem historia, forsan „ iisdem sistere voluerunt. Tropæum præter- „ ea non solum victoriam, sed & ipsum trium- „ phum denotare, probare videtur caput ipsius „ Triumphi in primo nummo gentis Papiæ apud „ Ursinum, cui tropæum adjectum est, con- „ spiciendum; imo sub imperatoribus tropæum „ triumphum magis inferre, quam quadrigæ, „ quæ sæpissime processum saltim ad Consulatum „ indicant, certum est." Respondit Perizonius pag. 229. „ In altero gentis *Æmiliæ* nummo non „ sufficere censeo ad probandum tertium L. *Paulli* „ triumphum, quod tropæum ille habet expres- „ sum cum vocula *TER.*, quum tertium hunc „ triumphum diserte satis negent Fasti Trium- „ phales, præcipuæ in hoc genere auctoritatis, „ ac Plutarchus, qui Paulli vitam memoriæ pro- „ didit, & ejus laudes undique conquisivit, nec „ quisquam alius illum triumphum memoret, „ nisi Vellejus, & inscriptio, quam Ursinus o- „ stentat: cumque tropæum (vide quæ ex Ser- „ vio attuli Animadvers. Histor. pag. 214.) vere „ non tam sit triumphi, quam victoriæ, si- „ gnum, sive eam secutus sit triumphus, seu „ minus, certe æque denotet etiam in Nummis „ Victoriam sine triumpho, quam victoriam „ cum triumpho. Res constat satis vel ex solis „ Syllæ & Pompeji annulis, in quibus æque „ expressa fuerunt *tria tropæa*; teste Dione lib. „ XLII. pag. 193. sed quæ in annulo Pompeji „ notabant tres victorias, de quibus ille etiam „ triumphavit, at in Syllæ annulo tres vi- „ ctorias, sine triumpho plerasque, si quidem „ is semel tantum triumphavit. Neque aliter in „ nummis Syllæ, in quibus *Imp. iterum*, h. e. „ *iterum victor*, dicitur, duo reperiuntur tro- „ pæa, victoriæ tantum istic, non triumphi, „ signa. Ita ergo cum tres Paulli victorias me- „ morat Livius, Plutarchus, atque alii, sed duos „ tantum triumphos illi ipsi, quid tandem certi „ habemus ad tres omnino triumphos affirman- „ dos ex nummis, in quibus Paullus *ter* dicitur „ tropæum erexisse?

„ Neque enim quæritur, utrum triumphus „ tropæo in nummis designari quoque potuerit, „ aut designatus aliquando fuerit; sed an hoc „ tropæi signi triumphus omnino designatus „ semper fuerit, non autem victoria quoque sine „ triumpho designari potuerit, & designata sæpe „ fuerit; quod quum certissimis exemplis ex an- „ nulis & nummis probatum Animadv. Histor. cap. „ VI. dederimus, manifestum inde, quam parum „ idonei argumenti ex his nummis elici queat ad „ controversum hunc tertium Paulli trium- „ phum inde probandum. Æmilii quid animi „ in cudendis his nummis habuerint; non affir- „ maverim: crediderim tamen eos habuisse „ rationes suas, cur ambiguo hoc tropæi signo „ rem in medio tunc reliquerint, satisque ha- „ buerint, tres L. Paulli, sive victorias tantum „ insignes, sive etiam triumphos, isthoc modo „ declarare." Non illepide respondit Morell. p. 292. „ L. Paullo constantissime denegas trium- „ phum tertium, etiamsi lapides illum conce- „ dere videantur. Si ergo & alios tibi in hoc ad- „ surgere videam, TER tibi gratulabor, quod „ Victor triumphum ob triumphi denegationem „ adeptus sis."

Vulgavit hunc nummum Goltzius pag. 199. ad A. V. C. DLVIII.

XVIII.

LEPIDVS. Caput Vestæ velatum, pone quod simpulum. In aversa templum Vestæ rotundum, in quo duæ sellæ curules & epigraphe VESTA. *Quintus* AIMILIVS.

Quum Goltzius in Fastis ad A. V. C. DCCXXXII. pag. 207. consulibus Lepido & Lollio hunc denarium protulerit, Ericius inde conjecturam sumsit de anno, quo cusus idem hic denarius fuerit. Scribit enim pag. 248. in hunc modum: „ Cusa fuit moneta Romæ A. V. C. „ DCCXXXII. consulibus Q. Æmilio Lepido „ & M. Lollio. Horum consulum mentio fit in „ inscriptione antiqua, quæ Romæ exstat in „ ponte Fabricio,

„ L. FABRICIVS. C. F. CVR. VIAR. FA-
„ CIVNDVM. CVRAVIT
„ Q. LEPIDVS. M. F. LOLLIVS. M. F
„ PROBAVERVNT

„ Consules eosdem innuit Horatius in Episto- „ lis:

„ *Collegam Lepidum quo duxit Lollius anno.*

„ Scriptum de iisdem sic reliquit Dio: *Cum Au- „ gustus in Sicilia esset, populus Ro. in comitiis Con- „ sularibus seditionem excitavit. Nam M. Lollius „ solus inivit, locus alter Augusto servabatur. Au- „ gusto vero Consulatum recusante, Q. Lepidus, & „ L. Silvanus summa contentione petentes, ita omnia „ perturbarunt, ut Augustus a prudentioribus accer- „ seretur. Q. Lepidus creatus est.* Caput deæ ve- „ latum Vestæ est, templumque, quod ab alte- „ ra nummi parte cernitur, deæ ejusdem est, „ rotunda, ut passim, forma. Lollii itidem „ mentio fit in pulcherrimo nummo aureo, qui „ a parte priore duo juncta habet capita, Cæsa- „ ris Julii & Augusti, post quæ augura- „ tus insigne lituus cernitur. A parte po- „ steriore est tripus Apollinis cum duabus stel- „ lis desuper, atque hac inscriptione in circui- „ tu, M. LOLLI. M. F. IIIVIR. qui scilicet „ triumvir monetalis exstitit, eo tempore, quo „ nummus ille cusus fuit. Verum, quoniam de „ Lollio sermo est, vidi ego nummum valde ra- „ rum in ære magno, qui ab altera parte caput „ Apollinis inberbe exhibet, cum sceptro ante „ ejus faciem, ut in quibusdam nummis argenteis „ quoque est observare; sub mento litera B. in- „ venitur. Ab altera vero nummi parte est sel- „ la curulis, cum inscriptione L. LOLLIVS. „ qui videtur inter majores hujus Lollii fuisse. „ Vidi quoque similem æreum, in quo a priore „ parte caput est Dianæ cum arcu & pharetra „ post collum, ab altera vero parte cernitur cer-

„ vus

FAMILIA AEMILIA.

„ nitur cervus, animal isti deæ sacrum, & in-
„ scriptio L. LOLLIVS. "

Quæ quidem de æreis L. Lollii nummis disputat Ericius, ea conferri possunt cum iis, quæ a nobis dicta sunt ad Fam. Lolliæ nummos, & alibi, pag. 251. & ad Nummos Miscell. num. II. Aureus Lollii nummus, cujus ille mentionem facit, occurrit infra tab. XXIII. num. 7. verum nihil adducit Ericius, cur Vestæ templum in Lepidi nummo signetur. Vaillantius censet cusum fuisse nummum a Lepido in memoriam ædilitatis curulis. Sic enim scribit pag. 33.
„ A M. Lepido, Ptolemæi olim tutore, ad Q.
„ Lepidum, M. Lepidi Triumviri avum, descen-
„ dimus, hic illum nummum in memoriam Æ-
„ dilitatis curulis, quam gessit cum P. Cornelio
„ Nasica anno ⁵⁶⁷ percussit, in eo Vestæ caput
„ & illius templum, quod in magistratu refici
„ curaverunt, exhibuit, quod duæ sellæ curules
„ in templo positæ abunde confirmant. Ædilium
„ autem curulium erat officium ut templa magni-
„ ficis operibus reficerent, & ornarent: nam æ-
„ diles dicti, quod ædes sacras & privatas pro-
„ curarent, teste Varrone lib. IV. de Lingua La-
„ tina. Curules vero, a sella curuli qua uteban-
„ tur: quæ ideo positæ sunt in templi aditu. "

Ego non puto esse nummum tam vetustum, ut ad triumviri avum referri debeat, sed spectare ad Q. Æmilium Lepidum, qui consul cum Lollio fuit, verum ita ut longe ante consulatum in triumviratu monetali illum signaverit, eo anno, quo, inter alia deorum templa, ædes Vestæ quoque ab Augusto restitutæ & exornatæ fuerunt.

XIX.

II VIR. Caput Jovis Capitolini laureatum: ex averso latere. *Marcus* LEPIDVS *Lucii Filius* in vertice, COL*onia* IVL*ia* AVG*usta*. Colonus capite velato agens boves, dextra stivam, sinistra flagrum tenet.

„ Cusa fuit moneta hæc Romæ (inquit Ericius pag. 266. A. V. C. DCCLVIII. quo illam anno ponit Goltzius in Fastis pag. 226.) consulibus
„ M. Æmilio Lepido & L. Arruntio. Ostendit
„ vero Lepidus per boves, typum coloniæ de-
„ ductæ, sese fuisse IIvirum deducendæ coloniæ
„ Juliæ Augustæ, quæ huic nummo inscribitur.
„ Augustus multas suo tempore deduxit colonias,
„ Suetonio teste, fueruntque illæ numero
„ XXVIII. & inter illas quoque colonia hæc
„ Julia Augusta, quod & æreus quidam nummus
„ docet, cum colono boves agente & inscriptione
„ COL. IVL. AVG. Coloniarum hoc passim
„ erat symbolum, iisque deducendis plerumque
„ duumviri præfici solebant. "

Vaillantius M. Lepidum hunc censet fuisse filium fratris Lepidi per adoptionem, Paulli scilicet, quem ad consulatum evexit Augustus A. V. C. DCCLVII.

XX.

EX *Senatus Consulto*. Caput Apollinis laureatum. *Marcus* LEPIDVS IMP*erator* ITER*um*. Equus subsultans, super quem est scorpio.

Equus & scorpio Africæ sunt symbola, ille quidem in ipsis Carthaginensium nummis, hic in nummis Hadriani, cum provinciæ adscripto nomine.

XXI.

Marcus LEPIDVS IMP*erator* ITER*um*. Africæ eadem symbola.

EX *Senatus Consulto*. Caput idem Apollinis laureatum.

Æreos hosce nummos vulgavit in Lepido tab. XXXIII. num. 7. & 9. Goltzius.

Pertinent ad divisionem provinciarum inter triumviros, qua Lepido Africa obtigerat.

XXII.

Lucius BVCA. Caput Veneris, cui monile ad collum adaptat Cupido. Ante deæ faciem lituus est.

GERMAN. INDVT. III. Fluvius juxta montes aliquot asperos recubans, dextram super proram extendit, læva urnam amplectitur, ex qua unda effluit.

Inscriptionis hujus rationem non capio. Literæ GERMAN. videntur legi debere GERMAN*ia*, vel GERMANVS, ut supra pag. 469. 470. Sed quid reliquæ INDVTI III. sibi volunt? Typus quidem Germaniæ esse videtur, & fluviorum ejus maximi Danubii, sed de Indutiomaro, Germano Treviro, cum Begero, ad nummum, qui ab altera parte bovem, ab altera Veneris (ut falso ipse putat, Induciomari) habet caput in Thes. Brand. tom. 1. p. 309. & in museo nostro, nequaquam referri posse puto. An legendum INDVT. IIII. ut L. Buca & Indutius quidam, homo peregrinus, sed inter alios honore a Cæsare auctus, simul sub illo quatuorviri monetales has monetas signaverint? Germania certe, testis periculorum & laborum Cæsaris, in hoc nummo argenteo exprimitur, quem produxit Goltzius in Cæsare, inter cujus numismamata repetitum videas Tomo II. qui Cæsarum XII. priorum complectitur nummos. Vide quæ diximus supra pag. 469. 470.

XXIII.

LEPI*dus*. Cornucopiæ in laurea.

Pontifex Maximus IIIVIR ITER*um Reipublicæ Constituendæ*. Quatuor spicæ colligatæ.

Aureus est hic nummus, & vulgatus olim a Goltzio in Lepido tabula XXXIII. num. 5. & 11.

Tempus cusi nummi inscriptio docet, postquam videlicet in alterum quinquennium imperium sibi prorogaverant triumviri, adeoque circa A. V. C. DCCXXI. Africæ imperium, ut provinciæ suæ, ostentat Lepidus cornucopiæ & manipulo frugum, quæ fertilitatis sunt symbola.

XXIV.

ANTON*ius* IMP*erator* AVGVR. Gallus gallinaceus, sive pullus cum urceo & lituo.

LEPIDVS IMP*erator* *Pontifex Maximus*. CAESAR IMP*erator* PONT*ifex*. Albogalerus, securis, adspergillum, & capeduncula, pontificis maximi insignia.

Argenteus hic nummus a Goltzio plus semel vulgatus, exhibet sacerdotia triumvirorum; videlicet auguratum Antonii, Cæsaris pontificatum, & pontificatum summum Lepidi. Cusus fuisse videtur primis annis eorundem dominationis.

TAB. III.

I.

Sine inscriptione. Caput Cæsaris laureatum, inter caduceum alatum & lauri ramum.

Lucius AEMILIVS *Quincti Filius* BVCA IIIIVIR *Auro Argento Aeri Flando Feriundo*. In area nummi & ejusdem ambitu.

L. Æmilius Buca Quinti filius fuiſſe ex hoc & ſequenti nummo cognoſcitur. Symbola, quæ ad caput Julii ſunt, felicitatem pacis, victoriis ejusdem adquiſitæ, denotant. Cuſus eſt nummus Cæſare dictatore perpetuo renunciato, ut adparet ex inſcriptionibus nummorum III. & IV. Dictaturam perpetuam recepit anno ante imperii & vitæ annum ultimum, quum vix tres ejus anni menſes ſupereſſent, unde eodem anno, qui fuit V. C. DCCVIII. vel, juxta alios, DCCIX. & dictator IV. inſcribitur, & dictator perpetuus; niſi ſtatuamus Bucam quatuorvirum fuiſſe illo anno, quo Idibus Martiis cæſus fuit Julius Cæſar.

Omnes hujus tabulæ nummos in Cæſaribus, Julio & Auguſto, ut & in M. Lepido olim vulgavit Goltzius.

II.

CAESAR DICTATOR. Caput Cæſaris laureatum.

Lucius AEMILIVS *Quinti Filius* BVCA IIIVIR *Auro Argento Aeri Flando Feriundo*. In area nummi & ejusdem ambitu.

III.

CAESAR DICT*ator* PERPETVO. Caput Cæſaris laureatum.

Lucius BVCA. Caduceus alatus & faſces decuſſatim poſitæ. Adſunt ſecuris, globus, & dextræ junctæ.

Typus denotat felicitatem orbis Romani, ſub juſto Cæſaris imperio, pontifice ſummo, & concorde cum ſenatu populoque Romano.

IV.

Similis præcedenti, & literarum poſitione tantum diſcrepans.

V.

Similis, pictura paullum diverſa.

VI.

Sine epigraphe. Caput Cæſaris laureatum; pone quod aſtrum eſt.

Marcus LEPIDVS IMP*erator*. Caput Lepidi nudum & barbatum.

Cuſum fuiſſe hoc numiſma poſt cædem Cæſaris oſtendit barba Lepidi, triumviri enim barbam non reſecuerunt, niſi peracta ultione. Aſtrum itaque Cæſaris ad numen ejus referri debet.

VII.

CAESAR DIC*tator*. Caput Cæſaris laureatum; pone quod eſt, pontificatus maximi inſigne, præfericulum.

Marcus LEPIDVS IMPER*ator*. Caput Lepidi nudum & barbatum.

Ratio hujus nummi eadem eſt quæ præcedentis.

VIII.

Divus Iulius. Caput Cæſaris laureatum, pone quod lituus eſt.

LEPIDVS PONT*ifex* MAX*imus*. Caput Lepidi nudum cum ſimpulo & lituo.

Succeſſionem ſuam in pontificatu ſummo Julii Cæſaris hoc denario denotavit Lepidus.

IX.

DIVVS IVLIVS. Caput Julii laureatum, poſt quod lituus eſt.

Marcus LEPIDVS PONT*ifex* MAX*imus*. Caput Lepidi nudum & barbatum cum lituo.

Hujus denarii eadem quoque eſt interpretatio.

X.

DIVVS IVLIVS. Julii caput laureatum cum aſtro.

Marcus LEPIDVS PONT*ifex* MAX*imus*. Lepidi caput nudum, pone quod lituus eſt.

Hic quoque nummus Julii ſucceſſorem in pontificatu Lepidum declarat.

XI.

CAESAR IMP*erator* IIIVIR *Rei Publicæ Conſtituendæ*. Caput Cæſaris Octaviani nudum.

Marcus LEPIDVS PONT*ifex* MAX*imus* IIIVIR *Rei Publicæ Conſtituendæ*. Caput Lepidi, ut ſupra.

XII.

Caius CAESAR IMP*erator* IIIVIR *Rei Publicæ Conſtituendæ*. Caput Cæſaris Octaviani.

Marcus LEPIDVS IMPER*ator*. Caput Lepidi.

XIII.

Caius CAESAR IMP*erator* IIIVIR *Rei Publicæ Conſtituendæ*. Caput Cæſaris Octaviani.

LEPIDVS PONT*ifex* MAX*imus* IIIVIR *Rei Publicæ Conſtituendæ*. Caput Lepidi.

XIV.

CAESAR IMP*erator* IIIVIR *Rei Publicæ Conſtituendæ*. Caput Cæſaris Octaviani.

LEPIDVS PONT*ifex* MAX*imus* IIIVIR *Rei Publicæ Conſtituendæ*. Caput Lepidi.

XV.

Caius CAESAR IMP*erator* IIIVIR *Rei Publicæ Conſtituendæ*. Cæſaris Octaviani caput.

Marcus LEPIDVS IIIVIR *Rei Publicæ Conſtituendæ*. Caput Lepidi.

XVI.

Caius CAESAR IMP*erator* IIIVIR *Rei Publicæ Conſtituendæ*. Cæſaris Octaviani caput.

Marcus LEPIDVS IIIVIR *Rei Publicæ Conſtituendæ*. Caput Lepidi.

XVII.

Caius CAESAR DIVI IVLI *Filius* IMP*erator* AVGVR PONT*ifex* IIIVIR *Rei Publicæ Conſtituendæ*. Caput Cæſaris Octaviani.

Marcus LEPIDVS IIIVIR *Rei Publicæ Conſtituendæ*. Caput Lepidi.

XVIII.

CAESAR IMP*erator* PONT*ifex* IIIVIR *Rei Publicæ Conſtituendæ*. Caput Cæſaris Octaviani cum lituo.

Marcus LEPIDVS PONT*ifex* MAX*imus* IIIVIR *Rei Publicæ Conſtituendæ*. Caput Lepidi cum lituo.

Hi omnes primo triumviratus quinquennio cuſi ſunt, ſequentes altero.

XIX.

IMP*erator* CAESAR DIVI *Filius* IIIVIR ITER*um Rei Publicæ Conſtituendæ*. Caput Cæſaris Octaviani cum lituo.

Marcus LEPIDVS PONT*ifex* MAX*imus* IIIVIR ITER*um Rei Publicæ Conſtituendæ*. Caput Lepidi, cum lituo.

XX.

Caius CAESAR IMP*erator* PONT*ifex* III VIR *Rei Publicæ Conſtituendæ* Caput Cæſaris Octaviani cum lituo.

Marcus LEPIDVS PONT*ifex* MAX*imus* IIIVIR *Rei Publicæ Conſtituendæ*. Caput Cæſaris Octaviani cum lituo.

XXI.

Caius CAESAR IMP*erator* PONT*ifex* III VIR *Rei Publicæ Conſtituendæ*. Caput Cæſaris Octaviani cum lituo.

Mar-

Marcus LEPIDVS PONT*ifex* MAX*imus* IIIVIR *Rei Publicæ Conſtituendæ.* Caput Cæſaris Octaviani cum lituo.

XXII.

IMP*erator* CAESAR DIVI F*ilius* PONT*ifex* IIIVIR ITER*um Rei Publicæ Conſtituendæ.* Caput Cæſaris Octaviani cum lituo.

Marcus LEPIDVS PONT*ifex* MAX*imus* IIIVIR *Rei Publicæ Conſtituendæ.* Caput Lepidi cum lituo.

XXIII.

IMP*erator* CAESAR DIVI F*ilius* IIIVIR ITER*um Rei Publicæ Conſtituendæ.* Caput Cæſaris Octaviani cum lituo.

Marcus LEPIDVS PONT*ifex* MAXI*mus* IIIVIR ITER*um Rei Publicæ Conſtituendæ.* Caput Lepidi cum lituo.

XXIV.

IMP*erator* CAESAR AVGVR PONT*ifex* IIIVIR ITER*um Rei Publicæ Conſtituendæ.* Caput Cæſaris Octaviani cum lituo.

Marcus LEPIDVS PONT*ifex* MAX*imus* IIIVIR ITER*um Rei Publicæ Conſtituendæ.* Caput Lepidi cum lituo.

TAB. IV.

I.

M*arcus* LEPIDVS PONT*ifex* MAX*imus* IIIVIR ITER*um Rei Publicæ Conſtituendæ.* Lepidi caput cum lituo.

SALVS GENERIS HVMANI. Dextræ junctæ tenent caduceum in laurea.

Conſpiratio triumvirorum, in perniciem bonorum, velut ſalus generis humani depingitur & vocatur.

II.

M*arcus* LEPIDVS IIIVIR *Rei Publicæ Conſtituendæ.* Caput Lepidi.

EX *Senatus Conſulto.* Statua equeſtris Lepidi, ſubtus eſt roſtrum navis.

Quamvis de ſtatua equeſtri Lepido erecta apud veteres non legatur, veroſimile tamen eſt, ex ſenatusconſulto hunc honorem illi delatum fuiſſe. Exhibetur capite velato, dextra gerens lituum, adeoque tamquam ſacris operaturus, videlicet pontificis ſummi habitu. Roſtrum navis, quod ſubtus eſt, reſpicere videtur ad typum num. 8. & 9. tabulæ II. Vulgavit nummum Goltzius tab. XXXII. num. 12.

III.

M*arcus* LEPIDVS PONT*ifex* MAX*imus* IMP*erator* ITER*um*. Caput Lepidi velatum, pone quod eſt lituus.

CO*nSul* ITER*um* IIIVIR *Rei Publicæ Conſtituendæ.* Sella curulis cum inpoſito fulmine, inter lauri ramum & ſpicam utrimque erectas.

A. V. C. DCCXI. conſulatum ſuum ſecundum Romæ iniit Lepidus cum collega L. Munatio Planco; ipſe vero, dum reliqui ex triumviris, Antonius & Cæſar, cum exercitu in Græciam erant profecti, ut Brutum & Caſſium debellarent, Romæ manſit, ut curam urbis & Italiæ gereret. Hinc conſul iterum in hoc nummo adpellatur, & ſella curulis, velut ſummæ poteſtatis ſymbolum, in eodem ſignatur, ſellæ fulmen inponitur, velut Jovis ulturi parricidium in Cæſarem perpetratum, unde, victoria a percuſſoribus reportata, pacis ubertas & omnium rerum copia rurſus adforet. Id enim per lauri ramum & ſpicam ſignificatur. Lepidi caput, ut pontificis ſummi, velatum conſpicitur. In Lepido hunc nummum vulgavit Goltzius tab. XXXIV. num. 9.

IV.

ΜάρκΘ ΛΕΠΙΔΟΣ ΑΡΧΙΕΡΕΥΣ ΜΕΓΑΣ. *Marcus Lepidus pontifex ſummus.* Caput Lepidi galeatum & barbatum.

ΤΡΙΩΝ ΑΝΔΡΩΝ. *Triumvir.* Navis prætoria cum remigantibus.

Galeatum Lepidi caput agnoſcitur hic eadem ratione, qua illud vidimus tabulæ ſecundæ num. IX. Vulgavit Goltzius in Lepido tab. XXXII. num. 11.

V.

ΜάρκΘ ΛΕΠΙΔΟΣ ΑΥΤΟΚΡΑΤΩΡ ΤΡΙΩΝ ΑΝΔΡΩΝ. *Marcus Lepidus imperator triumvir.* Caput Lepidi nudum & barbatum.

ΚΟΙΝΩΝΙΑ ΑΛΕΞΑΝΔΡΙΝΩΝ. *Communio Alexandrinorum.* Caput muliebre turritum & velatum, Alexandriæ typus.

Quum Africa in diviſione triumvirorum obtigiſſet Lepido, Græci hi nummi omnes ibi ſignati ſunt, & ipſa Alexandria hunc honorem Lepido habuit.

Exſtat apud Goltzium in Lepido tab. XXXIII. num 3.

VI.

ΜΑΡΚΟΣ ΛΕΠΙΔΟΣ ΤΡΙΩΝ ΑΝΔΡΩΝ. *Marcus Lepidus* IIIVIR. Caput Jovis Ammonis.

ΑΥΤΟΚΡΑΤΩΡ ΑΡΧΙΕΡΕΥΣ ΜΕΓΑΣ *Imperator pontifex maximus.* Sella curulis inter faſces.

Typus ad ſummam Lepidi dignitatem ſpectat, nummus in Africa, & provincia Cyreniaca (ut videtur) cuſus eſt. Vulgatur a Goltzio in Lepido tab. XXXIV. n. 9.

Omnes hoſce Græcos Lepidi nummos, eoſque qui præcedunt, non in Faſtis, ſed alibi a Goltzio; aut ab aliis, fuiſſe editos teſtatur aſteriſcus iiſdem adpoſitus.

A L B I A.

VII.

Caput Jani bifrontis barbatum & laureatum, cum nota aſſis. Ab altera parte prora navis eſt; cum inſcriptione *Caius* CARRIN*as*. ROMA.

Quamvis hunc nummum Goltzius adferat ad A. V. C. DCCX. in Faſt. pag. 184. magnitudo tamen; quam illi nummo adſcribit, videtur docere illum fuiſſe aſſem ſextantarium, id eſt duarum unciarum, quales tempore belli Punici primi cudebantur. Hinc Vaill. cenſet pertinere ad C. Albium Carrinatem, patrem tribuni plebis ejusdem nominis A. V. C. DLXII.

VIII.

IMP*erator* CAESAR DIVI IVLI F*ilius*. Caput Auguſti nudum. *Caius* CARRINAS *Cai Filius* PROCONSVLE. Victoria ſupra proram navis, dextra coronam tenet, ſiniſtra palmæ ramum.

C. Albius Carrinas; qui proconſule in hoc nummo adpellatur, filius fuit C. Carrinatis, Marianarum partium ducis, & cum reliquis a Sulla victi cæſique. Julio Cæſari adhæſit filius, a quo ad honores fuit provectus, & inprimis a Cæſare Octaviano, qui illum ſibi conſulem ſuffecit, quum A. V. C. DCCX. ſive DCCXI. ipſe in Panſæ mortui locum ſucceſſiſſet. Quin & trium-

phum sub eodem meruit A. V. C. DCCXXV. vel DCCXXVI. ut alii numerant. Triumphi ejus testis est Dio lib. LI. pag. 459. Ἑώρτασε δὲ τῇ μὲν πρώτῃ ἡμέρᾳ τά τε τῶν Παννονίων καὶ τὰ τῶν Δαλματῶν, τῆς τε Ἰαπυδίας, καὶ τῶν προσχώρων σφίσι, Κελτῶν τε καὶ Γαλατῶν τινῶν. Γάϊος γὰρ Καρρίνας τούς τε Μωρίνους καὶ ἄλλους τινὰς συνεπαναστάντας αὐτοῖς ἐχειρώσατο, καὶ τοὺς Σουήβους τόν τε Ῥῆνον ἐπὶ πολέμῳ διαβάντας ἀπεώσατο· καὶ διὰ ταῦτα ἤγαγε μὲν καὶ ἐκεῖνος τὰ νικητήρια, καίτοι τοῦ τε πατρὸς αὐτοῦ ὑπὸ τοῦ Σύλλου θανατωθέντος, καὶ αὐτὸς ἄρξαι ποτὲ μετὰ τῶν ἄλλων τῶν ὁμοίων οἱ κωλυθείς. ἤγαγε δὲ καὶ ὁ Καῖσαρ, ἐπειδὴ ἡ ἀναφορὰ τῆς νίκης τῇ αὐτοκράτορι αὐτοῦ ἀρχῇ προσήκουσα ἦν. ἐν μὲν οὖν τῇ πρώτῃ ἡμέρᾳ ταῦτα διεωρτάσθη· ἐν δὲ τῇ δευτέρᾳ, ἡ πρὸς τῷ Ἀκτίῳ ναυκρατία. κἀν τῇ τρίτῃ, ἡ τῆς Αἰγύπτου καταστροφή. *Prima die Cæsar triumphum egit de Pannoniis, Dalmatis, Japydis, finitimisque eorum, & nonnullis Galliæ ac Germaniæ populis. Nam C. Carinas Morinos aliosque eorum rebellionis socios domuerat, Suevosque, Rhenum aliquoties transgressos, profligaverat. Itaque & ipse triumphum (quamvis pater ejus a Sylla interfectus, & ipse cum ejusdem conditionis hominibus magistratum gerere prohibitus fuerat) duxit, & Cæsar: quoniam victoria ad summæ rei præfectum imperatorem referri solebat. Secunda die Cæsar de Actiaca navali pugna triumphavit. Tertia de subacta Ægypto.* Ex hoc loco existimat Vaillantius Victoriam, proræ insistentem, ad ipsius Carrinatis triumphum & victoriam pertinere, dum ita scribit: „ C. Albius, in memoriam triumphi sui, „ eodem die quo Cæsar suum etiam egit, ab u- „ na parte Cæsaris caput, cum titulo Divi Filii, „ quem, priusquam Augusti nomen fuisset illi in- „ ditum, gerebat, exhibuit, ex altera vero vi- „ ctoriam proræ insistentem, ut indicaret illam, „ quam de Suevis, qui Rhenum transire vellent, „ ipse reportavit. " Verum longe aliud quid est typus victoriæ navalis in nummo expressus, quam memoria prohibitorum hostium cæsorumque, qui fluvium aliquem transire vellent vel transierant. Testatur enim expresse Dio, non navalem sed terrestrem Carrinatis fuisse victoriam, quando ait, Suevos Rhenum jam transgressos magno numero cæsos & profligatos a Carrinate fuisse. Imo in hoc nummo celebravit Carrinas victoriam Cæsaris Actiacam, quæ inter triumphorum Cæsaris causas ibidem apud Dionem recensetur.

Proconsule Galliam obtinuit A. V. C. DCCXXII. ut docet Pighius Ann. tomo III. pag. 500. Vulgavit nummum Goltzius in Fastis pag. 202. ad A. V. C. DCCXXIV.

A L F I N I A.

IX.

Caput Herculis laureatum, dextro humero exuvias leonis & clavam tenentis. Ab altera parte legitur P*ublius* ALFINIVS P*ublii* F*ilius* VARVS III VIR. Templum rotundum, cujus quatuor visuntur columnæ.

P. Alfinii P. F. Vari magnum inter jurisconsultos veteres nomen fuit. Peritia juris viam illi stravit ad consulatum, quem gessit A. V. C. DCCLIV. cum P. Vinicio, quo anno hunc ejus nummum argenteum profert Goltzius, in Fastis pag. 223. non quod ipse putaverit anno consulatus ejusdem cusum fuisse istum nummum, sed quod soleat proferre virorum clarorum nummos in honoribus eorundem maxime spectatis, licet alio anno jam ante cusos, ut provide monuit ipse in præfatione sua. Ego vero, ut credam, cum Vaillantio, cusum fuisse hunc nummum ab Alfinio triumviro reficiendis ædibus sacris nunquam adducar: Cusum nummum credo quum triumvir monetalis Augusti exsisteret, & sicuti triumviri monetales solebant res eo anno gestas, vel ornatum urbi additum, exprimere, sic Herculis Victoris ædes tum temporis cura principis inter innumeras alias restituta fuisse videtur.

Ut vero in hoc nummo, sic quoque in inscriptione libri LV. apud Dionem P. Alfinius Varus Publii filius vocatur.

A N I C I A.

X.

Caput Veneris Victricis laureatum, circa quod GALLVS PROPR*ætore* EX S. C. In aversa bigæ, aurigante Victoria cum flagro, & inscriptio *Lucius* ANICI*us Lucii Filius.*

Nummum edidit Goltzius in Fastis pag. 133. ad A. V. C. DLXXXVI. & ad illum hæc notavit Ericius pag. 91. „ Cusa fuit hæc moneta Romæ „ A. V. C. DLXXXVII. quo anno, victoria parta „ de Gentio Illyriorum rege, triumphavit L. Ani- „ cius proprætore. Ante currum Anicii ducti sunt „ inter alios Illyriorum nobiles ipse rex Gentius, „ cum uxore, duobus filiis, & fratre, ut Livius „ testatur. Milites currum triumphantis secuti, „ multis laudibus triumphum ejus extulerunt, „ illataque inde magna vis auri atque argenti in „ ærarium fuit. Cujus rei testimonium exstat „ apud Vellejum Paterculum his verbis: *Quo an-* „ *no L. Paullus Persen in triumpho duxit, eodem* „ *Cn. Octavius prætor navalem egit, & Anicius de* „ *Gentio, Illyriorum Rege, triumphavit.* Meminerunt triumphi ejusdem Eutropius, Athenæus, „ Plutarchus, Appianus, Sextus Rufus, Plinius „ & Zonaras. Florus vero de eodem bello ita „ scriptum reliquit: *Macedonici belli contagio traxit* „ *Illyrios. Ipsi quidem ut Romanum a tergo distrin-* „ *gerent, a Perse rege conducti pecunia militavere.* „ *Sine mora ab Anicio proprætore subiguntur. Scar-* „ *donam, caput gentis, delesse suffecit. Statim sequuta* „ *deditio est. Denique hoc bellum ante finitum est,* „ *quam geri Romæ nunciaretur.* Memoria hujus rei „ in bigato hoc denario servatur."

A N N I A.

XI.

LVSCVS. Caput Romæ cum spica ad galeæ caput. In aversa sunt Castor & Pollux decurrentes. Adscribitur, T*itus* ANNIVS. ROMA.

Ad hujus denarii intellectum hæc scripsit Vaill. pag. 66. „ Annius ille qui denarium signavit, „ perhibetur fuisse filius Titi, tribuni plebis, an. „ 573. & nepos alterius Titi, tribuni etiam plebis an. 517. qui post tribunatum exactum an. „ 550. ædilis plebis factus 553. eo anno frumenti copiam & annonæ laxitatem Romæ pro- „ curasse videtur, ex spica galeæ capiti deæ in- „ serta. Castor & Pollux frequens est denario- „ rum symbolum.

„ Luscus ei cognomen, ut & majoribus. Præ- „ turam egit an. 595. & consulatum adeptus est „ cum Q. Fulvio Nobiliore an. 600. Illum inter Ora-

„ Oratores recenset Cicero in Bruto, quem non „ indisertum fuisse scribit.

Non video, quo jure denarius hic T. Annio nepoti, qui ad consulatum pervenit A. V. C. DC. præ patre & avo tribui possit. Dioscuri in denariis positi antiquitatem eorum testantur. Potuit itaque signari a T. Annio patre, qui ad præturam pervenit A. V. C. DXXXIII. vel ab avo, qui quæsturam vix egressus videtur, & recensetur a Pighio tom. II. pag. 105. ad A. V. C. DXXII. Quam spicam censuit Goltzius, forsitan palma est, quæ in multis denariis ad galeam Romæ observatur, neque ab ædili, sed quæstore vel triumviro monetali cusus fuit denarius.

Goltzius retulit ad A. V. C. DC. in Fastis pag. 138.

XII.

CAESAR AVGVST*us* PONT*ifex* MAX*imus* TRIBVNIC*ia* POTEST*ate*. Caput Augusti nudum.

Publius ANNIVS RVFVS IIIVIR *Auro Argento Aeri Flando Feriundo*. In area est senatusconsulti nota.

Videtur hic P. Annius Rufus frater fuisse, vel potius filius, M. Annii Rufi, cujus Josephus & Zonaras mentionem faciunt, ut qui extremis Augusti temporibus, A. V. C. DCCLXIV. successerit Ambibulo in procuratione Judææ. Flamen divi Augusti idem filius fuisse colligitur ex inscriptione antiqua apud Gruterum pag. CLXXXII. num. 1. & MXVIII. num. 9.

XIII.

ANNIVS. LAMIA. SILIVS. Dextræ junctæ caduceum tenent.

IIIVIR*i Auro Argento Aeri Flando Feriundo*. Incus cum senatusconsulti nota.

Præcedens nummus nos docet Annio huic prænomen Publio & cognomen Rufo fuisse. Triumviros hosce jam supra in familiis suis vidimus.

Utrumque hunc Goltzianum nummum ex ejus Cæsare Augusto excerpsit Morellius.

A N T I A.

XIV.

Decimus LAELIVS BELB. scribe BALB*us*. Capita deorum Penatium jugata & diademata.

Caius ANTIVS *Cai Filius*. Hercules victor, dextra clavem fert, læva tropæum.

C. Antio cognomen Restioni fuit, sicuti patere potest ex ejusdem nummis in familia Antia, supra pag. 16. Vixit ille Antius Restio Augusti temporibus, quibus itaque hic Decimus Lælius Balbus quoque quærendus est. Is sese offert consulem A. V. C. DCCXLVII. cum C. Antistio Vetere. Collegæ itaque in triumviratu monetali videntur fuisse C. Antius C. F. Restio & Decimus Lælius Balbus, quibus forsan tertius fuit collega P. Alfinius P. F. Varus, ut qui Herculis Victoris caput exhibeat in nummo suo supra num. IX. Et sic hi denarii videntur respicere ædes deorum Penatium & Herculis Victoris sub Augusti principatu eo anno refectas. Firmare videtur hanc conjecturam ara maxima, quam Hercules, occiso Caco, dedicavit sub Aventino monte, quamque exprimit unus ex denariis Antii Restionis supra l. c.

Hic vero nummus inter Goltzianos non invenitur. Vidit scilicet alibi illum, typumve ejus, Morellius, sicut docent adscriptæ literæ C. P. quæ Carolum Patinum respicere possunt, in cujus videlicet museo vel MSS. illum Morellius observaverit. Nihil enim nobis nisi conjecturam de hac re reliquit. Sed & literæ C. P. designare possunt Cauvinum Patavinum quendam, insignem superioribus sæculis artificem in sculpendis novis illustrium virorum suæ ætatis nummis, & aliis ad veterum imitationem affabre sculpendis. Patavini nummi ab ipso ejusque sociis & discipulis, nomen nacti sunt, quare omnes hi nummi literis C. P. notati, ad adulterinos mihi relegandi videntur.

A N T I S T I A.

XV.

Caius ANTISTI*us Cai Filius* CO*nSul*. Caput Vestæ turritum & velatum. In aversa Vesta est, cum tympano, in curru a duobus leonibus tracto; & inscriptio CN*eus* PISO CN*ei Filius*.

Denarium hunc refert Vaillantius ad C. Antistium, qui Ciceronis tempore vixit, & ab ædili Cn. Pisone cusum fuisse existimat. Ita enim scribit pag. 73. „ Hic denarius a Cn. Pisone ædile „ plebis percussus est, sub consulatu C. Antistii „ Veteris, qui patrem habuit C. Antistium, quæ- „ storem in Syria, Dioni lib. XLVII. Ille Le- „ gatus fuit Augusto bello Siculo, & tandem „ consul ex Kal. Jul. Licinio Crasso suffectus est, „ ex Tabula Capuana, sed vix consulatum gessit, „ quum ex Idib. Sept. ejusd. an. "; M. Cicero „ ipsi successit. Porro Cn. Piso, de quo in Cal- „ purnia gente, ædilis Megalesios ludos edidit, „ in cujus memoriam percussus est hic dena- „ rius."

At ego potius hunc denarium (si de fide ejus constet) existimo esse referendum ad C. Antistium C.F.C.N. Veterem, qui consul fuit sub Augusto, una cum Lælio Balbo, ad quem præcedens spectabat nummus, A. V. C. DCCXLVII & inscriptionem nummi sic lego, CAIO ANTISTIO *Cai Filio* CO*nSule* CN*eus* PISO CN*ei Filius*. Scilicet ludos Megalesios magnificentissime edidit; quod ex typo ipsius denarii suppletur. Neque vel a Pisone, vel ab Antistio, nummum cusum crediderim, sed a triumviris monetalibus, qui magnificentiam illorum ludorum celebrare voluerint. Antistii consulis illius magna inprimis fama fuit.

Protulit denarium hunc Goltzius in Fastis pag. 201. ad A. V. C. DCCXXIII. quo consul per sesquimensem, succedente Cicerone, fuit C. Antistius, & pag. 206. ad A. V. C. DCCXXX. quo consules suffecti occurrunt Cestius Nepos & Calpurnius Piso.

A N T O N I A.

XVI.

Caput Romæ galeatum cum denarii nota. Ab altera parte quadrigæ sunt, cum insistente Victoria, & inscriptione *Marcus* ANTON*Ius Cai Filius* PR*ætor*. ROMA.

Marcus Antonius hic alius esse nequit atque orator ille insignis, pater triumviri, qui in hoc nummo quidem PR. i. e. PR*ætor* inscribitur, sed forsan minus recte, pro M. N. vel similibus

literis, neque enim video, quid prætori cum moneta. Inscriptio ROMA. testatur nummum Romæ cusum fuisse. Prætor autem fuit A. V. C. DCCCXLIX. bellum piraticum gessit cum proconsulari imperio A. V. C. DCL. & de illis triumphavit A. V. C. DCLI. atque triumphum navalem egit, in cujus triumphi usum cusos Romæ fuisse hos denarios censet Pighius tom. III. pag. 165. sed pro PR. legit PR. COS. i.e. PRo-COnSule. Verum hæc illius lectio ex conjectura est. PR. enim exstat apud Goltzium, qui hunc nummum vulgavit, ad A. V. DCLI. in Fastis pag. 157. &, ne de lectione dubitemus, addit ibidem Goltzius, M. ANTONIVS C.F....N. PRAETOR DE PIRATEIS EX CILICIA.

Ut tamen nummo sua lectio constet, dicere possumus, M. Antonium quidem hoc bellum cum proconsulari imperio gessisse, sed tamen prætorem. Sic enim illum adpellat Epitome Livii lib. LXVIII. *Antonius prætor in Ciliciam maritimos prædones persecutus est.* Sic cudi Romæ nummus potuit in ejus triumphi usum.

XVII.

Caput Junonis Sospitæ, pelle caprina amictum; pone quod tripus, in laurea. In aversa, *M*arcus ANTONI*us* C*nei Filius*. Ipsa Juno stans, pelle caprina tecta, dextra vibrans spiculum, sinistra clypeum, ante eam serpens in gyros flexa, pone autem sella cum litera P.

Præter sellam illam, supra eandem litera P. animadvertitur, quæ monetariorum est peculiare signum, sicut & sunt ipsa sella & tripus. Cur vero Juno Sospita sive Lanuvina in denario fingetur nos latet, quum multæ caussæ esse possint, vel respectu originis, vel sacrificii solennis, &c. Solennitatis forsan tempore cudi potuit; si videlicet iste triumphus in diem isti numini festum inciderit, vel alio tempore dici potest signasse ipse Antonius, in primo honoris sui incremento, triumviratu monetali. Censor postea, cum reliqua nobilitate a Marii satellitibus fuit trucidatus A. V. C. DCLVI. quo censuræ ejus anno nummum publicavit Goltzius in Fastis pag. 160.

XVIII.

ROMA. Caput Herculis in leonis rictu. Ab altera parte, *Caius* ANTONIVS *Marci Filius*. Arcus inter clavam & pharetram.

Antonem, Herculis filium, stirpis suæ auctorem agnoscebant Antonii. Inde Herculis arma & effigies in eorundem nummis. C. Antonius M. Antoni triumviri frater fuit, jussu Bruti postea in Græcia interfectus. Cusus videtur aureus nummus in ejusdem triumviratu monetali.

Publicavit nummum hunc in Fastis pag. 172. ad annum consulatus ejus, quem gessit cum M. Tullio Cicerone, A. V. C. DCLXXXX.

XIX.

Caput M. Antonii. Ab altera parte inscriptio est *M*arcus ANTON*ius* IMP*erator*. & cernuntur fasces & caduceus decussatim positæ globo intermedio. Hinc & inde cernuntur dextræ junctæ & securis.

Cusus hic nummus est Julio Cæsare adhuc vivente. Quatuorviri enim ejus monetales ejusmodi typos nummis suis inpresserunt.

XX.

*M*arcus ANT*onius* IMP*erator* ITER*um*. Caput Antonii, pone quod lituus: in aversa, *Lucius* MVSSIDIVS T*iti Filius* LONGVS IIIIVIR *A*uro *P*ublice *S*ignando. Ædificii genus, cum cancellis & porta, ad quam gradus aliquot ducunt, adscribitur in imo CLOACIN. Desuper cernuntur duæ figuræ togatæ cum tabellis, quas in urnas conjiciunt.

Si genuinus hic est nummus, patere ex eo potest annus, quo quatuorvir exstitit L. Mussidius Longus, quoque ille omnes illos denarios signavit, qui in gente Mussidia reperiuntur. Antonius enim iterum imperator dictus fuit, non sua virtute, sed legati sui Ventidii Bassi, ut vidimus ad fam. Ventidiam num 1. Accidit illud A. V. C. DCCXIV. De ipso typo nummi in gente Mussidia consuli possunt. Vulgavit nummum Goltz. in Fastis pag. 183. ad A. V. C. DCCIX.

XXI.

ANTONIVS IMP*erator*. Caput Antonii galeatum: in aversa III VIR *R*ei *P*ublicæ *C*onstituendæ. Aquila legionaria inter duo signa militaria.

Triumviri in quibusdam nummis galeati occurrunt; quoniam (ut ait Vaillantius) armati ex agro Bononiensi Romam contenderunt. Aquila & signa militaria exercitus eorum & vim militarem denotant.

Et hic Antonii nummus, & similes triumvirorum, exhibentur a Goltzio in Fastis pag. 186. ad A. V. C. DCCXI. Cusi mihi videntur post victoriam de Cassio & Bruto, illud enim innuere tropæum videtur, & quoniam ad bellicam gloriam plurimum hæc victoria conferret, galeati omnes exhibentur.

XXII.

*M*arcus ANTONI*us* IMP*erator*. Caput M. Antonii, pone quod lituus; in aversa, III VIR *R*ei *P*ublicæ *C*onstituendæ. Cista, supra quam Bacchus muliebri habitu, dextra cantharum, sinistra tenens thyrsum, hinc & inde serpens in spiras sese attollens.

Asiæ typus esse solet cista Bacchi inter serpentes connexis caudis sese erigentes, ut patet ex quinario Augusti noto, Asiæ receptæ titulum habente. Signatus itaque nummus est in Asia, quum Cleopatræ vacaret Antonius. Similes nummos in familia Antonia vidimus. Vulgavit hunc Goltzius in Antonio tab. XLVIII. num. 9. Notavit vero ad similes fere, qui inter Ursinianos occurrunt tab. II. hæc Morellius in Epist. ad Perizon. pag. 181. „ Tres primi sequentis secundæ tabel-„ læ cum impressis serpentibus in eadem gente „ ANTONIA tantas excitarunt inter eruditos „ disputationes, ut cl. Gevartii explicatio (qui „ cum indignatione, referente Tristano, pro-„ bare conatus est, quod serpentes symbola sint „ belli, persecutionis, pestis, odii & inimicitiæ) „ per jocum verissima existimari possit: quidam „ opinati sunt, hosce nummos in Creta fuisse „ cusos, propter similitudinem figurarum, & quia „ M. Antonii pater Creticus adpellatus fuit, quod „ tamen nihil ad rem facere potest, quia Cre-„ tensibus bellum inferens, re male gesta animi „ dolore morbo correptus interiit. Hinc incredi-„ bile est, Cretenses in nummis filii, patris o-„ diosam memoriam conservare voluisse. Sed hi „ nummi nihil aliud indicare videntur, quam „ stultitiam M. Antonii, qui se Bacchum alte-„ rum nominavit, & hoc nomen sibi ab aliis tri-„ bui voluit. Athenis id primum quidem ema-

„ na-

„ navit, & quum Athenienses inter reliquos ho-„ nores ei Minervam etiam despondissent, pro-„ bare se id matrimonium dixerat, sed dotis „ nomine simul quadragiés sestertium ab illis exe-„ git. Adulantes ergo Asiatici non ultimi esse „ cupientes in acquirenda Antonii gratia, idpro-„ pter in secundo nummo Bacchum signarunt, „ ut & in primo caput Cleopatræ: sapientiores „ Atheniensibus, Antonio Baccho Cleopatram „ jungentes tanquam novam deam, sed reginam, „ quæ pro dote regnum adtulisset, ut adeo sic ab „ illis dos exigi non potuerit. Propterea etiam „ nummis VII. VIII. & IX. tabellæ, thyrsi „ navibus impositi conspiciuntur, quibus copu-„ la illa magis indicetur. Quod vero post victum „ & sublatum Antonium Augustus nummulum „ cudi curavit, cum inscriptione, ASIA RE-„ CEPTA, duobus insuper serpentibus & victo-„ riola cistæ imposita, non ad hosce nummos „ respicere videtur, sed ad ea, quæ Alexandro, „ Asiam invadenti, contigerunt: delatus enim „ ille in continentem, jaculum velut in hostilem „ terram conjecit, & armatus de navi prosiluit; „ cum autem cecidisset, & mox visi essent duo „ serpentes, hoc omnes in optimum augurium „ interpretati sunt, quasi jam totam teneret A-„ siam. Hujus forsan rei traditio ad Augu-„ stum pervenit, qui Alexandri memoriam ma-„ gna semper cum veneratione coluit, ejusque „ corpus Alexandriæ inspexit, Ptolemæorum „ autem corpora spectare noluit, regem se, non „ mortuos, videre voluisse, dicens." Respondit Perizon. pag. 261. „ Tres primos tab. II. *Antoniæ* „ gentis nummos retulerim tecum ad Antonium & „ Cleopatram, quasi Liberum & Liberam. Sed si-„ gnum serpentum crediderim esse symbolum A-„ siæ, adquam ordinandam & recipiendam profe-„ ctus fuit Antonius post bellum Philippense; „ quum eodem modo Augustus eos exhibeat cum „ scriptione, *Asia recepta*. Solent autem in „ nummis *receptæ* alicujus aut *victæ* regionis ex-„ primi ejus symbola. Adde nummum Cicero-„ nis, tertio hujus tabellæ ferme similem, apud „ Seguinum, & quæ ille istic notat." Ad hæc Morellius pag. 299. „ Serpentes symbolum A-„ siæ esse, agnoscis quidem, sed rationem ejus „ optarem scire, & an Alexandri historia funda-„ mentum symboli Asiæ existere queat, edoceri „ cuperem." Respondit Perizon. ibid. „ Ser-„ pentes symbolum sunt vigilantiæ & pruden-„ tiæ, & ideo tribuuntur Æsculapio, Saluti, „ Valetudini. Vide Festum in v. Dracones. Sed „ & pacis sunt symbolum, ut liquet ex caduceis „ veterum. Postremum hoc spectasse Asiaticos „ credo in symbolo sibi sumendo, ut declararent „ suum pacis servandæ studium ac desiderium; „ neutiquam vero respexisse peculiare quid, quod „ Alexandro, non utique Asiatico, sed Euro-„ peo, in Asia, non tuenda, sed invadenda, „ obvenerit."

XXIII.

Caput Pietatis ante quod Ciconia: ex altera parte, *Lucius* ANTON*ius Marci Filius*. L. Antonius in bigis leonum, dextra tenens hastam, sinistra habenas, Victoria per aëra volitans, illi coronam porrigit.

Denarii hujus sensum verbis illustravit hisce Ericius pag. 231. „ Cusa fuit hæc moneta Romæ „ A. V. C. DCCXII. consulibus L. Antonio, qui „ Pietatis cognomen adsumserat, & P. Servilio „ Isaurico, Πίετας, Latina voce, vocatur a Dione, „ Græcis enim Εὐσέβεια ista virtus adpellatur. Il-„ lud vero nomen inde nactus est. Quum consu-„ latum gereret, una cum Fulvia, uxore Antonii, „ rebus ejus ita studuit, tanquam non fratris sed „ suas res administraret; ab hac itaque pietate „ in fratrem triumvirum Pietas dictus fuit. Cu-„ sus fuit nummus in triumpho consulis L. An-„ tonii de Inalpinis, mense Januario, ut Fasti „ Capitolini indicant. De triumpho isto hæc „ scripta reliquit Dio Cassius: *Cum L. Antonius* „ *triumphare cuperet de quibusdam Inalpinis, quasi eos* „ *subegisset, quandiu Fulvia restitit, nemo adsensus* „ *est, ut vero ipsa pacata concessit, omnium con-* „ *sensu triumphus ei decretus est. Adeo ut Lucius* „ *Antonius verbo de iis triumpharet, quos se devicis-* „ *se prædicaret (neque enim quidquam triumpho di-* „ *gnum gesserat, neque omnino imperium in iis locis* „ *habuerat) re vera autem Fulvia eo honore afficc-* „ *ceretur, ac triumpharet.* Triumphum egit L. „ Antonius Kalendis Januariis, quibus mos erat „ consulibus magistratum inire. Itaque in eo se-„ se efferebat, atque Mario adæquabat, quod is „ similiter ista die anni de Jugurtha rege trium-„ phasset. Erat hæc Fulvia, uxor M. Antonii, „ C. Cæsaris socrus, filiam enim suam Clodiam „ Cæsari in matrimonium dederat, ferox mulier „ & superba, &, spreto consule altero Servilio I-„ saurico, una cum L. Antonio omnia in urbe „ pro lubitu gerebat.

„ Videamus jam typos, qui ab utraque nummi „ parte adparent. Caput deæ Pietatis est, avis „ vero ciconia & ipsa pietatis symbolum; utraque „ ad cognomen consulis adludunt. Currus trium-„ phalis, qui ab altera parte cernitur, atque a leo-„ nibus trahitur, ad M. Antonium spectat, eum-„ que currui insistentem exhibet, quod M. An-„ tonius primus fuerit, qui leones Romæ ad „ jugum junxerit, junctisque leonibus triumpha-„ verit, quasi in argumentum, posse etiam homi-„ nes ferocissimos domari. Fratris igitur M. An-„ tonii est currus ille a leonibus tractus, quem „ coronat Victoria advolans, propter victorias, „ quas triumvir de conjuratis retulerat. Inve-„ nitur quoque exiguus nummus argenteus Cæ-„ saris Octaviani, ætate juvenili, cum inscriptio-„ ne IIIVIR *Rei Publicæ Constituendæ*, qui ab al-„ tera parte habet leonis picturam, quasi sub ju-„ gum missi, cum inscriptione hac, ANTO-„ NI*us* IMP*erator Anno* XII."

Quæ ibi de parvulo isto nummo refert Ericius, magnum errorem secum trahunt, non enim Cæsaris, sed Victoriæ ibi caput est, & leo ille coloniam Lugdunensem spectat. Annus non est XII. sed XLI. Vide Goltzium in Antonio tab. LV. 8. & 9.

XXIV.

IMP*erator* ANT*onius* AVGVR IIIVIR R*ei* P*ublicæ Constituendæ*. Caput M. Antonii triumviri nudum. Ab altera parte tiara Parthica est cum arcu soluto & sagitta, atque inscriptione IMP*erator* TER*tium*.

Duo nos docet insignis hic nummus, qui tamen Morellio sese non obtulit, sed vulgatus est a Goltzio in Antonio tab. XLVIII. num. 6. Ea sunt, nomen imperatoris ante M. Antonii nomen proprium positum, & titulus imperatoris tertium. Titulum illum adquisivit victis per P. Ventidium Parthis & cæso Pacoro. Imperator enim iterum fuerat adpellatus post primam P. Ventidii de Labieno & Parthis victoriam. At vero, quod bene ob-

observari debet, titulum imperatoris IIII. sibi arrogasse videtur post captum fraude Artuasdem, Armeniæ regem, & Armeniam vi subactam. Vide quæ de isto titulo imperatoris I. II. III. IIII. dicturi sumus infra ad tab. VII. num. 23. Dio Cassius lib. XLIX. pag. 415. A. V. C. DCCXX. narrat, qua fraude quibusque dolis Armeniorum regem circumvenerit, & quomodo deinde universam Armeniam, partim vi, partim deditione in potestatem suam redegerit, & de Artuasde atque Armeniis, velut bello captis, triumphaverit. Κἀκ τούτου inquit Dio: τοὺς μὲν ἐθελοντὶ, τοὺς δὲ καὶ βίᾳ λαβὼν, πᾶσαν τὴν Ἀρμενίαν κατέσχεν· ὁ γὰρ Ἀρτάξης ἐπειδὴ συμβαλὼν ἠλαττώθη, πρὸς τοὺς Πάρθους ἀπεχώρησε. πράξας δὲ ταῦτα, καὶ τῷ υἱεῖ τὴν τοῦ Μήδου θυγατέρα, ὅπως ἔτι καὶ μᾶλλον αὐτὸν προσεταιρίσηται, μνηστεύσας, τά τε στρατόπεδα ἐν τῇ Ἀρμενίᾳ κατέλιπε, καὶ ἐς τὴν Αἴγυπτον ἀνεκομίσθη, τήν τε ἄλλην λείαν πολλὴν καὶ τὸν Ἀρμένιον μετά τε τῆς γυναικὸς καὶ μετὰ παίδων ἄγων. καὶ σφᾶς σὺν τοῖς ἄλλοις αἰχμαλώτοις καὶ ἐν ἐπινικίοις τισὶν ἔς τε τὴν Ἀλεξάνδρειαν προπέμψας, αὐτὸς ἐφ᾽ ἅρματος ἐσήλασε, καὶ τά τε ἄλλα πάντα τῇ Κλεοπάτρᾳ ἐχαρίσατο, καὶ τὸν Ἀρμένιον μετὰ τῶν οἰκείων ἐν χρυσοῖς δεσμοῖς προσήγαγε. προεκάθητο δὲ ἐν μέσῳ τῷ πλήθει ἐπί τε βήματος ἐπαργύρου καὶ ἐπὶ δίφρου ἐπιχρύσου. *Post hæc universam Armeniam, partim vi partim deditione, in suam potestatem accepit: nam Artaxes, prælio congressus, & victus, ad Parthos concesserat. His perfectis, Mediæque regis filia, arctioris amicitiæ caussa, filio suo in matrimonium impetrata, relicto in Armenia exercitu, magnam prædam, Artavasdemque cum conjuge & liberis secum abducens, in Ægyptum reversus est, eosque inter alios captivos ante se in triumpho Alexandriam introduxit, curru ipse invectus. In Cleopatræ autem gratiam & cætera egit, & Artavasdem cum suis, aureis in vinculis, ad eam in medio populi, tribunali argento obducto, aurataque sella sedentem, adduxit.*

Hisce rerum successibus elatus Antonius, & filiis suis ex Cleopatra, & Cæsarioni, Cæsaris ex eadem filio, regna est largitus, &, in imitationem junioris Cæsaris, nomen quoque imperatoris prænomini suo præposuisse videtur, ut ex hoc nummo docemur.

Vulgavit hunc nummum Goltzius in Fastis pag. 192. ad A. V. C. DCCXV. ubi adnotat esse ex auro, in Antonio tamen, tab. XLVIII. num. 6. argenteum vocat; atque ibi num. 4. alium argenteum exhibet, qui hunc quoque typum, variante pictura, exhibet, sed inscribitur IMP*erator* TERTIO IIIVIR R*ei Publicæ Constituendæ*. habet autem a parte altera caput M. Antonii, cum inscriptione ANTONIVS AVGVR CO*nSul* DES*ignatus* ITER*um* ET TERTI*um*.

TAB. V.

I.

M*arcus* ANTON*ius* IMPER*ator* III. Caput M. Antonii triumviri cum lituo. Ab altera parte, CAESAR DIC*tator*. Caput Julii Cæsaris laureatum cum urceo.

Omnes hujus tabulæ nummos, quos olim in M. Antonio vulgaverat Goltzius, inde excerptos a se fuisse testatur Morellius asterisco adposito.

II.

M*arcus* ANTON*ius* IMPER*ator* III. Caput M. Antonii triumviri cum lituo. Ab altera parte legitur, CAESAR. &c. caput Cæsaris laureatum exhibetur.

Ex titulo imperatoris III. colligitur hic nummus una cum præcedente cusus fuisse post captam Armeniam.

III.

M*arcus* ANTON*ius* IMP*erator*. Caput M. Antonii cum lituo. Cæsaris caput laureatum ab altera parte est.

* Et hic & fere omnes sequentes nummi, qui Cæsaris caput exhibent, ab Antonio post Cæsaris mortem cusi fuisse videntur.

IV.

M*arcus* ANTONI*us* IMPER*ator* III. Caput M. Antonii triumviri, & Cæsaris caput ab altera parte, cum inscriptione CAESAR.

Plurimi ex his nummis post captam Armeniam signati sunt. Ratio vero, cur Cæsaris Julii caput in omnibus illis observetur, videtur esse studium Cæsarionis, Cleopatræ ex Cæsare filii. Postquam enim triumphum M. Antonii Armeniacum descripsit Dio, addit pag. 416. Καὶ τὸν Πτολεμαῖον, ὃν Καισαρίωνα ἐπωνόμαζον, βασιλέα βασιλέων καλεῖσθαι ἐκέλευσε· καὶ αὐτοῖς καὶ τὴν Αἴγυπτον, τήν τε Κύπρον, ἄλλην διανομήν τινα ποιησάμενος, ἔδωκε. τοῦ τε γὰρ προτέρου Καίσαρος τὴν μὲν γυναῖκα, τὸν δὲ υἱὸν ὄντως γεγονέναι ἔλεγε, καὶ ἐς τὴν ἐκείνου δὴ χάριν ταῦτα ποιεῖν ἐσκήπτετο, ὅπως τὸν Καίσαρα τὸν Ὀκταουιανὸν ἐκ τούτου, ὅτι ποιητὸς ἀλλ᾽ οὐ γνήσιος αὐτοῦ παῖς ἦν, διαβάλλῃ. *Ptolemæum, Cæsarionem cognomine, regem regum adpellari jussit: iisque Ægyptum & Cyprum, alia a priore divisione instituta, addixit. Dicebat autem illam vere Cæsaris superioris conjugem fuisse, hunc ejusdem legitimum filium: fingebatque se studio ejus Cæsaris adductum hæc facere, quo Octavianum, non natum ejus, sed adoptatum filium, in invidiam adduceret.*

V.

M*arcus* ANTO*nius* IMP*erator* R*ei* P*ublicæ* *Constituendæ*. Caput M. Antonii triumviri cum lituo. Ab altera parte caput Cæsaris dictatoris velatum est, cum inscriptione CAESAR P*ontifex* M*aximus* DIC*tator* TER. Adest lituus.

Vivo adhuc Cæsare cusus nummus est, videlicet A. V. C. DCCVII. Cæsar enim dictator, pro magistro equitum, imperatorem dixerat M. Antonium jam ante A. V. DCCV. quo dictaturam annuam receperat.

VI.

M*arcus* ANTON*ius* IMPER*ator* III. Caput M. Antonii IIIviri cum lituo. Ab altera parte, sine inscriptione, Julii caput est cum stella, nota receptæ in cœlum animæ.

VII.

M*arcus* ANTO*nius* IMP*erator* R*ei* P*ublicæ* *Constituendæ*. Caput M. Antonii triumviri cum lituo, & Cæsaris Julii, ut modo, capite a parte altera.

VIII.

M*arcus* ANTON*ius* IMP*erator*. Caput idem Antonii, & ab altera parte Julii.

IX.

ANTON*ius* IMP*erator* R*ei* P*ublicæ* *Constituendæ*. Caput M. Antonii cum lituo; ab altera parte caput Julii est cum stella & inscriptione DIVO IVLIO, quæ docent, post Cæsaris mortem cusum fuisse nummum.

X.

M*arcus* ANTONIVS IMP*erator* R*ei* P*ublicæ* *Constituendæ*. Caput M. Antonii. Partis posterioris typus similis est num. qui præcessit IX.

XI.

M*arcus* ANTONIVS IIIVIR R*ei* P*ublicæ*
Con-

Conſtituendæ. Caput idem M. Antonii. Ab altera parte DIVO IVLIO. Caput Julii laureatum cum ſtella.

XII.

ΑΝΤΩΝΙΟΣ. ΡΩΜΗΣ. *Antonius. Romæ.* Capita jugata M. Antonii triumviri & Octaviæ, ſororis Cæſaris, cum inſcriptione Romæ. Ab altera parte cernitur Cæſaris Octaviani caput, ſub quo prora navis eſt, ad frontem vero aſtrum, & in circuitu ΚΑΙΣΑΡΟΣ. *Cæſaris.* Reliquæ literæ in litura ſunt, neque enim ſatis adſequi illas propter æruinem potuiſſe Goltzium patet ex punctulis quibus exprimuntur. Sed ΓΥΠ. & ΒΛΑΤ. exſtitiſſe in nummo videntur aliquo modo legibiles, unde ΑΙΓΥΠ. factum. Verum ego magiſtratus urbis cujusdam Græcæ nomen latere exiſtimo, quæ conjugium Octaviæ Antonio fuerit gratulata, atque triumvirorum per illud reconciliationem. Habeo certe duos nummos æreos valde inſignes, primæ magnitudinis Græcos, ab omni falſitatis ſuſpicione longe remotos, cuſos autem a Corcyrenſibus; in quibus a parte priore jugata Antonii & Octaviæ cernuntur capita, ab altera parte navis, cum nomine magiſtratus cujuſdam Corcyrenſium. De nuptiis Antonii cum Octavia plus ſemel loquitur Dio, ſed oſtendit ſimul, vinculum illud amicitiæ brevi fuiſſe diſruptum, & concordiam valde diſcordem exſtitiſſe inter Cæſarem atque Antonium.

XIII.

ΑΝΤΩΝΙΟΥ ΑΥΤοκράτορος ΚΑΙ ΚΛΕΟΠΑΤΡΑΣ ΒΑΣΙΛΙΣΣΗΣ. *Antonii imperatoris & Cleopatræ reginæ.* Capita Antonii & Cleopatræ jugata, illud Antonii in hoc & præcedenti nummo laureatum exhibetur. Ab altera parte Victoria rati inſiſtit, cum inſcriptione ΚΟΙΝΩΝΙΑ ΤΡΙΠΟΛΙΤΩΝ. *Concordia Tripolitanorum.*

Tripolitani in Phœnicia nummum hunc in Antonii & Cleopatræ gratiam ſignarunt, atque in eodem & ſuam & ejus navalem potentiam commendarunt.

XIV.

ΑΝΤΩΝΙΟΥ ΑΥΤοκράτορος &c. ut ſupra, atque eadem capita jugata. Ab altera parte ſimilis eſt Victoria navi inſiſtens, & inſcriptio, ΚΟΙΝΩΝία ΤΡΙΠΟΛΙΤΩΝ ΠΡΩΤ..Σ. *Concordia primariæ Tripolitarum urbis.*

Quum in Phœnicio littore Tyrus Sidon & Aradus ſibi invicem proxime adjacerent, urbem ſimul novam in littore Phœniciæ, quo mercium gratia convenire ſolebant, condiderunt, quæ, quod a trium harum urbium colonis ſeparatim habitaretur, Tripolis adpellata fuit. Teſtatur illud Diodorus Siculus lib. XVI. ad annum ſecundum olympiadis CVII. pag. 439. edit. Rhod. Κατὰ τὴν Φοινίκην ἐστὶ πόλις ἀξιόλογος ὄνομα Τρίπολις, οἰκείαν ἔχουσα τῇ φύσει τὴν προσηγορίαν, Τρεῖς γὰρ εἰσὶν ἐν αὐτῇ πόλεις, σταδιαῖον ἀπ' ἀλλήλων ἔχουσαι διάστημα. Ἐπικαλεῖται δὲ τούτων ἡ μὲν Ἀραδίων, ἡ δὲ Σιδωνίων, ἡ δὲ Τυρίων· ἀξίωμα δ' ἔχει μέγιστον αὕτη τῶν κατὰ τὴν Φοινίκην πόλεων, ἐν ᾗ συνέβαινε τοὺς Φοίνικας συνέδριον ἔχειν καὶ βουλεύεσθαι περὶ τῶν μεγίστων. *Celebris in Phœnicia urbs eſt Tripolis, conſentaneam naturæ ſuæ adpellationem habens. Tres enim in ipſa urbes continentur, ſtadii intervallo a ſe invicem diremtæ. Una Aradiorum, altera Sidoniorum, tertia Tyriorum cognomentum habet. Maximam hæc inter omnes Phœniciæ civitates dignationem obtinet; utpote in qua Phœnicum ſenatus convenire, deque rebus maximis conſilia tractare ſolet.*

XV.

Μάρκος ΑΝΤΩΝΙΟΣ ΑΥΤΟΚΡΑΤωρ ΟΙΩΝΙΣΤΗΣ ΤΡΙΩΝ ΑΝΔΡΩΝ. *Marcus Antonius imperator Augur triumvir.* Capita juncta, ut ſupra, Antonii & Cleopatræ. Ab altera parte duæ naves ſunt, cum columna, cui Victoria inſiſtit, & inſcriptione ΝΙΚΟΠΟΛιτων. ΗΡΩΔΗΣ. *Nicopolitarum. Herodes.*

Herodes nomen eſt magiſtratus. Nicopolis urbs, omine nominis ſui ſervato, claſſes Antonii hoc nummo celebrat, illique victoriam ſpondet.

XVI.

Μάρκος ΑΝΤΩΝΙΟΣ ΑΥΤΟΚΡΑΤΩΡ ΤΡΙΤΟΝ (in ipſa tabula male legitur ΤΡΙΤΩΝ) ΤΡΙΩΝ ΑΝΔΡΩΝ. *Marcus Antonius imperator III. triumvir.* Caput M. Antonii laureatum cum lituo.

ΒΑΣΙΛΙΣΣΑ ΚΛΕΟΠΑΤΡΑ ΟΣΣΑΝ ΣΩΤΗΡΑ. *Regina Cleopatra Oſſan Sotera.* Caput reginæ Cleopatræ velo matronali tectum.

Puto illum, qui nummum fabricavit, voluiſſe ſcribere pro ΟΣΣΑΝ, quæ vox nihili eſt, ΘΕΑ.Ν; i. e. *Dea Nova.*

XVII.

Μάρκος ΑΝΤώνιος ΑΡΜΕΝΙΑΣ ΚΑΤΑΔΟΥΛΩΣας. *Marcus Antonius Armenia devicta.* Caput M. Antonii nudum. Ab altera parte Cleopatræ caput velatum eſt, cum inſcriptione ΚΛΕΩΠΑΤΡΑ ΑΡΜΕΝ . . . . . ΒΑΣΙΛΙΣΣΑ. *Cleopatra Armen . . . . . regina.*

Nummus eſt recens, argenteus, majoris moduli, adfabre factus, quem ipſe plus ſemel vidi.

XVIII.

Μάρκος ΑΝΤΩΝΙΟΣ ΑΥΤΟΚΡΑΤΩΡ ΟΙΩΝΙΣΤΗΣ ΤΡΙΤΩΝ ΑΝΔΡΩΝ. Scribi debuerat ΤΡΙΤΟΝ ΤΡΙΩΝ &c. Caput M. Antonii nudum cum lituo. Ab altera parte caput Cleopatræ eſt velatum, cum inſcriptione ΚΛΕΟΠΑΤΡΑΣ ΟΣΣΑΝ ΣΩΤΗΡΑΣ ΒΑΣΙΛΙΣΣΗΣ. *Cleopatræ Oſſan Soteræ reginæ.*

Artificem hujus nummi agnoſco eundem, qui fecit num. XVI. hic ΟΣΣΑΝ male poſuit pro ΘΕΑΣ Νέας &c. *Deæ novæ.* Sed utrumque, & plures forſan ex his, vix genuinos agnoſco.

XIX.

Μάρκος ΑΝΤΩΝΙΟΣ ΑΥΤΟΚΡΑΤΩΡ Γ. *Marcus Antonius imperator* III. Caput M. Antonii nudum; ab altera parte caput eſt Cleopatræ velatum, cum inſcriptione, ΒΑΣΙΛΙΣΣΗΣ ΚΛΕΟΠΑΤΡΑΣ. . . . . . *Reginæ Cleopatræ.* . . . . .

Et hic nummus, & plurimi ex illis, qui præceſſerunt, reſpiciunt victoriam M. Antonii Armeniacam.

XX.

Μάρκος ΑΝΤΩΝΙΟΣ ΑΥΤΟΚΡάτωρ ΟΙΩΝΙΣΤΗΣ ΤΡΙΩΝ ΑΝΔΡΩΝ. *Marcus Antonius imperator augur triumvir.* Caput M. Antonii laureatum, poſt illud eſt lituus. Ab altera parte in laurea cernitur tripus cum hac inſcriptione ΕΦΕΣΙΩΝ ΝΕΩΚΟΡΩΝ. *Epheſiorum neocororum.*

Laurea victorias M. Antonii reſpicit, tripus cultum Apollinis.

XXI.

ΑΥΤΟΚράτωρ ΑΝΤΩΝΙΟΣ ΟΙΩΝΙΣΤΗΣ ΤΡΙΩΝ ΑΝΔΡΩΝ. *Imperator Antonius augur triumvir.* Statua ſedentis Antonii, dextra chartam convolutam, læva haſtam tenentis. Ab altera parte mulier turrita rupibus inſidet, dextra ſpicas gerens, & pede fluvium jacentem calcans, juxta quem palmæ ramus cernitur. Adſcribitur ΚΑΙΣΑΡΕΑΣ ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩΣ. *Cæſareæ Metropoleos.*

Postquam Artuasdem & Armenios devicit M. Antonius, atque titulum imperatoris ante prænomen suum posuit, statuam hanc posuisse illi videntur Cæsareenses, atque victoriam hanc gratulati fuisse, quod & sequentia ejus urbis numismata ostendunt.

XXII.

ΑΝΤΩΝΙΟΣ ΑΥΤΟΚΡΑΤΩΡ ΤΡΙΩΝ ΑΝΔΡΩΝ. *Antonius Imperator IIIvir.* Caput M. Antonii triumviri, pone illud est lituus, ante illud hæc æra cernitur L. B. sed puto esse scribendum L. IB. *anno* XII. Ab altera parte legitur ΚΑΙΣΑΡΕΩΝ. Mulier stolata, stans, capite turrito, dextra temonem navis tenet, læva cornucopiæ, ante pedes est palmæ ramus.

Urbs Cæsarea novæ suæ epochæ annum duodecimum in hoc nummo numerare videtur. Genius urbis ab altera parte Fortunæ habitu depingitur. Palma ante pedes ad victorias M. Antonii respicit.

XXIII.

Sine epigraphe. Caput M. Antonii in corona laurea. Ab altera parte eadem, quæ in nummo præcedente est, figura muliebris cernitur, sed præter cornucopiæ læva quoque ramum laureum tenet. Adest hæc inscriptio. ΚΑΙΣΑΡΕΩΝ *Lycabettus* ΙΑ. *Cæsareensium anno* XI.

Victorias Antonii & laurea, cui caput ejus includitur, testatur, & ramus lauri, quem læva tenet Fortuna urbis Cæsareæ.

XXIV.

ΑΝΤΩΝΙΟΣ. *Antonius.* Caput solis sive Apollinis radiatum. Ad pectus astrum solis est. Ab altera vero parte Serapidis est caput modio tectum, cum inscriptione ΡΟΔΙΩΝ. *Rhodiorum.*

Inveniuntur ærei urbis & insulæ Rhodi nummi, qui Serapidis cultum capite ejus testantur. Ipse quoque tales servo. Ab altera vero parte solis, ut in hoc nummo, caput habent. Verum in hoc Rhodii Antonio adulantur, & filium ejus Antyllum, sive Antonium, tanquam solem & Apollinem suum celebrant. Rhodi enim multos nummos in Antonii quoque gratiam cusos fuisse observavit Morellius in Epist. ad Periz. pag. 180. ubi de tribus posterioribus nummis tab. I. inter Ursinian. ita loquitur; „ Tres reliqui hujus tabellæ nummi caput solis non uno modo continent, idque Nonnius eo refert, quod Antonius in Ægypto Osiris adpellari voluerit, qui idem cum sole sit. Sed vero propius accedere videtur, hosce nummos vel Rhodi vel in honorem Rhodiorum fuisse cusos. Nam hanc insulam M. Antonio fuisse adjudicatam novimus, quum triumviri Romanum inter se diviserent imperium. Ejusmodi etiam capita in nummis Rhodiorum sunt frequentia, nec mirandum, Rhodios hisce nummis ad fidem & amicitiam fuisse incitatos, cum constet, idem paulo ante & Cassium fecisse, uti in nummis Cassiæ & Serviliæ familiarum adparet. Præterea M. Antonius Rhodiorum auxilio navali imprimis ante pugnam Acticam habebat opus, & in nummo tanquam augur in spem victoriæ, adjuvante sole, Rhodiorum numine, quod caput ab altera parte indicat, cernitur." Respondit Perizon. p. 260. & 261. „ Recte etiam ejus tabulæ nummos referre te putem ad Rhodiorum solem, quorum ille proprius & præcipuus fuit deus, qui ideo in eorum nummis frequentissime occurrit, qua de re pluribus egi in Dissert. Triade p. 260. 261. Ægyptii numinis, seu Osiridis, quo referunt eos Ursinus & Vaillantius, nulla hic vestigia." Ejusdem verba pag. 262. quoque huc faciunt: „ Tertius nummus, qui pharetram in aversa exhibet, serpentibus se erigentibus inclusam, cum signis deorum Jovis & Neptuni, declarare videtur *Armeniam devictam*, quo titulo nummos cudi curavit Antonius; & Asiam placatam; siquidem serpentes pharetram cum sagittis mediam quasi retinent & cohibent, ne ad cædes & bella denuo adhibeantur, atque ideo etiam aliorum in nummis Asiaticis pacem denotare videntur, quibus idcirco caduceus additur. Omnes autem hi nummi videntur Asiatici ac ipsi eorum cistophori. Vide Vaillantium ad numm. G. Antoniæ 37. &c."

TAB. VI.

Omnes quoque hujus tabulæ nummos desumtos fuisse a Morellio ex Goltzii Cæsare & Augusto, adpositus singulis asteriscus indicat.

I.

Marcus ANTONIVS IMP*erator*. Caput M. Antonii. Ab altera parte legitur inscriptio CAESAR DIVI F*ilius*. Atque exhibetur caput, quasi genii populi Romani, cum sceptro ad cervicem, atque quinque aristis ad occiput erumpentibus.

In familia Atia, supra pag. XXXVII. inter nummos ab Ursino aliisque editos, occurrit nummus in honorem M. Atii Balbi cusus, qui ab altera parte caput Sardi Patris habet, similiter sceptro ad humeros ornatum, & aliquid circa occiput erumpens, quod noveno numero dividitur. Utrum in hoc nummo simile quid inveniens Goltzius inde spicas formaverit, an vero ibi quoque aristæ designentur, non satis scio. Verum ista mihi similitudo in utroque nummo esse videtur, ut & hunc nummum a Sardis cusum fuisse credam, qui ab altera parte M. Antonii imperatoris caput signaverint, ab altera in Cæsare, divi filio, adumbrarunt heroa suum veterem & antiquum Sardum Patrem, de quo vide quæ l. c. diximus.

Nummus cusus fuisse videtur non longe post Julii Cæsaris cædem, in initio triumviratus Antonii & collegarum.

II. III.

ANTONIVS IMP*erator*. Caput M. Antonii, & ab altera parte CAESAR IMP*erator*. Caput Cæsaris Octaviani.

Positione inscriptionis tantum differunt.

IV.

Marcus ANTONI*us* IMP*erator*. Caput M. Antonii. Ab altera parte caput Octaviani est, cum inscriptione *Caius* CAESAR IMP*erator*.

V.

ANTONIVS IMP*erator*. Caput M. Antonii cum lituo. Ab altera parte Octaviani caput est, & inscriptio CAESAR IMP*erator*.

VI.

ANTONIVS IMP*erator*. Caput M. Antonii cum lituo. Ab altera parte caput Octaviani, & inscriptio *Caius* CAESAR IMP*erator*.

VII.

ANTONIVS IMP*erator*. Caput M. Antonii cum lituo. Ab altera parte C. Cæsaris est caput & inscriptio, ut supra.

Tot

FAMILIA ANTONIA.

Tot nummi M. Antonii & C. Cæſaris eodem titulo & cum utriusque capite percuſſi, videntur originem debere nuptiis inter C. Cæſarem & Clodiam, M. Antonii privignam, & Fulviæ ex Clodio filiam, quibus concordia inter illos firmata videbatur, ut notat Dio Caſſius in extremo libri XLVI. pag. 326. Κἀν τούτῳ οἱ τοῦ Ἀντωνίου στρατιῶται τὴν θυγατέρα τὴν τῆς Φουλουίας τῆς γυναικὸς αὐτοῦ, ἣν ἐκ τοῦ Κλωδίου εἶχε, τῷ Καίσαρι, καίτοι ἑτέρῳ ἐγγεγυημένῳ, προεξείνησαν, τοῦ Ἀντωνίου δηλονότι τοῦτο κατασκευάσαντος. καὶ ὃς οὐκ ἀπηρνήσατο· οὐδὲ γὰρ ἐμποδισθήσεσθαί τι ἐκ τῆς ἐπιγαμίας πρὸς ἃ κατὰ τοῦ Ἀντωνίου πράξειν ἤμελλεν, ἐνόμισε. τά τε γὰρ ἄλλα, καὶ τὸν πατέρα τὸν Καίσαρα οὐδέν τι ἧττον ἐκ τῆς πρὸς τὸν Πομπήιον συγγενείας πάνθ᾽ ὅσα ἠθέλησε κατ᾽ αὐτοῦ πράξαντα ἠπίστατο. *Eodem tempore milites Antonii, filiam Fulviæ, uxoris Antonii, quam Clodio pepererat, Cæſari, inſtinctu haud dubie Antonii, in matrimonium dederunt: quamvis is aliam jam tum duxerat. Neque id Cæſar detrectavit, quod arbitrabatur eas nuptias nullo ſibi obſtaculo futuras in ea re, quam contra Antonium animo jam præceperat: quum alioquin Julium Cæſarem, patrem ſuum, cognoviſſet nihil moratum affinitatem cum Pompejo initam in ſuis contra eum actionibus fuiſſe.* Verum male cohæſit illa amicitia, Clodiamque intactam, ſi id de Cæſare credere fas eſt, poſtea dimiſit. Dio lib. XLVIII. pag. 359. Κἀκ τούτων ἥ τε συγγένεια αὐτῶν ἡ ἐκ τῆς ἐπιγαμίας διελύθη, καὶ πρὸς πόλεμον ἐμφανῆ προήχθησαν. ὁ γὰρ Καῖσαρ τὴν χαλεπότητα τῆς πενθερᾶς μὴ φέρων (ἐκείνῃ γὰρ μᾶλλον ἢ τῷ Ἀντωνίῳ διαφέρεσθαι δοκεῖν ἐβούλετο), τὴν θυγατέρα αὐτῆς, ὡς καὶ παρθένον ἔτι οὖσαν (ὃ καὶ ὅρκῳ ἐπιστώσατο) ἀπεπέμψατο, οὐκ ὀκνήσας οὔτε εἰ τοσοῦτον ἄλλως ἡ γυνὴ πεπαρθενεῦσθαι παρ᾽ αὐτῷ χρόνον νομισθείη, οὔτε πρὸς τὴν παρασκευὴν τῶν ἐσομένων, εἰ ἐκ πολλοῦ δόξειεν αὐτὸ προβεβουλευκέναι. γενομένου δὲ τούτου, οὐδὲν ἔτι φίλιον ἐποίουν. *Hoc diſſidio & affinitas dirempta eſt, & ad bellum apertum res producta. Cæſar enim quum inſolentiam ſocrus ſuæ non ferret (malebat autem videri cum hac quam cum Antonio ſibi non convenire) cum filia ejus, quam adhuc virginem eſſe ſacramento contendebat, divortium fecit: nihil curans, fidesne ſibi non haberetur, tanto eum hanc tempore ſecum illibatam habuiſſe: an vero exiſtimaretur hoc diu ante ſecum ita ſtatuiſſe, quum ſe ad futura præpararet. Secundum hoc repudium nihil inter eos amice actum eſt.*

VIII.

Marcus ANTONIVS IMP*erator* IIIVIR *Rei Publicæ Conſtituendæ*. Caput Marci Antonii, ſubtus ſtella eſt. Ab altera parte in ambitu circa caput Cæſaris cernitur, *Caius* CAESAR IMP*erator* IIIVIR *Rei Publicæ Conſtituendæ*.

Hunc nummum ipſe ſervo, eſtque genuinus. Aſtrum Julii Antonio videtur hic adpingi, quoniam olim vivo adhuc Cæſari flamen deſtinatus fuerat, ut narrat in extremis Cæſaris Dio lib. XLIV. pag. 243. Καὶ ἐπειδὴ καὶ τούτοις ἠρέσκετο, οὕτω δὴ ἔς τε τὰ θέατρα τόν τε δίφρον αὐτοῦ τὸν ἐπίχρυσον, καὶ τὸν στέφανον τὸν διάλιθον καὶ διάχρυσον, ἐξ ἴσου τοῖς τῶν θεῶν, ἐσκομίζεσθαι, κἀν ταῖς ἱπποδρομίαις ὄχλον ἐσάγεσθαι ἐψηφίσαντο. καὶ τέλος Δία τε αὐτὸν ἄντικρυς Ἰούλιον προσηγόρευσαν, καὶ ναὸν αὐτῷ τῇ ἐπιεικείᾳ αὐτοῦ τεμενισθῆναι ἔγνωσαν, ἱερέα σφίσι τὸν Ἀντώνιον, ὥσπερ τινὰ διάλιον, προχειρισάμενοι. *Quum hæc etiam Cæſari placuiſſent, jam in theatra etiam ſellam ejus auream, coronamque gemmis auroque præſignem (qui honor alias diis tribui ſolebat) inferri, atque in circum etiam introduci a multitudine juſſerunt, denique Iovis ipſi cognomentum palam impoſuerunt: templumque ei Clementiæ dedicari juſſerunt, ſacerdotioque ejus Antonium, quaſi flaminem dialem aliquem, præfecerunt.*

IX.

Marcus ANTONIVS IMP*erator* AVGVR IIIVIR *Rei Publicæ Conſtituendæ*. Caput M. Antonii. Ab altera parte capiti Cæſaris lituus additur cum hac inſcriptione, CAESAR IMP*erator* PONT*ifex* IIIVIR *Rei Publicæ Conſtituendæ*.

Lituus auguratus eſt ſymbolum, & proprie ad M. Antonium videretur pertinere, niſi infra num. XV. auguris titulus una cum lituo pariter Cæſari daretur. Videtur itaque a Julio, æque ut Antonius, inter augures relatus fuiſſe.

X.

Marcus ANTONIVS IMP*erator* AVGVR IIIVIR *Rei Publicæ Conſtituendæ*. Caput M. Antonii. Ab altera parte capiti Cæſaris rurſus lituus additur, cum hac inſcriptione, *Caius* CAESAR IMP*erator* PONT*ifex* IIIVIR *Rei Publicæ Conſtituendæ*.

XI.

IMP*erator* ANTONIVS AVGVR IIIVIR ITER*um Rei Publicæ Conſtituendæ*. Caput M. Antonii cum urceo. Capiti Cæſaris nihil additur niſi hæc inſcriptio, IMP*erator* CAESAR DIVI F*ilius* IIIVIR ITER*um Rei Publicæ Conſtituendæ*.

XII.

IMP*erator* ANTONIVS AVGVR IIIVIR ITER*um Rei Publicæ Conſtituendæ*. Caput M. Antonii. Ab altera parte caput Cæſaris eſt cum hac inſcriptione, IMP*erator* CAESAR DIVI F*ilius* IIIVIR ITER*um* Rei *Publicæ Conſtituendæ*.

XIII.

IMP*erator* ANTONIVS AVGVR IIIVIR ITER*um Rei Publicæ Conſtituendæ*. Caput M. Antonii. Ab altera parte Cæſaris eſt caput cum inſcriptione, IMP*erator* CAESAR PONT*ifex* IMP*erator* ITER*um* IIIVIR ITER*um Rei Publicæ Conſtituendæ*.

XIV.

IMP*erator* ANTONIVS AVGVR IIIVIR ITER*um Rei Publicæ Conſtituendæ*. Caput M. Antonii cum urceo. Ab altera parte capiti Cæſaris hæc additur inſcriptio. IMP*erator* CAESAR PONT*ifex* IMP*erator* ITER*um* IIIVIR ITER*um Rei Publicæ Conſtituendæ*.

XV.

IMP*erator* ANTONIVS AVGVR IIIVIR ITER*um Rei Publicæ Conſtituendæ*. Caput Antonii, ut ſupra. IMP*erator* CAESAR AVGVR PONT*ifex* IIIVIR ITER*um Rei Publicæ Conſtituendæ*. Cæſaris caput, quod convertitur ad alteram partem, lituus capiti adponitur.

XVI.

IMP*erator* ANTONIVS AVGVR IIIVIR ITER*um Rei Publicæ*. Caput M. Antonii cum urceo. Ab altera parte capiti Cæſaris hæc additur inſcriptio. IMP*erator* CAESAR DIVI F*ilius* PONT*ifex* IIIVIR ITER*um Rei Publicæ Conſtituendæ*. Caput Cæſaris cum lituo eſt.

In omnibus hiſce imperatoris titulus quoque ante prænomen C. Cæſaris ponitur. Quod patet illum feciſſe ex imitatione M. Antonii. Non vero fuit ante ſecundum quinquennium triumviratus, qua ipſe iterum fuit imperator.

XVII.

ANT*onius* IMP*erator* AVG*ur* IIIVIR *Rei Publicæ Conſtituendæ*. *Marcus* BARBA*tus Præfectus* CL*aſſi*. Caput M. Antonii. Ad Cæſaris caput additur, *Caius* CAESAR IMP*erator* IIIVIR *Rei Publicæ Conſtituendæ*.

M. Barbatus Antonii fuit quæſtor provincialis, & claſſi ejusdem præfectus. Vocatur idem proprætor provincialis, infra in familia Valeria.

XVIII.

Marcus ANT*onius* IMP*erator* AVG*ur* IIIVIR *Rei Publicæ Conſtituendæ. Marcus* BARBAT*us Quæſtor Provincialis.* Caput M. Antonii. Caput C. Cæſaris eſt ab altera parte cum hac inſcriptione, CAESAR IMP*erator* PONT*ifex* IIIVIR *Rei Publicæ Conſtituendæ.*

XIX.

Marcus ANT*onius* IMP*erator* AVG*ur* IIIVIR *Rei Publicæ Conſtituendæ: Marcus* BARBAT*us Præfectus* CL*aſſi.* Capiti Antonii urceus additur, Cæſaris lituus, cum inſcriptione *Caius* CAESAR IMP*erator* PONT*ifex* IIIVIR *Rei Publicæ Conſtituendæ.*

XX.

Marcus ANT*onius* IMP*erator* AVG*ur* IIIVIR *Rei Publicæ Conſtituendæ. Marcus* BARBAT*us Præfectus* CL*aſſi.* Caput M. Antonii cum urceo. Ab altera parte C. Cæſaris eſt caput cum lituo & hac inſcriptione, CAESAR IMP*erator* PONT*ifex* CO*nSul* IIIVIR *Rei Publicæ Conſtituendæ.*

XXI.

Marcus ANT*onius* IMP*erator* AVG*ur* III VIR *Rei Publicæ Conſtituendæ. Marcus* BARBAT*us Præfectus* CL*aſſi.* Ab altera parte Cæſaris eſt caput cum lituo & inſcriptione CAESAR IMP*erator* PONT*ifex* CO*nSul* IIIVIR *Rei Publicæ Conſtituendæ.*

XXII.

Marcus ANT*onius* IMP*erator* AVG*ur* III VIR *Rei Publicæ Conſtituendæ. Marcus* BARBAT*us Quæſtor Provincialis.* Caput M. Antonii. Ab altera parte, *Caius* CAESAR DIVI IVLI *Filius* IMP*erator* AVG*ur* PONT*ifex* III VIR *Rei Publicæ Conſtituendæ.*

XXIII.

Marcus ANT*oninus* IMP*erator* AVG*ur* III VIR *Rei Publicæ Conſtituendæ. Aulus* NERVA PROQ*uæſtor Provincialis.* Caput M. Antonii cum lituo. Ab altera parte *Caius* CAESAR IMP*erator* IIIVIR *Rei Publicæ Conſtituendæ.* Caput C. Cæſaris.

Nerva ille fuit ex familia Licinia.

XXIV.

Marcus ANT*onius* IMP*erator.* Lituus, urceus, & gallus gallinaceus. Ab altera parte ſunt inſtrumenta pontificalia, albogalerus, ſecuris & adſpergillum, atque hæc inſcriptio, *Caius* CAESAR IMP*erator.*

TAB. VII.

I.

Marcus ANT*onius* IMP*erator* AVG*ur* IIIVIR *Rei Publicæ Conſtituendæ. Lucius* GELL*ius Quæſtor Provincialis.* Caput M. Antonii cum urceo. Ab altera parte CAESAR IMP*erator* PONT*ifex* IIIVIR *Rei Publicæ Conſtituendæ.* Caput C. Cæſaris cum lituo.

L. Gellius, cujus in hoc & quatuor ſequentibus denariis fit mentio, ad familiam Gelliam pertinet. Patet vero ex hoc nummo pullum gallinaceum quoque cenſuiſſe Goltzium, quem corvum adpellat Morellius, unde ad Morellium ſcripſit Perizon. pag. 247. „ In gentis Antoniæ nummis „ 3. & 6. tabulæ V. *corvum* conſpici doces. Illis autem nummis inſignia auguratus exhibentur, „ (augur enim erat Antonius) & *corvus*, cui *Augurium eſt datum*, ut ait Phæd. Fab. 57. iſtis inſignibus recte ideo additur. Neque tamen pulli „ gallinacei ab auſpiciis ſunt alieni, ut eſt notiſ„ ſimum." Additque idem Perizonius, „ Si re„ cte agnovit corvum in his nummis Morellius, „ tum vero Vaillantius ſegniter eos inſpexit. „ Nam & ipſe gallum in iis nobis exhibet.

II.

Similis præcedenti, ſed *Caius* prænomen Cæſari additur.

III.

ANT*onius* IMP*erator* AVGVR IIIVIR *Rei Publicæ Conſtituendæ. Lucius* GELL*ius Quæſtor Provincialis.* Caput M. Antonii cum lituo. Ab altera parte caput C. Cæſaris eſt cum inſcriptione, CAESAR IMP*erator* PONT*ifex* IIIVIR *Rei Publicæ Conſtituendæ.*

IV.

ANT*onius* IMP*erator* AVGVR IIIVIR *Rei Publicæ Conſtituendæ. Lucius* GELL*ius Quæſtor Provincialis.* Caput M. Antonii cum lituo. Ab altera parte *Caius* CAESAR DIVI IVLI *Filius* IMP*erator* AVGVR PONT*ifex* IIIVIR *Rei Publicæ Conſtituendæ.* Caput C. Cæſaris.

V.

Marcus ANT*onius* IMP*erator* AVG*ur* IIIVIR *Rei Publicæ Conſtituendæ. Lucius* GELL*ius Quæſtor Provincialis.* Caput M. Antonii cum urceo. Ab altera parte eſt caput M. Lepidi cum inſcriptione, *Marcus* LEPIDVS PONT*ifex* MAX*imus* IIIVIR *Rei Publicæ Conſtituendæ.* Ad caput Lepidi eſt lituus.

VI.

IMP*erator* ANTONIVS AVGVR IIIVIR ITER*um Rei Publicæ Conſtituendæ.* Caput M. Antonii. Ab altera parte iterum eſt caput Lepidi cum lituo & inſcriptione, *Marcus* LEPIDVS PONT*ifex* MAX*imus* IIIVIR ITER*um Rei Publicæ Conſtituendæ.*

VII.

Marcus ANTONIVS IMP*erator* AVGVR IIIVIR *Rei Publicæ Conſtituendæ.* Caput M. Antonii. Ab altera parte M. Lepidi eſt caput & inſcriptio *Marcus* LEPIDVS PONT*ifex* MAX*imus Rei Publicæ Conſtituendæ.*

VIII.

Marcus ANTONIVS IMP*erator* AVGVR IIIVIR *Rei Publicæ Conſtituendæ.* Caput M. Antonii. Lepidi ab altera parte caput eſt, & inſcriptio, *Marcus* LEPIDVS IMP*erator* PONT*ifex* MAX*imus* IIIVIR *Rei Publicæ Conſtituendæ.*

IX.

IMP*erator* ANTONIVS AVGVR IIIVIR ITER*um Rei Publicæ Conſtituendæ.* Caput M. Antonii cum urceo. Ab altera parte caput eſt M. Lepidi cum urceo & lituo, cui hæc additur inſcriptio, LEPIDVS PONT*ifex* MAX*imus* III VIR ITER*um Rei Publicæ Conſtituendæ.*

X.

IMP*erator* ANTONIVS AVGVR IIIVIR ITER*um Rei Publicæ Conſtituendæ.* Caput M. Antonii cum urceo. Ab altera parte *Marcus* LEPIDVS PONT*ifex* MAX*imus* IIIVIR ITER*um Rei Publicæ Conſtituendæ.* Caput M. Lepidi cum lituo.

XI.

IMP*erator* ANTON*ius* AVG*ur* IMP*erator* IIII.

FAMILIA ANTONIA.

IIII. CO*nSul* DES*ignatus* III. III VIR II. R*ei Publicæ Constituendæ*. Caput Antonii, pone quod lituus: in aversa, ALEXANDR*ia* ÆGYPT*i*. Palma arbor, in corona ex hedera & corymbis conflata.

Dicitur M. Antonius in hoc nummo imperator IV. & consul designatus III. Consulatum non iniit, hostis judicatus, & consules A. V. C. DCCXXII. facti fuerunt C. Cæsar & Messalla Corvinus. Cusus itaque fuit hic nummus argenteus tetradrachmalis anno A. V. DCCXXII. Imperatoris titulum IIII. consecutus fuerat M. Antonius Armenia, ejusque rege Artuasde, in potestatem redacta, ut vidimus ad nummum ultimum tabulæ IV. Narrat quidem Dio Cassius lib. LI. pag. 449. M. Antonium & Cleopatram, post infelicem exitum pugnæ Actiacæ, fugisse Alexandriam, verum Cleopatram, quum in Ægyptum navigaret, victoriam fuisse mentitam, proras ornasse, & victoriæ convenientes cantilenas ad tibias canere jussisse; deinde ubi tuto in Ægyptum pervenit, primores multos ejus regni, quos suspectos habebat, necasse, eorum & omnium ædium sacrarum divitias ad se rapuisse, Artuasdæ, Armeniæ Regis, quem in vinculis habebat, caput amputatum ad Medorum regem, hostem ejus, misisse, ut ipsum ad suas partes pertraheret. Antonium quoque, ubi Alexandriam venit, in viros retulisse Cæsarionem & Antyllum, atque Ægyptiorum duces constituisse, si sibi & Cleopatræ quid humanitus obtigisset; aliaque ad bellum idonea præparasse. Quo tempore illum imperatoris IV. titulum usurpasse a vesania ejusdem alienum non esse aliquis credere posset, vel referre cum Vaillantio ad adparatum belli qui pugnam Actiacam præcessit, qua certo spoponderit sibi victoriam Antonius; sed vide quæ dicturi sumus infra ad nummum. 23. tabulæ VII.

Palma Ægypti symbolum est, ubi plurimæ nascebantur, corona hederacea Antonio, tanquam novo Baccho, convenit, unde coronatus eadem in aliis nummis tetradrachmalibus observatur.

XII.

ANT*onius* AVG*ur* IMP*erator* TERT*ium* CO*nSul* DES*ignatus* ITER*um* ET TERT*ium* IIIVIR *Rei Publicæ Constituendæ*. Caput M. Antonii. Ab altera parte est vexillum inter duo signa militaria, cum inscriptione CONCORDIA EXERCITVVM.

Ex inscriptione consulis iterum & III. designati, patet cusum fuisse nummum A. V. C. DCCXIX. antequam consulatum secundum iniret Kalend. Januar. anni DCCXX.

XIII.

ANT*onius* AVG*ur* IIIVIR R*ei Publicæ Constituendæ*. Triremis prætoria cum navigantibus. Ab altera parte aquila est legionaria inter duo signa militaria, cum inscriptione LEG*io* XXV.

XIV.

ANT*onius* AVG*ur* IIIVIR R*ei Publicæ Constituendæ*. Navis prætoria, ut supra. LEG*io* XXVI. Aquila legionaria inter duo signa militaria.

XV.

ANT*onius* AVG*ur* IIIVIR R*ei Publicæ Constituendæ*. Navis prætoria, ut supra. LEG*io* XXVII. Aquila legionaria inter duo signa militaria.

XVI.

ANT*onius* AVG*ur* IIIVIR R*ei Publicæ Constituendæ*. Navis prætoria, ut supra. LEG*io* XVIII. Aquila legionaria inter duo signa militaria.

XVII.

ANT*onius* AVG*ur* IIIVIR R*ei Publicæ Constituendæ*. Navis prætoria, ut supra. LEG*io* XXIX. Typus ut supra.

XVIII.

ANT*onius* AVG*ur* IIIVIR R*ei Publicæ Constituendæ*. Navis sive triremis prætoria, ut supra. LEG*io* XXX. Typus ut supra.

Usque ad triginta legiones Antonii invenisse videtur Goltzius. Reliqui ad istum numerum non adscendunt.

XIX.

ANT*onius* AVG*ur* IIIVIR R*ei Publicæ Constituendæ*. Triremis prætoria. LEG*ionis* PRIM*æ* ANTIQVAE signa scilicet, quæ in denario sunt aquila inter signa militaria.

Antiqua forsan hæc legio prima numeratur, quod jam Antonii partes fuerat secuta, antequam legionem, quæ alias prima erat, inter suas numeraret, atque una cum reliquis conscriberet.

XX.

ANT*onius* AVG*ur* IIIVIR R*ei Publicæ Constituendæ*. Triremis prætoria. Ab altera parte aquila legionaria inter duo signa militaria cernitur, cum inscriptione LEG*ionis* XX. HISPANICAE.

Hæc quoque legio, præter illam, quæ duodecima inter Antonianas numeratur, quasi supernumeraria occurrit, & Hispanicæ cognomen habet, quod forte Julio Cæsari bellum in Hispania contra Pompeji liberos gerenti, adfuerit, atque postea Antonio adhæserit.

XXI.

IMP*erator* ANTONIVS AVG*ur* IIIVIR ITER*um* R*ei Publicæ Constituendæ*. Caput M. Antonii cum lituo. Ab altera parte nulla adest inscriptio, sed cernitur Victoria coronans tropæum.

Victoria hæc cum tropæo spectant ad relatam a P. Ventidio Basso, legato Antonii, de Labieno, atque Parthis & Pacoro, egregiam victoriam. Id patet ex inscriptione nummi, dicitur enim iterum IIIvir reipublicæ constituendæ, adeoque post renovatam istam dignitatem cusus fuit nummus, & ante prænomen Antonii titulus imperatoris ponitur, quod non observo illum fecisse ante præclaram istam de Parthis relatam victoriam, unde insuper imperator iterum in plurimis aliis nummis vocari solet. Iidem ejus tituli observantur tab. præcedenti num. XI. XII. XIII. XIV. XV. XVI.

XXII.

ANTON*ius* AVG*ur* IMP*erator* III. CO*nSul* DES*ignatus* III IIIVIR R*ei Publicæ Constituendæ*. Caput M. Antonii. Ab altera parte cernitur Victoria stans, dextra corollam tenens, læva palmam, cum titulo PAR*thica*. Nummum laurea corona ambit.

Si nummus hic & sequens veri sunt & genuini, quod certo liquere poterit, si unus & alter ex iis inveniatur; ab iisdem hisce explicatio quoque peti debet similium M. Antonii nummorum, quorum alter Decimi Turulii inscriptum nomen habere vide-

detur. Contemplati illos ſumus ſupra inter Urſinianos tab. quarta num. I. & II. pag. 24. In utroque ibidem ſcribitur Antonius conſul III. & imperator IIII. Et, quamvis victoria illa Parthica aliquot annis prior fuerit, memoria tamen ejus, utpote glorioſa, plus ſemel annis inſequentibus repetita fuit. Id jam demonſtremus.

Narrat Appianus B. C. lib. V. pag. 714. quum fames urbem Romam premeret, coactos fuiſſe M. Antonium & C. Cæſarem pacem facere cum Sexto Pompejo, quæ certis conditionibus facta eſt inter eosdem. Accidit illud A. V. C. DCCXVIII. itaque conſules in quadriennium proximum deſignarunt; in A. V. C. DCCXIX. Antonium & Libonem; fuit tunc conſul II. M. Antonius in A. V. C. DCCXX. Cæſarem & Pompejum. Cæſar tunc II. conſul fuit, Sextus Pompejus, hoſtis judicatus & occiſus, honorem gerere non potuit. Cæſari collega L. Volcatius Tullus fuit. A. V. C. DCCXXI. ex præſcripto conſules fuerunt Domitius Ænobarbus & Soſius. A. V. C. DCCXXII. deſignati conſules fuerant Cæſar III. & Antonius III. ſed hoſtis judicatus fuit Antonius, & conſuli Cæſari III. collega exſtitit Valerius Meſſalla. Nihilominus in quibusdam nummis III conſulem ſeſe inſcribit M. Antonius, quod videlicet ex præſcripto & pacto debebatur eo anno ſibi conſulatus. Unde patet ſimul, illos nummos Antonii, qui illum conſulem III. vocant, cuſos fuiſſe A. V. C. DCCXXII. ſive, ut alii numerant DCCXXIII. Ex eadem regula ſequitur nummos Antonii, in quibus inſcribitur conſul deſignatus iterum, vel iterum & tertium, cuſos fuiſſe A. V. C. DCCXVIII. in quibus conſul II. cuſos A. V. C. DCCXIX. in quibus vero conſul deſignatus III. ſcribitur, omnes fuiſſe ſignatos A. V. C. DCCXX. vel DCCXXI. Videamus jam quo anno victoriam Parthicam Ventidii opera nactus fuerit M. Antonius. Si Dionem, qui has Ventidii res geſtas operoſe tradidit, inſpiciamus, viſuri ſumus bis Parthos, ſed diverſis annis, ſuperatos a Ventidio fuiſſe, primo ſub duce T. Labieno, iterum ſub ipſo rege Pacoro. Victoriam de Parthis & Labieno narrat Dio lib. XLVIII. pag. 380. & ſeqq. contigiſſe conſulibus Marcio Cenſorino & Calviſio Sabino A. V. C. DCCXIV. ſive DCCXV. At præclara illa de Parthis altera victoria, cadente ipſo Parthorum Rege Pacoro, narratur a Dione lib. XLIX. pag. 403. & 404. ad ſequentem annum DCCXV. ſive DCCXVI. conſulibus Claudio & Norbano.

Ex hisce omnibus concludo M. Antonium, qui imperator a Julio Cæſare vocatus fuit, & in nummis ſuis ſimpliciter nonnunquam ita inſcribitur, dictum fuiſſe imperatorem iterum, ſive II. poſt victoriam P. Ventidii legati ſui, de T. Labieno & Parthis primam, A. V. C. DCCXIV. vel DCCXV. deinde anno poſt cæſo Pacoro, & victoria iterum de Parthis ab eodem legato ſuo P. Ventidio relata, imperatorem III. ſive tertium. Poſtquam vero dolo ceperat Artuaſdem, atque omnem Armeniam armis ſubjugaverat, titulum imperatoris IV. nactum fuiſſe. Nimis enim ridiculus fuit Antonius, ſi in urbe Alexandria, contra Cæſarem pugnaturus, titulum illum imperatoris IV. ſumſiſſet, quaſi ipſum Cæſarem jam deviciſſet, ut paſſim exiſtimare ſolet Vaillantius. Conjectura noſtra ſimplicior eſſe videtur, & in ipſa hiſtoria fundamentum habet. Inde quoque patet, cuſum hunc nummum fuiſſe A. V. C. DCCXX. vel DCCXXI. quem quidem aliquot annis præceſſerat utraque victoria illa Parthica, ſed quoniam glorioſa illa maxime Antonio erat, cui propterea ſupplicationes & triumphus quoque a ſenatu decreti fuerant, inde ſæpius typus ejus victoriæ in nummis repetitus fuiſſe videtur.

Nummi illi D. Turulii, de quibus ſupra egimus, & qui eundem typum victoriæ Parthicæ exhibent, cuſi alio ſimul anno ſunt. Uterque enim M. Antonium conſulem III. ſcribit, videlicet DCCXXII. quo conſulatus tertia vice competebat M. Antonio, qui propterea conſul III. in illis nummis ſcribitur, & imperator IIII. reſpectu Armeniæ ſubactæ. Morellius exiſtimat deceptos oculos Goltzii in legendo fuiſſe, ut patet ex ejus nota in Epiſt. ad Periz. p. 299. „ In „ hujus gentis tabulæ quartæ nummo diſtincte „ leguntur hæ literæ: D. TVR. pro quibus Golt- „ zius legit: PAR. & confiteor, me hunc num- „ mum nondum intelligere "

XXIII.

IMP*erator* ANTONIVS AVGVR IIIVIR ITER*um* R*ei* P*ublicæ* C*onſtituendæ*. Caput M. Antonii. Ab altera parte ejusdem victoriæ Parthicæ typus & inſcriptio cernitur.

Hic nummus cuſus fuit, poſtquam in alterum quinquennium triumviri ſummam poteſtatem ſibi propagaſſent. Dio in fine libri 48. p. 341. narrat illud factum fuiſſe A. V. C. DCCXVII. L. Gellio & Coccejo Nerva conſulibus. Unde videtur hic nummus cuſus fuiſſe ante illum nummum, qui modo præceſſit, quamvis nihil impediat, quominus eodem tempore ſignari potuerint. In præcedenti enim ſimpliciter IIIVIR dicitur Antonius, quum tamen IIIVIR iterum fuerit.

TAB. VIII.

I.

Sine epigraphe. Caput M. Antonii. Ab altera parte ſolis radiatum caput eſt, & inſcriptio *Marcus* ANTO*nius* IMP*erator* IIIVIR R*ei* P*ublicæ* C*onſtituendæ*.

Ex ſolis capite dici poſſet hic aureus nummus a Rhodiis cuſus fuiſſe.

II.

Marcus ANTONIVS *Marci Filius Marci Nepos* AVGVR IMP*erator* ITER*um*. Caput Jovis Ammonis. Ab altera item parte ſolis radiatum caput cernitur. Adeſt inſcriptio CO*nSul* DESIG*natus* ITER*um* ET TERT*ium* III VIR R*ei* P*ublicæ* C*onſtituendæ*.

Solis diximus eſſe caput, ſed, quum Oriens quoque ſimiliter radiato capite pingatur, Orientis quoque in his nummis typus pingi poteſt. Quod confirmare videtur caput Jovis Ammonis, Africæ numen, cujus bonam partem, orientem verſus, & præſertim Ægyptum, tenebat Antonius. Inter ſe enim pacto inito ſinguli ex triumviris ſuas ſibi provincias & terras partiti fuerunt, & Antonio quidem Orientis univerſi & Ægypti imperium ceſſerat, ut narrat Dio Caſſius lib. XLVIII. pag. 374. Κἀν τούτῳ Καῖσαρ μὲν Σαρδῶ τε καὶ Δαλματίαν, τήν τε Ἰβηρίαν καὶ τὴν Γαλατίαν, Ἀντώνιος δὲ τἆλλα πάντα τὰ ὑπὲρ τὸν Ἰόνιον, τά τε ἐν τῇ Εὐρώπῃ καὶ τὰ ἐν τῇ Ἀσίᾳ τοῖς Ῥωμαίοις ὄντα, ἀπέλαχε. τά τε γὰρ ἐν τῇ Λιβύῃ ἔθνη ὁ Λέπιδος, καὶ τὴν Σικελίαν ὁ Σέξτος εἶχε. *Tum Cæſari Sardinia & Dalmatia, Hiſpaniaque & Gallia, Antonio reliquæ omnes trans Jonium mare regiones adſcriptæ ſunt. nam Africanas*

fro-

provincias Lepidus habebat, Siciliam Sextus. Ex quibus Orientis & Ægypti, five Africæ, fymbolis patet, non opus effe, ut de Rhodo cogitemus, vel Apolline, aut Sole ibi præ cæteris culto, quum etiam alibi hi nummi fignari potuerint. Annum, quo cufi funt, titulus indicat, certe hic pofterior videtur cufus fuiffe A. V. C. DCCXVIII.

III.

Caput Concordiæ deæ velatum, cum infcriptione IIIVIR *Rei Publicæ Conftituendæ.* Legitur ab altera parte *Marcus* ANTON*ius* IMP*erator.* Cernuntur vero fafces cum caduceo decusfatim pofiti, fic ut in medio eorundem orbis five globus adpareat, ad latera funt dextræ junctæ & fecefpita.

Idem plane typus fefe nobis obtulit fupra tab. IV. num. 19. qui a priore parte M. Antonii caput habet, pro quo in hoc Concordiæ eft caput. Unde patet, hosce nummos refpicere renovatam poft Fulviæ mortem concordiam inter M. Antonium & C. Cæfarem, conjugio Octaviæ, ut credebatur, ftabilitam. Illa enim folennitas, & bona Romanorum fpes de tantorum virorum concordia, innumeros nummos in publicum produxit, indejunguntur in iisdem nummis imperatorum M. Antonii & Cæfaris capita, fupra tab. VI. num. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. Inde dextræ junctæ cernuntur non in his tantum nummis, fed & in nummis Fam. Antoniæ tab. fexta inter Urfinian. num. II. & præfertim num. III. in quo quinario ipfius Octaviæ, tanquam deæ Concordiæ, caput exprimi videtur; quod & hic quoque agnofci poteft. Hoc conjugio, hisque pactis, fumma belli & pacis, facra omnia & profana, imo univerfus orbis in illorum videbatur effe poteftate, quæ omnia fcite in hisce nummis depinguntur; verum, ut olim de Julio Cæfare & Pompejo Lucanus lib. I. vf. 86. fic de Cajo Cæfare & M. Antonio vere dixeris,

O male concordes, nimiaque cupidine cæci,
Quid mifcere juvat vires, orbemque tenere
In medio?

IV.

Sine epigraphe. M. Antonii caput. Ab altera parte in area nummi fcribitur IMP*erator* ANTON*ius* AVGVR CO*nSul* DES*ignatus* III. IMP*erator* IIII.

Titulus imperatoris IIII. docet, quo tempore hic nummus fignatus fuerit, videlicet poft triumphatum Artuasdem & Armeniam captam.

V.

Sine epigraphe. M. Antonii caput. Ab altera parte vafa funt facerdotalia, patera, urceus, lituus, fecefpita, capeduncula. Subtus legitur, IMP*erator* ANT*onius* AVG*ur* IIIVIR ITER*um* *Rei Publicæ Conftituendæ.*

Hic nummus cufus eft, poftquam triumviri fibi poteftatem in alterum quinquennium prorogaffent.

VI.

M*arcus* ANTON*ius Marci Filius Marci Nepos* AVG*ur* IMP*erator* TER*tium.* Tripus cum ftella defuper inter lituum & capeduncula. Ab altera parte reliqua pars titulorum M. Antonii eft, CO*nSul* DESIG*natus* ITER*um* ET TER*tium* IIIVIR *Rei Publicæ Conftituendæ.* Sella curulis, cui tres inponuntur corollæ.

Sacerdotium Antonii prior denarii pars refpicit; pofterior per fellæ curuli impofitas tres corollas, five laureas, denotare videtur fummum illum confulatus honorem ter ex præfcripto & pacto cum C. Cæfare & Sexto Pompejo inito, fibi debitum.

VII.

Caput Victoriæ humeris alatis; ab altera parte leo gradiens eft, cum infcriptione LVGVDVNI *Anno* XL.

Habuimus jam ejus generis quinarios in Fam. Antonia, inter Urfinian. tab. V. num. 5. ubi vide quæ dicta funt ad pag. 56.

VIII.

Lucius ARRVNTI*us Lucii Filius* II VIR. Caput Jovis Capitolini laureatum: in poftico latere, IVL*ius* ANTON*ius Marci Filius Quintus* MAX*imus* AFR*icanus.* Caput bovis infulatum, cum tæniis dependentibus.

Publicavit nummum hunc aureum Goltziusin Faftis pag. 215. ad A. V. C. DCCXLIII. quo confules fuerunt Antonius & Fabius, quorum in hoc nummo nomina fcribuntur. Eo tempore cenfet Vaillantius duumvirum fuiffe ædibus facris reficiundis L. Arruntium, cujus nomen in parte nummi anteriore juxta Jovis caput exftat. Putat præterea eundem Arruntium (de quo agendi occafio erit infra ad num. XXI.) ut duumvirum facris inquirendis fuiffe facrificio, quod ex more recepto Kalendis Januariis confules in Capitolio peragere folebant; & propterea caput Jovis, & caput bubulum vitta ornatum, in hoc nummo exprimi.

Spernenda non foret hæc conjectura, fi ullo modo liqueret jus aut morem monetæ cudendæ penes duumviros facris inquirendis fuiffe. Quod quum fupponatur a Vaillantio, non probetur, rejici debere videtur. Neque enim puto alios, præter triumviros monetales, præfertim fub imperatoribus, monetam fignaffe. Et illi duplicis erant generis, Cæfaris vel fenatus; ex quibus priores auream & argenteam, pofteriores æream modo fignabant. Neque in explicatione fibi conftat Vaillantius; vocat enim duumviros facris inquirendis in fam. Arruntia, ubi nummus hic repetitur pag. 140. datque illam monetæ hujus cudendæ rationem, quam modo adtulimus. At in fam. Antonia pag. 114. & 115. nominat Arruntium duumvirum facris ædibus reficiundis, atque Jovis templum reftituiffe exiftimat, & illam fimul reftitutionem & facrificium novorum confulum in hujus nummi typo exprimi.

Ego, ut dixi, folos triumviros monetales Cæfaris exiftimo auream & argenteam monetam cudiffe, & nummi hujus typum aliam explicationem requirere. Vel enim dicendum eft, II VIR. male a Goltzio fuiffe lectum, in nummo ibi forfan minus integro, pro IIIVIR, vel de duumviro coloniæ deducendæ debere intellgi. Si prius, fimul triumviri monetales fuerunt Arruntius, Antonius, & Fabius. Verum lubentius duumvirum coloniæ deducendæ agnofcerem hunc L. Arruntium,

tium, quia supra numerum II linea ducitur, quod passim fieri in illis nummis solet, in quibus nomina duumvirorum scribuntur. Reliqua de L. Arruntio vide infra num. XXI.

Deducta sub Augusto videtur fuisse illa colonia A.V.C. DCCXLIII. consulibus Julio Antonio & Q. Fabio Maximo, quorum adscribuntur nomina, ut annus nosceretur, quo colonia hæc, quæ ex insignioribus fuisse videtur, deducta fuit.

Julius Antonius filius fuit natu minor M. Antonii triumviri ex Fulvia, cui ob ætatem pepercit Cæsar, quum Antyllum, majorem natu, cum Cæsarione interficeret. Foverat eundem Cæsar, data in uxorem Marcella, Octaviæ filia, & quoque consulem fecerat. Verum idem postea inter adulteros Juliæ, Augusti filiæ, adflictus fuit. Ex Marcella L. Antonium tulit, qui juvenis obiit. De patre & filio Tacitus lib. IV. Annal. cap. 44. *Obiit & L. Antonius, multa claritudine generis, sed improspera. Nam patre ejus, Julio Antonio, ob adulterium Juliæ morte punito, hunc admodum adolescentulum sororis nepotem, seposuit Augustus in civitatem Massiliensem, ubi specie studiorum nomen exsilii tegeretur. Habitus tamen supremus honor, ossaque tumulo Octaviorum inlata per decretum senatus.* De Juliæ exsilio & Julii Antonii morte Dio Cassius hæc habet lib. LV. pag. 555. Κἀκ τούτου ἐκείνη μὲν ἐς Πανδατερίαν τὴν πρὸς Καμπανίᾳ νῆσον ὑπερωρίσθη, καὶ αὐτῇ δὲ ἡ Σκριβωνία ἡ μήτηρ ἑκοῦσα συνεξέπλευσε· τῶν δὲ δὴ κεχρησμένων αὐτῇ, ὁ μὲν Ἴουλλος Ἀντώνιος, ὡς καὶ ἐπὶ τῇ μοναρχίᾳ τοῦτο πράξας, ἀπέθανε, μεθ' ἄλλων τινῶν· οἱ δὲ λοιποὶ ἐς νήσους ὑπερωρίσθησαν. *Itaque Julia in Pandatariam (quæ est sita ad Campaniam insula) relegata est, ultro cum ea Scribonia matre abeunte, qui vero cum ea rem habuissent, Julius Antonius, quasi spe imperii occupandi id fecisset, cum aliis nonnullis morte mulctatus est, reliqui in insulas exulatum missi.* Poëta doctus & insignis fuit, scripsit enim Diomedea XII. libris. Horatio plurimum laudatur, cui inter patronos fuit.

IX. *vacat*

APPVLEIA.

X.

Caput Jovis Capitolini laureatum: in aversa, SEX*tus* APPVLEI*us* SEXT*i Filius*. Simpulum, adspersorium, tripus, lituus, & patera, super tripodem fulgur est.

Profert nummum hunc Goltzius in Fastis pag. 201. ad A. V. C. DCCXXIV. quo consul fuit Sextus Appulejus Sexti Filius cum Cæsare V.

Credidit Vaillantius cusum fuisse hunc denarium a consule Appulejo in memoriam sacrificii facti intrante urbem Cæsare. „ Caput Jovis (inquit pag. 124.) „ & instrumenta in parte aversa, „ pro sacris faciendis, videntur signata in memoriam sacrificii, quod propter adventum Cæsaris, Urbem ex Græcia, ubi Sami consulatum „ inierat, intrantis, fecit in consulatu suo Apuleius: uti initio decretum fuerat referente „ Dione, nempe ut dies, qua in Urbem intrasset, „ sacrificiis publicis celebraretur, semperque festa „ esset; sed ille auctor id a Valerio Potito, quem „ Apuleio suffectum ait, factum tradit. Is igitur „ publice pro S. P. Q. R. propter adventum „ sacrificavit, quod ante id temporis pro nemi„ ne unquam factum fuerat.

„ Hæc omnia ab Apuleio confecta fuisse pro„ bat hic denarius: nam præter instrumenta pro „ sacris solita, additur tripus, supra quem con„ sul sacrificavit, & quidem super illum fulmen, „ ad indicandum quod sacrificium Jovi Capi„ tolino sit factum, quod confirmat imago ipsa „ hujus dei in parte anteriore expressa: nummo „ adstipulatur Tabula Capuana, quæ hoc anno „ consules suffectos nullos adjicit. Xiphilinus „ Apuleium cum Mæcenate inter amicos Cæsa„ ris refert in Augusto: non verisimile est, quod „ ante adventum suum ipsi consulem suffecerit, „ nec primus est Dionis lapsus, nisi dicamus, „ ipso die, quo in Senatu decreta sunt illa pro „ Cæsare sacra, illico nummum hunc cudisse „ Apuleium, quod litteratorum Antiquariorum ju„ dicio submittimus." Iterum dico, neque consuli, nec ulli magistratui, præterquam ad id instituto, id est triumviris Cæsaris vel Senatus, pecuniam in urbe signare licebat. Itaque existimo hunc Sextum Appulejum, & illum, qui nummum æreum signavit infra num. 13. unum & eundem fuisse, videlicet Sextum Appulejum Sexti filium Sexti nepotem, qui consul exstitit eo anno, quo mortem obiit Cæsar Augustus. Et is quidem triumvir non tantum senatus, verum etiam Cæsaris exstitit, licet diversis annis, cujus rei specimen non unum in hoc opere protulimus. Cæsaris vero triumvir monetalis eximium aliquod sacrificium, Jovi Capitolino oblatum, in hoc denario adumbravit, & forte illud, quod prima vice fecit Cæsar Augustus, postquam mortuo Lepido pontificatum summum adeptus fuit.

XI.

Caput Neptuni coronatum, cum tridente ad humerum dextrum per transversum: in aversa, SEX*tus* APVLEI*us* PR*o* CO*nSule* EX *Senatus Consulto*. Triremis cum navigantibus.

Vulgavit hunc denarium Goltzius ad A. V. C. DCCXXVII. quo, consulibus Cæsare Augusto VIII. & T. Statilio Tauro, proconsule ex Hispaniis triumphavit Sextus Appulejus, Kal. Februariis, ut Marmora Capitolina testantur. Romæ eundem illo anno cusum fuisse existimat Ericius, cujus hæc sunt verba pag. 246. & 247. „ Cusus „ fuit hic nummus Romæ A. V. C. DCCXXVII. „ sub consulatu Cæsaris Augusti & T. Statilii „ Tauri, quo anno ex Hispania proconsule trium„ phavit Sextus Appulejus. Triumphasse eun„ dem isto anno Triumphi Capitolini nos do„ cent, quamvis & de factis ejusdem, & de ipso „ triumpho sileant scriptores. Victoriæ vero „ ejusdem in Hispania relatæ testis hic nummus „ est, qui caput Dei Neptuni in parte priore ex„ hibet, & in posteriore triremem, unde patet „ victoriam istam navalem fuisse. Invenimus „ & alium nummum eodem anno signatum, „ consule T. Statilio Tauro, in quo ab altera „ parte, inter duos lauri ramos, corona civica est, „ cum inscriptione OB CIVIS SERVATOS. „ Ab altera parte nota est senatusconsulti in area „ nummi, & in circuitu T*itus* STATILIVS „ T*iti Filius* TAVRVS IIIVIR *Auro Argento* „ *Aeri Flando Feriundo*.

Quæ de Statilii Tauri nummo dicit Ericius, infantiam studii numismatici isto ævo declarant. Quod existimet eo anno, quo triumphavit Appulejus, Romæ cusum fuisse nummum, itidem est falsum. Romæ triumviri Cæsaris argentum signabant, & hic

nihil in nummi typo est, quod triumphi habet speciem. Puto itaque Sextum Appulejum in Hispania hunc nummum signasse, quod ut fieret senatusconsulto opus fuisse. Nummi vero illi in inpensas classis ibidem signati fuisse videntur, unde Neptuni in illis caput & triremis est pictura.

XII.

AVGVSTVS TRIBVNIC*ia* POTEST*ate*, in corona quernea. Ab altera parte in area nummi senatusconsulti nota est, & in circuitu, *Marcus* APPVLEIVS SEX*ti* *Filius* IIIVIR *Auro Argento Aeri Flando Feriundo.*

Ad hunc nummum ita scribit Vaill. p. 126. „ M. Appulejus frater fuit Sexti Appuleji, qui „ Consul fuit anno 724/5 triumviri, qui sequi- „ tur, patruus. Quæsturam egit in Asia, unde „ rediens cum pecuniis Romam profecturus an- „ no V. C. 709/10 M. Brutum, amicum & familia- „ rem sibi, reperit in Græcia jam bellum mo- „ lientem, cui pecunias & naves tradidit, ut Plu- „ tarchus tradit in vita Bruti. Anno sequenti 710/11 „ inter proscriptos numeratus, ex Appiano lib. IV. „ sumpta centurionis persona, & servis ornatis „ militariter, per portam cursu cum Arruntio „ evasit, quasi persequerentur alios; Appu- „ lejus tandem ad Brutum, ut Arruntius ad Pom- „ pejum, naviglis delati sunt; hic cum Pompejo „ in Urbem rediit, ille Bruti auspiciis rexit Bi- „ thyniam: quo cæso & tradita Antonio provin- „ cia, reditum impetravit; tandem a Cæsare factus „ trium vir monetalis hunc nummum in ejus hono- „ rem signavit, consulatum etiam gessit anno 743/4 „ annis novem serius quam frater." Sed, oro, si jam quæstor fuit in Asia temporibus Bruti, & sub Bruto Bithyniam rexit, qui vir, tam illustri munere functus, postea infimum honoris gradum gerere potuit? Concedo, quæstorem illum, & qui sub Bruto Bithyniam rexit, postea patriæ suæ redditum, consulem factum fuisse cum P. Silio Nerva A. V. C. DCCXXXIII. quo anno nummus hic profertur a Goltzio in Fastis pag. 207. fratrem quoque fuisse Sexti Appuleji, qui proconsule ex Africa triumphavit, existimo; nam Sexti filium adpellat Dio Cassius lib. LIII. p. 520. verum illum, qui hunc nummum signavit tanquam triumvir senatus, existimo fuisse filium minorem Sexti Appuleji Sexti filii, proconsulis triumphalis, non patruum sed fratrem Sexti Appuleji, cujus nummus sequitur.

Hunc & sequentem nummum ex Augusto Goltzii fuisse sumtum docet asteriscus a Morellio additus.

XIII.

CAESAR AVGVSTVS TRIBVNIC*ia* POTEST*ate*. Caput Augusti nudum. SEX*tus* APPVLEIVS SEX*ti* *Filius* IIIVIR *Auro Argento Aeri Flando Feriundo* in circulo, *Senatus Consulto* in medio areæ.

Filius fuit Sexti Appuleji proconsulis, triumvir monetalis senatus sub Augusto factus, ut per gradus ad honores adscenderet; quos summos fuit adeptus A. V. C. DCCLXVI. quo mortuus fuit Augustus, ad quem annum illum vulgavit Goltzius in Fastis p. 233.

APRONIA.

XIV.

EX *Senatus* *Consulto.* Caput Herculis pelle leonina tectum & barbatum, cum clava supra humerum lævum. In aversa, elephas, desuper legitur, *Lucius* APRONI*us* IMP*erator.* *Marcus* MVTIL*us* PR*o*PR*ætore*, in imo.

L. Apronius Lucii filius Caji nepos inter consules suffectos sub Augusto fuit, ex Kal. Jul. A. V. C. DCCLX. Comes Germanici Cæsaris fuit in Germania. Postea quoque in Africam contra Tacfarinatam missus, res ibi præclare gessit. Filium reliquit Lucium Cæsianum, qui sub patre in Africa cum laude militavit; is collega Caji in secundo ejusdem consulatu exstitit, atque parum abfuit, quin post cædem Caji ab iratis militibus fuisset interemtus. Filiam quoque reliquit, cujus interitus a Tacito Annal. lib. IV. cap. 22. describitur; vi enim a Plautio Sylvano marito in præceps data fuerat.

Propter res in Germania bene gestas triumphalia ornamenta illi decreta fuisse testatur Tacitus. Quo respicere videtur nota senatusconsulti in nummo & titulus imperatoris. Elephas, qui res ejus in Africa gestas respicere posset, si in Africa, non in Germania, cusus foret nummus, a Vaillantio refertur ad insigne quintæ legionis, quæ sub Apronio militaverit, & a qua imperator salutatus fuerit. Illa, quod elephantis quondam opponi se postulasset, atque egregie vicisset, illud insigne, juxta Appianum, deinceps nacta fuerat. Quintanorum meminit Tacitus Ann. lib. IV. cap. 73.

M. Mutilus ex familia Papia fuit, & ipse consularis, qui cum L. Apronio hoc, ut ejusdem sententiæ in damnanda Libonis memoria, conjungitur apud Tacitum Annal. lib. II. cap. 32.

Vulgavit nummum Goltzius in Fastis pag. 228. ad A. V. C. DCCLX. quo inter consules suffectos numeratur L. Apronius.

Dixi Quintanorum meminisse Tacitum. Fecit id occasione Germanorum, sive Frisiorum, atque L. Apronii inferioris Germaniæ propraetore, lib. Ann. IV. cap. 73. *Quod ubi L. Apronio, inferioris Germaniæ proprætori, cognitum, vexilla legionum e superiore provincia, peditumque & equitum auxiliarium dilectos accivit: ac simul utrumque exercitum Rheno devectum, Frisiis intulit, soluto jam castelli obsidio, & ad sua tutanda digressis rebellibus. Igitur proxima æstuaria aggeribus & pontibus, traducendo graviori agmini, firmat. Atque interim, repertis vadis, alam Caninefatem, & quod peditum Germanorum inter nostros merebat, circumgredi terga hostium jubet; qui jam acie compositi pellunt turmas sociales, equitesque legionum subsidio missos. Tum tres leves cohortes, ac rursum duæ, dein tempore interjecto, acrius eques immissus. satis validi si simul incubuissent, per intervallum adventantes, neque constantiam addiderant turbatis, & pavore fugientium auferebantur. Cethego Labeoni legato quintæ legionis, quod reliquum auxiliorum tradit, atque ille dubia suorum re, in anceps tractus, missis nuntiis vim legionum implorabat. Prorumpunt quintani ante alios, & acri pugna hoste pulso, recipiunt cohortes alasque fessas vulneribus.* Exaggerat deinde cladem, quam ibidem Romani passi fuerant. Accidit illud A. V. C. DCCLXXX. consulibus Junio Silano & Silio Nerva. Verum dubium esse videtur, utrum ad patrem L. Apronium Caji filium Caji nepotem, an ad filium L. Apronium Lucii filium Caji nepotem Cæsianum, verba illa Taciti referenda sint. Ad filium retulit Freinshemius in Indice suo eruditissimo ad Tacitum. Ad patrem Pighius Annal. tom. III. pag. 356. L. Apronius pater una cum Germanico, legatus ejus, fuerat in Germania A. V. C. DCCLXV. atque biennio post, ob res bene gestas, consularia ornamenta illi decreta fuerant. Missus idem fuit proconsule in Africam, ut M. Ca-

Camillo ſuccederet, A. V. C. DCCLXXII. ibique egregie rem geſſit, reſtituta diſciplina militari, atque cohorte, quæ ducem in acie deſeruerat, more majorum decimata, & ex ea ſorte dučtis fuſte necatis, aliis vero, qui rem bene geſſerant, publice honoratis. Filius, qui ibidem cum patre fuit, particeps quoque paternæ gloriæ fuit. Tacit. Annal. lib. III. cap. 21. *Miſſu patris Apronius Cæſianus, cum equite & cohortibus auxiliariis, quis velociſſimos legionum addiderat, proſperam adverſus Numidas pugnam facit, pellitque in deſerta.* Anno poſt Lucio Apronio C. Junius Blæſus ſucceſſit in Africa, quæ provincia erat proconſularis, Germania autem erat proprætoria provincia, unde iſti præfuiſſe a Tacito dicitur Lucius Apronius proprætore. Non autem videtur abludere a vero Lucium Apronium patrem iterum in Germaniam miſſum fuiſſe, utpote gnarum ejus regionis, in qua jam ante legatus cum Germanico militaverat, & præfuiſſe Germaniæ proprætore A. V. C. DCCLXXX. quo ſatis fœda clades Romanis adlata fuit a Friſiis. Si enim de filio loqueretur Tacitus, addidiſſet Cæſiani cognomen, ut fecit in expeditione illa contra Numidas. Et ſic in nummo literæ PR. P. non pertinerent ad M. Mutilum, qui non legitur proprætore aliquam provinciam rexiſſe, ſed ad L. Apronium, atque integra hæc foret lečtio, *Marcus* MVTIL*us*, PR*o Prætore Lucio* APRONI*o* IMP*eratore.* Ut ſic Marci Mutili, viri conſularis, filius quæſtor exſtiterit L. Apronio, qui Germaniæ proprætore præerat. At ipſe L. Apronius, qui triumphalia ſub Germanico ornamenta meruerat, & vel tunc vel poſtea rebus proſpere contra Tacfarinatem in Africa geſtis, imperatoris nomen fuerat načtus, eo titulo hic inſignitur, & elephas ſignatur in nummo, reſpečtu geſtorum in Africa contra Tacfarinatem & Numidas, quamvis poſtea contra Friſios res minus proſpere ſucceſſerint. Hercules Africæ quoque numen eſt, & eodem reſpicere videtur.

XV.

CAESAR AVGVSTVS TRIBVNICIA POTESTATE. Caput Cæſaris Auguſti nudum. Ab altera parte legitur in circuitu, L*ucius* APRONIVS CAESIANVS IIIVIR *Auro Argento Aeri Flando Feriundo.* In area nummi eſt ſenatusconſulti nota.

De hoc L. Apronio Cæſiano nobis jam ſermo fuit ad nummum præcedentem patris Lucii Apronii. Cognomen Cæſiani habuit ex materna nobilitate. Mater enim ejus filia fuit Cæſii Cordi, proconſulis Cretæ A. V. C. DCCLXXII. L. Apronius Cæſianus conſul fuit cum Cajo Cæſare II. A. V. C. DCCLXXXXI. ſive DCCLXXXXII. Goltzius nummum publicavit in Auguſto pag. 64.

XVI.

APRONIVS SISENNA. & ab altera parte GALVS MESSALLA IIIVIR*i Auro Argento Aeri Flando Feriundo.* In priore nummi parte incudis eſt figura, in poſteriore nota ſenatusconſulti.

Quatuor nomina in hoc nummo videntur occurrere, quæ tamen tria modo ſunt pro triumvirorum numero. Unum itaque ex quatuor iſtis cognomen eſt, videlicet Siſenna. Illud nos docet ſequens nummus, in quo continuo ſcribuntur ordine, Meſſalla, Galus, Apronius, abeſt vero Siſenna, utpote cognomen unius ex tribus. Cognomen vero videtur fuiſſe Apronii; nam in hoc nummo, & illo qui ſequitur num. XVIII. conjunčtim hæc nomina in priore nummi parte ſcribuntur. Atque ita temporibus Auguſti tres fuere Apronii, L. Apronius, cujus nummum vidimus num. XIV. L. Apronius L. F. Cæſianus, qui triumvir ſenatus nummum ſignavit num. XV. & hic triumvir item ſenatus Apronius Siſenna.

Videri poſſet hic ille eſſe Apronius, cujus, ut viri prætorii, ſub Cajo Caligula mentionem facit Suetonius in Vita Caji cap. XXXVIII. qui in quadam aučtione dormitans capitis motu nutabat. Cajus id animadvertens, præconem admonuit, ne virum prætorium ſibi nutantem præteriret, nec hoc monere deſiit, donec ignoranti tredecim gladiatores ſeſtertium nonagies addicerentur; niſi Aponium Saturninum libri vocarent.

XVII.

IIIVIR*i Auro Argento Aeri Flando Feriundo.* Incudis figura. Ab altera parte ſenatuſconſulti nota eſt in area nummi. In circuitu leguntur nomina triumvirorum APRONIVS MESALLA GALVS.

Meſſallæ cognomen Valeriæ genti fuit proprium. Gali ſive Galli cognomen plurimæ familiæ geſſerunt.

XVIII.

APRONIVS SISENNA IIIVIR*i.* Incudis figura. Ab altera parte cernitur in area nummi nota ſenatusconſulti; in circuitu nomina triumvirorum hæc leguntur, APRONIVS MESSALLA GALVS.

Quod Apronii nomen ab utraque nummi parte legatur, neminem turbare debet, matrices enim male compoſitæ fuerunt, & error eſt monetariorum, qui conjungere partem priorem nummi XVI. cum poſteriore nummi ejusdem debuerant, ſed pro parte illa poſteriore poſteriorem nummi XVII. adhibuerunt.

Hos tres nummos olim vulgaverat Goltzius in Auguſto pag. 66.

AQVILLIA.

XIX.

Caput Dianæ cum arcu & pharetra ad humeros, atque inſcriptione PR*o* CO*nSule.* Ab altera parte cernitur Vičtoria in citis bigis, cum hac inſcriptione, *Caius* AQVILLI*us* FLORVS.

Vulgavit hunc denarium Goltzius in Faſtis pag. 87. ad A. V. C. CCCCLXXXXV. quem hiſce illuſtravit Ericius pag. 13. „ Nummus „ hic unus eſt ex illis, quos vičtoriatos adpellabant, cuſus vero eſt Romæ, conſulibus L. „ Corn. Scipione & C. Aquillio Floro, quo ambo conſules de Pœnis triumpharunt. De illorum triumpho & rebus geſtis plura apud ſcriptores inveniuntur. Ita de illis Eutropius lib. II. „ *C. Aquillio Floro, L. Cornelio Scipione Coſſ. Scipio Corſicam, & Sardiniam vaſtavit, multa millia inde captivorum abduxit, triumphum egit.* Florus quoque lib. II. cap. 2. *L. Scipio Cos. ſerpente latius bello, in Sardiniam, annexamque ei Corſicam tranſit, ubi & Caracalæ urbis excidio incolas terruit, & omnes Pœnos ita terra marique expugnavit, ut jam vičtoriæ nihil niſi Africa ipſa reſtaret.* Scribunt eadem Oroſius & Zonaras. Utrumque inſuper „ conſulem de Carthaginenſibus triumphaſſe teſtantur Tabulæ Capitolinæ. Narrat enim Zonaras, Pænorum ducem Amilcarem prohibitum fuiſſe ab Aquillio Floro, quominus univerſam Siciliam in poteſtatem Carthaginenſium „ re-

„ reduceret. In memoriam igitur triumphi hujus signata moneta hæc fuit, prout ex Victoria quæ bigas agit, patere potest. Literæ PRO CO*nSul*, quæ in priori nummi parte exstant, docent extra ordinem cum potestate proconsulari missum in illam provinciam fuisse C. Aquillium. Quod fieri solitum fuisse Ciceronis verba docent lib. II. de Divin. *Quam multi sunt anni, quum bella a proconsulibus & proprætoribus administrantur.* Titulus itidem proprætoris in pluribus occurrit nummis. Gellius quoque lib. V. cap. 14. *Cum provinciam Africam proconsulari imperio meus dominus obtineret.* Tabulæ quidem Capitolinæ docent C. Aquillium Florum proconsulem de Pœnis triumphasse A. V. C. CCCCLXXXXV. verum sequenti mox anno signari quoque potuerunt."

Triumphavit C. Aquillius Florus de Pœnis A. V. C. CCCCLXXXXV. IIII Nonas Octobr. quo tempore hi denarii cusi videntur ad milites remunerandos.

XX.

MAN*ius* AQVILLI*us* MAN*ii Filius*. Caput Apollinis laureatum. Ab altera parte Pegasus equus est subsiliens, cum solis astro sub pedibus.

Caput Apollinis, & equum pegasum, tanquam ludorum Apollinarium symbolum considerat Vaill. pag. 132. ideoque nummum cusum fuisse existimat a Manio Aquillio prætore urbano A. V. C. DCXIX. illo videlicet, qui in Asia postea belli reliquias confecit, & Aristonicum in triumpho duxit. Verum typus hujus nummi Siciliam innuit. Syracusis enim, & in omni Sicilia, eximie culti fuerunt Apollo & Diana: itaque sicut Dianam, ut numen tutelare Syracusarum, habuimus in denario præcedente, sic in hoc aureo nummo Apollinem agnoscimus; cujus astrum sæpissime quoque Syracusani nummi exhibent; prout in iisdem nihil magis consuetum esse solet, quam pegasus, quod Corinthiorum essent coloni.

Itaque hic Manius Aquillius, Manii filius, non est ille qui triumphum ex Asia duxit, sed filius ejusdem, & is, qui collega C. Marii fuit in quinto ejus consulatu, atque bellum servile in Sicilia confecit A. V. C. DCLIII. unde & ovationem meruit. Repetundarum postea reus fuit, &; quamvis multis criminibus & manifestis teneretur, propter virtutem tamen militarem, atque belli servilis fortiter confecti memoriam, evasit, ut Cicero in Oratione pro L. Flacco testatur.

Protulit aureum hunc nummum Goltzius in Fastis pag. 146. ad A. V. C. DCXXIV. unde errandi originem Vaillantio præbuisse videtur.

XXI.

Lucius ARRVNTI*us Lucii Filius* IIVIR. Caput Jovis laurea coronatum: in aversa, IVL*ius* ANTON*ius Marci Filius Quintus* MAX*imus* AFRICAN*us*. Caput tauri vittati, seu ad sacrificium ornati.

Sensum hujus nummi jam supra indagare conati fuimus ad tabulæ hujus num. VIII. De L. Arruntio, cujus, ut IIviri, nomen inscribitur, pauca addamus. Magna hujus Arruntii virtus, incorrupta vita, & singulare de eodem divi Augusti judicium fuit. Tacitus lib. I. Ann. cap. 13. *Post quæ L. Arruntius haud multum discrepans a Galli oratione perinde offendit. quanquam Tiberio nulla vetus in Arruntium ira: sed divitem, promptum, artibus egregiis, & pari fama publice, suspectabat. Quippe Augustus supremis sermonibus cum tractaret, quinam adipisci principem locum suffecturi abnuerent; aut impares vellent, vel iidem possent cuperentque, Manium Lepidum dixerat capacem, sed adspernantem; Gallum Asinium, avidum & minorem: L. Arruntium, non indignum; & si casus daretur, ausurum.* Itaque non ausus fuit Tiberius illum in Hispaniam provinciam, quæ ipsi obvenerat, dimittere: *Arruntium, ne in Hispaniam pergeret, decimum jam annum adtineri.* Annal. VI. 27. Unde absens provinciam rexisse dicitur lib. Hist. II. cap. 65. *Cluvius comitatui principis adjectus, non ademta Hispania, quam rexit absens; exemplo L. Arruntii: eum Tiberius Cæsar ob metum, Vitellius Cluvium nulla formidine, retinebat.* A delatoribus denique correptus, quum potuisset supervivere, Tiberio indies deficiente, noluit, atque ultro vita abiit. Memorabilis ejus exitus est apud Tacit. lib. Annal. VI. cap. 48. *Arruntius, contationem & moras suadentibus amicis: Non eadem omnibus decora respondit. sibi satis ætatis, neque aliud pœnitendum, quam quod inter ludibria & pericula anxiam senectam toleravisset, diu Seiano, nunc Macroni, semper alicui potentium invisus; non culpa, sed ut flagitiorum impatiens. Sane paucos & supremos principis dies posse vitari; quemadmodum evasurum imminentis juventam? An, cum Tiberius post tantam rerum experientiam, vi dominationis convulsus & mutatus sit: C. Cæsarem, vix finita pueritia, ignarum omnium, aut pessimis innutritum, meliora capessiturum Macrone duce? qui ut deterior ad opprimendum Seianum delectus, plura per scelera Remp. conflictavisset. Prospectare jam se acrius servitium, eoque fugere simul acta & instantia. Hæc vatis in modum dictitans, venas resolvit. Documento sequentia erunt, bene Arruntium morte usum.* Idem *incorrupta vita & facundia ad summa provectus* dicitur a Tacito Annal. XI. 6. qui *artes* ejus *sanctissimas* laudat lib. VI. cap. 7.

ASINIA.

XXII.

POLLIO. Caput Apollinis radiatum. Ab altera parte luna est crescens cum septem stellis; atque hac inscriptione, *Caius* ASINI*us* CN*ei Filius*.

Hic est ille Asinius Pollio, qui de philosophiæ scientia & oratoriæ laude cum Cicerone contendit, antiquis plurimum celebratus. Reliquit filium C. Asinium Gallum, oratorem insignem, qui Vipsaniam, Agrippæ filiam, a Tiberio dimissam, uxorem duxit, quod, cum linguæ libertate conjunctum, illi postea perniciem adtulit.

Credidit Vaillantius hunc nummum cusum fuisse a Pollione, quum unus ex quatuordecim prætoribus urbanis a Cæsare foret constitutus, atque typum hunc spectare ludos Apollinares. Posterius verum esse potest, prius non videtur esse verosimile. Prætoribus enim signandæ monetæ cura non incumbebat, sed triumviris monetalibus. Hi nonnunquam, quum ad celebrandos ludos Apollinares multa ex publico pecunia opus esset, videntur isto tempore symbolum istorum ludorum in nummis suis exhibuisse, si ipsi in sua familia aliquod splendidum decus non haberent. Primus vero familiæ suæ gloriam, ingentem sane, intulit hic C. Asinius Pollio.

Vulgavit nummum Goltzius in Fastis pag. 189. ad A. V. C. DCCXIII.

XXIII.

Caput Victoriae humeris alatis. Ab altera parte est Victoria in citis bigis, dextra palmam tenens, laeva equorum habenas; infra scribitur, *Lucius* ASINI*us Cai Filius* GALLVS.

Puto Goltzium literam C. quae obscurior in ipso nummo fuerit, non advertisse, atque credidisse videre se literam L. Nullus enim L. Asinius Gallus agnoscitur, verum C. Asinius Gallus, qui filius exstitit C. Asinii Pollionis, atque pater, ex Vipsania Agrippae filia (a Tiberio, cui Drusum pepererat, dimissa) filiorum trium consularium, Asinii Salonini, C. Asinii Pollionis, M. Asinii Agrippae. Consul ipse quoque fuit sub Augusto A. V. C. DCCXLV. sive DCCXLVI. Judicium de illo Augusti legitur apud Tacitum Annal. I. cap. 13. quod vidimus ad num. XXI. ubi de L. Arruntio sermo fuit; principis scilicet in republica loci avidum censuerat Gallum, sed inparem atque minorem. Fuit C. Asinius Gallus ferox animi atque lingua promtus, ut ex initio principatus Tiberii cognosci potest apud Tacitum lib. I. Annal. cap. 12. *Inter quae senatu ad infimas obtestationes procumbente, dixit forte Tiberius, se, ut non toti Reipublicae parem, ita quaecumque pars sibi mandaretur, ejus tutelam suscepturum. Tum Asinius Gallus, interrogo, inquit, Caesar, quam partem Reip. mandari tibi velis? Perculsus improvisa interrogatione, paullum reticuit, dein collecto animo respondit: Nequaquam decorum pudori suo, legere aliquid aut evitare ex eo, cui in universum excusari mallet. Rursus Gallus (etenim vultu offensionem conjectaverat) non idcirco interrogatum, ait, ut divideret quae separari nequirent: sed ut sua confessione argueretur, unum esse Reipublicae corpus, atque unius animo regendum. Addidit laudem de Augusto, Tiberiumque ipsum victoriarum suarum, quaeque in toga per tot annos egregie fecisset, admonuit. Nec ideo iram ejus lenivit, pridem invisus, tanquam, ducta in matrimonium Vipsania M. Agrippae filia, quae quondam Tiberii uxor fuerat, plusquam civilia agitaret, Pollionisque Asinii patris ferociam retineret.* Mortem Galli A. V. C. DCCLXXXVI. Galba & Sulla consulibus evenisse narrat Annal. lib. VI. cap. 23. *Iisdem consulibus Asinii Galli mors vulgatur, quem egestate cibi peremtum haud dubium: sponte vel necessitate, incertum habebatur. Consultusque Caesar an sepeliri sineret, non erubuit permittere, ultroque incusare casus, qui reum abstulissent antequam coram convinceretur. Scilicet medio triennio defuerat tempus subeundi judicium consulari seni, tot consularium parenti.* Mortuum quoque adulterii cum Agrippina Germanici insimulavit illaudatus princeps, ibidem cap. XXV. *Enimvero Tiberius foedissimis criminationibus exarsit, impudicitiam arguens, & Asinium Gallum adulterum, ejusque morte ad taedium vitae compulsam. Sed Agrippina aequi impatiens, dominandi avida, virilibus curis feminarum vitia exuerat.* Vaillantius pag. 143. censet typum illum Victoriae in bigis, qualis in consularibus nummis inveniri solet, parum convenire temporibus Augusti; verum inveniuntur quoque tales sub Augusto cusi tom. II. tab. IX. num. 11. Puto itaque Asinium Gallum eo tempore, quo denarium hunc signavit, triumvirum Caesaris fuisse monetalem, vel inter copias ejusdem militares quaestorem. Vulgavit nummum Goltzius in Fastis pag. 212. ad A. V. C. DCCXXXVIII. quasi aliquis L. Asinius Gallus eo anno de Sauromatis triumphasset, quod puto auctoritate destitui.

XXIV.

IMP*erator* CAESAR AVGVSTVS. Caput Caesaris Augusti nudum. Ab altera parte colonus boves ducit, hac addita inscriptione. COL*onia* CAESAREA PHIL*ippensis Tito* RVFO L*ucio* GALLO IIVIR*is*.

Urbs Philippi in Macedonia colonia fuit Augusti, ut ex libro Vaillantii de Coloniis possumus discere. Duumviri ejus coloniae in hoc nummo adpellantur T. Rufus & L. Gallus. Verum ista cognomina plurimis familiis adhaeserunt; unde definiri nequit ad quas proprie familias pertineant.

Vulgavit nummum Goltzius in Augusto pag. 50.

TAB. IX.

ATILIA.

I.

ROMA. Caput Romae galeatum: in postica, *Marcus* ATIL*ius Marci Filius Lucii Nepos* REGVLVS. Consul togatus in quadrigis triumphalibus, dextra habenas, sinistra scipionem eburneum tenet, in cujus apice est aquila, Victoria post tergum ei coronam imponit.

Luculentum monumentum praebet hic nummus victoriae de Sallentinis, Mesapiae in Italia populis. Triumphavit de illis Regulus A. V. C. CCCCXXXVI. male CCCCLXXXXVI. apud Vaill. pag. 149. excuditur. Decennio post, iterum consul, cum exercitu in Africam trajecit, ibique magnas res gessit, donec a Xantippo Lacedaemonio victus fuit. Nota de illo omnia sunt apud scriptores veteres.

Cave autem credas tempore Atilii Reguli istius hunc nummum cusum fuisse, tam magnificis enim typis tunc nondum usi fuisse videntur. Verum ego censeo longe post a nepotibus Reguli, in magistratu suo monetali, signatum hunc nummum fuisse, exhibentem Reguli ejus honorem triumphalem, a quo sese originem deducere jactabant.

Vulgavit nummum Goltzius in Fastis pag. 83. ad A. V. C. CCCCLXXXVI.

II.

Caput Jani bifrontis barbatum & laureatum, cum cippo. Ab altera parte est prora navis, cum hac inscriptione, *Aulus* ATILI*us* CALA*Tinus*. ROMA.

Vulgavit nummum hunc aereum Goltzius in Fastis pag. 87. ad A. V. C. CCCCLXXXXV. addiditque notam magnitudinis, quae suadere videtur, ut referatur hic nummus ad initia belli Punici primi, quo asses sextantarios percusserunt Romani. De ipso Atilio Calatino plura ad nummum sequentem dicenda erunt.

III.

CALATINVS. Caput Romae galeatum, pone quod ROMA. In aversa, *Aulus* ATI*Lius Auli Filius Cai Nepos.* Vir togatus in quadrigis elephantorum, dextra tenens lauream.

Edi-

FAMILIA ATILIA.

Edidit nummum hunc Goltzius in Fastis pag. 89. ad A. V. C. CCCCLXXXXVI. neque videtur summi antiquarii fides in dubium vocanda esse, quoniam Pighius quoque vel ipsum hunc nummum, vel similem, in quo Victoriæ erat imago, pro Calatino togato, oculis suis vidit. Verba ejus sunt tomo Annal. II. pag. 33. „Vidimus apud „ Granvellanum expressam hujus triumphi memoriam in denariis Calatinorum argenteis cum „ Romæ capite, & quadriga triumphali, in qua „ juncti quatuor elephanti in signum Africanæ „ potentiæ subjugatæ. Instat Victoria coronam „ ostentans, & adscriptus est titulus ROMA. A. ATIL. A. F. C. N. CALATINVS. Hæc Pighii verba sunt, & ego puto eundem nummum, quem delineavit Goltzius, aliquanto oscitantius ab eo fuisse inspectum; quamvis nihil obstet, quo minus duplex ejus victoriæ typus signari potuerit. Cusum autem a Calatini posteritate fuisse existimo.

Sebastianus Ericius, qui nobiliora quæque Goltzii numismata Commentario, illis certe temporibus erudito, illustravit, de hoc ipso ita loquitur pag. 15. „ Cusus fuit hic nummus Ro- „ mæ A. V. CCCCLXXXXVI. quo tempore „ Atilius Regulus de Pœnis in Sicilia devictis „ triumphavit, ut Tabulæ Capitolinæ testantur. „ Res in Sicilia gestas enumerant scriptores, & „ Polybius quidem hisce fere verbis: *Consules in „ Siciliam profecti Panormum, ubi Pœnorum tum „ copiæ hiemabant, totum belli impetum convertunt, „ eo vero oppido relicto Hippanam, & Mytistratum „ capiunt, Camarinam, quæ a se defecerat, reci- „ piunt; Ennam, & alia Pœnorum oppida occupant, „ Liparas obsident.* Florus: *Calatino Dictatore o- „ mnia fere præsidia Pœnorum Agrigento, Drepano, „ Panormo, Eryce, Lilybeo detracta. Trepidatum „ semel circa Camarinensium saltum, sed eximia vir- „ tute Calpurnii Flammæ tribuni militum evaserunt.* „ Livius idem confirmat in Epitoma XVII. *Atilius Calatinus, consul, cum in locum iniquum a „ Pœnis circumsessum temere deduxisset exercitum, „ M. Calpurnii, tribuni militum, virtute & opera „ evasit, qui cum trecentis eruptione facta, hostes „ in se convertit.* Prætorem vocant Atilium Ta- „ bulæ Capitolinæ, quæ vox ibi pro consule po- „ sita videtur; nisi dicere velimus Calatinum post „ consulatum absentem creatum fuisse prætorem, „ atque postea in prætura triumphasse. Quod „ non improbabile videtur. Figura stans in cur- „ ru, atque coronam tenens, triumphum de- „ monstrat, elephanti vero docent triumphum „ istum ex Africa fuisse." Hæc Ericius.

Tabulæ Capitolinæ, quas ille respicit, ita scribunt.

A. ATILIVS A. F. C. N. CALATINVS.
PR. AN. CDXCVI
EX. SICILIA DE POENIS XIIII.
K. FEBRVAR.

Ibi literas PR. vel per errorem esse positas, vel pro PR*oconsule* accipiendas esse existimat Pighius. Prorogata enim illi cum potestate proconsulari fuit provincia. Tribunus ille militum, quem omnes M. Calpurnium Flammam vocant, quemque propterea, tanquam exercitu servato, gramineam coronam meruisse testatur Plinius lib. XXII. cap. 6. Q. Cædicius vocatur in Catonis Originibus apud Gellium lib. III. cap. 7.

IV.

Caput Victoriæ pectore tenus cum alis: in aversa *Caius* ATIL*ius* REGVL*us*, in imo ROMA. Victoria in bigis, dextra habenas, sinistra coronam tenet. Sub equorum pedibus est prora navis.

Vulgavit hunc denarium Goltzius in Fastis pag. 89. ad A. V. C. CCCCLXXXXVI. quo, quemadmodum in Fastis legitur, triumphum navalem de Pœnis Atilius egit.

C. ATILIVS M. F. M. N. REGVLVS.
COS. AN. CCCCLXXXXVI
DE POENIS NAVALEM EGIT
VIII. . . .

De qua victoria per C. Atilium relata, atque hoc ipso nummo, sic scribit Ericius pag. 16. „ Nummus hic victoriatus cusus fuit Romæ, A. „ V. C. CCCCLXXXXVI. consule Cajo Atilio „ Regulo, cui Serrano cognomen fuit. Obti- „ nuerat eo tempore navalem de Pœnis victo- „ riam Regulus, & triumphavit, ut Fasti Capi- „ tolini docent. Confirmant idem Orosii verba lib. „ IV. cap. 8. *Annibal senior a Carthaginiensibus iterum „ classi præpositus, infeliciter cum Romanis navali „ prælio congressus, & victus, ab exercitu suo, se- „ ditione orta, lapidibus obrutus est. Atilius con- „ sul Liparam, Melitamque, insulas Siciliæ nobiles, „ pervagatus evertit.* Testatur idem Zonaras. Flo- „ rus quoque Epit. XVII. *Annibal dux Pœnorum, „ victa classe, cui præfuerat: a militibus suis in „ crucem sublatus est. Attilius Regulus cos. victis „ navali prælio Pœnis, in Africam trajecit.* Co- „ gnomine Serranus fuit dictus idem Regulus, „ ab aratro istis temporibus ad consulatum voca- „ tus. Adludit ad illam rem Cicero in Oratione „ pro Roscio cap. XVIII. *Ne tu Eruci accusator „ ridiculus esses, si illis temporibus natus esses, cum „ ab aratro accersebantur, qui consules fierent. Ete- „ nim qui præesse agro colendo flagitium putes, pro- „ fecto illum Atilium, quem sua manu spargentem „ semen qui missi erant, convenerunt, hominem tur- „ pissimum judicares?* Valerius Maximus libro IV. „ eadem scribit: *Atilium, qui ad eum accersendum „ a senatu missi erant ad imperium populi R. susci- „ piendum, semen adspergentem viderant. Sed illæ ru- „ stico opere adtritæ manus salutem publicam stabi- „ lierunt, ingentes hostium copias pessumdederunt, „ quæque modo arantium boum jugum rexerant, „ triumphalis currus habenas retinuerunt.* Quibus „ accedat Plinius libro XVIII. *Ipsorum tunc ma- „ nibus imperatorum colebantur agri (ut fas est cre- „ dere) gaudente terra vomere laureato, & trium- „ phali aratore. Serentem invenerunt dati honores, „ Serranum unde cognomen.* Ex quibus omnibus „ concludere debemus, Atilium eundem fuisse, qui „ Saranus dictus fuit, consul a stiva factus, & „ quem propterea triumphalem aratorem vocat „ Plinius, quique fuerit is ipse qui de Pœnis „ triumphavit.

„ Typus itaque hujus nummi, in quo Victo- „ riæ est caput a parte priore, & a posteriore „ Victoria insistens bigis, corollam manu pro- „ tendens, & sub bigis prora navis, demonstrat „ C. Atilium Regulum Serranum navalem de „ Pœnis triumphum egisse."

V.

BVLBVS. Caput Romæ galeatum; *Caius* ATIL*ius* *Auli Filius* in imo, ROMA. Castor & Pol-

Pollux, astris supra caput insigniti, decurrentes in equis cum hastis.

Profertur hic nummus a Goltzio in Fastis pag. 94. ad A. V. C. DVIII. quo consul fuit Atilius Bulbus cum Fabio Buteone. Verum Morellii chalcographus neglexit vocem BVLBVS, quæ sub collo Romæ poni debuerat, uti apud Goltzium cernitur. Fuit hic Atilius A. F. A. N. iterum consul A. V. C. DXVIII. & denique censor cum A. Postumio Albino A. V. C. DXIX. qui una quadragesimum Urbis lustrum condiderunt.

VI.

Capita jugata Penatium, laureis ambo cincta, in corona etiam ex lauro composita: in aversa parte, A. ATILI*us* A. F. CALATIN*us*. Tripus ex quo exsurgunt duo rami lauri, a dextris spica, sub tripode vas est diotum.

Nomen Auli Atilii Calatini, Auli filii, docet hujus nummi typum pertinere ad eundem Calatinum, qui insuper Caji nepos dicitur num. III. hujus tabulæ. Protulit nummum Goltzius in Fastis pag. 94. ad A. V. C. DVI. quo Urbem XXXVIII. lustraverunt Atilius Calatinus & Manlius Torquatus. Vaillantius nummi typum ita explicavit pag. 148. „ Cur in eo dii Penates exhibeantur, nobis suggerit Macrobius, qui lib. III. Saturn. consules, prætores, dictatores Lavinii rem divinam solemniter DIS Penatibus pariter, & Vestæ scribit facere consuevisse, quum magistratum inibant, quod tripus Apollinis signatus in editorum a Calatino ludorum Apollinarium memoriam confirmat, quando is prætor fuit urbanus, quia nemo ad consulatum ex plebe adscendere poterat, qui præturam non gessisset, & ab anno 417/7. Q. Publicius Philo primum ex plebe creatus fuerat, quum antea solis patriciis ad eum magistratum aditus pateret.

„ Spica erecta, & bulbus raphani jacens adjecta sunt ad cognomina Serani & Bulbi, gentis Atiliæ, indicanda, quibus symbolis demonstratur antiquum illius studium agriculturæ, ex qua accersitum a senatu Atilium tradit Valerius Maximus ad suscipiendum P. Romani imperium. " Quæ de spica erecta & bulbo raphani scribit Vaillantius, locum hic non habent. Neque enim bulbus est raphani, sed vas diotum, quale in innumeris Atheniensium & Chiorum nummis cernitur. Deinde spica minus aptum symbolum Serranorum est, quam aratrum, quod sculpi debuerat, si ad originem nominis respiceretur. Ego credo a posteritatate Calatini & hunc & præcedentem tertium nummum cusum fuisse, qui in illis honores, & dignitates Calatini proavi sui celebrare voluerunt. Sic ædilitates Calatinorum spica & vas diotum significare potest, tripus cum ramusculis lauri præturas eorundem, Dioscurorum capita consulatus & dictaturas. Nota, quod barbati sint Dioscuri, pro more scilicet istius temporis Romanorum; postea enim, quum barbam raderent, deorum quoque capita plurima inberbia fuerunt, ut Jani, Herculis, Dioscurorum, &c.

VII.

Caput Jani bifrontis barbatum & laureatum, cum assis nota; ab altera parte prora navis cernitur cum hac inscriptione, *Caius* ATIL*ius* RE*Gulus*. ROMA.

Creditur hic nummus esse sextantarius, quales, duabus unciis constantes, cudebantur bello Punico primo. Et hinc idem pertinere creditur ad C. Atilium Regulum, M. Atilii, a Pœnis excruciati, filium minorem, qui ad præturam pervenisse legitur A. V. C. DXXV. & ad consulatum A. V. C. DXXVIII.

VIII.

Caput Romæ galeatum, pone quod ROMA: in aversa, *Marcus* AITIL*ius* *Marci Filius Marci Nepos* REGVL*us*. Victoria in bigis, dextra flagrum tenens, læva habenas, in area, XXXXIIX.

Denarius hic, quem vulgavit Goltzius in Fastis pag. 102. ad A. V. C. DXXVI. quo consul Regulus fuit cum Valerio Flacco, pertinere videtur ad M. Atilium Regulum, qui creatus censor cum Furio Philo, mortuo collega, magistratu se abdicavit. Polybius hunc Regulum in pugna Cannensi cecidisse scribit. Quem Polybium tamen falsi arguit Vaillantius, fide scilicet hujus nummi, vel conjecturæ potius suæ, quæ si falsa est, auctoritas certe Polybii prævalebit. Scribit itaque Vaillantius pag. 151. Post cladem Cannensem an. 537/8. ob penuriam pecuniæ ex Livio, creatus est triumvir mensarius, ut ille inquit, L. Æmilius Papus, qui consul censorque fuerat; M. Atilius Regulus, qui bis consul fuerat, & L. Scribonius Libo, qui tum tribunus plebis erat. Eodem tempore, ut tradit Zonaras, nummus argenteus, qui adhuc purus fuerat, ære admixto propter argenti penuriam adulterari primum cœpit. Atilius anno 539/4. creatus censor cum Furio Philo, ut indicant Livius & Valerius Maximus, sed Polybius in pugna Cannensi occisum scribit: porro denarii favent prioribus; nam quum iniit censuram, hunc bigatum cudit, in quo notæ numerales XXXXIII. indicant lustrum fuisse 43. a Censoribus cæptum, uti numerare est apud Historiæ Romanæ Scriptores, sed non finitum, nam quum Furius Philus in magistratu fuisset defunctus, abdicavit Atilius, ut narrat Livius. "

Vaillantius, otiose minus inspecto Goltzio, credidit numerales notas XXXXIII. in nummo exprimi; exprimuntur vero XXXXVIII. seu XXXXIIX. qua ejus oscitantia evertitur tota illa conjectura, & falso erroris accusatur Polybius. Notæ illæ numerales pro matricum varietate innumeræ in innumeris denariis inveniuntur; neque unquam lustrum conditum illis exprimi solet.

IX.

Caput Dianæ cum crescente luna supra frontem, & pharetra & arcu dorso appensis: in aversa victoria in trigis, dextra palmam, læva tenet habenas, subtus legitur *Marcus* REGVLVS *Marci Filius*.

Goltzius hunc nummum vulgavit in Fastis pag. 106. ad A. V. C. DXXXVI. atque ita retulit ad Atilium Regulum, qui suffectus fuit C. Flaminio consuli, in prælio ab Annibale cæsi. Verum typus nummi innuit in Sicilia eundem cusum fuisse. Meliore itaque jure Vaillantius refert ad illum, qui suffectus fuit Q. Cædicio, A. V. C. CCCCLXXXXVII. atque prospere contra Pœnos navali certamine pugnavit. Verba Vaillantii hæc sunt pag. 149. „ Hic denarius a M. Atilio Regulo iterum consule cum Manlio Vulsone an. 497/7. quando suffectus in locum Q. Cæ-

„ Cædicii in magistratu mortui, percussus est, „ dum utrisque consulibus Sicilia & Africa decretæ sunt, nam hi Siciliam petiere, & contra Amilcarem & Hannonem prælium navale tripartitum non procul Heraclea inierunt, „ unde victores evaserunt. Diana Siciliæ præcipua dea, in denario signata, eum in Sicilia „ ab Atilio percussum denotat, propterea in illo solita vox ROMA deest. Victoria cum „ palma consulum victoriam arguit.

X.

Caput Cereris corona spicea ornatum: in aversa parte, SEX*tus* ATIL*ius Marci Filius* SERRAN*us Caius* MANCIN*us Auli Filius.* Duo viri togati in sellis sedentes, inter duos modios spicis repletos.

Publicavit hunc nummum Goltzius in Fastis pag. 143. ad A. V. C. DCXVII. quo cum Furio Philo consul fuit Atilius Serranus. Anno ante consul fuerat Mancinus, qui cum Serrano in hoc denario conjungitur. Videntur simul ædiles plebis fuisse, & ad frumentum emundum, ut adscribitur in denario gentis Servilii cum simili typo, pari cura missi fuisse. Ædilitatem eorum ponit Pighius A. V. C. DCIX. qui eosdem collegas quoque statuit fuisse in tribunatu plebis & prætura. At vero (ut Pighius & Vaillantius volunt) cusum hunc nummum fuisse ab iisdem in ædilitate ista, non credo, sed vel triumviros monetales ejus anni istam curam annonæ, hisce ædilibus demandatam, sic expressisse, vel filios eorundem simul fuisse triumviros monetales, atque patrum suorum illud studium in annona procuranda celebrasse. Advectum frumentum ex Sicilia fuisse Cereris caput denotare videtur.

XI.

Caius ATIL*ius Marci Filius* SERRAN*us.* Caput Apollinis laureatum cum sceptro. Ab altera parte modius est spicis plenus, cui subscribitur EX *Senatus Consulto*, in laurea.

C. Atilius Serranus Sexti præcedentis frater fuisse videtur, & ex senatusconsulto itidem annonæ procurandæ curam gessisse. Ædilis fuisse creditur A. V. C. DCXV. Adeoque frater natu minor fuisse videtur. Caput Apollinis suadet, ut ex Sicilia quoque hanc frugum abundantiam petitam existimem. Ratio signandi nummi similis est præcedenti.

Vulgavit nummum Goltzius in Fastis pag. 156. A. V. C. DCXLVII. quo consul fuit C. Atilius Serranus cum Q. Servilio Cæpione. Ericius vero ad eundem illustrandum hæc protulit pag. 152. „ Nummus hic cusus fuit Romæ A. „ V. C. DCXLVII. consulibus C. Atilio Serrano & Q. Servilio Cæpione. Nulla vero ad „ historiam aliquam adlusio in hoc nummo observatur, quantum video, sed tantum ad cognomen consulis, quod in multis aliis hujusmodi nummis consularibus observare licet. Cognomen Cajo Atilio fuit Serrano, quod a *serendo* dictum datumque fuisse arbitror. Ut itaque ad cognomen suum adluderet, in nummo „ suo signavit modium cum spicis, tanquam res ad seminationem pertinentes, quæ sunt veluti „ ejus symbolum. Prænomen sic cuidam Resio fuit „ *Sertori* a *serendo* dictum. Veteres vero Romani omnes suis manibus agriculturæ operam dare „ solebant; atque, sæpe in rustico labore deprehensi, ab aratro & stiva ad consulatus & dictaturas vocati fuerunt. De Sertoris prænomine „ legere est apud Sigonium de nominibus Romanorum: *Sertor* (inquit) *auctore Valerio, dictus est, qui per sationem natus esset, eoque prænomine Sertor Resius usus est is, qui primus jus feciale instituit. Festus autem Sertorem a prendendo dictum a quibusdam ait, qui cum cuipiam adferat manum educendi ejus gratia ex servitute in libertatem, vocetur adsertor, cum verisimilius sit, dictum quod sereret quid; ac potius adsertorem a serendo accepisse nomen, cum aliquem serat, petendo in libertatem eandem, qua ipse sit, id est jungat; quia fruges, cum seruntur, terræ jungit.* „ Itaque cognomen *Serrani* sic quoque a *serendo* „ dictum ut prænomen *Sertoris* arbitror; atque „ propter hanc adlusionem modium cum spicis in „ hoc denario signatum fuisse."

XII.

AVGVSTVS TRIBVNIC*ia* POTEST*ate.* in corona quernea. Ab altera parte in area nummi est senatusconsulti nota, in ambitu legitur *Aulus* ATILIVS REGVLVS IIIVIR *Auro Argento Aeri Flando Feriundo.*

Exstant nummuli ænei inscripti REGVLVS. TAVRVS. PVLCHER. Regulum sub familia Livineja recensuit Ursinus. Dubium movere videtur hic nummus in quo IIIvir monetalis senatus occurrit A. Atilius Regulus. Potuit enim is Regulus æque Atiliæ familiæ fuisse quam Livinejæ.

Vulgavit Goltzius nummum in Augusto pag. 64.

ATTEIA.

XIII.

CAESAR AVGVSTVS TR*ibunica* POT*estate.* Caput Augusti laureatum. Ab altera parte est symbolum coloniæ bos; additur hæc inscriptio, *Caio* ATTEI*o* CAPIT*one Caio* PONTIO *Publio* OREST*e* IIVIR*is.*

Quum Augustus multas colonias, & in ipsa Italia & extra eandem, constituerit, præsertim ex plebe abundante tempore principatus sui; coloniæ cujusdam hic quoque nummus testis est. Ad illam deducendam IIviri passim mitti solebant, &, licet supernumerario aliquo augerentur iidem, manebat tamen adpellatio, ut censet Vaillantius in fam. Atteia pag. 156. Hinc tres illi, Atteius, Pontius, & Orestes IIviri in nummo adpellantur.

C. Attius Capito insignis fuit ICtus, patre prætorio, avo centurione Sullæ fidissimo, natus; ipse ingenii ad principum aures adcommodati, in magna gratia apud Augustum atque Tiberium fuit, cujus imperii anno octavo decessit. Mentio ejus fit apud Tacitum lib. Ann. I. cap. 79. ubi una cum Arruntio commemoratur, ut curator aquarum ad arcendas Tiberis inundationes. Ingenium ejus Tiberii voluntati adcommodatum describitur a Tacito lib. III. Ann. cap. 70. *L. Ennium, equitem Romanum, majestatis postulatum, quod effigiem principis promiscuum ad usum argenti vertisset, recipi Cæsar inter reos vetuit: palam adspernante Ateio Capitone, quasi per libertatem. Non enim debere eripi patribus vim statuendi, neque tantum maleficium impune habendum. sane lentus in suo dolore esset; Reip. injurias ne largiretur. Intellexit hæc Ti-*

Tiberius ut erant magis, quam ut dicebantur: perstititque intercedere. Capito insignior infamia fuit: quod humani divinique juris sciens, egregium publicum, & bonas domi artes dehonestavisset. Mors ejusdem, studia, dignitates & elogium commemorantur a Tacito lib. III. Annal. cap. 75. *Obiere eo anno viri illustres, Asinius Saloninus, M. Agrippa & Pollione Asinio avis, fratre Druso insignis, Cæsarique progener destinatus; & Capito Ateius, de quo memoravi, principem in civitate locum studiis civilibus adsecutus, sed avo centurione Sullano, patre prætorio. Consulatum ei adceleraverat Augustus, ut Labeonem Antistium, iisdem artibus præcellentem, dignatione ejus magistratus anteiret. Namque illa ætas duo pacis decora simul tulit, sed Labeo incorrupta libertate, & ob id fama celebratior: Capitonis obsequium dominantibus magis probabatur. Illi, quod præturam intra stetit, commendatio ex injuria: huic, quod consulatum adeptus est, odium ex invidia oriebatur.*

Consul suffectus fuit A. V. C. DCCLVIII. quo nummus hic a Goltzio vulgatur in Fastis pag. 226.

AVFIDIA.

XIV.

C*olonia* VI*ctrix* CELSA. AVGVSTVS. Caput Augusti nudum, in corona laurea. Ab altera vero parte coloniæ symbolum bos est, cum nominibus duumvirorum, CN*eo* AUFIDIO SP*urio* TARPEIO CAPITOLINO IIVIR*is*. Vulgavit hunc nummum Goltzius in Augusto pag. 50.

Cnei prænomen familiare Aufidiis fuit. Potuit itaque hic duumvir deducendæ coloniæ filius exstitisse Cn. Aufidii Orestis, consulis cum P. Cornelio Lentulo A. V. C. DCLXXXII.

Colonia Julia Celsa Victrix nota est in Hispania, & in hoc nummo per lauream, cui Cæsaris Augusti caput includitur, ad nomen suum videtur adludere.

AVRELIA.

XV.

Capita duo jugata, inberbia, diademate cincta. Nulla adest inscriptio, sed ante faciem clypeus oblongus cernitur. Ab altera nummi parte triremis cernitur cum navigantibus & hac inscriptione, CN*eus* ORESTES.

Vulgavit in Fastis suis pag. 169. ad A. V. C. DCLXXXII. hunc nummum Goltzius; quo scilicet anno consules fuerunt Cn. Aufidius Orestes & P. Cornelius Lentulus. Goltziana auctoritate permotus Vaillantius nummum hunc retulit ad familiam Aufidiam, & ad Cn. Aufidium Orestem Aurelianum, qui scilicet ex Aurelia gente in Aufidiam a Cn. Aufidio historico & prætorio, jam sene & oculis orbo, fuerat adoptatus.

De hoc Aufidio Oreste Aureliano sic scribit Vaill. pag. 158. „Cn. Aufidius Orestes Aurelianus „ ad Tribunatum plebis an. 669/70. repulsam passus, „ illum tamen iniit 670/1. Ædilis plebis factus 672/3. „ Præturam urbanam obtinuit 676/7. ex Valerio „ Maximo. Procos. Illyricum ex Sallustio, ubi „ gravissima bella gessit, & nummus per navem „ victoriam navalem in mari Illyrico & Dalmatico obtinuisse denotat, pauca Sallustii lib. 2. „ verba hæc. *Eam deditionem Senatus, per nuntios* „ *Orestis cognitam, adprobat.*"

Atque ita, juxta Vaillantii sententiam, nummus hic referendus foret ad A. V. C. DCLXXVII. sive DCLXXVIII. quo prætorem provincialem Illyricum cum proconsulari imperio obtinuisse Orestem notat Pighius Annal. lib. III. pag. 293. Neque contemnenda eadem Vaillantii sententia videtur, quum scilicet Aufidiis illud prænomen familiare fuerit, & præturæ Cnei Orestis, qui idem ille est, cujus nomen in hoc nummo scribitur, meminerit Valerius Maximus lib. VII. cap. VII. ex. VI. *Genucius quidam, Matris Magnæ Gallus, a Cneo Oreste prætore urbis impetraverat, ut restitui se in bona Næviani juberet, quorum possessionem secundum tabulas testamenti ab ipso acceperat.* Quod vero ad Aureliam gentem retulerit Morellius, cognomen Orestis in caussa est, quod & Aufidiis & Aureliis commune invenitur.

Capita jugata Saliorum esse dicit Vaillantius. ita scribens l. c. „ Saliorum autem capita cum ancili in anteriore denarii parte exprimi videntur ob felicem belli eventum: nam moris erat ei, „ qui belli alicujus curam habebat, ut, antequam „ ad illud proficisceretur, sacrarium Martis apud „ Salios, ejus sacerdotes, adiret, & ibi ancilia primo „ commoveret, & post hastam simulacri ipsius „ dei, dicens: *Mars vigila*, ut narrat Servius lib. 8. „ Æneid. Non erat enim salius sacerdos Cn. Aufidius, quia Aufidia & Aurelia gens erat plebeia „ & salii debebant esse (ex Numæ constitutione) omnes patricii." Hæc Vaillantius; sed in nummis deorum modo capita vel clarorum in republica virorum exprimebantur, non sacerdotum vel flaminum; quorsum quoque diadema referetur? & ancilium vera figura incerta est, inque nummis Antonini Pii imperatoris diversa ab his forma exhibentur. Itaque non saliorum hic capita agnosco, sed vel deorum Penatium vel Dioscurorum, qui reges a Græcis dicti fuerunt, unde diadema addi videtur. Clypeus arma Illyriorum respicere potest, navis classem Orestis.

XVI.

Sine epigraphe. Caput Jovis Capitolini laureatum; ab altera parte Victoria tropæum coronat, cum inscriptione C*aius* COTTA.

Quinarius hic est, vulgatus a Goltzio in Fastis pag. 92. ad A. V. C. DI. quo consul fuit cum Servilio Gemino. Ad eundem quoque refert Vaillantius, & retulit quoque jam ante Ericius pag. 20. ubi hisce quinarium & C. Cottæ gesta illustravit: „Cusa fuit hæc moneta Romæ A. V. C. „ DI. consule Cajo Aurelio Cotta, qui eodem „ anno de Pœnis & Siculis triumphavit. Orosius de „ illo ejusque triumpho lib. IV. ita scriptum reliquit: *Patres decreto rupto Cottam Consulem in Siciliam miserunt. Qui plurimis præliis adversus Pœnos* „ *& Siculos terra, marique pugnavit, & per totam* „ *Siciliam partim hostium, partim etiam sociorum* „ *inhumanas strages reliquit.* Cottæ ejusdem nomen apud Polybium, ubi de eadem victoria loquitur, non exstat, spectant tamen ejus tempora & res gestas historici ejus hæc verba: *Romani* „ *accepta ab elephantis in Africa clade, adeo perculsi* „ *erant, ut per biennium, partim in agro Africo,* „ *partim in Selinuntio, cum prope hostes quinque aut* „ *sex stadia castra fecissent, nec pugnam inire, nec* „ *æquis se campis committere ausi sint, quod elephantorum incursionem pertimescerent. Thermam autem, ac Liparas interea obsederunt.* Frontinus „ quo-

FAMILIA AVRELIA.

„ quæ ab altera parte eſt, clarum eſt teſtimo-„ nium victoriæ, quam retulit C. Aurelius Cot-„ ta de Pœnis & Siculis, de quibus etiam trium-„ phavit." Hæc Ericius. Sed quum plures fuerint Cottæ, qui Caji habuerint prænomen, & Victoria coronans tropæum ſit ſolitus quinariorum typus, adfirmari nequit, ab illo C. Cotta, ſive ſub illo, qui de Pœnis & Siculis triumphavit, cuſum quinarium fuiſſe. Fuerunt enim poſt illum C. Aurelius C. F. C. N. legatus Marcelli bello Punico ſecundo, prætorius poſtea vir & conſularis. Fuit item C. Aurelius M. F. Cotta, orator inſignis, qui ex conſulatu Galliam provinciam nactus, feliciter ibidem rem geſſit, ſed ante diem triumphi mortuus fuit, cicatrice vulneris, quod ante complures annos in prælio acceperat, reſciſſa. Caji Cottæ poſteriores conſules fuerunt A. V. C. DLIV. & DCLXXIX.

XVII.

Caput Romæ galeatum cum denarii nota; ab altera parte ſunt Dioſcuri in equis. Subſcribitur *Lucius* ORESTES.

Denarius hic, quem edidit Goltzius in Faſtis pag. 136. refertur ab eodem, ut & a Vaillantio ad illum L. Aurelium Oreſtem, qui poſt decurſos minores honores pervenit ad conſulatum cum Sexto Julio Cæſare A. V. C. DLXXXXVI.

XVIII.

Caput Romæ, ſub Martiæ ac bellatricis imagine, ſine alis, niſi ſit Minervæ cum ægide ad pectus, in imo, ROMA: in averſa, *Lucius* AVRELI*us* COTTA. Eques galeatus ſingularis decurrens, dextra demiſſa.

Vulgavit hunc nummum Goltzius in Faſtis pag. 141. ad A. V. C. DCIX. ſed quum in familia Cottarum, gentis Aureliæ, plurimi fuerint, qui Lucii habuerint prænomen, certa ratio iniri nequit, a quo L. Aurelio Cotta hic nummus cuſus fuerit. Facies, quæ in parte denarii priore eſt, Minervæ potius quam Romæ (ut ex ægide ad pectus conjicio) videtur ſuadere, ut ad unum ex Luciis Cottis referamus, qui Ciceronis fere temporibus vixerunt, ut qui eloquentiam coluiſſe legantur, ſic ut de L. Aurelio Cotta, M. F. queſtus fuerit Julius Cæſar, optimam ſibi cauſſam Cottæ patrocinio eripi. Val. Max. lib. VIII. cap. IX. ex. 3. *Divus quoque Julius, quam cœleſtis numinis, tam etiam humani ingenii perfectiſſimum columen, vim facundiæ proprie expreſſit: dicendo in accuſatione Cn. Dolabellæ, quem reum egit, extorqueri ſibi cauſſam optimam C. Cottæ patrocinio.*

Eques ille, qui ab altera parte eſt, videtur ad laudem majorum ſpectare, & forte ad Cottam, tribunum militum legionis III. in exercitu L. Æmilii Paulli, conſulis A. V. C. DLXXVIII. ut conjicit Vaillantius. Narrat enim Livius lib. XL. cap. 28. *Equitibus dato ſigno, ut conſcenderent equos, nec effugere quemquam ſinerent; in caſtra omnes trepida fuga compulſi ſunt: deinde ipſis exuti caſtris. Supra quindecim millia Ligurum eo die occiſa: capta duo millia & quingenti.* Inter tribunos tertiæ legionis Lucium Aurelium Cottam idem retulerat cap. XXVII. *Tertia legio adverſus principalem ſiniſtram portam inſtructa eſt. Id tantum mutatum: principes primi, & haſtati in ſubſidiis locati: Sextus Julius Cæſar & Lucius Aurelius Cotta, tribuni militum huic legioni præfecti ſunt.* Idem Cotta, victoriæ ejus nuncius, Romam miſſus fuit, ibid. apud Liv. cap. XXVIII. *Hæc, qui nunciarent, literasque ad ſenatum ferrent, Lucius Aurelius Cotta, Caius Sulpicius Gallus, Romam miſſi: ſimulque peterent, ut Lucio Æmilio confecta provincia decedere, & deducere ſecum milites liceret atque dimittere. Utrumque permiſſum ab ſenatu, & ſupplicatio ad omnia pulvinaria per triduum decreta.*

XIX.

Caput Junonis Soſpitæ pelle caprina tectum; ab altera parte eſt aper currens & inſcriptio, *Lucius* AVR*elius Lucii Filius* ORESTES.

Creditur Lucius Aurelius Oreſtes is eſſe, qui Lucii Filius Lucii Nepos in Faſtis vocatur, quique conſul fuit A. V. C. DCXVII. quique, quum Sardiniam provinciam obtinuiſſet, eam triennio domuit. In minore magiſtratu videtur ſignaſſe nummum, in quo aper ad cognomen Oreſtis poteſt adludere, Junonis Soſpitæ caput, ad Lanuvium reſpicere & originem inde familiæ Aureliæ Oreſtis.

Edidit nummum Goltzius in Faſtis pag. 146. ad A. V. C. DCXXVII.

XX.

Caput Romæ galeatum cum denarii nota; ab altera parte Victoria eſt in bigis, cum inſcriptione, *Lucius* ORESTES. ROMA.

Idem Lucius Aurelius Oreſtes, qui ſignavit nummum ſupra XVII. hunc quoque cudiſſe videtur. Vulgavit Goltzius in Faſtis pag. 149. ad A. V. C. DCXXXI. quo anno Lucius Oreſtes ille, cujus nummum vidimus num. IX. proconſule ex Sardinia triumphavit. Ad illum enim refert Goltzius, cui Victoriæ typus favere videtur, poſſuntque ad unum & eumdem hunc Oreſtem tres illi denarii pertinere; neque enim ſemper patris nomen adponebatur.

XXI.

VESTA. Caput Veſtæ velatum: in averſa, *Caius Aurelius Marci Filius* COTTA AED*ilis* CVR*ulis*. Sella curulis, ſupra quam ſimpulum & patera.

Quia hunc nummum ad A. V. C. DCLXXVIII. quo conſul Cotta fuit, vulgavit Goltzius in Faſtis pag. 167. eo anno cuſum fuiſſe credidit Ericius, cujus hæc ſunt verba pag. 176. „ Moneta hæc „ cuſa fuit Romæ A. V. C. DCLXXVIII. Caio „ Aurelio Cotta & Lucio Octavio conſulibus. A-„ ſconius Pedianus ſcribit floruiſſe eodem tempore „ tres Cottas fratres, omnes conſulares, Cajum „ Marcum & Lucium. Plures vero ſcriptores „ Caji Cottæ hujus mentionem faciunt. De le-„ ge a Cajo Cotta lata ſic ſcribit Pedianus, *Caius „ Cotta Cos. paullum tribunis non poteſtatis, ſed di-„ gnitatis addidit, id eſt legem tulit, ut tribunis „ plebis liceret poſtea alios magiſtratus capere, quod „ lege Sullæ iis erat ademptum.* Idem, *Caius Cotta „ de legibus ſuis abrogandis retulit ad ſenatum.* „ Præterea de eodem ita loquitur: *Caius Cotta „ legem tulit de privatis judiciis, quæ eſt anno po-„ ſteriore a fratre ejus M. Cotta abrogata.* Meminit „ quoque ejuſdem Cottæ Cicero in Verrem: „ *Lucius Octavius, Caius Aurelius Coſs. cum ædes ſa-„ cras locaviſſent, neque potuiſſent omnia ſarta tecta „ exigere, neque ii prætores, quibus erat negotium „ datum, Caius Sacerdos, Marcus Cæſius: ſenatus-„ conſultum factum eſt, quibus de ſartis tectis cogni-„ tum, & judicatum non eſſet, uti Caius Verres,* „ *Pu-*

„ *Publius Cœlius prætores cognoscerent, & judicarent.*

„ Fuit hic Caius Cotta tribunus plebis, fuitque idem postea consul. Sed ex sella curuli, quæ depicta in altera nummi parte cernitur, cum inscriptione AED. CVR. adparet, eundem quoque fuisse ædilem curulem. Ad renovandam scilicet ejus magistratus memoriam postea in consulatu suo hunc denarium percussit, in quo a parte priore caput est Vestæ, a posteriore sella curulis. Quod idem videtur fecisse Q. Lutatius Catulus A. V. C. DCLXXV. qui scilicet, eo anno consul, signari fecit nummum aureum cum capite Vestæ & literis *Quintus* LVTATIVS *Quinti Filius Quinti Nepos* CATVLVS. AED*ilis* CVR*ulis Senatus Consulto*. a cujus nummi parte altera est quoque sella curulis cum lauri utrimque ramis, & corolla laurea sellæ imposita, atque inscriptione desuper *Lucius* GELLI*us Lucii Filius* PR*o* CO*nSule*. Utraque horum moneta hæc in ædilitatis curulis olim a se gestæ memoriam cusa fuisse videtur. Eadem quoque emblemata honorum in multis aliis nummis consulum adparent, qui ante id tempus ædilitatem istam gesserant."

Hæc Ericius. Verum consules in urbe pecuniam non signabant, ut neque ædiles curules, sed triumviri monetales, extra urbem vero quæstores provinciales. Sella tamen curulis dignitatem ædilis respicit, quam inscriptio plane confirmat; ut patera & capeduncula sacra denotant, facta scilicet Vestæ, cujus caput in nummi parte priore exhibetur. Itaque credo C. Cottæ fuisse filium, eo forsan anno triumvirum monetalem, quo pater fuit ædilis curulis, & illum in denario suo expressisse singulare illud sacrum, quod Vestæ factum fuit eo anno, quo pater ejusdem C. Aurelius Cotta, Marci filius, exstitit ædilis curulis.

XXII.

CAESAR AVGVSTVS TRIBVN*icia* POTEST*ate*. Caput Cæsaris Augusti laureatum. Ab altera parte coloniæ symbolum bos est, cum hac inscriptione, TI*berio* DRVSO, SER*vio* DECIANO, T*ito* AVREL*io* CELERE IIVIR*is*.

Inter Aurelios, qui Celeris habuerit cognomen, nemo invenitur præter hunc. Hic vero iterum tria deducendæ coloniæ duumvirorum occurrunt nomina, quamvis titulus more solito scribatur. Habuimus simile exemplum supra num. XIII. & XIV.

TAB. X.

AVTRONIA.

I.

PAETVS. Caput Jovis laureatum & barbatum: in aversa parte, *Publius* AVTRON*ius Lucii Filius*. Colonus velatus, dextra tenens stivam aratri, quod trahunt boves, sinistra flagrum.

Vulgavit hunc denarium Goltzius in Fastis pag. 171. & quoniam credidit pertinere ad illum Autronium, qui una cum P. Cornelio Sulla ambitus accusatus damnatusque consulatum inire non potuit, retulit ad A. V. C. DCLXXXVIII. quo consules deinde facti fuerunt, qui hosce ambitus condemnaverant, L. Aurelius Cotta & L. Manlius Torquatus. Fuerat hic Autronius quæstor Syracusis in provincia Sicilia, quum Lilybæi in eadem provincia Cicero versaretur, qui multis nominibus vituperat eundem Autronium. Catilinariæ conjurationi postea adhæsit homo reipublicæ perniciosus. Vaillantius Goltzium sequitur, putatque in hoc denario argenteo respici ad coloniam Romanam Syracusas. Verum (ut ego existimo) revocari debet hic nummus ad Augusti tempora, cujus consulatu secundo A. V. C. DCCXX. legitur consul suffectus fuisse P. Autronius Pætus, atque sub eodem A. V. C. DCCXIV. ex Africa triumphavit L. Autronius Pætus. Hi fratres fuerunt, consulares, filii Publii, Lucii nepotes. Ex hisce reor Lucium, triumphalem ex Africa, filium habuisse, qui sub Augusto signaverit hunc denarium in memoriam deductæ cujusdam coloniæ, quo ipse anno triumvir monetalis exstiterit.

II.

Caput Jovis Capitolini laureatum & barbatum; ante quod fulmen: in aversa, *Lucius* AVTRO*Nius Publii Filius* PAETVS. *Marcus* CRASSVS *Marci Filius*. EX *Senatus Consulto*. Sella curulis, supra quam duæ coronæ, vase ansato intermedio.

L. Autronius P. F. consul suffectus fuit ex Kal. Majis in locum C. Cæsaris consulis II. A. V. C. DCCXX. quo anno producitur a Goltzio hic nummus in Fastis pag. 197. M. Crassus M. F. Marci, qui apud Parthos occisus fuit, nepos, consul fuit A. V. C. DCCXXIII. cum C. Cæsare IV. Hi duo simul ædilitatem gerere potuerunt, quod videtur indicare nummus. Et eo quidem anno, quo illi honorem istum gesserunt, sacrum aliquod singulare Jovi Capitolino videtur fuisse peractum, & quidem tale, ut senatus censuerit memoriam ejus celebrandam in denariis, quos illo anno triumviri monetales Cæsaris signaturi essent. Ideo enim nota senatusconsulti adponi mihi videtur.

III.

PAETVS PR*o* CO*nSule*. Caput Romæ galeatum In aversa parte vir togatus in quadrigis triumphalibus, dextra habenas tenet equorum, sinistra scipionem eburneum; subtus legitur *Lucius* AVTRONIVS.

Quamvis de rebus L. Autronii Pæti in Africa gestis nihil exstet apud historicos; ex Fragmentis Capitolinis tamen discimus illum ex Africa triumphasse A. V. C. DCCXXIV. quo anno produxit quoque hunc nummum Goltzius in Fastis pag. 203. de quo sic loquitur Ericius pag. 243. „ Romæ cusus fuit hic nummus A. V. C. DCCXXIV. quo L. Autronius proconsule ex Africa triumphavit. Cujus triumphi meminerunt eo anno Tabulæ Capitolinæ mense Septembri, post Cæsaris triumphum. De triumpho autem Autronii, rebusve ab eodem gestis, nihil apud scriptores invenitur. Memoriam tamen claram ejusdem hic denarius servat, in quo triumphans in quadrigis ipse Autronius exprimitur."

BAEBIA.

IV.

TAMPILVS. Capita Deorum Penatium jugata & lauro redimita. In aversa est vir paludatus stans, dextra innixus hastæ; adest laurea a dextris palmæ ramo alligata, a sinistris Victoria coronans paludatum; adscribitur CN*eus* BAEBI*us* *Quinti Filius*.

Cneus Bæbius Quinti filius, semel atque iterum consulatus repulsam passus propter res temere nimis ab eo prætore in Gallia Cisalpina gestas, tandem consulatum obtinuit cum L. Æmilio Paullo, qui postea ad Cannas cecidit, A. V. C. DLXXI. quo vulgavit hunc nummum Goltzius in Fastis pag. 125. Uterque consul contra Ligures exercitum duxit, ubi res prospere gesta fuit. Videtur itaque (ut censet Vaillantius) honore statuæ decoratus fuisse Cn. Bæbus propter hanc victoriam; ipsum vero nummum cusum fuisse puto ab aliquo ex posteritate hujus Bæbii, qui in triumviratu suo monetali hunc honorem proavi sui ostentare voluerit. Capita deorum Penatium originem Lanuvinam indicare possunt.

V. & VI. *vacant.*

CAECILIA.

VII.

Caput Vestæ velatum, METELLVS: in aversa consul in quadrigis triumphalibus, dextra tenens habenas equorum, sinistra scipionem eburneum, coronatur a victoria. Adscribitur *Lucius* CAECIL*ius* *Lucii Filius Cai Nepos* PR*o* C*on*S*ule* EX *Senatus Consulto.*

Vulgavit nummum hunc Goltzius in Fastis pag. 92. ad A. V. C. DIII. quo VII. idus Septembr. L. Cæcilius L. F. C. N. Metellus proconsule de Pœnis triumphavit. Victoriam ejusdem egregiam multi scriptores celebrarunt, ex quibus testimonia produxit Ericius ad hunc nummum pag. 21. & 22. ubi ita scribit: „ Signata „ fuit hæc moneta Romæ A. V. C. DIII. quo „ de Pœnis triumphavit L. Metellus proconsule, „ ut Fasti Capitolini & historici passim testantur. Loquitur de Metelli victoria Plinius lib. „ VIII. *Roma plurimos elephantos anno quingentesimo secundo vidit, victoria L. Metelli pont. in Sicilia de Pœnis captos.* Libro VII. idem sic „ scribit: *L. Metellus Pont. bis cos. dict. magister eq. primus elephantos primo Punico bello duxit in triumpho.* Iterum lib. XVIII. *M. Varro auctor est, cum L. Metellus in triumpho plurimos duxit elephantos, assibus singulis farris modios fuisse.* In Epit. Livii XIX. sic scriptum invenitur, *Cæcilius Metellus, rebus adversus Pœnos prospere gestis, speciosissimum egit triumphum, XIII. ducibus hostium, & CXX. elephantis in eo ductis.* „ Apud Florum quoque: *Argumentum ingentis victoriæ Metelli centum circiter elephantorum captivitas.* Eutropius CXXX. elephantos in triumpho ductos fuisse scribit. Ostendit vero Frontinus lib. I. in quem finem tot elephanti in „ Italiam transvecti fuerint.

„ Est igitur hic nummus monumentum triumphi L. Metelli de Pœnis, atque cusus eo tempore, „ quo post hanc victoriam elephanti illi Romam „ deducti sunt. Unde triumphans in quadrigis „ exhibetur Metellus. Literæ S. C. sive nota „ senatusconsulti; quæ in hoc nummo est, in „ multis aliis quoque invenitur. De rebus feliciter in Sicilia contra Pœnos gestis a proconsule „ Metello A. V. C. DII. ita scriptum reliquit „ Polybius: *L. Metellus, C. Furius in Siciliam cum pedestribus copiis missi. Iis naves tantum LX. comportandi frumenti caussa datæ, quod Romani sævissimis naufragiis conflictati mari sibi abstinendum esse decrevissent. Asdrubal autem Romanorum metu cognito; cum, altero consule cum parte copiarum Romam reverso, solum Metellum Panormi se continere audiret; ex Lilybæo in Panormitanum agrum irrupit, ut, si posset, Metellum ad prælium provocaret. Cum Metellus; trajicientem flumen adortus, maxime elephantorum, quos in Romanos ille impulerat, in suos fuga, summo prælio superavit. quo factum est, ut urbe egressus castra & ipse subsidio habuerit.* Apud Orosium hæc leguntur: „ *Asdrubal, novus Pœnorum dux, cum elephantis* „ CXXXIII. *& equitum peditumque amplius* XX. „ *millibus Lilybæum venit ex Africa, & cum Metello consule apud Panormum pugnavit. Sed Metellus vim belluarum timens eas consilio vel fugavit, vel cecidit. & sic facile magnam vim hostium superavit.* XX. *millia Cartaginiensium cæsa, elephanti* XXVI. *interfecti.* CIIII. *capti, & per Italiam ducti, maximum Italis spectaculum præbuere. Asdrubal cum paucis Lilybæum profugit, & absens a Pœnis capite damnatus est.* Et apud Eutropium, „ *Metellus consul in Sicilia Asdrubalem cum* CXXX. „ *elephantis, & magnis copiis vicit. apud Panormum* „ XX. *millia hostium occidit.* XXVI. *elephantes cepit, reliquos errantes collegit,* &c. Denique de „ eodem Metello hæc habet Plutarchus: *Pœnis, ac Siculis, socia adversus Romanos arma parantibus, Metellus imperator, omnibus diis, præterquam Vestæ, sacrificium fecit, quæ cum adversos ventos immisisset, C. Julius augur eos cessaturos dixit, si ante filiam immolasset. Quod cum ille facturus esset, dea buculam supposuit.* Testimonia hæc „ sunt victoriæ L. Metelli de Pœnis in Sicilia, „ sed Plutarchus insuper docere nos videtur, „ cur Vestæ imago in hoc nummo exhibeatur; „ respectu videlicet placati numinis, quod propter neglecta sacrificia, quæ sibi soli defuerant, „ imperatori iratum antea fuerat. "

VIII.

Caput Romæ galeatum, pone quod, ROMA. In aversa Jupiter in quadrigis triumphalibus, dextra fulmen, sinistra tenens sceptrum, additur *Lucius* METEL*lus* *Lucii Filius, Cai Nepos.*

Spectat hic denarius ad eundem de Pœnis triumphum proconsulis L. Cæcilii Metelli. Vulgavit illum Goltzius altero ejus consulatu A. V. C. DVI. in Fastis pag. 93.

IX.

Caput Romæ galeatum, pone quod, ROMA, in aversa parte victoria in bigis, *Marcus* SALINATOR in vertice; *Quintus* METELLVS, in imo; CN*eus* FOVL*vius* in area.

M. Livius Salinator, Cneus Foulvius, & Quintus Metellus, quorum nomina in hoc denario conjunguntur, sine dubio simul triumviri monetales extiterunt, neque audiendum esse puto Vaillantium, qui in fam. Fulvia p. 464. a triumviris mensariis cusum fuisse existimat, multo minus Golt-

Goltzium, qui, juxta Vaillantium pag. 179. ad dictaturam M. Livii Salinatoris, magistri equitum dictatore Q. Metello, A. V. C. DXLVI. refert; si tamen ea mens Goltzio fuerit. Ille enim nummos sibi oblatos, non semper retulit ad annum quo cusos existimavit, sed ubi in Fastis nomina eorundem sese offerebant, ut ex præfatione ejusdem Goltzii satis liquere potest.

Vulgavit itaque hunc denarium in Fastis suis pag. 113. Goltzius ad A.V.C. DXLVI. quod commoda ibi mentio M. Livii Salinatoris & Quinti Metelli occurreret. Cneus Fulvius, sive Foulvius (ut in nummo dicitur) cognominatus fuit Centumalus, atque iisdem temporibus vixit.

X.

EX *Senatus Consulto*. Caput Victoriæ pectore tenus alatum. In postica, *Quintus* METELLVS MACEDONIC*us*. Navis prætoria.

Denarium hunc, ut nobile monumentum triumphi & victoriæ Q. Cæcilii Metelli, qui inde Macedonicus fuit adpellatus, publicavit Goltzius in Fastis pag. 140. ad A. V. C. DCVII. quo de Andrisco Pseudo-Philippo & ex Macedonia triumphavit Metellus. Loca scriptorum, qui hanc victoriam & triumphum hunc celebrant, collegit Ericius pag. 107. ubi ita ad hujus denarii illustrationem loquitur: „ Cusa fuit hæc moneta Romæ A. V.C. DCVII. quo de Andrisco Pseudo-Philippo triumphavit Metellus, illum enim pro prætore missus cum magno exercitu Q. Cæcilius Metellus superaverat. Usus quoque is copiis militaribus regis Attali fuerat, quibus impediret Andriscum, ne ulterius ad maritima loca pergeret. Andrisci hujus mentio est in Epitoma Livii XLIX. *Andriscus quidam, ultimæ sortis homo, Persei Regis se filium ferens, & mutato nomine Philippus vocatus, cum ab urbe Roma, quo illum Demetrius, Syriæ Rex, ob hoc ipsum mendacium miserat, clam profugisset, multis ad falsam ejus famam, velut ad veram, euntibus, contracto exercitu, totam Macedoniam aut voluntate incolentium, ut armis occupavit.* Libro L. quoque Epit. *Pseudo-Philippus in Macedonia, cæso cum exercitu M. Juventio prætore, a Q. Cæcilio victus, captusque est, relicta* (lege *devicta*) *Macedonia.* In libello de Viris Illustribus sic scribitur. *Q. Cæcilius Metellus prætor Andriscum, qui Pseudophilippus dictus est, vicit, unde Macedonicus dictus est.* Vellejus Paterculus lib. I. *Q. Metellus prætor, cui ex virtute Macedonici cognomen inditum, præclara victoria Pseudophilippum, qui Macedoniam occupaverat, gentemque superavit.* Legitur apud Eutropium, *Interim in Macedonia quidam Pseudophilippus arma movit, & Romanum prætorem P. Juventium, contra se missum, ad internecionem vicit. Post eum Q. Cæcilius Metellus dux a Romanis contra Pseudophilippum missus est, & vigintiquinque millibus ex militibus ejus occisis, Macedoniam recepit. Ipsum etiam Pseudophilippum in potestatem suam redegit.* Metellus igitur provincia Macedonia pacata, inque populi Romani potestatem redacta, Romam est profectus, atque triumphum postulavit & impetravit propter res in Macedonia præclare gestas. Triumphi ejus meminit inter alios Valerius Maximus lib. VII. *Q. Cæcilium Metellum de Pseudophilippo triumphantem universus senatus lætum, & alacrem in Capitolium prosequutus est.* & Florus. *Populus Rom. de Andrisco, imaginario rege & scenico, ut de vero, triumphavit.* Apud Ciceronem in Oratione pro Murena sit itidem mentio triumphi, quem ex Macedonia de Pseudo-Philippo nactus fuit Metellus. Scribitur denique in Epitome Livii LII. *Q. Cæcilius Metellus de Andrisco triumphavit, P. Cornelius Africanus Scipio Æmilianus de Carthagine, & Asdrubale.* Ex quibus omnibus scriptorum locis patet, Metellum victoriam in Macedonia obtinuisse, ex illa provincia triumphasse, atque inde cognomen Macedonici obtinuisse. Hujus triumphi memoriam servat hic denarius, qui a parte priore exhibet Victoriæ caput, & a posteriore triremem; quæ navalem victoriam respicit, quam videtur consecutus fuisse Metellus adjutus classe Attali, regis Pergami. Macedonici insuper nomen Metello in hoc denario tribuitur. "

XI.

Caput Apollinis laureatum, METEL*us* CALVVS: in aversa parte est colonus, capite velato, dextra stivam aratri tenens, quod trahunt boves jugati, sinistra flagrum. Additur, *Lucius* CAECIL*ius Quinti* F. *Lucii Nepos*. in summo, CXXXIII. subtus, EX *Senatus Consulto*.

L. Metellus, cognomento Calvus, consul fuit cum Q. Fabio Maximo Serviliano A. V. C. DCXI. quo profertur hic nummus a Goltzio in Fastis pag. 141. Vaillantius censet renovatam in hoc nummo fuisse memoriam coloniæ ante CXXXIII. annos a duumviro L. Cæcilio Metello antiquiore deductæ; quo respectu ita scribit pag. 187. „ Prolatis Q. Cæcilii Numidici filiorum nummis, priusquam ad ejus nepotes descendamus, de illius fratre L. Cæcilio, cognomine Calvo, loqui libuit. Q. Cæcilii consulis fuit minor filius, & avum cum Macedonico communem habuit L. Cæcilium, bis consulem & dictatorem, ut antiquitatem sui generis adeo illustrem renovaret, denarium hunc quæstor anno $\frac{596}{7}$. ad proavi L. Metelli, etiam consulis, ad arguendum pro deducenda colonia triumviratum, signavit: nam colonus agens boves illius symbolum est; & literæ numerales CXXXIII. nihil aliud quam annos deductæ coloniæ significare possunt. Lucius autem Cæcilius Metellus ante consularum (*sic in Edit. Vaill.*) cos. anno $\frac{469}{70}$. inter quæsturam & tribunatum, anno $\frac{463}{4}$. videtur fuisse unus ex illis duumviris, de quo Florus ex Livio. Coloniæ deductæ sunt Castrum, Sena, Hadria, anno $\frac{CDLXIII}{CDLXIV}$. cui si adjungas annos $\frac{133}{4}$. in denario cusos, habebis annum $\frac{596}{7}$. quo quæstor provincialis fuit."

Ad hanc Vaillantii conjecturam observo, numerum illum CXXXIII. non magis annos deductæ coloniæ significare, quam in familia Maria, ubi plures occurrunt nummi cum typo simili deductæ coloniæ, atque notis ejusmodi numeralibus usque ad CXXXXVIII. quæ tantummodo matricum videntur fuisse notæ. Id si in hoc nummo Cæcilii Calvi quoque verum est, oportet ut magnus horum numerus interciderit.

XII.

Caput Libertatis, *Publius* RVPIL*lus Publii Filius* EX *Senatus Consulto*. In aversa consul togatus, dextram porrigit homini nudo, cum pallio ab humeris retro pendente, sinistra hastam tenenti, pone eum navis, in qua temo & ancora inversa, adscribitur, *Quintus* METEL*lus Quinti Filius Quinti Nepos*.

Hunc denarium Goltzius in Fastis p. 148. retulit

FAMILIA CAECILIA.

lit ad Q. Cæcilium Metellum, postea Balearicum dictum, qui consul fuit A. V. C. DCXXX. cum T. Quinctio Flaminino. Conjecturam Goltzii sequitur Vaillantius; qui hujus nummi typo hanc adcommodat interpretationem p. 182. „ Ad Q. Metellum, qui Balearicus dictus est, spectare nummum, epigraphe Q. F. & Q. nepos nos edocet; pacem dextra juncta inire videtur, &, si vera est nostra conjectura, cum Balearibus. Id confirmat navis; in qua temo & ancora inversa sunt, ad notandum se non amplius mare infestaturos promittere: nam, si Straboni credimus, lib. XIII. pauci quidam, quum societate facta cum piratis conspirassent, Metellus universos criminatus; sed re cognita pacem eis dedit, & coloniæ postea in insulas deductæ sunt Romanæ, unde pax cum iis facta videtur: P. Rupilius P. Rupilii Rufi, tribuni plebis, anno ... Marci nepos, quæstor urbanus denarium ex senatusconsulto post pacem initam percussit, anno ... " Hæc Vaillantius; sed profecto nimis abjecti homines fuerunt Baleares, quam ut, quasi justi hostes, sicut virilis hæc figura in nummo indicat, a Romanis in argento depingerentur. Funditores fuerunt; & hoc illis a pueris unicum, præter piraticam; erat studium. Cum hisce hominibus pax facta gloriosa Romanis esse non poterat. Imo pacem illis dedisse Metellus dicitur; quod non amplius eos universos criminatus fuerit, illorumve quæsierit excidium. Figura illa virilis, quæ stat ante navem in stationem subductam, plane est militaris, hastata & paludata; atque ducem exhibet exercitus Romani; prout figura illa togata; quæ militari dextram porrigit, senatum Romanum exhibere videtur.

Reor itaque in hoc nummo depingi reducem ex Asia & Græcia L. Sullam. Ad hujus sententiæ meæ corroborationem jubeo lectorem considerare simillimum typum gentis Corneliæ Tab. secunda num. II. inter Ursinianos, quem supra explicavimus pag. 129. ubi vide quæ ex Appiano diximus, de legatione, quam senatus misit ad placandum Sullam. Pertinet itaque denarius hic ad A. V. C. DCLXX. & tunc, vel aliquanto post, cusus videtur. Quin & inveniuntur istis temporibus P. Rupilius & Quintus Metellus. P. Rupilium P. F. P. N. Lupum tribunum plebis agnoscit Pighius A. V. C. DCLXVII. & inter ædiles eundem ponit A. V. C. DCLXX. At Q. Cæcilius Metellus Celer Q. F. Q. N. consul agnoscitur A. V. C. DCLXXXXIII. isque Metellus Celer videtur cum Rupilio in quæstura nummum hunc in Sullæ imperatoris gratiam signasse, atque Libertatis pinxisse caput; quod illam contra Marii & Cinnæ tyrannidem propugnare Sulla videretur.

XIII.

Caput Jovis barbatum & laureatum, subtus est litera Q. In aversa parte, *Quintus* METEL*lus* BALEARIC*us*. Victoria, sinistra tenens palmam, dextra coronam porrigit tropæo ante se erecto.

Cernitur hic nummus apud Goltzium in Fastis pag. 149. & videtur pertinere ad Q. Cæcilium, Q. F. Q. N. Metellum, qui A. V. C. DCXXXII. de Balearibus triumphavit, atque inde Balearici cognomen fuit adeptus. Filius is fuit natu major Q. Cæcilii Metelli Macedonici.

XIV.

FIDES. Caput deæ, oleagina corona insigne: in aversa Fides ipsa stans, dextra calathum fructuum plenum tenens; sinistra spicas. Adscribitur *Quintus* METEL*lus Quinti Filius* BALEARICVS.

Ad censuram Metelli Balearici, in qua cum collega Servilio Cæpione lustrum condidit LXI. retulit Goltzius in Fastis pag. 150. Occasio forsan signandi nummi fuit, quod ex præda & manubiis deæ Fidei ædes ornaverit Balearibus devictis Q. Metellus.

XV.

Caput Romæ sine galea, DELMATICVS; in aversa parte *Lucius* METEL*Lus*; & ipse consul in quadrigis triumphalibus, dextra tenens scipionem eburneum, in cujus apice aquila, sinistra habenas equorum.

Ad hunc nummum, quem vulgavit Goltzius in Fastis pag. 151. ad A. V. C. DCXXXVI. quo de Dalmatis triumphavit Metellus, sic commentatus fuit Ericius pag. 136. „ Romæ cusa fuit hæc moneta A. V. C. DCXXXVI. consule L. Cæcilio Metello, eo tempore quo ille Dalmatas subegit atque de iis triumphavit. Quieverant videlicet Dalmatæ ab A. V. C. DLXXXXVIII. quo de illis triumphaverat P. Scipio Nasica. Verum hisce temporibus consul Metellus, juxta Appianum, desiderio triumphi, Dalmatis, ultro bellum intulit, quamvis nihil hostile moventibus. Reducto inde exercitu sine justa caussa triumphavit. Legitur hinc in Epitoma Livii LXII. *L. Cæcilius Metellus Dalmatas subegit.* Huc quoque spectant illa Asconii Pediani in Orationem Ciceronis in Verrem: *Ædem Castoris L. Metellus exstruxit de manubiis, qui subactis Dalmatis Dalmaticus adpellatus est.* De ipso Metelli triumpho hæc habet Eutropius: *M. Porcio Catone, & Q. Marcio Rege Coss.* DCXXX. *anno, & tertio ab urbe condita, Narbo Colonia in Gallia deducta est. Annoque eodem a L. Metello, & Q. Mutio Scævola Coss. de Dalmatis triumphatum est.* Verum in hisce errorem esse quilibet statim cognoscere poterit. Scævola enim non triumphavit, sed solus Metellus; sic ut vere scripserit Plinius, Metellum Macedonicum patrem, quum obiret, duos filios reliquisse triumphales, Balearicum videlicet & Dalmaticum. Dalmatici triumphum egregie exprimit hic nummus, in cujus altera parte sunt quadrigæ triumphales, insistente L. Cæcilio Metello, qui ab hoc triumpho Dalmatici cognomen accepit. "

Metellum hunc, qui de Dalmatis triumphavit, Marmora Capitolina Lucii adpellant filium, unde, quum Metello Macedonico prænomen Quinto fuerit, filius ejus esse nequit Dalmaticus. Filium itaque L. Metelli Calvi fuisse existimat Pighius, quem sequitur Vaillantius.

XVI.

CN*eus* MANLIVS CN*ei Filius* MAXIM*us*. Caput Cereris corona spicea ornatum. In aversa Ceres ipsa tunicata, utraque manu tenens facem ardentem oblongam. Adscribitur CN*eus* METEL*lus Quinti Filius* CAPRARIVS.

Nummum hunc aureum publicavit Goltzius in Fastis pag. 152. ad A. V. C. DCXL. quo gessit consulatum Manlius cum Cneo Papirio Carbone. Hujus vero nummi occasione de Metellis illorumque nummis plura scripsit Ericius, quæ, juxta institutum nostrum, Latina facta ex libro ejus Italice conscripto pag. 140. sic sese habent: „ Aureus

,, hic nummus cusus fuit Romæ A. V. C. DCXL. Infra de eodem nummo acturi sumus. Caput vero Cereris habet juxta morem, ut sæpe diximus, quo deorum & dearum capita in nummis Romanis exprimebantur. Eodem anno & alius nummus argenteus in urbe cusus fuit a M. Cæcilio Metello, qui frater ejusdem Caji Cæcilii Metelli exstitit. In illo, a parte priore barbatum & capillatum Neptuni caput exhibetur, cum tridente ad humeros, atque inscriptione METELLVS. Ab altera parte quadrigæ sunt triumphales, quibus insistit figura Neptuni læva manu tridentem tenentis. Subtus leguntur literæ M. CAECIL. Q. F. Q. N. Hinc credimus cusum fuisse istum nummum eo tempore, quo proconsule de Sardis triumphavit M. Metellus, frater vero ejusdem C. Metellus consul de Macedonia, hoc ipso scilicet anno. Eutropius horum triumphorum facit mentionem lib. IV. *C. Cæcilio Metello, & Cn. Carbone Coss. duo Metelli fratres, eodem die, alterum triumphum egerunt.* Rufus quoque hisce: *Sardiniam, & Corsicam Metellus vicit, triumphavitque de Sardis, qui rebellavere sæpe.* Scriptum itidem reliquit Vellejus lib. II. *Circa eadem tempora duo Metelli fratres uno die triumpharunt.* Patet hinc Catoni in Thracia successisse Metellum. Cernimus quoque clarum illo in nummo testimonium triumphi M. Metelli ex Sardinia, cujus symbolum est quadrigis insistens Neptunus, tridentem gerens, ejusque dei caput ab altera parte. Quæ ostendunt hanc victoriam de Sardis fuisse navalem. Sed quum toties de Metellis in hoc libro nobis sit agendum, pluresque Romæ Metelli exstiterint, variisque temporibus, sic ut molestiæ inde legentibus oriantur, utile judicamus inserere hic commentationem Eliæ Vineti de Metellis, ex notis ejus in Eutropium excerptam. Is itaque ad Eutropii lib. II. sic scripsit: *Cæcilii Metelli inter ea sunt nomina, quæ res Romanas legentibus molestiam exhibere solent, cum passim occurrant, nec internoscere omnes facile possis. L. Cæcilius Metellus, consul ad annum urbis* DII. *qui primo Punico bello tot elephantos cœpit, pontifex max. fuit, dictator, magister equitum, quindecimvir agris dandis; cui populus Romanus tribuit, ut quoties in senatum iret, curru veheretur ad curiam, ob oculos incendio amissos, cum Palladium ex æde Vestæ ardente raperet, (ut narravit Livius lib.* XIX.) *filium habuit Q. Cæcilium Metellum, illum qui orationem habuit supremis laudibus patris sui Lucii Metelli. atque pater fuit (autore Plinio lib.* VII.) *Q. Cæcilii Metelli, illius felicissimi habiti, qui recepta Macedonia, de Andrisco, Pseudophilippo dicto, triumphavit, ad annum urbis* DCVII. *& Macedonicus est cognominatus.* Porticus fecit *Romæ, turmam equestrium statuarum in Capitolio posuit (hoc tradit Paterculus lib. I.) Celtiberos, gentem Hispanam, debellavit. (hoc Plinius, Nepos, & L. Anneus lib. II.) parum abfuit quin e saxo Tarpeio præcipitatus sit. Consul, post multas repulsas, vix fuit factus, anno urbis* DCXI. *Sex liberos reliquit, quorum quatuor Plutarcho de Fortuna Romanorum sic appellantur.*

,, *Primus, Q. Cæcilius Metellus, qui a subactis Balearibus insulis, Balearicus est dictus, ad annum urbis* DCXXXI.

,, *Secundus, L. Cæcilius Metellus,* Διάδεμα *in supra citato Plutarchi libro cognominatus. ubi quidam* Διάδημα *legisse videntur: qui, nescio an is sit qui eidem Plutarcho in Coriolano Diadematus est adpellatus, quem illum esse L. Metellum putant, qui Dalmaticus fuerit cognominatus, cum Dalmatas gentem subegisset Consul cum Q. Mutio Scævola, ad annum urbis* DCXXXVII. *autore Europ. lib.* 4.

,, *Tertius, C. Cæcilius Metellus, Caprarius cognominatus, quo Consule cum Cneo Carbone ad urbis annum* DCXLI. *duos quosdam Metellos fratres eodem die triumphasse nescio quibus de populis, memoriæ prodidit Eutropius lib.* 4.

,, *Quartus, M. Cæcilius Metellus. Hæc sunt quatuor Metelli Macedonici filiorum prænomina apud Plutarchum. Asconius vero Pædianus, gravis autor, in orationem pro C. Cornelio, Metellum Creticum etiam Quintum vocat, eodem scilicet prænomine cum Metello Pio, quemadmodum in Sallustii quoque Iugurt. & Livianæ Epitomes lib.* LXXXXIX. *scriptum invenimus; ut idem sit Balearici & Cretici prænomen Quintus, cum tamen non unus idemque fuerit Balearicus & Creticus, ut disces ex L. Annei lib.* III. *historiæ Rom. sed tamen ambo fratres. Alii quidam Metellum Creticum vocant Lucium pro Quinto, ut Consulum etiam catalogus habet. Quoniam autem Metellus Creticus unus fuit ex quatuor Macedonici Metelli liberis, qui patrem rogo intulerunt, isque jam tum Creticus erat, auctore Plinio in eodem lib.* VII. *& Creta subacta triumphavit ad annum urbis* DCLXXXX. *ut putat Eutropius lib.* VI. *profecto valde senex vixerit Macedonicus, inter cujus consulatum & Cretici triumphum intercesserint anni minimum octoginta. Quare vereor, ne quid nos fallant aut librarii, aut antiqui ipsi autores.*

,, *Q. Cæcilii Metelli Balearici, quem inter Metelli Macedonici filios primum memoravimus, filius fuit*

,, *Q. Cæcilius Metellus Nepos, & sic nepos Metelli Macedonici: qui Metellus Nepos consul fuit cum T. Didio, ad annum urbis* DCLVI. *filiumque habuit*

Q. Cæcilium Metellum Nepotem, qui adolescens C. Curionem accusavit, accusatorem patris sui, autore Asconio in orationem pro Cornelio, quique tribunus plebis Ciceronem, consulatu abeuntem, prohibuit concionari de rebus quas in eo gesserat magistratu; hoc puto colliges ex iis quæ extant Asconii in orationes pro eodem Cornelio, & in L. Pisonem; & fratrem habuit.

,, *Q. Cæcilium Metellum Celerem (de hoc Celeris cognomento Plutarchus in Romulo & Coriolano) eum, ni fallor, qui cum L. Afranio consul fuit anno urbis* DCLXXXXIV. *cujus & Ciceronis lege literas primas libri quinti Familiarum.*

,, *Q. Cæcilius Metellus, qui cum Q. Hortensio consul fuit* A. V. C. DCLXXXV *dubito an idem sit Q. Metellus Nepos, frater Quinti Metelli Celeris. Sed eum tamen Hortensii collegam, ex Ciceronis orationibus in Verrem, ac Asconii commentariis, certo scimus, fratres hos habuisse,*

,, *L. Cæcilium Metellum, qui prætor in Sicilia Verri successit: & M. Cæcilium Metellum, prætorem urbanum, quorum Lucius nescio an is sit*

,, *L. Cæcilius Metellus, qui tribunus plebis Cæsari rempublicam evertenti pro viribus restitit Romæ ad annum Urbis* DCCV. *ut refert Plutarchus in Cæsare, Cæsar ipse lib.* I. *Comment. belli civilis, Dion. lib.* XLI. *& alii.*

,, *L. Cæcilius Metellus longe alius fuit, quem Livius lib.* XXII. XXVII. *& alibi, memorat rempublicam deserere voluisse, & Italia excedere, Annibalis metu, post Cannensem cladem, ad annum Urbis* DXXXVIII.

Q. Cæcilii Metelli Numidici pater est Lucius, in in Oratione Ciceronis pro Cornelio Balbo, quem L.

,, *Cæ-*

„ *Cæcilium Metellum esse scribunt eum, qui Dalmaticus sit supra, secundus in filiis Metelli Macedonici. Sed ejus rei nullum ii citant auctorem. Hic Quintus Metellus Numidicus, consul fuit cum M. Junio Syllano, anno Urbis (ut putant Chronologi)* DCXLIII. *quo anno Numidici cognomentum sibi peperit, multis præliis fuso Iugurtha in Numidia Africæ regione (hoc narravit Livius libro* LXV. *Sallustius, Eutropius, ac alii) Censor Quintium quendam, se Tiberii Gracchi filium mentientem, in censum non recepit: in legem Apuleiam per vim latam jurare noluit, in exilium voluntarium Rhodum & Smyrnam abiit, ad annum urbis* DCLIV. *(hoc Livius idem lib.* LXIX. *Plinius nepos, & Plutarchus in Mario) filium habuit*

„ *Cæcilium Metellum, ideo Pium cognominatum, quod patrem Metellum Numidicum assiduis lachrimis & precibus ab exilio revocarit. Hic Metellus Pius, bello sociali, Marsorum ducem cecidit Hirtulejum, & Sertorium in Hispania oppressit. (Plinius & Frontinus lib.* II. *Strateg.) Pontifex Max. fuit, (Asconius pro Cornelio) de cujus morte nihil mihi comperti: sed quem tamen qui putat se interfecisse apud Livium lib.* LXXXIX. *tam fallitur (quod cognosces, si sequentes Livii libros legeris) quam temere quidam eum esse Metellum pont. max. pronunciavit, qui Plinio & Valerio annos centum vixisse traditus sit; quasi nullus alius Metellus pont. fuerit.*

„ *Q. Cæcilius Metellus Scipio, qui bello civili Pompeji & Cæsaris, se interfecit cum Catone in Africa, is in hanc familiam adoptatus fuerat, de cujus genere nos in librum sextum. In studiosorum gratiam obiter hæc, quæ nobis in mentem veniebant, de Metellorum genere, de quibus plura fortasse alias, & comperta magis, si quando plus ocii & virium fuerit.* Ex hac commentatione plena nobis subministratur notitia Cæciliæ gentis & familiarum ex ea Metellorum, eritque eadem valde utilis ad nummos hosce intelligendos. Fuerunt enim varii generis cusi in eorundem magistratibus; quando videlicet vel consules fuerunt, vel aliam dignitatem in republica obtinuerunt. Sufficit vero ad præsentis nummi intellectum scire, C. Cæcilium Metellum Caprarium fuisse fratrem M. Cæcilii Metelli; & posteriorem proconsule de Sardis, priorem consulem ex Macedonia triumphum egisse. Fuerunt ambo filii Q. Cæcilii Metelli Felicis dicti, & Macedonici adpellati propter triumphum ex illa provincia de Andrisco Pseudo-Philippo, de quo triumphavit A. V. C. DCVII."

Et hæc quidem sunt, quæ in genere ad illustrandam familiam Cæciliam; in specie vero ad hujus denarii intellectum, protulit Sebastianus Ericius. Pighius vero, illumque secutus Vaillantius, existimant cusum fuisse hoc numisma a Metello & Manlio collegis in ædilitate plebeja, unde eosdem ædiles plebis faciunt A. V. C. DCXXXIII. auctoritate hujus scilicet denarii, ex quo deducunt illos simul ex more ludos Cereales fecisse. Ferri posset hæc interpretatio, si constaret jus signandæ monetæ apud ædiles plebejos fuisse, quod quum mihi non sit verosimile, credo hunc denarium cusum fuisse a Cajo Metello eo tempore, quo nummum æreum num. XIX. signavit, id est in quæstura, vel potius triumviratu monetali, in quo videtur habuisse collegam illum Cneum Manlium.

XVII.

METELLVS. Caput Neptuni, pone quod tridens: in aversa *Marcus* CAECILI*us Quinti Filius Quinti Nepos.* Neptunus in quadrigis triumphalibus, dextra femori admota, sinistra tridentem tenet & habenas equorum.

M. Cæcilius Metellus frater exstitit C. Metelli Caprarii, filius Q. Metelli Macedonici. Consul fuit A. V. C. DCXXXIV. cum M. Æmilio Scauro. Sardiniam deinde obtinuit proconsule A. V. C. DCXXXIX. atque, prorogato imperio, ex illa provincia triumphavit A. V. C. DCXL. Fratres enim Metelli eodem die triumpharunt. Vellejus Paterculus lib. II. *Circa eadem tempora M. & C. Metelli fratres uno die triumpharunt.* Adstipulantur Marmora Capitolina, quæ eorundem triumphos conjungunt.

M. CAECILIVS Q. F. Q. N. PRO COS. EX SARDINIA.
C. CAECILIVS Q. F. Q. N. METELLVS CAPRARIVS COS. DE THRACEIS EX MACEDONIA.

XVIII.

EX *Senatus Consulto.* Capita jugata Jovis laureatum & Neptuni cum tridente. Ab altera parte triremis est prætoria cum inscriptione *Quintus* METELL*us* NVMIDICVS PR*o*CO*n*S*ule*.

Vulgavit hunc denarium Goltzius in Fastis pag. 156. ad A. V. C. DCXLVI. quo ex Numidia & de rege Jugurtha triumphavit Metellus, qui inde Numidici cognomen fuit consecutus. Videntur Jovis & Neptuni jugata capita depingi ad potentiam Romanorum exprimendam, quam in terra per Jovem suum Capitolinum, in mari, per deum æquoris Neptunum, sese consequi arbitrabantur. Unde in præcedenti quoque denario conveniens Sardiniæ insulæ & triumpho ex eadem, Neptuni tridentiferi ab utraque parte imago conspicitur. Navis prætoria adventum Metelli ex Numidia exprimere videtur, inde enim necesse erat navibus in Italiam redire.

Ericius nummum hunc hisce illustravit pag. 151. „ Cusus fuit hic denarius Romæ A. V. C. DCXLVI. eo tempore, quo Q. Cæcilius Metellus proconsule Numidas vicit & regem eorum Jugurtham, unde quoque triumphi honorem fuit consecutus. Sallustius enim aliique historici scriptum reliquerunt, Q. Cæcilium Metellum consulem, cui provincia Numidia sorte obtigerat, duobus præliis vicisse Jugurtham, omnem vastasse Numidiam, atque ipsum Jugurtham acrius persequendo coëgisse per Getuliam confugere in Mauritaniam. Quum igitur iterum illi prorogata fuisset provincia, post tertium annum Romam rediit, consule Mario. Vellejus triumphum ejus hisce commemorat lib. II. *Marius, legatus Metelli, criminando Metelli lentitudinem, effecit, ut, cum commeatu petito Romam venisset, consul crearetur; bellique bene patrati a Metello, qui bis Jugurtham acie fuderat, summa sibi committeretur. Metelli tamen, & triumphus fuit clarissimus, & meritum virtuti cognomen Numidicum inditum.* Libellus quoque de Viris Illustribus testatur Q. Metellum de Jugurtha rege triumphasse. Duorum de eodem Jugurtha triumphorum meminit Eutropius, quorum alterum Metello alterum Mario tribuit. *Duo triumphi de Jugurtha; primus per Metellum, secundus per Marium acti sunt. ante currum tamen Marii Jugurtha cum duobus filiis, ductus est catenatus, & mox jussu Consulis in carcere strangulatus.* Gellius insuper lib. XII. cap. 9. commemorat orationem, quam idem Q. Metellus Numidicus habuit de suo

„ trium-

„ triumpho. Caput Neptuni a parte priore & „ triremis a parte posteriore indicare videntur „ pugnam aliquam navalem accidisse, atque ideo „ cum instructa classe in Africam navigasse Metellum."

XIX.

Caput Jani bifrontis laureatum & barbatum cum cippo sive nota assis inter tempora. Ab altera vero parte cernitur prora navis cum inscriptione, *Caius* METEL*lus* CAPRAR*ius* ROMA.

Censet Vaillantius cusum hunc denarium fuisse a Metello Caprario in prætura A. V. C. DCXXXV. & profecturum in provinciam Romæ signasse hos nummos ad militi stipendium persolvendum. Verum in urbe prætor non signabat pecuniam, sed, quum in provinciam venisset, ibi quæstores ejusdem signare solebant. Quare censeo hunc assem cusum fuisse a C. Cæcilio Metello Caprario triumviro monetali.

XX.

Caput Neptuni laureatum, sub quo extenditur tridens. Nummum ambit laurea. Ab altera parte triremis est prætoria cum inscriptione, *Quintus* METELL*us* NEPOS EX *Senatus Consulto.* in laurea.

Victoriam aliquam innuere videtur laurea, quæ ab utraque parte nummum ambit. Hinc potius referendus cum Vaillantio videtur ad Q. Metellum nepotem patrem, quam ad Q. Metellum Nepotem filium. Filius enim consul A. V. C. DCLXXXXVI. res male in Hispania gessit, sic ut successor facilius in sequentem annum Cn. Pompejus illi decretus fuerit. At pater consul fuit A. V. C. DCLV. cum Tito Didio; quo anno censet quoque Vaill. una cum Didio collega in Hispaniam profectum fuisse Metellum, & manente in provincia Didio, qui ex eadem triumphavit A.V. C. DCLX. comitiorum caussa Romam rediisse Cæcilium & triumphum egisse. Certe res prospere ab eo fuisse gestas non modo laurea sed & senatusconsulti nota ostendit. Nepotis cognomen videtur habuisse propter illustrem avi Q. Cæcilii Macedonici memoriam, atque eadem de caussa filio suo, vere nepotulo, reliquisse.

XXI.

Caput Romæ galeatum cum denarii nota; ab altera parte Victoria est in citis bigis, læva tenens habenas, dextra flagrum, cum inscriptione *Quintus* METELL*us* PIVS. ROMA.

Protulit hunc denarium Goltzius in Fastis pag. 169. ad A. V. C. DCLXXXII. quo proconsule ex Hispania III. Kal. Januarii triumphavit Metellus. Fuit hic Q. Metellus Pius filius Q. Metelli Numidici, &, ut Vaillantio Pighioque juxta Marmora Capitolina videtur, nepos L. Metelli Calvi, fratris Q. Metelli Macedonici. Pietas in patrem Numidicum, quem adsiduis precibus & lacrymis ab exsilio revocavit, præclarum Pii cognomen ipsi peperit. Magnas res in Hispania contra Sertorium gessit, in quam provinciam consularis fuit missus, collega enim fuerat L. Cornelii Sullæ in consulatu A. V. C. DCLVII. Res ejus gestas illustrat Ericius ad hunc nummum pag. 183. „ Cusus fuit (inquit) hic nummus Romæ A. V. „ C. DCLXXXII. quo victoriam in Hispania „ retulerunt proconsule Q. Metellus & Cneus „ Pompejus, ex qua provincia quoque triumpharunt. Finito enim bello Sertoriano sub Romanorum jugum venit Hispania. Orosius de „ hoc bello sic scriptum reliquit lib. III. *Civitatibus cunctis ultro ac sine mora in deditionem receptis, duæ tantum restiterunt, Auxima, & Calagurum, quarum Auximam Pompejus evertit, Calagurum Afranius jugi obsidione confectam, cæde, incendioque delevit.* Florus quoque lib. III. *In fidem Romanam venere urbes, Osca, Terme, Tutia, Valentia, Auximia, & in fame nonnihil experta Calaguris.* Hoc bellum licet cum Romano duce, Sertorio, gestum fuerit, tamen „ quum milites ejus Hispani exstiterint, externum potius, quam civile habitum fuisse Florus testatur. Duplicis itaque triumphi materiam præbuit. Meminerunt ejusdem Plutarchus, Appianus, Vellejus, Eutropius & Florus. Ex illis Vellejus ita scripsit lib. II. *Metellus, & Pompejus ex Hispaniis triumpharunt, sed Pompejus hoc quoque triumpho, adhuc eques Romanus, ante diem quam consulatum iniret, curru urbem invectus est.* Eutropii vero hæc sunt: *Uno tempore multi simul triumphi fuerunt, Metelli ex Hispania, Pompeji secundus ex Hispania.* Huc „ respexit itidem Lucanus lib. VII. vs. 13.

„ *Qualis erat populi facies, clamorque faventis,*
„ *Olim cum juvenis, primique ætate triumphi,*
„ *Post domitas gentes, quas torrens ambit Iberus,*
„ *Et quæcumque fugax Sertorius impulit arma,*
„ *Vespere pacato pura venerabilis æque*
„ *Quam currens ornante toga, plaudente Senatu,*
„ *Sedit adhuc Romanus eques.*

„ Plinius denique istam Pompeji victoriam quoque celebravit lib. VII. *Pompejus, Solis occasum transgressus, excitatis in Pyrenæo trophæis, oppida* DCCCLXXI. *ab Alpibus ad fines Hispaniæ ulterioris redacta victoriæ suæ adscripsit, & majore animo Sertorium tacuit: belloque servili, quod omnia externa conciebat, extincto, iterum triumphales currus eques R. induxit, toties Imperator, antequam miles.* &c. Hujus itaque victoriæ Metelli Pii ex Hispania testis est hic denarius bigatus, in qua Victoria cernitur equos „ inpellens. Sed & Pompeji quoque & victoriæ ejus alii plures nummi inveniuntur."

Hæc Ericius. Vaillantius ad eandem victoriam refert. Verum miror non scribi titulum imperatoris in nummo, quod passim in ejusmodi victoriis solet. Adde bigatas solitam fuisse monetam, & a Metello Pio, ut triumviro monetali, in initio honoris potuisse cudi hunc denarium, qui nihil admodum insigne typo suo continet.

XXII.

Caput Apollinis cum adscripta voce CELER. Ab altera parte cernuntur decussatim positi caduceus & cornucopiæ. Subtus est globus, & in circuitu hæc inscriptio, *Quintus* METELL*us*. *Publius* CANIDI*us Publii Filius* CRASS*us*.

Vulgatus fuit hic nummus a Goltzio in Fastis pag. 174. ubi illum ex auro esse adnotavit. Judicavit idem Goltzius pertinere ad Q. Metellum Celerem, qui consul fuit cum Afranio A. V. C. DCLXXXXIII. quique amantissimus patriæ exstitit, Ciceroni & Catoni summopere favens, creditur vero ætate vigenti veneno sublatus fuisse ab uxore Claudia, quæ, Lesbiæ nomine a Catullo dicta, famosa erat adulteriis. Pighius vero pro filio ejus viri consularis sensit, & rectius; sed quod ex hoc nummo illum quæstorem fuisse agnoscat cum P. Canidio Crasso, atque eosdem ut quæstores collocet in Fastis suis tom. III. pag. 413.

413. ad A. V. C. DCCI. non sequitur. Hinc Vaillantius, qui simpliciter hanc Pighii sententiam proposuerat pag. 195. in hoc Cæciliæ gentis nummo, repetens eundem in familia Canidia pag. 226. refutat eandem, atque potius cusum fuisse nummum existimat a Metello & Canidio in prætura A. V. C. DCCVIII. Sed ego neque in quæstura neque prætura horum cusum fuisse existimo, sed in magistratu minore, videlicet quatuorviratu monetali. Invenitur idem fere typus in nummis Ursinianis familiæ Antoniæ tab. sexta num. VIII. ubi omnia reliqua in posteriore nummi parte conveniunt, nisi quod inter duo cornuacopiæ erigatur caduceus, qui hic tantum cum uno decussatim ponitur. Hosce itaque nummos, utpote typos habentes ejusdem significationis, eodem tempore cusos fuisse existimo, adeoque temporibus triumvirorum reipublicæ constituendæ quærendos esse hos IIIIviros monetales Metellum Celerem & Canidium Crassum.

Notissimus in historia est P. Canidius Crassus, dux ille famosus partium Antonii, consul suffectus Asinio Pollioni A.V.C. DCCXIII. qui postea legatus M. Antonii multa pro eo gessit, atque, victo & mortuo Antonio, occisus a Cæsare fuit. Hujus igitur filium reor fuisse Canidium, qui hunc denarium cum Metello Celere signavit. Pater enim in omnibus suis nummis, quos ut legatus M. Antonii cudi curavit (& plures produxit Goltzius) simpliciter P. Canidius Crassus adpellatur. At hic, quatuorvir monetalis, ut a patre etiamnum vivo se distingueret, scribitur in nummo hoc P. Canidius P. F. Crassus. Quod de P. Canidio Crasso filio nihil in historiis legatur, mirum esse nequit; videtur enim una cum patre, adflictis fere omnibus, qui Antonio faverant, interiisse.

Invento P. Canidio P. F. Crasso Q. Metellus Celer est quærendus, quem IIIIviratum monetalem, primum ad honoris gradum, una cum Canidio gessisse statuimus. Necesse itaque est, ut in flore juventæ vixerit circa annum V. C. DCCXIII. vel DCCXIV. quo consul suffectus fuit P. Canidius Crassus pater. Q. Cæcilius Metellus Celer, vir consularis, & inpense a Cicerone laudatus, decessit consulibus Cæsare & Bibulo A. V. C. DCLXXXXIV. sive ut Varro computat DCLXXXXV. ætate integra. Mortem ejus immaturam hisce deflet Cicero Oratione pro M. Cœlio cap. XXIV. *Vidi enim, vidi, & illum hausi dolorem acerbissimum in vita, quum Q. Metellus abstraheretur e sinu gremioque patriæ, quumque ille vir, qui se natum huic imperio putavit, tertio die post, quam in curia, quam in rostris, quam in republica floruisset, optimo habitu, maximis viribus, eriperetur indignissime bonis omnibus atque universæ civitati.* Inpuberem tunc filium reliquisse videtur hunc Q. Metellum Celerem, adulta dein ætate ad prima honorum incrementa evectum, & porro evehendum, nisi civilibus bellis, ut puto, interiisset.

XXIII.

CRETICVS. Capita jugata Julii & Augusti, ambo laureata. In aversa templum VI. columnarum, in cujus aditu cippus, supra quem duæ statuæ togatæ visuntur, a latere dextro templi simpulum, a sinistro lituus est. Subscribitur, *Quintus* METELLVS.

Q. Cæcilius Metellus Creticus Silanus consul fuisse legitur cum A. Licinio Nerva Silano, A. V. C. DCCLIX. quo hunc nummum publicavit Goltzius in Fastis pag. 227. Missus idem Metellus postea fuit ad Syriam administrandam A. V. C. DCCLXV. Nepos fuisse videtur Q. Cæcilii Metelli consulis A. V. C. DCLXXXIV. qui primus Cretici agnomen in familiam suam intulit. Denarium hunc signasse videtur in triumviratu monetali, sub Cæsare Augusto. Templum illud honori Cæsaris dicatum fuisse existimo, in quo forsitan conjunctæ steterunt Julii Cæsaris & Augusti statuæ.

TAB. XI.

CAEDICIA.

I.

Caput Pici herois capillis cincinnatis, vel Apollinis, in aversa parte, *Quintus* CAEDICI*us* *Quinti Filius* EX S*enatus* *Consulto.* in imo, ROMA. Duæ figuræ stantes, togatæ, dextras jungentes, pone alteram fasces, quibus secures alligatæ.

Postquam Goltzius nummum hunc vulgaverat in Fastis pag. 89. ad A. V. C. CCCCLXXXXVII. quo consulatum cum L. Manlio Vulsone gessit Q. Cædicius, singularem ejus typum explicare conatus fuit Pighius in Annalibus tom. I. pag. 456. ubi illi sermo est de quæstore militari Q. Cædicio. Verba ejus hæc sunt: „ In consulatu „ postea mortuus A.V. C. CCCCLXXXXVII. „ Et exstat ita in Capitolinis fine cognomine. „ Sic item in denariis antiquis argenteis, cusis in „ memoriam istius præclaræ victoriæ, qua popu„ lus Romanus imperium suum, Picentibus victis, „ atque in deditionem acceptis, auxit insigni„ ter. Potentem quidem ac populosam gentem „ fuisse jam tum, constat ex Plinio, qui CCCLX. „ hominum millia in fidem populi Romani ve„ nisse scripsit. Expressit igitur in istis denariis „ Cædicius in uno latere Picum, Saturni filium, „ gentis conditorem atque ductorem, capillis „ cincinnatis, facie juvenili decora, quemad„ modum heroës, quos immortales non senesce„ re credebant, pingere solebant. In altero late„ re stat consul aut prætor Romanus, togatus; „ magistratus insigne securim virgis adligatam „ juxta se habens, qui Picenti tunicato dextra „ juncta fidem dare videtur. Circumscriptus ti„ tulus Q. CAEDICI. Q. F. EX S. C. RO„ MA. Igitur ex senatusconsulto deditionis hu„ jus memoria in nummis sic etiam publicata „ fuit." Et hæc quidem Pighii sunt verba ad A. V. C. CCCCLXXXV. quo Picentes subacti sunt. Scribit enim Eutropius lib. II. cap. 16. Picentes a consulibus P. Sempronio & Appio Claudio fuisse victos, atque de illis esse triumphatum. Marmora Capitolina idem memorant, & bellum illud cruentum atque atrox fuisse Frontinus, Florus, & Orosius testantur.

Conjecturam hanc Pighii laudat Vaillantius atque in opere suo proponit, ut verissimam. Deinde Q. Cædicii ejus honores describens, hæc addit pag. 201. „ Q. Cædicius quæstor anno 485. „ filius Q. Cædicii, tribuni plebis, anno „ nepos Q. Cædicii tribuni plebis, anno „ CCCCXIX. qui primus Noctuæ nomen ac„ cepit, quum sub ejus quæstura P. Sempronius „ Sophus, & P. Claudius cos. Picentes ingenti „ &

„ & atroci prælio superassent, & quum de iis ex „ Eutropio triumphassent; ut Fragmenta Capi- „ tolina docent,

„ P. SEMPRONIVS P. F. P. N.
„ SOPHVS COS. AN. DXXCV. / DCXXVI. *Var.* DE PEI-
„ CENTIBVS.

„ AP. CLAVDIVS AP. F. C. N.
„ CRASSVS AN. CDXXCV. / CDXXCVI. *Var.* COS. DE
„ PEICENTIBVS.

„ Picentes, ut pacem cum Romanis haberent, „ se in deditionem iis dedere, quos libenter ac- „ cepere: nam Plinius CCCLX. hominum millia „ ex iis in fidem P. Romani venisse scribit, in cu- „ jus memoriam senatus denarios argenteos quæ- „ storibus urbanis, ex quorum erat numero Q. „ Cædicius, cudi jussit, hic vero post quæ- „ sturam iniit tribunatum plebis, an. 490/1. Æ- „ dilis fuit, anno 463/4. iterum tribunus plebis, „ anno 465/6. & tandem consul cum L. Manlio „ Vulsone Longo, anno 467/8. in cujus magisterio „ mortuus est."

Verum ego existimo, neque ad hæc tempora, vel acceptos in fidem Picentes, spectare nummum posse, neque illis temporibus, sed longe post cusum fuisse. Certum & notum vetustissimos denarios simplicitate typi sese commendare, & plerumque Dioscuros, vel similem simplicem typum exhibere; at crescente luxu, crevit quoque ambitio, & magis ad pompam, quam antea, in denariis quoque typi superbiores sculpi cœperunt. De Picentibus triumphatum fuisse constat, & sic in fidem recipere devictos populos Romani dicebantur, quum facere voluntatem suam eosdem cogerent. In nullo igitur denario Romano vola vel vestigium est gentis devictæ, cui illum honorem habuerit populus Romanus, ut stantem juxta se in nummo & dextras jungentem depingeret, atque insuper togatam. Togata enim utraque est figura, tam illa, quam Picentes adumbrare credidit Pighius, quam quæ Romanos. Alia itaque typo huic quærenda est interpretatio; quæ sese satis commode offert temporibus Sullanis, quibus post dirum illud & perniciosum Romæ atque Italiæ bellum Sociale, tandem civitas populis Italiæ data fuit, & inter illos Picentibus, qui ex infensissimis erant hostibus. Ista occasione plurimi nummi cum egregiis typis cusi fuerunt, sicuti passim vidimus in hoc Opere nostro ad Morellii Familias Ursinianas &c. in Familiis Farsuleja, Fufia, Gellia, aliisque bene multis. Ex figuris itaque his duabus togatis, altera Romanos exprimit, quibus, ut primariis, insignia summi magistratus, fasces cum securibus, adduntur. Altera figura Italos innuit, togata quoque, quia jus togæ & suffragiorum, adeoque plenæ civitatis Romanæ, quæ caussa belli fuerat, recenter adepti erant. Dextræ junctæ redintegratam concordiam significant; & ideo senatusconsulti nota quoque adponitur. Adeoque referri hic nummus debet ad annum circiter V. C. DCLXIV. quo constat adhuc floruisse stirpem Cædiciorum, & aliquam dignitatem in republica sub Sulla gessisse, & forsitan inter quæstores, numero illorum aucto, relatam fuisse.

Si vere caput illud juvenile Pici herois est, origine Picens potuit esse familia Cædicia; sed Apollinis quoque caput sic sæpe, in Græcorum præsertim nummis, pingi solet; & familia Cædicia videtur originem suam debere Cædicio, coloniæ Tuscorum, in Cisalpinis, Mantuanis adtributæ.

CALVISIA.

II.

SABINVS. Capita jugata Castoris & Pollucis, pileis ornata. In aversa parte ipsi astris insigniti decurrunt in equis. Additur *Caius* CALVISIVS *Cai Filius*.

Vulgavit hunc dedarium Goltzius in Fastis pag. 191. ad A. V. C. DCCXIV. quem sequitur Vaillantius, qui illum tribuit Calvisio Sabino, legato Cæsaris in bello civili, qui postea consul factus est. Sed ad antiquiora tempora spectare hunc denarium simplex ille Dioscurorum typus docet, unde fere ætate antiquior esse videtur, & ad aliquem ex proavis hujus Calvisii spectare.

III.

OB CIVIS SERVATOS. Corona civica; hinc & inde lauri ramus: in aversa parte, *Caius* CALVISIVS *Cai Filius* SABINVS IIIVIR *Auro Argento Aeri Flando Feriundo*. in area *Senatus Consulto*.

Cusus videtur hic nummus a C. Calvisio Sabino, filio Calvisii consularis & legati quondam Cæsaris. Consulatum ipse quoque obtinuit A. V. C. DCCXLIX. Filium reliquit Calvisium, virum primarium sub Tiberio, qui sub Cajo Caligula Pannoniam administravit, ex qua reversus, & delatus ad principem, non exspectato iniqui judicii die, se ipsum interemit, ut Tacitus & Dio testantur.

CALPVRNIA.

IV.

Caput Apollinis laureatum cum sceptro. Ab altera parte sunt quadrigæ triumphales, cui figura virilis insistit, dextra tenens scipionem, cui aquila insistit, læva equorum habenas. Subscribitur *Caius* PISO *Cai Filius Cai Nepos*.

Goltzius hunc nummum publicavit in Fastis pag. 125. ad A. V. C. DLXIX. quo C. Calpurnius C. F. C. N. Piso proprætore de Lusitanis & Celtiberis ex Hispania triumphavit. Vaillantius ad eundem Pisonem atque eundem triumphum retulit.

V.

Caput velatum & turritum, pone quod ROMA. In altera parte, CN*eus* PISO CO*n*S*ul*. EX S*enatus Consulto*. Consul togatus stat in basi vel in subsellio, dextra extensa sinistra scipionem tenens, inter duas secures coronis ornatas.

Exstat hic nummus apud Goltzium in Fastis pag. 142. ad A. V. C. DCXIV. quo consul fuit Piso hic cum M. Popillio Lænate. In ipsum vero nummum ejusque typum hic exstat commentarius apud Ericium pag. 115. ejusque verba Latine.

tine verſa hunc ſenſum efficiunt: Cuſa fuit hæc „ moneta Romæ, conſule Cneo Calpurnio Piſo„ne, A. V. C. DCXIV. inque ea conſulatus „ inſignia adparent. Cernitur enim pictura viri „ conſularis, qui eſt ipſe Calpurnius Piſo, cujus „ etiam faſces ſunt. Conſules, ut in Roma ſua „ Triumphante ſcribit Blondus, ita a conſulen„do cum ſenatu & populo dicti fuerunt. Verum „ Nonius Marcellus vult ita eſſe dictos a conſu„lendo cum ſenatu tantum, quod, ut puto, cum „ populo id facere tribunos plebis intellexerit. „ Magnam conſulis auctoritatem demonſtrat Ci„cero lib. II. De Legibus, dicens conſules in „ urbe poteſtatem regiam habuiſſe, in conſultan„do & judicando loco prætorum fuiſſe & judi„cum, in bello ſummum habuiſſe imperium, & „ nemini ſubjectos fuiſſe. Voluntatem tamen „ populi illis ſupremam fuiſſe legem, neque ite„rum conſules, niſi poſt decem annos fieri po„tuiſſe. Alibi idem Cicero dicit, prouti ſum„ma ſenatus erat poteſtas, ſummam quoque con„ſulatus fuiſſe auctoritatem & poteſtatem, & cul„men omnium fuiſſe honorum. Ante conſules „ lictores procedere ſolebant cum faſcibus & ſe„curibus. Quod quum poſt reges exactos face„rent primi conſules, regiamque adeo ſpeciem „ populo exhiberent, ajunt Valerium conſulem, „ cui ex ejuſmodi factis Poplicolæ cognomen „ fuit, inſigni moderatione uſum, ſuſtuliſſe ſe„cures, atque ita metum & terrorem populo dem„ſiſſe; legem præterea feciſſe, per quam pro„vocare liceret ad populum a conſulibus, qua „ lege civium vitæ & libertati proſpicieba„tur. Licet vero conſules nemini ſubjectos fuiſſe „ dicat Tullius, notum tamen eſt, dictaturam „ majorem fuiſſe, eosque dictatori debuiſſe obe„dire. Scimus enim ex Livio, coactos aliquan„do per dictatorem fuiſſe conſules, ut ante tem„pus magiſtratum illum deponerent, atque ita „ novi conſules crearentur, qui viderentur belli „ imminentis molem ſuſtinere, & periculorum „ magnitudinem propulſare poſſe, ſicuti illo mo„do creati fuerunt conſules Valerius Corvinus & „ Attilius Regulus. Conſules initio ex nobilita„te ſola creabantur; poſtea vero non ſine ſumma „ contentione obtinuit populus, ut alter ex ple„be conſul fieret, & dein promiſcue, ſi modo „ viri eſſent ſtirpe clara progeniti, qui honoris „ ejus candidatos ſe profiterentur. Neque tamen „ ſtatim ad conſulatum omnibus gradus compe„tebat, ſed per certos honores illuc adſcendeba„tur. Debebant enim antea fieri quæſtores, dein „ ædiles, in quo magiſtratu maximis ſumtibus, „ in ludos feſtos effuſis, populi favorem quære„bant. Marcus vero Tullius primus fuit, ut in „ quadam Oratione ſua dicit, qui portam ape„ruit, qua ad illum honorem non minus virtuti „ quam nobilitati aditus pateret. Hac quoque „ de cauſſa alibi gloriatur, citius ſeſe conſula„tum petiiſſe quam petere liceret, atque ob„tinuiſſe citius quam ipſe petiiſſet. Conſules ita„que de ſumma rerum cum ſenatu conſultabant, „ ſi vero iisdem mandaret ſenatus, viderent ne„quid detrimenti reſpublica caperet, ſummam „ iidem poteſtatem & auctoritatem accipiebant, „ ut ſatis clare docet Plutarchus in Vita Æmilii „ Paulli. Id vero fieri non ſolebat, niſi in ſum„mo reipublicæ diſcrimine, ut apud Tullium & „ Livium ſæpe occurrere ſolet.

„ De lictoribus vero, de virgis eorundem & „ faſcibus, item de eorum ſecuribus, ut & de via„toribus omnique illorum officio, ita ſcriptum „ reliquit Onufrius Panvinius in Commentariis „ ſuis de Republica Romana. *Lictores miniſtri e„rant regum primo, deinde conſulum, proconſulum, „ prætorum, & proprætorum, & dictatorum; ſed „ dictatoris & conſulis duodeni lictores erant, cæte„rorum ſeni tantum. Hi virgarum faſciculos cum „ ſecuribus ligatos portabant, magiſtratibus præi„bant, ac, quoties juſſi erant, faſciculos virgarum „ ſolventes, primo virgis cedebant damnatum, mox „ ſecuri feriebant.* Livius: *Miſſique lictores ad ſu„mendum ſupplicium, nudatos virgis cedunt, ſecuri„que feriunt. Hos primus inſtituit Romulus, ut Li„vius & Plutarchus auctores ſunt. Dicti autem „ ſunt lictores a ligando, eo quod magiſtratus populi „ Romani, priusquam quempiam verberari juſſiſſet, „ manus a miniſtris illi jubebat ligari. Viatores „ porro dicebantur, qui magiſtratibus parebant, eo „ quod plerumque evocabantur ex agris homines ad „ magiſtratus, & frequens eorum ab agris ad urbem „ via erat,* Columella in præfatione libri primi: *Il„lis temporibus proceres in agris morabantur, & „ quum conſilium publicum deſiderabatur, a villis ar„ceſſebantur in Senatum, ex quo qui eos arceſſebant „ viatores nominati ſunt. Poſtea viatorum nomen „ ad tribunorum & ædilium miniſtros translatum eſt, „ qui illorum juſſu quemlibet prehendebant, nam con„ſulum (ut dixi) proconſulum, prætorum miniſtri „ lictores dicebantur. Livius lib. II. ab urbe condi„ta: Ardens itaque ira tribunus viatorem mittit ad „ conſulem, conſul lictorem ad tribunum. Gellius lib. „ XIII. cap. XII. ex libro XXI. Rerum Humanarum „ Varronis. In magiſtratu (inquit) habent alii vo„cationem, alii prehenſionem, alii neutrum. Vo„cationem, ut conſules, & alii qui habent imperium, „ prehenſionem, ut tribuni plebis, & alii qui habent „ viatorem. Neque prehenſionem neque vocationem, „ ut quæſtores & cæteri, qui neque lictorem habent „ neque viatorem. Hi omnes, ut ſcribæ, accenſi, „ præcones, lictores, viatores, uno nomine adparitores „ vocabantur ſive ſtatores, quod adparerent & præ„ſto eſſent ad obſequium magiſtratuum. Confundi ta„men omnia hæc nomina ex antiquis inſcriptionibus „ animadverti.* Atque hæc ſufficiunt ad indicandum „ miniſterium lictorum viatorumque. Coronæ, „ quæ ſupra faſces cernuntur, ab utraque con„ſulis parte, laureæ ſunt; apud plurimos vero ſcri„ptores propterea *faſces laureati* occurrunt."

Omnia hæc Ericii valde generalia ſunt & parum ad hujus nummi intellectum faciunt, niſi pauca illa quæ in fine adjicit de faſcibus laureatis, de quibus conſuli poteſt Spanhemius.

Vaillantius id, quod figura togata læva tenet, decempedam eſſe exiſtimat, & propterea fingit ſibi, conſulem Cn. Calpurnium cum M. Popillio Lænate A. V. C. DCXIV. quum Italia ipſi obtigiſſet, & provincia pacata eſſet, veteranis agros diviſiſſe, & propterea turribus ornari Romæ, tanquam metropoleos, caput, in parte denarii priore. Verum Cybeles eſt caput, non Romæ, neque decempedam, ſed ſcipionem, vel chartulam forte convolutam læva manu conſul gerit. Is conſul eſt Cn. Calpurnius Piſo, qui primus inter Cneos Piſones conſulatum fuit adeptus. Huic, quacunque de cauſſa, ex ſenatusconſulto ſtatua togata erecta fuiſſe videtur; quæ baſi ſuæ inſiſtens in hoc nummo depingitur. Is vero nummus non ab ipſo Cneo Piſone conſule, vel tempore ejus cuſus fuit, ſed ab illo, qui ſignavit nummum infra num. X. Cneo Piſone, hujus Cnei filio, in utroque enim caput Cybeles turritum & velatum ſignatur.

VI.

Caput Romæ galeatum cum nota denarii; ab altera parte simplex Dioscurorum est typus, & inscriptio *Quintus* PISO *Cai Filius*. ROMA.

Cognoscitur ex inscriptione nummi Q. Piso Caji fuisse filius. Consulatum obtinuit A. V. C. DCXVIII. cum Fulvio Flacco; eoque anno hic nummus profertur a Goltzio in Fastis pag. 143. Cusus videtur in primo ejusdem honore, id est, triumviratu monetali.

VII.

Caput Romæ galeatum cum denarii nota & nomine BESTIA. Ab altera parte Dioscuri sunt in equis. Subscribitur *Lucius* CALPVRNI*us*. ROMA.

Hic est ille Calpurnius Bestia (nisi simplicitas typi antiquiorem faciat nummum) qui pluribus a Sallustio describitur, occasione belli, quod cum Jugurtha, rege Numidarum, gessit. Consul fuit A. V. C. DCXLII. cum Scipione Nasica, quo anno profertur hic denarius a Goltzio in Fastis pag. 154. in triumviratu Bestiæ, ut videtur, cusus.

VIII.

BIBVLVS. Capita Jovis, &, ut videtur, Neptuni jugata: in latere averso, *Marcus* CALPVRN*ius Lucii Filius*. Delphin insistens tridenti, supra caput ejus lauri ramus.

M. Calpurnus Bibulus collega Julii Cæsaris fuit & in ædilitate & in prætura, & tandem quoque in consulatu. Inter collegas istos minime convenit, ut notum est ex Suetonio, quodque minime mirum est, quum contra Cæsaris molitiones reipublicæ partes summo studio foveret Bibulus. Hinc postea, quum res in bellum civile erumperet, Bibulus a Pompejanis rei navali & oræ maritimæ præfectus fuit, & plures sub se legatos habuit. Laudatur ejus cura & diligentia a Dione. Quamdiu enim vixit, & classis imperium obtinuit, Antonius ex Italia ad Cæsarem transvehere milites non potuit. Ita enim scribit lib. XLI. p. 175. Τέως μὲν γὰρ ὁ Βίβυλος ἔζη, οὐδ᾽ ἀπᾶραι ἐκεῖνος ἐκ τοῦ Βρεντεσίου ἐτόλμησε· (τοσαύτη τις φυλακὴ αὐτοῦ ἐγίγνετο) ἐπεὶ δὲ αὐτός τε ἐκκαμὼν ὑπὸ τῆς ταλαιπωρίας ἐτελεύτησε, καὶ τὴν ναυαρχίαν ὁ Λίβων διεδέξατο, κατεφρόνησεν αὐτοῦ, καὶ ἀνηγάγετο ὡς καὶ βιασόμενος τὸν ἔκπλουν. *Etenim quamdiu Bibulus in vivis fuit, ne Brundusio quidem avehi Antonius ausus erat: tantam ille in maritimo officio diligentiam adhibebat: postea vero quam Bibulus tot laboribus miseriisque absumptus obiit, reique navalis administratio ad Libonem devenit, eo despecto Antonius, vel navigationis sibi potestatem paraturus, provectus est.* Intermedio itaque tempore secundam mari Fortunam videtur habuisse Bibulus, unde lauri ramus super caput delphini cernitur. Typus navalem ejus potentiam indicat. Edidit nummum Goltzius ad annum consulatus ejusdem A. V. C. DCLXXXXIV. in Fastis pag. 174. cusus autem fuit eo tempore quo oræ maritimæ præfectus fuit Bibulus, adeoque A. V. C. DCCV. quo obiit Bibulus.

IX.

Caput Jovis barbatum & laureatum, sub quo fulmen, EX *Senatus Consulto* per transversum: in aversa parte, *Lucius* PISO *Lucii Filius* CAESONIN*us*. *Publius* DOLABELLA. Templum quatuor columnarum in conum desinens, intra quod visitur porta, sive janua.

Profertur hic nummus a Goltzio in Fastis pag. 175. ad A. V. C. DCLXXXXV. & consulatum L. Calpurnii Pisonis L. F. L. N. Cæsonini atque A. Gabinii Nepotis. Fuit hic Piso socer Julii Cæsaris, qui illum protexit reum factum repetundarum a P. Clodio. Credidit autem Vaillantius cudisse hunc nummum, quum duumvir esset cum Dolabella ædibus reficiundis; sic enim scribit pag. 217. „ Hic filium habuit L. Calpur„ nium Pisonem, consulem anno 64½ cujus est „ filius L. noster Piso Cæsoninus, qui hunc de„ narium percussit, quum esset duumvir sa„ cris reficiendis ædibus cum P. Dolabella, ob „ restauratum Jovis templum, cujus imaginem „ & fani iconem in rei memoriam expressit: sed „ quis cognomine Jupiter ille sit, non facile „ est pronunciare, quum tot Joves Romæ cole„ rentur, nisi dicamus fuisse Capitolinum. Ad„ est nota, S. C. quod templum sit senatuscon„ sulto resarcitum."

Hæc Vaillantius, verum mihi videtur triumvir monetalis fuisse hic Piso, & cum collega P. Dolabella in magistratu isto denarium hunc signasse, sicuti cum altero collega C. Junio Silano denarium, qui sequitur num. XI. In utroque Jovis Capitolini est caput; fulmen, quod in priori capiti Jovis supponitur, in posteriori supra sellam curulem, ut ejusdem dei symbolum, collocatur. Videtur itaque ornatus aliquis templo Jovis accessisse eo anno, quo triumviri monetales exstiterunt L. Piso Cæsoninus, P. Dolabella, & C. Junius Silanus, & quoniam hi tres conjunguntur, patet illos eodem tempore vixisse, ut qui simul eodem anno triumviratum monetalem gesserint. P. Dolabella agnoscitur consul A. V. C. DCCIX. suffectus Julio Cæsari in magistratu occiso. Alius vero P. Corn. Dolabella P. F. P. N. consul fuit A. V. C. DCCLXII. quo itidem consul fuit C. Junius C. F. M. N. Silanus. Inter Lucios Calpurnios Pisones Cæsoninos primus consul legitur fuisse A. V. C. DCV. secundus, A. V. C. DCXLI. tertius DCLXXXXV. Postremi ex his filiam Calpurniam uxorem eodem fere anno duxit Cæsar. Nullus vero ex his tribus Pisonibus Cæsonianis potuit magistratum una cum Dolabella & Junio Silano gerere. Sed quum tot annorum interstitium sit inter consulatum Pisonis secundi & tertii, patet interjici debere patrem Pisonis tertii, sive ejus, quem socerum, ad potentiam suam firmandam elegit Cæsar. Is vero triumvir cum Junio Silano & P. Dolabella fuisse videtur, &, morte præreptus, vel alia quacunque de causa, non pervenisse ad honores primarios.

X.

Caius ANTISTI*us Cai Filius* CO*n*S*ul*. Caput Cybeles velatum & turritum: ex averso latere, CN*eus* PISO CN*ei Filius*. Ipsa dea, in curru a duobus leonibus tracto, dextra ad pectus, sinistra tympano innixa.

Vulgavit hunc denarium Goltzius ad A. V. C. DCCXXX. in Fastis suis pag. 206. & ad eundem hæc scripsit Ericius pag. 247. „ Romæ cusus „ fuit hic nummus A. V. C. DCCXXX. consu„ libus Cæsare Augusto XI. & Cneo Calpurnio „ Pisone. Fuerat ante eum Augusti in consulatu „ collega A. Terentius Varro Murena, cui in „ magistratu mortuo suffectus fuit Cn. Calpur„ nius Piso, atque consulatu se abdicavit Augu„ stus, qui deinceps statuit abstinere consulatu, „ ut honor ille pluribus communicari posset. Un„ de scribit Dio lib. LIII. *Augustus in Albanum* „ *pro-*

„ *profectus consulatu abdicavit. Nam cum & ipse, „ ex quo Respublica constituta est, & multi alii „ annuos magistratus gessissent, ab eo sibi in poste- „ rum abstinendum esse statuit, ut consulatus pate- „ ret quam plurimis, idque extra urbem fecit, ne „ impediretur, & in sui locum substituit L. Sestium, „ qui Bruti studiosissimus fuerat, atque de ejus etiam „ tum laudibus scribebat.*

„ Caput deæ in parte nummi priore est Cybe- „ les, cujus etiam est currus a leonibus in poste- „ riore nummi parte tractus. Illi forsan deæ ad- „ dictus Piso fuit. Literæ vero illæ C. AN- „ TISTI. C. F. videntur ad triumvirum mone- „ talem spectare. Auli Terentii Varronis, cui „ successit Piso, moneta quoque cernitur argen- „ tea, cum capite Dianæ luna ornatæ, atque „ arcu & pharetra ad humeros. A parte ejusdem „ nummi altera cervum duo veloces persequuntur „ canes, cernitur præterea emissum in feram spi- „ culum. Inscriptio hæc est, A. TERENT. „ VARRO MVRENA. Typus Dianam ve- „ natricem respicit, fuitque eodem hoc anno „ nummus iste signatus."

Ex hisce patet, Ericium credidisse literas COS. quæ post Vestæ caput in parte nummi priore observantur, spectare ad inscriptionem partis posterioris. Vaillantius censet, consule C. Antistio A. V. C. DCCXXII. ludos Megalesios edidisse ædilem plebejum Cn. Pisonem, eaque de caussa isto anno signasse hunc denarium. Non dicam, suspectum esse nummum, utpote Goltzianum, sed ad interpretationem ejus adjuvandam, legi posse, CN*eus* PISO CN*ei Filius Caio* ANTIST*io Cai Filio* CO*nSule* scilicet, ut triumvir monetalis hunc signavit nummum, quum ludi Megalenses ab ædilibus magnificentissime celebrarentur. Id enim typus indicare videtur.

XI.

Caput Jovis barbatum & laureatum: in aversa parte *Lucius* PISO CAESONIVS *Caius* IVNI*us* SILANVS EX *Senatus Consulto*. Sella curulis, supra quam fulmen.

Vidimus jam hujus nummi explicationem supra num. IX. Sella curulis in hoc nummo videtur designare nobilitatem familiarum, ex quibus hi triumviri erant, inter quos nullus erat, cujus vel pater, vel avus, vel proavus non prætorius fuisset, vel consularis. Vulgavit nummum Goltzius in Fastis pag. 211. ad A. V. C. DCCXXXVIII.

XII.

CAESAR AVGVSTVS TR*ribunicia* POT*estate*. Caput Augusti laureatum: in aversa parte, *Lucio* PISO*ne* CN*ei Filio Tito* TAVRO AP*pio* PVLCHRO II VIR*is*. Bos, coloniæ symbolum.

Videntur hi tres, quorum inscribuntur nomina, duumviri fuisse deducendæ alicujus coloniæ. Vulgavit Goltzius nummum in Fastis pag. 222. & credidit pertinere ad illum Pisonem, qui consul fuit factus ab Augusto A. V. C. DCCLII.

XIII.

AVGVSTVS. Caput Augusti nudum. Ab altera parte colonus ducit boves, atque inscribuntur IIvirorum coloniæ, ut videtur, deducendæ nomina, ut & ipsius coloniæ, quæ dicitur CO-L*onia* SEBAS*te*. quæ deducta fuisse videtur a *Lucio* FABATO T*ito* TAVRO *Lucio* PISONE IIVIR*is*. Nummum vulgavit Goltzius in Augusto tabula L.

Colonia Sebaste, vel Sebastana, nulla sub Augusto fuit, utpote demum sub Septimio Severo condita. Sed Sebaste forsitan hic idem est cum Augusta, & sic colonia Cæsarea Augusta, in Hispaniis notissima, innui potest.

Lucii Fabati complures in inscriptionibus occurrunt. Sed Flavius Josephus quendam Fabatum commemorat, Cæsaris Augusti libertum, sive servum, quem interfecerat Sullæus Arabs Lib. Antiq. XVII. cap. 3. p. 832. Is potuit hic Fabatus esse. Nisi nobilioris originis Fabatum in Calpurnia familia quæramus, qui ex proavis fuerit ejus qui socer exstitit Plinii junioris, & qui C. Calpurnius L. F. Ouf. Fabatus adpellatur in Inscriptionibus Gruteri pag. CCCLXXXII. num. 6. Titi Statilii Tauri duo sub Augusto ad consulatum pervenerunt; alter A. V. C. DCCXXVII. alter DCCLXIII. Lucii Calpurnii Pisones eodem tempore plurimi exstiterunt.

CANIDIA.

XIV.

CELER. Caput Apollinis. in aversa parte cornucopiæ, cui alligatus est caduceus per medium quasi decussatim, in imo globus, *Publius* CANIDI*us Publii Filius* CRASS*us*. *Quintus* METEL*lus*.

Vulgavit hunc aureum nummum Goltzius in Fastis suis pag. 189. verum nos jam eundem supra sumus contemplati in familia Cæcilia tab. decima num. XXII. ubi docuimus spectare ad tempora IIIvirorum restituendæ reipublicæ.

XV.

Marcus ANTON*ius* IMP*erator* CO*nSul* DESIG*natus* ITER*um* ET TERT*ium* IIIVIR R*ei Publicæ Constituendæ*. Capita jugata M. Antonii & Cleopatræ. Ab altera parte triremis est prætoria cum inscriptione, *Publius* CANIDIVS CRASSVS LEG*atus Antonii Proprætore*.

P. Canidius Crassus inter Antonianos duces Cleopatræ valde addictus fuit, ejusque partes strenue & astute apud Antonium contra Octaviæ conatus egit. Unde postea Antonio ex vivis sublato, parcere illi noluit Cæsar Octavianus, sed una cum aliis occidi jussit.

Vulgavit hunc nummum Goltzius in Antonio pag. 44.

XVI.

ANT*onius* IMP*erator* CO*nSul* DESIG*natus* ITER*um* ET TER*tium* IIIVIR R*ei Publicæ Constituendæ*. Capita jugata M. Antonii & Cleopatræ. Typus alterius partis & inscriptio similis est præcedenti.

Et hunc ibidem vulgavit Goltzius.

CANINIA.

XVII.

Caput Veneris in corona. Ab altera parte tripus itidem in corona est, cum inscriptione *Caius* CAININI*us* REBILVS IIIIVIR.

Vulgavit nummum Goltzius in Fastis pag. 182. ad A.V.C. DCCVIII. quo scilicet memoriam servaret consulatus inauditi unius tantum diei. Inter quatuorviros monetales antea a Cæsare relatus fuerat, & ad

ad originem Cæſaris indicandam Venerem in nummo expreſſit, tripodem ad innuendum ejusdem pontificatum ſummum.

XVIII.

Capita Julii & Auguſti laureata, L*ucius* LAMIA L*ucii* F*ilius*. In averſa ſella curulis eſt, cui ſuperpoſita ſunt duo aſtra, a dextris ſimpulum, a ſiniſtris lituus, C*aius* CANINI*us* L*ucii* F*ilius* GALLVS.

Habuimus jam hunc nummum inter Goltzianos in gente Ælia, tabula I. num. VIII. ubi vide pag. 484. C. Caninius L. filius Gallus, IIIvir monetalis ſub Auguſto, cum Laurea conſul ſuffectus fuit ex Kal. Jul. A. V. C. DCCLI. quo profertur a Goltzio in Faſtis pag. 222.

XIX.

AVGVSTVS TRIBVNIC*ia* POTEST*ate*. In corona quernea, C*aius* CANINIVS REBILVS III VIR A*uro* A*rgento* Æ*ri* F*lando* F*eriundo*. In area, S*enatus* C*onſulto*.

Filius fuit C. Caninii Rebili conſulis unius diei. Ipſe quoque conſulatum deguſtavit, A. V. C. DCCXLI. ſuccedens in locum Saturnini Rufi, conſulis ſuffecti, qui abdicaverat. Rebilus vero eo anno in magiſtratu fuit mortuus. Nummum ſignavit, quum exſiſteret IIIvir monetalis ſenatus. Vulgavit eundem Goltzius in Faſtis pag. 214.

CARISIA.

XX.

IMP*erator* CAESAR AVGVSTVS. Caput Auguſti nudum. Ab altera parte ſunt arma Hiſpanica tres clypei cum lancea & balteo, atque inſcriptione, HISPANIA RECEPTA. T*itus* CARISIVS LEG*atus*.

De T. Cariſio & ſimilibus armis Hiſpanicis ſatis diximus ad familiam Cariſiam pag. 73. 74. Nummus hic, invenitur tantum apud Goltzium in Aug. pag. 33.

XXI.

IMP*erater* CAESAR AVGVSTVS. Caput Cæſaris Auguſti nudum. Ab altera parte legitur T*itus* CARISI*us* LEG*atus*. & cernitur Victoria componens tropæum, in cujus imo duo ſunt captivi.

Reſpicit hic denarius victorias Auguſti in Hiſpaniis, & tropæum inde erectum, eo tempore, quo legatus ejus ibidem fuit Cariſius.

Hunc quoque nummum vulgavit Goltzius in Auguſto pag. 33.

XXII.

CAESAR AVGVSTVS. Caput Auguſti nudum. Ab altera parte caput muliebre turritum eſt, cum inſcriptione, COL*onia* TOLET*ana* P*ublius* CARISIVS LEG*atus* PRO PR*ætore*.

Coloniæ Toletanæ nullos nummos agnoſcit Vaillantius. Si tamen non fictus eſt hic nummus, coloniam illam conſtituit Auguſtus eo tempore quo P. Cariſius legatus proprætore fuit in Hiſpania.

Vulgavit nummum Goltzius in Auguſto pag. 49.

CARVILIA.

XXIII.

Caput Romæ galeatum, MAXIM*us* in imo; ex altera parte, ROMA. Caſtor & Pollux, aſtris inſigniti, decurrentes in equis, cum haſtis. Adſcribitur SP*urius* CARVIL*us* SP*urii* F*ilius*.

Nummi typus ſimplex eſt. Vide ſequentem.

XXIV.

MAXIMVS. Caput Veneris, in imo, ROMA. in averſa parte SP*urius* CARVIL*ius* SP*urii* F*ilius*. Victoria in bigis, dextra palmam, ſiniſtra habenas tenens equorum.

Ad hunc denarium, quem edidit Goltzius in Faſtis pag. 98. ad A. V. C. DXIX. ita ſcribit Ericius p. 30. „ Romæ cuſus fuit hic nummus „ A. V. C. DXIX. conſule Spurio Carvilio, quo „ tempore de Sardis victoriam retulit, de quibus „ quoque triumphavit. Clare enim demonſtrat „ Zonaras eo anno rebellaſſe Sardos, Corſos, & „ Ligures, & ſcribit idem miſſos cum exercitu „ contra eosdem fuiſſe, conſulem quidem Poſtumium contra Ligures, Sp. Carvilium contra „ Corſos, & P. Cornelium prætorem in Sardiniam. Corſos autem & Ligures, quamvis non „ ſine labore, celeriter tamen fuiſſe debellatos. „ Verum mortuo Cornelio multisque aliis, Carvilium commiſſo prælio multos ex Sardis irato „ animo propter rebellionem occidiſſe; unde eſt, „ quod in Tabulis Capitolinis ſcriptum invenimus, Spurium Carvilium in conſulatu ſuo de „ Sardis triumphaſſe; quod manifeſte quoque hic „ ejus denarius demonſtrat, in cujus parte poſteriore bigas triumphales agit Victoria, palmam dextra tenens, in ſignum debellatorum a „ Carvilio conſule Sardorum. ”

Ego hunc denarium cenſeo cuſum fuiſſe a filio conſularis ejusdem, qui de Sardis triumphavit. Fuerunt enim duo fratres Sp. & L. Carvilii Maximi, ſimul tribuni plebis A. V. C. DXLI. filii, ut temporis ratio poſtulare videtur, ejus Carvilii conſularis, qui, quum ſterilitatis cauſſa repudiaſſet uxorem, quamvis caram ſibi, aliam ſine dubio quærendorum liberorum gratia duxit, atque ex eadem hosce liberos tulit. Spurius patris victoriam in hoc denario expreſſit, quum primum honoris gradum, triumviratum monetalem, capeſſeret. Imo Veneris caput ea de cauſſa in denarii parte priore depinxit, quod oſtendere voluerit, ſobolis quærendæ gratia, non alia de cauſſa, priorem conjugem a patre Carvilio dimiſſam fuiſſe, atque ſic occurreret infamiæ & odio, quod ex eo facto patri adhæſerat. Dionyſ. Halic. lib. II. pag. 96. Κατὰ δὲ τὴν ἑβδόμην ἐπὶ ταῖς τριάκοντα καὶ ἑκατὸν ὀλυμπιάσιν, ὑπατευόντων Μάρκου Πομπωνίου, καὶ Γαΐου Παπυρίου, πρῶτος ἀπολῦσαι λέγεται τὴν ἑαυτοῦ γυναῖκα Σπόριος Καρβίλιος ἀνὴρ οὐκ ἀφανής, ἀναγκαζόμενος ὑπὸ τῶν τιμητῶν ὀμόσαι τέκνων ἕνεκα γυναικὶ μὴ συνοικεῖν· ἦν δ' αὐτῷ στεῖρα ἡ γυνή· ὃς ἐπὶ τῷ ἔργῳ τούτῳ, καίτοι δι' ἀνάγκην γενομένῳ, μισούμενος ὑπὸ τοῦ δήμου διετέλεσεν. *Septima demum ſupra centeſimam & trigeſimam Olympiade, M. Pomponio, C. Papyrio conſulibus, primus dicitur uxorem dimiſiſſe Sp. Carvilius, vir non obſcurus, coactus a cenſoribus jurare, liberorum cauſſa ſe conjugem non retinere: erat enim ſterilis. quem ob hoc factum, quamvis neceſſitate compulſum, in perpetuum exoſus fuit populus.* Valer. Maximus lib. II. cap. 1. exem. 4. *Repudium inter uxorem & virum, a*

a condita Urbe usque ad vicesimum. & quinquagesimum annum, nullum intercessit. Primus autem Sp. Carvilius uxorem sterilitatis caussa dimisit. Qui quanquam tolerabili ratione motus videbatur, reprehensione tamen non caruit. quia nec cupiditatem quidem liberorum conjugali fidei præponi debuisse arbitrabantur.

Præcedens nummus signari potuit a patre in triumviratu suo monetali, & ipse enim quoque Spurii fuit filius.

TAB. XII.

CASSIA.

I.

Caput Jani bifrontis barbatum & laureatum cum nota assis. Ab altera parte prora navis est cum inscriptione, *Lucius* CASSI*us* LONGINUS.

Vulgavit assem hunc Goltzius in Fastis pag. 146. & retulit ad L. Cassium Longinum, qui consul exstitit A. V. C. DCXXVI. cum L. Cornelio Cinna. At quoniam ibidem per literam s. magnitudinem ejus tanquam assis sextantarii describere videtur, censet Vaillantius L. Cassium hunc tempore belli Punici primi esse quærendum ab A. V. C. CCCCLXXXV. usque ad DXXXV. & putat Q. Cassium Longinum quæstorem provincialem A. V. C. DXV. fratrem habuisse prænomine Lucium, qui assem hunc cuderit. Verum ego puto Goltzio non ignotam fuisse istam monetæ imminutionem, & tempus, quo ad sextantem & deinde ad unciam redacti asses fuerunt. Præterea litera s. ut magnitudinis nota omnibus suis assibus a Goltzio adpingitur. Argumentum ita inde desumtum parum firmum videtur esse.

II.

Caput Romæ galeatum: in postica parte, *Caius* LONGIN*us* *Cai Filius*. in imo, ROMA. Victoria in bigis, dextra tenens flagrum.

Hunc denarium in Fastis suis pag. 148. refert Goltzius ad illum Cassium Longinum, qui A. V. C. DCXXIX. cum Sextio Calvino consul fuit. At Vaillantius ad illum, qui A. V. C. DLXXXII. consulatum gessit cum P. Licinio Crasso. Cujuscunque sit, vulgarem bigatorum typum & nihil memorabile præfert.

III.

Caput Veneris, corona myrtea insigne: ex aversa parte, *Lucius* CASSI*us* *Lucii Filius* *Quinti* N*epos* LONGINVS. Sella curulis, supra quam corona itidem myrtea.

Refert Goltzius in Fastis pag. 156. ad L. Cassium consulem A. V. C. DCXLVI. cum C. Morio, illum qui in prælio occisus est. Vaillantius putat pertinere ad filium L. Cassii Ravillæ dicti, quem censet A. V. C. DCXLVIII. ædilem festum diem Veneris Kal. April. celebrasse, & sacra Veneri fecisse &c. Recentiorem ego denarium esse crediderim, & referendum esse ad tempora Julii Cæsaris vel Augusti. Signari enim potuit a L. Cassio L. F. Quinti forsan nepote, qui extremis Augusti temporibus ad consulatum pervenit, dum scilicet tempore triumviratus ejusdem monetalis aliqua ex Veneris ædibus refecta fuit. Sella curulis honores majorum ejus, qui nummum signavit, respicere videtur. Vel Julii Cæsaris tempore cudi potuit a quodam L. Cassio Longino quæstore ejusdem. Fuerunt enim illis temporibus multi Cassii in republica.

CESTIA.

IV.

CAESAR AVGVSTVS TRIBVNIC*ia* POTEST*ate*. Caput Augusti laureatum. Ab altera parte in area senatusconsulti nota est, & in circuitu hæc inscriptio, *Caius* CESTIVS CAMERINVS IIIVIR *Auro Argento Aeri Flando Feriundo*.

Cestius hic pater fuisse videtur C. Cestii Galli consulis sub Tiberio, & avus C. Cestii Galli Camerini, qui temporibus Neronis legatus imperatoris Syriam proconsule obtinuit, & de quo multa apud Tacitum & Flavium Josephum leguntur.

Vulgavit nummum Goltzius in Augusto pag. 65.

CICEREIA.

V.

Caput Romæ galeatum cum denarii nota. Ab altera parte Victoria cernitur in quadrigis, dextra flagrum tenens, læva habenas equorum, subscribitur *Caius* CICEREI*us* *Titi Filius* *Titi* N*epos*. ROMA.

Vulgavit nummum hunc Goltzius in Fastis pag. 131. ad A. V. C. DLXXXI. quo ex Corsica in monte Albano triumphavit Cicereius. Occasione itaque triumphi ejus cusum censet Ericius pag. 89. „ Nummus hic, inquit, cusus fuit Romæ A. V. C. DLXXXI. quo C. Cicereius „ prætor victoriam de Corsis nactus fuit, deque „ iis triumphavit in monte Albano. Scribit e„ nim Livius lib. II. decadis V. pacem rogantibus Corsis datam fuisse. Ipse vero, Corsica sub„ acta, in Sardiniam transiit. Et datus fuit Ci„ cereio senatus in æde Bellonæ, ibique, rebus „ in Corsica gestis expositis, triumphum postula„ vit, qui ubi negatus ipsi fuit, propria aucto„ ritate, quod jam in usum venerat, in monte Al„ bano triumphavit. Hujus triumphi memoriam „ conservat hic denarius, ejusque symbolum Vi„ ctoria est in quadrigis." Hæc Ericius. Recte vero Vaillantius negat propter istum in monte Albano propria auctoritate triumphum publicam pecuniam signatam cum ejus rei testimonio fuisse. Quadrigatos vero & bigatos omnes scimus solitum denariorum fuisse typum. Videtur itaque esse signatus in triumviratu monetali.

VI. *vacat*

CLAVDIA.

VII.

Caput Romæ galeatum: in aversa parte, *A*P*u*-*leius* CLAVD*ius* CRAS*sus*. in imo, ROMA. Vi-

Victoria in bigis, dextra tenens coronam, ſiniſtra equorum habenas.

Vulgavit hunc denarium Goltzius in Faſtis pag. 82. ad A. V. C. CCCCLXXXV. quo de Picentibus triumpharunt conſules & collegæ Appius Claudius & Sempronius Sophus. Ad eundem Claudium retulit Vaillantius, cenſetque anno, quo conſul fuit & triumphavit, ſignatum fuiſſe denarium. Appius Claudius, inquit, antequam „ Cæcus fuiſſet, altero cognomine dictus fue- „ rat Craſſus, quod conſervavit. Is quæ- „ ſturam militarem accepit, anno 475/6. factus eſt „ prætor, 483/4. conſulatum vero iniit cum P. „ Sempronio Sopho, anno 485/6. & denarios argen- „ teos cudi curavit; cum Romæ capite & bigis „ in altera parte, anno ſecundo quo ſignari cœ- „ perunt: nempe ut refert Plinius lib. XXXIII. „ quinto anno ante primum bellum Punicum. „ *Caio*, inquit, *Fabio conſule Romæ ſignatum eſt.*" Si vera hæc ſunt, unus ex antiquiſſimis denariis hic Claudiæ gentis nummus eſt. Sed quum ſimpliciter Appii Claudii Craſſi nomen ſcribatur, neque dignitatis addatur titulus, vereor ut a triumviro monetali Appio Claudio cuſus fuerit denarius. Illi enim nomen ſuum ſimpliciter in nummis ſcribere ſolebant. Itaque non potuit ab illo Appio triumphali ſignari, quum ipſe minorem illum magiſtratum gereret; nam anno poſt ſignatum argentum ad conſulatum pervenit, & longe ante minori honore triumviratus monetalis vel quæſturæ functus fuit. Unde reliquum videtur ut ſtatuamus a poſteris ejusdem ſignatum fuiſſe. Inter quos licet hiſtoria nullos cognomine Craſſos commemoret, fuiſſe tamen nummus, ſi verus eſt, indicare videtur.

VIII.

P*ublius* CLAVD*ius* PVLCHER. Caput Dei Triumphi, pone quod litera T. inter duo puncta: in averſa, M*arcus* FABI*us* C*ai* F*ilius* LICINVS. Navis cum remis.

Conſul fuit P. Claudius A. F. C. N. Pulcher cum L. Junio Pullo A. V. C. DIV. unde conſulatus ejus occaſione illo anno profertur hic denarius a Goltzio in Faſtis pag. 92. Sed non ad illum, ſed filium ejus Publium denarium pertinere cenſet Vaillantius, & cuſum ab illo fuiſſe quæſtore una cum M. Fabio C. F. Licino Dorſone A. V. C. DXXV. occaſione ſcilicet triumphi navalis inſignis, quem eo anno de Illyriis egit conſul Fulvius Centumalus.

IX.

Caput Apollinis laureatum, pone quod ſceptrum. In averſa parte, M*arcus* CLAVD*ius* GLICIA. Navis cum remigantibus.

Non poteſt hic nummus ad alium pertinere, quam ad Gliciam illum, quem, ſcribam ſuum, per ludibrium dictatorem dixit conſul P. Claudius Pulcher, ob rem male geſtam abdicare coactus A. V. C. DIV. ad quem annum hunc denarium vulgavit Goltzius in Faſtis pag. 93. Miſere poſtea periit, in carcere necatus, quod inconſulto conſule Licinio Varo, cujus erat legatus, pacem cum Corſis feciſſet A. V. C. DXVII.

Quo tempore legatus fuit miſſus in Corſicam nummus forſitan ſignatus fuit.

X.

ROMA. Caput Dei Fauni laurea cinctum: in averſa parte, C*aius* CLAVDIVS CENTHO. Sella curulis, hinc caduceus alatus, & inde EX S*enatus* C*onſulto.*

Quartus Appii Claudii Cæci filius fuit C. Claudius Centho. Ad illum itaque hunc nummum referunt antiquarii. Vulgavit eundem Goltzius in Faſtis pag. 102. ad A. V. C. DXXVIII. quo cenſor cum Junio Pera luſtrum XLII. condidit Claudius Centho. Vaillantius cenſet fuiſſe ſignatum in ejusdem ædilitate, in qua Fauni ædem Romæ refecerit. Ego puto poſſe referri ad poſteritatem ejus C. Claudii Centhonis, quæ iſto cognomine a reliquis diſtinguebatur. Aliquis ex illis quæſtor vel triumvir monetalis caput Fauni ſignavit, vel quod Claudii ad antiquos Aborigines nobilitatem ſuam retulerint, vel ædes dei Fauni exſtruxerint vel exornaverint. Caduceus Faunum quoque (ut ex Plutarcho cenſet Vaillantius) reſpicere poteſt, tamquam Mercurii filium, vel inſigniorem aliquam legationem innuere poteſt. Sella curulis familiæ honores denotare videtur.

XI.

ROMA. Caput Romæ galeatum: in averſa Marcellus togatus, dextra trophæum tenens, quadrigas triumphales agit. Additur M*arcus* MARCELL*us.*

Inſignem hunc denarium vulgavit Goltzius in Faſtis pag. 104. atque retulit ad A. V. C. DXXXI. quo triumphans de Gallis Inſubribus & Germanis M. Marcellus, ſpolia opima, duce hoſtium Virdumaro ad Claſſidium interfecto, in triumpho tulit. Typum nummi hisce illuſtratum invenimus apud Ericium pag. 37. „ Cuſus „ fuit hic nummus Romæ, A. V. C. DXXXI. „ conſule M. Marcello, quo ille anno trium- „ phavit de Gallis Inſubribus & Germanis, at- „ que conſul opima retulit ſpolia, occiſo rege „ Gallorum Virdumaro, ut teſtantur Polybius „ & Zonaras. Adjungit Plutarchus in ardore „ pugnæ Marcellum Jovi Feretrio arma Virdu- „ mari voviſſe. Triumphus illi conceſſus fuit, „ cujus his verbis meminit Eutropius, *Marcellus „ cum parva manu equitum dimicavit, & Regem „ Gallorum Virdumarum ſua manu occidit. Poſtea „ cum collega ſuo Cn. Cornelio ingentes Gallorum „ copias peremit, Mediolanum expugnavit, gravem „ prædam Romam pertulit; ac triumphans ſpolia Gal- „ lorum Regis ſtipiti impoſita humeris ſuis vexit.* De iis- „ dem ſpoliis ita ſcripſit Florus, *Galli, Virduma- „ ro rege, Romana arma Vulcano promiſerunt. alior- „ ſum vota ceciderunt. Occiſo enim rege, Marcellus „ tertia poſt Romulum patrem Feretrio Jovi arma „ ſuſpendit.* Et in Epitoma XX. *Inſubres „ aliquot præliis fuſi in deditionem venerunt. M. Clau- „ dius Marcellus Conſul, occiſo Inſubrium Gallorum „ duce Virdumaro, opima ſpolia retulit,* Carmine „ quoque celebravit Virg. lib. Æn. VI. vſ. 855.

„ *Adſpice ut inſignis ſpoliis Marcellus opimis*
„ *Ingreditur, victorque viros ſupereminet omnes.*
„ *Hic rem Romanam magno turbante tumultu*
„ *Siſtet eques, ſternet Pœnos, Gallumque rebel-*
„ *lem,*
„ *Tertiaque arma Patri ſuſpendet capta Qui-*
„ *rino.*

„ Singularia ejus pugnæ habet Frontinus lib. III. „ *M. Marcellus cum in manus Gallorum imprudens „ incidiſſet, circumſpiciendæ regionis, qua evaderet, „ cauſſa, equum in orbem flexit, deinde cum omnia*

„ *eſſe*

„ *esse infesta vidisset, precatus Deos, in medios hostes* „ *irrupit, quibus inopinata audacia perculsis ducem* „ *quoque eorum trucidavit, atque ubi spes salutis vix* „ *superfuerat, inde opima retulit spolia.* Tabulæ „ Capitolinæ eodem nomine decorant. Præ cæ- „ teris vero depingit & oculis conspiciendum ex- „ hibet hunc triumphum hic denarius, in quo „ consul Marcellus cernitur, insistens quadrigis „ triumphalibus, atque manu tenens tropæum, „ ex spoliis opimis, regi Virdomaro detractis, Jo- „ vique Feretrio votis, concinnatum. Plutarchi locum addidit Vaill. pag. 272. *Triumphus fuit reliqua magnificentia, opulentia, spoliis, immanibus corporibus captivorum, cumprimis memorabilis. Verum omnium gratissimum spectaculum & rarissimum ipse fuit dux, qui arma barbari detulit. Ex quercu excelso & recto stipite detruncato paravit in modum tropæi ferculum. Deligavit ex eo & suspendit in orbem spolia, singula apte & decore adnectens. Prægressa pompa, portans ferculum conscendit currum, ac triumphalis imago ipse illius memoriæ pulcherrima speciosissimaque, invectus urbem est.* Inscriptio Tabularum Capitolinarum hæc est,

M. CLAVDIVS M. F. M. N.
MARCELLVS DXXXI. DXXXII. *Varr.*
COS. DE GALLEIS INSVBRIBVS
ET GERMANEIS
K. MAR. ISQVE. SPOLIA. OPIMA
RESTITVIT
DVCE HOSTIVM VIRDOMARO
AD CLASTIDIVM
INTERFECTO

Nummus vel eo tempore a Marcello, magistratu monetali, signatus fuit, vel postea a stirpe & posteris ejusdem.

XII.

Caput Veneris myrtea corona insignitum, M*arcus* CLAVDI*us* M*arci* F*ilius* MARCELLVS. GEMINVS. Adest litera Q. In aversa parte CN*eus* SERVILI*us* P*ublii* F*ilius*. Navis Prætoria cum remis; in imo, ROMA.

Vulgavit hunc nummum Goltzius in Fastis pag. 108. ad A. V. C. DXXXVIII. quo, vitio factus consul, Marcellus abdicavit; sed, quod notari debet, eundem iterum vulgavit pag. 106. ad A. V. C. DXXXVI. quo consul cum C. Flaminio fuit Cneus Servilius Geminus. Inter horum vero nummorum typos hæc est differentia, quod in illo, quem vulgavit p. 106. desit litera Q. quæstores (ut volunt) denotans, & ab altera parte vox ROMA. Sed supra navem ibidem cernitur corolla, quasi victoriæ populi Romani indicium.

Vixisse M. Marcellum & Cn. Servilium Geminum iisdem temporibus patet ex eorundem honoribus, alter enim biennio post alterum consulis nomen tulit. Maluit tamen Vaillantius ad alios referre, qui diu postea vixerunt. De M. Marcello enim sic loquitur pag. 277. Patrem M. „ Claudium Marcellum Otaciliani F. sequitur „ M. Claudius Marcellus filius, cui comes additur Cn. Servilius P. filius Geminus Q. id est, „ Quæstores: Geminus autem cognomen est Serviliorum uno partu genitorum: hi ambo fuere Quæstores urbani anno 604/5 quo tertium „ bellum Punicum susceptum est L. Marcio & „ M. Manilio Consulibus, & quum necessaria „ esset classis in Africam traducenda, quæsto- „ res sumptus ad eam extruendam suppeditarunt, „ in cujus memoriam denarii cum trireme prætoria remis instructa signati fuerint; in cujus „ anteriore parte Venus, ut maris dea & Romanorum tutelare numen, & Carthaginensibus „ adversum, qui Junonem colebant.

„ Post quæsturam M. Marcellus tribunatum „ plebis iniit, anno 609/10 Ædilitatem vero plebis, „ 612/3 Præturam urbanam, anno 615/6 Provinciam sortitus est Africam, anno 616/7 sed in „ navi, Terracinæ propinquus, fulmine conflagravit." De Cneo Servilio P. F. Gemino hæc habet tom. II. pag. 410. „ Ex plebejis Serviliis Geminis, temporis ordo, ad Servilios Geminos patricios nos revocat. Cn. Servilius „ Geminus hic qui denarium cudit, Publium „ habuit patrem, cujus nullos Magistratus reperimus: sed, ut opinamur, avus illi fuit P. Servilius Geminus prætor anno 533/4 cujus pater „ Publius etiam prænomine, Cos. anno 501/2 primus Gemini cognomen tulit in Cæpionum „ Familiam, quum esset uno partu cum fratre „ C. Servilio, ex partu altero Q. Servilio ædile curuli anno 578/9 filio Cneii Cæpionis nominis autore, genitus." Ego puto Goltzii sententiam magis esse probabilem, imo literam Q. in parte denarii anteriore non significare *Quæstores*, sed detritam fuisse literam N. & legendum esse Q*uinti* N*epos*. Talis enim agnoscitur una cum M. Marcello dignitates gessisse, sed ille Vaillantii Servilius fictus est & ad nummum adcommodatus. Et sic Marcellus in hoc nummo memoratus idem ille M. Claudius Marcellus quinquies consul est, cujus denarium, cum triumpho de Gallis & de Virdomaro opimis spoliis, modo contemplati sumus. Gesserunt itaque simul minores magistratus, atque denarios hos videntur signasse, redeunte ex Sicilia classe, atque pace Pœnis magna cum populi Romani gloria concessa. Vide infra numerum sequentem.

XIII.

FLACCVS. Caput Veneris baccis ornatum & redimitum, cum monili. In aversa parte, M*arcus* CLAVDI*us* M*arci* F*ilius* MARCEL*lus*. Q*uintus* FVLVI*us* M*arci* F*ilius*. Caduceus alatus.

In tertio Marcelli consulatu ad A. V. C. DXXXIX. pag. 108. hunc nummum producit Goltzius, ut & pag. 111. ad A. V. C. DXLIV. quo consul fuit Fulvius Flaccus. Patet hinc vixisse eodem tempore & honores iisdem fere annis, minores præsertim, gessisse. Itaque opinor tertium triumvirum monetalem, Q. Fulvium M. F. Flaccum, in hoc denario occurrere; ut illum minorem magistratum simul gesserint Claudius Marcellus, Fulvius Flaccus, & Servilius Geminus. Caduceus signum pacis est. Cusum enim arbitror nummum A. V. C. DXII. quo desiit bellum Punicum primum, & eo anno triumvirum monetalem fuisse Marcellum. Fuit enim juvenis admodum in fine belli Punici primi, ut patet ex narratione Plutarchi in Vitæ ejus initio pag. 298. ubi docemur juvenem adhuc civica & aliis coronis donatum fuisse propter servatum in Sicilia fratrem Otacilium. Quæ de Nemesi habet Vaillantius minus placent, non enim ejus deæ sed Veneris est caput, quod nunc diademate ex margaritis ornatur, modo, in eorundem triumvirorum nummis, myrto vel lauro coronatum fuit.

XIV.

CENTHO. Caput Romæ galeatum. In aversa parte, *Caius* CLAVDI*us* AP*pii Filius*. Castor & Pollux, astris insigniti, decurrentes in equis, dextris hastas gerunt. infra ROMA.

Hic denarius in honorum auspicio cusus videtur a C. Claudio Appii F. C. N. Centhone, qui consul factus fuit A. V. C. DXIII. atque plures in republica magistratus obiit. Vulgavit Goltzius nummum hunc in Fastis pag. 109. ad A. V. C. DXL.

XV.

ROMA. Caput Romæ galeatum cum denarii nota. Ab altera parte celeres bigas agit Victoria, læva flagrum tenens, dextra equorum habenas. Infra scribitur *Marcus* MARCEL*Lus*.

Hunc denarium vulgavit Goltzius in Fastis p. 110. ad A. V. C. DXLII. quo ovationem in monte Albano meruit & peregit Marcellus propter captas Syracusas. Vaillantius vero ad filium ejusdem referendum esse censet. Sed utrumque, in explicatione typi hujus, & qui apud illum præcedit, confundit, & in tabulis ejus perperam ponitur numerus XXIX. pro XXVIII. qui prior poni debet. A quo Marcello tamen cusus sit, incertum est, nam & plures fuerunt Marci Marcelli, & typus ille in denariis vulgaris est, qui inde bigati dicti sunt.

XVI.

Caput Romæ galeatum, pone quod ROMA. In aversa parte, Jupiter in quadrigis triumphalibus, dextra tenens fulmen, sinistra sceptrum & habenas; additur, *Caius* CLAV*dius* NERO. in vertice XXII.

Nota est historia de consulibus Livio Salinatore & Claudio Nerone, qui, deluso Annibale, contra Asdrubalem, ex Hispania cum exercitu venientem, profecti, ducem ipsum cum quinquaginta amplius mille militibus occiderunt. Præclara illa victoria fuit, unde merito crevit animus Romanis & Pœnis terror. Utrique consuli triumphus decretus fuit. Acta hæc omnia sunt A. V. C. DXLVI. quo primum anno auro signato uti cœperunt Romani. Eo vero anno profertur hic denarius a Goltzio in Fastis pag. 113.

De literis numeralibus ita scripsit Vaillantius pag. 258. „ Literæ numerales XX. ad argenti „ pretium, ad denarios conflandos, spectare vi„ dentur: nam, quum his consulibus P. Romanus „ auro signato uti cœpit, argentei nummi ad „ XXII. argenti coctionem, quem nos Gallice „ *carat* adpellamus, constituti fuisse videntur." Verum ego puto ad notas matricum pertinuisse, magnus enim denariorum numerus tunc cusus fuisse videtur, etsi tot veteris ævi monumenta perierint.

In Tabulis Capitolinis hæc leguntur de triumpho consulum.

M. LIVIVS M. F. M. N. SALINATOR
AN. DXLVI. COS. II. DE POENEIS. ET. ASDRVBALE DVCE
C. CLAVDIVS. TI. F. TI. N. NERO. COS
AN. DXLVI. DE. POENIS. ET. ASDRVBALE. DVCE. II. III.

XVII.

Caput Romæ galeatum cum denarii nota. Ab altera parte Victoria est in citis quadrigis, dextra coronam protendens, læva habenas tenens equorum. Subscriptum legitur, *Marcus* MARCEL*lus*. ROMA.

Cernitur hic denarius apud Goltzium in Fastis pag. 118. qui retulit ad A. V. C. DLVII. quo Claudius Marcellus de Comensibus & Insubribus ovationis vel triumphi honorem adeptus fuit. Sequitur Goltzium, ut passim, Ericius, qui ita scribit pag. 63. „ Cusus fuit hic denarius Ro„ mæ A. V. C. DLVII. consule M. Marcello, „ quo anno de Insubribus & Comensibus trium„ phavit. Quum enim Marcello consuli Italia „ provincia obtigisset, Padum transgressus con„ sul, castra metatus fuit in campis Comensi„ bus; castra ibidem habebant Insubres, qui „ Comenses quoque ad arma commoverant. Ubi „ ad prælium ventum est, victi sunt a Marcello, „ qui Comum ipsum occupavit & triginta duo „ castella in deditionem accepit. De iis itaque po„ pulis devictis triumphavit; & historia apud „ Livium invenitur. Hic itaque denarius, qui „ ab altera sui parte quadrigas triumphales habet „ cum Victoria insistente, testis est triumphi „ Claudii Marcelli de Insubribus & Comensi„ bus."

Hæc Ericius. Vaillantius perperam de bigis loquitur; est enim nummus quadrigatus. Non credo autem omnes hos nummos tempore Marcelli cusos fuisse, sed quosdam eorum a nepotibus viri bello clarissimi.

XVIII.

CENTHO. Caput Apollinis laureatum. Ab altera parte Victoria est in citis quadrigis, dextra palmam tenens, læva habenas, cum inscriptione, AP*pius* CLAV*Dius Cai Filius*.

In Fastis suis pag. 130. denarium hunc retulit Goltzius ad A. V. C. DLXXXIX. quo Appius Claudius Centho proprætore ex Celtiberia ovavit. De qua ejusdem victoria ad hunc denarium ita scriptum reliquit Ericius pag. 88. „ Romæ cusus „ fuit hic nummus A. V. C. DLXXXIX. quo „ Appius Claudius Centho proprætore de Celti„ beris in Hispania ovationem meruit. Quum „ enim illi anno præcedenti sorte obtigisset Hi„ spania citerior, feliciter ibi rem gessit, & ho„ norem ovationis meruit. Ea de re sic scripsit „ Livius lib. XLI. cap. 26. *Celtiberi in Hispania,* „ *qui bello domiti se Ti. Gracco dediderant, pacati* „ *manserant M. Titinio prætore provinciam obtinente,* „ *rebellarant sub adventum Ap. Claudii.* Itidem cap. „ 28. *Exitu prope anni diem unum supplicatio fuit ob* „ *res prospere gestas in Hispania; ductu auspicioque* „ *Ap. Claudii Procos.* Addit præterea, *Quum Ap.* „ *Claudius ex Hispania Romam redisset, decrevit* „ *Senatus, ut ovans urbem iniret.* Denique legitur „ ibidem apud eundem, *Comitiis perfectis Ap. Clau*„ *dius Centho ex Celtiberis ovans* &c. Vestigia „ ejus ovationis adparent adhuc in fragmento quo„ dam tabulæ Capitolinæ, ex quo denarii hujus „ typus confirmatur." Eadem fere habet Vaill. at caput dei Triumphi esse putat. Sed ejus dei capilli dependere per cincinnos solent.

XIX.

Caput Romæ galeatum: ante quod corona ex lauro, post denarii nota est. in aversa parte, *Marcus* MARCEL*lus*. in imo, ROMA. Victoria agit quadrigas decurrentes, dextra tenens flagrum.

Vail-

FAMILIA CLAUDIA.

Vaillantius pag. 273. ad num. XXVIII. (qui perperam in tabellis ejus in gente Claudia post illum qui sequi debuit, ponitur, & notatur ibi num. XXIX.) refert hunc denarium ad triumphum Claudii Marcelli in monte Albano post captas Syracusas. Goltzius vero in Fastis p. 133. retulit ad A. V. C. DLXXXVII. quo de Gallis Alpinis & Liguribus triumphavit Marcellus. Sequitur illum Ericius pag. 96. ita scribens: „ Signatus est nummus Romæ A. V. C. „ DLXXXVII. consulibus M. Claudio Marcel- „ lo & C. Sulpicio Gallo. Uterque consul con- „ tra Ligures profectus fuit & de illis triumpha- „ vit. Docent id Tabulæ Capitolinæ. Marcel- „ lo sorte Gallia, collegæ Liguria obvenit, u- „ terque enim tum populus in armis erat. Hinc „ in Epitome XLVI. Liviana ita scribitur: „ *Claudius Marcellus consul Alpinos Gallos, C. Sulpicius Gallos Ligures subegit.* Legimus quoque „ apud Obsequentem hæc verba, *Marcello & Sulpicio consulibus Galli Ligures deleti.* Comprobant id „ quadrigæ triumphales, qui in hoc nummo si- „ gnatæ sunt, Victoriæ quoque typus, & corona „ quæ ante Romæ faciem cernitur; laurea enim „ coronabantur illi qui triumphabant. Cajum „ Sulpicium Gallum, collegam Marcelli, pariter „ vicisse & triumphasse de Liguribus alius nos „ docet denarius, in quo ab altera parte Victo- „ riæ alatæ est caput, sine inscriptione, ab alte- „ ra parte quadrigis triumphalibus cernitur insi- „ stens consul Sulpicius, ramum laureum, more „ triumphantium, manu tenens. Subtus hæc „ est inscriptio, *Caius* SVLPICI*us Cai Filius* „ *Cai Nepos* GALVS. Unde victoria ejusdem „ & triumphus patet. Nummi eodem anno si- „ gnati fuerunt."

Hæc Ericius, quod si ad Syracusas, ut putat Vaillantius, spectaret, aliquod Siciliam spectans symbolum in nummo inveniretur.

XX.

MARCEL*lus*. Caput Romæ galeatum, adest denarii nota. In aversa parte Neptunus in quadrigis, sinistra tenens tridentem, *Marcus* CLAVDI*us Marci Filius*. In vertice, ROMA.

Vulgavit denarium hunc Goltzius in Fastis pag. 137. ad A. V. C. DLXXXXVIII. quo de Eleatibus & Liguribus triumphavit Marcellus. In quo illi convenit cum Vaillantio. Ericii ad hunc denarium hæc est p. 99. nota. „ Consulibus „ M. Claudio Marcello & P. Corn. Scipione „ Nasica signatus fuit hic denarius. Celebratur „ in illo victoria, quam A. V. C. DLXXXXVIII. „ in altero suo consulatu obtinuit Marcellus de Li- „ guribus transalpinis. Marcum enim Marcellum „ vice secunda alterum obtinuisse triumphum clare „ notant Tabulæ Capitolinæ, quem puto in secun- „ do suo consulatu illi obtigisse, & licet non do- „ ceamur inde de quibus populis triumpharit, „ videtur tamen id fuisse de dictis Liguribus, „ quibuscum anno sequenti consul Q. Opimius „ quoque bellavit, qui Nicæam & Antipolin, „ Massiliensium castella, diruit. Quod vero vi- „ ctoriam & triumphum consecutus fuerit Mar- „ cellus, irrefragabilis testis videtur esse hic dena- „ rius, in quo quadrigis triumphalibus insistit „ Neptunus, atque victoria designatur adquisita „ de populo maritimo, ut erant Ligures, qui- „ buscum illi res fuisse videtur." Fuit hic Marcellus M. Claudii Marcelli quinquies consulis ex Marcello filio nepos.

XXI.

ROMA. Caput Romæ galeatum: in postica parte, *Marcus* MARCEL*lus Marci Filius Marci Nepos.* Senator in quadrigis elephantorum, quibus totidem viri insident, sinistra scipionem tenet eburneum, in vertice est corona.

Denarium hunc vulgavit Goltzius in Fastis pag. 138. ad A. V. C. DCII. quo M. Claudius Marcellus, Marcelli illius quinquies consulis nepos, III. procos. de Celtiberis ex Hispania citeriore triumphavit. Scripsit ad hunc nummum magnum commentarium Ericius, in quo plura de triumphis habet; verba ejus Latine ex Italo sermone verso hæc fere sunt. „ Signatus fuit Ro- „ mæ hic denarius A. V. C. DCII. quum III „ consul esset M. Marcellus, atque Celtiberos „ in Hispania vicit, de quibus triumphavit. Suc- „ cessit enim Q. Fulvio Nobiliori, in illo bello „ administrando, prout scribit Appianus. Nar- „ rat quoque Eutropius illum consulem prospe- „ re in Hispania rem gessisse; diciturque idem in „ Liviana Epitome libri XLVIII. universam „ pacasse Celtiberiam. Scribit quoque Strabo „ pecuniam imperasse eundem Celtiberis & ta- „ lenta sexcenta exegisse: ædificasse insuper Cor- „ dubam, atque muniisse. Multa quoque illorum „ oppida subegisse narrat Appianus. Victoria e- „ jusdem & triumphus inde patere potest. Ve- „ rum ex illa provincia eundem triumphasse num- „ mus hic nobis præbet clarum testimonium; a- „ versa enim pars consulem triumphantem exhi- „ bet in elephantorum quadrigis, & victoriæ „ ibidem signum corona laurea in nummi area „ additur.

„ Quoniam vero sæpius in nummis hisce con- „ sularibus explicandis triumphorum & consulum, „ & proconsulum, prætorum & proprætorum „ mentio fit, inutile non erit adtexere ex Flavio „ Blondo quædam, quæ ad istius pompæ solemni- „ tatem pertinebant."

Quæ deinde apud Ericium sequuntur, ex Flavii Blondi Roma Triumphante lib. X. sunt excerpta, ubi inspici possunt, quoniam prolixiora sunt, & liber Blondi in omnium manibus versatur.

Elephantos in nummo signari existimat Vaill. quod secum illos ex Hispania adtulerit, atque iisdem Romæ triumphaverit.

XXII.

Caput Romæ galeatum, pone quod ROMA. ex adverso, PVLCHER. In altera parte Jupiter, dextra quadrigas triumphales agens, sinistra fulmen gerit. Adscribitur, AP*pius* CLAVDIVS AP*pii Filius* AP*pii Nepos*.

Invenitur hic denarius apud Goltzium in Fastis pag. 141. atque refertur ad Appium Claudium, qui A. V. C. DCX. privata auctoritate privatisque sumtibus de Salassis ex Alpibus triumphavit. Quod inter exempla superbiæ gentis Claudiæ ab auctoribus ponitur. Verba Ericii ad hunc denarium pag. 112. & 113. hæc sunt. „ Signatus fuit hic „ nummus Romæ A. V. C. DCX. consule Ap- „ pio Claudio Pulchro, quo victis Salassis, po- „ pulis Alpinis, triumphavit. Galli Salassi enim, „ consulibus Appio Claudio & Q. Cæcilio Me- „ tello, bellum moverunt, ejusque belli occasio- „ nem Strabo lib. IV. scribit fuisse, quod adem- „ tæ illis essent aurifodinæ, unde continuæ lites „ cum præsidiariis orirentur. Belli ejus memi- „ nit Epitome Liviana LII. *Appius Claudius* „ *consul Salassos, gentem Alpinam, domuit.* Rem „ ge-

„ gestam hisce describit Orosius lib. V. cap. 5. „ *Appius Claudius adversus Salassos Gallos conversus, & victus, decem millia peditum amisit. reparata pugna quinque millia hostium cecidit. triumphum propter damna superiora cum non impetrasset; infami impudentia atque ambitione usus, privatis sumtibus triumphavit.* Recte, nam ex „ ærario solebat alias pecunia in triumphi usum „ dari, ut docet Livius in triumpho Minuciano. „ De eodem Claudio Valerium Maximum loqui „ existimo lib. VI. his verbis, *Claudia, virgo Vestalis, quum patrem suum triumphantem e curru violenta tribuni pl. manu detrahi animadvertisset, mira celeritate utrique se interponendo amplissimam potestatem inimicitiis accensam depulit.* Respicit quoque huc Suetonius in Tiberio, *Etiam virgo Vestalis Claudia patrem injussu populi triumphantem, adscenso simul curru, usque in Capitolium prosecuta est, ne vetare, aut interdicere fas cuiquam tribunorum esset.* Cicero quoque in Oratione pro Cælio ita scripsit. *Non virgo illa Vestalis Claudia, quæ patrem complexa triumphantem ab inimico tribuno pl. de curru detrahi passa non est.* Claudii ejusdem mentionem facit Macrobius lib. IV. Saturnal. *Appius Claudius, vir triumphalis, usque ad senectutem Salius fuit.* Privatis igitur sumtibus consul iste de Salassis triumphavit, isque sextus triumphus fuit gentis „ Claudiæ patriciæ, ut Suetonius tradidit; „ triumphique ejus testis est hic denarius triumphi typo signatus."

XXIII.

MAMercus LEPIDus LIVIANus. Caput Concordiæ velatum. In aversa parte, APpius CLAVDIVS APpii Filius PVLCHER. Sella curulis.

De hujus denarii typo jam diximus ad Tab. II. num. primum gentis Æmiliæ inter nummos Goltzianos. Vulgavit nummum hunc Goltzius in Fastis pag. 175. A. V. C. DCLXXXXIX. quo consul cum Domitio Ahenobarbo fuit Appius Claudius Appii filius Appii nepos Pulcher.

XXIV.

EX *Senatus Consulto.* Caput Dianæ cum Luna bicorni supra frontem, pone dorsum est pharetra. In aversa parte, *Marcus* MARCELLus *Marcus* LEPIDVS ÆDILes CVRules. Templum rotundum, in quo ipsa Diana cippo insidet, dextra tenens arcum.

Ædiles curules inscripti in hoc nummo occurrunt M. Marcellus & M. Lepidus. M. Marcellus creditur is esse, qui consul fuit A. V. C. DCCII. cum Sergio Sulpicio Rufo, quo anno quoque producitur hic denarius a Goltzio in Fastis pag. 176. Ædilitatem curulem gessisse creditur cum M. Lepido IIIviro A. V. C. DCCI. quo videtur Dianæ templum fuisse instauratum. Idque, si nummus verus est, ex senatusconsulto in moneta sua, additis ædilium nominibus, expressisse videntur triumviri, qui tum erant, monetales.

TAB. XIII.

I.

Caput Apollinis radiatum: in aversa parte, APpius CLAVDius APpii Filius PVLCHER, Luna bicornis inter septem triones, in imo octavus.

Refertur hic denarius a Goltzio in Fastis pag. 177. & a Vaill. ad Appium Claudium Ap. F. Ap. N. Pulchrum, fratrem P. Clodii, Ciceronis inimici. Censet præterea Vaill. in prætura cusum fuisse, quum Appius Claudius ludos Apollinares ederet. Ego illud non puto, nec a prætoribus cusam monetam fuisse existimo. Illud concessero; quum quotannis prætores ludos Apollinares ex publica pecunia ederent, sæpius publicis inpensis signatos fuisse denarios a triumviris monetalibus, qui denarii exhibuerint typum ludorum Apollinarium, quod in illum usum signarentur; nomen vero adponi triumvirorum a quibus signabantur.

II.

APpius CLAVDIus Cai Filius PVLCHER. VESTA. Caput Vestæ velatum, Marcus TVLLIus Marci Filius CICERO IIII VIR. Templum Vestæ rotundum, cum ejusdem icuncula.

Inter accusatores Milonis, qui P. Clodium interfecerat, ab Asconio Pediano enumerantur duo Clodii ex fratre Cajo nepotes, quorum uterque nomen Appii habebat. Ex his minor natu cum Ciceronis filio videtur quatuorvir monetalis fuisse sub triumviris rei publicæ constituendæ. Videturque eo anno refecta fuisse ædes Vestæ. Non enim video, qua ratione quatuorviris ædibus sacris faciundis tribui possit jus pecuniæ signandæ.

Vulgavit hunc denarium Goltzius in Fastis p. 192.

III.

Caput Apollinis radiatum: in aversa parte, Marcus MARCELLus Marci Filius Marci Nepos AISERNINus. Crescens Luna inter septem triones.

Profert hunc nummum Goltzius in Fastis pag. 206. ad A. V. C. DCCXXXI. quo consul fuit M. Claudius M. F. M. N. Marcellus Æserninus cum L. Arruntio Nepote. Nummum ab eodem in prætura cusum fuisse censet Vaillantius; quod non puto, propter rationes supra ad num. I. prolatas.

IV.

EX *Senatus Consulto.* Caput Jovis laureatum In aversa parte, TIberius CLAVDIus, TIberii Filius NERO. Aquila legionaria inter duo signa militaria.

Hunc nummum, quasi ad Tiberium, Augusti privignum, pertineret, vulgavit Goltzius in Fastis p. 213. ad A. V. C. DCCXL. quo consul fuit cum P. Quinctilio Varo. Goltzium presso pede sequitur Ericius, hanc nummo adcommodans interpretationem pag. 254. „ Signatus „ hic nummus Romæ fuit A. V. C. DCCXL. „ quo consules fuerunt Tiberius Claudius Nero „ & P. Quinctilius Varus. Per paucos vero dies „ consulatum istum retinuit Tiberius, teste Suetonio. Et hic est ille Tiberius Nero, Augusti Cæsaris privignus; qui post ejus mortem „ imperium tenuit, jam ante in illum finem adoptatus. In hujus vero nummi parte posteriore signa militaria cernuntur, & quidem pluribus „ de caussis. Primo, quia (ut in Vita ejus notat Suetonius) reddiderant ipsi signa Parthi, „ quas Crasso quondam abstulerant. Dein quod „ ipse multa sub Augusto bella administraverat, „ Rheticum, Pannonicum, Vindelicum, & Ger-

„ mani-

FAMILIA CLAVDIA.

„ manicum. Postremo Dalmatas quoque subegerat, prout, res gestas ejusdem enumerans, memoriæ prodidit Suetonius in Tiberii Vita cap. IX. *Stipendia prima expeditione Cantabrica tribunus militum fecit: deinde ducto ad orientem exercitu, regnum Armeniæ Tigrani restituit, ac pro tribunali diadema imposuit. Recepit & signa, quæ Marco Crasso ademerant Parthi. Post hæc Comatam Galliam anno fere rexit, & Barbarorum incursionibus, & principum discordia inquietam. Ex hinc Rheticum, Vindelicumque bellum, inde Pannonicum, inde Germanicum gessit. Rhetico, atque Vindelico, gentes Alpinas, Pannonico Breucos & Dalmatas subegit, Germanico quadraginta millia dedititiorum trajecit in Galliam, juxtaque ripam Rheni sedibus adsignatis collocavit: quas ob res, & ovans & curru urbem ingressus est primus, ut quidam putant, triumphalibus ornamentis honoratus, novo, nec antea cuiquam tributo genere honoris.* &c.

„ Invenitur quoque æreus nummus collegæ ejus P. Quinctilii Vari, in quo ab altera parte corona civica cum duobus lauri ramis, & inscriptione OB CIVIS SERVATOS. Ab altera parte in area nummi est senatusconsulti nota, cum literis in circuitu P. QVINCTILI SEX. F. VARVS IIIVIR *Auro Argento Aeri Flando Feriundo.* cusus eo tempore, quo triumvir monetalis erat idem Varus. Hic est ille Quinctilius Varus, qui fædam illam in Germania cladem accepit, atque ibi cum tribus periens legionibus magnum Germanis gloriam reliquit. Hujus Vari clade accepta, & propterea mæsta civitate, distulit triumphum suum Tiberius, quem ipsi de Dalmatis & Illyriis concesserat Augustus. Vari clades in Germania accidit juxta Dionem A. V. C. DCCLXI."

Hæc Ericius, verum longe aliter interpretatur Vaillantius, qui longe antiquiorem facit hunc denarium, atque illum refert ad Tiberium Claudium, Tiberii filium, Publii nepotem. Verba ejusdem p. 258. hæc sunt: „ Tiberius Claudius Nero, Appii Cæci filius, duos habuit filios, nempe Publium natu majorem, a quo originem trahit ipse Tiberius, & Tiberium natu minorem, ex quo Claudius ille censor & triumphalis progenitus est. Tiberius autem, de quo nunc agitur, TI. Filius in denario appellatur, & patrem habuit TI. Claudium Neronem Publii F. consulem, anno 551/2. Is quæsturam provincialem iniit, anno 568/9. Ædilis curulis fuit, cum Quinctio Flaminio, an. 573/4. & tandem præturam peregrinam sortitus est, anno 575/9. & extra ordinem obtinuit ex senatus decreto Pisas cum una legione & sociorum auxilio, uti eam provinciam vicinamque tutaretur. Ille diem, quo sui milites Pisas convenirent, edixit, & ipse paludatus in provinciam est profectus proconsulari cum imperio; non prius vero in illam pervenit, quam monetam pro suorum stipendio percusserit: in anteriore cujus parte Jovis caput, ut Imperii Romani deum tutelarem, exhibuit, cum Senatusconsulti nota S. C. & in altera signa legionis in memoriam illius, quæ ipsi decreta fuerat ex Senatus decreto." Hæc Vaillantio explicatio magis adcommoda ad typi in hoc nummo explicationem esse videtur, quam Ericii explicatio. Verum ego puto a filio ejusdem, Tiberio TI. F. Ti. N. P. PRonepote signatum fuisse. Is enim triumvir monetalis exsistere potuit eo anno, quo Pisas legionem & auxilia deduxit Tiberius pater, & ipse præturam adsecutus videtur A. V. DLXXXVI. quamvis Cai filium fuisse conjiciat Pighius.

V.

CAESAR AVGVSTVS. Caput Cæsaris Augusti laureatum. Ab altera parte tropæum est elegans, in cujus ima parte sedent duo captivi. Subtus scribitur TI*berius* NERO TI*berii Filius* PROCO*nSule*.

Spectat hic denarius triumphum sive ovationem Tiberii Cæsaris ex Illyrico, de Dalmatis, Pannoniis, & Dacis; unde ad A. V. C. DCCXLV. in Fastis pag. 217. profertur a Goltzio.

VI.

SALVS. Caput Salutis laureatum: in aversa parte, TI*berius* CLAVD*ius* TI*berii Filius* NERO. in imo, *Quintus* NONI*us* SEX*ti Filius* ASPRENAS. circa ambitum. Ara supra quam serpens in gyros caput erigit; hinc caduceus, inde spica erigitur.

Licet hunc denarium Goltzius in Fastis p. 217. referat ad Tiberium Cæsarem Augusti privignum, ut & ad Nonium Asprenatem ibidem pag. 219. probabilior tamen est sententia Vaillantii, qui censet ad Tiberii patrem referendum esse denarium, qui & ipse Tiberii fuit filius & Asprenatem alium habuit coëtaneum, atque collegam (ut ipse putat) in quæstura urbana, ut ego, in triumviratu monetali. Putat idem Vaillantius cusum fuisse nummum A. V. C. DCC. quo tota Italia vota suscepit pro Cneo Pompejo Magno, graviter ægrotante, qui, si tunc decessisset in Campania, ubi æger decumbebat, inter felicis & stabilis fortunæ exempla fuisset, neque ludibrium debuisset levitati ejusdem. Hæc sententia a vero aliena esse non videtur. Salutis enim caput, & serpens Epidaurius aræ inpositus, sollicitudinem illam indicare videntur, quam Roma & omnis Italia tunc propter salutem Pompeji habuit, in cujus videlicet salute pacis bona reposita esse judicabant, quæ per spicam & caduceum denotantur. Vide quæ adtulit Vaillantius in gente Claudia p. 259. & in Nonia p. 171.

VII.

IMP*erator* CAESAR AVGVSTVS. Caput Augusti laureatum. TI*berius* CLAVDI*us* TI*berii Filius* NERO CO*nSul* ITER*um* IMP*erator* ITER*um*, Quadrigæ triumphales, supra currum est strobilus pinus arboris.

Aureum hunc nummum vulgavit Goltzius in Fastis p. 218. ad A. V. C. DCCXLVII. quo de Germanis triumphavit Tiberius ipsis Kal. Januariis. Marcus Velserus, vir variæ eruditionis, censet Augustæ Vindelicorum cusum hunc nummum fuisse, propter strobilum, vetus enim ejus urbis insigne est. Quæ conjectura mihi non improbabilis videtur, ut nec Vaillantio p. 261. qui suspicatur veteranos a Tiberio in urbem illam deductos fuisse, quæ inde Augustæ nomen acceperit.

VIII.

CAESAR AVGVR PONT*ifex* MAX*imus*. Caput Cæsaris laureatum, post quod albogalerus cernitur. Inscriptio P*ublius* CLODIVS M*arci Filius* PR*oprætore*. cernitur ab altera parte una cum instrumentis pontificalibus capeduncula, securi, præfericulo, lituo, patera.

Instrumenta illa pontificalia omnia spectant ad Julium Cæsarem, post cujus mortem cusus est hic nummus sub triumviris Antonio Lepido & Cæsare, unde Lepidi caput in sequenti nummo ejusdem Clodii cernitur. Quatuorvir monetalis credi posset, nisi hic nummus proprætoris titulo decorare illum videretur.

Vulgavit nummum Goltzius in Julio Cæsare pag. 15.

IX.

Marcus LEPIDVS IMP*erator* ITER*um* PONT*ifex* MAX*imus* IIIVIR R*ei* P*ublicæ* C*onstituendæ*. Caput M. Lepidi cum præfericulo. Ab altera parte est Mars nudus, dextra hastæ innitens, læva parazonium tenens, & inscriptio, P*ublius* CLODI*us* M*arci* F*ilius*.

Signavit hic Clodius quoque nummos in honorem M. Antonii & Cæsaris Octaviani, uti cerni potest inter Ursinianos nummos. Creditur autem fuisse Clodius Bithynicus ille, qui, finito bello Perusino, flagitante Cæsare, cum aliis, ut pacis victima, fuit interfectus.

Vulgavit Goltzius hunc nummum in Augusto pag. 22.

X.

CAESAR AVGVSTVS TRIBVNIC*ia* POTEST*ate*. Caput Cæsaris Augusti laureatum. Ab altera parte in area nummi nota senatusconsulti est, & in circuitu hæc inscriptio, AP*pius* CLAVDIVS PVLCHER IIIVIR *Auro Argento Aeri Flando Feriundo*.

Appius Claudius hic, qui triumvir monetalis senatus exstitit, videtur fuisse filius Appii Claudii Pulchri consulis A. V. C. DCCXV.

COCCEIA.

XI.

IMP*erator* CAESAR DIVI F*ilius* PONTI*fex* III VIR ITER*um* R*ei* P*ublicæ* C*onstituendæ*. Caput Cæsaris nudum, pone quod lituus: in aversa parte, M*arcus* COCCEIVS NERVA IIII VIR. Tripus, ex quo exsiliunt duo rami astro intermedio.

Habuimus jam hunc M. Coccejum Nervam in tabulis Ursinianis in familia Antonia & Cocceja, in nummo, qui M. Antonii caput ab altera parte exhibet, ab altera L. Antonii. In illo nummo proquæstor provincialis idem hic Nerva dicitur. Quo munere functus fuisse videtur eo tempore, quo bellum Perusinum gestum fuit; illum vero titulus Cæsaris iterum triumviri docet post id tempus quatuorvirum monetalem exstitisse, sub Lepido, Antonio, & Cæsare, hic enim nummus Cæsaris, triumviri iterum, caput exhibet & titulum.

Goltzius in Fastis p. 194. hunc nummum vulgavit ad A. V. C. DCCXVII. quo consul factus cum collega abdicavit.

XII.

AVGVSTO DIVI *Filio* CO*n*S*uli* XI. TR*ibunitia* POT*estate* II. IMP*eratori* VIII. Caput Augusti nudum, M*arcus* COCCEIVS M*arci* F*ilius* NERVA III VIR. circa ambitum. ASI*æ* EV*Ropæ* AFR*icæ* tribus globis inscribuntur nomina. S*enatus* P*opulus* Q*ue* R*omanus* in imo.

Aureum hunc nummum protulit Goltzius in Fastis p. 206. ad A. V. C. DCCXXXI. de quo tempore non sinit nos dubitare adscripta potestas tribunicia. Nummum vero hunc ex museo ducis Arschotani vulgavit Goltzius. Qui signavit, M. Coccejus Nerva, adscripto patris nomine, ostendit se filium esse ejus, qui in bello Perusino proquæstor provincialis, & sub IIIviris quatuorvir monetalis exstiterat. Nobile vero monumentum testantur antiquarii exstare in hoc nummo divisionis orbis terrarum, sive provinciarum qui sub imperio Romano erant, quam hoc tempore instituit Augustus cum senatu Romano. Sibi enim sumsit eas, quæ in extremis imperii Romani erant finibus, atque præsidiis militaribus munitæ erant, reliquas senatui populoque Romano permisit.

CORNELIA.

ASINA. Caput Romæ galeatum. In aversa parte, CN*eus* SCIPIO. Jupiter in quadrigis triumphalibus, dextra equorum habenas, sinistra tenens sceptrum.

Vulgavit hunc denarium Goltzius in Fastis p. 91. ad A. V. C. D. quo eundem cusum scribens Ericius pag. 19. ita rem gestam persequitur. „ A. „ V. C. D. Romæ cusus est hic denarius, quo „ Cn. Corn. Scipio Asina proconsule de Pœnis „ triumphavit. Scribunt enim Polybius & Zo- „ naras, atque Eutropius, Romanos cum instru- „ cta classe CCXX. navium in Siciliam misisse „ consules Cn. Cornelium & A. Atilium, qui „ recuperatis quæ ex priore restabant naufragio, „ classem navium trecentarum collegerunt, atque „ Pœnorum civitatem Panormum obsidione ce- „ perunt. Itaque Cn. Corn. Scipio Asina anno „ insequenti triumphavit de Pœnis, sicuti scri- „ ptum est in tabulis Capitolinis. Triumphus ille „ in aversa denarii parte expressus est, ubi ipse „ Scipio quadrigis triumphalibus insistens expri- „ mitur. "

Hæc Ericius: qui male Scipionem pro Jove accepit, qui sæpe solebat in nummis triumphi testibus exprimi.

XIV.

CAVDINVS. Caput Romæ galeatum: in postica parte, L*ucius* LENTVL*us*. ROMA. Victoria in bigis, dextra flagrum tenet, sinistra habenas equorum.

Inter Goltzianos hic nummus invenitur in Fastis p. 97. ad A. V. C. DXVI. quo L. Corn. Lentulus Caudinus de Liguribus triumphasse refertur ab eodem Ericio, ita scribente pag. 29. „ Romæ cusus fuit hic denarius A. V. C. DXVI. „ sub consulatu L. Cornelii Lentuli, quo tem- „ pore ille victoriam de Liguribus reportavit, de „ quibus triumphavit. Narrat enim Eutropius, „ consulibus L. Cornelio Lentulo & Q. Fulvio „ Flacco bellum contra Ligures gestum fuisse, „ atque legiones Romanas in prælium fuisse e- „ ductas contra Insubres & Ligures, quorum tre- „ decim millia occisi fuerunt, quinque millia „ vivi in Romanorum potestatem pervenerunt; „ atque de iisdem triumphasse consules. Trium- „ phi Cornelii Lentuli memoria in tabulis Capi- „ tolinis hodieque restat. Zonaras vero de eo- „ dem hæc scripta reliquit: *Gallico autem tumul-* „ *tu composito, Lentulus contra Ligures exercitum* „ *duxit, atque iis, qui occurrerunt, victis, castella* „ *etiam*

„ *etiam quædam in ditionem suam redegit.* &c. Liquèt itaque eundem de Liguribus triumphasse, quod hoc ipso nummo confirmatur."

Bigati sive Victoriati vulgares denariorum typi fuerunt, unde ad triumphos inde deducendos non procedit argumentum, & quum plures fuerint L. Cornelii Caudini, difficile est definire ad quem illorum pertineat nummus. Occurrunt certe in historia duo, post Lentulum illum, qui Caudini cognomen, a Caudio Samnitum oppido capto, ad posteros transmisit; consul ille A. V. C. DXVI. ad quem post Goltzium & Ericium Vaillantius quoque hunc nummum refert; & filius ejusdem L. Cornelius Lentulus Caudinus, qui ædilis curulis exstitit A. V. C. DLXIV. cum Servio Sulpicio Galba.

XV.

Caput Jovis barbatum & laureatum: in altero latere, P*ublius* LENTVL*us* L*ucii* F*ilius* CAVDINVS. Ovis in laurea.

Invenitur denarius hic apud Goltzium in Fastis p. 97. ad A. V. C. DXVII. quo consules fuerunt P. Lentulus Caudinus & C. Licinius Varus. Ab eodem hunc nummum cusum fuisse existimat Vaill. sed in quæstura militari. Verba ejus pag. 316. hæc sunt. „P. Cornelius Lentulus Caudinus fuit filius minor L. Lentuli, qui primus Caudini agnomen tulit, & frater L. Lentuli, de quo ad præcedentem denarium diximus. Is quæsturam militarem accepit, anno ⁵¹⁷. & nummus argenteus, cum Jove ab una parte, & ove ex altera, quæstores in exercitu sacra & festa, ut prætores in urbe, curare indicabat; nam ovis cum Jove conjungitur, quod victima sit, quæ huic deo immolabatur. Ovidius id demonstrat.

„ *Idibus alba Jovis grandior agna cadit.*

„ Omnes enim Idus Jovi sacræ erant; & hæc dies, qua aries mactabatur, pro festo a militibus in castris habebatur: qua de re P. Lentulus Caudinus Jovem & arietem, ad denotandum munus suum, & celebratum a se festum, signavit; nisi mavis in prætura."

Verum, sicuti, post principem familiæ Caudinorum, L. Lentuli Caudini duo exstant apud historicos, sic quoque duo Publii Lentuli Caudini. Prior ille est, de quo Goltzius & Vaill. loquuntur, posterior, Publii vel Lucii filius, quem A. V. C. DXLIII. cum P. Scipione legatum in Hispaniam ivisse docet Livius lib. XXVII. Neque video caussam cur priori magis quam posteriori tribuatur. Imo ovis præstantiam velleris & lanæ Hispanicæ denotare potest, corona laurea ad Scipionis res gestas respicere. Unde malim legato Scipionis tribuere, atque credere cusum eo tempore in Hispania fuisse.

XVI.

CAVDINVS. Caput Junonis Sospitæ, sive Lanuvinæ, caprina pelle amictum: in altero latere, L*ucius* LENT*ulus* L*ucii* F*ilius*. C*aius* PAPIRI*us* C*ai* F*ilius* MASO AED*iles* CVR*ules*. Sella curulis, supra quam corona.

Vulgavit hunc nummum Goltzius in Fastis p. 98. ad A. V. C. DXVII. quo censor cum Q. Lutatio Cercone fuit Lentulus Caudinus. Vaillantius refert ad L. Lentuli Caudini ædilitatem A. V. C. DLI. adeoque ad filium ejus ad quem retulerat Goltzius; putatque illum cum collega Papirio fecisse sacra publica populi Romani solennia in honorem Junonis Sospitæ. Verum nimis simplices illorum temporum erant denarii, unde suspectus mihi est, nisi dicamus a posteris, triumviris monetalibus, hanc avorum ædilitatem celebratam fuisse.

XVII.

CN*eus* SCIPIO CALV*us* CO*n*S*ul*. Caput Junonis. In postica parte, L*ucius* VETVRI*us* L*ucii* F*ilius* PHILO AED*ilis* CVR*ulis*. Templum octo columnarum.

Deprehenditur hic denarius in Fastis Goltzii p. 104. ad A. V. C. DXXXI. quo, consule Cn. Scipione Calvo, & ædili curuli L. Veturio Philone, ex multaticia pecunia damnatorum argentariorum hanc ædem Monetæ instauratam fuisse existimat Pighius Annal. tom. II. p. 127. quod adrisit quoque Vaillantio, neque nobis, defectu melioris explicationis, improbatur. Nummus a triumviris monetalibus ejus anni, quicunque illi fuerint, cusus videtur.

XVIII.

Caput Romæ galeatum: in altero latere, P*ublius* SCIPIO ASINA. in imo, ROMA. in vertice, CXIII. Quadrigæ decurrentes aurigante Victoria, quæ dextra palmam, sinistra tenet habenas equorum.

Creditur hic denarius pertinere ad P. Scipionem Asinam, Cn. F. L. N. consulem A. V. C. DXXXII. ad quem annum vulgatur ab Huberto Goltzio p. 104. in Fastis. Ad triumphum ejusdem retulit Pighius, quem putat de Istris rebellantibus debellatis consecutum eundem fuisse. Dubitat Vaill. quoniam citato cursu equi feruntur, quum quadrigæ triumphales lento gradu procedere in nummis soleant. Unde putat solummodo esse ex genere quadrigatorum; neque de Istris, ut tantummodo rebellibus non novis hostibus, triumphasse Scipionem. Quod de quadrigis dicit verum est, sed ad victoriam respicere videtur laureus ramus, quem manu tenet Victoria; si tamen consule Asina cusus sit nummus, & non ab ipso jam ante in triumviratu monetali.

XIX.

Caput Jani bifrontis barbatum: in aversa parte, P*ublius* SCIPIO L*ucii* F*ilius*. in imo ROMA. Navis.

Refertur æreus hic nummus ab antiquariis ad Scipionis Africani & Asiagenis patrem P. Scipionem L. F. L. N. Unde illum in Fastis p. 106. vulgavit Goltzius ad A. V. C. DXXXV. quo consul fuit cum Tiberio Sempronio Longo. Bello Punico secundo, dum Annibal Italiæ visceribus inhæreret, magnas res in Hispania cum fratre Cneo Scipione gessit, verum ambo Scipiones ibi tandem occuberunt, ut notum est ex Livio aliisque.

Quæstor urbanus vel triumvir monetalis in primo honorum initio assem hunc sextantarium signasse videtur.

XX.

Caput Apollinis laureatum: ex aversa parte sella curulis, supra quam corona, M*arcus* CETHEGVS. EX S*enatus* C*onsulto*.

Vulgavit denarium hunc Goltzius in Fastis p. 111. ad A. V. C. DXLIII. quo censor cum collega P. Sempronio Tuditano XLIV. lustrum condiderat, quamvis neuter illorum adhucdum consularis esset. Ad ejus filium refert Vaillantius, & putat

tat in praetura ejusdem cusum fuisse A. V. C. DCXXXIII. quod si verum est. Ludos Apollinares ab illo sumtibus publicis celebratos triumviri monetales illius anni pro argumento denarii sui elegerunt.

XXI.

EX *Senatus* C*onsulto*. Caput Neptuni laureatum, pone quod tridens. In aversa parte, P*ublius* SCIPIO P*ublii* F*ilius* PR*o*CO*n*S*ule*. Navis, in cujus puppi stat paludatus & galeatus Scipio, pone quem aquila legionaria, ipse dextram porrigit feminae turritae, sinistra spicas duas sublimes, & temonem submissum tenenti.

Quum nummum hunc in Fastis pag. 113. retulisset Goltzius ad A. V. C. DXLVIII. quo consul cum P. Licinio Crasso Divite fuit iste Scipio, Ericius, qui nimis presso pede solet sequi Goltzii tabellas, sive annum quo nummos suos ponere solet Goltzius, quamvis eo anno non cusos, ad illustrationem typi & inscriptionis haec scripta reliquit pag. 44. & seqq. „ Romae cusus fuit hic denarius A. V. C. DXLVIII. consule P. Cornelio Scipione, quo tempore extra sortem expeditio Africana illi demandata fuit cum titulo proconsulis, ex qua devicta Africani cognomen retulit. Teste enim Livio & tabulis Capitolinis, consules creati fuerunt P. Scipio & P. Licinius Crassus Dives. Verum jam ante A. V. C. DXL. aedilis curulis creatus fuerat ante legitimam aetatem. Postea A. V. C. DXLII. extra ordinem cum imperio in Hispaniam missus fuerat, ex qua provincia reversus consulatum fuit consecutus. Consuli Scipioni itaque extra sortem Sicilia adsignata fuit cum triginta navibus rostratis, dataque illi fuit libertas in Africam transeundi, si illud ipsi e republica videretur. Quum igitur constituisset Scipio transire in Africam, civitates subditae, & amicae imperio Romano, singulae pro facultatibus suis frumentum & alia ad exercitus usum necessaria contulerunt. Erant illae Etruscorum, Ceritanorum, Populoniensium, Tarquiniensium, &c. Ab iisdem accepit, quae ad rei nauticae usus spectabant, & ad naves contra Carthaginenses fabricandas. Quum itaque perfectae essent carinae XXX. navium XXX. quinqueremium, & X. quadriremium, Scipio praesentia sua ita opus ursit, ut quadragintaquinque diebus, quibus caesa in sylvis erat materia, tectae, armatae, omnibusque rebus necessariis instructae naves fuerint, atque in pelagus deductae. Profectus itaque in Siciliam cum triginta navibus longis septem fere millia eorum, qui ultro ejus militiam secuti erant, navibus ibidem imposuit. A parte Carthaginensium, Mago, Amilcaris filius, eodem tempore solvit ex minore Balearium insula, ubi hiemaverat, & imposita navibus magna juventutis vi, quam ibi collegerat, cum triginta rostratis navibus, multisque onerariis, in Italiam transiit, atque exposuit ibidem duodecim millia peditum & duo millia equitum; factaque subita impressione Genuam occupavit, quum nemo illos ibidem aditu prohiberet. Poeni, ubi Scipionem cum exercitu venturum in Africam didicerunt, duces quoque suos cum exercitibus miserunt in Italiam, quo minus, occupati ibidem, in Africam trajicerent Romani. Scipio vero, ubi in Africam venit, milites suos voluntarios divisit per ordines, iisque centuriones praefecit. Delectum deinde fecit universae juventutis Siculae, collegitque trecentos ejus insulae nobilissimos & ditissimos, quos secum in Africam deduceret, diemque constituit, quo cum armis & equis ad locum praestitutum adessent. Legiones deinde percensuit, atque selegit ex illis milites veteranos, qui olim sub Marcello militaverant, illique in expugnandis Syracusis adfuerant, quasi jam tum Carthaginis ruinam animo versans. Veteres deinde naves refecit, cum quibus praedas agere in Africa Laelium jussit. Itaque, quietis tunc in Hispania rebus, omnis belli procella in Africam incubuit. C. Laelius, quum nocte adpulisset Hipponem Regium, milites suos exposuit & late praedas agere jussit. Illi omnia plena opulentiae invenerunt longa pace & securitate florentibus agris. Unde onusti praeda redierunt. Haec ubi Carthagine audita sunt, ingens ubique tripidatio, quum Scipionem, quem vix transgressum audierant in Siciliam, perciperent jam ipsam vastare Africam, & quotidie ante portas exspectarent. Adtollebat enim (ut solet) cuncta in majus fama, quum neque numerus navium, neque magnitudo exercitus Romani illis cognita esset. Tanta fortunae erat mutatio, ut qui modo Italiae universae & ipsius Romae dominationem speraverant, diffiderent posse bellum a patria & penatibus repelli. Copiose illa cuncta descripsit Livius, ex quo summatim collegi, quae ad transitum Scipionis in Africam spectabant, atque ad Laelii cum classe adventum, qui omnia Carthaginensis ditionis loca late vastabat & depraedabatur.

„ Isto igitur anno, quo consul fuit Scipio, signatus fuit hic nummus, quum hae res in Africa a Romano imperatore gererentur. Caput enim Neptuni cum tridente, quod a parte nummi priore est, expeditionem illam navalem in Africam designat. Idem innuit rostrum navis, quod a parte posteriore cernitur. Cernitur insistens navi Scipio imperator, etiamnum juvenis, vix enim annos viginti quatuor erat natus, post illum signum erigitur militare. Figura vero muliebris, quae stat ex adverso Scipionis, ipsa Africa est, facile ex spicis, fertilitatis typo, cognoscenda. Temonem laeva tenens, dextram manum Scipioni porrigit, quasi brevi dominum illum agnitura, postquam subegisset hostes, prout brevi post magna cum gloria Scipionis, & fortuna populi Romani fuit factum." Haec Ericii est explicatio; sed commodius a Vaillantio tempus cusi denarii refertur ad A. V. C. DLII. & typus ejusdem ad pacem, quam Carthagini Scipio & Romani concesserunt. Verba Vaillantii, quoniam egregie eundem typum illustrant, adscribam. Exstant apud eundem p. 310. „ Siciliam consul obtinuit, prorogatumque ei anno ⁵⁴⁹/₅₅₀ imperium, & in Africam trajiciendi potestas. Ubi Annibalem vicit, ad pacem compulit Carthaginem, anno ⁵⁵¹/₅₅₂ cujus testis nobis insignis est hic denarius, ex senatusconsulto impressus, in quo paludatus Scipio dextram porrigit supra navim urbi Carthagini. Ille galea insignis, ut victor, & in puppi; pone eum aquila legionaria, Romanorum insigne. Ipsa turrito capite est, ut solent exhiberi celebres, & quasi aliarum patronae urbes, sinistra spicas, ad denotandam soli sui fertilitatem, & temonem, ad indicandum ad mare situm. Caput Neptuni impressum est, ad arguendum maris imperium penes

„ esse

„ esse Romanos per hanc pacem, quum solum „ decem triremes habere deberet."

XXII.

ROMA. Caput Romæ galeatum. *Publius* SCIPIO *Publii Filius Lucii Nepos* PR*o*CO*n*S*ule*. Togatus, quadrigis triumphalibus vectus, dextra tenet habenas, sinistra ramum olivæ.

Pertinet hic denarius ad insignem illum P. Scipionis de Pœnis, Annibale, & Syphace, Numidarum rege, triumphum. Egit illum P. Scipio, qui exinde Africanus fuit dictus A. V.C. DLII. quo adfertur a Goltzio hic nummus, in Fastis p. 116. Longam super hoc nummo notam habet Ericius, & quæ undecim implet paginas, in opere suo Italico pag. 47. quæque continet belli illius historiam, & pugnæ in Africa eventum, quæ omnia quum melius in ipsis legantur fontibus, ex quibus hausta sunt, illuc lectores remittimus.

XXIII.

Caput Romæ galeatum, pone quod ROMA. in aversa parte stat senator in quadrigis triumphalibus, qui dextra regit equos, sinistra tenet lauri ramum, Victoria per aëra volitans, ei coronam porrigit; additur *Lucius* LENTVLVS *Lucii Filius Lucii Nepos*.

Vulgatur hic denarius a Goltzio in Fastis pag. 116. ad A. V. C. DLIII. quo Cornelius L. F. L. N. Lentulus, proconsule ovans ex Hispania citeriore, urbem est ingressus. Eodem anno cusum adserit Ericius, & hæc addit p. 59. „ Livius lib. I. quartæ decadis scribit, proconsulem ex Hispania rediisse L. Cornelium Lentulum; atque exposuisse res ibidem per plures „ annos continuos fortiter gestas, atque triumphi rogasse honorem. Senatui res gestas dignas quidem vissas fuisse triumpho, sed quoniam ipse neque dictator, neque consul, neque prætor fuisset, in illam provinciam proconsulari cum imperio missus, denegasse triumphum, sed concessisse ovationem. Quod ipsum quum impedire conaretur tribunus plebis Titus Sempronius Longus, ut & ipsum contra receptam consuetudinem, patrum sententia vicisse, cessisse vero tribunum, atque ovantem Romam ingressum Lentulum fuisse. Magnam secum prædam adtulit, quam ibidem enumerat Livius, atque singulis militibus CXX. asses divisit. Illam itaque ovationem, Romæ cusus A. V. C. DLIII. hic denarius exhibet, sculptæque in illo quadrigæ, quibus insistit Lentulus triumphans, lauri ramum manu tenens, adestque advolans Victoria rei præclare in Hispania gestæ testis."

Hæc Ericius, verum recte docet Vaillantius, ovantes nequaquam quadrigis in urbem fuisse invectos, unde pro denario contra Livium pronunciat p. 322. & triumphum egisse putat. Quod ego sane Goltziano huic nummo nequaquam largiendum existimo.

XXIV.

Caput Jovis Capitolini barbatum in laurea: in averso latere Victoria, tropæo coronam imponit, & sinistra palmam gerit. Subtus ROMA. in medio *Caius* CETHEG*us*.

Quinarius est, ut patet ex nota literæ β. a Goltzio adposita, quod non monerem, nisi pag. 317. denarium nuncuparet Vaillantius. Censura hujus Lentuli vitiose ibidem editur A. V. C. DXLIX. sive DL. quum debeat reponi DLIX. & DLX. Testem triumphi hujus C. Cornelii Cethegi quinarium hunc vulgavit Goltzius in Fastis p. 118. ad A. V. C. DLVI. & de ejus sensu sic scribit Ericius p. 61. „ Signata fuit hæc moneta Romæ A. V. C. „ DLVI. consule C. Cornelio Cethego, qui de „ Gallis Insubribus & Cenomanis triumphavit. „ Rebellarant enim contra Romanos Galli cisalpini. Utrique itaque consuli duæ legiones eo anno „ adsignatæ sunt, ut ad obsequium eos redigerent. „ Statim contra Insubres movit Corn. Cethegus, „ qui jam una cum Cenomanis ad arma concurrerant. Alter consul Q. Minucius versus aliam Italiæ partem profectus fuit; atque ad „ Januam admoto exercitu contra Ligures rem „ gessit. Quibus ad obsequium redactis Boiis bellum movit. Iterum bello quoque Insubres & „ Cenomanos vicerat collega ejus Cethegus; unde Cornelio consuli triumphus communi consensu decretus fuit; alter consul spe triumphi „ legitimi dejectus, obversantibus patribus, „ triumpho in monte Albano contentus fuit, „ quod consul facere poterat & jam in morem „ & consuetudinem abierat. Atque ita in magistratu suo triumpharunt; C. Cornelius Cethegus de Insubribus & Cenomanis, alter vero „ consul Q. Minucius de Liguribus & Boiis, sed „ in monte Albano. Testantur id Livius atque „ Zonaras. Cornelium triumphasse nummus hic „ quoque testatur, qui ab altera parte habet tropæum de populis scilicet, devictis, quod pro „ more coronat Victoria. Sed & Q. Minucii „ triumphum alter denarius testatur, in quo ab „ altera parte Romæ galeatum caput solito more „ exprimitur, cum inscriptione RVFVS. Ab „ altera parte sunt bigæ, quibus insistit Victoria, „ quæ dextra manu coronam protendit. Subtus „ scribitur *Quintus* MINVCI*us Quinti Filius*. „ ROMA. Qui nummus triumphum Minucii „ de Liguribus & Boiis testatur."

Hæc Ericius; sed si solitus quinariorum talis solet esse typus, ut passim videmus, & ad alium Cethegum spectare potest, & quacunque de causa signari. Ericio consensit Vaillantius.

TAB. XIV.

I.

Caput Jani bifrontis barbatum: in parte postica, *Caius* CETHEG*us Lucii Filius*. in imo ROMA. Navis.

Assem hunc ad eundem C. Cethegum refert Vaillantius, censetque ex manubiali pecunia a quæstoribus ejus anni cum nomine Cethegi fuisse signatum. Sed nihil impedit, quo minus credatur ipse jam ante in quæstura vel triumviratu monetali eundem signasse.

Vulgavit Goltzius in Fastis pag. 119. ad A. V. C. DLIX. quo censor fuit cum Sexto Ælio Peto Cato.

II.

EX *Senatus Consulto*. Caput Fidei. Ex aversa parte in imo, *Lucius* MERVLA *Lucii Filius*. circa ambitum, *Publius* VILLIVS TI*berii Filius* TI*berii Nepos* TAPPVLVS. Sella curulis, supra quam corona erigitur.

Refert Vaillantius hunc denarium ad A. V. C. DLIV. quo statuit Merulam prætorem urbanum fuisse, consule P. Villio Tappulo, licet Livius anno serius eundem factum fuisse prætorem scribat. Censet

set itaque pertinere ad detectam illo præturæ ejus anno conjurationem, qua de obsidibus Pœnorum liberandis, & pluribus occupandis urbibus consilia agitabantur. Et ideo Fidei caput signari, sellam vero ad munus prætoris respicere. Nisi obloqueretur Livius commoda esset interpretatio. Verum simul triumviri monetales exsistere potuerunt Tappulus & Merula, ut qui eodem fere tempore reliquos gesserunt honores. Deæ caput Fidem populi Romani respicere potest, sella curulis majorum honores.

Goltzius publicavit denarium in Fastis pag. 120. ad A. V. C. DLX. quo consul Merula fuit cum Q. Minucio Thermo.

III.

NASICA. Caput Romæ galeatum, & palmæ ramus: in averso latere, *Publius* SCIPIO CN*ei Filius*. Victoria in bigis, dextra coronam, sinistra tenet habenas equorum.

Vaillantius p. 313. num. XV. censet cusum fuisse hunc denarium a Scipione Nasica, dum quæstor esset militaris, quam illi quæsturam adsignat A. V. C. DLXXXX. sed Goltzium (qui in Fastis p. 121. ad A. V. C. DLXII. vulgavit hunc nummum) secutus Ericius, censet esse monumentum victoriæ quam de Boiis Gallis eo anno retulit P. Cornelius Cn. F. L. N. Scipio Nasica consul. Idem p. 64. 65. 66. pluribus bellum id describit, quæ melius apud ipsos scriptores legi possunt. Certe lauri ramus, ante Romæ caput positus, & Victoria ipsa lauream protendens, docere videntur victoriam aliquam fuisse relatam eo anno, quo nummus hic est signatus.

IV.

Caput Romæ galeatum CETHEGVS: in aversa parte, *Publius* CORNEL*Ius*. in imo, ROMA. Neptunus in quadrigis decurrentibus, dextra tenens tridentem.

Denarium hunc vulgavit Goltzius in Fastis p. 126. ad A. V. C. DLXIII. quo P. Cornelius L. F. P. N. Cethegus proconsule de Liguribus triumphavit. Eo itaque anno cusum hunc denarium fuisse scribit Ericius p. 81. post victoriam ejus atque triumphum de Liguribus. „Quum „enim (inquit) cum collega suo M. Bæbio ex„ercitum eduxisset contra Ligures Apuanos, „Ligures illi, qui ante consulum in istam pro„vinciam adventum bellum non viderant, subito „oppressi fuerunt, captaque sunt fere duodecim „hominum millia. Reducentes itaque Romam „exercitum veterem consules triumphum impe„trarunt; fueruntque primi ex omnibus qui si„ne justo belli certamine triumpharunt, capti„vis tantum ante currum ductis. Livius ejus „victoriæ mentionem fecit. De hoc Bæbio „quoque Florum esse intelligendum putem, „quando dicit, *Ligures Bæbius in plana deduxit.* „Ejus quoque Bæbii Tampili denarius exstat, qui „a priore parte habet caput Romæ galeatum, cum „denarii nota & literis TAMPIL*us*. A parte altera „quadrigæ sunt triumphales, insistente Jove, „qui dextra manu fulmen tenet, læva arcum. „Subtus hæc legitur inscriptio, *Marcus* BAE„BI*us Quinti Filius*. ROMA. Qui nummus „eodem anno Romæ cusus fuisse videtur. Fue„runt enim collegæ in consulatu & triumpho, il„lorumque triumphos denarii testantur."

Notat insuper Vaillantius Jovem a Bæbio fuisse expressum, tanquam is mediterraneos Ligures profligasset, Neptunum a Cethego, tanquam is littorales subegisset.

V.

CN*eus* SCIPIO *Lucii Filius*. Capita Jovis & Ditis jugata: in aversa parte, HISPALVS. Cybele capite turrito sedens, dextra tympano supra genu imposito innixa, sinistro brachio supra sellam, ante pedes ibis.

Vulgavit hunc denarium Goltzius in Fastis p. 129. ad A. V. C. DLXXVII. quo consul Scipio cum Quinto Petilio Spurino fuit, & in magistratu est mortuus.

Typum hunc Vaill. ad ludos Megalenses pertinere existimat, & ante Cybeles pedes ibi navem effingi, quod navis Isidi sacra sit, & Cybele & Isis eadem sint numina. Saturni vero uxor credebatur, & inde filios ejusdem Ditem & Jovem exprimi putat.

VI.

Marcus CORN*elius Cai Filius Cai Nepos* CETHEGVS. Caput Deæ Nemeseos. In aversa parte, EX *Senatus Consulto*. Aquila legionaria, inter duo signa militaria, in laurea.

Produxit Goltzius hunc denarium ad A. V. C. DLXXXXIII. quo consul fuit cum L. Anicio Gallo hic Cethegus. Opinatur vero Vaillantius signatum fuisse nummum A. V. C. DLXXXI. in quæstura militari hujus Cethegi, quo bellum Macedonicum secundum exortum est, contra regem Perseum. In cujus belli adparatu quum quatuor novæ legiones ex senatusconsulto decretæ fuerint consulibus, per aquilam & signa militaria auctus ille militum numerus exprimitur.

VII.

Publius SCIPIO. ROMA. Caput Romæ galeatum. In aversa parte, AIMILIAN*us* AFRICAN*us*. Victoria, tropæo porrigens coronam, sinistra palmam gerit.

Hic denarius nobilissimum continet typum finiti belli Punici tertii, & dirutæ Carthaginis. Victoris nomen inscribitur. Fuit is filius Æmilii Paulli, qui Macedonas & regem Perseum devicit. Sed a filio Scipionis Africani adoptatus, P. Scipio Africanus Æmilianus dictus fuit. Denarium hunc, ejus res gestas in Africa continentem, vulgavit Goltzius in Fastis pag. 140. ad A. V. C. DCVII. quo de Pœnis & Asdrubale triumphavit. „Hujus expeditionis (inquit Eri„cius pag. 108.) atque per quem facta fuit, „P. Cornelii Scipionis, Africani nepotis, men„tionem facit Eutropius lib. IV. his verbis: „*Tertium deinde bellum contra Carthaginem susci„pitur* DC. *& altero anno ab urbe condita, L. Mar„tio Censorino, & A. Manlio Coss. anno* LI. *post „quam secundum Punicum bellum transactum erat. „Hi profecti, Carthaginem oppugnaverunt. Con„tra eos Hasdrubal, dux Carthaginensium, dimica„bat. Famea dux alius equitatui præerat Cartha„ginensium. Scipio tunc, Scipionis Africani nepos, „tribunus ibi militabat. Hujus apud omnes ingens me„tus & reverentia erat, nam & paratissimus ad di„micandum, & consultissimus habebatur. Itaque „per eum multa prospere a Coss. gesta sunt. Neque „quidquam magis vel Asdrubal vel Famea vitabant, „quam contra eam Romanorum partem committere, „ubi Scipio dimicabat. Per idem tempus Masinissa, „rex Numidarum, per annos LX. fere amicus po„puli Romani, anno vitæ suæ* XCVII. *mortuus „est,*

„ *est.* XLIV. *filiis relictis. Scipionem divisorem* „ *regni inter filios esse jussit. Cum igitur clarum Scipionis nomen esset, juvenis adhuc Cos. est factus;* „ *&, contra Carthaginem missus, eam cœpit, ac diruit. Spolia ibi inventa, quæ de variarum civitatum excidiis Carthago collegerat, & ornamenta urbium, civitatibus Siciliæ, Italiæ, Africæ reddidit,* „ *quæ sua recognoscebant. Ita Carthago septingentesimo anno postquam condita erat, deleta est. Scipio nomen, quod avus ejus acceperat, meruit, scilicet ut propter virtutem etiam ipse Africanus junior vocaretur.* Hactenus Eutropius. Addunt „ scriptores, uxorem Asdrubalis ducis, quum „ justas pacis conditiones a victore accipere nequiret, fortunæ suæ cedentem, pro fortuna „ rerum & tempore sese exornasse, correptisque tribus parvulis suis filiis, in flammas insiliisse, „ atque paullo post maritum Asdrubalem ad „ voluntariam mortem sese dedisse. Civitatem interim per septemdecim dies integros arsisse scribit „ Orosius. Hisce peractis, navem spoliis ornatam „ Romam misit Scipio, quæ victoriæ perferret „ nuncium; atque alteram in Siciliam, tempus „ venisse dicens, quo recuperare possent ea, „ quæ quondam Carthaginem ex Sicilia avexissent Carthaginenses. Sacrificia postea fecit & „ ludos, in quibus fugitivos, quotquot nancisci „ potuit, bestiis objecit. Prædam deinde militibus divisit, excepto auro, argento, & nobilioribus statuis. Magnum Romæ fuit gaudium audita Scipionis victoria; decretæ sunt „ supplicationes diis immortalibus, sacrificia, item „ ludi & alia id genus. Ex more deinde decem „ legati in Africam missi sunt, qui una cum Scipione Africam provinciam constituerent. Mandatum iisdem fuit, ut reliquiæ quoque Carthaginis destruerentur, & arces atque oppida, quæ „ Carthaginem adjuverant, exscinderentur, præmia „ vero & agri distribuentur illis, qui in belli venerant societatem. Quibus omnibus peractis, deducto ex Africa exercitu, Romam rediit Scipio, „ atque res gestas exposuit, & ex omnium votis de „ Carthagine & Asdrubale triumphum egit, propter auri argentique copiam, statuarum & simulacrorum artem, aliaque ornamenta, longe „ pulcherrimum. Scribit Plinius lib. XXXIV. „ magnum pondus argenti in ærarium ab ipso repositum fuisse. Atque ita, Africa & Carthagine subacta & destructa, Africani cognomen, „ quod jam ante habuerat, meruit, dictus deinceps P. Cornelius Scipio Africanus Æmilianus. „ Scipionem vero eodem anno de Carthagine „ triumphasse literis quoque prodidit Plinius lib. „ XXXV. ubi testatur L. Mancinum eo tempore, quo triumphum suum egit Scipio, proposuisse in foro pictam Carthaginis formam & „ belli facinora. Macrobius quoque in Somnium „ Scipionis lib. II. dicit, Scipionem destructa „ Carthagine triumphasse A. V. C. DCVII. Hac „ victoria tributaria facta fuit Africa, & senatusconsultum factum fuit, ut quotannis illuc prætor mitteretur, ut scribit Appianus. Vellejus, „ Strabo, Appianus, Orosius, aliique victoriæ ejus mentionem faciunt. Quibus omnibus adjungi potest typus hujus nummi, qui, Victoriam exhibet tropæum coronantem altera manu, altera palmam tenentem, ad denotandam tam memorabilem victoriam. "

VIII.

FIDES. Caput Fidei: in altero latere, *Publius* SCIPIO NASICA SERAPIO. Templum quatuor columnarum, in quo sella curulis.

Denarium hunc vulgavit Goltzius in Fastis p. 142. A. V. C. DCXV. quo consul fuit P. Cornelius Scipio Nasica cum D. Junio Bruto. Credidit vero Vaill. signatum ab illo in ædilitate A. V. C. DCVIII. & eo anno templum Fidei, igne consumtum aut vetustate collapsum, restaurasse. Adoptasse eundem in denario existimat Serapionis cognomen, licet joculariter ipsi a vulgo daretur ob similitudinem faciei cum victimario. Verum ædiles pecuniam non signabant, & non credo tam vecordem fuisse Nasicam, ut nomen, quod ludibrii caussa a vulgo ipsi dabatur, adsumserit. Fidem itaque huic nummo non habeo, & cum multis Goltzianis suas sibi res habere jubeo.

IX.

LEIBERTAS. Caput Libertatis deæ: ex altera parte, *Lucius* DOLABELLA PROCO*nSule*. Libertas ipsa, dextra elata pileum libertatis tenens, sinistra equorum habenas, in quadrigis triumphalibus.

Quum hunc denarium inter reliquos vulgasset Goltzius in Fastis p. 159. ad A. V. C. DCLV. quo de Lusitanis ex Hispania ulteriore triumphavit Dolabella, Ericius p. 160. hisce verbis hunc typum illustravit. „ Cusa fuit hæc moneta Romæ A. V. C. DCLV. quo L. Cornelius Dolabella proconsule Lusitanos subegit, deque illis „ triumphavit, prout hic quoque denarius testatur. Duobus ante annis subacti fuerant Lusitani, pacataque fuerat Hispania, sed sub M. „ Antonio & A. Postumio rebellantes iidem iterum victi sunt. Unde apud Obsequentem legimus: *M. Antonio A. Postumio consulibus, Lusitani rebellantes subacti.* Atque iterum: *In Lusitania prospere a Romanis pugnatum.* Ejus victoriæ, & secuti triumphi, claram nobis fidem „ facit hic denarius, qui in parte aversa quadrigas exhibet triumphales. Libuit Dolabellæ „ quadrigis deam Libertatem inponere, ejusque „ caput signare in nummi parte anteriore. "

Hæc Ericius; verum inde nihil discimus, nisi quod ex mero lubitu Libertatis typum & caput adhibuerit Dolabella; quod quum facile perspiceret Vaillantius, rationem ejus rei dare conatus fuit; unde scribit p. 343. „ Hic vero L. Cornelii Dolabellæ denarius cum triumphali curru equorum lento gressu gradientium, in ejus „ memoriam percussus est; sed quum rebelles „ vicisset, & eos in servitutem non redegisset, „ Libertatis caput ex una parte, & ex altera in „ triumphali denario, ut aliquando Jovem, cujus auxilio se victoriam retulisse profitebantur, „ & modo Neptunum, dum res in mari acta erat, aut populi quos debellarunt, littorales erant, sic Libertatem ipsam pileum demonstratem exhibuit, ut se rebelles non in servitutem „ redegisse, sed iis libertatem concessisse, palam „ demonstraret. ". Hæc Vaillantii est sententia. Sed profecto libertas non potest dici concessa fuisse populo, de quo victo Romani triumpharunt. Commodius cogitare possumus libertatem Hispaniæ quasi redditam fuisse, devictis, qui provinciam illam infestabant, Lusitanis; nisi Libertati deæ in ipso bello votum aliquod fecerit Dolabella, quod postea, illius reus solvit, ipsamque deam propterea in denario expressit. Et hæc mihi simplicissima videtur esse interpretatio.

X.

EX *Senatus Consulto.* Caput Jovis Capitolini sub quo fulmen. In aversa parte, CINNA CO*nSul*

Sul ITER*um*. Consul togatus stans, inter duos fasces.

Invenitur hic denarius apud Goltzium in Fastis p. 164. ad A. V. C. DCLXVII. quo Cinna iterum consul fuit cum C. Mario VII. qui in illo magistratu est mortuus. Sic ad hunc denarium scribit Ericius p. 167. „ Adnotat Plutarchus, C. „ Marium primum fuisse Romæ, qui septies con- „ sulatum gesserit. De Mario vero hoc & Cin- „ na scriptum reliquit Appianus & Livii Epito- „ me, illos, neglecto comitiorum more, hoc anno se „ ipsos consules renunciasse, additque idem, in eo „ magistratu jussisse Marium, Sextum Licinium se- „ natorem de saxo dejici. Quum itaque conspi- „ rarent inter se Cinna & Marius, Romam re- „ versi multos illustres viros & nobiles ex ordine „ consulari, senatoriò, & equestri, qui Sullana- „ rum erant partium, interfecisse; ædes quoque „ Sullæ disjecisse & solo æquasse. Unde uxor „ Sullæ cum liberis multisque ejus amicis in Græ- „ ciam ad maritum sunt profecti. Sulla itaque „ iræ plenus in Italiam movit, & cum Norba- „ no & Cæpione, Marianis ducibus, congressus, „ sex millia militum occidit, & totidem cepit. „ Neque diu post, perfidia Cæpionis, univer- „ sus fere Marii exercitus ad Sullam transitionem „ fecit.

„ Figura itaque virilis, quæ in altera hujus „ nummi parte cernitur, Cinnæ consulis est, co- „ ram quo signa magistratus sunt, fasces scilicet „ consulares. Inscriptio nummi docet signatum „ illum fuisse sub secundo Cinnæ consulatu."

Historia Cinnanæ dominationis & tyrannidis nota est. Ad quartum pervenit consulatum, & tandem, quum contra Sullam milites ducere vellet, per seditionem ab iisdem fuit interfectus. Hic denarius cusus videtur ex senatusconsulto, quum Kal. Januariis secundum consulatum iniret Cinna, unde facies Jovis Capitolini a parte denarii priore cernitur; nisi malimus cusum, mortuo Mario, quum solus aliquamdiu illum magistratum teneret.

X I.

Caput Romæ galeatum, pone quod corona ex lauro, & in imo, ROMA. In postica parte togatus in quadrigis triumphalibus, dextra habenas equorum, sinistra scipionem tenet eburneum, CN*eus* DOLABELLA *Lucii Filius* PR*o* CO*nSule*.

Vulgavit hunc nummum Goltzius in Fastis p. 167. ad A. V. DCLXXVI. quo Cneus Cornelius L. F. L. N. Dolabella proconsule ex Macedonia triumphavit. Apud Ericium p. 175. ad hujus denarii typum sic scriptum invenio: „ Signatus hic nummus Romæ fuit, consulibus „ M. Æmilio & D. Bruto, quo tempore Cn. „ Dolabella proconsule ex Macedonia triumpha- „ vit. Quum enim ibi res turbatæ essent, mis- „ sus illuc fuit Cn. Cornelius Dolabella, vel in „ ipso consulatu, vel paullo post. Dolabellam ve- „ ro triumphasse ex Macedonia hisce verbis te- „ statur Cicero Oratione in Pisonem cap. XIX. „ *Ex qua provincia vir omni dignitate ornatissimus,* „ *L. Torquatus, magnis rebus gestis, me referente, ab-* „ *sens imperator adpellatus sit, unde his paucis annis* „ *Cn. Dollabellæ, C. Curionis, M. Luculli justissimos* „ *triumphos vidimus, ex ea, te imperatore, nuncius ad* „ *senatum allatus est nullus.* Ejusdem Dolabellæ „ mentionem facit Suetonius in Vita Cæsaris cap. „ LV. *Cæsar, composita Lepidi & Catuli seditione, Cn.* „ *Dolabellam, virum consularem, ac triumphalem ac-* „ *cusavit, nec damnavit.* Puto itaque eodem anno „ illum triumphasse. Triumphi vero testis lucu- „ lentus est hic nummus, in cujus altera parte qua- „ drigæ sunt triumphales, quibus insistit ipse „ Dolabella. Victoriæ quoque typus est corolla, „ quæ juxta caput Romæ in parte nummi ante- „ riore cernitur."

Hæc Ericius; sed Vaillantius censet typum pertinere ad patrem Cnei Lucium, qui ex Lusitania triumphavit, & cujus nummum habuimus num. IX. Putatque in honorem patris cusum fuisse a filio quæstore urbano A. V. C. DCLXVII. Pro ratione adfert, quod ex provincia Cilicia rediens accusatus fuerit repetundarum, damnatus, atque in exilium missus. At apud Ciceronem Cn. Dolabella triumphasse quoque dicitur, & apud Suetonium non modo vir consularis, sed triumphalis quoque adpellatur.

XII.

Victoria medio corpore cum alis: ex altera parte CN*eus* LENTVL*us* CLODIAN*us*. Bellerophon in Pegaso, hastam vibraturus.

Goltzius, qui denarium hunc vulgavit in Fastis p. 168. illum retulit ad Cn. Cornelium Cn. F. Lentulum Clodianum, consulem A. V. C. DCLXXXI. cum L. Gellio Poplicola.

Agnomen Clodiani innuit illum a Clodiis originem trahere, quorum nomen Clodius per adoptionem in illius patre vel avo Clodianus fuit factum. Primum itaque Clodianum adoptatum fuisse a Cneo Lentulo, qui consul fuit A. V. C. DCVII. existimat post Sigonium Pighius. Glandorpius autem ab illo Cneo Lentulo, qui consulatum gessit cum L. Mummio A. V. C. DCVII. Vaillantius ad posteriorem accedit, & putat filium Clodianum renovare in denario suo voluisse id, quod maxime illustre in consulatu patris actum fuerat, eversionem scilicet Corinthi, cujus urbis Bellerophon, pegaso insidens, solet esse symbolum. Quam explicationem Victoriæ caput confirmare videtur. Sed potuit ipse ille Clodianus, qui signavit nummum, quæsturam obiisse eo anno sub collega patris sui adoptivi L. Mummio, qui Corinthum exscidit. Videtur enim extra Romam signatus fuisse denarius, ipso illo A. V. C. DCVII. quo deleta fuit Corinthus.

XIII.

Publius LENT*ulus* SVRA. Caput Jovis Capitolini. In aversa parte *Quintus* HORTENSIVS AED*ilis* CVR*ulis*. Aquila insistens fulmini.

Quum Goltzius hunc denarium publicaverit in Fastis p. 169. ad A. V. C. DCLXXXII. videtur de socio conjurationis Catilinariæ eundem accepisse. Quod fecit quoque Ericius pag. 181. scribens. „ Signatus videtur fuisse hic nummus „ A. V. C. DCLXXXII. consulibus P. Corn. „ Lentulo & Cn. Aufidio Oreste. Hic vero est „ ille P. Lentulus, qui prætor quoque exstitit, „ & in carcere strangulatus periit, Cicerone con- „ sule, inter Catilinariæ conjurationis socios re- „ pertus, prognatus avo P. Lentulo, principe „ senatus, prout ipse Cicero scribit in Oratione „ Pro domo, atque in Catilinam. Jovis caput est „ ab altera denarii parte, ab altera ejusdem dei a- „ quila fulmini insistens. Additur forte Q. „ Hortensii, ædilis curulis, nomen, quod for-

„ sitan

„ sitan eo anno ædilitatem in urbe gesserit, quo „ Lentulus consulatum.

Hæc habet Ericius; verum Hortensii, qui Quinti habuerunt prænomen, inveniuntur illis temporibus, Q. Hortensius consul A. V. C. DCXLV. Q. Hortensius L. F. consul A. V. C. DCLXXXIV. orator ille eximius, & filius ejusdem Q. Hortensius, qui C. Antonium, triumviri fratrem, in proscriptorum gratiam occidit, & ad tumulum ejusdem deinde jussu M. Antonii fuit interfectus. Ex prætura Macedoniam obtinuit A. V. C. DCCIX. Ædilem curulem eundem una cum P. Lentulo Sura, Publii (qui sub Cicerone fuit strangulatus) filio, censet fuisse Pighius A. V. C. DCCVIII. fide hujus nummi, illumque sequitur Vaillantius, censetque eo anno nummum hunc signatum fuisse propter ludos Capitolinos ab his ædilibus celebratos.

XIV.

Publius DOLABELLA. Caput ipsius Dolabellæ: in aversa parte *Caius* TREBON*ius Lucius* SEST*ius Publii Filius*, Tripus, supra quem laurea in corona ex lauro composita.

Edidit hunc denarium Goltzius in Fastis pag. 184. ad A. V. C. DCCIX. quo consul factus fuit ex idibus Martiis in locum occisi Julii Cæsaris P. Cornelius Dolabella. Fuit is, qui Ciceronis filiam Tulliolam, Furii Crassipedis viduam, uxorem duxit, eique a conjuratis sive senatu Syria decreta fuit, & Trebonio Asia prorogata. At Dolabella, ubi in Asiam venit, Trebonium fraude circumventum occidit, noctu urbe Smyrna occupata. Pœnas ejus facinoris luit, a Cassio obsessus atque ad mortem voluntariam coactus.

Nummum hunc Vaillantius cusum judicat a L. Sestio, quæstore Trebonii, qui ad indicandam eorum concordiam (amicum se ei venire finxerat Dolabella) caput Dolabellæ a parte altera, ab altera Trebonii posuerit nomen; & typum cum laurea, propter sacrificia ab iisdem facta pro bono victoriæ omine. Sed videndum an non facies sit Julii Cæsaris, male a Goltzio excepta, nummo aliquantum detrito, ut triumviri monetales (inter quos Dolabella fuerit) eum signaverint, antequam Cæsar quatuorviros instituisset.

XV.

IMP*erator* CAESAR DIVI *Filius* AVGVSTVS TRIB*unicia* POT*estate* IIII. Caput Augusti. *Lucius* BALBVS PR*o* CO*nSule*. Tropæum, ad cujus imum hinc figura muliebris humi sedens mœret, & inde altera virilis sedet manibus post terga revinctis.

Testatur adscripta potestas tribunicia quo anno cusus fuerit hic nummus, videlicet A. V. C. DCCXXXIII. quo in Africa Garamantas subegisse videtur L. Balbus, unde tropæum in nummo cernitur. Proconsul missus fuerat in Africam, Gadibus oriundus, & a Julio Cæsare ad honores promotus. Anno post triumphavit, ut patet ex nummo sequenti.

XVI.

Caput Romæ galeatum, pone quod ROMA. in aversa parte, *Lucius* BALBVS *Publii Filius* PR*o* CO*nSule*. Figura togata in quadrigis triumphalibus, dextra equorum habenas, sinistra scipionem tenet eburneum; Victoria supervolitans ei coronam porrigit.

Ericius ad hujus nummi illustrationem ita scripsit p. 251. „ Nummus hic cusus fuit Romæ A. V. „ C. DCCXXXIV. quo L. Cornelius Balbus „ proconsule ex Africa triumphavit. Successerat is in Africana provincia L. Atratino, rebusque ibi egregie gestis, triumphum meruit „ & egit. Hoc itaque anno Capitolinæ tabulæ triumphum ejus collocant, de quo mentio fit quoque apud Solinum cap. XXII. „ *Garamantas Cornelius Balbus subegit, & primus* „ *ex hac victoria triumphavit; primus sane de externis, utpote qui Gadibus genitus, accessit ad* „ *gloriam nominis triumphalis.* Plinius ejusdem „ meminit lib. V. cap. 5. *Matelgæ oppidum Garamantum, itemque Debris, clarissimumque oppidum* „ *Garama, caput Garamantum, omnia armis Romanis superata & a Cornelio Balbo triumphata, unius omnium externo curru, & Quiritium jure donato,* „ *quippe Gadibus nato civitas Romana cum Balbo* „ *majore patruo data est. Et hoc mirum, supradicta oppida ab eo capta, autores nostros prodidisse.* „ *Ipsum in triumpho præter Cydamum & Garamam,* „ *omnium aliarum gentium urbiumque nomina ac simulacra duxisse, quæ iere hoc ordine,* &c. Oppida enim omnia, quæ depicta in triumpho „ portata fuerunt, deinde enumerat Plinius. „ Balbi Gaditani, ut viri triumphalis, mentio est „ apud Strabonem libro III. L. Cornelii Balbi, „ qui A. V. C. DCCXIII. consul fuit cum P. „ Canidio Crasso, ex fratre erat nepos. Triumphi vero ejus eximium monumentum hujus „ nummi typus est, in quo cernuntur quadrigæ „ triumphales, quibus insistit Cornelius Balbus „ proconsul, & cernitur coronans eundem Victoria.

Vulgavit hunc nummum Goltzius ad A. V. C. DCCXXXIV. in Fastis suis p. 208.

XVII.

Caput Jovis laureatum & barbatum: in averso latere, *Publius* LENT*ulus Publii Filius* CN*ei Nepos* MARCELLIN*us*. Figura togata & velata stat, dextra inposita collo tauri mitrati, ad aram ignitam; eum subsequitur camillus, vas tenens utraque manu.

Vulgavit hunc denarium Goltzius in Fastis p. 209. ad A. V. C. DCCXXXV. quo consul fuit P. Lentulus P. F. Cn. N. Marcellinus cum Cn. Cornelio Lentulo. Vaillantius quoque existimat ad sacra, quæ Jovi Capitolino, ut consul, fecit Kalendis Januariis, hunc denarium pertinere. Et certe omnia in ejusdem typo ad ista consulatus auspicia concurrunt: Non tamen ausim adfirmare signatum fuisse denarium eo tempore quo consulatum auspicabatur P. Lentulus Marcellinus. Potuit enim signatus fuisse a Lentulo Marcellino ut triumviro Cæsaris monetali, eo anno, quo ipse Augustus Cæsar novum consulatum iniit; puto enim figuram illam sacrificantem magis ad Cæsarem, quam ad Lentulum esse referendam.

XVIII.

OB CIVIS SERVATOS. Corona quernea inter duos lauri ramos: ex averso latere CN*eus* CORNELIVS LENTVLVS III VIR *Auro Argento Aeri Flando Feriundo.* in area *Senatus Consulto.*

Collegam P. Lentuli, cujus nomen in præcedente denario habuimus, in hoc nummo æreo invenimus. Ambo simul consules fuerunt A. V. C. DCCXXXV. quo in Fastis p. 209. hic nummus profertur a Goltzio. Hunc vero signavit, quum esset triumvir monetalis senatus.

XIX.

OB CIVIS SERVATOS. Corona quernea inter duos lauri ramos, ex aversa parte, *Publius*

FAMILIA CORNELIA.

CORNELIVS P*ublii* F*ilius* SCIPIO IIIVIR A*uro* A*rgento* A*eri* F*lando* F*eriundo*. circa ambitum. S*enatus* C*onsulto* in area.

Videtur hic Vaillantio filius fuisse ejus, qui nummum infra num. XXIV. cudit; & nepos Cnei Cornelii Lentuli qui præcessit. Vulgatur a Goltzio in Fastis pag. 210. ad A. V. C. DCCXXXVII. a quo adpellatur P. Cornelius P. F. P. N. Scipio, consul eo anno cum L. Domitio Ahenobarbo.

In triumviratu monetali senatus hic nummus a Scipione cusus fuit.

XX.

CAESAR AVGVSTVS TRIB*unicia* PO-T*estate* IX. CO*nSul* XI. Caput Augusti, L*ucio* COR*nelio* BALBO M*arco* TITIO P*ublio* QVIN-*tilio* VARO II VIR*is*. Bos.

Tempus cusi nummi ex adscripta tribunicia Augusti potestate agnoscitur. Hinc Goltzius nummum retulit in Fastis pag. 211. ad A. V. C. DCCXXXVIII. Quamvis titulus IIvirorum inscribatur, tres tamen coloniæ deducendæ præfuisse tria eorundem adscripta nomina docent, quales nummos plures Goltzius protulit.

L. Cornelius Balbus filius esse potuit Lucii Corn. Balbi, qui A. V. C. DCXXXIV. ex Africa triumphavit.

XXI.

AVGVR. Caput Concordiæ velatum. In aversa parte, CN*eus* LENTVLVS. Tropæum, ad cujus imum hinc figura muliebris lugens, & illinc altera virilis manibus post terga revinctis.

Hunc denarium vulgavit Goltzius in Fastis pag. 212. ad A. V. C. DCCXXXIX. atque ad hunc nummum ita scripsit Ericius pag. 254. „ Signatus fuit hic nummus A. V. C. DCCXXXIX. „ consulibus Cneo Lentulo & M. Crasso, eo, ut „ puto, tempore, quo victoriam contra Getulos „ obtinuit, unde Getulici cognomen nactus fuit. „ Victoriæ ejus testis est hic nummus, in quo „ ab altera parte caput Vestæ velatum est, & ab „ altera tropæum de Getulis. Habitu mœstæ „ mulieris sedet Getulia. Altera figura Getulus „ captivus est. Invenitur & nummus æreus M. „ Licinii Crassi, collegæ ejus in consulatu, in „ quo ab altera parte corona civica est cum in„clusa intus inscriptione, AVGVSTVS TRI„BVNIC*ia* POTEST*ate*. Ab altera parte in area „ est senatusconsulti nota, literæque hæ sunt in „ circuitu, M*arcus* LICINIVS CRASSVS III „ VIR A*uro* A*rgento* A*eri* F*lando* F*eriundo*. Hic „ Crassus filius fuit M. Crassi, qui consul cum „ Augusto fuit."

In hisce graviter errat Ericius, dum censet eo anno quo consul fuit Lentulum de Getulis victoriam obtinuisse. Id enim postea factum fuit. Vaillantius vero non huic, sed filio ejus putat tribuendum esse denarium, quamvis prius hariolatus fuerat patrem legatum Cæsaris fuisse, ejusque victorias expressisse. Verba ejus hæc sunt pag. 326. ut emendata ab erratis typorum, quibus scatet liber, legi debent: „ Ut hunc denarium „ ad eumdem Cn. Lentulum revocemus, ratio temporis suadet, & quod nullus ejus prænominis Lentulus tropæum ex tot victo„riis erexerit; sed quum Cn. Lentulus, de „ quo in superioribus denariis egimus, fuerit quæ„stor anno 703/4. & bellum civile exortum sit „ anno 704/5. potuit esse Cæsaris legatus, & ejus „ victorias, ut in similibus Juliæ gentis denariis, „ qui cum eodem typo visuntur, exhibere. Cæsa„rem vero (*non*) cum Veneris, a qua originem „ se trahere gloriabatur, effigie signavit Cn. „ Lentulus (*sed*) cum Concordiæ capite; quam „ semper optabat Cæsar, aut saltem fingebat. „ Cn. Lentulus in denario Augur appellatur.

„ Augur fuit Cn. Cornelius, teste Suetonio in „ Caligula, consulatumque gessit cum M. Lici„nio Crasso, anno 740. de quo Tacitus, Ann. „ IV. *Lentulo super consulatum & triumphalia de Ge„tulis*. Ideo quidam illi tribuunt hunc denarium, „ sed filius illius potius videtur esse, nec hoc tem„pore nummi argentei, nisi cum effigie Augu„sti, signabantur, & post patrem auguratum „ etiam obtinere potuit."

Hæc Vaillantius. Quod si cusus a filio, quod potius credo (nam patri Cossi prænomen plurimi vel cognomen, excepto Tacito, dant) hic nummus sit, eundem triumvir monetalis signavit, inque eo Tiberii, privigni Augusti, victoriam de Germanis aliisque populis expressisse videtur, & per caput deæ adumbrasse Liviam. Consul factus fuit A. V. C. DCCLXXVIII. & in Germaniam proconsule missus fuit, ut legatus Tiberii; ibi per decennium legiones summa cum laude rexit, unde quod amorem militum in eum vereretur Cajus Caligula, eundem occidi, teste Dione apud Xiphilinum, curavit. Elogium ejus insigne exstat apud Tacitum lib. VI. cap. 30. ubi periculum ejus propter Sejani quæsitam adfinitatem commemorat. *Et Abudius Ruso functus ædilitate, dum Lentulo Getulico, sub quo legioni præfuerat, periculum facessit, quod is Seiani filium generum destinasset, ultro damnatur, atque urbe exigitur. Getulicus ea tempestate superioris Germaniæ legiones curabat; mirumque amorem adsecutus erat, effusæ clementiæ, modicus severitate, & proximo quoque exercitu per L. Apronium socerum non ingratus. unde fama constans, ausum mittere ad Cæsarem litteras. Adfinitatem sibi cum Seiano haud sponte sed consilio Tiberii cœptam: perinde se quam Tiberium falli potuisse; neque errorem eundem illi sine fraude, aliis exitio habendum. sibi fidem integram, &, si nullis insidiis peteretur, mansuram: successorem non aliter quam indicium mortis accepturum. firmarent velut fœdus, quo princeps ceterarum rerum potiretur, ipse provinciam retineret. Hæc, mira quamquam, fidem ex eo trahebant, quod unus omnium Seiani adfinium incolumis, multaque gratia mansit: reputante Tiberio publicum sibi odium, extremam ætatem, magisque fama quam vi, stare res suas.* Cognomen Cossi Lentulo patri tribuit Dio Cassius p. 567. ubi victoriam Gætulicam commemorat his verbis. Καὶ Γαιτοῦλοι τῷ τε Ἰούβᾳ τῷ βασιλεῖ ἀχθόμενοι, καὶ ἅμα ἀπαξιοῦντες μὴ οὐ καὶ αὐτοὶ ὑπὸ τῶν Ῥωμαίων ἄρχεσθαι, ἐπανέστησαν αὐτῷ· καὶ τήν τε περίχωρον ἐπόρθησαν, καὶ συχνοὺς καὶ τῶν Ῥωμαίων ἐπιστρατεύσαντας σφίσιν ἀπέκτειναν, τό, τε σύμπαν, ἐπὶ τοσοῦτον ἐπηυξήθησαν, ὥστε Κορνήλιον Κόσσον, τὸν κατεργασάμενον σφᾶς, τιμάς τε ἐπινικίους καὶ ἐπωνυμίαν ἀπ' αὐτοῦ λαβεῖν. *Gætuli inique ferentes, Jubam regem, non Romanos, sibi præesse, contra eum insurgentes, finitima vastarunt, multosque Romanos cum exercitu contra se profectos interfecerunt: denique adeo clari facti sunt, ut propter ipsos subactos Cornelius Cossus triumphalibus honoribus & cognomento Gætulici ornatus fuerit.*

XXII.

IMP*erator* CAESAR DIVI F*ilius* AVGVSTVS CO*nSule* XII. P*ater* P*atriæ*. Caput Augusti laureatum: ex aversa parte, L*ucius* CORNELIVS SVLLA III VIR A*uro* A*rgento* A*eri* F*lando* F*eriundo*. circa ambitum. S*enatus* C*onsulto*. in area.

Vul-

FAMILIA CORNELIA.

Vulgavit hunc nummum Goltzius in Fastis p. 219. ad A. V. C. DCCXLVIII. quo cum Augusto XIII. consul fuit L. Cornelius P. F. P. N. Sulla. Sed rectius forsan judicat Vaillantius pertinere ad ejusdem filium, qui deinde quoque ad consulatum pervenit A. V. C. DCCLXXXV. cum Galba, sub imperio Tiberii.

XXIII.

CAESARI AVGVSTO. Caput Augusti, ex altera parte, CN*eus* CINNA MAGNVS III VIR. Cippus, in quo, *Senatus Populus Que Romanus* IMP*eratori Cæsari* QVOD V*iæ Munitæ Sunt* EX EA *Pecunia Quam* IS AD *Aerarium* DE*tulit*.

In familia Vinicia similes jam vidimus nummos pag. 450. Unde patet, una cum L. Vinicio triumvirum monetalem Cæsaris exstitisse hunc Cneum Cinnam. Prænomen Cnei ex Pompejis traxit; unde quoque illi cognomen Magni accessit post avunculorum Cnei & Sexti mortem. Mater enim ejus filia Pompeji Magni fuit. Pater Lucius filius fuit Lucii Cinnæ, quater consulis, cujus filiam Corneliam Cæsar uxorem duxit. Lucius ille, quum adhæsisset Lepido consuli, ad Sertorium in Hispaniam profugit, patriæ vero redditus fuit per adfinem Julium Cæsarem rogatione Plotia.

Cneus Cinna & ipse a Cæsare Augusto (quùm inter inimicos ejus fuisset, in gratiam receptus, insidias illi postea struxit, & meritam pœnam Liviæ patrocinio evasit. De illo Dio Cassius hæc narrat lib. LV. pag. 557. Πράσσοντι δὲ αὐτῷ ταῦτα ἐπεβούλευσαν ἄλλοι τε καὶ Γναῖος Κορνήλιος, θυγατριδοῦς τοῦ μεγάλου Πομπηΐου ὤν, ὥστε ἐν μεγάλῃ αὐτὸν ἀμηχανίᾳ χρόνον τινὰ γενέσθαι, μήτε ἀποκτεῖναι σφᾶς (ὅτι οὐδὲν πλέον πρὸς ἀσφάλειαν ἐκ τῶν ἀπολλυμένων ἑώρα οἱ γιγνόμενον), μήτ' ἀπολῦσαι (μὴ καὶ ἑτέρους ἐκ τούτου ἐφ' ἑαυτὸν ἐπισπάσηται) ἐθέλοντα. *Interim insidiis impetitus, quarum præcipuus autor erat inter alios Cn. Cornelius Cinna Magnus, filia Pompeji Magni natus, aliquamdiu consilii inops fuit, quum neque necare eos vellet, quia nihilo tutior editis cædibus fiebat, neque dimittere impunes, ne alios quoque contra se incitaret.* Narrat deinde p. 563. quomodo verbis Liviæ persuasus Augustus veniam Cinnæ dederit, eique consulatum detulerit. Ταῦτά τε τῆς Λιουίας εἰπούσης, ὁ Αὔγουστος ἐπείσθη τε αὐτῇ, καὶ ἀφῆκε μὲν πάντας τοὺς ὑπαιτίους, λόγοις τισὶ νουθετήσας, τὸν δὲ δὴ Κορνήλιον, καὶ ὕπατον ἀπέδειξε κἀκ τούτου καὶ ἐκεῖνον καὶ τοὺς λοιποὺς ἀνθρώπους οὕτως ᾠκειώσατο, ὥστε μηδένα ἔτ' αὐτῷ τῶν ἄλλων μήτ' ὄντως ἐπιβουλεῦσαι, μήτε δόξαι. ἡ γὰρ δὴ Λιουία αἰτιωτάτη τῆς σωτηρίας τῷ Κορνηλίῳ γενομένη, ἤμελλεν αὐτὴ τὴν αἰτίαν τοῦ θανάτου τοῦ Αὐγούστου λήψεσθαι. *His Liviæ verbis adductus Augustus, omnes reos verbis castigatos indemnes dimisit, Cornelio etiam consulatu donato: eoque facto ita sibi omnium animos devinxit, ut non modo insidiæ contra ipsum nullæ deinde componerentur, sed opinio quoque omnis earum intercideret. Livia autem, potissima tum Cornelio salutis caussa, posterioribus temporibus mortis Augusti culpam sustinuit.* Consul fuit cum L. Valerio Messala A. V. C. DCCXLIII. quo adfertur hic nummus a Goltzio in Fastis pag. 225.

XXIV.

OB CIVIS SERVATOS. Corona quernea inter duos lauri ramos: ex aversa parte, *Publius* LENTVLVS CN*ei Filius* SCIPIO IIIVIR *Auro Argento Aeri Flando Feriundo.* circa ambitum. *Senatus Consulto* in area.

Post triumviratum monetalem, gestis aliis honoribus, Lentulus, pervenit ad consulatum. Fuit inter suffectos, cum Quintio Crispino, ut docet antiquus lapis quem ex Onuphrio quoque adduxit Vaillantius. In eo scribitur:

IMP. CAESAR. DIVI. F. AVGVSTVS
PONT. MAX. TRIB. POT. XXX.
IMP. XV. COS. XIII. PATER. PATR.
P. LENTVLVS. CN. F. SCIPIO
T. QVIN. CAIVS. CRISPINVS. VALERIANVS
EX S. C. FACIVNDVM. DECREVERVNT
EIDEMQVE. PROBARVNT.

Vulgavit hunc nummum Goltzius in Fastis p. 227.

TAB. XV.

I.

AVGVSTVS TRIBVNIC*ia* POTEST*ate*. In corona quernea: in parte postica, *Publius* CORNELIVS DOLABELLA III VIR *Auro Argento Aeri Flando Feriundo.* circa ambitum. *Senatus Consulto* in area.

Filius hic fuit Publii Cornelii Dolabellæ, cujus nummum vidimus tab. præcedente num XIV. Ad consulatum pervenit A. V. C. DCCXLII. cum Junio Silano, quo anno adfertur nummus hic a Goltzio in Fastis pag. 230.

II.

Capita Bacchi & Cereris jugata, ad latus lævum cornucopiæ. In aversa parte ancilia. SER*vius* LENTVL*us* CN*ei Filius* MALVGINENSIS EX *Senatus Consulto.*

Pertinet hic denarius ad Servium Cornelium Cn. F. Cn. N. Lentulum Maluginensem, flaminem Dialem, consulem A. V. C. DCCLXII. quo producitur a Goltzio in Fastis p. 230. qui usque ad Tiberii tempora vixit, atque provinciam nactus Asiam, specie religionis illam adire fuit prohibitus. Typum nummi ad sacerdotium ejusdem diale refert Vaillantius, verum ejus rationes mihi nimis longe petitæ videntur. Nummus quoque a Lentulo signatus fuisse videtur in magistratu minore, triumviratu scilicet Cæsaris monetali, in quo aureum hunc nummum signasse videtur, quod eo anno Cereris & Dionysii, sive Bacchi, ædes refectæ fuerint, & circa ancilia aliquid quoque cæremoniarum factum fuisse videatur.

III.

DIVO IVLIO. Caput Julii Cæsaris laureatum cum stella ad frontem. Ab altera parte est templum VI. columnarum cum statua Julii Cæsaris, ut pontificis summi, & stella in templi peristylio. Adscribitur *Publius* LENTVLVS MARCELLIN*us* AED*ilis* CVR*ulis.*

Vulgavit aureum hunc nummum Goltzius in Julio Cæsare pag. 16. Fuit vero hic P. Lentulus Marcellinus Publii filius, stetitque a partibus Cæsaris, nam A. V. C. DCCV. cum legione nona

nona in obsidione Dyrrachiensi parti munitionum ad mare præfuit, & a Pompejanis tandem non sine clade pulsus fuit, ut refert Cæsar Comment. lib. III. & Orosius lib. VI. cap. 15. Pervenit ad consulatum A. V. C. DCCXXXV. In hoc vero nummo inscribitur ædilis curulis, non quod, quum ædilis curulis esset, hanc signaverit pecuniam, sed quod, ut sacratum ædium curam habens, simul quoque præesse debuerit structuræ templi Julii Cæsaris, quod in hoc nummo cernitur, & quidem eo anno, quo jussu Augusti porticus templi Cæsaris sex columnarum ordines accepit pro quatuor, quibuscum exhibetur in nummis ipsius Caji Cæsaris in familia Julia tab. septima num. VI. & lit. G.

IV.

CAESAR AVGVSTVS TRIBVN*icia* POTEST*ate*. Caput Augusti laureatum; ab altera parte bos est, coloniæ symbolum, & tria, ut passim apud Goltzium, duumvirorum nomina, *Publio* COR*nelio* CELSO, *Publio* ALBINO, *Tito* FLAMININO IIVIR*is*.

Vulgavit Goltzius nummum in Augusto pag. 52. P. Cornelium Celsum ignoro.

V.

AVGVSTVS TRIBVNIC*ia* POTEST*ate*. in corona quernea. Ab altera parte in area nummi nota est senatusconsulti, & in circuitu legitur, *Lucius* CORN*elius Lucii Filius* SVLLA III VIR *Auro Argento Aeri Flando Feriundo*.

Hic nummus cusus fuit a filio Sullæ, qui signavit nummum XXII. tabulæ præcedentis, cum capite Augusti. Consul fuit sub Tiberio cum Servio Sulpicio Galba A. V. C. DCCLXXXV.

VI.

AVGVSTVS TRIBVNIC*ia* POTEST*ate*. in corona quernea. Ab altera parte iterum est nota senatusconsulti, & inscriptio, *Lucius* CORNELIVS SVLLA IIIVIR *Auro Argento Aeri Flando Feriundo*.

Quoniam in hoc nummo non adscribitur *Lucii Filius*, refero eum ad patrem, qui nummum illum signavit, cujus ad præcedentem mentionem feci. Vulgavit & hunc nummum Goltzius in Augusto pag. 63.

VII.

ROMA. Caput Romæ galeatum. Ab altera parte est, SCIPIO IMP*erator*. Struthiocamelus inter palmæ & lauri ramum.

Nummum hunc fictum censeo, & omnes ejusmodi, qui passim aves & alia animalia habent, atque adpositas literas C. P. quod (ut puto) in Caroli Patini museo vel MSS. illos observaverit Morellius. Qui cudit nummum adludere voluit ad Scipionis in Africa res gestas atque victorias.

VIII.

M. Q. Caput Minervæ galeatum. Ab altera parte legitur *Marcus* SVLLA. & cernitur camelus stans, & ante illum corbis cum frugibus, retro litera P.

Farinæ & artificii ejusdem nummus est. Falsarius videtur animum adtendisse ad Sullæ in Asia res gestas, unde camelum in nummo posuit, &, quod Lucii prænomen ignoraret, Marcum Sullam finxisse, cui scilicet alius Marcus Sulla fuerit quæstor provincialis.

IX. *vacat.*

COSSVTIA.

X.

Caius CAESAR DICT*ator* PERPETVO. Caput Julii Cæsaris laureatum. Ab altera parte legitur *Caius* COSSVTIVS MARIDIANVS. & cernitur Venus seminuda, lævo cubito clypeo columnæ inposito innixa, hastam læva manu tenens, dextra galeam; ante illam signum militare erigitur.

Vulgavit hunc nummum Goltzius in Julio Cæsare p. 6. Cossutii vero Maridiani nomen notum est inter quatuorviros monetales a Julio Cæsare institutos. De eo consuli potest familia Cossutia inter nummos Ursinianos. Venus in hoc nummo victrix depingitur, & ante illam Victor Julii Cæsaris exercitus per aquilam legionariam exprimitur.

XI. & XII. *vacant.*

DIDIA.

XIII.

Caput Romæ galeatum: in aversa parte, *Titus* DEIDI*us Titi Filius*. Figura togata in quadrigis triumphalibus, dextra equorum habenas, sinistra tenens lauream.

Goltzius hunc denarium vulgavit in Fastis p. 153. ad A. V. C. DCXL. In libro quoque suo Italico ad ejus interpretationem hæc scripta reliquit Ericius p. 140. „ Hic nummus signatus fuit „ Romæ A. V. C. DCXL. quo tempore T. Di- „ dius proprætore victoriam retulit de Scordiscis „ in Thracia, de quibus quoque triumphavit. „ Hinc illi qui de Thracico isto bello scribunt, „ ordiuntur illud a C. Catone consule; quamvis „ jam & ante illam expeditionem bellum in „ Thracia fuisse gestum felix rerum successus „ prætoris M. Cosconii docet, qui ante viginti „ annos cum Scordiscis bellaverat. Verum a Ca- „ tone ordiri eosdem existimo, quoniam a præ- „ tore antea bellum id gestum fuerat, & Cato „ primus fuerit, qui majore cum cura, utpote „ consul, ad illius belli molem profectus fuerit. „ Credo una cum Catone Didium prætorem fuisse „ missum; prout antea quoque simul consul Q. „ Fabius & C. Lælius prætor in Hispaniam con- „ tra Viriathum missi fuerunt. Ex ducibus ve- „ ro hujus belli consul Cato quidem infelici- „ ter, prospere vero prætor Didius pugna- „ vit. De Catone hæc scripsit Eutropius, *C. Cato* „ *consul Scordiscis intulit bellum, ignominiosequè* „ *pugnavit.* Epitome Livii lib. XLIII. *Cato Por-* „ *cius cos. in Thracia male adversus Scordiscos pu-* „ *gnavit.* Verum de Didio & Catone ita scripsit „ Florus. *Itaque non fusus modo a Scordiscis, aut fu-* „ *gatus, sed (simile prodigio) omnino totus inter-* „ *ceptus exercitus quem duxerat Cato. Didius va-* „ *gos, & libera populatione diffusos, intra suam re-* „ *pulit Thraciam.* Rufus insuper dicit: *Didius va-* „ *gantes Thracas repressit.* Triumphavit itaque „ Didius ex Thracia de Scordiscis; cui scripto- „ rum testimonio convenit hujus nummi typus, „ qui quadrigis triumphalibus vectum Didium „ proprætorem exhibet, læva manu lauri ramum „ tenentem."

Idem

Idem Didius Celtiberos in Hiſpania poſtea devicit, de quibus quoque triumphavit A. V. C. DCLX. Unde dubitat Vaillantius ad quem ejus triumphum hic nummus referendus ſit.

DVILIA.

XIV.

Caput Romæ galeatum, pone quod ROMA. in averſa parte, *Caius* DVILI*us* *Marci Filius*. Caſtor & Pollux in equis decurrunt, cum haſtis, aſtris ſupra caput ornati.

Ad hunc nummum ſic ſcripſit Vaillantius pag. 399. „ C. Duilius, in denario Marci filius, & „ in *Faſtis Capitolinis*, Marci nepos adpellatus, „ quæſturam militarem iniit anno 483. at quia „ hoc tempore nondum Romæ argentum ſignabatur, non potuit igitur in quæſtura Duilii „ denarius cudi; ex eo magiſtratu ad tribunatum „ plebis acceſſit 487. anno poſtquam moneta ar„ gentea ſignari cœpit; ſed tribunis illic cu„ dendæ poteſtas non erat commiſſa: ergo ille „ tantum in ejus ædilitate percuſſus vide„ tur."

Non eſt credibile ab ædili cuſam fuiſſe pecuniam; neque inde reor ab illo Duilio, Pœnorum victore, profectos fuiſſe hos denarios, ſed a poſteris ejus, quamvis enim in hiſtoria Romana poſt illum nulli occurrant in magiſtratu Duilii, potuerunt tamen exſiſtere. Goltzius in Faſtis pag. 86. nummum illum vulgavit ad conſulatum Duillii cum Scipione Aſina CCCCLXXXXIII.

XV.

Caput Romæ galeatum: in averſa parte, *Caius* DVILIVS. in imo ROMA. Neptunus in quadrigis decurrentibus, dextra tridentem, ſiniſtra equorum habenas tenet.

Inſignem hunc denarium, ſi illum vere exiſtere conſtaret, vulgavit Goltzius in Faſtis pag. 87. ut monumentum conſulis Duilii, qui primus navalem triumphum de Siculis & claſſe Punica devicta egit. Ad nummi interpretationem hæc ſcripſit Ericius p. 12. „ Cuſa fuit hæc moneta Ro„ mæ A. V. C. CCCCLXXXXIII. conſule C. „ Duilio, quo tempore & triumphavit, victo„ riam navalem de Carthaginenſibus adeptus. „ Quum enim ejusdem in conſulatu collega, Cn. „ Cornelius per fraudem captus eſſet a duce Car„ thaginenſium in inſula Lipara, Duilius, ubi pri„ mum illud intellexit, cum copiis univerſis at„ que tribunis militaribus in naves tranſiit, at„ que pugna navali ſuperavit Carthaginenſes, ſic „ ut vix ſalvus Carthaginem dux Pœnus Anni„ bal evaderet. Oppida quædam Siciliæ dein„ ceps ceperunt Romani. Hiſtoriam Polybius, „ Zonaras, aliique narrant. Cato quoque apud „ Ciceronem hisce verbis ejus mentionem fecit: *C.* „ *Duilium M. F. qui Pœnos primus claſſe device*„ *rat, redeuntem a cœna ſenem ſæpe vidi puer. de*„ *lectabatur crebro funali, & tibicine, quæ ſibi* „ *nullo exemplo privatus ſumſerat, tantam licen*„ *tiam dabat gloria.* Florus hæc habet lib. II. „ *Duilius victor ad Liparas, merſa & fugata ho*„ *ſtium claſſe, primum illum maritimum egit trium*„ *phum. Cujus quod gaudium fuit? Cum Duilius* „ *imperator non contentus unius diei triumpho, per* „ *vitam omnem, ubi a cœna rediret, prælucere fu*„ *nalia, & præcinere ſibi tibias juſſit, quaſi quoti*„ *die triumpharet.* Eutropius atque Oroſius idem „ ſcribunt. Plinius quoque columnæ ejus in fo„ ro meminit lib. XXXIV. *Columna poſita C. Dui*„ *lio Cos. qui primus navalem triumphum egit de* „ *Pœnis, quæ eſt etiam nunc in foro.* Jani templi ab „ eodem exſtructi mentionem facit Tacitus lib. „ II. *Jano templum apud forum olitorium C. Duilius* „ *ſtruxit, qui primus rem Romanam proſpere mari* „ *geſſit, triumphumque navalem de Pœnis meruit.*

„ Hinc patet C. Duilium primum inter duces „ Romanos triumphum navalem egiſſe, unde „ perpetuus in vita triumphi honor illi adfuit. „ Addit quoque Polybius, hunc Duilium ferreas „ manus inveniſſe, corvos dictas, quibus præ„ henſas tenuerit naves hoſtiles. Triumphi igi„ tur ejusdem occaſione hi denarii cuſi fuerunt; „ victoriam enim navalem typus Neptuni cum „ tridente demonſtrat."

XVI.

Caput Jani bifrontis barbatum: in averſa parte navis, in qua columnæ ſpecies videtur, *Caius* DVILI*us* *Marci Filius*. in imo, ROMA.

Caput Jani ſolitum eſt aſſium ſymbolum, ſed & reſpicere poteſt Jani templum, quod, ut modo ex Tacito vidimus, apud forum Olitorium extruxit Duilius. Columna, quæ in navi cernitur, ad Duilii columnam reſpicere itidem poteſt; quamvis crebro in aſſibus tales columnæ in navibus adpareant. Occurrit nummus in Faſtis Goltzii pag. 100.

XVII.

DOMITIA.

Caput Jovis Capitolini laureatum, pone quod *Senatus Conſulto* in laurea: in averſa parte *CNeus* DOMIT*ius* *CNei Filius* AHENOBARB*us*. Sella curulis, ſupra quam fulmen.

Vulgavit nummum Goltzius in Faſtis p. 152. ad A. V. C. DCXXXVIII. quo cenſores luſtrum LXII. fecerunt L. Cæcilius Metellus Calvus & Cn. Domitius Ahenobarbus. Ab illo, ut ædile plebis, cuſum nummum cenſet Vaillantius. Triumvirum monetalem eundem ſignaſſe arbitror.

XVIII.

VESTA. Caput Veſtæ velatum: ex averſa parte, CN*eus* DOMIT*ius* CN*ei Filius* in imo, *Lucius* MARCI*us* *Quinti Filius Quinti Nepos* PHILIPPVS. in ambitu. Sella curulis, ſupra quam ſimpulum.

Invenitur hic nummus apud Goltzium in Faſtis p. 160. ad A. V. C. DCLVII. quo conſul fuit Domitius cum C. Caſſio Longino. Vaillantius cenſet a collegis in ædilitate plebeja Domitio & Marcio nummum cuſum fuiſſe. Potuit ab iisdem, majore jure, ut triumviris monetalibus, ſignari, & quum circa Veſtæ & Jovis Capitolini ſacra vel ædes aliquid ſingulare illo anno acciderit, typus ad illa numina ſpectans adhibetur.

XIX.

Caput Veſtæ velatum ante quod ſimpulum: in averſa parte, *Lucius* DOMIT*ius* CN*ei Filius* CN*ei Nepos* AHENOBARB*us*. Sella curulis, ſupra quam corona.

Profertur denarius a Goltzio p. 175. in Fastis ad A. V. C. DCLXXXXIX. quo consul fuit L. Domitius Ahenobarbus cum Appio Claudio Pulchro. Vaillantius, pro more, ad ædilitatem ejusdem refert.

XX.

CN*eus* CALVINVS. Caput Romæ galeatum, pone quod vox ROMA: in aversa parte duo clypei, decussatim, cum hastis, galea, vexillo, & baculo, in cujus apice caput asininum; hæc omnia sunt vero in laurea.

Videtur ad hunc nummum locum posse tueri explicatio Vaillantii, quæ hæc est pag. 397. „ Quæstores urbani hunc denarium Romæ cudisse videntur ad impensas belli Hispanici, dum „ res contra Cerretanos gereret Domitius Calvinus; & quum edocti fuissent, jam illum feliciter „ eas gerere, capta illorum arma, tamquam ejus „ victoriarum tropæa, in denariis exhibuerunt. At „ licet Hispania Cæsaris imperio nunc subesset, „ divisione inter triumviros facta, tamen, inquit Dio, lib. XLVIII. honores legatis tribui „ solebant sententia eorum, qui summam imperii tenerent, & sic triumphus Cn. Domitio „ Calvino concessus est, cujus mentionem faciunt *Marmora Capitolina*.

„ CN. DOMITIVS M. F. M. N.
„ CALVINVS. AN. DCCXVII DCCXVIII. *Varr.*
„ PRO. COS. EX. HISPANIA. XVI. K.
„ SEXTIL."

Produxit hunc denarium Goltzius in Fastis p. 176. ad A. V. C. DCC. quo consul fuit Cn. Domitius Calvinus cum M. Valerio Messalla.

XXI.

CN*eus* DOMIT*ius* *Marci Filius* CALVIN*us* P*ublius* ISAVRIC*us* *Publii Filius*. Caput Jovis Capitolini laureatum. EX *Senatus* *Consulto* fulmen cum clypeo transverso in medio coronæ ex quercu compositæ.

Vulgavit nummum Goltzius in Fastis p. 183. Vaillantius, pro more, ad ædilitatem Domitii cum P. Isaurico retulit. Hic Marci filius inscribitur, & nepos fuisse videtur Marci, prætoris urbani A. V. C. DCXLV.

XXII.

CALVINVS. Caput Veneris, ante quod litera P. in corona ex densa myrto vel lauro: in aversa C*neus* DOMIT*ius*. Victoria in bigis.

Signatus videtur A. V. C. DCCXVII. quo feliciter in Hispania res gessit Cn. Domitius Calvinus, fuisse nummulus, eo quoque anno profertur a Goltzio in Fastis p. 194. Venerem signavit in corona, ut Victricem, in gratiam Cæsaris Octaviani, patrem enim ejus, Julium Cæsarem, in bello civili secutus fuerat. Litera P. monetariorum & alphabetica nota tantum esse videtur.

Ad typi illustrationem hæc scripsit Ericius p. 234. „ Cusus fuit hic nummus Romæ A. V. C. „ DCCXVII. consulibus L. Gellio Poplicola, & „ M. Coccejo Nerva, quo tempore Cn. Domitius Calvinus proconsule victoriam in Hispania „ obtinuit, ex qua provincia triumphavit. Triumphi ejus sunt testes Fasti Capitolini. Dio „ Cassius quoque mentionem ejusdem triumphi „ & victoriæ facit, hisce verbis: *Eodem tempore* „ *moverunt etiam Ceretani in Hispania, quos Calvinus subegit, re primum bene ab ipso, post infeliciter ab ejus legato gesta, qui a barbaris obsessus,* „ *& a suis militibus desertus est. Calvinus autem* „ *non ante in hostes impressionem fecit, quam de militibus supplicium sumpsit, eosque decimavit. Quo* „ *facto hostes adortus victoriam reportavit, & triumphum obtinuit, quanquam Hispania Cæsari provincia erat decreta. Ex arbitrio enim eorum, qui* „ *imperium habebant, etiam honores iis, qui suis auspiciis pugnassent, mandabantur.* Mentionem „ facit ejusdem Vellejus Paterculus lib. II. cap. 78. „ *Eadem tempestate Calvinus Domitius, cum ex Consulatu obtineret Hispaniam, gravissimi, comparandique antiquis exempli, auctor fuit; quippe primipili centurionem, nomine Vibullium, ob turpem ex* „ *acie fugam, fuste percussit.* Triumphus iste in „ hoc denario exprimitur, Victoria enim cernitur bigas inpellens. Nota P. quæ juxta caput „ deæ (quam Victoriam existimo) est, quid sibi „ velit nescio. Multi enim passim nummi argentei inveniuntur, qui ejusmodi literas habent adpositas."

XXIII.

OB CIVIS SERVATOS. Corona civica inter duos lauri ramos: in aversa parte, L*ucius* DOMITIVS AHENOBARB*us* III. VIR *Auro Argento Aeri Flando Feriundo.* in area *Senatus Consulto.*

L. Domitius Ahenobarbus, qui, ut triumvir monetalis senatus, signavit hunc nummum, Cnei fuit filius, qui classem conjuratorum curæ suæ habuit creditam. Filium genuit ex Antonia majore, triumviri filia, Cneum Domitium patrem Neronis imperatoris.

Vulgavit Goltzius nummum in Fastis p. 210. ad A. V. C. DCCXXXVII. quo consul fuit Domitius cum P. Cornelio Scipione.

DVRMIA.

XXIV.

CAESAR AVGVSTVS. Caput Augusti nudum. Ab altera parte cernitur leo cervum discerpens, & inscriptio, *Marcus* DVRMIVS IIIVIR.

Vulgavit Goltzius denarium hunc in Augusto p. 35.

Hic nummus pictura tantum discrepat a nummo III. gentis Durmiæ. Vide ibidem ejus explicationem.

TAB. XVI.

EGNATIA.

I.

MAXSVMVS. Caput Libertatis, post quod signum ejusdem pileus est. Ab altera parte stant duæ figuræ muliebres hastatæ & galeatæ, ad quarum alteram advolans Cupido, hastam dextra amplectitur. Visuntur in dextra nummi area lauri ramus & securis, ad pedes aquila & fluvii figura.

Li-

Literæ C. P. huic nummo subjiciuntur, quæ denotant Goltzianis hunc & similes nummos fuisse interjectos a Morellio ex fabricâ, libro, vel collectione alicujus, cujus nomen has literas habuerit initiales. Carolum Patinum designare possunt. Ficti videntur esse omnes, & hic quidem ad exemplum denarii Egnatiani in illa familia num. III. ubi vide quæ pag. 160. ad ejusdem explicationem diximus. Inscriptio partis aversæ in hoc nummo deest, sed pro eadem aquila Romani imperii atque fluvii Tiberis figura depicta fuit cum securi & lauri ramo.

II. & III. *vacant*

FABIA.

IV.

Caput Dianæ, supra cujus frontem crescens Luna; supra humerum lævum arcus & pharetra: pone ROMA. In aversa parte, *Numerius* FABI*us Cai Filius* PICTOR. Victoria in quadrigis dextra flagrum.

Vulgavit hunc nummum Goltzius in Fastis p. 84. ad A. V. C. CCCCLXXXVII. quo triumphavit iste Fabius de Sassinatibus. Verum negat Vaillantius ad triumphos posse referri denarios, qui simplicem quadrigatorum habent typum; & recte. Suspicatur vero idem Dianæ caput exprimi, vel propter pictam ejus ædem, vel restitutam; his verbis p. 429. Sed cur Diana Venatrix „ in anteriore parte? Quum deperdita sint illius „ ævi monumenta; conjicere possumus, dum „ nomen Pictoris, quod non tulit frater, ad- „ sumit, patris gloriæ æmulum; forsan Dianæ „ fanum in Aventino monte, ut parentem Sa- „ lutis templum; ut scripsit Plinius, depinxisse, „ in cujus memoriam ejus effigiem in denario ex- „ hibuit. Nisi dicamus illius templi restaurandi „ curam habuisse: nam illis temporibus tantum „ in denariis repræsentabant, quæ ad ipsorum „ gesta spectarent." Dianæ caput ad ludos seculares quoque respicere potest, ut cusus fuerit denarius a filio Numerio Fabio triumviro monetali, ante patris Caji Fabii consulatum, ad familiæ suæ prætorium honorem indicandum.

V.

GVRGES. Caput Romæ galeatum: in aversa parte *Quintus* MAX*imus Quinti Filius*. EX *Senatus Consulto*. Triremis imperatoria; in imo ROMA.

Protulit hunc denarium Goltzius in Fastis p. 84. ad A. V. C. CCCCLXXXVIII. quo consul cum L. Mamilio Vitulo fuit Q. Fabius Q. F. M. N. Gurges III. Vaillantius judicavit pertinere ad A. V. C. CCCCLXXXXII. quo quæstor denariorum curator factus fuerit hic Gurges, qui ad ædilitatem curulem pervenit A. V. C. DCLXXXXVII. Verba ejus hæc sunt p. 416. „ Tandem ordine alphabetico pervenimus ad „ Fabios cognomine Maximos, quod primus tu- „ lit Q. Fabius Rullianus, apud Plutarchum, ex „ claritate rerum gestarum. Hujus nepos fuit „ Gurges ille, de quo nobis est sermo, & filius „ Gurgitis, qui a devorato patrimonio ita dictus „ est, ex Macrobio lib. II. Saturn. Hic duos „ reliquit filios, nempe Q. Maximum Gurgi- „ tem & Q. Maximum Verrucosum. Major „ quæsturam iniit Valerio Flacco & T. Otaci- „ lio Crasso coss. anno CCCCLXXXXII. At „ quum, Romani (*sic*) ut classis pararetur, qua par- „ tim Italiam defenderent, partim in Africam „ navigarent, teste Floro lib. II. *intra sexagesi-* „ *mum diem, qua cæsa sylva fuit, centum sexagin-* „ *ta navium classis in ancoris stetit, ut non arte fa-* „ *ctæ, sed quodam munere deorum conversæ in na-* „ *ves atque mutatæ arbores viderentur.* Ut autem „ erat primus belli maritimi apparatus, senatus- „ consultus expressa sunt illius classis monimen- „ ta in denariis, & quæstores denariorum cura- „ tores facti, ut qui consules in cudenda mone- „ ta sublevarent, illos cudere etiam cœperunt, „ & Gurges triremem imperatoriam in hanc „ rem percussit. Fabius ex quæstura ad ædilita- „ tem curulem pervenit an. ꝺᵖᵞ. & quum nihil „ amplius de illius magistratibus occurrat, ante „ maturam ætatem videtur mortuus." Hinc patet ab eodem filium Q. Fabii Gurgitis, ter consulis, innui. Quæ quoque Pighii sententia est, tom. Ann. II. p. 21. Huic conjecturæ typus nummi favet.

VI.

Publius CLAVD*ius* PVLCHER. Caput dei Triumphi cincinnatis capillis ornatum, fascia illos redimente; pone eum littera T. inter duo puncta: in aversa parte, *Marcus* FABI*us Cai Filius* LICINVS. Triremis, cum remis.

Vide quæ diximus supra in gente Claudia tab. XII. inter Goltzianos num. octavo, ubi idem hic nummus cernitur. Vulgavit illum Goltzius in Fastis p. 94. ad A. V. C. DVII. quo consul fuit Fabius cum Otacilio Crasso.

VII.

Caput Romæ galeatum, pone quod ROMA, & ante VERR VCOSS*us*: in aversa parte, *Quintus* FABI*us* MAXIM*us*. Fabius togatus, in quadrigis triumphalibus, dextra equorum habenas, sinistra scipionem tenet eburneum. Victoria, per aëra volitans, ei coronam porrigit.

Ad hujus denarii interpretationem sic scripsit Ericius p. 31. „ Cusus fuit hic nummus Ro- „ mæ A. V. C. DXX. consule Q. Fabio Maxi- „ mo Verrucoso, quo tempore contra Ligures „ profectus, devictis iisdem, triumphavit. Vi- „ ctoriam illam ita describit Plutarchus: *Q. Fa-* „ *bius primo consulatu adversus Ligures profectus,* „ *summo eos prælio superavit. Qua clade accepta ad* „ *Alpes recesserunt, ac finem populandi fecerunt.* „ Belli ejusdem contra Ligures meminit Gellius „ lib. X. cap. 28. *Q. Fabius Imperator Romanus dedit* „ *ad Carthaginenses epistolam. ibi scriptum fuit, popu-* „ *lum Rom. misisse ad eos hastam & caduceum, signa* „ *duo belli aut pacis, ex quis utrum vellent, eligerent.* „ *quod elegissent id unum ut esse missum existimarent.* „ *Carthaginenses responderunt neutrum sese eligere,* „ *sed posse qui attulissent, utram mallent relinquere.* „ *quod reliquissent, id sibi pro lecto futurum.* Te- „ statur idem Zonaras. Triumphasse ex Liguria „ consules Marmora Capitolina docent, ut & „ denarius hic, in quo cernitur consul triumphans, „ cui Victoria corollam porrigit. Hic Q. Fabius „ dictus fuit Verrucosus a verruca ipsi in labio „ enata, prout scriptum reliquit Plutar- „ chus."

Vulgavit nummum Goltzius ad dictum annum in Fastis p. 99.

VIII.

BVTEO. Caput Romæ galeatum cum nota denarii. Post Romæ caput pileus Dioscurorum est, vel libertatis signum. Ab altera nummi parte Castor & Pollux hastati in equis decurrunt, cum inscriptione N*umerius* FABI*us* M*arci* F*ilius*. ROMA.

Vulgavit hunc nummum Goltzius in Fastis p. 103. ad A. V. C. DXXIX. quo Fabius Buteo magister equitum fuit dictus a L. Metello comitiorum habendorum caussa. L. Fabium Buteonem M. Fabii Ambusti, qui Buteonis primus cognomen tulit, filium, signasse hunc denarium existimat Vaillantius in quæstura provinciali A. V. C. CCCCLXXXXIX. sed adscripta vox ROMA. docet cusum fuisse in urbe, a quæstore urbano vel triumviro monetali.

IX.

Caput Romæ galeatum, pone quod ROMA. ex averso latere, N*umerius* FAB*ius* BVTEO. Eques galeatus decurrens, dextra coronam ex lauro ostentans.

Goltzius in Fastis p. 108. refert nummum ad eundem Numerium Fabium Buteonem, qui dictator sine magistro equitum, ad senatum legendum, fuit A. V. C. DXXXVIII. Vaillantius ad eundem quidem refert, sed existimat pertinere ad equestrem decursionem certaminis, & festi, quod Equiria dicebatur, & habebatur pridie Idus Martii, institutum vero erat a Romulo in honorem Martis, & cusum propterea fuisse nummum in Buteonis ædilitate curuli A. V. C. D. Sed ædilium non erat pecuniam signare. Videtur itaque aliquis ex proavis ejus Buteonis ob insigne aliquod facinus in militia equestri perpetratum, quadam corona a duce donatus fuisse; quam familiæ suæ laudem exprimere voluit in hoc denario Fabius, prout in nummis gentis Sergiæ similis eques cernitur, sed hostis præcisi caput manu gestans.

X.

Caput Romæ galeatum in corona ex lauro, pone illud ROMA. Ex aversa parte Neptunus, in quadrigis decurrentibus, dextra tridentem, sinistra tenens equorum habenas, in imo prora navis, additur Q*uintus* MAX*imus* VERRV C*osus*.

Goltzius hunc denarium vulgavit in Fastis pag. ad A. V. C. DXLIV. quo Q. Fabius Q. F. Q. N. Maximus Verrucosus consul V. de Tarentinis & Pœnis triumphavit. Ad hujus denarii illustrationem hæc scripsit Ericius p. 41. „Romæ signatus fuit hic nummus A. V. C. DXLIV. „ sub quinto consulatu Q. Fabii Maximi Verrucosi, quo tempore consul hic de Tarentinis „ & Pœnis victoriam reportavit. Quum enim „ castra sua movisset Marcellus occurrit illi Annibal, non longe a Canusio. Canusinis ab Annibale ad defectionem sollicitatis, sequitur illum „ Marcellus, & duplici prælio mox depugnatum fuit. Priore vicit Annibal, posteriore „ victus fuit, atque in Brutios retrocessit, Consul vero Q. Fabius Tarentum proditione, Punica arte usus, occupavit. Triumphasse vero „ de Tarentinis Fabium inscriptio antiqua docet, „ quæ ejusmodi est.

„ Q. FABIVS MAXIMVS DICTATOR
„ BIS COS. V. CENSOR. INTERREX II.
„ AED. CVR. Q. II. TRIB. MILITVM.
„ PONT. AVGVR. PRIMO CONSVLATV LIGVRES SVBEGIT. EX HIS
„ TRIVMPHAVIT TERTIO, ET QVARTO ANNIBALEM COMPLVRIBVS VICTORIIS FEROCEM SVBSEQVENDO COERCVIT. DICTATOR MAGISTRO EQVITVM MINVCIO CVIVS
„ POPVLVS IMPERIVM CVM DICTATORIS IMPERIO ADAEQVAVERAT,
„ EXERCITVI PROFLIGATO SVBVENIT, ET EO NOMINE AB EXERCITV MINVCIANO PATER APPELLATVS EST. CONSVL QVINTVM
„ TARENTVM CEPIT. TRIVMPHAVIT. DVX AETATIS SVAE CAVTISSIMVS, ET REI MILITARIS PERITISSIMVS HABITVS EST. PRINCEPS
„ IN SENATV DVOBVS LVSTRIS FACTVS EST.

„ Triumphi quoque ejus memoriam, præter adductam inscriptionem, typus hujus denarii conservat. In ejus parte altera enim cernitur Neptunus cum tridente quadrigis insistens triumphalibus, sub quibus prora navis est, ad denotandum hanc victoriam Fabii de Tarentinis „ navalem fuisse." Hæc scribit Ericius. Sed Neptunus & rostrum navis situm Tarenti potius exprimunt, urbis maritimæ, ut recte censet Vaillantius, cujus interpretatio ad hunc nummum p. 419. hæc est. „Fabius Maximus Verrucosus quintum tandem consulatum obtinuit cum Fulvio „ Flacco quartum an. ⁂ Italia ambobus consulibus decreta est, partito tamen regionibus „ imperio, ut Q. Fabius ad Tarentum rem gereret. Interim a censoribus Q. Maximus „ princeps senatus lectus est, & ille terra marique obsidioni Tarenti urbis adplicuit; ut „ his verbis innuit Plutarchus: *Reliquæ copiæ pariter terra marique adortæ mœnia sunt . . . cepit „ scalis urbem sexto die, illam exercitus diripuit, & „ in ærarium relata talenta tria millia.* Ex hac victoria Fabius iterum triumphavit, & ut milites remuneraret, ut moris erat, ante triumphum Romæ denarii sunt cusi, in quibus captæ urbis „ Tarenti monimenta sunt expressa, quum Neptunus in solitis quadrigatis denariis visitur tridente insignis, ad denotandum illius urbis ad „ mare situm; quod confirmat prora navis, in „ nummo signata; sed quare caput Romæ in laurea expressa est? Non acie ad Tarentum dimicavit Fabius, sed si nobis conjicere liceat, „ a Goltzio forsan pro graminea posita est, quam „ Fabio donatam esse a Senatu Populoque Romano, Annibale ab illo ex Italia pulso, refert „ Plinius, lib. XXII. cap. 5. quod exercitu servato concederetur, vel quod imperium Romanum velut liberasset, quum illa eam ob causam „ concederetur."

Quæ

FAMILIA FABIA.

Quæ quidem in hisce de graminea corona & caussa ejusdem signandæ profert Vaillantius, locum tueri nequaquam possunt. Observat enim denarios hos Romæ fuisse cusos ante triumphum Fabii ad remunerandos milites, A. V. C. DXLIV. At vero sexto post anno demum relinquere Italiam coactus fuit Annibal, A. V. C. DL. ut notum est. Quomodo igitur ob Annibalem Italia pulsum in illo Fabii nummo, quem sex ante annis cusum adfirmat, corona talis signari potuit?

XI.

Caput Junonis Sospitæ, caprina pelle amictum: pone quod EX *Senatus Consulto*. ex altera parte *Quintus* FAB*ius* *Quinti* *Filius* MAX*imus* ÆMILIAN*us*. Ara, supra quam serpens, in gyros circumvolutus, caput erigit.

L. Paulli Æmilii, qui Persen, Macedonum regem ultimum, devicerat, filium natu majorem, filio suo jam consulari amisso adoptavit. Q. Fabius Maximus Verrucosus. Dictus itaque fuit Q. Fabius Q. F. Maximus Æmilianus, atque summos in republica honores magna cum laude gessit. Typum Vaillantius spectare censet ad sacrificia Junoni Sospitæ a novis consulibus facta. Potuit tamen eo anno, quo denarius hic a Fabio cusus videtur, ex senatusconsulto, quod propterea in nummo adscribitur, peculiare aliquod sacrificium deæ illi oblatum fuisse, vel ædes refectæ.

Vulgavit Goltzius in Fastis p. 140. ad A. V. C. DCVIII quo consul fuit Fabius Æmilianus cum L. Hostilio Mancino.

XII.

Capita Jovis & Ditis jugata: in aversa parte *Quintus* FABI*us* MAX*imus* SERVILIANVS: in vertice *Senatus Consulto*. in area globus, quem caduceus & palmæ ramus decussatim ambiunt.

Præter L. Paulli Æmilii filium adoptavit quoque Q. Fabius Maximus Verrucosus filium Servilii Cæpionis, qui hinc dictus fuit Q. Fabius Q. F. Maximus Servilianus. Hujus nomen hic denarius præfert in memoriam pacis & fœderis, ut putat Vaillantius, quod cum metuendo Romanis hoste Viriatho in Hispaniis percussit Fabius Servilianus, quodque senatus adprobavit, unde nota senatusconsulti in nummo cernitur.

Nummum hunc edidit Goltzius in Fastis suis pag. 141. ad A. V. C. DCXI. quo consul fuit cum L. Cæcilio Metello Calvo.

XIII.

Caput Jovis Axuris, laureatum & inberbe, sub quo fulmen, AIMILIANI *Filius* PROCO*nSule*. ex aversa parte, *Quintus* MAXIMVS. Victoria in bigis decurrentibus, in imo ROMA.

Exstat hic nummus apud Goltzium in Fastis p. 150. ad A. V. C. DCXXXIII. quo Q. Fabius Q. Æmiliani filius, Quinti nepos, Maximus, proconsule de Allobrogibus & rege Arvernorum Bitulto vel Bituito insignem retulit victoriam. Itaque Ericius p. 134. postquam hanc ex Goltzio proposuit sententiam, hæc insuper addit ad typi explicationem. „ De hac victoria sic „ scribitur in Epitom. Liv. LXI. *Q. Fabius Maximus Cos. Paulli nepos, adversus Allobroges & Bituitum Arvernorum Regem feliciter pugnavit. Ex Bituiti exercitu cæsa millia hominum centum viginti. & cum ipse ad satisfaciendum senatui profectus esset, Albæ custodiendus datus est, quia contra pacem videbatur, ut in Galliam remitteretur. decretum quoque est, ut Congentiatus, filius ejus, comprehensus Romam mitteretur. Allobroges in deditionem accepti.* Leguntur eadem „ apud Strabonem lib. IV. & apud Orosium, qui victoriam eandem & captum regem Bituitum commemorant. Meminerunt „ insuper Cæsar lib. I. de bello Gallico & Plinius N. H. lib. VII. Appianus vero scribit Fabium, licet debilem ex vulnere paullo ante accepto, occidisse Gallorum CXX millia. Allobrogici inde nomen adeptum fuisse Fabium „ commemorat Vellejus. Marcellinus notat, „ Galliam, Italiæ vicinam, pacatam a Fabio fuisse, utpote asperrimam eandem Gallorum gentem denotans Allobrogem. Florus bis traductum in triumphali pompa fuisse Bituitum innuit his verbis lib. III. cap. 2. *Allobroges deinde, & Arverni, cum adversus eos similes Heduorum querelæ opem & auxilium nostrum flagitarent. Varus victoriæ testis, Isara, Vindelicus amnis, & impiger fluminum Rhodanus. Maximus Barbaris terror elephanti fuere, immanitati gentium pares. Nibil tam conspicuum in triumpho, quam rex ipse bis visus, discoloribus in armis, argenteoque carpento, qualis pugnaverat.* Hac expeditione „ Gallia Narbonensis in provinciæ formam redacta fuit, singulisque deinceps annis prætorem „ illuc Romani miserunt.

„ Docet itaque Victoria illa, quæ cernitur in „ bigis, grandem palmæ ramum manu tenens, „ victoriam Fabii de Allobrogibus eorumque rege Bituito."

Flori corruptum adduxit locum, legitur enim in editionibus melioribus, *quam rex ipse Bituitus, discoloribus* &c. itaque semel tantum in pompa traductus fuit Bituitus. Caput Jovis Axuris, vel votum aliquod Fabii, vel aliquid peculiare in ejus familia respicere videtur.

XIV.

Caput Jani bifrontis barbatum: ex averso latere: *Quintus* MAX*imus*. ROMA. Navis, supra quam Victoria stans, dextra coronam porrigit, sinistra palmam.

Goltzius in Fastis p. 151. retulit hunc nummum ad Q. Fabium Q. F. Q. N. Maximum Eburnum, qui consul fuit A. V. C. DCXXXVII. cum C. Licinio Geta. Vaillantius ex pondere (de quo tamen, nisi viso nummo vix statui aliquid potest) judicavit pertinere ad Q. Fabium Maximum, Verrucosum dictum, atque censet pertinere ad victoriam a Fabio Maximo consule de Liguribus relatam A. V. C. DXX. Verum, quicunque fuerit ille Fabius, qui in quæstura vel triumviratu videtur hunc assem signasse, victoriam aliquam navalem, quam illo anno adepta fuerat respublica, in nummo suo exprimere voluit.

XV.

Caput Veneris, *Publius* VATINI*us* *Publii* *Filius* *COnSule*. ex altera parte, *Quintus* MAX*imus* *Quinti* *Filius*, Sella Curulis, supra quam corona, hinc caduceus, inde lauri ramus: inter sellæ pedes *Senatus Consulto*.

Hunc nummum vulgavit Goltzius in Fastis p. 182. ad A. V. C. DCCVIII. quo consul fuit Q. Fabius cum C. Treboniano. Cusum opinatur Vaillantius A. V. C. DCCVI. quo consul fuit P. Vatinius, cujus titulus in nummo adscribitur,

 præ-

prætorem vero ſtatuit fuiſſe Fabium. Id ſi verum eſt, paucis illis diebus, quibus conſul ſuffectus fuit Vatinius, in cujus conſulatu neque ver, neque æſtas, neque autumnus fuit, teſte Cicerone, percuſſus fuit hic denarius, cujus typus reſpicit ad illos honores, quos eo anno, devicto Pompejo Magno, Cæſari victori decrevit ampliſſimos ſenatus Romanus.

XVI.

Caput Romæ galeatum, pone quod ROMA. ex averſo latere *Quintus* MAX*imus Quinti Filius Quinti Nepos*. Fabius togatus, quadrigis triumphalibus vectus, dextra habenas equorum, ſiniſtra ſcipionem tenet eburneum, in cujus apice aquila.

Vulgavit hunc denarium Goltzius in Faſtis p. 182. ad A. V. C. DCCVIII. quo una cum Cajo Trebonio Aſpro per tres menſes conſul fuit Q. Fabius Q. F. Q. N. Maximus, atque legatus Cæſaris in Hiſpaniam miſſus cum Q. Pedio, ejusdem Cæſaris legato, ex Hiſpania, permiſſu Cæſaris triumphavit. Mortuus eſt Fabius ultimo conſulatus die, quo in ſuperſtites horas pridie K. Januar. ipſi ſucceſſit ridiculus conſul C. Caninius Rebilus.

Ad hujus nummi interpretationem hæc ſcripta reliquit Ericius p. 221. „ Cuſus fuit hic denarius Romæ A. V. C. DCCVIII. quo dictator „ quartum exſtitit Julius Cæſar, Lepidus vero „ magiſter equitum iterum. Eodem anno quum „ conſul quoque quartum eſſet Cæſar, ad extre- „ mum anni honorem illum retinere noluit, ſed, „ Romam ex Hiſpania reverſus, in locum ſuum „ ſubſtituit per reliquos anni menſes Q. Fabium „ Maximum & C. Trebonium. Hinc trium men- „ ſium, ſive trimeſtris conſul Suetonio Fabius ad- „ pellatur. Eo anno graviſſimum in Hiſpania „ bellum contra Pompeji Magni filios geſſerat „ Cæſar, quod quum neque Q. Fabius & C. „ Trebonius conſules, neque proconſul Q. Pedius „ ſuſtinere poſſent, qui ibidem Cæſaris erant le- „ gati, magnis itineribus ad exercitum in Hiſpa- „ niam XXVII. diebus venit, atque egregie vi- „ cit; totamque ſibi ſubjecit Hiſpaniam. Tri- „ umphum ex Hiſpania Q. Fabio conceſſit Cæ- „ ſar, ut teſtatur Quintilianus lib. VI. ubi ita „ ſcribit: *Chryſippus, cum in triumpho Cæſaris e-* „ *burnea oppida eſſent translata, & poſt dies paucos* „ *Fabii Maximi lignea, thecas eſſe oppidorum Cæ-* „ *ſaris dixit.* Notatur inſuper in tabulis Capito- „ linis Q. Fabium Maximum conſulem menſe „ Octobri, atque proconſulem Q. Pedium men- „ ſe Decembri triumphaſſe. Dio eosdem præto- „ res & proprætores adpellat. Præmiſerat vero „ eosdem Cæſar in Hiſpaniam cum parte exerci- „ tus. Et quamvis nihil triumpho dignum per ſe „ geſſiſſent, voluit tamen Cæſar ut & ipſi tri- „ umpharent. Atque ita tres triumphi eodem „ anno exſtiterunt de civibus in Hiſpania victis, „ quod graviter admodum tulit populus Roma- „ nus, ut notat Dio.

„ Hujus triumphi memoriam quoque ſervat „ hic denarius, in quo quadrigis triumphalibus in- „ ſiſtit ipſe Fabius Maximus. Eſt & alter num- „ mus collegæ ejus in conſulatu C. Trebonii; in „ quo ab altera parte barbatum & capillatum eſt „ caput, Jovis, ut puto, pone quod ſceptrum. „ Cernitur aries a parte altera, ſtans ante aram, cui „ adjacet culter victimarius, qui ſeceſpita adpel- „ labatur. Subtus hæc eſt inſcriptio, *Caius* „ TREBONI*us Cai Filius*. Dicebatur ille C. „ Trebonius Aſper, cujus denarius eodem tem- „ pore cuſus fuit. Sceptrum ad Jovem pertinet. „ Victima, ara, & ſeceſpita ſigna ſunt ſacrifi- „ ficium illud atque victimam Jovi deſtinari. "

XVII.

Caput Apollinis radiatum: in averſa parte, PAVLLVS FABI*us* MAXIM*us*. Luna bicornis, inter quinque triones. In media area EX *Senatus Conſulto*.

Retulit hunc denarium Goltzius in Faſtis pag. 215. ad A. V. C. DCXLII. adjudicat enim Paullo Fabio Maximo, qui iſto anno conſul fuit cum Q. Ælio Tuberone. Antiquiorem vero cenſet Vaillantius, qui ad præturam patris hujus Fabii refert, quem ſtatuit fuiſſe filium Quinti, a prætore urbano Q. Pompejo bonis paternis, ob luxuriam interdicto, nepotem Fabii Allobrogici, pronepotem Q. Fabii Maximi Æmiliani, qui erat filius Paulli Æmilii, atque adoptatus a Fabio Maximo V. conſule. Hujus itaque Æmiliani pronepotem cenſet in memoriam adoptionis proavi ſui, *Paullus*, quod erat cognomen gentis Fabiæ, ut prænomen adſumſiſſe. Certum eſt ad præturam & ludos Apollinares typum hujus nummi pertinere. Sed ideo tamen a prætore non eſt ſignatus. Triumviri monetales præturam ſæpe in nummis ſuis, tanquam decus familiæ ſuæ, expreſſerunt, neque raro videntur pecuniam ex ſenatusconſulto (cujus nota adſcribitur) ſignaſſe in uſum ludorum Apollinarium, quorum ſumtus ex publico fiebant ærario. Non omnes quoque denarii, ſub Auguſto cuſi, ejus exhibent effigiem, licet in pluribus ea obſervetur, quod incredibilis eorum numerum cuſus fuerit. Itaque videtur ſignatus fuiſſe hic nummus vel ab iſto pronepote Æmiliani, vel filio ejus, conſule cum Tuberone, ſed dum triumviratu fungebatur monetali.

XVIII.

Quintus FABIVS MAX*imus*. Caput Herculis diademate revinctum & barba decorum, humeros exuviæ leonis ornant & clava ibidem exſtans. Ab altera parte deſultor eſt in equis, poſt quem litera B. alphabetica matricum nota eſt, ſubtus ſunt literæ L. Q. mure intermedio, & in loco imo literæ D. S. S.

Hujus ſingularis typi & literarum ſive inſcriptionis, averſæ præſertim partis, interpretationem dedimus ad Incerta tab. I. num. VI. ubi de Tiberio Quintio Mure ejusmodi denarios ſumus interpretati pag. 460. Inveniuntur enim ſatis multi, ſed omnes inſcripti, TI. Q. non ut hic L. Q. Quum vero omnes illi, qui in hoc opere nota C. P. ſignantur, præ Goltzianis etiam multo magis ſuſpecti mihi ſint, artificem eorum exiſtimo hunc ſequioris notæ ad Tiberii Quintii, modi citati, denarios adcommodaſſe.

Prætermittit in hac collectione ſua Morellius nummum Goltzianum, quem ille vulgavit in Faſtis p. 225. ad A. V. C. DCCLVII. Typus & inſcriptio nummi talis eſt, *Lucius* VOLVSVS III VIR. EX *Senatus Conſulto*. Caput Concordiæ velatum: in averſa parte, *Kæſo* FABI*us* AMBVST*us*. *Caius* VALERIVS POTIT*us* CO*nSul*. Duæ figuræ togatæ inſidentes thoraci, dextra lauream tenentes, Victoria coronam inter eos ſuſpenſam tenet.

Ad hunc denarium ſic commentatur Vaillantius p. 412. „ Ad duas familias; nempe Fa- „ biam & Valeriam pertinet hic denarius, ſed „ quum earum alter nominetur Kæſo Fabius

„ Am-

„ Ambuſtus, de illo nobis videtur hoc loco dicendum. Quo tempore K. Fabius & L. Valerius vixerunt, denarii argentei Romæ non cudebantur; ſed L. Voluſus ex Valeria gente, ut antiquitatem nominis ſui denotaret, L. Valerium, ſic enim in Faſtis indigitatur, exhibere voluit, comitem K. Fabio Ambuſto qui ſimul quum eſſent an. 349/50 tribuni militum conſulari poteſtate, Anxuris oppugnatio obtigerat, urbem cepit, & accedentibus collegis, nempe Valerio & Annio, oppidum vetere fortuna opulentum tres exercitus diripuere. In cujus rei memoriam L. Voluſus duos illos ſenatores, nempe K. Fabium, qui Anxur ceperat, & L. Valerium, a quo poſt quæſturam originem trahebat, tamquam Victoriæ adjutorem expreſſit. Ideo Victoria illis armorum Anxuritanorum ſpoliis inſidentibus & ambobus lauream (*ſic*) in victoriæ ſignum gerentibus, porrigit. Notandùm interea vocem COS. non Conſules, ſed Conſulari poteſtate ſignificare.

„ Lucius autem Voluſius triumvir renunciatur, & quidem monetalis Auguſti, qui ſolus hac ætate argenteam monetam cudebat. At quia Senatusconſulto opus fuit ad reſtaurandum Concordiæ ædem, caput Concordiæ, quæ in Aventino mònte in VIII. regione Fori Romani a P. Victore indicatur, cum Senatusconſulti nota, in parte denarii anteriore expreſſum eſt."

Quod in hac nota literas COS. Vaillantius interpretatur conſulari poteſtate, vix cuiquam, ut puto, placebit. Si *conſules* foret legendum, COSS. ſcriberetur; itaque pertinent ad C. Valerium Potitum, iſto enim nomine duo conſules in Faſtis occurrunt, at nullus Kæſo Fabius Ambuſtus conſul exſtitit. Hinc credo hunc L. Valerium Potiti F. M. N. Meſſallam Voluſum (ut integre Goltzio l. c. ſcribitur) celebraſſe in hoc denario antiqua familiæ ſuæ decora, & quidem conſulatum C. Valerii Potiti atque tribunatum militarem Kæſonis Fabii Ambuſti. Duo occurrunt conſules C. Valerii Potiti. Alter conſul A. V. C. CCCCXXII. quo quidem anno nulla Romanis victoria obtigit, ſed veneficii infamia notabilem eundem reddidit, moribus Romanis ante ignota. Deprehenſæ mulieres CLXX. pœnas ſceleris dederunt. Antiquior illo & celebrior fuit C. Valerius L. F. Voluſi N. Potitus Voluſus, conſul A. V.C. CCCXLIII. qui abnuentes militiam cives ad ſacramentum coëgit, & conſul de Æquis ovans urbem ingreſſus fuit, ut narrat Livius libro IV. Hic Carventanam arcem cepit, atque prædam, ibi repertam, ſub haſta vendidit, atque in ærarium intulit, prædicans, abnuentem militiam exercitum præda indignum eſſe. Ad hunc itaque figura illa ſedens ad lævam manum ſpectat. Altera, quæ ad dextram eſt, reſpicit Kæſonem Fabium Ambuſtum M.F.Q.N. Hic tribunus militum fuit conſulari poteſtate A. V. C. CCCXLIX. cum C. Valerio Potito III. aliisque; quo anno Volſci prælio victi ſunt inter Ferentinum & Ecetram, atque Artenna capta fuit & diruta. Iterum dignitatem eandem nactus fuit A. V. C. CCCLIII. & inter reliquos collegam iterum habuit Fabium Ambuſtum, IIII. iſto honore fungentem. Eo anno L. Valerius Anxur obſedit; Fabius amiſſa ad Vejos recuperavit. Fuit idem Fabius III. tribunus militum conſulari poteſtate A. V. C. CCCLVIII. quo vaſtatis Faliſcorum & Capenatium agris Capenatibus pax data fuit. Ob tot itaque victorias merito quoque palmam tenet Fabius, atque a Victoria coronatur. Maternam nobilitatem forſan ad Fabium hunc retulit IIIvir Voluſus, homo vanus, ferox, & crudelis, ut patet ex adminiſtratione Aſiæ, ubi notat Seneca lib. II. de Ira, illum ibidem proconſulem, quum trecentos una die ſecuri percuſſiſſet, incedentem inter cadavera, vultu ſuperbo, quaſi magnificum quiddam conſpiciendumque feciſſet, Græce proclamaſſe, *O rem regiam!*

Denarium hunc, quem neglexit Morellius, exhibuit ex Goltzio Vaillantius in Familia Fabia num. 1. ſed uterque prætermiſit nummum Q. Maximi Africani, quem vidimus in Fam. Arruntia tab. VIII. num. vigeſimo primo, pag. 513. qui ex more hic repeti debuerat.

F L A M I N I A.

XIX.

Caput Jovis Capitolini in laurea: ex aver parte *Caius* FLAMINI*us Cai Filius.* ROMA Victoria ſtans coronam imponit tropæo, ſiniſtra palmam gerit.

Vulgaris hic eſt quinariorum typus. Nolo tamen huic quinario invidere interpretationem, quam dat Vaillantius, quæ hæc eſt: „ C. Flaminius conſulatum adeptus eſt cum P. Furio Philo an. 530/1 ambobus decreta Gallia, inſignem ad Adduam flumen de Gallis illi victoriam reportarunt. Florus lib. II. cap. 4. *Gallos in eodem prælio Marti ſuo de hoſtium præda torquem voviſſe narrat, ſed intercepit*, inquit, *Jupiter hoc votum: nam de torquibus eorum Flaminius aureum tropæum Jovi erexit.* In cujus memoriam conſul illius figuram in quinariis forſan exprimere voluit, ad denotandum non illud eſſe (*ſic*) magnum, quod in loco victoriæ erigitur; & ex altera parte Jovem ipſum ſignavit, cujus auxilio victoriam retulerat, & illum in corona laurea exhibuit, in memoriam illius quam ei obtulit. Marmora Capitolina ex ea victoria triumphum egiſſe teſtantur.

„ C. FLAMINIVS C. F. L. N.

„ COS. ANNO DXXX / DXXXI *Varr.*

„ DE GALLEIS VI. IDVS MART.

Vulgavit hunc quinarium Goltzius in Faſtis p. 103. ad A. V. C. DXXX. „ Hic nummus (inquit Ericius p. 36.) Romæ cuſus fuit A. V. C. DXXX. conſule C. Flaminio, quo is tempore Gallos vicit & de illis triumphavit. Eo enim anno conſules C. Flaminius & P. Furius legiones Romanas in Galliam duxerunt, atque egregiam de Gallis victoriam reportarunt, ut ſcribit Polybius. Quomodo vero geſtum fuerit illud bellum, Plutarchus in Marcello deſcribit his verbis: *Cum Flaminius, ac Furius adverſus Inſubres caſtra haberent, fluvius, qui per Picenum agrum labitur, ſanguine fluxiſſe viſus eſt: tres lunas Arimini adparuiſſe nunciatum eſt, cum augures conſulti vitio creatos videri conſules reſpondiſſent, ſenatus eos ſubito ab exercitu literis revocavit. eas acceptas Flaminius non prius aperuit, quam collatis ſignis barbaros fuderit. itaque redeunti ei, ac multa ſpolia referenti populus obviam non proceſſit, ac vix triumpho con-*

„ *concesso, eum cum collega consulatu abire coegit.* Unde merito quoque scribit Orosius: *Flaminius consul contemptis auspiciis, quibus pugnare prohibebatur, adversum Gallos conflixit, & vicit. in quo prælio octo millia Gallorum cæsa, XVII. millia capta sunt.* Idem confirmat Livius lib. XXI. *Non cum senatu modo, sed cum diis immortalibus C. Flaminius bellum gerere. Consulem autem inauspicato factum, revocantibus ex ipsa acie diis, atque hominibus, non paruisse.* De consulis victoria agens Florus subjungit: *De torquibus Gallorum Flaminius aureum tropæum Jovi erexit.* Quæ quidem loca mihi satis superque videntur posse probare triumphum hunc C. Flaminii de Gallis. Et quoniam ab altera nummi parte cernimus Victoriam tropæum coronantem, innui pictura illa potest tropæum illud, quod de torquibus Gallorum erexit consul Flaminius, sicuti Florus testatur."

„ Monumentum ejusdem victoriæ C. Flaminii de Gallis alius quoque exhibet nummus argenteus victoriatus, qui a parte priore Romæ caput exhibet cum denarii nota & literis ROMA. Ab altera parte citis bigis insistit Victoria equos scutica propellens, cum hac inscriptione, *Caius* FLAMINI*us Cai Filius.*"

XX.

Caput Romæ galeatum, ante quod ROMA: in aversa parte *Caius* FLAMINI*us Cai Filius.* Victoria in bigis, flagrum tenens dextra.

Edidit hunc denarium Goltzius in Fastis pag. 104. atque eundem retulit ad C. Flaminium C. F. L. nepotem, eundem scilicet, cujus memoria in præcedente quinario exstare creditur. Vaillantius Goltzii sententiam sequitur, censet vero ab eodem quæstore urbano, A. V. C. DXV. signatum fuisse hunc denarium. Videntur vero eodem tempore signati fuisse denarius hic & præcedens quinarius. In utroque enim typus est quinariorum & denariorum vulgaris, & vox ROMA utrique adscribitur.

XXI.

Capita jugata Penatium laurea coronata. Ante vero illa duæ literæ initales, D. P. id est Dii Penatès: in averso latere sella curulis prætoria, supra quam bilanx, in cujus medio cornupiæ, ad dextrum latus caduceus, ad sinistrum EX *Senatus Consulto.* in imo *Caius* FLAMINIVS *Cai Filius.*

Quum in hoc denario non adscribatur nomen Romæ, extra Urbem cusus esse videtur, videlicet in Sicilia, ad quam recens provinciam factam missus fuit C. Flaminius, ut ex Solino quoque observavit Vaillantius. Solini verba cap. XI. hæc sunt: *Post Sardiniam res vocant Siculæ, primo, quod utraque Insula in Romanam potestatem redacta, iisdem temporibus provincia facta est, quum eo anno Sardiniam M. Valerius, alteram C. Flaminius Prætores primi sortiti sunt.* Prætor in Siciliam profectus ponitur a Pighio A. V. C. DXXVI. neque typus prætori & provinciæ ejus Siciliæ est inconveniens. Sella enim curulis ad honoris dignitatem spectat, bilanx ad justitiam prætoris, caduceus ad pacem provinciæ redditam, cornucopiæ ad ubertatem rerum omnium ex hac felicitate proventuram. Senatusconsulti nota adscribitur, quod ejus jussu & decreto hæc pecunia signata fuisse videatur. Dii Penates & Romæ & provinciæ Siciliæ conveniunt, ut ostendit idem Vaillantius. Segesta enim, Siciliæ urbs, condita fuerat ab Ænea, quum in Siciliam cum Palladio & Penatibus advenisset, quorum cultum Segestanis reliquit.

Vulgavit hunc nummum Goltzius in Fastis p. 105. ad A. V. C. DXXXIII. quo censor Flaminius cum collega L. Æmilio Papo lustrum fecit XLIII.

XXII.

Caput Julii Cæsaris laureatum sine inscriptione; ab altera parte aream nummo per transversum & in circuitu hæc occupat inscriptio, *Lucius* FLAMINIVS *Titi Filius Lucii Nepos* IIIIVIR *Auro Argento Aeri Flando Feriundo.*

Noti sunt nummi Julii Cæsaris a L. Flaminio IIIIviro monetali signati; qui figuram muliebrem stolatam, stantem cum caduceo & hasta exhibent, sed in illis nomina patris atque avi absunt, quæ quidem leguntur in hoc denario, quem edidit Goltzius in Julio Cæsare pag. 12

F L A V I A.

XXIII.

FIMBRIA. Capita Castoris & Pollucis laureata: in aversa parte aquila legionaria inter duo signa militaria. Adscribitur *Caius* FLAVIVS *Titi Filius.*

Observat Vaillantius a quæstore C. Flavio Fimbria cusum fuisse hunc denarium A. V. C. DCXXXII. occasione coloniæ Carthaginem lege Rubria deducendæ. Aquila & signa militaria veteranos milites respiciunt, qui in coloniam mittebantur, Dioscuri vero felicem eorundem navigationem. Fimbria tandem consularis domi suæ in tumultibus Cinnanis fuit confossus. Tyrannidis Cinnanæ amarus minister exstitit, & filium reliquit propterea (ut volunt) Sævinum dictum, ad quem sequens spectat denarius.

Fimbriæ hunc nummum vulgavit Goltzius in Fastis p. 157. ad A. V. C. DCXLIX. quo consul fuit Fimbria cum Cajo Mario II.

XXIV.

Lucius FLAVI*us Cai Filius* SAEVINVS. Caput Romæ galeatum, ex altera parte caduceus, in medio duorum cornucopiæ, cum vocibus EX *Senatus Consulto.* in corona e lauro composita.

Invenitur hic denarius apud Goltzium in Fastis p. 197. ad A. V. C. DCCXX. quo ex Kal. Majis L. Autronio Pæto suffectus consul fuit hic Flavius Fimbriæ (ut creditur) filius. Consul tantum per unum fuit mensem, qui enim dederat illi consulatum Antonius, mox ademit, aliumque substituit. Ex Sexto Pompeio amicissimis fuerat. Unde videtur ante consulatus honorem eodem anno sub Sexto Pompejo denarium hunc signasse; quamprimum de pacis conditionibus inter Sextum & triumviros Antonium atque Cæsarem convenerat, idque ex senatusconsulto, quum plurimum gauderent cives concordiam rediisse, & pro fame successisse ubertatem, verosque non de civibus sed hostibus in posterum sperarent triumphos.

TAB. XVII.

FONTEIA.

I.

Caput Veneris; in aversa parte *Caius* FONTEI*us* CAPITO IIIVIR. Tripus, supra quem corona, in laurea.

Vulgavit hunc denarium Goltzius in Fastis p. 231. & retulit ad C. Fontejum C. F. C. N. Capitonem, qui consul fuit A. V. C. DCCLXIV. cum Germanico Cæsare. At Vaillantius interpretatur de patre ejusdem, qui consul suffectus fuit cum M'. Acilio Aviola Kal. Juliis A. V. C. DCCXX. „ Qui (inquit) triumvir monetalis, „ post pugnam Pharsalicam, in Julii Cæsaris „ gratiam, Veneris effigiem, ex qua se originem „ traxisse jactabat, expressit, & in memoriam „ ludorum Apollinarium tripodem, hujus dei „ insigne, cum corona, quæ in sacris, quæ ante „ ludos in ejus honorem fiebant, illi porrigeba- „ tur, exhibuit. Laurea autem, quæ ambitum „ occupat, ad Cæsaris victorias spectat. "

Huic opinioni videtur favere corona, quæ ab utraque nummi parte est, & in priore Veneris caput, tanquam Victricis, ambit, in posteriore vero tripodem cum corolla includit. Tripus vero mihi spectare videtur ad aliquod Fonteji Capitonis sacerdotium, corolla tripodi imposita victoriam item Cæsaris denotare videtur.

II. *vacat.*

FUFIA.

III.

LEIBERTAS. Caput Libertatis velatum: in aversa parte, *Quintus* CALENVS CO*nSul.* ibidemque aliud nomen circa ambitum videtur erasum. Apex, securis, & culter.

Vulgavit Goltzius hunc denarium in Fastis p. 178. ad A. V. C. DCCVI. quo consulatum extremo anni tempore suffecti gesserunt Q. Fufius Q. F. Q. N. Calenus & P. Vatinius P. F. Unde merito, ut plurimorum hujus generis, suspecta eruditis Goltziana hæc sunt numismata. Notat Vaillantius caput Libertatis exprimi, quasi victo Pompejo & debellatis ejus partibus libertatem populi Romani Cæsar vindicasset. Typus aversæ partis ad pontificatum Cæsaris, vel aliquod Caleni sacerdotium, respicere videtur.

FULVIA.

IV.

FLACCVS. Caput Romæ galeatum: in aversa parte *Marcus* FVLVI*us Quinti Filius.* in imo ROMA. Castor & Pollux decurrentes in equis, armati hastis, & astris supra capita insigniti.

Denarius hic a Goltzio in Fastis p. 85. refertur ad M. Fulvium Flaccum Q. F. M. N. consulem A. V. C. CCCCLXXXIX. cum Appio Claudio Caudice, ad quem videtur pertinere quinarius num. VIII. sed quod longior & operosior denarii hujus sit inscriptio, Pighius atque Vaillantius adscribunt alteri M. Fulvio Q. F. fratri scilicet Q. Fulvii, cujus utriusque pater fuit Q. Fulvius Flaccus consularis & censorius, qui Capuam cepit, avus vero M. Fulvius. Romæ cusus est denarius, ut inscriptio testatur, & Q. Flaccus, qui eum cudit, eo tempore triumvir monetalis fuisse videtur.

V.

Caput Neptuni supra Delphinum, cum tridente supra humerum sinistrum, ROMA. Ex aversa parte in imo *Marcus* FVL*vius Quinti Filius* FLAC*cus.* Quadrigæ triumphales, in quibus figura stat habitu triumphali, dextra habenas, sinistra lauream. Victoria in curru pone eam coronam supra caput illius imponit. In vertice litteræ numerales XIII. cum lineola supra eas ducta.

Hujus denarii apud Ericium p. 10. hæc est explicatio. „ Signatus fuit hic nummus Romæ „ A. V. C. CCCCLXXXIX. quo tempore Flac- „ cus consul bello cum Vulsiniensibus finem de- „ dit, quod præcedente anno, Q. Fabio Gurgi- „ te consule, initium sumserat. Triumphavit eo- „ dem anno Flaccus, ut Tabulæ Capitolinæ te- „ stantur, adstipulante Zonara, qui illum fuisse „ ait qui Fabio succedens, post ejus mortem, „ Vulsiniensi bello finem imposuit. Testimo- „ nium hujus rei est currus triumphalis in num- „ mo, cui triumphans insistit consul Flaccus, „ quem pone stans Victoria coronat. Quod Ne- „ ptuni imago in parte nummi priore sit, fa- „ ctum fuisse existimo ex peculiari ejus dei cultu „ quo prosecutus illum fuerit Flaccus, qualia „ multa in aliis quoque nummis occurrunt. "

Et hæc quidem Ericii est sententia, qui Goltzium (ut passim) sequitur. Is enim ad dictam Flacci de Vulsiniensibus victoriam retulit hunc denarium in Fastis p. 85. Sed Vulsiniensibus nihil cum deo Neptuno fuit, neque ad peculiarem dei ejus cultum, respectu Flacci, est confugiendum. Oportet, ut populus, de quo triumphus fuerit actus, maris accola exstiterit, atque classibus in illa expeditione, & Neptuno favente, opus fuerit Romanis. Hinc Vaillantii sententia melior videtur, qui censet cusum fuisse denarium ab eodem Fulvio Flacco, qui præcedentem signavit, sed eo tempore, quo quæstor videtur fuisse fratris Q. Fulvii proprætoris Hispaniæ Citerioris, in quam simul missi fuerunt A. V. C. DLXVI. ut ex Livio patere potest. Existimat itaque illam innui Hispaniam, quæ Tarraconensem efficit provinciam, & mari est exposita; adeoque M. Fulvium Flaccum in gratiam triumphi fratris sui Quinti hunc typum in denariis suis expressisse. Literæ numerales mihi videntur spectare ad notas matricum, ut & signum illud quasi lanceæ vel spicæ, vel folii, quod erectum cernitur ante pedes equorum, nisi gladium innuat Hispanicum, cujus lata pariter a parte inferiore forma cognosci potest ex familiæ Carisiæ nummis apud Morellium pag. 75. Vicit Hispanos gravibus præliis, præsertim A. V. C. DLXXII. & DLXXIII. prorogata enim illi fuit provincia, & usque in successoris adventum ibi mansit, atque A. V. C. DLXXIII. triumphavit.

VI.

Caput deæ Fidei corona oleagina ornatum: in aversa parte CN*eus* FVLVI*us* CN*ei Filius* CN*ei* *Nepos*

FAMILIA FULVIA.

N*epos* MAX*imus* CENTUMAL*us*. Sella Curulis, supra quam corona, in vertice bilanx, in imo EX *Senatus Consulto*.

Valde vetustum facit hunc denarium Goltzius, dum in Fastis p. 86. refert ad CN. Fulvium CN. F. CN. N. Maximum Centumalum, qui A. V. C. CCCCLXXXX. dictator clavi figendi caussa electus fuit. Non solebant illis temporibus tam operosa inscriptione & ejusmodi typis insigniri denarii, sed brevioribus & simplicioribus. Refert itaque Vaill. ad ejus nominis Fulvium, qui ædilis curulis fuit A. V. C. DXXXIX. & ad sacra deæ Fidei facta reparata ejus æde refert p. 456.

VII.

NOBILIOR. Victoria pectore tenus alata: in aversa parte, SER*vius* PAETIN*us* M*arci* F*ilius* PR*o* CO*n*S*ule*. Neptunus in quadrigis triumphalibus, dextra erecta, sinistra tridentem tenet & habenas equorum.

Quomodo Pætini cognomen in gentem Fulviam introductum fuerit, ubi de Fulviis Nobilioribus agit Vaillantius p. 464. hisce docet „ Hi „ primum Corvi cognominati sunt, sed omnes, „ antequam signaretur argentum, periere; dein- „ de ab iis adoptatus ex gente Ælia, qui Pæti „ cognomen ferebat, in hanc stirpem, dictus est „ PAETINUS. Ex hac prodit Servius Fulvius „ NOBILIOR Pætinus, M. filius, qui quæsturam „ militarem assequutus an. $^{486}/_{7}$ tribunus plebis „ fuit an. $^{491}/_{2}$ ædilis plebis an. $^{494}/_{5}$ Prætor ur- „ banus an. $^{496}/_{7}$ & tandem consul cum M. Æ- „ milio Paullo an. $^{498}/_{9}$ ambobus Sicilia & classis „ obtigere." Refert deinde res prospere a consulibus contra Pœnos terra marique gestas, quæ ibi legi possunt, ut & apud Ericium p. 18. cujus liber quoniam non est in omnium manibus, atque insuper Italico idiomate scriptus, huc adferemus quæ ibidem dixit: „ Signatus, inquit, hic num- „ mus fuit Romæ A. V. C. CCCCLXXXXIX. „ quo tempore Servius Pætinus Nobilior pro- „ consul navalem egit triumphum de Cossurensi- „ bus & Pœnis. Narrant enim Orosius & Zo- „ naras, Æmilium Paullum & Fulvium Nobi- „ liorem consules, postquam adlatus fuit in Urbem „ nuncius de captivitate Reguli & exercitus „ ejus clade, in Africam navigasse cum classe „ ducentarum navium, atque Clupeam venisse. „ Ibi vero eodem tempore classem Punicam to- „ tidem fere navium illis occurrisse. Itaque „ quum prælium differri non posset, victam fu- „ isse classem Punicam, atque submersas naves „ CIV. captas vero fuisse una cum armatis XXX. „ Occisa præterea XXXV. hostium millia, quum „ Romani in illa pugna non plures quam mille „ & centum milites atque novem naves amisissent. „ Exscensione deinde in terram facta consules non „ longe a Clupea offenderunt duos Hannones, „ Pœnorum duces, cum exercitibus validis, quos „ profligarunt cæsis novem hostium millibus. „ Quum post hæc classis Romana in patriam re- „ verteretur onusta præda, naufragium misere „ passa fuit, sic ut ex classe trecentarum navium „ CCXX. fuerint submersæ, atque projecta in „ mare præda reliquæ LXXX. vix salvæ evase- „ rint. Leguntur hæc eadem apud Polybium „ atque Eutropium. Tabulæ quoque Capitoli- „ næ testantur utrumque consulem eo anno tri- „ umphasse de Cossurensibus & Pœnis, quum „ tamen tam horrendum naufragium passi „ fuissent. Cossura insula fuit in mari Africo, „ ad quam tempestate delatos fuisse consules nar- „ rat Zonaras, qui vastatam eandem præsidio fir- „ marunt. Victoria itaque, quæ a parte num- „ mi priore est, & currus triumphalis, qui ab „ altera parte conspicitur, ostendunt cusum fu- „ isse hunc nummum post victoriam navalem „ atque triumphum de Pœnis & Cossurensi- „ bus."

Hæc Ericii fere verba sunt, Vaillantius vero notat ex iisdem Tabulis Capitolinis non quidem eo anno quo victoriam adepti fuerunt, sed sequenti, propter navium & adparatus jacturam triumphasse victores. Februario enim mense id factum fuisse legitur in iisdem Tabulis:

SER. FVLVIVS M. F. M. N.

PAETINVS. AN. CDXCIX / CDXCX. *Varr.*

NOBILIOR. PRO COS. DE COSSV-

RENSIBVS ET

POENIS. NAVALEM. EGIT.

XIII. KAL. FEBR.

Consules scilicet fuerant anno præcedente CCCCLXXXXVIII. At quod idem scribit Vaillantius consules tempestate fuisse obrutos, quæ quidem navium *tertiam partem* demerserit, in eo male mentem suam exprimit, plus enim quam duas tertias partes navium abstulit, imo Eutropio & Polybio testibus, valde paucæ superfuerunt, *sic ut ex quadringentis sexaginta quatuor navibus octoginta servari vix potuerint.* Eutrop. lib. II. cap. 22. Orosius historiam hanc atque cladem eleganter extendit lib. IV. cap. 9. his verbis: *Igitur Æmilius Paullus & Fulvius Nobilior consules, audita captivitate Reguli & clade exercitus Romani, transire in Africam cum classe* CCC. *navium jussi, Clupeam petunt. Eo confestim Carthaginenses cum pari classe venerunt, nec differri potuit navale certamen.* CIV. *naves Carthaginensium demersæ, triginta cum pugnatoribus captæ, præterea triginta quinque millia militum ex ipsis cæsa sunt: Romanorum autem, novem navibus depressis, mille centum periere milites. Consules apud Clupeam castra posuerunt. Duo Annones imperatores Pœnorum eo rursum cum magno exercitu convenerunt, prælioque commisso, novem millia militum perdiderunt. Sed & tunc apud Romanos nunquam diuturna felicitas erat, & qualescunque successus magnis continuo malorum molibus obruebantur. Cum Romana classis ad Italiam prædis onusta remearet, infando naufragio eversa est: nam de trecentis navibus* CCXX. *perierunt, octoginta vix abjectis oneribus liberatæ sunt.*

Vulgavit nummum hunc Goltzius in Fastis pag. 90. ad A. V. C. CCCCLXXXXIX.

VIII.

Caput Jovis laureatum: in aversa parte M*arcus* FLAC*cus* in imo ROMA. Coronam imponit tropæo Victoria stans.

Quinarius hic a Vaillantio refertur ad M. Fulvium Q. F. M. N. Flaccum, qui A. V. C. CCCCLXXXIX. de Vulsiniensibus triumphavit. Goltzius autem in Fastis p. 94. ad A. V. C. DVII. quinarium hunc adferens, credidit pertinere ad M. Fulvium M. F. M. N. Flaccum, qui comitiorum habendorum caussa eo anno a dictatore Coruncanio magister equitum dictus fuit. Quoniam patris nomen non additur, incertum videtur

detur ad quem M. Flaccum sit referendus quinarius, cujus typus omnium fere quinariorum est.

IX.

Caput Romæ galeatum: in aversa parte CN*eus* CENTVMAL*us*. in imo ROMA. Castor & Pollux, in equis decurrentes, cum hastis, astris supra capita insigniti.

Retulit hunc denarium Goltzius in Fastis p. 101. ad Cn. Fulvium Cn. F. Cn. N. Centumalum, qui consul fuit A. V. C. DXXIV. cum L. Postumio Albino, quique postea proconsule A. V. C. DXXV. Illyricum obtinuit, atque ex illa provincia triumphavit. Goltzium sequitur Vaillantius, qui insuper putat anno consulatus ejusdem cusum fuisse hunc nummum, quoniam eo tempore consules monetam signari curabant, quod unde haustum sit nescio.

X.

Caput Jovis laureatum: in aversa parte *Quintus* FLAC*cus* in imo ROMA. Victoria stans, dextra coronam imponit tropæo, ad cujus imum sedet humi barbarus, manibus post terga revinctis.

Vulgavit hunc quinarium Goltzius in Fastis p. 111. ad A. V. C. DXLIII. adeoque refert ad Q. Fulvium M. F. Q. N. Flaccum eo anno dictatorem comitiorum habendorum caussa. Vaillantius ad eundem refert & victoriam ejus A. V. C. DXLI. de Hannone, Pœnorum duce, quem, ad Beneventum castra habentem, ingenti prælio devicit, occisis sex millibus, captis vero septem millibus ex exercitu ejus. Non diffitetur tamen & ad filium, ejusque de Hispanis victoriam referri posse, ad quem retulit Pighius tom. II. p. 341. sed ita ut ad secundum ejus triumphum, qui de Liguribus fuit, referat.

XI.

Caput Nemeseos vel Veneris, cum tutulo divinitatis, & monili. Additur FLACCVS. In aversa parte caduceus alatus, M*arcus* CLAVD*ius* M*arci* F*ilius* MARCEL*lus* Q*uintus* FVLV*ius* M*arci* F*ilius*.

Invenitur hic denarius apud Goltzium in Fastis p. 111. ad A. V. C. DXLIV. quo consul cum Q. Fabio Maximo V. fuit Q. Fulvius M. F. Q. N. Flaccus IIII. De ipso nummo egimus ad familiam Claudiam supra tab. XII. num. 13. pag. 535.

XII.

M*arcus* FVLVI*us* M*arci* F*ilius* NOBILIOR. Caput Jovis Capitolini, barbatum & laureatum: in aversa parte EX S*enatus* C*onsulto*. ROMA. Victoria, ad cujus pedes prora navis, scribit in clypeo, tropæo appenso, in imo hinc temo, inde ancora decussatim inversi.

Hujus denarii typus insignis est, & Fulvii, qui cum Ætolis, Ennio comite, bellavit (ut ait Cicero Orat. pro Archia cap. XI.) nobile exhibet monumentum. Vulgavit hunc, qui inter veros videtur locum habere posse, Goltzius in Fastis p. 123. ad A. V. C. DLXVI. quo, juxta Marmora Capitolina, M. Fulvius M. F. Ser. N. Nobilior II. pro consule de Ætolis, Ambracibus, & Cephalenia X. Kal. Mart. triumphavit. Cur Jupiter in parte priore signetur, docet Vaill. p. 466. „ Quum „ inquit) Ambracia Pyrrhi Regis quondam fuerat „ regia, ex ea an. ***. signa marmorea & ænea „ adduxit, & in triumpho auri & argenti, ut & „ hostium armorum copiam magnam transtulit „ XXVII. duces captivos duxit, & plurima ex„ ercitui largitus est, qua de re Ludos, quos Jo„ vi Opt. Max. voverat, Magnos edere illi „ concessum est S. C. Igitur ejus effigiem, „ laurea ornatam, in anteriore expressit. In aver„ sa Victoria scribit in clypeo illam (*sic*) quam „ de Ætolis retulit; & imo temo, prora, an„ cora, insignia sunt captæ insulæ Cephaleniæ: „ nota EX S. C. ea omnia ex Senatusconsulto „ facta fuisse denotat." Illustravit eundem hunc nummum Ericius p. 72. his verbis: „ signatus „ fuit hic nummus Romæ A. V. C. DLXVI. „ quo M. Fulvius Nobilior proconsule trium„ phavit de Ætolis, Ambracibus, & insula Ce„ phalenia. Quum enim consul exsistens Fulvius „ contra Ætolos fuisset missus, pluribus illos „ præliis devicit, atque Ambraciæ inclusos ad „ deditionem coëgit. Deinde in insulam Cepha„ leniam transmisit, quam Romanis subjecit. „ Romam itaque reversus triumphum petiit, &, „ frustra impedire conante tribuno plebis M. A„ burio, impetravit. Titulo itaque proconsulis „ de Ætolis & Cephalenia triumphavit, ut scri„ bunt Livius, Eutropius aliique. Fulvii con„ sulis mentionem facit Cicero I. Tuscul. his „ verbis: *Cato objecit ut probrum Marco Nobiliori,* „ *quod is in provinciam poëtas duxisset, duxerat au*„ *tem consul ille in Ætoliam, ut scimus, Ennium.* „ De eodem loquitur Plinius lib. XXXV. *Zeuxis* „ *fecit figulina opera, quæ sola in Ambracia relicta* „ *sunt, cum inde Musas Fulvius Nobilior transfer*„ *ret*, &c.

„ Typus itaque denarii hujus clara exhibet te„ stimonia victoriæ, quam reportavit M. Fulvius „ de Ætolis, Ambracibus & Cephalenia, cly„ peo enim inscribens cernitur dea, atque „ ipsum tropæum ornatur spoliis hostilibus, te„ mone insuper & navis rostro adjectis."

XIII.

Caput Romæ galeatum, pone quod ROMA. In averso latere, Q*uintus* FVL*vius* Q*uinti* F*ilius* FLAC*cus* PRO PR*ætore*. Victoria in bigis decurrentibus, dextra lauream, sinistra equorum habenas tenet.

Vulgavit hunc denarium Goltzius in Fastis p. 227. ad A. V. C. DLXXIII. quo Q. Fulvius Q. F. M. N. Flaccus pro prætore ex Hispania Citeriore de Celtiberis triumphavit. Ad quem Flaccum & victoriam eandem Ericius & Vaillantius quoque retulerunt. Operosam vero victoriæ ejusdem & pugnæ descriptionem ex Livii lib. XL. cap. 31. commentario suo inseruit Ericius, scribens p. 82. „ Signatus fuit hic denarius Romæ, eo „ tempore, quo victoria in Hispaniis a prætore „ Fulvio Flacco relata fuit. Quum etenim A. V. „ C. DLXXI. Fulvius Flaccus in Hispaniam ci„ teriorem fuisset profectus, ubi bellum renova„ verant Celtiberi, eodem anno cum magna re„ rum in provincia gestarum fama Romam re„ versus fuit. Et quum ad petendum trium„ phum extra civitatem degeret, consul creatus „ fuit cum L. Manlio Acidino, & paucis post „ diebus triumphans urbem introiit. Belli hujus „ & victoriæ rationem descriptam habemus apud „ Livium his verbis: *Magnum bellum ea æstate* „ *coortum in Hispania citeriore. Ad quinque & tri*„ *ginta millia hominum, quantum nunquam ferme* „ *antea Celtiberi comparaverant. Q. Fulvius Flac*„ *cus*

„ *cus eam obtinebat provinciam. is quia armare juventutem Celtiberos audierat, & ipse, quanta poterat, a sociis auxilia contraxerat; sed nequaquam numero militum hostem æquabat. Principio veris exercitum in Carpetaniam duxit, & castra locavit ad oppidum Eburam, modico præsidio in urbe posito. Paucis post diebus Celtiberi, millia duo ferme, inde sub colle posuerunt castra, quos, ubi adesse prætor Romanus sensit, M. Fulvium fratrem cum duabus turmis sociorum equitum ad castra hostium speculatum misit, quam proxime succedere ad vallum jussum, ut viseret, quanta essent; pugna abstineret, reciperetque sese, si hostium equitatum exeuntem vidisset. Ita ut præceptum erat, fecit. per dies aliquot nihil ultra motum, quam ut hæ duæ turmæ ostenderentur: dein subducerentur, ubi equitatus hostium castris procurrisset. Postremo & Celtiberi omnibus simul peditum equitumque copiis castris egressi, acie directa medio ferme spacio inter bina castra constiterunt. Campus erat planus omnis, & aptus pugnæ. ibi stetere Hispani hostem exspectantes. Romanus intra vallum suos continuit per quatriduum continuum, & illi eodem loco aciem instructam tenuerunt. Ab Romanis nihil motum. inde quievere in castris Celtiberi, quia pugnæ copia non fiebat; equites tantum in stationem egrediebantur, ut parati essent, si quid ab hoste moveretur. pone castra utrique pabulatum & lignatum ibant, neutri alteros impedientes. Prætor Romanos, ubi satis tot dierum quiete credidit spem factam hosti, nihil se priorem moturum: L. Acilium cum ala sinistra, & sex millibus provincialium auxiliorum circumire montem jubet, qui ab tergo hostibus erat: inde ubi clamorem audisset, decurrere ad castra eorum. nocte profecti sunt, ne possent conspici. Flaccus luce prima C. Scribonium præfectum socium ad vallum hostium cum equitibus extraordinariis sinistræ alæ mittit. quos, ubi & proprius accedere, & plures, quam soliti erant, Celtiberi conspexerant, omnis equitatus effunditur castris simul & peditibus signum ad exeundem datur. Scribonius, uti præceptum erat, ubi primum fremitum equestrium audivit, avertit equos, & castra repetit. eo effusius sequi hostes. primo equites, mox & peditum acies aderat, haud dubia spe, castra eo die se oppugnaturos. quingentos passus non plus a vallo aberant. Itaque ubi Flaccus satis abstractos eos a præsidio castrorum suorum ratus est intra vallum exercitu instructo, tribus partibus simul erumpit: clamore non tantum ad ardorem pugnæ excitandum sublato, sed etiam, ut qui in montibus erant, exaudirent. nec morati sunt, quin decurrerent, sicut imperaturum erat, ad castra: ubi quingentorum armatorum, non amplius, relictum erat præsidium. quos quum & paucitas sua, & multitudo hostium, & improvisa res terruisset, prope sine certamine capiuntur castra. castris, quæ pars maxime a pugnantibus conspici poterat, injecit Acilius ignem. Postremi Celtiberorum, qui in acie erant, primi flammam conspexere. deinde per totam aciem vulgatum est, castra amissa esse, & tum, cum maxime, ardere: unde illis terror, inde Romanis animus crevit. jam clamor suorum vincentium accidebat, jam ardentia hostium castra adparebant. Celtiberi parumper incertis animis fluctuati sunt. ceterum posteaquam receptus pulsis nullus erat, nec usquam, nisi in certamine, spes; pertinacius de integro capessunt pugnam. Acie media urgebantur acriter. a quinta legione adversus lævum cornu, in quo sui generis provincialia auxilia instruxisse Romanos cernebant, cum majore fiducia intulerunt signa. Jam prope erat, ut sinistrum cornu pelleretur Romanis, ni septima legio successisset: simul ab oppido Ebura, qui in præsidio relicti erant, in medio ardore pugnæ advenerunt, & Acilius ab tergo erat. Diu in medio cæsi Celtiberi. qui supererant, in omnes passim partes capessunt fugam. Equites bipartito in eos emissi, magnam cædem edidere. ad viginti tria millia hostium eo die cæsa: capta quatuor millia, & octingenti cum equis plus quingentis: & signa militaria nonaginta octo. Magna victoria, non tamen incruenta fuit. Romani de duabus legionibus milites paulo plus ducenti, socium Latini nominis octingenti triginta, externorum auxiliarium duo millia ferme & quadringenti ceciderunt.* Hanc descriptionem nobis ejus belli atque victoriæ dat Livius. Celtiberi olim dicebantur, qui istam Hispaniæ partem, quæ nunc Aragonia & Navarra vocatur, incolebant. Hujus victoriæ mentio quoque exstat apud Orosium. *Q. Fulvius Flaccus prætor in citeriore Hispania maximo prœlio viginti quatuor millia hominum occidit, quatuor millia cepit.* Similia habet Appianus, iisque omnibus egregie illustratur hujus denarii typus, qui Victoriam in bigis exhibet dextra manu coronam præferentem. "

XIV.

Caput Romæ galeatum, pone quod FLACCVS: in aversa parte, *Quintus* FVLVI*us Quinti Filius.* Jupiter in quadrigis triumphalibus, dextra palmam tenet, sinistra fulmen & habenas equorum.

Dubitant antiquarii ad quam victoriam Fulvii hic nummus sit referendus, & an primi ejus de Celtiberis an secundi de Liguribus triumphi sit testimonium. Ad priorem pertinere censet Vaillantius, ad posteriorem Goltzius, Pighius, & Ericius. Goltzius enim vulgavit hunc nummum in Fastis p. 127. ad A. V. C. DLXXIV quo Q. Fulvius Q. F. M. N. Flaccus II. cos. de Liguribus triumphavit; eumque (ut passim) sequitur Ericius p. 84. ita scribens: „ Cusus fuit hic nummus Romæ sub consulatu secundo Q. Fulvii Flacci, tempore quo victoriam retulit de Liguribus. Scribit enim Livius Fulvium consulem contra Ligures profectum, postquam per asperos atque arduos montes traduxisset exercitum, prælio cum illis decertasse, & victorem exstitisse, captis quoque eorundem castris die eodem, atque tribus millibus & ducentis hostium in potestatem redactis. Unde omnis Ligurum terra in Romanorum potestatem venit, qui præsidia in montibus & locis aptis disposuerunt. Consulum alter L. Manlius nihil memorabile contra Ligures gessit, de quibus triumphus Q. Fulvio datus est, magis tamen per gratiam quam gestorum contra Ligures respectu. Magnam armorum vim reportavit, nihil enim aliud fere ex hostibus retulerat. Accidit vero ut eodem die triumpharet, quo ante annum proprætore triumphum egerat. Fidem hujus de Liguribus triumphi facit typus hujus denarii, Jupiter scilicet in quadrigis triumphalibus. "

Et hæc quidem Ericii explicatio est, sed Vaillantius potiore jure existimat ad nobiliorem illum ex Hispania citeriore de Celtiberis triumphum hunc nummum pertinere. Fuerunt enim victoriæ ejus in Hispania insignes & complures, præsertim in saltu Manliano, ut describit operose Livius in iis, quæ lib. XL. locum illum ab Ericio

ad-

adductum sequuntur. Præterea idem Livius cap. 43. triumphi ejus & donativi magnificentiam hisce describit: *Q. Fulvius Flaccus ex Hispania rediit Romam cum magna fama gestarum rerum, qui quum extra urbem triumphi caussa esset, consul est creatus cum L. Manlio Acidino; & post paucos dies cum militibus, quos secum deduxerat, triumphans urbem est invectus. Tulit in triumpho coronas aureas centum viginti quatuor: præterea auri pondo triginta unum; & signati Oscensis nummum centum septuaginta tria millia ducentos. Militibus de præda quinquagenos denarios dedit: duplex centurionibus, triplex equiti, tantundem sociis Latini nominis: & stipendium omnibus duplex.* Additque paullo post cap. XLV. *Ludi deinde votivi Q. Fulvii consulis per dies decem magno adparatu facti.* Ex quibus recte videtur concludere Vaillantius ob votum Jovi a Fulvio in prælii discrimine factum, & dei ejus caput in nummo exhiberi, & ipsum Jovem triumphantem in curru consistere.

XV.

NOBILIOR. Caput Pietatis: in aversa parte, *Marcus* FVLVI*us Marci Filius*. Simpulum, lituus, tripus, securis, & culter.

Hunc denarium Vaillantius refert ad M. Fulvium M. F. Ser. N. Nobiliorem, qui de Ætolis triumphavit; sed ad filium ejusdem retulit Goltzius in Fastis p. 135. ad A. V. C. DLXXXXIV. quo consul fuit cum L. Anicio Gallo. Videtur aliquod sacerdotium in Fulvii familia fuisse, quod M. Fulvius IIIvir monetalis per deæ Pietatis caput & instrumenta sacrorum expresserit.

XVI.

NOBILIOR. Caput Jovis barbatum & laureatum: in aversa parte *Marcus* FVLVI*us Marci Filius*. in area ROMA. Victoria coronam tropæo porrigit.

Vulgavit hunc nummum Goltzius p. 136. in Fastis ad A. V. C. DLXXXXV. quo de Liguribus & Eleatibus triumphavit M. Fulvius M. F. M. N. Nobilior. Goltzium sequuntur Ericius & Vaillantius; ex quibus Ericii p. 96. hæc sunt verba. „ Signatus fuit hic nummus Romæ A. „ V. C. DLXXXXV. quo de Liguribus & E- „ leatibus victoriam reportavit Fulvius, ut, præ- „ ter Marmora Capitolina & Florum, testatur „ quoque Strabo lib. IV. Bellum enim contra „ Ligures anno DXV. inceptum finem anno „ DLXXXXV. sub consule Fulvio accepit. „ Quod bellum inter Romanos atque Ligures „ tam diu tractum fuit, quoniam semper Ligures „ iter illis in Hispaniam terra impediebant, atque „ mari latrocinabantur. Post octoginta itaque „ annos per victoriam Fulvii finis huic tam lon- „ go bello fuit inpositus; de iis vero triumphavit „ Fulvius, ut docet Victoria, quæ a parte num- „ mi posteriore tropæum componit. "

XVII.

Caput Romæ galeatum: in altera parte, Victoria agit quadrigas decurrentes, dextra flagrum, sinistra habenas habet. Additur SER*vius* FLAC*cus*. in imo ROMA.

Ut solet Goltzius proferre denarios, non eo semper anno, quo videntur fuisse signati, sed quo conspicuos in republica honores gesserunt illi, in quorum gratiam sunt signati; ita hunc publicavit in Fastis p. 144. ad A. V. C. DCXVIII. quo Servius Fulvius Flaccus consul de Vardis ex Illyrico videtur triumphasse. Unde ad hunc nummum ita scribit Ericius p. 119. „ Cusus fuit hic nummus A. V. C. „ DCXVIII. consule Servio Fulvio Flacco, quo „ anno victoriam obtinuit ex Illyrico de Vardis, „ ejus gentis populo. Illyrii enim, Persei bello „ a Romanis victi, pacem ab eo usque tempore „ servaverant, donec Vardi armis Illyricum, quod „ sub Romanorum erat potestate, sunt adgressi, „ quum legatos ibi cum exercitibus non habe- „ rent Romani, prospere rem gesserunt. Ve- „ rum mox cum exercitu profectus consul Ful- „ vius, uno prælio eosdem debellavit, atque ita „ finem bello isti inposuit, ut testatur Epitome „ Livii LVI. his verbis: *Fulvius Flaccus consul* „ *Vardæos in Illyrico subegit.* De triumpho qui- „ dem Fulvii nihil legitur, sed quum ibi legatur „ verbum *subegit*, puto triumphasse consulem. „ Eodem anno in Sicilia servi bellum moverunt, „ cujus occasio apud Florum invenitur. De isto „ bello sic legitur in Epitoma Livii LVI. *Bel-* „ *lum servile in Sicilia ortum, cum opprimi a præ-* „ *toribus minime valuisset, C. Fulvio Consuli manda-* „ *tum est. Cujus belli initium fuit Eunus servus,* „ *natione Syrus: qui, contracta agrestium servorum* „ *manu, & solutis ergastulis, justi exercitus nume-* „ *rum implevit. Cleon quoque alter servus ad septua-* „ *ginta millia servorum contraxit. & copiis junctis* „ *contra populum Romanum, exercitumque ejus bel-* „ *lum sæpenumero gesserunt.* Apud Orosium lib. „ V. cap. 6. hæc leguntur. *Ser. Fulvio Flacco Q.* „ *Calpurnio Pisone Coss. bellum in Sicilia servile or-* „ *tum, quod adeo grave multitudine servorum tunc* „ *ad arma instructorum, copiaque & magnitudine* „ *virium fuit, ut non dicam prætores Romanos,* „ *quos penitus profligavit, sed consules quoque ter-* „ *ruerit. nam LXX. millia servorum tunc in armæ* „ *conspirantium fuisse referuntur, excepta urbe Mes-* „ *sana, quæ servos liberaliter habitos in pace conti-* „ *nuit.* Illud bellum servile, quod a prætoribus „ extingui non potuit, tandem finem accepit du- „ ce Perpenna, qui merito supplicio fugitivos „ servos adfecit. Sed ut ad nostri Fulvii rever- „ tamur nummum, is clare docet de Vardis tri- „ umphasse consulem, propter quadrigas trium- „ phales, quæ in illius parte posteriore cernun- „ tur. Consule autem Fulvio & Pisone motum „ fuisse bellum illud, ut dixi, servile, antiqua ta- „ bula marmorea testatur, in qua scribitur SER. „ FVLVIO. FLACCO. Q. CALPURNIO. „ PISONE. COS. A. P. V. C. DCXX. „ REMP. BELLO SERVILI. TVRBAN- „ TE. Id est, anno post V. C. DCXX. " Nota æram istius tabulæ biennio discrepare ab altera.

Vaillantius quidem concedit ad illum Servium Fulvium Flaccum hunc denarium pertinere, sed cum simplex in illo quadrigati typus adpareat, nihil ad illam victoriam pertinere. Quod ego quoque existimo, & a triumviro monetali signatum fuisse.

XVIII.

Caput Romæ galeatum: in aversa parte bigæ, aurigante Victoria, cum flagro, *Marcus* FLAC*cus*. in imo, ROMA.

Protulit hunc denarium Goltzius in Fastis p. 148. ad A. V. C. DCXXX. adeoque tribuit M. Fulvio M. F. Q. N. Flacco, qui proconsule de Liguribus Vocontiis & Salviis victoriam reportavit. Goltzium sequitur Ericius p. 127. „ Signatus (inquit) hic nummus fuit A. V. C. „ DCXXX. quo Fulvius Flaccus proconsule de „ Liguribus Vocontiis & Salviis triumphavit.

„ Triumphasse vero eundem Tabulæ Capitolinæ testantur. Victos ab eodem fuisse Ligures apud Obsequentem quoque legitur, sed in ejus consulatu. De Vocontiis ita scribit Strabo lib. *Post Salvios tenent montana Vocontii.* Regio eorum ad Allobroges sese extendit: scribit quoque Plutarchus in seditione Gracchana, quæ biennio post accidit, Fulvium suos armasse spoliis; quæ consul de Gallis retulerat. Idem tamen, ut & Vellejus, consularem eundem & triumphalem quoque adpellat. Victoriæ istius atque triumphi testis hic denarius est. "

Vaillantius hunc nummum tribuit M. Fulvio Q. F. M. N. Flacco, quem notat Gellius consulem fuisse A. V. C. CCCCLXXXIX. Sed a quocunque cusus fuerit, id certum est vulgarem esse bigatum, nec certam aliquam victoriam respicere, ideoque a M. Flacco aliquo, triumviro monetali, cusum fuisse.

Abest ab hac congerie nummus Cn. Fulvii & T. Torquati, sed quum iterum occurrat in Fam. Manlia infra tab. XXIII. num. penultimo, de illo acturi sumus. Abest quoque alter Cn. Fulvii nummus, quem exhibet Morell. infra in Fam. Livia tab. XXXIII. num. tertio.

F V R I A.

XIX.

PHILVS. Caput dei Triumphi, pone quod ancora inversa: ex posteriore parte P*ublius* FVRI*us* SP*urii Filius.* in imo ROMA. Consul in quadrigis decurrentibus, dextra habenas, sinistra lauri ramum, pone eum Victoria illi coronam imponens.

Vulgavit hunc denarium in Fastis suis p. 104. Goltzius, atque retulit ad P. Furium Sp. F. M. N. Philum, qui consul A. V. C. DXXX. de Gallis & Liguribus triumphavit. Ad eundem referunt Ericius & Vaillantius, & Ericii quidem verba hæc sunt p. 37. „ Cusus fuit hic nummus Romæ A. V. C. DXXX. quo collega Furii in consulatu fuit C. Flaminius, atque de Gallis & Liguribus victoriam reportavit Furius, deque iis triumphavit. Scio quidem apud historiæ scriptores non fieri Furii hujus triumphi ullam mentionem expressis verbis, sed scriptum invenimus apud Polybium expeditionem contra Gallos utrique consuli feliciter successisse, licet ibi Ligurum in specie non meminerit, quod forte non numeraverit inter Liguriæ populos, qui non longe a Massilia habitabant, Anamaros, quos a consulibus ad amicitiam populi Romani perductos fuisse scribit. Zonaras narrat, negatum consulibus a senatu fuisse triumphum, sed a populo concessum.

„ Confirmat tamen Furii consulis triumphum hic denarius, in cujus parte aversa (nam in priore Apollinis est caput) cernitur consul triumphantis ritu, lauri ramum dextra tenens, post quem stans Victoria eundem coronat. Ancora, quæ post caput Apollinis est, navalem aliquam victoriam indicare videtur. "

XX.

Caput Apollinis laureatum: in aversa parte L*ucius* PVRPVREO. Victoria in bigis, dextra flagrum, sinistra equorum habenas.

Profertur hic nummus a Goltzio in Fastis p. 117. ad A. V. C. DLIII. quo L. Furius Sp. F. Sp. N. Purpureo prætor de Gallis triumphavit. Victoriæ ejus præliique descriptionem ex Livio lib. XXXIX. dedit Ericius. Verba Ericii hæc sunt p. 60. „ Signatus fuit hic nummus Romæ A. V. C. DLIII. quo L. Furius Purpureo prætor ad exercitum C. Aurelii consulis contra Gallos profectus, victoriam insignem obtinuit, quam eleganter his verbis descripsit Livius lib. XXXI. cap. 21. *Jam exercitus consularis ab Aretio Ariminum traductus erat, & quinque millia socium Latini nominis ex Gallia in Etruriam transierant, itaque L. Furius magnis itineribus ab Arimino adversus Gallos Cremonam tum obsidentes profectus, castra mille quingentorum passuum intervallo ab hoste posuit. Occasio egregie rei gerendæ fuit, si protinus de via ad castra oppugnanda duxisset. Palati passim vagabantur per agros, nullo satis firmo relicto præsidio, lassitudini militum timuit, quod raptim ductum agmen erat. Galli clamore suorum ex agris revocati, omissa præda, quæ in manibus erat, castra repetivere, & postero die in aciem progressi. nec Romanus moram pugnandi fecit, sed vix spatium instruendi fuit: eo cursu hostes in prælium venerunt. Dextra ala (in alas divisum socialem exercitum habebat) in prima acie locata est: in subsidiis duæ Romanæ legiones. M. Furius dextræ alæ, legionibus M. Cæcilius, equitibus L. Valerius Flaccus (legati omnes erant) præpositi. Prætor secum duos legatos, Cn. Lætorium, & P. Titinium habebat; cum quibus circumspicere, & obire ad omnes hostium subitos conatus posset. Primo Galli omni multitudine in unum locum adnixi, obruere atque obterere sese dextram alam, quæ prima erat, sperarunt posse. ubi id parum procedebat, circumvenire a cornibus, & amplecti hostium aciem (quod multitudini adversus paucos facile videbatur) conati sunt. Id ubi vidit prætor, ut & ipse dilataret aciem, duas legiones ex subsidiis dextra lævaque alæ, quæ in prima acie pugnabat, circumdat, ædemque Deo Jovi vovit, si eo die hostes fudisset. L. Valerio imperat, ut parte duarum legionum equites, altera sociorum equitatum in cornu hostium emittat, nec circumvenire eos aciem patiatur. simul & ipse, ut extenuatam mediam diductis cornibus aciem Gallorum vidit, signa inferre confertos milites, & perrumpere ordines jubet. Et cornua ab equitibus, & media pedite pulsi. ac repente, quum omni parte cæde ingenti sternerentur, Galli terga vertunt, fugaque effusa repetunt castra. fugientes persecutus eques, mox & legiones insecutæ in castra impetum fecerunt. Minus sex millia hominum inde effugerunt. Cæsa & capta supra quinque & triginta millia cum signis militaribus octoginta, carpentis Gallicis, multa præda oneratis, plus ducentis. Amilcar dux Pœnus eo prælio cecidit, & tres imperatores nobiles Gallorum. Placenti captivi ad duo millia liberorum capitum redditi colonis. Magna victoria letaque Romæ fuit. literis allatis, supplicatio in triduum decreta est. Romanorum sociorumque ad duo millia eo prælio ceciderunt: plurimi dextræ alæ, in quam primo impetu vis ingens hostium illata est. Quamquam per prætorem prope debellatum erat, consul quoque C. Aurelius perfectis, quæ Romæ agenda fuerant, profectus in Galliam, victorem exercitum a prætore accepit."* Hæc ita copiose satis ex Livio adtulimus, ut pateat, nobilis hujus victoriæ testem esse hunc nummum, Victoriæ ipsius imagine in bigis triumphalibus collocata. Ipsum vero prætorem

„ Romæ

„ Romæ triumphasse non invenio. "

Hæc Ericius, qui si pervolutasset diligentius Tabulas Capitolinas & istum Livii librum, & ipsum triumphum prætoris sine exemplo, & circumstantias ejus invenisset. Verba enim Livii sunt eodem lib. XXXI. cap. 47. *Consul alter C. Aurelius ad confectum bellum quum in provinciam venisset, haud clam tulit iram adversus prætorem, quod absente se rem gessisset. Misso igitur eo in Etruriam, ipse in agrum hostium legiones induxit, populandoque, cum præda majore quam gloria bellum gessit. L. Furius, simul quod in Eutruria nihil erat rei quod gereret, Gallica triumpho imminens, quem absente consule irato atque invidente facilius impetrari posse ratus, Romam inopinato quum venisset, senatum in æde Bellonæ habuit: expositisque rebus gestis, ut triumphanti sibi in urbem invehi liceret, petit. Apud magnam partem senatus, & magnitudine rerum gestarum valebat, & gratia. Majores natu negabant triumphum: & quod alieno exercitu rem gessisset, & quod provinciam reliquisset aviditate rapiendi occasionem triumphi; id vero eum nullo exemplo fecisse. Consulares præcipue, exspectandum fuisse consulem dicebant.* Deinde aliquanto post cap. 48. *Hujus generis orationibus ipsius amicorumque victa est præsentis gratia prætoris, absentis consulis majestas: triumphumque frequentes L. Furio decreverunt. Triumphavit de Gallis in magistratu L. Furius prætor. In ærarium tulit trecenta viginti millia æris, argenti centum septuaginta millia pondo: neque captivi ulli ante currum ducti, neque spolia prælata, neque milites secuti. Omnia, præter victoriam, penes consulem esse adparebat.*

Sed quum simplex victoriati denarii typus sit, dubium est, an ad triumphum & tantam victoriam denarius referri possit.

XXI.

EX *Senatus Consulto.* Caput Jovis Capitolini sub quo fulmen. In aversa parte *Publius* FURIUS CN*ei Filius* PHILUS. Duæ sellæ curules, supra singulas est corona.

Hunc nummum vulgavit Goltzius in Fastis p. 143. ad A. V. C. DCXVII. quo consul fuit P. Furius Cn. F. cum Sexto Atilio Serrano. Nummus ex auro esse perhibetur, & creditur Vaillantio signatus fuisse a P. Furio Philo, ædili curuli, A. V. C. DCXVIII. quod magnos ludos in honorem Jovis edidisset. Id verum esse respectu ædilium potuit, a Furio tamen, ut ædili, signatum fuisse nummum non puto.

XXII.

OB CIVIS SERVATOS. Corona quernea, inter duos lauri ramos. *M*arcus FURIUS *P*ublii *F*ilius CAMILLUS III. VIR. *A*uro *A*rgento *A*eri *F*lando *F*eriundo. in area. *S*enatus *C*onsulto.

Camillus, qui ut triumvir senatus monetalis in hoc nummo occurrit, is videtur esse, qui A. V. C. DCLX. ad consulatum pervenit, &, Q. Cretico Silano successor datus, sub Tiberio Augusto Africam provinciam proconsule obtinuit A. V. C. DCCLXX. Ex fratre nepotem M. Furii Camilli, legati Julii Cæsaris in Gallia fuisse existimat Vaillantius.

Produxit hunc nummum Goltzius in Fastis p. 228. ad A. V. C. DCCLX.

XXIII.

EX *S*enatus *C*onsulto. Caput Romæ galeatum cum lituo ante faciem. Ab altera parte capra stans cernitur, cum inscriptione *L*ucius FURIUS *P*ublii *F*ilius.

Hic nummus ex Goltzianis non est, sed qui eum nobis obtrudit, respexisse videtur ad L. Furium Philum, prætorem A. V. C. DLXXXII. qui creditur Publii fuisse filius; sed, ut dixi, fictus est nummus, & sine veri specie.

FURNIA.

XXIV.

Caput Africæ proboscide ornatum: in aversa parte *Caius Furnius Publii Filius.* Pegasus alatus.

Multam veri speciem hic denarius habet, de quo operæ pretium est audire Vaillantium, qui plura profert ad hunc Furnium cognoscendum. Scribit itaque p. 476. ita de C. Furnio. „ Ad C. „ Furnium P. filium pertinere denarium docet epigraphe: sed quis ille Furnius fuerit; an C. „ Furnius, de quo sæpe loquitur Cicero in epistolis? Typus denarii eum in Africa cusum denotat, sed non modo Africæ caput (*sic*) elephante, sed pegasus Africæ ipsius, ut norant antiquarii, symbolum. Caius autem ille Furnius quæsturam provincialem iniit $\frac{698}{9}$ tribunus plebis fuit an. DCCIII. Sequuto mox bello Civili, Cæsari adhæsit, ut indicant hujus litteræ ad Ciceronem. Post pugnam Pharsalicam animum erga Ciceronem immutasse videtur, nam Cicero ad Atticum, II. ep. 8. *Furnius*, inquit, *est illic mihi amicissimus.* Si denarium cudit, sequutus sit in Africam Cæsarem oportet, & ibi pro eo denarios signaverit, ut Cæsaris hostes percussisse observavimus: nam vox ROMA, in hoc non est, & Africæ effigiem & symbola præfert. Furnius post cædem Cæsaris, legatus L. Planci designati consulis, in Gallia, quum præturam petere vellet, & Cicero dissuaderet, se cum Antonio conjunxit, a quo Asiæ proprætore factus est an. $\frac{717}{8}$ & contra Sex. Pompejum in Asia bellum molientem missus est cum Titio an. $\frac{718}{9}$ Post pugnam Actiacam ann. $\frac{722}{3}$ a Cæsare per filium suum veniam obtinuit (apud Senecam de Benef. lib. II.) C. Furnius ejus filius consulatum gessit an. $\frac{736}{7}$ Eusebius in Chron. illum ante patrem mortuum esse narrat, apud quem pater & filius clari oratores habentur." Hæc Vaillantius; addo illum, postquam in gratiam a Cæsare receptus fuit, statim de honore consulari degustasse. Fecit enim illum consulem suffectum Cæsar ex Kal. Novemb. A. V. C. DCCXXIV. unde ad illum annum profertur hic nummus a Goltzio in Fastis pag. 203.

C. Furnii, legati proprætoris M. Crassi, nummus profertur infra in gente Licinia num XV.

TAB. XVIII.

GABINIA.

I.

Aulus GABINI*us Auli Filius.* Caput Jovis Capitolini, sub quo fulmen: in parte aversa caput bovis infula ornatum, in corona quernea.

Vulgavit hunc nummum aureum Goltzius in Fastis

Fastis p. 174. ad A. V. C. DCLXXXXV. quo consul fuit cum L. Calpurnio Pisone Cæsonino A. Gabinius A. F. Itaque Vaill. censet cusum fuisse a Gabinio consule nummum hunc in memoriam sacrificii, quod Jovi Capitolino facere solebant consules die, quo magistratum inibant, unde caput vittatum bovis in nummo cernatur, quod videlicet in Capitolium adscendentes consules duos juvencos injuges Jovi mactare solebant; unde apud Ovidium:

Jamque novi præeunt fasces, nova purpura fulget,
Et nova conspicuum pondera sentit ebur.
Colla rudes operum præbent ferienda juvenci,
Quos aluit campis herba Phalisca tuis.

Querneam addi coronam adserit, quod illa a consulibus Jovi, ut summo civium servatori, oblata fuerit.

Si tempore reipublicæ Romanæ moris fuerit, ut Kal. Jan. occasione novorum consulum cusi fuerint nummi, qui nomen eorundem atque sacrificii typum exhiberent, crediderim jus cudendi illos nummos fuisse apud triumviros monetales, non apud consules. Dein, quum simul duo crearentur consules, qui eadem die magistratum inibant, atque sacrificia Jovi offerebant, non video, cur unius tantum nomen in denariis inscriptum legatur. Denique, quum maxime requireretur, ut dignitatis honos & titulus adderetur, simplex nomen A. Gabinii A. F. in hoc nummo ponitur, & sic in aliis nummis, quos consulibus passim adsignat Vaillantius, idem observare licet. Scilicet, quum illud persuadere lectoribus instituerit Vaillantius (quod ipsum credidisse vix puto) omnes nummos Goltzianos esse veros, nullosque ex iis ex Goltzii ipsius non fabrica (ut qui nusquam inveniantur) sed delineatione & mente profectos, promiscue in opere suo consulibus etiam, prætoribus, ædilibus, tribunis plebis, triumviris ædium sacrarum reficiendis & similibus magistratibus jus monetæ signandæ adseruit. Neque enim alias satis commode interpretationes Goltzianis illis nummis adaptari posse videbat.

Itaque, si revera aureum talem nummum viderit Goltzius, signatum puto fuisse ab A. Gabinio A. F. triumviri monetali, cum signandi hujus typi occasionem præbere potuerit sacrificium aliquod solenne, quod oblatum Jovi Capitolino fuerit, quia rempublicam servasset integram, quo corona quernea respicere potest.

A. Gabinius non magnam integritatis famam habuit, quum enim A. V. C. DCLXXXXVI. Syriam proconsule obtinens, extra ordinem imperio accepto, Ptolemæum Auletem in regnum reduxisset, avare & flagitiose provinciam rexisse dicitur, unde redux atque reus factus, damnationem vix effugit.

GELLIA.

II.

Caput Libertatis velatum, *Quintus* LVTATIus *Quinti Filius Quinti Nepos* CATVLVS AED*ilis* CVR*ulis*. EX *Senatus Consulto*. in aversa parte sella curulis est inter duos lauri ramos, supra eam corona. Adscribitur *Lucius* GELLIus *Lucii Filius* CO*nSul*.

Invenitur aureus hic nummus in Fastis Goltzianis p. 168. ad A. V. C. DCLXXXI. quo consul fuit L. Gellius L. F. Poplicola cum Cn. Cornelio Lentulo Clodiano. Mentionem itaque facit nummus & consulis Gellii, &, qui eodem consule ædilis curulis exstiterit, Q. Lutatii Catuli. Sed, quum post Q. Lutatium Q. F. Q. N. Catulum, consulem A. V. C. DCLXXV. nullus eo nomine Catulus in magistratu Romano occurrat, ad nummi hujus subsidium necessario fingere debuit Vaillantius in Familia Lutatia p. 76. consulari huic & censorio Q. Catulo fuisse filium ejusdem nominis, qui ædilis curulis fuerit consule L. Gellio. Sed, ut sorex suo se indicio prodit, sic quoque subdititius hic nummus. Inscribitur ædilis curulis Q. Lutatius Catulus, quum tamen Lutatia gens esset plebeja, quæ magistratum illum, patriciis proprium, gerere non poterat. Livius lib. VII. cap. I. *Annus hic insignis novis duobus magistratibus, prætura, & curuli ædilitate. Hos sibi patricii quæsivere honores pro concesso plebi altero consulatu.* Et hinc Q. Catulus ante consulatum & censuram non inter ædiles curules, sed plebis ponitur a Pighio ad A. V. C. DCLXVII. Omnia itaque, quæ ad interpretationem hujus nummi adferuntur, uno verbo præcidimus, falsum videri nummum & vere Goltzianum. Imo magna mihi est suspicio omnes illos ejus viri nummos, qui consulum & ædilium curulium conjuncta habent nomina, ejusdem farinæ esse.

III.

EX *Senatus Consulto*. Caput Jovis laureatum: in aversa parte *Lucius* GELLIus *Lucii Filius* POBLICOLA AED*ilis* CVR*ulis*. Aquila insistens fulmini, in area præfericulum.

Quem modo habuimus consulem L. Gellium hic habemus, juxta Vaillantium, ædilem curulem, forsitan non veriore ex nummo, quam qui præcessit. Goltzio illum debemus in Fastis p. 194. verum ille ad filium L. Gellii refert, qui consul cum M. Coccejo Nerva A. V. C. DCCXVII. abdicavit. Typum Vaillantius refert ad ludos magnos.

IV.

ANTON*ius* IMP*erator* CO*nSul* DESIG*natus* ITER*um* ET TER*tium* IIIVIR R*ei Publicæ Constituendæ*. Capita adversa M. Antonii & reginæ Cleopatræ. Ab altera parte navis est prætoria remis & velis instructa, cum inscriptione, *Lucio* GELLIo *Lucii Filio* POPLICOLA *Marco* OCTAVIO Q. . . . . . . PRAETORI*bus* ANT*onii*.

Hic L. Gellius Poplicola, Antonii dux, vix alius esse potest, quam avus L. Gellii L. F. L. N. Poplicolæ, qui consul fuit A. V. C. DCCLXXXXII. sub Caligula, filius L. Gellii consulis A. V. C. DCLXXXI. & is ipse quidem, ad quem præcedentem aureum nummum retulit Goltzius. M. Octavius, cujus insuper nomen in nummo scribitur, videtur fuisse filius M. Octavii Liguris. Tempora non male conveniunt, nam M. Octavius Ligur pater, una cum L. Gellio Poplilicola patre, inter prætores A. V. C. DCLXXVII. numeratur, & sic filii eorundem quoque fuerunt coëtanei.

Pro M. OCTAVIO Q. . . . . in nummo exstitisse puto M. OCTAVIO M. F. Quinti enim prænomen genti Octaviæ non fuit familiare, sed Marci. Vulgavit nummum hunc Goltzius in Antonio pag. 44.

V.

V.

IMPerator CAESAR DIVI Filius AVGVSTVS PONtifex MAXimus TRibunitia POTestate X. Caput Augusti nudum. Ab altera parte bos est cum triumvirorum inscriptis nominibus, qui tamen duumviri vocantur, *Aulo* GELLIO *Decimo* SILVANO *Publio* CILONE IIVIRis.

Plures tales nummos produxit Goltzius, & hunc quidem in Augusto p. 51.

GINVTIA.

VI.

ROMA. Caput Romæ galeatum. Ab altera parte est elephas, subscribitur *Lucius* GINVTIVS.

Qui fictitium hunc nummum, ne recte quidem inscriptum, obtrudere nobis voluit, respexisse videtur ad Lucium Genucium L. F. consulem A. V. C. CCCCL. vel L. Genucium Clepsinam, consulem A. V. C. CCCCLXXXII. aliumve ejus gentis prænomine Lucium.

Nummum quendam familiæ Hateriæ vide infra tab. XXVIII. num. undecimo Fam. Pomponia.

HELVIA.

VII.

BLASIO. Caput Victoriæ pectore tenus cum alis: in aversa parte *Marcus* HELVIus *Publii Filius*. Victoria in quadrigis decurrentibus, dextra tenet flagrum, sinistra habenas equorum.

Vulgavit hunc denarium Goltzius in Fastis p. 119. ad A. V. C. DLVIII. quo M. Helvius P. F. Blasio pro prætore ovans ex Hispania citeriore urbem ingressus est.

Videtur itaque hujus denarii typus ad victoriam Helvii de Hispanis pertinere, quam describit Livius lib. XXXIV. cap. 10. *Eodem tempore M. Helvio decedenti ex ulteriore Hispania cum præsidio sex millium, dato ab Ap. Claudio prætore, Celtiberi agmine ingenti ad oppidum Illiturgi occurrunt. Viginti millia armatorum fuisse, Valerius scribit; duodecim millia ex iis cæsa; oppidum Illiturgi receptum, & puberes omnes interfectos. Inde ad castra Catonis Helvius pervenit. & quia tuta jam ab hostibus regio erat, præsidio in ulteriorem Hispaniam remisso, Romam est profectus, & ob rem feliciter gestam ovans urbem est ingressus. Argenti infecti tulit in ærarium quatuordecim millia pondo septingenta triginta duo: & signati bigatorum septendecem millia viginti tria; & Oscensis argenti viginti millia quadraginta triginta octo. Caussa triumphi negandi senatui fuit, quod alieno auspicio, & in aliena provincia, pugnasset. Ceterum biennio post redierat, quum provincia successori Q. Minucio tradita, annum insequentem retentus ibi longo & gravi morbo fuisset. Itaque duobus modo mensibus ante Helvius ovans urbem est ingressus, quam successor ejus Q. Minucius triumpharet.* Pecunia hæc signata fuisse videtur ex argento, quod secum adtulerat.

HERENNIA.

VIII.

Caput galeatum, pone quod ROMA. in aversa parte *Marcus* HERENNius *Cai Filius*. Castor & Pollux equites, hastis & astris insigniti, in diversa abeuntes.

In historia Romana inter magistratus duo occurrunt M. Herennii, quorum alter C. F. scribitur, ut is cujus in hoc nummo nomen exstat, alterius nudum nomen sine paterno nomine ponitur. Posterior inter consules suffectos numerarur A. V. C. DCCXIX. ex Cal. Novemb. Prior, qui C. F. scribitur, gessit consulatum A. V. C. DCLX. cum C. Valerio Flacco; cui tempori multo magis typus & simplicitas denarii convenire videtur, quam posteriori. Ab illo itaque M. Herennio in triumviratu monetali hunc denarium signatum fuisse existimo, in quo Dioscuri aversi & a se invicem discedentes exhibentur respectu fabulæ antiquæ, ut Vaillantius recte observavit. Notum enim est, Pollucem, quum soli ipsi immortalitas competeret, divisisse cum fratre illam prærogativam, unde alternis creduntur vicibus mori & reviviscere. Ad quod fingendum veteres permoti videntur, quia eorum stellæ ita se habent, ut occidente una, oriatur altera. Inter nummos Ursinianos, in Fam. Servilia tab. prima num. III. eadem Castoris & Pollucis est pictura, nisi quod ibi discedentes circumacto capite sibi invicem valedicant, hic vero jam plane in diversa discedant. Nummus verus esse videtur; protulit ad consulatum Herennii Goltzius in Fastis p. 161.

HERMINIA.

IX.

ROMA. Caput Romæ galeatum; ab altera parte est camelus lento gressu respiciens; subtus scribitur SPurius HERMINIVS SPurii Filius.

Tam ignotus in historia Romana est Spurius hic Herminius, quam apud antiquarios spurius hic C. P. denarius, ut camelum esse oporteat eum, qui pro vero sit habiturus.

HIRTIA.

X.

PIETAS. Caput Pietatis: in aversa parte sacerdos, dextra pateram invergit super aram ignitam, pone eum camillus tenet ambabus manibus suffimenta pro sacris: adstant ex adverso duo consules togati, hastis cum pedulis insignes. Additur *Aulus* HIRTIus *Auli Filius*.

Insignem hunc nummum aureum (modo genuinum esse constaret) atque typi elegantis, vulgavit Goltzius in Fastis p. 184. ad A. V. C. DCCX. quo consul fuit cum Vibio Pansa A. Hirtius, atque ad bellum civile Mutinense profectus fuit. Hinc suspicatur Vaillantius signatum fuisse nummum in ejus expeditionis memoriam, atque ita scribit p. 488. „ Ab anteriore

„ parte visitur caput Pietatis; sed illius quæ in „ patriam debetur; ideo velata non est, ut manife„ sta (*sic*) desit, & in aversa parte ambo consules, „ ad aram stantes, videntur hastis armati, licet „ togati sacris assistentes, quæ sacerdos faciebat „ adsistente Camillo: sed Dio tradit, loco citato, „ exta ab Aruspicibus, propter multitudinem „ sanguinis dijudicari non potuisse, quod malum „ omen cum aliis, ipsis protendit; & consules „ quoque, ante ferias Latinas, Urbe profecti; „ quod quotiescunque factum fuit, pernicie „ ipsorum fuit: nam ambo in prælio ad Muti„ nam, etiamsi victores, ceciderunt; Hirtius „ quidem in pugna, Pansa vero post paucos dies „ ex vulneribus, Bononiæ.

Dionis testimonium pro sua interpretatione advocat Vaillantius, verum, si verba Dionis inspiciamus, nihil ex illis ad A. Hirtium, sed omnia ad C. Vibium Pansam pertinent. Ubi enim prodigia consuli Pansæ oblata commemorat lib. XLVI. pag. 312. mentionem quoque facit extorum & sacrificii, ad quod respexit Vaillantius. Verba Dionis hæc sunt: Ἐν ὅσῳ δὲ ταῦτ' ἐπράττετο, τέρατα αὖθις οὐ σμικρὰ καὶ τῇ πόλει, καὶ αὐτῷ τῷ ὑπάτῳ τῷ Οὐιβίῳ ἐγένετο· ἐν γὰρ τῇ ἐσχάτῃ ἐκκλησίᾳ, μεθ' ἣν ἐς τὸν πόλεμον ἐξώρμησεν, ἄνθρωπός τις τὴν νόσον τὴν ἱερὰν καλουμένην ἔχων, δημηγοροῦντός τι αὐτοῦ κατέπεσε· καὶ ἀνδριὰς αὐτοῦ χαλκοῦς ἐν τῷ τῆς οἰκίας προθύρῳ ἑστὼς, ἀνετράπη αὐτόματος τῇ ἡμέρᾳ, τῇ τε ὥρᾳ ᾗ ἐξεστράτευσε. τά τε ἱερὰ τὰ προπολέμια οἱ μάντεις οὐκ ἠδυνήθησαν ὑπὸ τοῦ πλήθους τοῦ αἵματος διαγνῶναι. *Interim prodigia non vilia Urbi ipsique consuli Vibio Pansæ evenerunt. In ultima enim concione, a qua in bellum profectus est, vir quidam morbo comitiali laborans concidit, orante ad populum consule: eaque die eaque ipsa hora qua is ad bellum profectus est, statua ærea in vestibulo domus collocata, sponte sua eversa est, ac in sacris, quæ initio belli haberi consueverant, exta ab aruspicibus propter multitudinem sanguinis dijudicari nequivere.* Narrat Dio Pansæ ituro ad bellum (unde paludamentum quoque illi simul adlatum fuisse per puniceam vestem indicat auctor) ipsaque profectionis hora illud obtigisse, quum scilicet jam absens esset Hirtius, profectus ante cum Octaviano, ut patet ex ejusdem Dionis verbis ibid. pag. 315. Δείσας οὖν ὁ Καῖσαρ μὴ καὶ βίᾳ ἁλῷ, ἢ καὶ ἀπορίᾳ τῶν ἐπιτηδείων ὁμολογήσῃ, ἠνάγκασε τὸν Ἴρτιον συνεπιστρατεῦσαι. ὁ γὰρ Οὐίβιος ἐν τῇ Ῥώμῃ ἔτι τούς τε καταλόγους ἐποιεῖτο, καὶ τοὺς νόμους τοῦ Ἀντωνίου κατέλυεν. ὁρμήσαντες οὖν, Βονωνίαν μὲν, ἐκλειφθεῖσαν ὑπὸ τῶν φρουρῶν, ἀμαχεὶ παρέλαβον, καὶ τοὺς ἱππέας τοὺς μετὰ τοῦτο ἀπαντήσαντας σφίσιν ἐτρέψαντο. *Itaque metuens Cæsar ne aut vi expugnaretur, aut pecunia ad deditionem compelleretnr, Hirtium ut secum expeditionem ad liberandum eum faceret, compulit. nam Vibius adhuc Romæ delectus habebat, & leges Antonii antiquabat. itaque profecti conjunctis copiis Cæsar & Hirtius, Bononiam a præsidio destitutam, citra certamen receperunt, equitesque obviam factos in fugam dederunt.* Non potest itaque in Hirtii nummo habere locum, quod soli Pansæ obvenit, neque hic ulla species est sacrificii adhibita victima, sed stat sacerdos thure libans, quod ex patera in focum conjicit, post illum stante cum arcula puero camillo.

Vidimus in Fam. Hirtiæ nummo pag. 193. & 194. Hirtium hunc inter præfectos Urbi sub Lepido fuisse constitutum a Cæsare, quum in Hispaniam proficisceretur contra Pompeji liberos, & hinc hic quoque aureus nummus, sicut & ex eadem materia nummus A. Hirtii modo memoratus est, videtur eo tempore ab Hirtio præfecto Urbi signatus fuisse. Duo viri togati Lepidum cum ipso Hirtio denotare possunt, hastas dextra gerunt lemniscis ornatas, propter victoriam, ut videtur, Cæsaris, in cujus gratiam & sacra illa facta sunt, & nummus hic aureus, ut ejus victoriæ monumentum, cusus fuit. Pietatis deæ caput, quod in memorato altero aureo Hirtii nummo (quem & ipse possideo) velatum depingitur, in hoc nudum est. In quo quidem nullum mysterium quærendum esse censeo, quandoquidem id sæpe pro lubitu monetariorum fieri solebat, unde pariter dea ista capite detecto cernitur in gentis Cæciliæ nummis tab. secunda num. V. & VII. atque aliarum familiarum. Signatur vero Pietas dea in nummo vel respectu pietatis ipsius Cæsaris in patriam scilicet, vel Romanorum in Cæsarem, cujus testificandæ gratia & sacrificium hoc thuris oblati fuit factum & cusus nummus, qui multa veri habet indicia, quæ in aliis Goltzianis minus clare adparent.

HORTENSIA.

XI.

Caput Romæ galeatum: in aversa parte *Lucius* HORTEN*sius Lucii Filius.* in imo ROMA. Victoria in bigis, dextra coronam, sinistra equorum tenet habenas.

Vulgavit hunc denarium Goltzius in Fastis p. 155. ad A. V. C. DCXLV. quo L. Hortensius L. F. pater celebris oratoris Hortensii, nisi antequam iniret magistratum, damnatus fuisset, consulatus honore fuisset ornatus.

Denarium signasse videtur eo anno, quo triumvir monetalis exstitit.

XII.

Caput Romæ galeatum: in aversa parte *Quintus* HORTENSI*us.* in imo ROMA. Castor & Pollux, astris insigniti, decurrunt in equis cum hastis.

Patri succedere debuerat filius, sed, quum patris nomen in hoc denario non adscribatur, antiquior esse videtur, quod & simplex Discurorum typus suadet. Malim itaque cum Vaillantio referre ad Q. Hortensium Q. F. virum prætorium, qui scilicet non in prætura, sed triumviratu monetali signaverit nummum, quam cum Goltzio ad celebrem illum oratorem, qui eloquentia sua ad consulatum pervenit A. V. C. DCLXXXIV. ad quem annum profertur hic denarius a Goltzio in Fastis p. 170.

HORATIA.

XIII.

ROMA. EX *Senatus Consulto.* Caput Romæ galeatum. Ab altera parte est cervus stans cum inscriptione *Publius* HORAT*ius Marci Filius* EX *Senatus Consulto.*

Hic nummus non est Goltzianus, sed cusus vel fictus ab eodem barbaro artifice, qui nummos præcedentes sextum & nonum fabricavit. Passim animalia bruta in hisce ejus denariis inveniuntur, nam neque historiam intellexisse videtur; nullus enim P. Horatius M. F. agnoscitur, nisi forte tertio seculo A. V. C. quum argentum nondum signabatur.

HO-

HOSTILIA.

XI.

MANCINVS. Caput Honoris (ut vult Vaillantius, ut ego puto, Apollinis) laureatum, ante quod scutum: in aversa parte *Aulus* HOSTIL*ius Lucii Filius*. Castor & Pollux, in equis decurrunt, cum hastis, pileis & astris exornati.

Vulgavit nummum hunc Goltzius in Fastis p. 131. ad A. V. C. DLXXXIII. Unde patet relatum eundem fuisse ab illo ad Hostilium Mancinum, consulem cum A. Atilio Serrano. Refertur ad eundem a Vaillantio, qui censet cusum in Græcia fuisse, quo cum exercitu contra Perseum, Macedoniæ regem profectus erat Mancinus. Clypeum vero exprimi respectu doni, & obsequii ab Alabandensibus eo tempore populo Romano oblati, quod commemorat Livius lib. XLIII. cap. 6. *Alabandenses templum urbis Romæ se fecisse commemoraverunt, ludosque anniversarios ei Divæ instituisse: & coronam auream quinquaginta pondo, quam in Capitolio ponerent, donum Jovi optimo maximo adtulisse, & scuta equestria trecenta, ea cui jussissent, tradituros. Donum ut in Capitolio ponere, & sacrificare liceret, petebant.* Addit paullo post: *Alabandenses scuta reportare ad A. Hostilium consulem in Macedoniam jussi.* Quæ sententia mihi non improbatur.

XV.

Lucius HOSTIL*ius* MANCIN*us*. Caput Tulli Hostilii Regis diademate ornatum, pone quod TVLL*us*. in aversa parte SER*vius* SVLPIC*ius* GALBA. Triremis prætoria cum remigantibus.

Protulit hunc denarium Goltzius in Fastis pag. 140. ad A. V. C. DCVIII. quo consul fuit Galba cum Q. Fabio Maximo Æmiliano.

Merito dignus habitus fuit hic denarius, in quem aliquid scriberet Ericius, unde p. 111. ita eum illustrare conatus fuit: „ Nummus hic, in„ quit, Romæ est signatus (in quo fallitur, in provincia enim a Galba quæstore, ad sumtus classis cusus fuit) „ A. V. C. DCVIII. consulibus „ L. Hostilio Mancino & Q. Fabio Maximo „ Æmiliano, fratre Scipionis. Caput, quod a „ parte nummi priore cernitur, agnoscitur esse „ Tulli Hostilii, tertii Romanorum regis, quod „ indicat nomen ejusdem post caput adscriptum, „ ad renovandum videlicet memoriam Tulli „ Hostilii, Regis Romanorum, a quo familiam „ suam ortam volebat consul Hostilius Mancinus, „ stemmate regio superbiens. Navem rostra„ tam, quæ a posteriore denarii parte signatur, „ censeo positam fuisse propter victoriam nava„ lem, quam fuerit consecuta se consule respu„ blica de Achæis & Corinthiis. Nomen itaque, „ quod navi additur, Servii Sulpicii Galbæ, ad „ præfectum classis pertinere videtur. Fuit vero A. „ Hostilius Mancinus filius Auli Hostilii consulis „ A. V. C. DLXXXIII. sed hic Hostilius filius „ memorabili ratione ad consulatum pervenit, pro„ uti nos docet Plinius lib. XXXV. *Non dissi„ milem offensionem & Æmiliani subiit L. Hostilius „ Mancinus, qui primus Carthaginem irruperat, si„ tum ejus expugnationesque depictas proponendo in „ foro, & ipse assistens populo spectanti singula e„ narrando: qua comitate proximis comitiis consula„ tum adeptus est.* Hisce verbis nos docet Pli„ nius Hostilium Mancinum primum fuisse, qui „ fortiter irruperit Carthaginem; &, quum iis„ dem temporibus de ipsa Carthagine trium„ phum duxerit Scipio, triremis quoque ista, quæ „ in nummo cernitur, navalem victoriam signi„ ficare potest."

Hæc Ericius observat; at vero, quum Servii Sulpicii Galbæ addatur nomen, non ad Carthaginis obsidionem & expugnationem tempore Scipionis, sed priora tempora spectare hujus nummi typus videtur. Quare Pighius & Vaillantius revocant denarium ad A. V. C. DCV. (male DCIX. legitur in contaminatissima Vaillantii editione, quam absens ipse curare non potuit) quo prætor L. Hostilius Mancinus classem sortitus obtinuit, atque cum consule L. Pisone in Africam profectus ad Carthaginem, tum quidem nihil memorabile gessit, unde domum redire jussus est. In illa expeditione quæstorem ejusdem fuisse censet Pighius hunc Galbam, quem ratione temporis existimat fuisse filium C. Galbæ pontificis, qui prætor A. V. C. DLXXXII. vocatur a Livio lib. XLII.

Utinam e tenebris, quibus obrutus post Goltzium latuit, tandem insignis hic eruatur nummus! Seguinum immani desiderio videndi illum arsisse dicunt, sed frustra, quod & in pluribus locum habere puto.

XVI.

Caput Cereris corona ex spicis ornatum: in aversa parte *Caius* MANCIN*us Auli Filius* SEX*tus* ATIL*ius Marci Filius* SERRAN*us*. Duo Ædiles sedent, ante dexteriorem modius cum spicis, pone alterum spica.

Vulgavit hunc denarium in Fastis Goltzius p. 143. ad A. V. C. DCXVI. quo consul cum M. Æmilio Lepido Porcina fuit Mancinus. Denarius vero clare cognoscitur signatus fuisse in honorem ædilium plebis Sexti Atilii Serrani & C. Mancini, quod videlicet illi curaverint ut magna frugum abundantia & vilitas annonæ in urbe esset. Ædilitas eorum refertur in A. V. C. DCIX. Frater fuit L. Mancini, cujus mentio fit in denario præcedenti.

IV.

Caius ATTILIVS. *Senatus Consulto.* Caput horridum Pavoris, comis arrectis. Ab altera parte celeres cernuntur bigæ, cum duabus figuris, altera sedens scutica veloces inpellit equos, altera terga vertens ad sessorem projecto scuto læva manu, dextra telum vibrat, stans, ut impetum excipiat eorum, qui forte se adgredi velint, tutamque sibi præstet fugam. Infra legitur *Lucius* HOSTILIVS SASERN*a*.

De insigni typo hujus denarii prolixe satis egimus ad nummos Morellianos sive Ursinianos in in Fam. Hostilia, p. 199. & 200. quo lectorem remittimus. In hoc vero nummo pro clypeo, quod post dei Pavoris caput in vero Hostilii nummo adponitur, obtruditur nobis *Caius* ATTILIVS quidam, sic enim geminata litera T. contra quam in nummis illud nomen scribitur, in hoc nummo effertur. Sasernas diximus Julii Cæsaris tempore quærendos esse. Atilii, qui Caji habuerunt prænomen, nulli occurrunt in republica post C. Atilium Serranum consulem A. V. C. DCXLVII. Fictus est hic nummus, ut sunt omnes, qui notam C. P. exhibent; ad tegendam vero fraudem, præter C. Atilii, seu (ut falsarius iste

ille scripsit) C. Attilii nomen, reliqua ex vero & antiquo nummo atque obvio sunt repetita.

XVIII. *vacat.*

I V L I A.

XIX.

Caput Jani bifrontis: in aversa parte L*ucius* IVL*ius* LIBO. Navis, in imo quatuor globuli & vox ROMA.

Vulgavit hunc assem Goltzius in Fastis p. 83. ad A. V. C. CCCCLXXXVI. quasi pertineret ad L. Julium L. F. L. N. isto anno consulem cum M. Atilio Regulo. In quo illi non convenit cum Vaillantio, qui hunc nummum p. 534. his verbis illustravit. „ L. Julius Libo perhi„ betur a Pighio quæstor militaris, an. [illegible] ad „ quem hunc nummum æreum pertinere arbitra„ tur, nempe ex pondere; nam quatuor globu„ li eum esse trientem designant, qui quum un„ ciam & tertiam partis unciæ pendit, vetustissi„ mus est, & ante bellum Punicum cusus. Golt„ zius enim Julio Liboni, illius nepoti, tribuit, „ qui consulatum ante hoc bellum obtinuit, & „ as libralis adhuc quatuor uncias pendebat, ita „ ut non facile sit utri eorum adsignare."

Quatuor illi globuli suspectum mihi nummum faciunt, nunquam enim assibus notam trientis adponere soliti fuerunt Romani (certe ego nunquam simile quid oculis usurpavi) sed reservarunt ad ipsius trientis significationem, cui passim adponi cernimus. Imo assis nota in ipso hoc nummo eminet inter laureata Jani tempora. Quod ad subsidium nummi adfert Vaillantius, quatuor globulos designare illum esse trientem, adeoque pendere unciam & tertiam unciæ partem, sive (ut loquitur) tertiam partis unciæ, unde sciat illud nummi pondus nescio, est enim Goltzianus, quem nec ipse, nec forsitan quisquam mortalium vidit, ne ipso quidem Goltzio excepto. Deinde non soliti fuerunt Romani aliquid, quod ad reipublicæ dedecus pertinebat, exprimere in nummis; nisi quis imminutionem ponderis in moneta omnibus sæculis per notam illius imminutionis expositam, trahere ausit ad prudentiam illam singularem Romanorum, quibus superbior in typis, quantumvis simplicibus, nulla gens exstitit.

Vel itaque credo nummum esse falsum, vel exstitisse in ipso nummo ebullitiones quasdam rotundiores, quas pro quatuor globulis perperam acceperit ipse Goltzius.

XX.

Caput Dianæ, humeros ornat arcus & pharetra: in aversa parte L*ucius* IVLI*us* LIBO. Victoria in bigis, dextra tenet ramum, sinistra habenas, in imo ROMA.

Invenitur hic denarius apud Goltzium pag. in Fastis eadem, & ad annum eundem, quo præcedentis assis picturam expressit. Designari vero & Goltzius & Vaillantius, ut & Ericius censent victoriam L. Julii Libonis de Sallentinis, de qua sic scripsit Ericius p. 9. „ Nummus hic est vi„ ctoriatus, cusus sub consulatu L. Julii Libonis, „ ad memoriam victoriæ ejusdem de Sallentinis. „ Lauri ramum, qualem Victoria in bigis manu „ tenet, triumphantes olim gerere solebant; si„ gnum vero est de Sallentinis triumphasse con„ sulem. Diana in priore denarii parte signatur „ propter peculiarem forte ejusdem cultum in „ domo Libonis." Vaillantius Dianam signari censet, quoniam Sallentini ex Creta erant oriundi, in qua insula deæ ejus cultus eximius erat.

XXI.

Caput Romæ galeatum, pone quod ancora: in aversa parte SEX*tus* IVLI*us* CAISAR. Venus in bigis coronatur a Cupidine post deam stante, ut putat Vaillantius; ut nobis videtur, est consul triumphans, quem Victoria post eum stans coronat. in vertice ROMA.

Vulgavit denarium hunc Goltzius in Fastis p. 136. ad A. V. C. DLXXXXVI. quo consul cum L. Aurelio Oreste exstitit Sex. Julius Sex. F. L. N. Cæsar. Nescio autem quomodo credere potuerit Vaillantius exprimi Venerem triumphantem a Cupidine coronatam, quum Goltziana pictura nihil tale exhibeat, sed consulem triumphantem a Victoria coronatum.

Ad hujus typi explicationem ita scripsit Vaillantius p. 500. „ Sex. Julius Cæsar in Fastis Sex. „ filius Sex. nepos adpellatus, quæsturum suscepit „ $\frac{583}{4}$ quo A. Hostilio Mancino bellum contra „ Perseum, Macedoniæ regem, obvenit; & an„ cora pone caput Romæ, denarios ad impendia „ classis instruendæ fuisse cusos denotat. Venus „ in bigis, cui Cupido, retro stans, coronam im„ ponit, ad indicandam Juliorum gentem a Ve„ nere originem duxisse, expressa est. Sex. Cæ„ sar e quæstore factus est ædilis curulis an. [illegible] „ cum Cn. Cornelio Dolabella, sub quibus He„ cyra P. Terentii Poëtæ acta est Ludis Mega„ lensibus, ut ejus Comœdiæ vetusta tituli In„ scriptione colligitur. Tandem ille primus ex „ Juliæ gentis cognomine Cæsaribus consulatum „ adeptus est cum L. Aurelio Oreste an. [illegible] Ro„ mani aliquando Græca scribendi ratione usi „ sunt, ut CAISAR ita COILIVS & AIMI„ LIVS."

Patet ex hisce Vaillantium opinari cusum fuisse hunc denarium a quæstore Sexto Julio Cæsare A. V. C. DLXXXIII. Hostilio Mancino consule expeditionem contra Perseum regem Macedoniæ parante, & quidem ad inpendia classis. Verum ancora non sufficit ad id probandum, quum in innumeris denariis aliarum familiarum ancora illa conspiciatur, & in multis nihil aliud sit quam nota monetarii, nisi simul adsit alius typus, qui conjunctus cum ancoræ typo, respectum habeat ad victorias vel expeditiones maritimas. Illustris vero victoriæ testis est typus aversæ partis, in quo citis bigis insistens vir togatus, dextram elevat, ut solent nummi Imperatorum depingere adventum Cæsarum equis insidentium. Virum illum coronat post eum stans Victoria.

Jam vero certum est, Vaillantium implere Commentarios suos solitum esse magistratibus gestis ab illo, cujus nomen nummo inscribitur: Illos magistratus descripsit ex Pighio, Pighius eosdem disposuit juxta suum plerosque computum, videlicet retro numerans ab eorundem consulatu, quibus annis per legem hunc vel illum magistratum gerere potuerint; quod sicuti ab illo haud inutili labore factum fuit, tamen sæpius necesse est, ut erraverit, & Vaillantium, ipsum sequentem, in errorem perduxerit. Itaque Pighius A. V. C. DLXXXIII. quæsturam, sed provincialem Sexto Julio Cæsari adsignat; & tamen Romæ cusus fuit denarius, ut inscriptio testatur, & nulla a con-

consulibus eo anno relata fuit victoria. Imo, quum in Macedonia industrie quidem ageret Hostilius Mancinus, & corruptum licentia militem ad severiorem disciplinam revocaret, majore tamen Romanorum quam hostium damno res in Macedonia gerebatur, quare ignominam veriti Patres in Macedoniam legatos miserunt ad res inspiciendas, atque Hostilium Mancinum in urbem ad comitia habenda revocarunt.

Ex hisce clarum esse puto, alium annum & feliciorem reipublicæ esse quærendum, in quem magnificæ ejusmodi victoriæ typus cadat, quoque anno signatus fuerit hic nummus. Annus, quo ædilitatem curulem gesserit Sextus Julius Cæsar, constat ex inscriptione Hecyræ Terentianæ, quæ acta fuit ludis Megalensibus Sexto Julio Cæsare Cn Cornelio Dolabella ædilibus curulibus, consulibus L. Anicio M. Cethego, adeoque A. V. C. DLXXXVIII. Itaque ratione temporis existimo hunc nummum esse referendum ad A. V. C. DLXXVIII. quo quæstor urbanus, vel (quod mihi magis placet) triumvir monetalis fuerit Sextus Julius Cæsar. Ille enim annus gloriosus fuit reipublicæ triumphis navalibus Tiberii Sempronii Gracchi de Sardis; atque C. Valerii Lævini de Liguribus, ut & P. Mucii Scævolæ de iisdem Liguribus. Imo sicuti hic ancora, rei navalis signum, juxta Romæ caput exprimitur; ita in Mucii Scævolæ nummo juxta caput Neptuni tridens est, & sub citis quadrigis prora navis, quibus quadrigis Neptunus insistit dextra tenens tridentem. Itaque suspicor ipsum Mucium Scævolam in citis bigis expressum fuisse a Cæsare, sicuti in ipsius Mucii nummo Neptunum in citis quadrigis, forte ad celeritatem victoriæ indicandam; vide infra in Fam. Mucia num. XXII. tabulæ vigesimæ quartæ.

XXII.

Capita laureata & jugata Jovis & Ditis fratrum sine inscriptione, ab altera parte prora navis est, cum hac inscriptione *Lucius* IVL*ius Lucii Filius* SEX*ti Nepos* CAESAR.

Æreum hunc & memorabilem nummum vulgavit Goltzius in Fastis p. 162. ad A. V. C. DCLXIV. quo censores L. Julius L. F. Sex. N. Cæsar & P. Licinius Crassus lustrum non fecerunt.

Notandus hic nummus est, in quo Janum jugatis capitibus agnoscit Vaillantius; perperam. Sic enim definit esse ille Janus

—— *A tergo quem nulla ciconia pinsit,*
Nec manus auriculas imitata est mobilis albas.

ut loquitur Persius Satyra I. vs. 58. Notandus inquam est, propterea quod sit æreus, & tamen nullam notam assis vel semissis habeat adpositam. Hinc suspicatur Vaillantius cusum fuisse, quum ærarium populi Romani esset exhaustum. Verum ipsa Vaillantii audiamus & examinemus verba. Ita scribit pag. 581. „ Filius „ est hic Julius L. Julii Cæsaris, & Sex„ ti, de quo supra, nepos, ut fert denarii inscri„ ptio. Is quæsturam urbanam gessisse videtur „ an. 649/50. quo hunc nummum æreum percussit „ Romæ, &, pro Jano bifronte seu averso ca„ pite, Janum jugato capite expressit; qui Ro„ manæ monetæ solitus erat typus, ut & navis, „ de qua sæpe egimus. L. vero proquæstore pro„ vinciæ fuit an. 651/2. ædilis curulis an. 655/6. præ„ tor urbanus an. 658/9. ut testatur in Scaurianam „ scribens Asc. Pædianus. Prætor provincialis „ an. 659/60. tandem consulatum adeptus est cum P. „ Rutilio Lupo an. 663/4. Bellum cum sociis de„ cretum est ambobus consulibus, & Rutilius in „ prælio occisus est. L. Cæsar an. DCXLIV. „ creatus est censor cum P. Licinio Crasso, ut „ habent Fragmenta Capitolina. Exhaustum pe„ ne ærarium hoc tempore testatur Orosius: qua„ re L. Cæsar æreos nummos tantum cudisse vi„ detur."

Quæ de Jani capite jugato suspicabatur vir doctus, jam refutavimus. Videamus jam quomodo sibi constet in Orosii loco. Verba ipsius Orosii exstant apud præclarum illum & necessarium Romanæ historiæ cognoscendæ scriptorem libro V. cap. 18. *Pompejus Asculum ingressus, præfectos, centuriones, cunctosque principes eorum virgis cecedit, securique percussit, servos prædamque omnem sub hasta vendidit, reliquos liberos quidem, sed nudos & egentes abire præcepit: & cum de hac præda opitulationem aliquam in usum stipendii publici senatus fore speraret, nihil tamen Pompejus ex ea egenti ærario contulit. Namque eodem tempore, cum penitus exhaustum esset ærarium; & ad stipendium frumenti deesset expensa, loca publica, quæ in circuitu Capitolii pontificibus, auguribus, decemviris & flaminibus in possessionem tradita erant, cogente inopia, vendita sunt, & sufficiens pecuniæ modus, qui ad tempus inopiæ subsidio esset, acceptus est. Et quidem tunc in sinus ipsius civitatis eversarum omnium urbium, nudatarumque terrarum abrasæ undique opes congerebantur, cum ipsa Roma turpi adigente inopia, præcipuas sui partes auctionabatur.*

Hanc vero ærarii publici inopiam non adligat Orosius illi anno, quo signatum fuisse nummum judicat Vaillantius, videlicet A. V. C. DCXLIX. quo quæstorem urbanum ex Pighio facit Julium Cæsarem, sed tribus belli Marsici annis, quibus consules fuerunt Sextus Julius Cæsar cum L. Marcio Philippo & L. Julius Cæsar cum P. Rutilio Lupo, atque Cn. Pompejus Strabo cum L. Porcio Catone. Sic enim incipit illud caput. *Anno ab urbe condita sexcentesimo* LIX. *Sex. Julio Cæsare, & L. Marcio Philippo consulibus, intestinis causis sociale bellum tota commovit Italia, siquidem Livius Drusus tribunus plebis, Latinos omnes spe libertatis illectos, cum placita explere non posset, in arma excitavit.* Aliquanto post L. Cæsaris res gestas commemorans, in medio capitis ita scribit: *L. vero Julius Cæsar, postquam apud Æserniam victus aufugerat, contractis undique copiis; adversus Samnites & Lucanos dimicans, multa hostium millia interfecit. Cumque ab exercitu Imperator adpellatus esset, Romamque nuntios de victoria misisset, senatus sagum, hoc est, vestem mœroris, quam exorto sociali bello sumserat, hac spe arridente deposuit; atque antiquum togæ decorem recuperavit.*

Valde verosimile est verum hunc esse nummum, atque ob argenti inopiam, in ejus locum, æquato pretio æreum signatum fuisse. At vero a consule L. Julio Cæsare signari non potuit, sed ab alio L. Julio Cæsare, qui cum consule eundem Sextum Julium Cæsarem avum habuerit, & illo minor natu triumviratum monetalem habuerit incrementum honorum. Et hic forsan pater fuit illius Lucii Cæsaris, cujus patrem avumque ignorant annalium conditores, quique ad ædilitatem & præturam pervenit. Inter ædiles curules numeratur A. V. C. DCLXXXX. inter prætores DCLXXXXIII.

Orosius aliquot annis a Fastis Capitolinis discrepat, ut notum est; nam Sextus Cæsar con-

sul fuit A. V. C. DCLXII. Lucius Cæsar DCLXIII. Pompejus Strabo DCLXIV. quibus annis cusum fuisse æreum hunc nummum & denarium valuisse, admodum mihi sit verosimile.

Ditis caput Jovi fratri jungitur, quoniam ille ærario præesse fingebatur.

XXIII.

SEX*tus* IVL*ius* C*ai* F*ilius* SEX*ti* N*epos* CAESAR. Caput Cybeles ceu Matris Magnæ, turribus & velo ornatum: in aversa parte ara, ad cujus imum hinc & inde aquila, laurea hæc omnia continet.

Hunc denarium vulgavit Goltzius in Fastis p. 162. & retulit ad Sextum Julium C. F. Sex. N. Cæsarem, consulem anno primo belli Marsici cum L. Marcio Philippo. Ad eundem refert Vaillantius, & credit in ædilitate ejusdem curuli A. V. C. DCLIII. signatum fuisse, atque typum partis anterioris spectare ludos Megalenses, posterioris in honorem Jovis Optimi Maximi editos; ego huic nummo non tantum tribuo quantum præcedenti.

XXIV.

Caput Veneris. IMP*erator* ITER*um*. ex aversa parte C*aius* CAESAR C*ai* F*ilius*. Tropæum, cui adponuntur hinc duo spicula, inde clypeus oblongus; ad imum duo rotæ fragmenta, hinc currus cum instrumento ferreo in serræ modum, inde rex stans cum chlamyde, manibus post terga revinctis.

Vulgavit hunc denarium, elegantioris (ut videtur) fabricæ Goltzius in Fastis pag. 174. ad A. V. C. DCLXXXXIV. ejusque hanc interpretationem dedit Ericius p. 201. „Romæ signatus fuit hic nummus A. V. C. DCLXXXXIV. consulibus C. Julio Cæsare & M. Bibulo. Caput vero Victoriæ, atque tropæum cum captivo signata in hoc nummo videntur in memoriam rerum, quas proconsule in Hispania gessit. Rebus ibidem feliciter gestis Romam venit, ut comitiis adesse posset, nulla habita ratione successoris exspectandi. Triumphi quoque jus, quod petere potuerat, spe alterius consulatus omisit, neque enim ejus ut consulatus candidati, nisi præsentis in urbe, ratio haberi poterat, neque petenti triumphum in urbem intrare licebat. Maluit itaque privatus intrare ne potentia sua excederet. Hæc apud Dionem leguntur. Verum Suetonius ita de hisce loquitur, *Cæsar ex Prætura ulteriorem sortitus Hispaniam, retinentes creditores interventu sponsorum removit: ac neque more, neque jure, antequam provinciæ ordinarentur, profectus est: incertum, metune judicii, quod privato parabatur, an quo maturius sociis implorantibus subveniret, pacataque provincia, pari festinatione, non expectato successore, ad triumphum simul consulatumque decessit. Sed cum editis jam comitiis ratio ejus haberi non posset, nisi privatus introisset urbem: & ambienti ut legibus solveretur, multi contradicerent, coactus est triumphum, ne consulatu excluderetur, dimittere.*

„Cusus itaque tempore consulatus ejusdem fuit hic nummus, atque typum habet Victoriæ, tropæi, & captivi, in memoriam rerum in Hispania ulteriore fortiter & feliciter gestarum. Rota cum falce designare mihi videtur currus falcatos, qui eo tempore in usu bellico erant. Isto anno Cæsar, ut consul, pertulit legem agrariam, per quam egenis agrum publicum divisit. Solus Cæsar & sine collega Bibulo id fecit, omnia enim vi & pro arbitratu suo gerebat."

Hæc Ericii sunt. Sed melius ad res Cæsaris in Gallia gestas typum & inscriptionem hujus denarii retulit Vaillantius; qui per figuram illam paludatam Vercingetorigem Arvernum, quem deditum sibi ad triumphum reservavit Cæsar, intelligit. Quæ de instrumento currus p. 506. dicit, nimis obscura & intricata sunt. „Et inde machina tormentaria ferrea Gallorum singularis, quod illi plurimas ex ferro fodinas, unde arma quælibet fabricabant, haberent, ut ex add. lib. colligitur; nam & laqueis falces avertebant, quas quum destinaverant, tormentis introrsus reducebant, & aggerem cuniculis subtrahebant; eo scientius, quod apud eos magnæ sunt ferrariæ." Debuerat potius figura apud Goltzium depicta in memoriam illi revocare falcatis axibus usos fuisse Gallos & Britannos. Belgæ enim, quorum id in illis locis inventum creditur, covinnos suos (ita essedas adpellabant) isto telo armabant. A quibus ad vicinos populos ejus usus transiit. Lucanus lib. 1. versu 426.

Et docilis rector monstrati Belga covinni.

Quos covinnos falcibus armatos fuisse docet Mela lib. III. cap. VI. *Dimicant non equitatu modo aut pedite, verum & bigis & curribus, Gallice armati: covinnos vocant, quorum falcatis axibus utuntur.* Describit ibi Britannos. Unde & iisdem falcatum covinnum tribuit Silius Italicus lib. XVII. vs. 419.

Cærulus haud aliter, quum dimicat, incola Thules,
Agmina falcifero circumvenit arta covinno.

Egregie vero hic nummus rotam exhibet covinni, atque ad axem ejusdem adaptatam adnectit falcem serratam ab altera sui parte.

Videtur itaque hic denarius Goltzii in eorum numerum esse adsciscendus, qui non sunt ficti ab eodem, sed revera visi, nam & cum veritate historiæ congruit maxime & lucem quoque adfundit alteri denario Julii Cæsaris, qui exstat inter Ursinianos tab. tertia num. VIII. in quo tropæum erigitur, ad cujus imum a læva parte arma & spolia sunt bellica lituus, hastæ, clypeus, a dextra vero parte axis covinni cum rotis suis, sed ita ut ad axem aliquid emineat instar lori crispati, unde supra pag. 206. de loro sumus interpretati & Hispanorum armis. Sed forte in ipso nummo, cujus nobis copia non est, falcis figuram refert, juxta adcuratam Pomponii Melæ descriptionem, ut uterque nummus ad Gallicas victorias respiciat. Qui aratrum se videre putarunt, curru non stiva arent.

TAB. XIX.

I.

Caput Julii Cæsaris laureatum cum lituo. Ab altera parte hæc est inscriptio, CAESAR IMP*erator* AVGVR P*ontifex* M*aximus*. Instrumenta pontificalia adspergillum, capeduncula, secespita, securis, & albogalerus; quæ omnia ad summum pontificatum Cæsaris respiciunt.

Vulgavit hunc aureum & argenteum nummum Goltzius in Cæsare p. 14. Nos, quoniam in Cæsarum seu Imperatorum nummis ex professo de Julii

Julii Cæsaris nummis agendum erit; nunc quidem paucis verbis defungemur.

II.

Caius CAESAR IMP*erator*. Caput Julii Cæsaris laureatum inter lituum & præfericulum. Ab altera parte est bos gradiens cum inscriptione GERMANVS INDVT*iomarus* IIII.

Noti sunt, & ipse habeo ejusmodi typo & inscriptione ab altera parte insignes nummos; sed æreos, & cum capite Veneris in parte priore. Vereor, ut hic & sequens nummus ex Patavinorum sit numero.

III.

Caius CAESAR DICTATOR. Caput Cæsaris laureatum cum lituo. Ab altera parte idem bovis gradientis typus est & inscriptio eadem.

Vulgavit hos Goltzius in Cæsare p. 13.

IV.

CAESAR DICT*ator* QVART*um*. Caput Julii Cæsaris laureatum cum lituo. Ab altera parte bos infulatus est coram ara, infra ventrem bovis est secespita. Additur hæc inscriptio IOVi OPTI*mo* MAX*imo* SACR*um*.

Respicit sacra pro salute Cæsaris & incolumitate reipublicæ facta. Vulgavit Goltzius in Cæs. p. 14.

V.

EX *Senatus Consulto.* DICT*ator* QVAR*tum*. Caput Victoriæ pectore tenus, humeris alatis. Ab altera parte Cæsar ipse cernitur in quadrigis triumphalibus, læva equorum tenens habenas, dextra lauri ramum; cum inscriptione CAESAR IMP*erator* IIII.

Ad similis ab altera parte nummi illustrationem ita scripsit Ericius p. 215. „ Signatus fuit hic „ nummus Romæ A. V. C. DCCVII. quum „ dictator consulque tertium esset C. Julius Cæ- „ sar, quoque anno idem triumphavit de Phar- „ nace, Ponti rege, & Asia. Victoriæ de Phar- „ nace, præter Suetonium hisce meminit Plu- „ tarchus: *Pharnaces victus est exitu ejus anni, quo* „ *Cæsar iterum dictator cum M. Antonio fuit. nam* „ *in insequentem annum consul creatus est.* Atque „ iterum in vita Antonii, *Cæsar III. Cos. designa-* „ *tus non Antonium, sed Lepidum collegam sibi ad-* „ *scivit.* Eutropius sic scripsit: *Cæsar Pharnace* „ *victo se Romam contulit, & tertio se consulem* „ *fecit cum Æmilio Lepido, qui ei magister equitum* „ *dictatori ante annum fuerat.*

„ Ad hanc Cæsaris victoriam & de Pharnace „ atque ex Asia triumphum patet respexisse Vir- „ gilium, quum lib. I. Æneid. ita canit:

„ *Hunc tu olim cœlo spoliis Orientis onustum*
„ *Accipies secura. Vocabitur hic quoque votis.*

„ Hinc quoque apud Dionem legimus Cæsa- „ rem dictatorem iterum, victo Pharnace, ingens „ erexisse tropæum.

„ Figura illa togata & laureata stans ipse C. „ Cæsar est, fasces vero consulatus sunt insignia, „ atque summæ & regiæ potestatis symbola, un- „ de subscribitur DIC*tator* III. Literæ in cir- „ cuitu *Lucius* AEMILIVS BVC*a*. nomen de- „ notant monetalis triumviri (*quatuorviri* debuit „ dicere) qui nummum signavit, prout ex aliis „ Cæsaris & Augusti nummis patere potest. Non „ enim Buca, Ferentanorum aliquod in Italia „ oppidum, juxta ignaros antiquitatis hic intel- „ ligitur, est enim nomen proprium viri Lucius „ Æmilius Buca.

„ Ipse vero triumphus C. Cæsaris ab altera „ parte denarii exprimitur, ubi cernitur quadri- „ ga triumphalis, illique insistens Cæsar laurea- „ tus, dextra tenens lauri ramum, quem trium- „ phantes præferre solebant. Inscriptio vero quæ „ sub curru triumphali est, denotat Cæsarem eo „ tempore quartum Imperatoris titulo decoratum „ fuisse. "

Dixi hanc Ericii notam esse ad nummum Cæsaris, cujus altera pars huic est similis. Nam (ut patebit conferenti) vel ipse Morellius, vel sculptor ejus erravit, dum partes, quæ passim, malo exemplo, divulsæ sunt apud Goltzium, ad se invicem non pertinentes perperam conjungit. Nam apud Goltzium in Cæsare p. 11. num. X. occurrit aversa pars hujus nummi, quadrigas continens, quibus Cæsar triumphans insistit. Illi picturæ superponitur litera C. quæ significat jungi partem illam posteriorem debere cum parte priore, quæ itidem literam C. habet superpositam. Illa pars prior ibi notatur numero VIII. estque illa quam descripsit Ericius, non quam perperam cum Victoriæ busto delineavit sculptor Morellii, quæ ibi literam B. non C. habet num. VII.

VI.

DICT*ator* QVART*um*. Caput Victoriæ pectore tenus humeris alatis. Ab altera parte Victoria est in citis bigis, dextra grandem palmæ ramum tenens. Subtus scribitur CAESAR IMP*erator* SEX*tum*.

Non longe ante mortem Cæsaris cusum fuisse denarium, perpetuitatem victoriarum ejus denotantem, dictatura quarta & titulus imperatoris sextum indicat. Exstat hic nummus apud Goltzium in Cæsare p. 10.

VII.

CAESAR IMP*erator* QVART*um*. Caput Cæsaris laureatum cum lituo. Ab altera parte in area nummi legitur AVGVR PONT*ifex* MAX*imus* CO*n*S*ul* QVAR*tum* DICT*ator* QVAR*tum*.

Vulgavit Goltzius hunc denarium in Fastis p. 181. ad A. V. C. DCCVIII. quo signatus videtur fuisse hic nummus.

VIII.

CAESAR AVGVR IMP*erator* QVIN*tum* CO*n*S*ul* QVAR*tum*. Caput Julii Cæsaris velatum & laureatum cum lituo. Ab altera parte reliqui ejus sunt tituli, DIC*tator* QVART*um* PARENS PATRIAE. Præterea tripus, in cujus summo corolla est inter duos lauri ramos, in imo duo pulli, & a lateribus urceus, capeduncula, & securis.

Signa hæc omnia ad pontificatum Cæsaris spectant. Vulgavit nummum Goltzius in Cæsare p. 15.

IX.

CLEMENTIA. Caput deæ Clementiæ, ante quod oleæ est ramus, post illud nomen quatuorviri monetalis legitur *Lucius* BVCA. Ab altera parte templum est rotundum columnis suis circumdatum, cum icuncula in medio, atque hac in circuitu inscriptione, *Caius* CAESAR PAR*ens* PATRIAE EX *Senatus Consulto*.

Hunc

Hunc nummum vulgavit Goltzius in Faftis p. 182. ad A. V. C. DCCVIII. quo finitis omnibus bellis civilibus parens patriæ adpellatus eft Cæfar & prænomen imperatoris accepit. Ericius ad hujus nummi illuftrationem ita fcripfit pag. 223. „ Cæfar, victis in Hifpania Pompeji filiis, „ atque omnibus bellis civilibus finitis, paffus „ fuit decerni fibi a fenatu novos quosdam & inu- „ fitatos honores, inprimis nomen patris patriæ, „ confulatum per decem continuos annos decre- „ tum, quem honorem poftea fprevit, dictato- „ ris accepto nomine & poteftate. Præterea ut „ foret facrofanctus, atque menfis Quinctilis ex „ ipfius nomine Iulius vocaretur; utque novi ma- „ giftratus in acta fua jurarent, & denique ut præ- „ nomen Imperatoris acciperet. Per prænomen „ vero illud nolebat indicari adquifitum illud fuiffe „ aliquo egregio patrato facinore, vel militari „ induftria, vel fenatus auctoritate; fed quod „ fummam in republica auctoritatem ipfe & po- „ tentiam effet adfecutus. Prænomen illud Im- „ peratoris non ipfe modo geffit, fed & ex fena- „ tus auctoritate ad pofteros ejus quoque & fuc- „ ceffores tranfiit. Hinc illud Suetonii, *Tiberius* „ *prænomen Imperatoris recufavit.* Imperatoris „ itaque titulus in omnium ejusdem fucceſſorum „ nummis invenitur. Neque tamen antiquus ille „ & militaris Imperatoris titulus annihilatus fuit, „ fed qui factis fuis meruerant Cæfares, illud I. „ II. III. IV. &c. more folito poft nomen fuum „ ponebant. Unde fcriptum invenimus apud „ Jofephum lib. IV. Antiq. *C. Cæfar Imp.* IIII. „ *Cof.* V. *dictator perpetuus*; ut & in antiqua illa „ Infcriptione IMP. CAESAR DIVI F. AVG. „ PONT. MAX. COS. XIV. IMP. XX. TRIB. „ POT. XXXVII. P. P. Utriusque vero no- „ tionis in nomine ifto imperatoris occurrit ex- „ emplum in nummo antiquo, qui infcribitur „ IMP*erator* NERVA CAES*ar* AVG*uftus* „ GERMAN*icus*. In quo nummo ab altera „ parte eft Fortuna cum temone navis & cornu- „ copiæ atque literis in circuitu, IMP*erator* II „ CO*nSul* IIII P*ater* P*atriæ*. *S*enatus *C*onfulto. Ex „ qua infcriptione patet clariffime verus utraque „ notione fenfus prænominis & cognominis IM- „ PERATOR. Infcriptio itaque Imperatoris, „ ut nominis proprii, ad caput Nervæ, fummam „ poteftatem fummumque in republica imperium „ fignificat, quum vero ab altera parte poft ejus „ nomina & reliquos titulos ponitur, juxta For- „ tunæ vel alterius rei vel numinis fymbolum, de- „ fignat titulum, quem meruit virtute imperatoria „ devictis bis, ter &c. hoftibus. Summum vero in „ republica imperium delatum fuiffe C. Cæfari di- „ ctatori Cicero quoque confirmat in Philippi- „ cis, loco ubi notat Antonium, quod ejusmodi „ titulum Cæfari poni jufferit C. CAESARI „ DICTATORI PERPETVO M. ANTO- „ NIVM CONSVLEM POPVLI IVSSV „ REGNVM DETVLISSE. Unde, ficuti „ cum prænomine Imperatoris fummum in repu- „ blica regimen Cæfari delatum fuit, fic dicta- „ turam quoque recepit, non quidem folito mo- „ re, ficuti ante in republica libera fieri confue- „ verat, ad clavum figendum, comitiorum caus- „ fa, feditionis compefcendæ gratia, fimilive, „ fed ut titulum fummæ & nullis legibus ligatæ „ poteftatis. Hoc ipfe fatis expreffit, quum in- „ fcribi nummis & monumentis fuis curavit DI- „ CTATOR CONSTITVENDAE REIPV- „ BLICAE. DICTATOR ITERVM, TER- „ TIVM, QVARTVM CONSTITVEN- „ DAE REIPVBLICAE. Summæ itaque po- „ teftatis fuit titulus; atque omnia hæc fufius „ apud Dionem legi poffunt.

„ De honoribus vero extra ordinem Cæfari a „ populo Romano conceffis, fic fcriptum reliquit „ Florus: *Itaque non ingratis civibus omnes hono-* „ *res unum in principem congefti, circa templa ima-* „ *gines in theatro, diftincta radiis corona, fugge-* „ *ftus in curia, faftigium in domo, menfis in cælo,* „ *ad hæc pater ipfe patriæ, perpetuusque dictator;* „ *noviffime, dubium an ipfo volente, oblata pro ro-* „ *ftris ab Antonio confule, regni infignia; quæ o-* „ *mnia velut infulæ in deftinatam morti victimam* „ *congerebantur. Quippe clementiam principis vicit* „ *invidia, gravisque erat liberis ipfa beneficiorum po-* „ *tentia, nec diutius dilatio donata eft, fed Brutus* „ *& Caffius, aliique patricii confenferunt in cædem* „ *Principis.*

„ Caput itaque, quod cernitur in altera dena- „ rii parte, deæ Clementiæ eft, quod & adfcri- „ ptum nomen teftatur, &. convenit clementiæ „ Cæfaris; cui præter locum ex Floro adlatum, „ teftimonium quoque præbet Suetonius in Vita „ Cæfaris, his verbis: *Moderationem vero, cle-* „ *mentiamque, tum in adminiftratione, tum in vi-* „ *ctoria belli civilis admirabilem exhibuit.* Lauri „ ramus, ante deæ caput, victorias Cæfaris re- „ fpicit ejusque triumphos, bellis præcipue ci- „ vilibus, ramum enim laureum geftabat manu „ triumphans, & poftibus domus imperatoriæ „ poftea adfixa fuiffe legitur. Teftatur illud Pli- „ nius lib. XV. cap. 30. *Laurus triumphis pro-* „ *prie dicatur, vel gratiffima domibus, janitrix Cæ-* „ *farum pontificumque, quæ fola & domos exornat,* „ *& ante limina excubat.* L. Buca illum defignat, „ qui denarium percuffit, monetalem magiftra- „ tum, nomen enim ejus integrum L. Æmilius „ Buca in aliis J. Cæfaris argenteis nummis le- „ gitur. Templum, quod ex altera nummi par- „ te cernitur, id poteft effe; quod inter alia ipfi „ Cæfari fuit dedicatum. Statuam Cæfaris (jux- „ ta fcriptorum teftimonium) nummus quoque „ in medio templo collocavit. Omnia vero illa „ una cum titulo parentis patriæ ex decreto fe- „ natus Cæfari conceffa fuerunt. Hinc in am- „ bitu templi in ipfo nummo hæc legitur infcri- „ ptio C*aius* CAESAR PARENS PATRIAE „ EX S*enatus* C*onfulto.* Ego vero non dubito „ Clementiæ Cæfaris effe, templum, quod hoc „ nomine illi fuit dedicatum propter infignem „ fuam clementiam & manfuetudinem, qua, in- „ credibili fane, poft victorias civiles ufus fuit. „ Refert enim in Vita Cæfaris Plutarchus, ipfum, „ finitis bellis civilibus nulli præbuiffe male de fe „ opinandi occafionem. Merito itaque in man- „ fuetudinis illius gratiam templum illi fub no- „ mine CLEMENTIAE CAESARIS dedica- „ tum fuit. Non enim modo pluribus ex ini- „ micis fuis atque hoftibus delicti veniam dedit, „ verum infuper honoribus eosdem, ut Brutum, „ Caffium, aliosque, cumulavit, quos etiam „ prætores conftituit & fummis honoribus frui „ permifit. Quin & Pompeji Magni ftatuas de- „ jectas erigi rurfus juffit."

X.

CAESAR DICT*ator* QVART*um*. Caput Cæfaris laureatum cum lituo. Ab altera parte eft currus triumphalis a quatuor elephantis tractus, quibus ipfe Cæfar infiftit, dextra tenens lauri ramum, læva habenas, defuper currum Græcis literis exprimitur L. F. *anno tertio.* Infra fenatusconfulti nota eft.

Ar-

FAMILIA IVLIA.

Argenteum hunc nummum vulgavit Goltzius in Cæsare pag. 10. De hoc autem numismate, ut & sequentibus, in altero Tomo acturi sumus; ergo ad alia properamus.

XI.

DIVI IVLIi. Caput Cæsaris laureatum cum lituo. Ab altera parte typus & inscriptio præcedenti est similis, verum ex ære est, & medallionis nota, quoad magnitudinem, signatur per expressam subtus literam Θ.

Vulgavit nummum Goltzius in Fastis p. 180. ad A. V. C. DCCVII. quo Cæsar quartum egit triumphum, eumque ex Africa, de rege Juba dictator III. consul III.

XII.

Lucius BVCA. Caput Veneris. Ab altera parte est elephas anguem pede proterens; subscribitur DICT*ator* QVART*um*.

Vulgatus nummus est a Goltzio in Cæsare p. 6. respicit vero victoriam ex Africa & originem nominis Cæsaris.

XIII.

Caput Veneris sine nomine quatuorviri monetalis L. Bucæ. Ab altera parte elephas est sine angue, & titulus IMP*erator*.

Vulgatur ibidem a Goltzio ratione eadem.

XIV.

Γαΐε ΙΟΥΛΙΟΥ ΚΑΙΣΑΡΟΣ ΑΥΤΟΚΡΑΤΩΡΟΣ. *Caji Julii Cæsaris Imperatoris.* Caput Julii Cæsaris laureatum cum lituo. Ab altera parte elephas est cum literis Punicis.

Æreum hunc nummum, significationis ejusdem ut præcedentes, vulgavit Goltzius in Fastis pag. 6.

XV.

CAESAR AVGVR IMP*erator* SEXT*um* CO*nSul* QVINT*um*. Caput Cæsaris laureatum cum lituo. Ab altera parte tituli ejus sunt reliqui, PONT*ifex* MAX*imus* DIC*tator* PER*petuus*. & sella curulis cum imposita corona inter fasces utrimque consulares; duplicato scilicet numero.

Edidit hunc nummum Goltzius in Fastis pag. 183. ad eundem annum, quo fuit occisus Cæsar, cumulatis in eum tamquam ornandam victimam omnibus honoribus. Occisus fuit idibus Martiis A. V. C. DCCIX.

XVI.

Caput velatum & laureatum Julii Cæsaris, ut pontificis summi. Nulla adest inscriptio sed adponuntur simpulum & lituus. Ab altera parte sella curulis est, cui inter duas coronas insistit urceus, inscriptio partim in ipsa sella curuli, partim in circuitu hæc est, *Caius* CAESAR CO*nSul* QVIN*Tum* IMP*erator* SEX*tum* DIC*tator* PERP*etuus*.

Invenitur hic denarius in Goltzii Cæsare pag. 15. & paullo ante mortem ejus, sicut præcedens, atque ob eandem caussam, signatus fuit.

XVII.

Caput Cæsaris laureatum sine inscriptione. Ab altera parte cernitur patera media inter simpulum & lituum, cum hac inscriptione, CAES*ar* AVG*ur* PONT*ifex* MAX*imus* CO*nSul* V. DI*Ctator* PERP*etuus*. omnia in corona myrtea vel laurea.

Typus hic respicit Cæsaris pontificatum maximum; neque est quod Goltzii fidem in multis hujusmodi nummis in dubium vocemus. Vulgavit aureum hunc in Cæsare p. 15.

XVIII.

Caput Cæsaris laureatum sine inscriptione. Ab altera parte stat Venus, anteriore corporis parte nuda, dextra galeam præferens, læva vestis adtollens laciniam, post illam est aquila legionaria; A parte altera stat dea ante aram, cui aquila insistit alas pandens & respiciens. Scribitur in circuitu CAESAR DICT*ator* PERP*etuus*.

Cur Venus in nummo Cæsaris pingatur ratio est in promtu; per galeam, quam tenet, filii bellica gloria innuitur, ut & per signum militare, Aquila imperii Romani gloriam a Cæsare propagatam innuit. Vulgavit aureum hoc numisma Goltzius in Cæsare pag. 6.

XIX.

Caius CAESAR DICT*ator* PERPETVO. Caput Cæsaris laureatum. Ab altera parte sedet Cæsar togatus, dextra lauri ramum tenens, ante illum est aquila legionaria, post eundem stat coronans Cæsarem Victoria. Subtus nota senatusconsulti est.

Hic quoque nummus aureus ultimo Cæsaris anno signatus fuit. Vulgavit illum Goltzius in Fastis p. 183.

XX.

Senatus Consulto. Caput Cæsaris laureatum; ab altera parte typus & inscriptio similis est præcedenti. Edidit denarium hunc argenteum Goltzius in Cæsare p. 10.

XXI.

Caius CAESAR DICT*ator* PERPETVO. Caput Cæsaris laureatum. Ab altera parte sellæ curuli insidet Cæsar laureatus & togatus, dextra lauri ramum præfert; post eum stat victoria illum coronans. Subtus scribitur CAESAR IM*Perator* TER*tium*.

Hic nummus vulgatus est a Goltzio in Cæsare p. 10. sed perperam sculptor Morellii capita & inscriptionem capitum permutavit. Caput enim hujus num. XXI. pertinet ad præcedentem nummum, & vice versa ejus caput ad hunc nummum. Neque enim simul dictator perpetuo fuit Cæsar & imperator tertium. Si quis Goltzii opus inspexerit, inveniet recte ibi notari numeros capitum ad quæ partes aversæ referri debent, sed male eosdem numeros in his nummis a Morellio, vel sculptore potius ejusdem, exceptos fuisse.

XXII.

Caput Veneris cum Cupidine ad pectus. Ab altera parte elegans est tropæum, cum captivo nudo & manus ad tergum revincto, in imo ejusdem tropæi, quod a Victoria coronatur, adscribitur CAESAR DIC*tator* ITER*um*.

Ex dictatura secunda annus cusi aurei hujus atque argentei nummi patet. Vulgavit illum Goltzius in Cæsare p. 8.

XXIII.

Caput Veneris cum globo. Ab altera parte duplex cornucopiæ est colligatum, atque inscriptio CAESAR DICT*ator* PERP*etuus*.

XXIV.

CAESAR DICT*ator* PERP*etuus*. Caput Veneris. Ab altera parte est duplex cornucopiæ colligatum, & lituus militaris, atque inscriptio VALENTIA.

Ærei ſunt nummi, quos vulgavit Goltzius in Cæſare p. 12. Typus ille paſſim invenitur in nummis urbis Valentiæ, ſive Hipponii Magnæ Græciæ.

T A B. XX.

I.

ΓΑΙΟΣ ΙΟΥΛΙΟΣ ΚΑΙΣΑΡ ΑΥΤΟΚΡΑΤΩΡ ΔΟΥΚΤΑΤΩΡ. *Caius Julius Cæſar imperator dictator.* Caput Julii Cæſaris laureatum. Ab altera parte ſtatua eſt Julii ſedentis, & laureati, dextra victoriolam læva haſtam tenentis, poſt tergum ſcribitur ΘΩ. pro ΘΕΩ. *Deo.*

Vulgavit hunc nummum Goltzius in Cæſare p. 16. & dei vel divi inſcriptio docet poſt mortem Julii ſignatum fuiſſe.

II.

ΚΑΙΣΑΡ ΑΥΤΟΚΡΑΤΩΡ. *Cæſar imperator.* Caput Julii Cæſaris laureatum cum lituo; ab altera parte tripus eſt cum duobus aſtris & inſcriptione ΟΙΩΝΙΣΤΗΣ ΑΡΧΙΕΡευς ΜΕΓας. *Augur pontifex maximus.*

Exſtat apud Goltzium in Cæſare p. 15. & dignitatem ſacrorum reſpicit.

III.

Γαῖος ΚΑΙΣΑΡ ΑΥΤΟΚράτωρ ΑΡΧΙΕΡευς ΜΕΓας. *Caius Cæſar imperator pontifex ſummus.* Caput Cæſaris laureatum. Ab altera parte ſcribitur ΠΟΥΒΛΙΟΣ ΣΟΥΛΠΙΚΙΟΣ. *Publius Sulpicius.* Prora navis, ſive dimidia triremis, in qua ſtat Cæſar paludatus, dextra tenens perticam, cui inſiſtit aquila legionaria, poſt Cæſarem ſtat Roma, habitu viraginis bellicæ, niſi ipſa ſit Minerva, more ſolito armata, quæ læva clypeum, dextra ſignum militare tenet.

Reſpicit hic typus victoriam Cæſaris Alexandrinam, & illum P. Sulpicium, cui Galbæ cognomen fuit, legatum ante Cæſaris in Gallia, deinde claſſi ejusdem præfectum, & denique una cum Coſconio (erat uterque prætorius) in Africa per ſeditionem a militibus interfectum A. V. C. DCCVI.

IV.

Γαῖος ΙΟΥΛΙΟΣ ΚΑΙΣΑΡ ΟΥΠΑΤΟΣ (*ſic*) ΤΡΙΤΩΝ. *Caius Julius Cæſar conſul* III. Caput Julii Cæſaris laureatum cum lituo. ΚΟΙΝΟΝία ΑΛΕΞΑΝΔΡΕΩΝ L. Γ. *Commune Alexandrinorum, anno* III. Triremis dimidia, cui inſiſtens Victoria coronat aquilam legionariam.

Idem hujus nummi atque præcedentis ſenſus eſt; utrumque edidit Goltzius in Cæſare pag. 9.

V.

Γαῖος ΚΑΙΣΑΡ ΑΥΤΟΚΡΑΤΩΡ ΟΥΠΑΤΟΣ. Β. *Caius Cæſar imperator conſul iterum.* Ab altera parte laureæ incluſa legitur inſcriptio ΘΕΣΣΑΛΟΝΙΚΕΩΝ. *Theſſalonicenſium.*

Eadem p. 9. hic nummus apud Goltzium invenitur; cuſi nummi tempus ex conſulatu Cæſaris altero patet. Theſſalonicenſes & Julio & filio ejus Auguſto per nummos ſuos blanditi fuiſſe inveniuntur.

VI.

Γαΐου ΙΟΥΛΙΟΥ ΚΑΙΣΑΡΟΣ ΑΥΤΟΚΡΑΤΩΡΟΣ ΔΟΥΚΤΑΤΩΡΟΣ. (*ſic*) L. Γ. *Cai Julii Cæſaris imperatoris dictatoris. anno* IV. Caput Julii Cæſaris laureatum. Ab altera parte pietas Æneæ depingitur. Anchiſen patrem & ſacra Trojæ portantis comite Aſcanio, & ne dubitetur de illis, apud quos ſignatus fuerit nummus, adſcribitur ΙΛΙΩΝ ΒΙΣ (*ſic*) ΝΕΩΧΟΡΩΝ. *Ilienſium bis neocororum.*

Non poterant typum Cæſari gratiorem comminiſci Ilienſes, quo & incunabula quondam ſua Romanis reducerent in memoriam, & Cæſari divinam gratularentur originem, pietatemque ab Æneæ gloria non degenerem. Nummum Goltzio debemus, in Cæſare p. 6.

VII.

ΑΥΤΟκράτωρ ΚΑΙΣαρ ΣΕΒΑΣΤΟΣ. *Imperator Cæſar Auguſtus.* Caput Cæſaris Auguſti nudum. Ab altera parte eſt ſtatua divi Julii ſedentis, dextra aquilam, læva haſtam tenentis: poſt ad ſellæ pedes adſtat ſimpulum & litui quoque figura poſt tergum adeſſe videtur. Inſcriptio hæc eſt, ΚΑΙΣΑΡΕΙΑ ΣΕΒΑΣΤΑ ΝΕΟΚΟΡΟΣ. *Cæſarea Auguſta neocora.* inſuper ΙΟΥΛΙΟΣ ΘΕΟΣ. *Julius Deus.* Literarum præterea evaneſcentium ſequitur ordo; quod fieri ſæpe in æreis tabellis ſolet, quando per negligentiam chalcographi male correctæ ſunt inſcriptiones, neque recte deletæ literæ perperam antea poſitæ.

Novo genere adulationis Cæſareenſes in gratiam Auguſti, patrem ipſius Divum Julium, tanquam Jovem ſuum Græcum expreſſerunt. Vulgavit hunc nummum Goltzius in Auguſto p. 22.

VIII.

Caput Julii laureatum cum lituo ſine inſcriptione; ab altera parte eſt Ægypti typus crocodilus cum inſcriptione AEGYPTO CAPTA.

Vulgavit nummum Goltzius in Faſtis p. 180.

IX.

DIVVS IVLIVS. Caput Julii Cæſaris laureatum. Ab altera parte crocodilus item eſt & inſcriptio AEGYPTO CAPTA.

Invenitur nummus apud Goltzium in Cæſare p. 9.

X.

DIVO IVLIO. Caput Julii Cæſaris laureatum cum ſtella ante frontem. Ab altera parte nulla eſt inſcriptio, ſed ante aram, ſive baſin, cui Mars Victor inſiſtit, ſedet Genius populi Romani, læva tenens cornucopiæ, dextra Victoriam, quæ coronam Marti Victori porrigit.

Inſignis eſt hic nummus aureus apud Goltzium in Cæſare p. 6. Adumbrat vero ejus typus Julii Cæſaris velut Martis Victoris laudes & res geſtas, & felicitatem populi Romani ſub ejus imperio.

XI.

DIVVS IVLIVS. Caput Julii Cæſaris laureatum cum ſtella ſive aſtro eodem ad frontem. Typus ab altera parte præcedenti ſimilis eſt.

Vulgavit hunc nummum ibidem Goltzius; ex argento eſt, & inſcriptio in primo caſu, in reliquis ſimilis, niſi quod converſum aliter Julii ſit caput.

XII.

DIVI JVLIi. Caput Cæſaris laureatum, pone illud eſt lituus. Ab altera parte nulla eſt inſcriptio, ſed Cæſar e regione baſilicæ ſive templi ſupra ſtruem armorum recubat, ſinum pandens, ut eodem recipiat lauream, quam ex nubibus adfert aquila.

Vulgavit hunc nummum Goltzius in Cæſare p. 9. Qui vero illum nummum fabricavit, cælitus

FAMILIA IVLIA.

litus a Jove demissas illi fuisse victorias innuere voluit. Exstat talis nummus, quem ipse vidi, sed non est antiquus.

XIII.

DIVOS JVLIVS. Caput Julii Cæsaris laureatum. Ab altera parte nulla est inscriptio, sed astrum Cæsaris in cœlum recepti cernitur.

Hunc & sequentes tres vulgavit Goltzius in Cæsare pag. 16.

XIV.

Similis præcedenti, sed inscribitur DIVVS IVLIVS.

XV.

Caput Cæsaris laureatum cum astro ejusdem in vertice. Ab altera parte inscriptio est DIVI IVLI*i* & idem astrum sed majus.

XVI.

ΓαΐΘ ΙΟΥΛΙΟΣ ΚΑΙΣΑΡ ΘΕΟΣ. *Caius Julius Cæsar Deus.* Caput Cæsaris radiatum. Ab altera parte astrum est, ut supra.

XVII.

CAESAR DIVI *Filius* IMP*erator* PONT*ifex* IIIVIR *Rei Pubicæ Constituendæ.* Caput Cæsaris Octaviani cum lituo; ab altera parte idem astrum est cum inscriptione DIVVS IVLIVS.

Caput nudum Cæsaris Octaviani triumviri signatur in priore hujus denarii parte, ut qui omnes hos nummos a num. XIII. signari curaverit. Vulgavit hunc Goltzius in Fastis p. 192.

XVIII.

IMP*erator* CAESAR DIVI IVLII *Filius.* Caput nudum Cæsaris Octaviani. Ab altera parte idem astrum cernitur, sed dignitas Cæsaris adscribitur IIIVIR ITER*um* *Rei Publicæ Constituendæ.*

Invenitur nummus apud Goltzium in Augusto p. 22.

XIX.

CAESAR IMP*erator* PONT*ifex* IIIVIR *Rei Publicæ Constituendæ.* Caput idem. Ab altera parte templum est divi Julii cum inscriptione DIVO IVLIO EX *Senatus Consulto.* Sedet in templo ipse Julius habitu pontificis summi.

Hunc & duos sequentes nummos protulit Goltzius in Augusto p. 23.

XX.

ΘΕΘ ΙΟΥΛΙΟΣ. *Deus Julius.* Caput nudum Julii Cæsaris. Ab altera parte Cæsaris Octaviani nudum caput est, cum hac inscriptione, ΑΥΤΟΚΡΑΤωρ ΚΑΙΣΑΡ ΥΙΟΣ ΘΕΙΟΥ ΠΑΤΗΡ ΠΑΤΡΙΔΟΣ. *Imperator Cæsar, filius divi, pater patriæ.*

XXI.

ΤΟΝ ΘΕΙΟΝ ΙΟΥΛΙΟΝ ΚΑΙΣΑΡΑ. *Deum Julium Cæsarem* scilicet colit urbs Græciæ, quæ nummum signavit. Caput Julii laureatum. Ab altera parte nudum Cæsaris junioris caput est, cum inscriptione ΚΑΙΣΑΡ ΥΙΟΣ ΘΕΙΟΥ ΙΟΥΛΙΟΥ. *Cæsar filius divi Julii.*

XXII.

DIVI IVLI*i*. Caput Julii laureatum cum stella in vertice. Ab altera parte Cæsaris junioris, ut supra, caput est, cum inscriptione CAESAR DIVI *Filius.*

Invenitur in Fastis Goltzii p. 184.

XXIII.

DIVVS IVLIVS. Caput Julii Cæsaris laureatum cum stella in vertice. Ab altera parte Cæsaris triumviri caput est, cum inscriptione IMP*erator* CAESAR DIVI IVLI*i* *Filius.*

Hunc & sequentem vulgavit Goltzius in Augusto p. 22.

XXIV.

DIVI IVLI*i*. Caput Julii Cæsaris laureatum cum stella in vertice. Ab altera parte Cæsaris triumviri nudum caput est cum hac inscriptione CAESAR DIVI *Filius* IIIVIR *Rei Publicæ Constituendæ.*

TAB. XXI.

I.

IMP*erator* CAESAR *Divi Filius.* Caput Cæsaris Octaviani laureatum. Ab altera parte laureatum Julii caput est, sed sine inscriptione; pone illud stella est.

Hunc nummum & duos sequentes invenire licet apud Goltzium in Augusto p. 23.

II.

IMP*erator* CAESAR DIVI *Filius* CO*n*S*ul* TER*tium* IIIVIR ITER*um* *Rei Publicæ Constituendæ.* Caput Cæsaris nudum. Ab altera parte caput Julii Cæsaris laureatum est, cum stella & inscriptione DIVO IVLIO.

III.

IMP*erator* CAESAR DIVI *Filius* IIIVIR ITER*um* *Rei Publicæ Constituendæ.* Caput Cæsaris Octaviani nudum cum lituo. Altera pars præcedenti similis est.

IV.

CAESAR DIVI *Filius.* Caput Octaviani nudum. Ab altera parte Cæsaris caput laureatum est, cum inscriptione DIVI IVLI*i*.

Quæri hic nummus debet apud Goltzium in Augusto p. 82.

V.

CAESAR DIVI *Filius* AVGVR PONT*ifex* IMP*erator* QVART*um* CO*n*S*ul* TER*tium.* Caput Cæsaris Octaviani nudum. Ab altera parte caput laureatum Julii est cum inscriptione DIVI IVLI*i*.

Hunc nummum in Fastis exhibuit Goltzius p. 200. ad A. V. C. DCCXXII.

VI.

ΣΕΒΑΣΤΟΣ ΥΙΟΣ ΘΕΟΥ ΙΟΥΛΙΟΥ. *Augustus filius dei Julii.* Capita jugata & laureata Julii Cæsaris & Augusti. Ab altera parte elegans est templum quatuor columnis suffultum, in quo summi pontificis habitu stat Julius Cæsar, ad latera sunt lituus & simpuvium; additur in oris hæc inscriptio ΜΕΝΑΝΔΡΟΣ ΠΑΡΡΑΣΙΟΥ ΙΟΥΛΙΟΝ ΘΕΟΝ. *Menander Parrhasii* filius colit *Julium Deum.*

Præclarum hunc & elegantissimum nummum publicavit Goltzius in Augusto p. 23. Parrhasius idem plures nummos in Augusti gratiam signavit, ut suo tempore visuri sumus.

IVNIA.

VII.

Caput Romæ galeatum: in aversa parte Victoria in bigis, dextra coronam, sinistra habenas equorum tenet, adscribitur *Decimus* IVN*ius* PERA, in imo ROMA.

Vulgavit hunc denarium Goltzius in Fastis p. 83. ad A. V. C. CCCCLXXXVII. quo consul cum Fabio Pictore Junius Pera fuit, atque de Sassinatibus triumphavit. Goltzium sequitur Ericius, cujus hæc sunt verba p. 9. „ Romæ signatus fuit hic denarius, & quidem consule „ D. Junio Pera, A. V. C. CCCCLXXXVII. „ quo ejus anni consules de Saffinatibus triumpharunt, ut legitur in Tabulis Capitolinis, & „ Eutropius aliique scriptores testantur. Umbriæ „ populus erant Saffinates. Victoria, coronam manu tenens, triumphi veritatem confirmat. "

VIII.

ROMA. Caput Romæ galeatum, in aversa parte, *Decimus* IVNI*us* PERA. Victoria in bigis, tenet utraque manu habenas.

Ad eundem D. Junium Peram hic nummus pertinet, quem ibidem p. 84. publicavit Goltzius, sed, quod scribit Vaill. tomo II. p. 17. a consule, ut tunc moris erat, denarium hunc bigatum percussum fuisse, vellem ex idoneo auctore antiquo morem illum illustrasset.

IX.

Caput Cereris corona spicea ornatum: in aversa parte *Decimus* IVNI*us Decimi Filius* PERA. Ceres velo volitante supra humeros, in bigis a duobus serpentibus, quos frænis regit, tracta.

Refertur hic denarius ad filium Peræ præcedentis, licet Goltzius ad ipsum patrem pertinere existimet; edidit enim denarium hunc in Fastis p. 91. ad A. V. C. D. quo censor fuit Junius Pera pater cum L. Postumio Megillino. Filius tribunatum plebis gessit A. V. C. DXIII. & ædilis plebis ponitur A. V. C. DXVI.

Patet, eo anno magnam in Urbe frugum fuisse copiam, nisi (quod puto) in Sicilia cusus fuerit nummus. Ibi enim deæ istius cultus fuit singularis, in terra mire frugifera. Dracones & currus respiciunt deæ in tradendis frugibus profectionem per orbem terrarum. Orpheus in Hymno ejusdem,

Ἅρμα δρακοντείοισιν ὑποζεύξασα χαλινοῖς.
Dum dea frænatos adjunxit curribus angues.

Ovid. lib. V. Met. vs. 642.
Geminos dea fertilis angues
Curribus admovit, frænisque coërcuit iras.

X.

Capita Castoris & Pollucis jugata, pileisque ornata & astris: in aversa parte, *Marcus* IVN*ius* PERA. Dioscuri decurrentes in equis cum hastis.

Frater natu minor tribuni plebis præcedentis fuit, majores vero quam frater honores gessit; nam & ad consulatum pervenit A. V. C. DXXIII. & attonita urbe clade Cannensi dictator creatus fuit A. V. C. DXXXVII. ad quem annum hunc denarium produxit Goltzius in Fastis p. 107.

XI.

HONORIS. Caput Honoris laureatum: ex aversa parte *Marcus* IVNI*us Marci Filius Lucii Nepos* BRVTVS, in imo ROMA. Triremis prætoria.

Hic M. Junius M. F. L. N. Brutus, consul fuit A. V. C. DLXXV. quo denarium hunc refert Goltzius in Fastis p. 128. Videtur eo anno, quo triumvir monetalis fuit M. Brutus, profectio quædam maritima memorabilis & gloriosa reipublicæ contigisse.

XII.

Caput Romæ galeatum, post quod asini est caput: in aversa parte *Marcus* IVNI*us*. in imo ROMA. Castor & Pollux pileati & ornati astris decurrunt hastis armati.

Ad patrem præcedentis Bruti videtur debere referri hic denarius. Asini caput adludere videtur ad cognominis originem & simulatam consulis primi stultitiam. Vide, quæ diximus in Fam. Junia p. 221. Ad alium quam illum, qui tribunus plebis exstitit A. V. C. DXXII. paterque Marci fuit & Decimi, refert Goltzius; videlicet ad consulem M. Junium M. F. M. N. qui istam dignitatem obtinuit A. V. C. DLXXXVI. Vulgavit nummum in Fastis p. 132.

XIII.

BRVTVS PROCO*nSule* EX *Senatus Consulto*. Caput Veneris: ex aversa parte *Decimus* IVNI*us Marci Filius*. in area ROMA. Victoria in bigis, dextra habenas equorum sinistra flagrum tenens.

Vulgavit hunc denarium Goltzius in Fastis p. 143. ad A. V. C. DCXVII. quo D. Junius M. F. M. N. Brutus Callaicus proconsule contra Lusitanos & Callaicos in Hispania ulteriore res gessit, de quibus A. V. C. DCXXI. triumphavit. Goltzii vestigia, præter Vaillantium, sequitur Ericius, qui ad hujus denarii interpretationem ita scribit p. 118. „ Signatus fuit hic nummus „ Romæ, A. V. C. DCXVII. eo tempore, „ quo Decimus Junius Brutus proconsule victoriam obtinuit in Hispania ulteriore de Lusitanis „ & Gallæcis. Legitur de iisdem in Epitoma Livii „ LV. *D. Junius Brutus in ulteriore Hispania feliciter adversus Gallæcos pugnavit* &c. Paullo „ latius percenset Junii res gestas Florus: *D.* „ *Brutus aliquanto latius Gallæcos atque omnes Callæciæ populos, formidatumque militibus flumen* „ *Oblivionis, peragratoque victor Oceani littore, non* „ *prius signa convertit, quam cadentem in maria solem, obrutumque aquis ignem, non sine quodam* „ *sacrilegii metu, & horrore deprehendit.* Idem „ fere testatur Orosius: *Brutus in interiore Hispania LX. millia Gallæcorum, qui Lusitanis auxilio* „ *venerant, aspero bello & difficili, quamvis incautos circumvenisset, oppressit.* Vellejus item: „ *Ante tempus excisæ Numantiæ præclara in Hispania militia D. Bruti fuit, qui, penetratis omnibus* „ *Hispaniæ gentibus, ingenti vi hominum urbiumque* „ *potitus numero, aditis, quæ vix adita erant, Gallæci cognomen meruit.* Rufus denique: *Hispanias per D. Brutum obtinuimus, & usque ad Gades ad Oceanum pervenimus.* De Gallæcis & „ Bruto hæc quoque mentio exstat apud Strabonem lib. III. *Gallæci ultimi sunt, montes incolentes, ac propterea qui subigantur difficillimi, qui* „ *Bruto, qui Lusitanos debellavit, cognomen dederunt.* Acta itaque hæc sunt a Bruto hoc ipso „ anno, dum circa Lusitanos versatur, qui tamen

FAMILIA IUNIA.

„ men non nisi quatuor post annos triumphavit, „ longius in ordinanda provincia, ut remur, „ occupatus.

„ Victoriae ejus monumentum est bigatus hic „ nummus, qui a parte priore Romae inermis si- „ ne galea caput exhibet, ab altera Victoriam „ in bigis equos flagro propellentem. Cogno- „ men Callaici Bruto ex hac victoria accessit. "

Censet Vaillantius in prorogatione provinciae ex senatusconsulto concessum ipsi fuisse ad exercitus stipendia bigatos argenteos cudere. Ad quae noto, Romae, si ita fuisset, mentionem in nummo nullam factam fuisse; ista enim vox docet vulgarem hunc bigatum, qui peculiarem victoriam nullam significare potest, signatum Romae a triumviro monetali fuisse, nisi dicamus missam a Roma proconsuli fuisse pecuniam, qui tamen secum quaestores habebat, quorum officium erat signare nummos in provincia. Itaque hunc nummum cum plurimis inter mere Goltzianos numero, donec inveniatur.

Decimus Brutus, summus ille vir & imperator, proavus fuit M. Bruti percussoris Julii Caesaris.

XIV.

Caput Apollinis, pone quod litera N. in aversa parte CN*eus* CARBO C*ai Filius Marcus* SILAN*us* L*ucii Filius.* Duo aediles sedent inter duos modios spicis repletos, in summo vertice legitur EX S*enatus* C*onsulto.*

M. Junius L. F. Silanus, qui ad consulatum pervenit A. V. C. DCXLIV. ad quem annum vulgavit nummum hunc Goltzius in Fastis pag. 154. creditur eidem hunc denarium signasse. Aedilitatem typus respicit, unde ad A. V. C. DCXXXII. refert Vaillantius, quo istam dignitatem gessisse videtur cum Carbone, quocum A. V. C. DCXXIX. tribunus plebis fuisse legitur.

Nummum ipsum non ab aedilibus cusum existimo, sed a triumviris monetalibus, qui jussu senatus, acta ejus anni quum denariis inprimerent, curam ejusdem senatus publicam expresserunt, qua per illos aediles plebis frumentum curarunt advehi ex Sicilia; unde caput Apollinis in parte priori est, non Genii, ut credidit Vaillantius. Litera N. quae post caput dei est, simpliciter alphabetica. monetariorum est, non vero Natalem ut credidit Vaillantius tom. II. p. 24. vel Nomium, ut Pighius tom. III. p. 70. significare potest.

XV.

BRVTVS. Caput Romae galeatum: ex aversa parte D*ecimus* IVNI*us* D*ecimi* F*ilius.* in imo ROMA. Castor & Pollux decurrentes, cum hastis.

Denarius hic invenitur in Fastis Goltzianis p. 167. ad A. V. C. DCLXXVI. quo consul exstitit D. Junius D. F. M. N. Brutus cum Mamerco Aemilio Lepido Liviano.

Decimus Brutus hic filius fuit natu minor Decimi Bruti Callaici, & videtur denarium hunc signasse in triumviratu monetali.

XVI.

Caput Apollinis laureatum: ante quod lyra: ex aversa parte D*ecimus* SILAN*us* M*arci Filius.* Gryphus, pede arae ignitae inposito.

Vulgavit hunc nummum Goltzius in Fastis p. 173. ad A. V. C. DCLXXXXI. quo consul fuit D. Junius M. F. L. N. Silanus cum L. Licinio Murena. Ad eundem refert Ericius p. 198. scribens: „ signatus fuit hic nummus Ro- „ mae A. V. C. DCLXXXXI. coss. D. Junio Si- „ lano & L. Licinio Murena. D. Silanus filius „ fuit ejus M. Silani, qui consul fuit bello Cim- „ brico. Comitiis ejus anni repulsam consulatus „ tulit L. Sergius Catilina, homo seditiosus, & „ accensus dolore in patriam conjuravit. Eodem „ anno muliebri habitu indutus in aedibus Caesa- „ ris pontificis maximi deprehensus fuit Clodius, „ in sacris Bonae Deae, ad quae viris non erat fas „ accedere, ut Dio scribit, atque Cicero lib. I. „ ad Atticum.

„ Caput, quod a priore nummi parte cernitur, „ dei Apollinis est, post illud lyra, numini ejus di- „ cata, cernitur. A posteriori parte gryphus cer- „ nitur, quod animal Apollini est consecratum, „ pedem vero inponit arae, quod ad sacrificium „ ejus dei respicit. "

Ad eundem D. Junium Silanum, cui mater M. Bruti Servilia post mariti mortem nupsit, retulit Vaillantius; sed denarium ab illo in praetura signatum existimat. De praetura ejus non legitur, & potuit cudi nummus extra urbem (neque enim Romae nomen adest) & forsitan in Sicilia, ubi insignis Apollinis cultus fuit.

XVII.

Caput M. Junii Silani, ex aversa parte M*arcus* IVNI*us* SILAN*us* EX S*enatus* C*onsulto.* Apollo nudus stans cum strophio supra utrumque brachium, dextra lauri tenens ramum, sinistra lyram.

Censet Vaillantius cusum fuisse hunc nummum a M. Junio Silano Lucii filio, qui consul fuit cum Q. Caecilio Metello A. V. C. DCXLIV. quem putat hunc nummum signasse in praetura sua; atque caput illud barbatum referri debere ad familiae Silanae ex gente Junia principem M. Silanum; virum fortissimum, qui P. Scipioni juveni in Hispaniam proficiscenti adjutor datus fuit; Apollinis vero imaginem spectare ad ludos Apollinares. Verum Goltzius non tam antiquam aetatem denario praestantissimo (quem utinam oculis usurpare liceret) adsignat, dum refert ad M. Junium D. F. M. N. Silanum, qui ad consulatum pervenit temporibus Augusti A. V. C. DCCXXVIII. quae verior videtur esse conjectura, ut imago Apollinis in posteriore denarii parte Apollinem Actium respiciat, qui altera manu lyram suam teneat, altera laurum victricem, in testimonium victoriae Caesaris de M. Antonio partae; unde & nota senatusconsulti adscribitur. M. Silani, qui familiae princeps fuit, caput in priore parte depingi videtur; qui vero nummum signavit, vel signari jussit, M. Junius Silanus, is ipse esse videtur, qui postea ad consulatum pervenit. Vulgavit Goltzius nummum hunc in Fastis pag. 205.

XVIII.

Caput Jovis laureatum & barbatum: ex aversa parte C*aius* IVNI*us* SILANVS. L*ucius* PISO CAESONINVS. Sella curulis, supra quam fulmen, in imo EX S*enatus* C*onsulto.*

Protulit hunc denarium Goltzius in Fastis p. 210. ad A. V. C. DCCXXXVI. quo consul cum C. Furnio fuit C. Junius C. F. C. N. Silanus. Ad aedilitatem Silani & Pisonis spectare videtur, sed Goltzianum puto esse nummum.

XIX.

Caput Veneris Victricis laureatum, cum diademate in capite, & sceptro supra humerum: in

aversa parte *Caius* IVNI*us* SILANVS. Prospectus navalis, in quo quatuor naves visuntur, (ut Vaill. putat) sed potius exhibentur vetera rostra.

Hunc nummum Goltzius in Fastis p. 230. pertinere existimat ad C. Junium C. F. M. N. Silanum consulem A. V. C. DCCLXII. Sed Vaillantius ad illum refert, ad quem præcedens denarius creditur pertinere; & ad hujus typi interpretationem ita scribit p. 22. „ Ad eundem C. „ Junium Silanum spectat hic denarius, ex eadem nempe epigraphe C. IVNI. SILANVS: „ sed id confirmat caput Junonis Reginæ, quod „ ille expressit ad renovandam ædilitatem suam: „ nam, ut diximus, ludi illi magni erant Junoni „ cum Jove & Minerva dicati. Ædilitium dicit „ illum Cicero, in Cluentiana, quum anno sequente prorsus innocens a L. Quinctio „ tribuno plebis damnaretur. At, ut navale in „ aversa parte C. Junium fuisse duumvirum navalem declarat, an ante vel post ædilitatem ille hunc magistratum extraordinarium gesserit, „ incertum est; quum utriusque memoriam in „ denario revocaverit. Quod fuerit duumvirorum navalium officium, non est difficile referre, siquidem illi reficere & ornare classem, „ utque navalibus sociis impleatur, commeatu „ instruatur, curare debebant."

At vero caput, quod cum sceptro cernitur in priore nummi parte, non est Junonis Reginæ, sed Veneris Victricis, ut patere potest ex ejus deæ pictura in nummo Cæsaris in gente Julia tab. quarta num. III. Vetera vero rostra exprimi patebit illi, qui contulerit nummum Lollii Palicani, in gente Lollia num. I. ubi vide quæ diximus pag. 248. Eodem vero tempore vixerunt atque magistratus gesserunt M. Lollius Palicanus atque C. Junius Silanus, quem ædilitium nuncupat Cicero in Orat. Cluentiana, atque injuste urbe & honoribus pulsum fuisse vulgi impetu adserit. Hinc quæstores simul urbanos eodem anno, scilicet V. C. DCLXXIV. constituit Pighius tom. III. Annal. p. 278. Videntur vero una in quæstura sua vel triumviratu monetali hos denarios summa signasse concordia; quod enim quasi ædificium in hoc nummo cernitur, id non puto discrepare a figura, quæ in Palicani nummo cernitur.

XX.

CAESAR AVGVSTVS TRIBVNIC*ia* POTEST*ate*. Caput Augusti laureatum. Ab altera parte in area nummi est nota senatusconsulti, & in circuitu legitur, *Decimus* IVNIVS SILANVS IIIVIR *Auro Argento Aeri Flando Feriundo*.

Hic Decimus Junius Silanus, triumvir monetalis senatus, filius fuisse videtur D. Junii Silani consulis A. V. C. DCLXXXXI. Vulgatur nummus a Goltzio in Augusto pag. 65

XXI.

ROMA. EX *Senatus Consulto*. Caput Romæ galeatum. Ab altera parte duo boves ambulant, & subscribitur *Lucius* BVBVLCVS.

Fictus fuit hic nummus ab illo, qui bubulum credidit antiquariis ingenium, nisi fraus sua deprehenderetur.

XXII.

Lucius MVRENA. Caput Romæ galeatum. Ab altera parte legitur *Decimus* SILANVS *Lucii Filius*. ROMA. Victoria in bigis.

Ut jungeret collegæ Decimo Silano, cujus similes extant nummi in Fam. Junia tab. V. falsarius hunc nummum cum Murenæ nomine fabricavit.

XXIII. *vacat*.

IVVENTIA.

XXIV.

Caput Junonis, ut videtur, sine inscriptione; ab altera parte cernitur aquila insistens fulmini, respiciens, alis expansis, cum hac inscriptione. MAN*ius* IVVENTI*us* *Titi Filius Titi Nepos* THALNA.

Hunc denarium, quem in Familiis collocare neglexit Vaillantius, edidit Goltzius in Fastis pag. 134. ad A. V. C. DLXXXX. quo consul fuit cum Tiberio Sempronio Gracccho. Aquila ad Jovem respicit, unde caput illud muliebre Junonis esse reor.

TAB. XXII.

LAELIA.

I.

Caput Romæ galeatum: ex aversa parte *Caius* LAELIVS, in imo ROMA. Castor & Pollux cum equis & hastis decurrentes, pileis & astris insignes.

Vulgavit hunc denarium Goltzius in Fastis p. 121. ad A. V. C. DLXIII. quo consul fuit cum L. Cornelio Scipione, qui postea dictus fuit Asiagenes, L. Lælius C. F. C. N. atque sic nummus pertinet ad P. Africani majoris amicum C. Lælium, cusus ab eodem in quæstura urbana vel triumviratu monetali.

II.

SAPIENS. Caput Romæ galeatum: ex aversa parte *Caius* LAELIVS. Castor & Pollux pileis ornati, decurrunt in equis cum hastis, in vertice duæ stellæ.

Creditur hic denarius pertinere ad filium C. Lælii præcedentis, & ipsum Scipionis, sed Æmiliani & minoris, amicum. Sed ob Sapientis cognomen, quod in tribunatu datum illi adfirmat Plutarchus, suspectus est, sicut plerique nummi Goltziani.

Exstat apud Goltzium p. 142. ad A. V. C. DCXIII. quo consul fuit cum Q. Servilio Cæpione.

III.

AVGVSTVS DIVI *Filius*. Caput Augusti, *Decimo* LAELIO BALBO *Caio* SVLPICIO *Lucio* CELSO II. VIR*is*. Bos.

Notus est D. Lælius Balbus, qui cum C. Antistio Vetere ad consulatum pervenit A. V. C. DCCXLVII. quo adfertur hic nummus a Goltzio in Fastis p. 218. Vaillantius duumvirum deducendæ coloniæ fuisse existimat; verum ego omnes nummos Goltzianos cum tribus ejusmodi coloniarum deducendarum duumviris suspe-

ſpectos eſſe habendos cenſeo, donec conſtet tres homines in eodem magiſtratu duumviros fuiſſe adpellatos, atque ex tot ejus generis nummis, quos vulgavit Goltzius, unus inveniatur.

LAETORIA.

IV.

PLANCIAN*us*. Caput Romæ galeatum: ex averſa parte *Marcus* LAETORI*us*. in imo ROMA. Victoria bigis agens, dextra equorum habenas ſiniſtra flagrum.

Vulgatur hic denarius a Goltzio in Faſtis p. 88. ad A. V. C. CCCCLXXXXVI. quo magiſter equitum fuit M. Lætorius M. F. M. N. Plancianus, dictatore Q. Ogulnio Gallo. Typus eſt victoriatis conſuetus, & cuſus videtur denarius (ſi verus eſt) in triumviratu Lætorii monetali.

LICINIA.

V.

Caput Junonis Soſpitæ pelle Caprina amictum: ex averſa parte, NVMA POMPIL*Ius*. in area *Caius* LICIN*ius* VARVS. in imo. Numa Pompilius ſtans, dextra lituum tenet ad aram; ante quam Victimarius capram adducit.

Goltzius hunc denarium protulit in Faſtis p. 97. ad A. V. C. DXVII. quo ludi ſæculares tertii ex S. C. facti ſunt. Conſulibus P. Lentulo Caudino & C. Licinio P. F. P. N. Varo. Cenſet vero Vaillantius, eo anno, quo, ut quæſtor hunc nummum ſignavit, videlicet A. V. C. DIII. Junonis Soſpitæ templum fuiſſe refectum, in quo quum juxta Numæ inſtitutionem ſacrificia huic deæ fierent, typum Numæ & ejus ſacrificii in nummo expreſſum fuiſſe.

In familia Pomponia num. I. tabulæ primæ occurrit typus partis poſterioris, huic valde ſimilis, quem quum Pomponia gens ſibi recte vindicet propter Numæ cognationem, ita Liciniis Varis cum Lanuvio forſitan aliquid rei fuit. Et forſitan temporibus iſtius L. Pomponii Molonis adhuc ſuperfuerant Licinii Vari, quorum unus ſimul triumvir monetalis cum L. Pomponio Molone hunc denarium ſignaverit, cujus pars altera ad ſuam, altera ad collegæ ſui familiam ejusque decus ſpectaret, quod nonnunquam in nummis hisce Familiarum Romanarum fuiſſe factum videmus.

VI.

Caput Herculis cum clava. Supra humerum dextrum ROMA: ab averſa parte *Caius* LICINIVS *Publii Filius* GETA. Tropæum cum ſpoliis.

Hunc nummum vulgavit Goltzius in Faſtis p. 151. ad A. V. C. DCXXXVII. quo conſul fuit una cum Q. Fabio Maximo Eburno C. Licinius Geta. Vaillantius cenſet cuſum fuiſſe numisma eodem anno, quod veroſimile ſit Galliam provinciam Licinio ceſſiſſe, ex qua veroſimile quoque ſit, victoriam illi obtigiſſe, quod anno poſt eadem conſularis provincia facta fuerit. Verum videtur tunc addi in nummo debuiſſe titulus imperatoris, quem meruerit Licinius Geta, ut qui tropæum erexerit. Nunc, quum & ille titulus abſit, & Romæ ſignatus ſit denarius, non extra urbem, a quæſtore urbano Geta, vel triumviro monetali, cuſus fuiſſe videtur. Itaque quum quæſturam ejus provincialem ad A. V. C. DCXXI. ex conjectura referat Pighius, potuit quæſtor urbanus exſiſtere A. V. C. DCXX. quo Numantia a Scipione capta fuit, atque ob illam lætitiam nummi ſignari potuerunt in urbe cum tropæi figura.

VII.

Caput Jovis Victoris laureatum: ex averſa parte *Lucius* CRAS*ſus Lucii Filius*. Victoria coronam tropæo imponit, in imo ROMA.

Exſtat quinarius hic apud Goltzium in Faſtis p. 160. ad A. V. C. DCLVIII. quo L. Licinius L. F. P. N. Craſſus conſul fuit cum Q. Mucio Scævola. Cudit nummulum in quæſtura urbana vel triumviratu monetali. Orator diſertiſſimus fuiſſe perhibetur.

VIII.

Caput Cybeles turritum & velatum: ex averſa parte *Publius* LIC*inius Marci Filius Publii Nepos* CRASSVS. Cybele ſedet in curru a duobus leonibus vecto, cum tympano & habenis.

Vulgavit hunc denarium Goltzius in Faſtis p. 161. ad A. V. C. DCLX. quo P. Licinius M. F. P. N. Craſſus proconſule de Luſitanis triumphavit; neque tamen ad illum annum referendum eſſe tempus cuſi nummi patet ex typo Magnæ Matris; nihil commune cum victoria iſta habentis. Hinc ad ædilitatem ejus Craſſi ſplendidiſſime geſtam, denarium hunc referunt Pighius atque Vaillantius. Fictum a Goltzio non fuiſſe teſtimonium Pighii docet; qui apud Perenotum vidit, ut verba ejus teſtantur tom. III. Annal. p. 142. „ Vidi apud Perenotum, cardi„ nalem Granvellanum, artis elegantiſſimæ de„ narios aureos atque argenteos, in quibus Ma„ tris deûm turrita facies in una parte, & in al„ tera ſedens eadem in biga cum ſub tympano; „ cui ſubjugati coeunt ad fræna leones duo, pul„ cherrime ſignata videtur, circumſcripto ſic „ hujus P. Craſſi nomine, P. LIC. M. F. P. N. „ CRASSVS. " Quod & ex auro & ex argento, atque elegantiſſimæ artis viſos hosce denarios ſibi teſtetur Pighius, vereor ut Patavinæ artis exemplaria fuerint. Neque enim tam rari nummi ex auro ſimul & argento facile apud unum virum invenias, & plures ipſe vidi imperatorum & Auguſtarum nummos ab iisdem artificibus pulcherrime factos, qui typum eundem Magnæ Matris ab altera parte haberent, Fauſtinæ præſertim majoris.

IX.

Caput Dianæ Luna creſcente in fronte ornatum, pone dorſum arcus & pharetra: ex averſa parte *Lucius* LICIN*ius Lucii Filius* CRASS*us*. Aper telo transfixus, quem canis inſequitur.

Hunc Craſſi denarium vulgavit Goltzius in Faſtis p. 161. ad A. V. C. DCLXI. quo cenſor L. Licinius L. F. P. N. Craſſus luſtrum LXVI. fecit cum collega Cn. Domitio Ahenobarbo. Ad eundem ſic commentatus eſt Ericius p. 162. „ Signatus fuit hic nummus Romæ A. V. C. „ DCLXI. ſed A. V. C. DCLVIII. jam ante „ Romæ nummus alter ejusdem L. Licinii Craſſi „ cuſus fuerat, quum idem conſulatum gereret „ cum Q. Mucio Scævola. Habet is a parte prio-

„ re caput Jovis, a posteriore Victoriam tropæum statuentem atque coronantem; subscribitur ROMA. L. CRAS. L. F. Cusus fuit „ nummus eo anno, quo proconsule de Gallis „ victoriam obtinuit idem L. Licinius Crassus. „ Quare rebus ibidem feliciter gestis, atque postulato triumpho, non tamen legi impetrasse „ eundem. Rogasse vero triumphum docent „ Ciceronis verba lib. I. de Invent. *L. Licinius* „ *Crassus Cos. quosdam in citeriore Gallia nullo illustri, neque certo duce, neque eo nomine, neque* „ *eo numero proditos, ut digni essent, qui hostes populi* „ *Romani esse dicerentur, quod tamen excursionibus,* „ *& latrociniis infestam provinciam redderent, confectatus est, & confecit. Romam redit, triumphum* „ *a senatu postulat.* Victoriæ ejusdem monumentum nummus est, qui exhibet deam tropæum ex adverso erigentem atque coronantem."

Denarii hujus typus simillimus est nummis Hosidiæ Getæ, & videtur indicare ludos & venationes populo exhibitas eo anno, quo quæstor urbanus vel triumvir monetalis fuit L. Licinius Crassus.

X.

Caput Romæ galeatum, hinc MVRENA. inde ROMA. ex aversa parte *Lucius* LICINI*us* *Publii Filius*. Jupiter in quadrigis triumphalibus, dextra sceptrum, sinistra fulmen & habenas equorum.

Cernitur hic denarius apud Goltzium in Fastis p. 166. ad A. V. C. DCLXXIII. quo L. Licinius L. F. Murena de rege Mithridate ex Ponto triumphavit. Nummi typum hisce illustravit Ericius p. 174. „ Signata fuit hæc moneta Romæ „ A. V. C. DCLXXIII. post victoriam, quam „ Licinius Murena pro prætore habuit in Asia de „ rege Mithridate. Murena enim bellum Mithridati in Asia ultro intulerat, sed dimittere coactus „ fuit a Sulla revocatus. Quantum vero ex scriptoribus colligere licet, per duos annos gestum illud „ bellum fuit ab eodem, primum consulibus Mario „ & Carbone, deinde Tullio & Cornelio. Murenam „ vero ex illo bello triumphasse satis clarum est, „ sed quo anno non constat, puto tamen hoc anno „ DCLXXIII. fuisse, quum verosimile sit Romam rediisse a Sulla revocatum. Cicero de „ hac re ita scriptum reliquit in Oratione pro „ Murena, qui filius ejusdem fuit. *Mithridatem* „ *L. Sulla maximo, & fortissimo exercitu pugna* „ *excitatum, cum bello invectum in totam Asiam,* „ *cum pace dimisit; L. Murena pater vehementissime* „ *diligentissimeque vexatum, repressum magna ex parte,* „ *non oppressum reliquit.* Atque iterum pro lege Manilia: *Triumphavit L. Sulla, triumphavit L.* „ *Murena de Mithridate, duo fortissimi & summi* „ *Imperatores, sed ita tamen triumpharunt, ut ille* „ *pulsus superatusque regnaret. Veruntamen illis* „ *Imperatoribus laus est tribuenda, quod egerunt,* „ *venia danda, quod reliquerunt. Propterea quod* „ *ab eo bello Sullam in Italiam respub. Murenam* „ *Sulla revocavit.* Testatur idem iterum in Oratione pro Murena: *An cum sedere in equis triumphantium prætextati potissimum filii soleant,* „ *huic donis militaribus patris triumphum decorare* „ *fugiendum fuit, ut rebus communiter gestis cum* „ *patre simul triumpharet?* Et aliquanto post: *Meruisse vero stipendia in eo bello, quod tum populus* „ *Romanus non modo maximum, sed etiam solum* „ *gerebat, virtutis, patre imperatore meruisse, pietatis, finem stipendiorum patris victoriam, ac* „ *triumphum fecisse, felicitatis fuit.* &c. Monumentum autem istius triumphi Asiatici denarius hic est, in quo currus ejusdem triumphalis „ insistente Jove exprimitur."

XI.

FIDES. Caput Deæ Fidei oleagina corona ornatum: ex aversa parte *Lucius* LVCVL*lus* EX *Senatus Consulto*. ROMA. Navis prætoria cum remigibus.

Consul fuit L. Licinius L. F. L. N. Lucullus A. V. C. DCLXXIX. cum M. Aurelio Cotta, quo anno profert hunc denarium Goltzius in Fastis p. 168. ad cujus intellectum ita scripsit Ericius p. 177. „ Consulum horum mentionem „ facit Cicero in Verrem & Epitome Livii „ LXXXXIII. & LXXXXIV. L. Luculli ejus avus exstitit L. Lucullus collega consulis „ A. Albini. Istis consulibus testatur Eutropius fatis concessisse Nicomedem, Bithyniæ „ regem, qui populum Romanum hæredem reliquit, quo jure postea in provinciæ formam „ redacta fuit Bithynia. Marco autem Cottæ „ Bithynia sorte obvenit, Lucullo Cilicia. Eisque consulibus bellum insigne natum est in Cilicia atque in Pamphylia, quodque inter piratica bella nomen habere meruit. Missus ad „ illud bellum fuit P. Servilius Isauricus proconsule, qui vicit atque triumphavit.

„ In ipso nummo deæ Fidei caput exhibetur „ a parte priore, ut in pluribus nummis consularibus, qui variis numinibus insigniri solent. Navem vero prætoriam, quæ ab altera parte signatur, significare puto bellum piraticum, quod contra Cilicas gestum fuit eo „ anno, quo consul fuit Lucullus."

XII.

Caput Romæ galeatum, pone quòd vox ROMA: ex aversa parte Mars seminudus cum strophio in bigis, dextra spiculum jaculaturus, sinistra tenens clypeum. *Marcus* CRASS*us* *Publii Filius*.

Vulgavit hunc denarium Goltzius in Fastis p. 169. ad A. V. C. DCLXXXII. quo M. Licinius P. F. M. N. Crassus proprætore de servis, gladiatoribus & Granico Spartacoque ducibus triumphavit.

Ericius p. 182. occasione hujus nummi illud scriptum reliquit: „ Nummus hic cusus fuit „ Romæ A. V. C. DCLXXXII. occasione victoriæ, quam obtinuit M. Licinius Crassus „ proprætore de servis fugitivis cæsis trigintaquinque hostium millibus una cum duce illorum Granico. Congressus autem postea cum „ Spartaco illum quoque cum quadraginta suorum millibus occidit. Cujus rei fidem facit „ Athenæus, scribens lib. VI. Spartacum cæsum in prælio fuisse a Crasso. Appianus vero „ totam illam expeditionem confectam fuisse „ scribit a Crasso intra sex mensium spatium. „ Datum huic scribit Plutarchus ut ovans Urbem introiret, quod indigna res videretur de „ servis fugitivis triumphare. De ovatione autem Crassi ita scripsit Gellius lib. V. *Myrteam* „ *coronam M. Crassus, cum bello fugitivorum confecto ovans iniret, insolenter adspernatus est. Senatusque consultum faciendum per gratiam curavit, ut* „ *lauro pro myrto coronaretur.* Quo Plinii quoque „ verba respiciunt lib. XV. *Myrtea ovantium fuit* „ *corona, excepto M. Crasso, qui de fugitivis, &* „ *Spartaco laurea coronatus incessit. Servilem lauream* vocat Claudianus poëta.

„ *Illu-*

FAMILIA LICINIA.

„ *Illustrat servilis laurea Crassum.*

„ Atque eodem pertinent verba Ciceronis Oratione in Pisonem: *Crasse pudet me tui, quid est, quod confecto formidolosissimo bello coronam illam laureatam tibi tantopore decerni volueris a senatu?* Eodem denique anno triumphasse Crassum scribit Eusebius. Fidem ejus rei faciunt bigæ in nummo, insistente Marte bellatore."

Hæc Ericius, verum bigæ cum Marte ad triumphum respicere non possunt, quum ovationem tantum retulerit, neque Jovem Crassus in bigis expressit, quod illius ope & auxilio debellati fuissent hostes; quum Martis sit figura, & ipse nummus post illam victoriam non videatur fuisse cusus, sed antea in Crassi quæstura vel triumviratu monetali. In multis vero Romanorum nummis Mars in bigis exprimi solet.

XIII.

Caput Romæ galeatum: ex aversa parte *Marcus* CRAS*sus* P*ublii Filius*. in imo ROMA. Virtus galeata stans, pede globo imposito, dextra tenet parazonium, sinistra hastam inversam, ad pedes prora navis, cum ancora & temone inverso.

Non incommode Vaillantius hunc nummum refert ad eundem Crassum, atque eandem de Spartaco victoriam, ita scribens: „ Ad eundem M. Crassum P. filium pertinere hunc denarium nos edocet ejus epigraphe; & Virtus stans cum navi ad pedes, aliquam in mari illius gestam actionem denotat; quam Plutarchus nobis demonstrare videtur, quum nobis Spartacum narret, per Lucaniam ad mare profectum, navibus prædatoriis Cilicum usum, in Sicilia bellum denuo consciviste, quem Crassus a mari, & in Rhuginorum Peninsulam confugere coëgit; ubi illius fauces fossa & muro, (quamvis laboriosum opus,) præclusit. In cujus rei memoriam, in denariis Virtutem expressit, qualis in nummis galeata depingitur, & cum parazonio hastaque, pede globo imposito; quod terrarum orbis virtute subigi possit, & symbolo rei maritimæ, ad illud egregium facinus denotandum in mari factum, adjecit" Typus itaque significare videtur securum orbis Romani, non tantum terra sed & mari, imperium, pacata Sicilia, quæ ad res maritimas valde commoda erat provincia.

Vulgavit nummum Goltzius in Fastis p. 172. ad A. V. C. DCLXXXVIII. quo censor fuit Crassus cum Q. Lutatio Catulo.

XIV.

LVCVLLVS PR*o* CO*nSule*. Caput Romæ. *Lucius* LICINVS. Lucullus in quadrigis triumphalibus, dextra tenens habenas equorum, sinistra scipionem eburneum; in vertice ROMA.

Insignem hunc denarium vulgavit Goltzius in Fastis p. 172. ad A. V. C. DCLXXXX. quo L. Licinius L. F. L. N. Lucullus proconsule triumphavit ex Ponto, Cappadocia, & Armenia, de regibus Mithridate & Tigrane. Nam, ut ad hunc nummum adnotavit Ericius p. 197. „ Lucullus post res egregie & magnifice gestas contra reges Mithridatem atque Trigranem, misso successore, tradidit exercitum Manio Acilio Glabrioni consuli, vel insequenti potius anno Pompejo; ipse vero Romam venit ad triumphum, verum hoc demum anno triumphare potuit. Reversus enim ex provincia; belloque Mithridatico victor, exceptus fuit calumnia inimicorum, atque triennio tardius, quam debuerat, triumphum nactus est. Ex illis unus, teste Plutarcho, fuit C. Memmius, qui adeo contra Lucullum incitavit plebem Romanam, ut ægre triumphum adeptus fuerit Lucullus. Triumphasse vero Cicerone consule docet ipse Cicero in Oratione pro Murena. Meminerunt quoque ejus triumphi Eutropius aliique, ut & Athenæus lib. VI. Copiosissime eundem describit Plutarchus, qui narrat a Pompejo relictos eidem ad triumphum fuisse mille sexcentos milites. *Senem triumphalem* adpellat Plinius lib. XXVIII. cap. 5. Clarum denique ejusdem triumphi monumentum hic nummus est, in quo quadrigis triumphalibus insistit victor Lucullus solenni triumphantium habitu.

XV.

Marcus CRASS*us* IMP*erator*. Caput Apollinis cum sceptro. Ab altera parte aquila legionaria est inter duo signa militaria; adscribitur *Caius* FVRNIVS LEG*atus* PR*o* *Prætore* EX *Senatus Consulto.*

Hic nummus, quem neque in Licinia neque in Furnia gente memoravit Vaillantius, in Furnia quoque ponere neglexit Morellius, exhibetur a Goltzio in Fastis p. 175. ad A. V. C. DCLXXXXVIII. quo consul cum Cneo Pompejo Magno fuit M. Licinius P. F. M. N. Crassus, atque ad bellum Parthicum profectus est.

Non neglexit hunc denarium Ericius, sed ad eundem ita scripsit p. 202. & 203. „ Romæ cusus fuit hic nummus A. V. C. DCLXXXXVIII. consulibus M. Licinio Crasso & Cn. Pompejo Magno, ut patet ex adscripto Crassi nomine. Quum enim Crasso sorte Syria provincia obvenisset, egressus est Urbe paludatus, quasi ad bellum profecturus, magnaque cum festinatione in Syriam profectus est, ut narrant Dio, Plutarchus & Appianus. Verum ubi in Syriam pervenit, ibique omnia quieta invenit, belli cupidus & auro Parthorum inhians, regi illorum Orodi, quocum tum pax Romanis erat, bellum intulit. Factumque hoc fuit A. V. C. DCLXXXXIX. sine ulla senatus auctoritate populive jussu. Euphrate deinde trajecto, vastata omni Mesopotamia, illorum locorum satrapas invasit, & facile, ut imparatos, superavit, eodemque impetu aliquot civitates cepit; quas militibus in prædam concessit. Atque ita redactis in potestatem suam omnibus locis, quæ citra Tigrim erant, atque præsidiis munitis, hibernatum in Syriam rediit, atque ita inprudenter tempus Parthis dedit ad vires colligendas bellumque parandum, ut Dio, Appianus, atque Plutarchus testantur.

„ Itaque propter res feliciter in Mesopotamia gestas signa militaria in hoc nummo cernuntur, atque ab altera parte sceptrum, ut potestatis symbolum, spectans ad belli ejus ducem, cujus nomen adscribitur *Marcus* CRASS*us* IMP*erator*. Nomen C. Furnii, ut legati in eodem bello, ab altera nummi parte legitur."

Hæc Ericius. Sceptrum vero ad Apollinem regem spectat. C. Furnius, qui legatus proprætore scribitur in nummo; frater videtur fuisse Publii Furnii, qui pater extitit C. Furnii. A. V. C. DCCXVII. Proprætore, Asiam obtinuit; & avus Furnii consula-

ſularis; ad quos reſpicere videtur Euſebius, dum ſcribit in Chronico *Fornii* (utroque enim modo ſcribitur) pater & filius, *clari oratores habentur, filius conſularis ante patrem moritur*. Vide ſupra p. 565. quæ dicta ſunt ad C. Furnii P. F. nummum.

XVI.

Caput Jovis Capitolini laureatum, ante quod fulmen: ex averſa parte *Marcus* CRASS*us Marci Filius Lucius* AVTRON*ius Publii Filius* PAETVS. Sella curulis, ſupra quam duæ coronæ, urceo intermedio: in vertice EX *Senatus Conſulto*.

De hoc nummo jam actum eſt in Fam. Autronia tab. decima num. II. Vulgatus eſt a Goltzio in Faſtis p. 200. ad A. V. C. DCCXXIII. quo conſul fuit M. Licinius M. F. M. N. Craſſus cum Cæſare Octaviano IV.

XVII.

Caput Victoriæ medio corpore cum alis: ex averſa parte *Marcus* CRASS*us Marci Filius*. Victoria in bigis, dextra tenens flagrum, ſiniſtra habenas equorum.

Vulgavit hunc denarium Goltzius in Faſtis p. 204. ad A. V. C. DCCXXV. quo M. Licinius M. F. M. N. Craſſus proconſule de Thracibus & Getis triumphavit. Sed recte judicavit Vaillantius aliam denarii eſſe formam, quam ut ad illa tempora referri poſſit, atque ad priora tempora ſpectare, unde ipſe refert ad M. Licinium M. F. P. N. Craſſum, filium M. Craſſi, qui ob vitæ ſeveritatem ἀγέλαςος dictus fuit, & nepotem Publii, conſulis A. V. C. DLXXXII. Judicat itaque cuſum fuiſſe ab eodem in quæſtura provinciali A. V. C. DCXXXVI. At Ericius, ut paſſim, ſequitur Goltzium p. 243. ita ad hunc nummum ſcribens: „ Signatus fuit hic denarius Romæ A. V. C. „ DCCXXV. coſſ. C. Cæſare imperatore & M. „ Vipſanio Agrippa, quo tempore M. Licinius „ Craſſus proconſule triumphavit de Thracibus „ & Getis, prout Tabulæ Capitolinæ teſtantur. „ De hac expeditione atque victoria ita ſcriptum „ reliquit Dio lib. LI. p. 460, 461. *M. Craſſus in „ Macedoniam & Græciam miſſus, contra Dacos & „ Baſtarnas bellum geſſit. De Dacis qui eſſent, & cur „ bellum ſuſcepiſſent, diximus. Baſtarnæ inter Scy„ thas vere numerantur. hi tum transgreſſi Iſtrum, „ Myſiam ſibi oppoſitam, finitimosque ejus Triballos, „ Dardanosque ibidem habitantes ſubegerant: & ha„ ctenus quidem nihil eis erat cum Romanis rei. Poſt„ quam vero Æmo monte ſuperato in Thracum Den„ theletarum, quibus cum P. R. fœdus erat, regionem „ incurſionem fecerunt, ibi demum Craſſus, cum ut „ Sitæ Dentheletarum regi luminibus capto auxilium „ ferret, tum vero ut Macedoniæ caveret, contra eos „ duxit, ipſo ſuo adventu perterritos ſine prælio ea „ regione expulit. Porro domum fugientes inſecutus, „ Segeticam occupavit: in Myſiam invaſit, agrum „ infeſtavit, aggreſſusque oppidum bene munitum, „ nonnullos eorum, quos præmiſerat, Myſis eos ſolos „ eſſe putantibus, ac obviam egreſſis, perdidit, toto „ autem exercitu auxilio ſuis profectus, hoſtem repulit, „ oppidumque obſidione cepit. His agendis intento „ Craſſo, Baſtarnæ in fuga ſubſtiterant ad fluvium „ Cedrum eventum rei expectantes: hi, cum Craſſus „ victis Myſis adverſum eos quoque iret, miſſis lega„ tis ne ſe inſequeretur interdixerunt; neque enim ſe „ ullam Romanis injuriam feciſſe. Craſſus legatos „ retentos, tanquam poſtridie reſponſurus, humani„ ter tractavit, vinoque inebriavit (quod immodice „ Scythica omnis natio ingurgitare ſolet, facileque eo „ replentur) hacque arte omnia eorum conſilia expi„ ſcatus eſt. Interim in ſylvam de nocte progreſſus, „ ſpeculatoribusque ante eam conſtitutis, exercitum „ quiete refecit. Baſtarnæ ſpeculatores conſpicati, „ cum ſolos eos eſſe putarent, impetum in eos fecere, „ iisque in loca arboribus conſita ſe recipientibus in„ ſtantes, magna & ibi & rurſum fugientes clade „ affecti ſunt. Nam a tergo currus ipſorum objecti „ fugam impediebant, & uxores ſimul liberosque eri„ pere cupientes, peribant una, & regem ipſorum „ Deldonem ipſe Craſſus interfecit, utique ſi impera„ tor ac propriis auſpiciis rem geſſiſſet, opima Jovi „ Feretrio ſpolia lecturus. Reliqui aut in ſylvam confu„ gientes, cum ea cremati ſunt, aut in oppidum eva„ dentes, expugnatione capti, aut in Iſtrum incidentes, „ vel per regionem hinc inde diſperſi, perierunt. Qui„ dam ſuperſtites loco munito occupato, per aliquot „ dies Craſſum obſidentem ſuſtinuerunt. Poſt Rolæ „ Getarum regis auxilio eos Craſſus cepit. Is Roles „ ad Cæſarem profectus, amicus ab eo, ſociusque di„ ctus eſt. Captivi inter milites diviſi. His geſtis „ Craſſus in Myſos ſe convertit, quorum aliis per„ ſuadendo, aliis terrefaciendo, nonnullis vi in ſuam „ poteſtatem redactis, ac præter paucos admodum, „ tota ea gente ſubacta, magno quidem cum labore „ & periculo: deinde quia hyems inſtabat, in ſocio„ rum terram reverſus eſt, multis a frigore, pluri„ bus a Thracibus, per quos, ut amicos, iter faciebat, „ incommodis acceptis, quæ ei cauſa fuit, ut hunc „ rei gerendæ modum ſtatueret. Sane horum facto„ rum cauſſa non modo Cæſari, ſed Craſſo etiam ſa„ crificia & triumphus decreta ſunt, neque tamen „ (quod quidam tradiderunt) imperatoris nomen „ Craſſus accepit, ſed ſolus Cæſar.* &c. Ex quo „ Dionis loco videmus Thracas & Getas victos „ fuiſſe a Craſſo, ipſumque triumphum ex illa „ victoria meruiſſe. Evidens ejusdem teſtimo„ nium nummus hic præbet, in quo a parte „ priore Victoriæ caput eſt cum humeris alatis, „ & a parte poſteriore bigæ cum Victoria inſiſtente."

XVIII.

AVGVSTVS TRIBVNIC*ia* POTEST*ate*. In corona quernea: ex averſa parte *Marcus* LICINIVS CRASSVS III VIR *Auro Argento Aeri Flando Feriundo* circa ambitum, in area *Senatus Conſulto*.

Craſſus hic filius fuiſſe videtur ejus, cujus nomen cum nomine collegæ Antonii legitur ſupra num. XVI. Triumvir monetalis ſenatus fuit. Ad conſulatum pervenit A. V. C. DCCXXXIX. quo nummum hunc adfert Goltzius in Faſtis p. 212.

LIVINEIA.

XIX.

Caius CAESAR DICTATOR. Caput Julii Cæſaris laureatum cum lituo. Ab altera parte eſt taurus ſaliens cum inſcriptione *Lucius* LIVINEIVS REGVLVS.

Vulgavit aureum hunc atque argenteum nummum Goltzius in Faſtis p. 177. ad A. V. C. DCCIV. De L. Livinejo Regulo quatuorviro monetali ſub triumviris R. P. C. ſuis locis egimus.

XX.

XX.

Caput Veneris diademate redimitum. Ab altera parte taurus saliens est, & inscriptio *Lucius* LIVINEIVS REGVLVS.

Nummulus est æreus, ejus generis, cujus esse solent, qui inscribuntur INDVT. IIIVIR. qui simile Veneris caput exhibent. Nummum vulgavit Goltzius in Cæsare p. 13.

XXI.

CAESAR IMP*erator*. Caput Cæsaris laureatum cum pontificatus insignibus simpulo & lituo. Ab altera parte aream nummi & oras occupat hæc inscriptio, *Lucius* LIVINEIVS *Cai Filius* REGVLVS IIIVIR *Auro Argento Aeri Flando Feriundo.*

In familia Livineja supra pag. 246. vidimus L. Livinejum, præfectum Urbi sub Lepido, patrem habuisse L. Livinejum, cujus ipse vultum in denariis suis expressit. Vidimus ibidem num. VI. tab. primæ L. Livinejum Regulum alium, qui denarios cum capite Cæsaris dictatoris, aliosque sub triumviris R. P. C. signavit tab. secunda num. II. V. VI. & sup. n. XIX. & inf. n. XXII. Itaque si verus & genuinus, & in rerum natura invenitur, hic nummus. L. Livinejus, Caji filius, patrem non potuit habere Lucium Livinejum, sed patrem videtur habuisse Lucii Livineji, præfecti urbi, fratrem Cajum, &, præter hunc nummum, videtur quoque signasse præcedentem, triumvir monetalis cum Induciomaro, antequam Cæsar numerum augeret.

Publicavit hunc denarium Goltzius in Julio p. 12.

XXII.

LEPIDVS IMP*erator* TER*tium* PONT*ifex* MAX*imus* IIIVIR *Rei Publicæ Constituendæ*. Caput Lepidi velatum cum pontificis insigni lituo. Ab altera parte stat figura muliebris stolata, dextra tenens simpuvium, læva hastam, cum hac inscriptione *Lucius* REGVLVS IIIIVIR *Argento Feriundo.*

Vulgavit hunc nummum Goltzius in Lepido p. 27. Confer Fam. Livinejæ tab. secunda num. VI.

XXIII.

REGVLVS. PVLCHER. TAVRVS. Dextræ junctæ tenent caduceum. Ab altera parte incudis est figura cum nota senatusconsulti, & inscriptione IIIVIRI *Auro Argento Aeri Flando Feriundo.*

Vulgavit Goltzius in Augusto p. 66. Confer Fam. Livinejam Tab. secunda num. III. & IV.

XXIV. *vacat.*

TAB. XXIII.

LIVIA.

I.

Caput Jovis Capitolini, SALINATOR: ex aversa parte M*arcus* LIVI*us Marci Filius*. Jupiter in quadrigis triumphalibus, dextra sceptrum, sinistra fulmen tenet & habenas, in vertice ROMA.

Hunc nummum vulgavit Goltzius in Fastis p. 205. ad A. V. C. DXXXIV. quo M. Livius M. F. M. N. Salinator consul de Illyriis triumphavit. Idem censet Vaillantius. Ad eundem Livium spectat denarius sequens.

II.

Caput Romæ galeatum, pone quod ROMA: ex aversa parte consul in quadrigis triumphalibus: *Marcus* SALINATOR.

Hunc denarium, in quo triumphantis effigies ita a Goltzio expressa fuit, tanquam ibi detritus esset nummus, vulgatum cernimus in Fastis pag. 112. ad A. V. C. DXLVI. quo de Pœnis & Asdrubale insignem illam victoriam adepti sunt Claudius Nero & Livius Salinator tum consul iterum. Unde ad nummi ejus illustrationem ita scripsit Ericius p. 44. „ Romæ cusus fuit hic nummus „ A. V. C. DXLVI. quo primum auro signato „ uti incepisse scribitur populus Romanus, con„ sulibus M. Livio Salinatore & C. Claudio Ne„ rone, quoque victoriam insignem adeptus fuit „ Livius de Pœnis & Asdrubale, cœso ad in„ ternecionem exercitu, & ipso duce in pugna in„ terfecto. Rem gestam ita narrat Livius lib. „ XXVII. cap. 49. ubi Asdrubalis ducis virtutem „ & industriam laudans, sic de illo scribit: *Dux* „ *quum sæpe alias memorabilis, tum illa præcipue* „ *pugna. Ille pugnantes hortando, pariterque ob*„ *eundo pericula, sustinuit: ille fessos, abnuenteisque* „ *tædio & labore, nunc precando, nunc castigando,* „ *accendit: ille fugientes revocavit, omissamque pu*„ *gnam aliquot locis restituit. postremo, quum haud* „ *dubia fortuna hostium esset, ne superesset tanto* „ *exercitui suum nomen secuto, concitato equo se in* „ *cohortem Romanam immisit. Ibi ut patre Amil*„ *care & Annibale fratre dignum erat, pugnans ce*„ *cidit. Numquam eo bello, una acie tantum ho*„ *stium interfectum est, redditaque æqua Cannensi* „ *clades, vel ducis vel exercitus interitu videbatur.* „ *Quinquaginta sex millia & quadringenti: præda* „ *alia magna tum omnis generis, tum auri etiam* „ *argentique. Civium etiam Romanorum, qui capti* „ *apud hostes erant, supra quatuor millia capitum* „ *recepta. id solatii fuit pro amissis eo prœlio militi*„ *bus. Nam haudquaquam incruenta fuit: octo fer*„ *me millia Romanorum, sociorumque occisa.* Ali„ quanto post in fine libri: *C. Claudius consul,* „ *quum in castra redisset, caput Asdrubalis, quod* „ *servatum cum cura attulerat, projici ante hostium* „ *stationes, captivosque Afros vinctos, ut erant, o*„ *stendi, duos etiam ex iis solutos ire ad Annibalem,* „ *& expromere quæ acta essent, jussit. Annibal tan*„ *to simul publico familiarique ictus luctu; agnoscere* „ *se fortunam Carthaginis, fertur dixisse: castrisque* „ *inde motis, ut omnia auxilia, quæ diffusa latius* „ *tueri non poterat, in extremum Italiæ angu*„ *lum Bruttios, contraheret; & Metapontinos, ci*„ *vitatem universam, excitos sedibus suis, & Lu*„ *canorum, qui suæ ditionis erant, in Bruttium a*„ *grum traduxit.* Actum postea in senatu de ho„ nore consulum est, atque decretum, ut ambo „ triumpharent Livius lib. XXVIII. cap. 9. „ *In senatu quum more omnium imperatorum, expo*„ *sitis rebus ab se gestis, postulassent, ut pro repu*„ *blica fortiter fideliterque administrata, & diis im*„ *mortalibus haberetur honos, & ipsis triumphanti*„ *bus urbem inire liceret; Se vero ea quæ postula*„ *rent, decernere patres, merito deorum primum,* „ *dein secundum deos, consulum, responderunt; &* „ *supplicatione amborum nomine, & triumpho utri*„ *que decreto. Inter ipsos, ne quum bellum com*„ *muni animo gessissent, triumphum separarent, ita* „ *convenit: quoniam in provincia M. Livii res gesta* „ *esset, & eo die, quo pugnatum foret, ejus forte* „ *au-*

„ *auspicium fuisset; & exercitus Livianus deductus Romam venisset, Neronis de provincia deduci non potuisset; ut M. Livium quadrigis urbem ineuntem milites sequerentur: C. Claudius equo sine militibus inveheretur.* Meminit quoque triumphi ejus Valerius Maximus lib. IV. cap. I. ex. 9. *C. Claudius Nero, qui Livii Salinatoris in opprimendo Asdrubale particeps gloriæ fuerat, eum triumphantem equo sequi, quam triumpho, quem ei senatus æque decreverat, uti maluit, quia res in provincia Salinatoris gesta fuerat. Sine curru ergo triumphavit.* Quadrigæ itaque triumphales in nummo, quibus insistit Livius Salinator, adstruunt horum scriptorum fidem.

„ Neque tamen soli M. Livio, verum etiam C. Claudio Neroni collegæ, propter res feliciter gestas, decretum a senatu fuisse triumphum testatur alius nummus argenteus eodem anno Romæ cusus, qui a parte altera Romæ caput exhibet galeatum, cum inscriptione ROMA. ab altera parte quadrigas triumphales insistente Jove, qui dextra fulmen tenet, læva sceptrum, scripta supra equos nota numerali XXII. subtus vero hæc est inscriptio *Caius* CLAVD*ius* NERO. Signatæ in nummo sunt quadrigæ triumphales in memoriam decreti a senatu triumphi de Pœnis & Asdrubale, quamvis ille contentus fuerit in equo sequi currum triumphantis Livii.

„ Invenitur & alius nummus victoriatus, eodem quoque tempore cusus cum inscripto nomine M. Salinatoris consulis. In eo ab altera parte præter denarii notam est caput Romæ galeatum, ab altera vero bigis insistens cernitur Victoria, cum hac desuper inscriptione MARCVS SALINATOR. subtus CN*eus* FVL*vius* Q*uintus* METELLVS. Respicit denarius iste eundem hunc triumphum atque eandem victoriam.

Ultimus ille nummus, de quo Ericius loquitur, is est, qui mox sequitur apud Morellium, sed qui nihil ad hanc victoriam pertinet. Neronis, qui præcessit, depingitur supra tab. XII. num. 16. in gente Claudia.

III.

Caput Romæ galeatum, pone quod ROMA: ex aversa parte Victoria in bigis, dextra flagrum tenet. *Marcus* SALINATOR. CN*eus* FOVL*Vius*. *Quintus* METELLVS.

Adparet ex hac inscriptione simul triumviros monetales fuisse M. Livium Salinatorem, Cn. Fulvium, & Q. Cæcilium Metellum.

Diximus jam de hoc nummo ad gentem Cæciliam tab. X. num. 9. pag. 521. Vulgavit Goltzius in Fastis pag. 113.

IV.

Caput Junonis Sospitæ caprina pelle amictum, pone quod sella: ex aversa parte mulier, dextra serpentem tenens, sinistra innixa columnæ. *Caius* LIVIVS MAMILIANI *Filius* DRVSVS.

Retulit hunc denarium Goltzius in Fastis p. 139. ad L. Livium Mamiliani F. M. N. consulem A. V. C. DCVI. cum P. Corn. Scipione Africano Æmiliano. Signatus esse videtur in triumviratu monetali vel quæstura, & respicit sacra Junonis Lanuvinæ. Pater hujus Livii ex Mamilia gente in Liviam adoptione transiisse videtur.

V.

Caput Romæ galeatum, pone quod ROMA. ex aversa parte Castor & Pollux astris insignes, decurrunt in equis cum hastis. *Marcus* LIVIVS *Cai Filius* DRVSVS.

Hunc M. Livium Drusum filium fuisse censent Caji præcedentis, & videtur signasse hunc denarium in quæstura sua urbana vel triumviratu monetali. Pervenit ad consulatum A. V. C. DCXLI. ad quem annum protulit hunc nummum Goltzius in Fastis p. 153.

VI.

Caput Lucii Scribonii Libonis: ex aversa parte *Marcus* LIV*Ius Lucii Filius* DRVSVS LIBO. Sella curulis, hinc cornucopiæ, inde lauri ramus, in summo EX *Senatus Consulto.*

Rarissimum hunc nummum argenteum vulgavit Goltzius in Fastis pag. 211. ad A. V. C. DCCXXXVIII. quo consul fuit M. Livius L. F. Drusus Libo cum L. Calpurnio Pisone Cæsonino. Fuit hic Libo filius L. Scribonii Libonis, cujus filiam Sextus Pompejus uxorem duxerat, sed a M. Livio Druso adoptatus, dictus deinceps fuit M. Livius Drusus Libo, retento cognomine gentis Scriboniæ, quum alias ex more Romanorum vocari debuisset Scribonianus. Hic itaque in parte altera, sive posteriore nummi, per sellam curulem & reliqua symbola ædilitatem & præturam patris adoptivi M. Livii Drusi expressisse videtur, in parte priore caput patris sui L. Scribonii Libonis, qui quum insignis in republica vir fuerit, & per Scriboniam filiam Augusti Cæsaris socer, meruit, ut ex senatusconsulto effigies ejusdem per filium in denariis suis exprimeretur.

Verba Vaillantii hic tam confusa sunt, ut contrarium sententiæ viri sensum efficere videantur. Sic enim editur in opere ejus p. 52. „ Marcus ille Livius L. Scribonii Libonis „ Sexti Pompeji soceri filius fuit, & adoptatus a M. Livio prætore an. 703. cognomen Libonis pro adoptationis symbolo gessit. Hic se Livii filium appellat, a patre, sed prænomen Marci tulit a parte adoptivo, in cujus memoriam illius effigiem percussit, quum fuisset consul an. 738. M. Antonio familiaris, & cujus sororem Scriboniam duxerat Augustus.'' Illa verba *Hic se Livii filium* usque ad *illius effigiem*, patet quomodo refingi debeant ex nostra animadversione. In descriptione typi quoque male scripserat Vaillantius esse caput M. Livii Scribonii Libonis, quum voces illæ *M. Livii* deleri debeant, neque enim hoc caput est M. Livii, sed Lucii Scribonii Libonis.

Ad partem quoque curæ suæ nummum hunc vocavit Ericius, ita scribens p. 252. „ Signatus fuit hic nummus Romæ A. V. C. DCCXXXVIII. coss. M. Druso Libone & Calpurnio Pisone. A parte nummi posteriore cernitur sella curulis, in qua sedebant consules ad reddendas rationes. Laurus, teste Plinio, triumphis dedicata erat, ornabatque principum & pontificum januas, unde & consularium ædium postes exornare quoque debuit. Cornucopiæ multas significationes potest recipere. In antiquis enim nummis denotat opulentiam, abundantiam, liberalitatem, felicitatem, concordiam, pacem, & lætitiam. Quodnam vero illud caput rasum sit, quod a parte altera nummi cernitur, vix queo dicere, nisi ipsius consulis Libonis sit, raso enim capite temporibus reipublicæ omnes Romani erant. Qua occasione notari volo rarissimum, qui penes me est, nummum ex ære, secundæ magnitudinis, in quo

„ quo Libonis cognomen scribitur. In eo ab „ altera parte caput rasum est facie macilenta, & „ legitur in circuitu hæc inscriptio CN. STA- „ TI. LIBO PRAEF. Ab altera parte est vas „ ad sacrificia pertinens, urceolum veteres adpel- „ labant, infra quod patera cernitur, cum inscri- „ ptione SACERDOS. adlusione facta ad Li- „ bonis cognomen per illa vasa sacra. *Libare* enim „ sacrificare significat, teste Virgilio hoc versu,

„ —— —— —— —— *Tendoque supinas*
„ *Ad cœlum cum voce manus, & munera libo*
„ *Intemerata focis.*

„ Est & denarius L. Calpurnii Pisonis, qui „ collega fuit dicti Libonis. In eo ab altera par- „ te est caput Jovis ab altera similiter sella cu- „ rulis, cui Jovis inponitur fulmen. Adest hæc „ inscriptio. L. PISO CAESONINVS. C. „ IVNI. SILANVS EX S. C. Fuitque eo- „ dem anno cusus iste nummus. C. Junium Si- „ lanum puto fuisse triumvirum monetalem, a „ quo nummus signatus fuerit. "

Hæc Ericius. Nummus vero ille æreus inscriptus CN. STATI. LIBO &c. in meo Museo quoque invenitur, illumque explicavimus supra pag. 400. ad Familiam Statiliam num. IV.

LOLLIA.

VII.

Capita Augusti & Julii Cæsaris, ante quod lituus, jugata: ex aversa parte *Marcus* LOLL*Ius Marci Filius* III. VIR. Tripus, & supra duæ stellæ in corona ex lauro.

Aureum hunc nummum vulgavit Goltzius in Fastis p. 207. ad A. V. C. DCCXXXII. adeoque pertinet ad Lollium Paullinum legatum Augusti proprætore A. V. C. DCCXXIX. qui primus Gallogræciam obtinuit & rector atque magister additus fuit Caio principi, Augusti filio, Orientem petituro. Inscriptio docet triumvirum monetalem Cæsaris fuisse, quum nummum hunc signaret.

LVCRETIA.

VIII.

Iuno Sospita Magna Regina. Caput deæ caprina pelle amictum, ex aversa parte *Quintus* LVCRETI*us Quinti Filius* VESPILLO. Columna inter duas capras, supra quam figura stat dextra tenens hastam.

Exhibet hunc nummum Goltzius in Fastis pag. 208. ad A. V. C. DCCXXXIV. & ad ejus illustrationem hæc scribuntur apud Ericium p. 250. „ Cusus fuit hic nummus Romæ A. V. C. „ DCCXXXIV. coss. Q. Lucretio Vespillone „ & C. Sentio, quorum consulum mentionem „ facit Eusebius, quando scribit, *Sentio Saturni-* „ *nino Lucretio Cinna consulibus poëta Virgilius mor-* „ *tuus est.* De ejus anni consulatu ita quoque „ scriptum reliquit Dio: *Consul erat C. Sentius,* „ *quia vero collega ei dandus erat, atque Augustus* „ *consulatus locum alterum, qui ei reservabatur,* „ *repudiabat, coörta seditio est, donec Augustus al-* „ *terum ex legatis Q. Lucretium, quem senatus ad* „ *se seditionis sedandæ caussa miserat, quanquam olim* „ *proscriptum, consulem declaravit.* Caput deæ ca- „ prina pelle tectum, ad Junonem Sospitam per- „ tinet, ut literæ nominis initiales declarant. Ca- „ preoli duo, qui ab altera parte columnæ ad- „ stant, victimæ sunt deæ illi destinatæ. Co- „ lumna ipsa dedicata fuisse videtur a senatu in „ perpetuum deæ honorem, quod per quem & „ quo tempore factum fuerit nescitur.

„ Invenitur collegæ C. Sentii quoque num- „ mus, in quo ab altera parte est corona civica „ cum inscriptione AVGVSTVS TRIBVNIC. „ POTEST. Ab altera parte nota senatuscon- „ sulti est, & literæ C. SENTIVS SATVR- „ NIN. IIIVIR *Auro Argento Aeri Flando Fe-* „ *riundo.* "

Vespillonis cognomen Lucretiis adhæsit a Q. Lucretio, qui ita dictus fuit, quod in ædilitate sua manu cadaver Ti. Gracchi, in seditione occisi, in Tiberim projecisset. Ad filium itaque ejus denarium hunc refert Vaillantius, quem credit ab eo signatum fuisse in ædilitate celebrante ludos Megalesios. Capellæ mihi videntur adludere ad Junonis Sospitæ capitis tegmen. Columna cum statua ad honorem gentis Lucretiæ pertinere potuit.

IX.

CAESAR AVGVSTVS TRIBVNIC*ia* POTEST*ate*. Caput Augusti laureatum. Ab altera parte nota senatusconsulti est, cum inscriptione SP*urius* LVCRETIVS FLAV*us* IIIVIR *Auro Argento Aeri Flando Feriundo.*

Vulgavit æreum hunc nummum Goltzius in Augusto p. 65. A Lucretio Flavo Vespillone, ut triumviro senatus monetali cusus fuit.

LVTATIA.

X.

Cai CATVLI *Cai Filii.* Caput Apollinis laureatum, sub quo littera Q. quasi *Quæstoris*: ex aversa parte Victoria scribit in clypeo tropæo appenso, in area Q. ut supra in imo ROMA.

Vulgatur denarius hic a Goltzio in Fastis p. 95. ad A. V. C. DXI. quo consul fuit C. Lutatius Catulus C. F. C. N. cum A. Postumio Albino; unde referunt antiquarii hunc nummum ad insignem illum Catulum, qui finem bello Punico primo inposuit. Censet Vaillantius in quæstura ejusdem fuisse cusum A. V. C. CCCCLXXXIX. coss. Fulvio Pætino & Æmilio Paullo, & typum debere referri ad victoriam eorundem consulum, qui, Pœnis devictis, in Siciliam navigantes, in Cossuram tempestate delati, illam expugnarunt, atque præsidiis munierunt. In Sicilia cusum fuisse nummum existimo, propter literam Q. quæ, ad Corinthiacam originem denotandam, sæpissime in Syracusanorum nummis invenitur.

XI.

CATVLVS EX *Senatus Consulto.* Caput Triumphi laureatum & ala ornatum: ex altera parte *Caius* LVTAT*ius Cai Filius Cai Nepos* PR*o* CO*nSule.* Catulus in quadrigis triumphalibus, dextra habenas equorum, sinistra scipionem eburneum tenens, Victoria per aëra volitans ei coronam porrigit.

Ad eundem Catulum spectat hic denarius, sed jam consularem & porrogato imperio, devictis Pœnis, & post XXIII. annorum bellum pace petentibus Carthaginensibus concessa, triumphantem. Invenitur denarius apud Goltzium in Fastis p. 96. ad A. V. C. DXII. quo insignem illum triumphum proconsule Catulus de Pœnis ex Sicilia navalem egit IIII nonas Octobris. Ad hujus denarii intellectum ita scripsit Ericius p. 26. „ Cusus fuit hic nummus Romæ A. V. C. DXII. „ quo Catulus hic victoriam navalem obtinuit in „ Sicilia de Hannone & Carthaginensibus, de „ qua loquuntur Polybius, Zonaras, Eutropius; „ hisce quoque verbis Orosius: *Lutatius cum classe* CCC. *navium in Siciliam transvectus, dum apud Drepanum civitatem pugnam inter primores „ Siciliæ cieret, transfixo femore, ægerrime, cum „ jam obrueretur, erectus est. Porro autem Pœni „ cum* CCC. *navibus magnisque copiis ad Siciliam „ duce Annone concurrunt. Nec tamen Lutatius segnior. Immo consilia Pœnorum mira celeritate prævenit. Postquam proxime sibi utrorumque classes „ apud Ægates insulam per totam noctem intertextis propemodum ancoris constiterunt, orta luce „ prior Lutatius signum bello dedit. Crudescente „ pugna victus Anno navem avertit, & dux fugæ „ primus fuit. Aliquanta cum eo pars exercitus „ sui Africam petunt. Alii Lilybeum confugere.* „ LXIII. *Punicæ naves captæ sunt*, CXXV. *demersæ.* XXII. *millia hominum capta, cæsa* XIII. „ *millia. Romanorum autem* XII. *naves demersæ „ sunt. Lutatius deinde ad Erycinam civitatem, „ quam Pœni tenebant, venit, ibique duo millia Cartaginiensium conserta pugna interfecit.* In Epitoma „ Livii XIX. hæc verba leguntur: *Rebus adversus „ Pœnos a pluribus ducibus prospere gestis, summam „ victoriæ C. Lutatius Consul victa ad Ægates insulam „ classe Pœnorum finem bello imposuit.* Cernimus itaque in hujus navalis victoriæ monumentum insistentem quadrigis triumphalibus Catulum proconsulem, quem Victoria dea coronat. Prorogatum enim illi antea consuli fuerat imperium."

XII.

Caput Dianæ, supra humerum arcus & pharetra; ex aversa parte *Quintus* CATVL*us Quinti Filius* in imo ROMA. Victoria bigas agens.

Ex pluribus Q. Lutatiis Catulis, Quinti filiis, creditur hic denarius spectare ad Q. Catulum, qui consul fuit cum C. Mario IV. consule A. V. C. DCLI. & triumphavit anno sequenti DCLII. ad quem annum quoque vulgavit hunc denarium Goltzius in Fastis p. 158.

Supra equos denarii signum cernitur. Diana vero, ut Apollo, atque alia deorum numina, sæpe in Romanis nummis cernitur, & potuit peculiari ratione temporis, quo actus fuit triumphus, aliave, signari.

XIII.

Quintus LVTATI*us Quinti Filius Quinti Nepos* CATVLVS AED*ilis* CVR*ulis Senatus Consulto.* Caput Libertatis velatum: ex aversa parte *Lucius* GELLI*us Lucii Filius* CO*nSul.* Sella Curulis inter duos lauri ramos.

Vide quæ de hoc nummo diximus supra pag. 566. ad nummum II. Familiæ Gelliæ.

MAECILIA.

XIV.

CAESAR AVGVST*us* PONT*ifex* MAX*imus* TRIBVNIC*ia* POTEST*ate.* Caput Augusti nudum; ex aversa parte *Marcus* MAECILIVS TVLLVS III VIR. *Auro Argento Aeri Flando Feriundo.* circa ambitum. *Senatus Consulto* in areea.

Triumvir monetalis senatus fuisse cognoscitur hic M. Mæcilius Tullus tempore Augusti. Mæcilia gens fuit antiqua, plebeja, Albana, post dirutam Albam civitatem adepta Romam migravit.

Exstat hic nummus apud Goltzium inter Augusti nummos p. 65.

MAMILIA.

XV.

Caput Justitiæ deæ cum diademate solito. EX *Senatus Consulto.* ex aversa parte *Caius* MAMILIVS *Quinti Filius* TVRRINVS. Sella curulis, supra quam aratrum, cum lauri ramo in stiva, hinc & inde fasces cum securi.

Hunc denarium vulgavit Goltzius in Fastis p. 97. ad A. V. C. DXIV. quo consul fuit C. Mamillus Q. F. Q. N. Turrinus cum Q. Valerio Faltone. Sed Vaillantius ad seriora tempora retulit, videlicet ad illum C. Mamilium, qui in tribunatu plebis A. V. C. DLXXXVIII. legem tulit de limitibus signandis, quæ Mamiliæ nomen ex illo tulit. Hinc Limetani cognomen posteritas ejus accepit. Pervenit postea ad præturam, in qua signasse hunc denarium existimat Vaillantius. Verum sicuti prætorum non erat signare pecuniam, sed triumvirorum monetalium, sic ex filiis hujus C. Mamilii, ut distinguerentur, Limetani cognomen recipisse videntur quidam, alii vetus Turrini retinuisse. Hinc nepos aliquis C. Mamilii, & ipse Cajus dictus, in triumviratu suo videtur hunc denarium signasse, in quo avi sui prætoris honorem expressit per sellam curulem & fasces, legem vero de finibus insignem, per eundem latam, symbolo aratri, quod virescit in extremitatibus suis, respectu felicis & securi proventus agrorum ex illa lege, unde omnia læte virescerent arbusta, & sua cuique possessio illæsa & intacta maneret.

MANILIA.

XVI.

Caput Herculis barbati diadematum, ad humeros spoliis leoninis vestitos clava eminet. Ab altera parte dimidia ratis est cum inscriptione MAN*ius* MANILI*us.* ROMA.

Æreum hunc nummum publicavit Goltzius in Fastis p. 139. ad A. V. C. DCIV. quo consul cum L. Marcio Censorino fuit Manius Manilius P. F.

Hunc

FAMILIA MANILIA, MANLIA.

Hunc Manilium censet Vaillantius in quæstura sua A. V. C. DLXXXVII. cudisse nummum (quem perperam denarium vocat) & Herculem quidem expressisse ob Gallos, ejus numinis cultores, isto anno a M. Marcello consule deletos, navem vero, ad designandum denarios ad ejus classis (quod posterius vocabulum ex editione vitiosissima excidit) inpensas cusos, cum quibus C. Sulpicius Gallus, alter hujus anni consul, Ligures rebelles debellavit, de quibus hostibus uterque consul triumphavit. Sed in multis Romanorum nummis, præcipue æreis, Herculis est numen, & prora navis ad Jani & Saturni tempora passim respicit.

XVII.

Caput Jovis Capitolini laureatum: in aversa parte *Lucius* MANILIVS *Cai Filius* III VIR. Aquila fulmini insistens, ante quam corona ex lauro.

Lucius Manilius, qui in hoc denario inscribitur IIIVIR (monetalis sine dubio) hoc typo videtur indicare voluisse aliquam victoriam illo anno, quo hunc signavit denarium, de hostibus populi Romani reportatam. Id indicare videtur laurea, quam triumphantes in gremium Jovis Capitolini reponebant.

Goltzius in Fastis p. 219. censet hunc L. Manilium C. F. illum esse, qui A. V. C. DCCXLVII. Tiberio Claudio II. tribuniciam potestatem gerente, consul fuit ex calendis Julii; sed vetustiorem censet Vaill. & putat pertinere ad illum, qui tribunatum plebis gessit A. V. C. DCLXVIII. atque postea, quum Q. Metello in Hispania adesset, victus a Sertorii quæstore Herculeio, solus fere fuga in urbem Ilerdam evasit.

XVIII.

CRISP. . . : Caput muliebre turritum. Ab altera parte palma arbor est & inscriptio *Quintus* MAMILIVS *Lucius* POSTVM*ius* EX *Senatus Consulto*. . . . : . .

Pertinet inscriptio ad gentem Mamiliam, non ad Maniliam. Literæ vero C. P. quæ notantur sub nummo, docent diversum esse a Goltzianis, atque ex eorum genere, quos Paduanos vel spurios judicavimus. Qui nummum fabricavit per caput turritum & palmam ad Alexandriam Ægypti respexit, per tria illa nomina Mamilii, Postumii, & Crispini (ut videtur) indicare voluit simul triumviros monetales eosdem fuisse.

MANLIA.

XIX.

Caput Jani bifrontis, ex aversa parte *Lucius* MANL*ius Auli Filius*. Navis, in qua VVLSO LONG*us*. in imo ROMA.

Pertinet hic as (Goltzio in Fastis p. 89. judice) ad L. Manlium A. F. P. N. Vulsonem Longum, consulem A. V. C. CCCCLXXXXVII. cum Q. Cædicio. Ipsum vero assem in urbana quæstura signasse videtur.

XX.

Caput Triumphi vel Apollinis laurea insigne, pone quod ROMA. ex altera parte *Lucius* MANL*ius Auli Filius* VVLSO LONGVS. Navis prætoria cum remis, in imo Q.

Denarius hic ab eodem Manlio signatus esse videtur, & litera Q. adscripta quæstorem eundem fuisse eo tempore denotat. Navis innuere videtur insignis classis fabricationem, ad cujus inpensas contra Carthaginenses ducendæ, nummos æreos & argenteos quæstor Manlius signasse videtur. Ipse consul postea, cum L. Atilio Regulo, qui in locum Q. Cædicii demortui successerat, ingenti prælio navali Pœnos ducesque eorum Amilcarem & Hannonem devicit A. V. C. CCCCLXXXXVII. atque triumphum Manlius de Pœnis navalem egit. Ad triumphum spectasse hunc denarium forsitan credidit Goltzius, dum hunc nummum ad illum annum una cum præcedente retulit in Fastis p. 89.

XXI.

Caput Romæ galeatum: ex postica parte *Lucius* MANL*ius Auli Filius* VVLSO, in area ROMA. Castor & Pollux astris insignes, in equis decurrentes.

Simplex denarii typus antiquitatem redolet. Jure itaque ad eundem Manlium pertinere videtur. Goltzius, qui plures hujus Manlii nummos manibus versasse videtur, hunc quidem, discriminis gratia, & ad tabellas suas distinguendas, retulisse videtur ad secundum ejusdem consulatum, quem gessit A. V. C. DIII. Vulgavit nummum in Fastis pag. 92.

Fuerunt, ut dixi, aurei hi Manlii Vulsonis nummi in quæstura ejusdem urbana cusi, Ericius tamen, qui semper Goltzii tabellas sequitur, ad illum, qui modo præcessit, nummum, ita scribit p. 17. „ Signatus fuit hic denarius Romæ „ A. V. C. CCCCLXXXXVII. quo anno Romani victoriam navalem obtinuerunt contra „ Carthaginenses, ut scribit Polybius. Victoriæ ejus mentionem quoque fecit Eutropius „ his verbis: *L. Manlio Vulsone. M. Atilio Regulo Cos. bellum in Africam translatum est, contra Amiclarem Carthagin. ducem in mari pugnatum, victusque est. nam amissis* LXIIII. *navibus regressus est. Romani* XII. *amiserunt, cum in Africa transiissent, primam Clypeam Africæ civitatem in deditionem receperunt. Consules usque ad Carthaginem processerunt, multisque vastatis oppidis Manlius victor Romam rediit,* & XXVII. *millia captivorum cum ingentibus spoliis reduxit. Atilius in Africa remansit, contra tres Carthaginiensium duces aciem instruxit, Asdrubales duos, & Amilcarem, ac dimicans victor fuit,* XVIII. *millia hominum cæcidit.* V. *millia cum* XVIII. *elephantis cepit*, &c. Eadem scribunt Orosius, „ Florus, & Zonaras."

„ Hinc patet cusum hunc nummum fuisse eo „ tempore, quo victoriam navalem de Carthaginensibus retulerunt Romani coss. L. Manlius „ Vulso & M. Atilius Regulus, quod indicat „ navis prætoria, quæ in aversa nummi parte „ cernitur, victoriam navalem fuisse docens. „ Caput Apollinis non alia ratione, quam qua „ cætera numinum solent, in priore denarii parte „ exprimitur."

XXII.

ATTICVS. Caput Romæ galeatum: ex aversa parte *Aulus* TORQVAT*us*. in area Q. id est, *Quæstor*, Victoria in bigis figuram galeatam vehentibus, dextra clypeum, sinistra hastam gerentem.

Vulgavit hunc nummum Goltzius in Fastis p. 96. ad A. V. C. DXI. quo A. Manlius T. F. T. N. Atticus cos. II. de Faliscis triumphavit.

Golt-

Goltzium sequitur Ericius p. 28. ita scribens: „ Signatus fuit hic nummus Romæ A. V. C. „ DXII. quo Q. Lutatius & A. Manlius coss. „ victoriam de Faliscis retulerunt atque de iis tri- „ umpharunt. Testatur id Eutropius his verbis: „ *Q. Lutatius A. Manlius consules creati bellum* „ *Faliscis intulerunt, quod ambo consules intra sex* „ *dies, quam venerant, transegerunt, quindecim* „ *millibus hostium cæsis, cæteris pace concessa, di-* „ *midio tamen agro sublato*; Livius quoque in E- „ pitoma lib. XIX. *Falisci cum rebellassent, sexto* „ *die domiti, in deditionem venerunt.* Triumphum „ horum consulum Tabulæ Capitolinæ testantur. „ Scribit item Zonaras Faliscos eo anno Manlio „ Torquato consule fuisse domitos. Quibus omni- „ bus testimonium præbet hic nummus, qui ipsum „ Manlium, ut puto, triumphantem, aurigante „ Victoria, exhibet. "

Sed patet ex adposita quæstoris nota eo tempore non consulem, sed quæstorem fuisse Manlium; unde censet Vaillantius A. V. C. CCCCLXXXXIV. cusum fuisse denarium, atque triumphantem de Pœnis, Sardis, & Corsis exprimi L. Cornelium Scipionem, ejus anni consulem, cujus quæstor exstiterit iste Manlius.

XXIII.

Caput Romæ galeatum: ex parte postica *Titus* TORQVAT*us* in area CN*eus* FOVL*vius*. Victoria in bigis, dextra flagrum, sinistra equorum habenas.

Retulit hunc denarium Goltzius in Fastis pag. 112. ad T. Manlium T. F. T. N. Torquatum, dictatorem comitiorum habendorum caussa A. V. C. DXLV. Antiquarii eundem credunt fuisse fratrem A. Torquati Attici. Cusum vero opinatur nummum hunc Vaillantius p. 91. a Cn. Fulvio Centumalo, ædili plebis, A. V. C. DXVIII. quo consul fuit T. Torquatus cum C. Atilio Bulbo. Sed ego existimo simul triumviros monetales fuisse Cneum Fulvium & Titum Torquatum. Et quidem primum hoc ad majores honores incrementum simul ex gente Manlia & Fulvia gerere potuerunt T. Manlius A. F. T. N. Torquatus, consularis postea, & qui patrem censorem & bis consulem habuit, atque Cn. Fulvius Q. F. M. N. Flaccus Nobilior, frater Q. Fulvii Flacci consularis, ipse adoptatus a M. Fulvio Nobiliore. Hujus enim tribunatum plebis refert Pighius ad A. V. C. DLXXVI. illius quæsturam provincialem ad A. V. C. DLXXV. ad quos denarium hunc spectare existimo. In gente Fulvia hunc ponere neglexit Morellius.

XXIV.

Caput Triumphi vel Apollinis laurea ornati, PR*o* CO*n*S*ule* EX S*enatus* C*onsulto*. in aversa parte CN*eus* MANLI*us* VVLSO. Proconsul in quadrigis, dextra lauream, sinistra equorum habenas tenet, Victoria per aëra volitans ipsi coronam adfert.

Omnes antiquarii hunc denarium retulerunt ad Cn. Manlium Vulsonem, qui cupidine triumphi Gallogræciæ bellum intulit, unde ad A. V. C. DLXVI. refertur a Goltzio in Fastis pag. 123. inque illius illustrationem hæc scripta reliquit Ericius p. 73. „ Signatus fuit denarius hic Ro- „ mæ A. V. C. DLXVI. quo Cn. Manlius Vul- „ so Gallos Asiaticos subegit, atque proconsule „ de illis triumphavit. Quum enim iste Man- „ lius missus fuisset in Asiam ad provinciam Sci- „ pionis Asiatici ordinandam, fœdusque ferien- „ dum cum rege Antiocho, exercitum contra „ Gallogræcos movit, posteros eorum, qui olim „ Brenno duce in Græciam Asiamque profecti „ fuerant, caussatus visos inter copias Antiochi „ auxiliares fuisse. Atque ita illos sine decreto „ jussuve senatus aut populi in potestatem suam „ redegit. Neque tamen isto anno triumphare „ potuit, quod injuste illis bellum intulisse vi- „ deretur, ut Livius & Rufus adnotant. De eodem „ bello Florus ita scriptum reliquit lib. II. c. 11. „ *Gallogræciam quoque Syriaci belli ruina convolvit.* „ *Fuerant inter auxilia regis Antiochi. An fuis-* „ *sent, an cupidus triumphi Manlius eos visos si-* „ *mulaverit, dubium. Certe negatus est victori* „ *triumphus, quia caussam belli non adprobavit se-* „ *natus.* Plinius, ubi triumphi ejus mentionem „ facit, ita scribit lib. XXXIV. *Cn. Manlius A-* „ *sia devicta triumphum duxit*, &c. Ab hoc Man- „ lio Livius & Plinius scribunt luxuriam Asiati- „ cam in triumpho suo Romam advectam fuisse.

„ Adstipulatur itaque scriptoribus hic Manlii „ nummus, in quo cernitur quadriga triumpha- „ lis, illique insistens victor Gallorum Asiatico- „ rum Manlius Vulso, ramum laureum dextra „ gerens, cornante victorem dea Victoria. "

TAB. XXIV.

MANLIA *iterum.*

I.

Caput Romæ galeatum, pone quod ROMA: ex aversa parte. *Lucius* MANL*ius* ACIDIN*us*. in area CXXIIX. Victoria bigas agens, dextra flagrum tenet, sinistra equorum habenas.

Vulgavit hunc denarium Goltzius in Fastis p. 124. ad A. V. C. DLXVIII. quo L. Manlius L. F. L. N. Acidinus Fulvianus pro prætore ovans ex Hispania citeriore Urbem ingressus est.

Ad hujus nummi interpretationem hæc leguntur apud Vaill. p. 93. „ An ad L. Manlium Aci- „ dinum, qui Q. Fulvii Flacci IV. consulis, „ dictatoris & triumphalis filium adoptavit, „ denarium revocaremus, dubii aliquantum hæ- „ simus, sed tandem ut ad adoptati filium L. „ Manlium Acidinum prioris nepotem revocare- „ mus, suaserunt notæ numerales CXXIIX. quæ „ mihi videntur ad denarios & argentum pertine- „ re. Livius, Dec. 3. lib. 6. *Ætate L. Manlii A-* „ *cidini avi*, inquit, *nec pecuniæ quidquam ea tem-* „ *pestate in publico esset*, & paulo post, *quum pe-* „ *cunia in ærario non esset*, nempe de remigum „ supplemento solvendo.

„ Idem Livius, Dec. V. lib. V. X. Manlium, „ nempe Acidinum Masgabæ Regis Massinissæ „ filio Puteolis navem egresso a Senatu missum „ nos edocet, ut eum Romam perduceret, cum „ publico sumptu & legatione perfuncta ei re- „ gulo munera emere ex C. pondo argenti jus- „ sum narrat: at forsan cetera desunt, quæ in „ denario CXXIIX. videntur in rei memoriam „ signata a L. Manlio Acidino, dum quæsturam „ urbanam agebat an. ❊ Is post quæsturam fa- „ ctus est ædilis curulis an. DLXXXXI. & tan- „ dem prætor Peregrinus an. DLXXXXIV. "

Patet ultro perperam scribi in initio L. Manlium Acidinum, qui adoptaverit Q. Fulvii filium, sine dubio enim scribere voluit Vaillantius;

„ An

„ An ad Q. Fulvii Flacci IV. consulis filium, „ quem L. Manlius Acidinus adoptavit &c." Non enim ille, qui adoptabat aliquem ex gente Fulvia, dici potuit Fulvianus, sed qui ex gente Fulvia in aliam adoptabatur. Quæ idem scribit ad explicationem numeri CXXIIX. in nummo notati, nemo facile persuaderi sibi sinet, videtur enim simplex nota esse ad discernendas matrices.

II.

Caput Nemeseos deæ cum diademate: ex aversa parte *Aulus* TORQVAT*us Auli Filius* CO*nSul* in vertice: *Marcus* MESSALLA. in imo, Sella curulis, ad latera, EX *Senatus Consulto.*

Retulit hunc denarium Goltzius in Fastis pag. 134. ad A. Manlium A. F. T. N. Torquatum, consulem A. V. C. DLXXXIX. cum Q. Cassio Longino. Ex nota senatusconsulti notat Vaill. sacra Nemesi fuisse facta S. C. a consule in bellum profecturo, & M. Valerium Messalam prætorem forte eo anno fuisse loco Q. Valerii, Messalæ in magistratu mortui, consulem factum. Verum diffiteri non possum omnes hujusmodi nummos mihi vere Goltzianos videri, id est, ad supplendos Fastos ejusdem confictos.

III.

CN*eus* MANLIVS *Cnei Filius* MAXIM*us.* Caput Cereris corona spicea ornatum: ex aversa parte ipsa dea stat, tunicata, utraque manu tenens tædam ardentem. Adscribitur, *Caius* METEL*lus Quinti Filius* CAPRARIVS.

Cerni potest hic denarius apud Goltzium semel atque iterum in Fastis, prout eundem in gente Cæcilia vidimus. Respectu Manliorum refertur ab eodem p. 156. ad Gn. Manlium Cn. F. Maximum, consulem A. V. C. DCXLVIII. cum P. Rutilio Rufo. Vide quæ de hoc nummo diximus ad gentem Cæciliam p. 523.

M A R C I A.

IV.

Caput Romæ galeatum, adscribitur PILIPPI. in laurea: ex aversa parte *Quinti* MARCI*i Lucii Filii.* Eques galeatus decurrens cum hasta.

Vulgatur denarius hic a Goltzio in Fastis p. 132. in secundo consulatu Q. Marcii L. F. Q. N. Philippi, quem gessit A. V. C. DLXXXIV. cum Cn. Servilio Cæpione. Ad eundem retulit Vaillantius, atque credidit per equitem designari proavi Quinti Philippi expeditionem in Hetruscos, de quibus A. V. C. CCCCLXXII. triumphavit, atque cusum fuisse hunc nummum a Q. Philippo nepote in quæstura ipsius A. V. C. DLVI. Nos vero nullam videmus esse rationem, cur non referatur ad eundem Q. Marcium Philippum, cujus nummum cum equite vulgavit Ursinus, & quem interpretari conati fuimus in Morellianis pag. 263. & 264. ubi diximus, respici hoc typo ad expeditionem Macedonicam Q. Marcii Philippi, cui L. Paullus Æmilianus successit. Ea de caussa etiam hic equitem exprimi suspicamur, atque laureæ includi caput Romæ Victricis. Si vero hic nummus verus est, de quo ratio dubitandi vix videtur esse, Lucium patrem habuit Quintus Marcius Philippus, qui in quæstura sua A. V. C. DCXXXII. denarium hunc signasse videtur. Vide quæ diximus ad nummos Morellianos primamque gentis Marciæ tabulam.

V.

FIGVL*us.* Caput Romæ galeatum: ex aversa parte, *Caius* MARCI*us.* Castor & Pollux decurrentes in equis, cum hastis, supra eorum capita sunt duæ stellæ. In imo ROMA.

Goltzius vulgavit hunc nummum in Fastis p. 134. ad A. V. C. DLXXXXI. quo C. Marcius C. F. Q. N. Figulus, consul vitio creatus, cum collega P. Cornelio Scipione Nasica abdicavit. Vaillantius ad ejusdem patrem retulit. Typus est simplex & vetustatem redolet.

VI.

Caput Cybeles turritum & velatum: in postica parte, *Caius* MARCI*us Cai Filius Quinti Nepos* FIGVLVS. Cybele ipsa in curru a duobus leonibus tracto, dextra habenas, sinistra tympanum tenet, in area EX *Senatus Consulto.*

Ad hunc denarium, quem edidit Goltzius in Fastis p. 136. ad A. V. C. DLXXXXVII. quo „ iterum consul fuit C. Marcius C. F. Q. N. „ ita scripsit Ericius p. 98. „ Signatus fuit hic „ nummus Romæ A. V.C. DLXXXXVII. coss. „ C. Marcio Figulo II. & L. Cornelio Lentulo. „ Hujus Figuli, consulis iterum, mentio fit a„ pud Valerium Maximum ubi de ira loquitur, „ filii ejusdem, celeberrimi jurisconsulti, occa„ sione: *C. Figulus, juris civilis judicio celeberri„ mus, Consulatus repulsæ dolore accensus, eo qui„ dem magis, quod illum bis patri suo datum memi„ nerat, cum ad eum postero comitiorum die multi „ consulendi caussa venissent, omnes dimisit, præfa„ tus, omnes consulere scitis, Consulem facere ne„ scitis.* Victoriam eodem anno contra Dalma„ tas nactus fuit consul C. Marcius Figulus, ut „ scriptum invenimus in Epitoma Livii XLVII. „ *C. Marcius Consul adversus Dalmatas parum pro„ spere primum, postea feliciter pugnavit. cum qui„ bus bello confligendi caussa fuit, quod Illyricos po„ puli Romani socios vastaverant. eandemque gentem „ Cornelius Nasica Cos. domuit.* Testantur idem „ Appianus & Obsequens. Mentionem quoque „ Florus hisce fecit: *Dalmatæ plerumque sub syl„ vis agunt, inde ad latrocinia promptissimi. Hos „ jam quidem Marcius incensa urbe Delminio quasi „ detruncaverat.* Victori tamen negatus fuit „ triumphus, ob damnum, ut videtur, in initio „ belli receptum. Unde triumphi ejusdem nul„ la mentio in Tabulis Capitolinis est, neque qua„ driga triumphali, aliove triumphi signo, num„ mi ejusdem ornantur.

„ Ratio, cur Cybeles in hoc denario typus „ cernatur, nulla est alia, quam tot aliorum numi„ num, quæ pro cujusque lubitu & peculiari pie„ tate atque religione signari solebant. Dicta „ eadem fuit Magna Mater & Mater Deum, „ atque depingitur in hoc nummo juxta graphi„ cam illam apud Lucretium descriptionem:

„ *Quare magna Deum mater, materque ferarum,*
„ *Et nostri genitrix hæc dicta est corporis una:*
„ *Hanc veteres Grajum docti cecinere poëtæ,*
„ *Sedibus in curru bijugos agitare Leones.*"

Hæc Ericii sententia est, Vaillantius ad ædilitatem ejusdem & ludos Megalenses refert. Ego, nisi

nisi alius præter Goltzium sibi visos ejusmodi nummos adferat, non multum illis fido.

VII.

Caput Apollinis diademate cinctum in laurea, ante caput dei astrum cernitur. Ab altera parte stat Silenus, hircinum utrem humero sinistro ferens, dextramque adtollens, post terga ejus cernitur caduceus, adestque ante eundem inscriptio *Lucius* CENSORIN*us*.

Ediderat hunc Goltzius in Fastis pag. 106. neglectus tamen fuit à Vaillantio nimis properante. Puto enim hunc nummum longe minorem fallaciæ suspicionem admittere quam plurimos ex Goltzii opere alios. Retulit Goltzius eundem ad L. Marcium C. F. C. N. Censorinum, qui censor cum L. Cornelio Lentulo Lupo lustrum LVI. fecit A. V. C. DCVI. Nos vero eundem signatum existimamus a fratris filio & nepote ejusdem, triumviro monetali A. V. C. DCXXXII. cum C. Mamilio Limetano, consule Opimio, a quo vinum, quod illo anno fuit natum, nobile nomen accepit, de quo operose satis egimus ad denarios hujus L. Marcii non dissimiles supra inter Morellianos p. 264. & 265.

Celebrantur itaque in hoc denario Apollinis & Bacchi munera, quorum favore optimi illius vini, quod diu Opimiani nomen retinuit, tanta provenerat copia. Sed quid in hoc nummo facit caduceus? Non quidem, propter vini ejus commercium, ullas hic Mercurius sibi partes apud bellicosum populum vindicat. Alia est ratio longe pulcherrima, quæ veritatis insigne testimonium huic nummo præbet. Eo anno quo consule Opimio denarium hunc signavit L. Marcius Censorinus, seditio illa Gracchana Romæ coörta fuit, in qua C. Gracchus atque M. Fulvius Flaccus cum duobus filiis Fulviis perierunt, atque ita acerbe victoriam suam contra plebem exercuit opera Opimii consulis nobilitas, ut supra tria civium millia in tumultu atque carcere fuerint trucidati. Post tantam sævitiem, lustrata a cædibus urbe, consul ex senatusconsulto ædem Concordiæ sacram, quam voverat, in foro posuit. Hinc typus concordiæ & pacis in hoc nummo, quamvis illa magis nobilitatis & senatus fuit, quam populi Romani, ut docent Plutarchus & Appianus, atque inprimis subscriptus nocte versus ad titulum dedicatæ recens ædis istius, quo vecordiæ opus templum illud Concordiæ esse significabatur.

Et Appianus quidem simpliciter ædis Concordiæ facit mentionem. Nam lib. 1. Bell. Civ. p. 366. ubi seditionem illam, & crudelem Opimii victoriam recensuit, addit: Καὶ τὴν πόλιν ἐπὶ τοῖς φόνοις ἐκάθαιρεν. Ἡ δὲ βουλὴ καὶ νεὼν Ὁμονοίας αὐτὸν ἐν ἀγορᾷ προσέταξεν ἐγεῖραι. *Deinde Urbs lustrata a cædibus, & Concordiæ fanum in foro ex S. C. conditum.* Plutarchus vero, qui magis adcurate hæc omnia in Vita Tib. & C. Gracchorum descripsit, addit ipsum versiculum nocte templo inscriptum p. 843. Οὐ μὴν ἀλλὰ καὶ τοῦτο τῶν ἄλλων ἁπάντων μᾶλλον ἠνίασε τοὺς πολλοὺς τὸ κατασκευασθὲν Ὁμονοίας ἱερὸν ὑπὸ τοῦ Ὀπιμίου. Σεμνύνεσθαι γὰρ ἐδόκει καὶ μέγα φρονεῖν, καὶ τρόπον τινὰ θριαμβεύειν ἐπὶ φόνοις τοσούτοις πολιτῶν. Διὸ καὶ νυκτὸς ὑπὸ τὴν ἐπιγραφὴν τοῦ νεὼ παρενέγραψάν τινες τὸν στίχον τοῦτον,

ΕΡΓΟΝ ΑΠΟΝΟΙΑΣ ΝΑΟΝ ΟΜΟΝΟΙΑΣ ΠΟΙΕΙ.

Atque supra hoc & alia omnia torsit plebem exstructa ab Opimio ædes Concordiæ. Gloriari enim, & insolescere atque triumphare quodammodo de tanta civium strage videbatur. Unde inscriptioni ædis nocti adscriptum fuit.

OPUS VECORDIAE CONCORDIAE FECIT TEMPLUM.

VIII.

VESTA. Caput Vestæ velo ornatum: in altero latere *Lucius* MARCI*us Quinti Filius Quinti Nepos* PHILIPPUS. Sella curulis supra quam simpulum, in imo CN*eus* DOMIT*ius* CN*ei Filius*.

Respectu gentis Marciæ (nam & Domitiæ gratia eundem vulgavit) hunc nummum protulit Goltzius in Fastis p. 162. ad A. V. C. DCLXII. quo consul cum Sexto Julio Cæsare fuit L. Marcius Q. F. Q. N. Philippus. Censet Vaillantius a Domitio & Marcio collegis in ædilitate A. V. C. DCLII. signatum nummum hunc fuisse. Sed vide, quæ diximus supra ad num. XVIII. gentis Domitiæ tab. decima quinta.

IX.

Caput Neptuni laureatum, pone quod tridens, & ante illud delphinus: in aversa parte, *Quintus* MARC*ius* REX. Navis cui inscribitur in imo ROMA.

Invenitur æreus hic nummus apud Goltzium in Fastis p. 170. ad A. V. C. DCLXXXV. quo Q. Marcius Q. F. Rex, mortuo in magistratu collega L. Cæcilio L. F. Q. N. Metello, solus consulatum gessit. „ Horum consulum, inquit „ Ericius p. 191. mentionem facit Pedianus in „ Oratione Pisoniana his verbis: *L. Cæcilio, Q. „ Marcio Coss. S. C. collegia sublata sunt, quæ ad„ versus Rempub. videbantur esse*, &c. Mortuo „ collega Marcius Rex magistratum solus gessit, „ atque provincia Cilicia illi obvenit. Eodem „ tempore Creticum bellum natum est, quod in„ sulæ ejus auxiliis adjutus fuisset Ponti rex Mi„ thridates. Primus vero, qui ad Creticum bel„ lum a republica fuit missus, M. Antonius fuit „ M. Antonii triumviri pater. Expeditio illa „ in Cretam male cessit M. Antonio, isque ibi„ dem est mortuus. Successit Antonio Metel„ lus, qui insigni bello gesto, post graves pu„ gnas, triennii spatio universam insulam sube„ git, ex qua triumphavit, atque Cretici no„ men fuit adeptus. Legitur illud in Epit. Li„ vii LXXXXIX. *Q. Metellus procos. bello sibi „ adversus Cretenses mandato, Cydoniam urbem obse„ dit.* Signatur itaque in hoc nummo ab altera „ parte Neptunus cum tridente, ab altera vero „ rostrum navis, quoniam ejus consulatus anno „ navalis illa in Cretam, ex qua insula triumpha„ tum fuit, expeditio accidit."

Vaillantius censet cusum ab eodem Q. Marcio Rege fuisse in ejusdem quæstura urbana A. V. C. DCLXXIV. ut illo typo memoriam patris, qui aquæ Marciæ ductum in prætura, cuniculis per montes actis, adduxit, renovaret. Sed Neptunus maris est symbolum, non vero fluviorum, nec marina aqua sed fluvialis in Urbem adducta per Marcii aquæductum fuerat. Unde potius suspicor, non in quæstura urbana (ut Pighius & Vaillantius censent) sed triumviratu ejusdem monetali A. V. C. DCLXXII. vel in illum annum incidente quæstura (nam & conjecturalis Pighii annus is quæsturæ ejus est) signatum hunc nummum fuisse ad in-

inpensas belli navalis cum piratis Cilicibus. Quæ provincia cum proconsulari imperio Cn. Dolabellæ obtigit, quocum Verres, ut legatus, in provinciam, ipsis Cilicibus prædandi libidine major, profectus fuit.

X.

Capita Jovis & Neptuni jugata; ante illa sceptrum & tridens: in aversa parte *Caius* MARCIVS FIGVLVS AED*ilis* CVR*ulis*. Templum Jovis Capitolini.

Goltzius in Fastis p. 172. hunc nummum retulit ad C. Marcium C. F. C. N. Figulum, consulem A. V. C. DCLXXXIX. cum L. Julio Cæsare. At Vaillantius ad patrem ejus pertinere existimat, atque ad ædilitatem ejus, quem gessit A. V. C. DCXVIIII. cusumque fuisse hunc denarium in memoriam ludorum magnorum, sive Consualium, in honorem Jovis & Neptuni. Potuit filius C. Marcius triumvir monetalis patris ædilitatem hoc pacto exprimere; ædiles enim pecuniam signasse non invenio.

XI.

Caput Junonis Monetæ velatum. *Publius* CREPVS*ius Caius* LIMETAN*us*. ex aversa parte, *Lucius* CENSORIN*us*. Juno Moneta in bigis, utraque manu tenens equorum habenas, & sinistra pileum, in area sunt notæ numerales CXXCVII.

Non sinunt nos de integritate hujus denarii dubitare similes apud Morellium in gente Crepusia num. I. & II. ubi quæ de hisce triumviris monetalibus & ipso typo diximus, consuli possunt pag. 146.

XII.

IMP*erator* CAESAR AVGVSTVS. Caput Augusti laureatum. Ab altera parte bovis stantis typus est cum inscriptione, *Caio* CENSORINO *Lucio* CORNIFICIO *Nonio* CELS*o* II VIR*is*.

Nullos ejusmodi nummos a viris fide dignis productos memini; itaque illis hactenus abstineo. Vulgavit Goltzius in Fastis p. 216.

XIII.

Caius CALVISIVS SABINVS. Caput Apollinis laureatum. Ab altera parte typus est nummi gentis Marciæ, Silenus cum utre vini stans ante columnam, & hæc inscriptio, *Lucius* CENSOR*inus*.

Si verus foret hic denarius, qui suspectas illas C. P. literas subscriptas habet, quatuorviros monetales pro triumviris (confer num. supra XI) nobis exhiberet. Adparet nunc fraus. Apage has ineptias, nummi literis C. P. insigniti omnes fallaciam suam produnt.

MARIA.

XIV.

Caius MARIVS *Cai Filius*. Caput Neptuni, pone quod tridens & delphinus: ex aversa parte, Neptunus in curru a duobus equis marinis vectus, dextra tridentem tenet, sinistra habenas, in imo scorpio cernitur.

C. Marium, in patria Arpinate frustra honores ambientem, quæsturam in Sicilia iniisse A. V. C. DCXXXIX. existimat Vaillantius, ibique hos nummos signasse. Sed Pighius tom. III. p. 105. eo anno prætorem facit C. Marium, & Hispaniam ulteriorem sortitum, eas ibi res gerentem, quas Plutarchus & Appianus describunt. Quæsturam vero ejus revocat p. 47. ad A. V. C. DCXXIX. In Sicilia quoque quæsturam gessisse ibidem ex Cicerone deducit, sed nummos hosce existimat, post exilium C. Marii cusos fuisse, atque in memoriam periculorum, quæ & in Italia & in Africa effugerat, adsecutis enim fere illum in Italia Sullanis militibus, in littora legentem navem vix exceptus evasit, & grandius etiam periculum in Africa effugit, ubi quum prætextu amicitiæ ab Hiempsale rege adservaretur, Sullæ cum filio tradendus, monitus ostento scorpionum inter se pugnantium, ubi cum amicis in littore deambularet, statim, nactus navigium, in proximam insulam Cercinam trajecit. Vixque paullulum a terra recesserat navis, quum e longinquo Numidas equites advenientes vidit, ut sese vivum aut mortuum ad regem Hiempsalem adtraherent. Sed simpliciter notæ monetales esse videntur, quales in multarum familiarum nummis occurrunt. Et quamvis in Sicilia signari potuerint hi nummi quæsturæ Marianæ tempore, vellem tamen libenter scire, ubi terrarum omnes hi Mariani denarii adservarentur, fecissetque Goltzius rem gratam antiquariis, si (ut fieri debet) singulis nummis possessorum nomina adposuisset.

Hunc denarium, quoniam idem Goltzius in Fastis p. 156. retulit ad A. V. C. DCXLVI. quo primum consul fuit C. Marius, sicuti sequentem aureum p. 157. ad A. V. C. DCXLIX. quo iterum consul fuit idem Marius, ad annum eundem, quasi illo cusi essent, pro more suo retulit Ericius, atque ad eorundem illustrationem ita scripsit pag. 147. & 148. „ Signati fuerunt hi nummi Romæ, hic nummus A. V. C. DCXLVI. „ consule C. Mario, occasione victoriæ ejusdem „ Africanæ de rege Jugurtha &c. " Nam quæ deinde sequuntur brevem illius belli descriptionem continent, quæ nulli ignota est, & nihil ad nummum facit.

XV.

Caius MARI*us Cai Filius*. Caput Neptuni, pone quod tridens: ex aversa parte, Neptunus in curru a duobus marinis equis vectus, dextra tridentem vibrat, sinistra tenet habenas, in imo delphinus est anchoræ implicitus.

Abest ab hoc nummo a parte capitis, qui in præcedente observatur delphinus, & discrepat nota sub equis marinis.

XVI.

Lucius CORNEL*ius* SVLLA PR*o Quæstore*. Caput Jovis Capitolini; ex aversa parte *Caius* MARIVS *Cai Filius* CO*n*S*ul*. Figura togata in quadrigis triumphalibus, dextra tenet habenas, sinistra palmam.

Insignem hunc denarium vulgavit Goltzius in Fastis p. 157. ad A. V. C. DCXLIX. quo de Numidis & Jugurtha triumphavit C. Marius, ipsis Kal. Januariis, quo secundum quoque consulatum ingressus fuit. „ Cusus fuit hic nummus „ (scribit Ericius p. 149.) Mario II. consule, in „ quo consulatu collegam habuit C. Fulvium „ Fimbriam. Postquam enim idem Marius Ju„ gurtham ceperat, atque Numidiam populi „ Romani fecerat provinciam, non ante Romam „ ingressus fuit, quam hoc A. V. C. DCXLIX. „ quo iterum consul fuit creatus propter metum „ belli Cimbrici. Triumphans itaque Urbem est „ in-

„ ingressus, ducto ante currum Jugurtha filiisque ejus duobus, ut Sallustius atque Plutarchus testantur. Florus de Mario hoc agens lib. III. ita scribit: *Hic & urbem Herculi conditam Capsam in media Africa sitam, anguibus arenisque vallatam, mira quadam felicitate superavit, & saxeo inditam monti Mulucham urbem, per Ligurem, aditu arduo inaccessoque penetravit, mox non ipsum modo, sed Bocchum Mauritaniæ regem jure sanguinis Numidam vindicantem, apud oppidum Cirtam graviter cecidit. Qui, ubi diffisus rebus suis, alienæ cladis accessio ne fieret, timet, precium fœderis atque amicitiæ regem facit. Sic fraudulentissimus regum fraude soceri sui in insidias deductus est, & Sullæ in manum traditus. Tandemque opertum catenis Jugurtham in triumpho populus Romanus adspexit: sed ille quoque, quamvis victus & vinctus, vidit urbem, quam venalem, & quandoque perituram, si habuisset emptorem, frustra cecinerat.* Verum omnia egregia & bellica ejus C. Marii facinora, omnesque ejus consulatus antiqua nos docet inscriptio. Illa vero ejusmodi est.

„ C. MARIVS. PR. TR. PL. Q. AVGVR.
„ TR. MIL. EX. SORTEM BELLVM
„ CVM IVGVRTHA REGE NVMID.
„ VEL PROCOS. GESSIT. EVM CEPIT,
„ ET TRIVMPHANS IN IOVIS AEDEM
„ SECVNDO CONSVLATV ANTE CVR-
„ RVM SVVM DVCI IVSSIT III CON-
„ SVL ABSENS CREATVS EST. IIII
„ TEVTONORVM EXERCITVM DE-
„ LEVIT. V CONSVL CIMBROS FVGA-
„ VIT. EX IEIS ET TEVTONIS ITE-
„ RVM TRIVMPHAVIT. REMP. TVR-
„ BATAM SEDITIONIBVS, ET TR. PL.
„ ET PRÆTOR. QVI ARMATI CAPI-
„ TOLIVM OCCVPAVERANT VI COS.
„ VINDICAVIT. POST LXX. ANNVM
„ PATRIA PER ARMA CIVILIA PVL-
„ SVS ARMIS RESTITVTVS VII. COS.
„ FACTVS EST, DE MANVBIIS CIM-
„ BRICIS ET TEVTONICIS AEDEM
„ HONORI ET VIRTVTI VICTOR
„ FECIT. VESTE TRIVMPHALI CAL-
„ CEIS PVNICEIS.

„ Triumphi quoque ejus memoriam nobis exhibet hic denarius, in quo ab altera parte quadrigæ cernuntur triumphales, quibus insistit Marius, læva manu palmam tenens. Inscriptio a parte nummi priore, ad caput Jovis, Sullam respicit, proprætorem in exercitu Marii."

XVII.

Caput Victoriæ cum duabus alis ex dorso erumpentibus, EX *Senatus Consulto.* ex averso latere *Caius* MARI*us Cai Filius.* Victoria stans coronam imponit tropæo, ad cujus imum captivus sedet nudus, manibus post terga revinctis.

Vulgavit denarium hunc Goltzius in Fastis p. 158. ad A. V. C. DCLII. atque retulit cum aliis antiquariis (qui illum sequuntur) ad C. Marii de Ambronibus, Teutonis & Cimbris triumphum; unde ad ejusdem explicationem hæc inveniuntur apud Ericium p. 153, 154. „ Cimbri eo tempore a Celtiberis ex Hispania in Galliam compulsi, una cum Ambronibus, Teutonis, & Tigurinis, insurgentes, transitis Alpibus, impressionem in Italiam fecerunt. Marius, re intellecta, statim in provinciam properavit, atque in Gallia sese opposuit Ambronibus & Teutonis, quum collega ejusdem Catulus eodem tempore contra Cimbros proficisceretur, qui per Noricum impetum fecerant. Marius autem hostes ad Aquas Sextias usque persecutus, prospera fortuna usus, primos Ambrones, deinde & Teutones prælio vicit, ut in Vita Marii apud Plutarchum copiosius legi potest, brevius vero explicuit Orosius, his verbis: *Marius IIII. COS. cum juxta Isaram, Rodanumque castra posuisset, Teutones, Tigurini, & Ambrones, postquam continuo triduo circa Romanorum castra pugnarunt, si quo pacto eos excuterent vallo, atque in æquum extraherent, tribus agminibus Italiam petere destinarunt. Marius post digressum hostium castra movit, & collem occupavit, qui campo, & fluvio, ubi hostes sese diffuderant, imminebat. primis calonibus cum clamore in pugnam ruentibus subsequutus, mox justo certamine compositis ordinibus bellatum est, & vicere Romani. quarto die rursus productæ in campum acies usque ad meridiem pene pari pugnavere discrimine. post ubi incalescente sole fluxa Gallorum corpora in modum nivium distabuerunt, usque in noctem cædes potius, quam pugna protracta est. Ducenta millia armatorum in eo bello cæsa sunt, LXXX. millia capta, vix tria millia effugisse referuntur. Dux eorum Teutobocchus occisus est.* Vellejus quoque scribit Marium in quarto suo consulatu cum Teutonis prælio congressus fuisse ad Aquas Sextias, quodque primo & secundo die occiderit plus quam centum quinquaginta hostium millia, sic ut universum nomen Teutonum isto prælio deletum fuerit. In Epitoma LXVIII. hæc quoque leguntur: *C. Marius Cos. summa vi oppugnata a Teutonis, & Ambronibus castra defendit. duobus deinde præliis circa Aquas Sextias eos hostes delevit, in quibus cæsa traduntur hostium ducenta millia, capta nonaginta. Marius absens quintum Cos. creatus est. triumphum oblatum, donec Cimbros vinceret, distulit.* Addit Plutarchus, Marium, Romam ex senatusconsulto revocatum ad triumphum, distulisse eundem. Hujus itaque tam illustris victoriæ, quam de hisce Galliæ populis retulit Marius in IV. consulatu suo, testis est hic nummus, in quo a parte priore Victoriæ est caput, a parte posteriore tropæum a Victoria coronatur." Hæc scribit Ericius, qui nummum hunc refert ad A. V. C. DCLI. quo bellum illud gestum fuit.

XVIII.

Caput Victoriæ cum ala in dorso: ex aversa parte, *Caius* MARI*us Cai Filius.* in imo ROMA. Victoria agens quadrigas decurrentes.

Explicationem hujus denarii statim subjungit præcedenti Ericius, ita scribens p. 155. „ Romæ signatus fuit hic nummus anno sequenti, sive V. C. DCLII. Mario eodem V. consule absente facto, quo Cimbri a Mario Consule atque proconsule Q. Catulo penitus de- „ bel-

„ bellati atque exstincti fuerunt: Marius enim „ victor Ambronum, quum ex Gallia Romam „ fuisset revocatus ad triumphum, eundem re- „ cusavit, atque ad collegam Catulum sese statim „ contulit, revocato eodem ex Gallia exercitu „ suo, transitoque Pado, accinxit sese, ut Ita- „ lia hostem pelleret. Prælii itaque die inter „ duces Romanos atque barbaros constituta, in „ campis Vercellensibus, Marius & Catulus pul- „ cherrimam nacti sunt victoriam; quam pugnam „ persequitur admodum copiose Plutarchus, sed „ breviter ita exponit Epitome Liviana: *Cimbri* „ *repulso ab Alpibus fugatoque Q. Catulo procon-* „ *sule, qui fauces Alpium obsederat, & ad flumen* „ *Athesim castellum editum insederat, reliquumque,* „ *ubi virtute sua explicata fugientem proconsulem,* „ *exercitumque prosecuti in Italiam trajecissent,* „ *junctis ejusdem Catuli, & C. Marii exerci-* „ *tibus, prælio victi sunt ab eis. in quo cæsa tra-* „ *duntur hostium centum quadraginta millia, capta* „ *sexaginta. Marius totius civitatis consensu rece-* „ *ptus pro duobus triumphis, qui offerebantur, uno* „ *contentus fuit.* Apud Orosium hæc leguntur: „ *Cimbri integris copiis Alpium nives emensi Italiæ* „ *plana pervaserunt. Marius* V. *cos. & Catulus* „ *adversus eos missi, die ad pugnam & campo dato,* „ *in nebula disposuere pugnam, in sole pugnaverunt.* „ *Prima perturbatio Gallorum fuit, quod Roma-* „ *nam aciem prius invenere dispositam, quam adesse* „ *senserunt. cumque illico vulnerati equites retro in* „ *suos cogerentur, & sol cum vento ortus ex adverso* „ *emicuisset, visus eorum pulvis opplevit, & splen-* „ *dor hebetavit. ita factum est, ut Barbari minima* „ *Romanorum clade cæderentur.* CXL. *millia cæsa,* „ LX. *millia capta traduntur. reguli eorum duo cæ-* „ *si, duo capti sunt.* Addit Florus tertium exer- „ citum, qui Tigurinorum erat, fuga salutem „ quæsivisse. *Tertia Tigurinorum manus, quæ qua-* „ *si in subsidio Noricos insederat Alpium tumulos, in* „ *diversa lapsi, fuga ignobili, & latrociniis evanuit.* „ Atque hæc de victoria dicta sufficiant. De „ triumpho autem scribit Plutarchus, voluisse „ populum Romanum, ut duplicem triumphum „ ageret Marius; sed noluisse Marium ut Ca- „ tulus, collega in bello gerendo, triumpho ex- „ cluderetur. Hinc utrumque triumphasse scri- „ bit Eutropius; & participem Mariani triumphi „ Catulum a senatu factum fuisse testatur quoque „ Valerius Maximus lib. IX. Denique & Cice- „ ro [notat in Tusculanis, Marium voluisse ut „ gloria triumphi Catulo secum communis fo- „ ret. Ad hunc triumphum respexit Juvenalis „ hisce versibus Sat. VIII.

„ *Hic tamen & Cimbros, & summa pericula*
„ *rerum*
„ *Excipit, & solus trepidantem protegit urbem.*
„ *Atque ideo postquam ad Cimbros, stragemque*
„ *volabant*
„ *Qui nunquam adtigerant majora cadavera corvi,*
„ *Nobilis ornatur lauro collega secunda.*

„ Hunc itaque C. Marii triumphum hic denarius „ respicit, qui a parte priore Victoriæ habet caput, „ & a posteriore quadrigas triumphales. Et testis „ ejusdem est alter nummus collegæ ejus Q. Lu- „ tatii Catuli cum capite Dianæ atque bigis, „ insistente Victoria, quæ lauri ramum manu „ porrigit. " Hæc Ericius. Sed Vaillantius exi- stimat ante illud tempus signatum hunc nummum fuisse, videlicet statim post devictos Ambrones.

XIX.

Caput Jovis Capitolini laureatum: in averso latere *Caius* MARIVS *Cai Filius Cai Nepos.* Aquila insistens fulmini.

Hunc denarium vulgavit Goltzius in Fastis p. 165. ad A. V. C. DCLXXI. quo C. Marius C. F. C. N. consul cum Cn. Papirio Carbone in magistratu occisus fuit. Sed Vaillantius ad patrem, qui septies consul fuit, refert, ejusque votum, quod Jovi fecit contra Cimbros præliaturus, si vicisset centum sese boves immolaturum. Verum ille Caji filius quidem fuit, sed utrum Caji nepos quoque fuerit nescitur, & simpliciter inde in quinque præcedentibus denariis scribitur C. MARIVS C. F. At vero, quum hic insuper addatur C. N. potiore jure ad Marium juniorem pertinere videtur, qui potuit signare hunc typum in quæstura sua vel triumviratu monetali, ut per eundem victoriæ Cimbricæ memoriam renovaret, cujus obtinendæ gratia pater Jovi hecatomben promiserat, & voti reus immolaverat. Magistratum is aliquem (in quo nummum signaverit) gerere non potuit eo anno, quo victoria Cimbrica Mario obtigit, quo anno puer adhucdum fuit. Consulatum enim anno ætatis vigesimo invasit, ut plures testantur, ut unus & alter, ætatis XXVI. vel XXVII. Victoria vero Cimbrica C. Mario patri obtigit A. V. C. DCLII. unde patet Marium juniorem eo anno vel vix natum, vel adhuc puerum fuisse. Verum, quum a patruo C. Mario adoptatus esset, statim ubi ad honores pervenit Cimbricæ victoriæ, Jovis summi ope partæ, memoriam in denariis suis celebrasse videtur.

XX.

CAESAR AVGVSTVS TRIB*unicia* POTEST*ate* III. P*ater* P*atriæ*. Caput Augusti. In aversa parte *Caius* MARIVS *Cai Filius* PR*o* Q*uæstore* III. VIR. Pegasus alatus, in area AFRI*ca*.

Pertinere videtur hic denarius ad C. Marium C. F. Trogum, qui IIIvir monetalis Cæsaris Augusti fuit, & cujus plures jam supra inter Morellianos vidimus nummos pag. 270. Dicebantur vero C. Marii Trogi, ut discernerentur a C. Mariis Capitonibus, qui iis fere temporibus vixerunt. C. Marii Trogi omnia numismata cusa fuerunt A. V. C. DCCXL. vel, ut alii computant DCCXLI. quo plura memoratu digna in republica acciderunt, ut l. c. docuimus. Quæ quum passim in aliis suis denariis expresserat C. Marius Trogus, in hoc videtur originem suam voluisse probare a Numidiæ & Jugurthæ victore triumphatoreque C. Mario septies consule. Verum omnino falsum esse hunc ipsum nummum, atque plane confictum, dubitare duo, quæ in hoc nummo animadverti, me non sinunt. Falsarius ille, quum in aliis verisque hujus C. Marii nummis literas TRO. invenisset, nescius Trogi illum habuisse cognomen, inde fecit PR. Q. provinciamque de suo donavit, quasi scilicet legi deberet PR*o* Q*uæstore* AFR*icæ*. Sed hominem, antiquitatis (ut videtur) rudem, non subiit cogitare unum & eundem hominem non posse simul esse proquæstorem Africæ, atque triumviratu monetali Cæsaris, qui primus ad honores juventuti gradus erat, fungi. Deinde patet ex veris C. Marii Trogi nummis, triumvirum monetalem fuisse Trogum A. V. C. DCCXL. quo Augustus scribebatur fungi tribunicia potestate X. vel XI. at

 quum

quum in hoc nummo scribatur tribunitia potestate III. patet suo indicio velut soricem prodere se ipsam falsarii fraudem. Vulgavit nummum Goltzius in Fastis p. 207.

XXI.

IMPerator AVGVStus. MVNicipium CALenum. Caput Augusti nudum. Ab altera parte bos est cum hisce literis C. MAR. MVAN. PR. IIVIR. Legi debere puto *Caio* MAR*io* *Marco* VAL*erio* PR*imo* IIVIR*is*. Quæ emendatio confirmari videtur ex nummo Morelliano, quæ litera I. signatur in Fam. Maria tab. I. pag. 273. ubi vide quæ de hoc C. Mario diximus. Collega Marii in duumviratu dictus fuisse videtur M. Valerius Quadratus Primus, quod ex citato nummo videtur posse colligi.

MVCIA.

XXII.

Caput Neptuni laureatum, pone quod tridens: ex averso latere *Publius* SCAEVVLA *Quinti Filius*. Neptunus ipse in quadrigis decurrentibus, dextra tridentem, sinistra tenet habenas, in imo prora navis.

Hunc denarium vulgavit Goltzius in Fastis p. 130. ad A. V. C. DLXXVIII. quo consul de Liguribus triumphavit P. Mucius Q. F. P. N. Scævula. Hinc ad ejus illustrationem scriptum invenitur apud Ericium p. 88. „ Signatus fuit „ hic nummus Romæ A. V. C. DLXXVIII. „ quo consulatum gessit P. Mucius Scævola, at„ que de Liguribus triumphavit. Victoriam ejus „ commemorat Livius his verbis: *Inter Audenam „ amnem P. Mucius cum iis, qui Lunam, Pisasque „ depopulati erant, bellum gessit, omnibusque in di„ tionem redactis, arma ademit, ob eas res in Gal„ lia Liguribusque gestas duorum consulum ductu „ auspicioque senatus in triduum supplicationes decre„ vit.* Triumphi ejusdem testes sunt Fasti Ca„ pitolini, atque insuper hic denarius, in consu„ latu ejusdem signatus, a cujus altera parte cer„ nitur quadriga triumphalis, insistente Neptu„ no, cum rostro navis sub equorum pedibus. A „ priore vero parte Neptuni ipsius caput cerni„ tur, adposito tridente in signum victoriæ na„ valis, quam de Liguribus retulit, de quibus „ quoque triumphavit. " Vaillantii eadem sententia est.

XXIII.

SCAEVVLA. Caput Herculis pelle leonina ornatum, ex aversa parte, *Publius* MVCI*us* *Publii Filius Quinti Nepos*. Hercules leonem suffocans, pone eum clava &c. corytus.

Goltzius in Fastis p. 144. hunc denarium refert ad P. Mucium P. F. Q. N. Scævulam, qui consul fuit A. V. C. DCXX. cum L. Calpurnio Pisone. „Cujus Scævolæ (inquit Ericius p. 120.) „ mentionem facit Asconius Pedianus in Cicero„ nis Verrinas, his verbis: *Scævola juris peritis„ simus cum L. Pisone consul fuit, quo anno Ti. „ Gracchus occisus est.* Peritissimus inde juriscon„ sultus fuisse colligitur noster Scævula. Filius „ fuit P. Scævulæ, consulis A. V. C. DLXXVIII. „ Dei Herculis caput ejusque pictura, ut leo„ nem occidentis, peculiarem consulis erga deum „ illum religionem respicit; quæ ratio est, cur „ tot deorum capita & symbola in nummis con„ sularibus inveniamus. " Eidem P. Scævulæ adscribit Vaillantius, notatque fratrem fuisse P. Licinii Crassi Muciani, qui bello contra Aristonicum occubuit, quum primus pontifex maximus extra Italiam armatus processisset, atque fratri in pontificatu successisset. In ædilitate Mucii signatum nummum opinatur ob ædem Herculis restitutam.

XXIV.

SCAEVVLA. Caput Romæ, pone quod ROMA. ex aversa parte *Quintus* MVCIVS *Publii Filius*. Castor & Pollux astris ornati, decurrentes cum hastis.

Dubitant antiquarii, ad quem Quintum Scævulam ex gente Mucia hic denarius sit referendus; an ad Quintum, patrem ejus P. Mucii, qui primus consulatum in familiam intulit, an ad Publii consularis & pontificis maximi filium, qui & ipse pontifex maximus fuit, multisque nominibus Ciceroni laudatur. Posteriori adjudicat Vaillantius, nec ad alium retulit Goltzius, qui vulgavit hunc nummum in Fastis p. 160. ad A. V. C. DCLVIII. quo consul fuit cum sobrino suo L. Licinio Crasso Q. Mucius P. F. P. N. Scævula.

TAB. XXV.

MESCINIA.

I.

CAESAR DIVI *Filius* AVGVSTVS CO*nSul* VIII. *Pater Patriæ* IMP*erator* VII. Caput Augusti laureatum. Ab altera parte est sella curulis, imposita laurea, & inde ad latera lauri ramus exsurgit, cum hac inscriptione *Lucius* MESCINI*us* RVFVS IIIVIR.

De L. Mescinio Rufo, triumviro monetali Cæsaris Augusti, actum est supra pag. 279. 280. in Familia Mescinia. Typus honores respicit & victorias partim Cæsaris patris, partim ipsius Augusti. Ipsum nummum vulgavit Goltzius in Fastis p. 205. ad A. V. C. DCCXXVII. Sed, quum L. Mescinius triumvir monetalis fuerit A. V. C. DCCXXXVI. quo consul XI. imperator IX. fuit Augustus, ut nos docent obvii ejus nummi, in quibus signatur Augusti potestas tribunitia VII. in Fam. Mescinia, num. IV. pag. 280. patet hinc, vel nummum hunc esse adulterinum vel duos fuisse L. Mescinios Rufos, diversis annis triumviros monetales.

II.

Caput Augusti civica sive quernea corona ornatum, sine inscriptione. A parte posteriore cippus est, inscriptus IMP*eratori* CAES*ari* AVGVS*to* COMM*uni* CONS*ensu*. Additur in ipsius nummi circuitu *Lucius* MESSINIVS RVFVS IIIVIR. pro MESCINIVS &c.

Nummus hic, ut & duo sequentes, desumti sunt ex Augusto Goltzii p. 46. In iis idem exhibetur cippus, qui occurrit in altera parte nummi primi gentis Mesciniæ; caussam erecti cippi docet ibidem pars prior, quod videlicet per Cæsarem Augustum respublica in ampliorem atque tranquilliorem statum redacta esset. Vide quæ ibidem scripsimus pag. 279.

III.

FAMILIA MESCINIA, MINVCIA.

III.

Caput Augusti, ut supra, corona civica ornatum, sed ad alteram partem conversum. A parte posteriori idem cippus est, eodem modo inscriptus, sed ad latera additur *Senatus Consulto.*

Corona civica in hoc & præcedente nummo tribuitur Augusto, ut conservatori civium; unde plurimi ejusdem nummi, qui a triumviris monetalibus senatus sunt cusi, sine capite Augusti, eandem habent coronam inter duos lauri ramos.

IV.

Caput Augusti nudum, sine inscriptione. Pars altera præcedenti nummo tertio per omnia similis est.

V.

CAESAR DIVI *Filius.* Caput Cæsaris Augusti nudum. Ab altera parte statua nuda Martis Ultoris est, quæ galea, parazonio & hasta ornatur. Inscriptio est *Lucius* MESCINIVS RVFVS.

Hunc & sequentem vulgavit Goltzius in Augusto p. 47.

VI.

Caput Augusti nudum, sine inscriptione. Ab altera parte eadem statua dei Martis est, sed insuper palliati sive paludati, cippo inposita, cui inscribitur *Senatus Populusque Romanus* VOT*um Solvit* PRO *Reditu* CAES*aris.* In circuitu scribitur *Lucius* MESCINIVS RVFVS IIIVIR.

Vide, quæ dicta sunt supra pag. 279. & 280. ad typum non dissimilem nummi II. & III. gentis Mesciniæ.

MINVCIA.

VII.

RVFVS. Caput Junonis Sospitæ, pone quod tripus: ex altera parte, *Marcus* MVNICI*us Publii Filius Quinti Nepos.* Figura virilis in pegaso; dextra hastam vibratura.

Hunc denarium vulgavit Goltzius in Fastis p. 106. ad A. V. C. DXXXVI. quem sequitur Vaillantius, &, quum Goltzius typi rationem non explicaverit, ipse eam tentat; putatque signatum fuisse nummum a magistro equitum M. Minucio Rufo sub Q. Fabio Maximo dictatore, sic ut per Bellerophontem potestas illa magistri equitum designaretur. Quod non puto, nam Bellerophon pegaso insidens semper in nummis Corinthi est symbolum. Hinc suspicor signatum fuisse nummum Corinthi, sub quodam M. Minucio Rufo, qui tum provinciam Achajam administraverit. Quum vero ex Achaja de Corinthiis triumphaverit L. Mummius Achaicus A. V. C. DCVII. nequit denarius referri ad tempus dictaturæ Fabii & magistratum equitum M. Minucii Rufi A. V. C. DXXXVI. quo tempore nihil juris in Corinthum Romanis erat. Adde quod ex conjectura tantum M. Minucius Rufus ponatur a Pighio aliisque Publii filius & Quinti nepos. Alter M. Minucius Rufus in historia Romana occurrit A. V. C. DLVI. quo juxta Livium, lib. XXXII. prætor peregrinam jurisdictionem sortitus obtinuit, quem post præturam idem Livius in fine libri XXXIV. scribit cum P. Africano legatum ivisse in Africam. Caji filium & Caji nepotem ex conjectura facit Pighius. Rufi quoque cognomen non nisi per conjecturam tribuitur, vixitque & ipse ante eversam Corinthum. Tertius occurrit M. Minucius Rufus Q. F. consul A. V. C. DCXLIII. cui adplicari hic nummus poterat, si jam tum instaurata Corinthus fuisset. Unde patet, spectare eundem (siquidem genuinus est, quod mihi vix videtur) ad tempora posteriora.

VIII.

RVF*us.* Caput Romæ galeatum: ex aversa parte, *Quintus* MINV*cius.* in imo ROMA. Castor & Pollux astris insignes decurrunt in equis cum hastis.

Refertur hic denarius ad Q. Minucium Rufum, quem fratrem magistri equitum M. Minucii Rufi fuisse existimat Vaillantius, legatum Appii Claudii in obsidione & expugnatione Capuæ A. V. C. DXLII. Goltzius vero Caji filium & Caji nepotem facit, numeratque inter VI. prætores factos A. V. C. DLVI. ad quem denarium hunc adplicat, quem vulgavit in Fastis. p. 117.

IX.

RVFVS. Caput Romæ galeatum: ex averso latere, *Quintus* MINVCI*us Cai Filius Cai Nepos.* in imo ROMA. Victoria in bigis, dextra coronam gerens.

Vulgavit hunc denarium Goltzius in Fastis p. 118. ad A. V. C. DLVI. quo de Liguribus Bojisque Gallis in monte Albano triumphavit Q. Minucius Rufus consul, quem triumphum corona illa, quam dextra tenet Victoria, judice Vaillantio, designat. Triumphum Minucii describit Livius lib. XXXIII. cap. 8. *Q. Minucius consul de Liguribus Boiisque Gallis in monte Albano triumphavit. Is triumphus, ut loco, & fama rerum gestarum, & quod sumtum non erogatum ex ærario omnes sciebant, inhonoratior fuit: ita signis, carpentisque, & spoliis ferme æquabat. Pecuniæ etiam prope par summa fuit: æris translata ducenta & quinquaginta quatuor millia: argenti bigati quinquaginta tria millia, & ducenta. Militibus centurionibusque & equitibus item in singulos datum, quod dederat collega.* Collega is erat Cn. Cornelius Cethegus, qui de Gallis Insubribus & Cænomanis solidum triumphum duxerat.

X.

Caput Romæ galeatum: ex aversa parte *Quintus* THERMVS *Quinti Filius.* in imo ROMA. Victoria in quadrigis decurrentibus, dextra tenet coronam, sinistra regit equos.

Q. Minucius Q. F. L. N. ad quem spectare videtur hic denarius, A. V. C. DLVIII. (quo depingitur in Fastis p. 119. a Goltzio) ex Hispania Citeriore proprætore triumphavit.

XI.

RVFVS. Caput Apollinis radiatum: ex aversa parte *Marcus* MINVCI*us Quinti Filius.* Luna bicornis, & septem triones.

Goltzius, qui aureum hunc nummum vulgavit in Fastis p. 154. retulit ad M. Minucium Q. F. Rufum, consulem cum Sp. Postumio Albino A. V. C. DCXLIII. Cusum vero ab eodem fuisse nummum opinatur Vaillantius in prætura A. V. C. DCXXXVIII. typumque Apollinis & lunæ siderum ludos Apollinares denotare. Verum, sicuti prætoris non erat signare pecuniam, potius ad quæsturam vel triumviratum monetalem ejusdem Minucii Rufi referendus typus videtur. Is, quum pater Quintus ultra præturam non processisset, signum ejus honoris in denariis suis expressit.

XII.

XII.

Caput Romæ galeatum, pone quod vox ROMA: ex averso latere *Marcus* MINVCI*us Quinti Filius* RVFVS PRO CO*n*S*ule*. Figura Senatoria in quadrigis triumphalibus, dextra regit equos, sinistra lauri ramum gerit.

Ad hunc denarium, quem in Fastis Goltzii p. 155. invenias, ita commentatur Ericius p. 145. „Signatus fuit hic nummus Romæ, A. V. C. DCXLIV. quo victoriam de Scordiscis Thracibus & Triballis nactus fuit Minucius Rufus proconsule, deque iis triumphavit. Feliciter enim contra illos rem gessit, non tantum consulatus sui tempore, sed prorogato etiam post imperio. Testes ejus victoriæ sunt historia & annales. Frontinus lib. Stratagematum II. ita scribit: *Minucius Rufus Imp. cum a Scordiscis, Dacisque premeretur, quibus impar erat numero, præmisit fratrem, & paucos equites una cum æneatoribus, præcepitque, ut cum vidisset contractum prœlium, subitus ex diverso se ostenderet, juberetque æneatores concinere. Sonantibus montium jugis species ingentis multitudinis offusa est hostibus, qua perterriti dedere terga.* Itidem Eutropius: *A Minucio Rufo in Macedonia Scordisci & Triballi victi.* Florus, ubi Drusi retulit victoriam, de victoria Minucii lib. III. cap. IV. ita loquitur. *Minucius Scordiscos toto vastavit Hebro, multis quidem amissis, dum per perfidum glacie flumen equitatur.* In epitoma quoque Livii LXV. postquam Silani consulis mentio facta est, hæc leguntur, *M. Minucius Procos. contra Thracas feliciter quidem pugnavit.* Triumphasse vero eundem Minucium hisce verbis docet Vellejus: *Per eadem tempora clarus ejus Minucii, qui porticus, quæ hodieque celebres sunt, molitus est, ex Scordiscis triumphus fuit.* Unde existimo fractos eosdem Thraciæ populos diu postea quievisse. Victoria eadem atque triumphus depingitur in nummo ejusdem Minucii, qui ab altera parte habet quadrigas triumphales, quibus triumphans insistit Q. Minucius Rufus, laurum dextra tenens.

„Invenitur & alter aureus nummus ejusdem M. Minucii Rufi, in quo a parte priore solis est coronatum caput, cum inscriptione subtus RVFVS. A parte altera lunæ crescentis figura est cum septem desuper stellis, atque inscriptione *Marcus* MINVCI*us Quinti Filius.* Cusus is nummus sub ejusdem consulatu fuit, anno qui præcessit, quum collega illi esset Sp. Postumius Albinus; ipse vero Minucius anno sequenti de illa victoria proconsule triumphavit."

MVMMIA.

XIII.

Caput Romæ galeatum: ex averso latere, *Lucius* MVMMI*us Lucii Filius.* Minerva galeata in quadrigis decurrentibus, dextra hastam, sinistra clypeum tenet & habenas. infra ROMA.

Ad hunc denarium idem Ericius p. 100. ita scriptum reliquit: „Denarius argenteus L. Mummii Nepotis ab altera parte exhibet caput Romæ galeatum, cum denarii post illud nota; ab altera habet currum triumphalem a quatuor equis tractum, cui insistit figura armata, quam Martis esse existimo. Subtus hæc est inscriptio *Lucius* MVMMI*us Lucii Filius.* ROMA. Signatus fuit hic nummus Romæ A. V. C. DCI. quo victoriam obtinuit L. Mummius prætor de Lusitanis in Hispania, deque iis triumphavit. Eodem enim anno, quo Celtiberi subacti fuerunt a prætore Tiberio Graccho, Lusitani quoque victi fuerunt a prætore L. Albino. Neque quievisse postea Lusitani videntur. In Epitoma enim Livii XLVI. ita scriptum invenimus. *Res præterea adversus Ligures, Corsos, & Lusitanos vario eventu gestas* & lib. XLVII. *Præterea in Hispania a compluribus parum prospere res gestas continet.* Narrat præterea Obsequens historicus, sub consulibus Q. Opimio & L. Postumio gravia passos fuisse Romanos a Lusitanis. Appianus quoque refert ab iisdem fusos fugatosque duces Romanorum Manilium atque Calpurnium Pisonem. Feliciter vero postea rem gessisse Mummium, deque iis triumphasse. Ejusdem victoriæ hoc apud Eutropium exstat testimonium: *L. Mummius in Lusitania bene pugnavit.* Illam itaque Mummii victoriam celebrat hic denarius, in quo a parte posteriore est quadrijugus currus triumphalis cum insistente figura Martis victoris atque triumphatoris." Hæc Ericius. Figura autem illa Minervæ potius est; nam in bello consilium sæpe plus quam vis valuit. Nummus ipse exstat apud Goltzium in Fastis p. 138. ad A. V. C. DCI.

XIV.

Lucius MVMMIVS. Caput Romæ galeatum, pone quod ROMA. Ex aversa parte sunt duæ dextræ tenentes caduceum in corona civica; EX *Senatus Consulto.* ad imum caducei.

Invenitur hic denarius apud Goltzium in Fastis p. 140. ad A. V. C. DCVII. Typum ejus explicans Vaillantius, existimat per junctas manus denotari socios Romanorum in bello Achaico, fidemque, quam præstiterint; per caduceum felicitatem; per coronam querneam servatos in hoc bello cives. Sed vix crediderim ad socios aliquem respectum habere hunc nummum. Verum, quum post deletam Carthaginem alteram securitatem præstaret Romanis eversio Corinthi, cujus divitiæ, vetustas, & inprimis situs, urbi Romæ, quæ sola magna haberi cupiebat, esset formidandus; pax & securitas Romanæ urbis hoc typo denotari potuit, unde scilicet salus civium dependeret. Additur in hoc & sequenti nummo nota senatusconsulti, quod videtur in tam præclara victoria factum fuisse, ut scilicet ejusmodi nummi signarentur, & victoriæ ejus testes & ad milites remunerandos.

XV.

ACHAICVS. Caput Neptuni corona ornatum: ex aversa parte *Lucius* MVMMI*us* EX *Senatus Consulto.* Prora navis cum temone, & ancora decussatim inversis, in vertice corona.

Triumphi Achaici & Corinthiaci testem hunc nummum produxit Goltzius in Fastis p. 141. ad A. V. C. DCVIII. quem hisce illustravit Ericius p. 110. „Nummus argenteus L. Mummii Achaici, ab altera parte caput habet barbatum, quod Neptuni esse existimo, nisi sit Dei Quirini. Ante illud legitur ACHAICVS. Ab altera parte prora navis est cum ancora & temone, atque corona in summo posita, atque hæc inscriptio *Lucius* MVMMI*us.* EX *Senatus Consulto.*

„ *fulto.* Nummus hic signatus fuit Romæ A. V. „ C. DCVIII. quo L. Mummius Achaicus pro„ consule victoriam fuit nactus de Achæis & Co„ rinthiis iisque domitis triumphum meruit. „ Triumphi ejus meminit Cicero pro Murena, „ quando dicit: *Derideatur de rege Pyrrho trium*„ *phus M. Curii, de Philippo T. Flaminii, de Æto*„ *lis M. Fulvii, de rege Perse L. Paulli, de Pseu*„ *dophilippo Q. Metelli, de Corinthiis L. Mummii.* „ Virgilius eundem celebravit his versibus:

„ *Ille triumphatâ Capitolia ad alta Corintho*
„ *Victor aget currum cæsis insignis Achivis.*

„ Epitome Livii LIII. *L. Mummius de Achæis* „ *triumphavit, signa ærea, marmoreaque, & ta*„ *bulas pictas in triumpho tulit.* Apud Eutropium „ hæc leguntur: *Tres igitur Romæ simul celeber*„ *rimi triumphi fuerunt, Africani, ex Africa, an*„ *te cujus currum ductus est Hasdrubal: Metelli ex* „ *Macedonia, cujus currum præcessit Andriscus, qui* „ *& Pseudophilippus dicitur, Mummii ex Corintho,* „ *ante quem signa ænea, & pictæ tabulæ, & alia* „ *urbis clarissimæ ornamenta prælata sunt.* Ex qui„ bus omnibus patet, L. Mummium de Achæis „ & Corinthiis triumphasse, quoniam vero na„ valis maxime victoria fuit, Neptuni dei caput „ in parte nummi priore, in posteriori vero ex„ primitur rostrum navis cum temone & anco„ ra. Corona, quæ in summa parte cernitur, „ victoriæ est signum; coronamque, qua die „ triumphi decoratus fuit Mummius, respicit " Hæc Ericius. Typus ab utraque parte nummi adumbrat situm & potentiam urbis Corinthi, quæ Floro lib. II. cap. 16. dicitur *Achajæ caput, Græciæ decus, inter duo maria, Ionium & Ægæum, quasi spectaculo exposita.*

MUNATIA.

XVI.

DIVUS IULIUS. Caput Julii dictatoris laureatum, ante quod astrum: ex aversa parte *Lucius* MUNATI*us* PLANCUS PRAEF*ectus* VR*Bi.* in area.

De L. Munatio Planco; uno ex præfectis urbis sub Lepido satis actum est supra pag. 289. in Fam. Munatia. Nummum hunc vulgavit Goltzius in Fastis pag. 187. ad A. V. C. DCCXI.

XVII.

PLANCUS. Caput Jovis Capitolini laureatum: ex aversa parte, *Lucius* MUNATI*us Lucii Filius.* Colonus, agens boves, stivam manu tenet.

Nummus hic videtur esse testis coloniæ a Planco post mortem Cæsaris ex senatusconsulto Lugdunum deductæ. Adi Vaillantium p. 153. & 154. pluribus hunc nummum & L. Munacii Planci res gestas illustrantem. Denarium vulgavit Goltzius in Fastis p. 194. ad A. V. C. DCCXVII.

XVIII.

PLANCUS. Caput (ut volunt) L. Munatii Planci triumphalis & Censorii: ex aversa parte est corona quernea, in qua *Senatus Populus Que Romanus* OB CIV*es* SER*vatos.*

Æreum hunc nummum singularem vulgavit Goltzius in Fastis p. 206. ad A. V. C. DCCXXXI. ad cujus illustrationem ita scripsit Vaillantius p. 156. „ Ab eodem L. Planco filio cusum hunc „ nummum in patris L. Planci honorem arbitra„ mur, quum esset triumvir monetalis senatus, „ ut superior denotat: nam quia cognomen Au„ gusti Cæsari pater dedisset, ut refert Suetonius, „ *Augusti cognomen Munatii Planci sententia, quibus*„ *dam censentibus Romulum adpellari oportere, præva*„ *luit,* Senatui in rei memoriam, per filium in „ nummis post ejus mortem illius imaginem si„ gnari non displicuit: corona civica Augusto „ quotannis, a S. P. Q. R. oblata in aversa par„ te, ut moris erat triumvirorum monetalium „ percutere, expressa. Plancus, legatus ad Ger„ manicum missus, tunc a militibus seditionem „ agitantibus, occisus est, ex Tacito Ann. 1." Hæc Vaillantius. Chalcographus vero Morellianus non satis exacte Goltzii manum est secutus, in conferendis enim oris lineamentis oculus; nasus, os & mentum discrepant, ut facile unicuique adparere poterit. Sed ego vehementer dubito, an cum antiquariis Planco patri tribuenda sit hæc facies. Nullius enim monetarii senatus, qui æream monetam signarunt, nisi imperatoris & principis ipsius caput in ære medio signarunt, &; si bene adtendamus, magna capitis & faciei similitudo est cum pictura quorundam nummorum Caji Julii Cæsaris; unde suspicor pertinere ad ipsum Julium Cæsarem, & signatum fuisse a Planco filio, ut in priore nummi, parte Cæsaris Augusti adoptionem celebraret capite Julii, a quo & pater suus quondam præfectura urbis donatus fuerat, ab altera vero annuos ipsius Augusti honores. Calvities enim illa frontis omnino Cæsari convenire videtur; neque quod laurea absit, quemquam movere debet, quæ abest itidem a nummo aureo, a Trajano imperatore restituto, & in quo picturæ hujus nummi, ut exstat apud ipsum Goltzium, admodum similis Cæsaris tota est facies. Cerni & consuli restitutus ille a Trajano Cæsaris nummus potest supra inter Morellianas Familiarum tabulas, tabula Fam. Juliæ quarta num. VI.

XIX.

OB CIVIS SERVATOS. Corona civica inter duos lauri ramos: ex aversa parte, *Lucius* MUNATI*us Lucii Filius* PLANCUS III VIR *Auro Argento Aeri Flando Feriundo.* in area *Senatus Consulto.*

L. Munatius Plancus, qui hunc & præcedentem nummum æreum signavit, filius fuit celebris istius Planci, qui post cædem Cæsaris a patribus ad triumviros descivit, atque Augusti deinceps amicitia clarus fuit. Filius sub eodem Augusto ad consulatum adscendit A. V. C. DCCLXV. ad quem annum profertur hic nummus a Goltzio in Fastis p. 232.

XX.

CAESAR DICT*ator* QVART*um.* Caput Cæsaris laureatum, post illud lituus est. Ab altera parte in area nummi scribitur *Lucius* MUNATIUS PLANCUS PRAEF*ectus* VRB*i.*

Pertinet hic nummus ad Plancum patrem, inter præfectos Urbi sub Lepido constitutum a Cæsare, quum ipse in Hispaniam contra Pompeji liberos bellum gesturus abiret.

XXI.

DIVVS IVLIVS. Caput Julii Cæsaris laureatum, ante frontem stella est. Ab altera parte in area nummi iterum scribitur *Lucius* MVNA-*Tius* PLANCVS PRAEF*ectus* VRB*i*.

A. V. C. DCCVIII. in Hispania contra Pompejos juvenes bellum gessit Cæsar. Sequenti anno in Urbem reversus reliquit præfectis illis Urbi, inter quos Plancus erat, eosdem honores, quos præterito anno gesserant, ut a nobis plus semel in hoc opere ex Dione demonstratum est. Occiso itaque eodem anno Kal. Mart. Julio Cæsare, post mortem ejus hic nummus similisque supra num. XVI. a Planco signari potuit.

XXII.

Caius CAES*ar* DIC*tator* TER*tium*. Caput Victoriæ humeris alatis. Ab altera parte guttus est cum inscriptione *Lucius* PLANC*us* PR*æfectus* VRB*i*.

Vix aliquid differt a vulgatis in gente Munatia nummis, nisi quod literæ alio ordine ponantur.

XXIII.

Caius CAESAR IMP*erator* QVART*um*. Caput Victoriæ humeris alatis. Ab altera parte item guttus est, cum inscriptione *Lucius* PLANCVS PRAEF*ectus* VRBIS.

Inscriptione capitis a præcedenti differt.

XXIV.

ROMA. Caput Romæ galeatum, post illud spica est. Ab altera parte recubans cervus est, quem superne advolans Victoria coronat: Adest inscriptio *Marco* PLANCO EX *Senatus Consulto*.

Nummus fictus est, notatus, ut similes, literis C. P.

TAB. XXVI.

MVSSIDIA.

I.

Marcus ANT*onius* IMP*erator* ITER*um*. Caput M. Antonii, pone quod lituus: ex aversa parte, *Lucius* MVSSIDIVS *Titi Filius* LONGVS IIIIVIR *Argento Publice Feriundo*. Comitium cum cancellis, & figuris suffragia in urnas conjicientibus, in imo fabricæ CLOACIN*a*.

De L. Mussidio Longo T. F. quatuorviro monetali sub triumviris reipublicæ constituendæ actum est supra pag. 290. 291. Vulgavit hunc denarium Goltzius in Fastis p. 183. ad A. V. C. DCCXIX.

II.

Marcus LEPIDVS PONT*ifex* MAX*imus* III VIR *Rei Publicæ Constituendæ*. Caput Lepidi nudum: ex aversa parte, *Lucius* MVSSIDIVS *Titi Filius* LONGVS IIII VIR. *Argento Publice Feriundo*. duæ dextræ caduceum alatum tenentes.

Hujus quoque denarii typus nihil, quod non ante explicatum sit, continet. Vulgavit illum Goltzius in Fastis p. 185. ad A. V. C. DCCX.

III.

Lucius MVSSIDI*us* LONGVS. CONCORDIA. Caput Concordiæ velatum: ex aversa parte, LEPID*us* ANTON*ius* CAESAR III VIRI *Rei Publicæ Constituendæ*. Duæ dextræ caduceum alatum tenentes.

Concordiam triumvirorum respicit hic denarius quem vulgavit Goltzius in Fastis p. 160. & ad cujus explicationem hæc scripta reliquit Ericius p. 233. „ Romæ signatus fuit hic nummus A. „ V. C. DCCXIII. & quidem eo, ut arbitror, „ tempore, quo Cæsar Augustus ovans Urbem „ est ingressus, pace cum M. Antonio facta. „ Scriptum enim invenimus in Tabulis Capitoli- „ nis, Cæsarem ovantem fuisse ingressum Ur- „ bem post pacem cum M. Antonio factam, M. „ Antonium item post pacem cum Cæsare fa- „ ctam. Huic vero anno rem istam adsignat „ Dio. Cæsar enim Augustus, post occupatam „ Perusiam, universam Italiam sui juris fecerat. „ Partim, itaque vi compulsa, partem voluntate „ sua, ad maritum Antonium profugit Fulvia, „ una cum liberis suis & matre Julia. Antonius „ itaque, querelis uxoris incitatus, reversusque „ ex Ægypto in Asiam, Cæsari amicitiam renun- „ ciavit, belloque illato, transgressus in Italiam, „ Sipuntum occupavit, Brundusium obsidione „ clausum cepit, pulso Cæsaris duce P. Servilio „ Rullo. Inter hos belloium motus Sicyone vi- „ ta excessit uxor M. Antonii Fulvia. Positis „ dehinc armis in gratiam triumviri redierunt, „ atque partito inter se Romano imperio, Cæ- „ sari evenit Sardinia, Dalmatia, Hispania, Gal- „ lia; Antonio, omne quod erat supra mare Io- „ nium in Asia atque Europa, excepta Africa, „ quam Lepidus tenebat, atque Sicilia, quæ in „ Sexti Pompeji erat potestate. Cæsar itaque & „ Antonius, postquam iterum in gratiam redie- „ runt, Urbem ingressi sunt, equis vecti, veste „ triumphali; sororemque Cæsaris Octaviam u- „ xorem accepit Antonius. Unde bene scri- „ ptum reliquit Suetonius in Vita Augusti, bis „ ovantem ingressum Romam fuisse Cæsarem, „ post bellum Philippense, atque iterum post Si- „ culum; sed brevi postea fictam illam inter Cæ- „ sarem atque Antonium, & male refocillatam „ amicitiam, disruptam fuisse. Quare curavit „ Cæsar, ut in Antonii, tanquam mali civis, „ opprobrium aperiretur atque recitaretur te- „ stamentum ejus, quod ipse Romæ reliquerat, & „ in quo inter hæredes liberos ex Cleopatra quo- „ que nominaverat. Pacis vero eo, quo dixi, „ anno, inter Cæsarem & Antonium factæ testis „ hic nummus est; qui ab altera parte deæ Con- „ cordiæ habet caput, ab altera conjunctas dex- „ tras in concordiæ mutuæ signum, intermedio „ caduceo, pacis signo. Adduntur trium trium- „ virorum nomina, Cæsaris, Antonii, & Lepi- „ di. Nomen magistratus, qui signavit denarium, „ adscribitur; L. Mussidii Longi.

„ Signatus fuit eodem quoque anno alter de- „ narius M. Antonii, cum capite ejusdem deæ „ Concordiæ a parte priore, atque inscriptione „ IIIVIR R. P. C. ab altera parte similiter dex- „ træ sunt junctæ, tenentes caduceum, cum hac „ inscriptione *Marcus* ANTON*ius*. *Caius* CAE- „ SAR. Occasio signandi utriusque nummi fuit „ reconciliatio utriusque, atque ovantium simul „ in Urbem ingressus."

IV.

CAESAR DICT*ator* TERT*ium* PONT*ifex* MAX*imus*. Caput Cæsaris laureatum, post quod lituus est. Ab altera parte legitur *Lucius* MVSSIDIVS LONGVS, atque signantur temo navis,

vis, globus, cornucopiæ, caduceus, & albogalerus.

Hunc, & nummos quinque sequentes, vulgavit Goltzius in Cæsare pag. 15. Typos jam ante explicavimus.

V.

Caput Cæsaris laureatum sine inscriptione. Ab altera parte legitur *Lucius* MVSSIDIVS LONGVS, atque signantur temo navis, globus, cornucopiæ, caduceus, & albogalerus.

VI.

Caput Cæsaris laureatum, cum nota senatusconsulti. Ab altera parte legitur *Lucius* MVSSIDIVS LONGVS, atque signantur temo navis, globus, cornucopiæ, caduceus, & albogalerus.

VII.

Caius CAESAR DICTATOR. Caput Cæsaris laureatum, post illud lituus est. Ab altera parte legitur *Lucius* MVSSIDIVS LONGVS, atque signantur temo navis, globus, cornucopiæ, caduceus, & albogalerus.

VIII.

CAESAR DICT*ator* TERT*ium* PONT*ifex* MAX*imus*. Caput Cæsaris laureatum, addito lituo. Ab altera parte legitur *Lucius* MVSSIDIVS LONGVS, atque signantur temo navis, globus, cornucopiæ, caduceus, & albogalerus.

IX.

Caput Cæsaris laureatum cum nota senatusconsulti. Ab altera parte legitur *Lucius* MVSSIDIVS LONGVS, atque signantur temo navis, globus, cornucopiæ, caduceus, & albogalerus.

X.

DIVI IVLI. Caput Julii Cæsaris laureatum. Ab altera parte in area atque ambitu nummi legitur, *Lucius* MVSSIDIVS T*iti* F*ilius* IIIIVIR *Auro Argento Aeri* F*lando Feriundo.*

Hunc, & sequentem nummum, vulgatos invenias in Cæsare Goltzii pag. 12.

XI.

CAESAR DICT*ator* PERPETVO. Caput Cæsaris laureatum. Ab altera parte in area atque ambitu nummi legitur *Lucius* MVSSIDIVS T*iti Filius* IIIIVIR *Auro Argento Aeri* F*lando Feriundo.*

XII.

Lucius MVSSIDIVS LONGVS. Caput Veneris. Ab altera parte colonus est agens boves, & inscriptio, COL*onia* IVL*ia* BER*itus* EX S*enatus Consulto.*

Exstat hic nummus apud Goltzium in Cæsare p. 11. & coloniam sub illo deductam respicit.

XIII.

EX S*enatus Consulto*. Caput Veneris, post quod ejusdem deæ sidus est. A parte posteriori sunt duæ figuræ in ponte ferentes suffragium, ut supra num. I. Inscriptio vero hæc est, *Caius* CAESAR DICT*ator* PERP*etuus*. *Lucius* MVSSIDIVS T*iti Filius* LONGVS. CLOACIN*a*.

Typus nummi alibi explicatus est. Nummus ipse exstat apud Goltzium in Cæsare pag. 13.

XIV.

Marcus ANTONIVS IIIVIR R*ei* P*ublicæ Constituendæ*. Caput M. Antonii nudum. In parte nummi aversa cornucopiæ est, & inscriptio *Lucius* MVSSIDIVS LONGVS.

Typus hujus & sequentis nummi respectum habent ad Julii Cæsaris liberalitatem populo Romano exhibitam, de qua vide quæ diximus supra pag. 204. ad nummos Fam. Juliæ tab. prima, num. VII. & lit. N. qui Veneris caput a parte priore exhibent, & a posteriore similiter cornupiæ.

XV.

Marcus ANTONIVS IMP*erator* R*ei* P*ublicæ Constituendæ*. Caput M. Antonii nudum. Ab altera parte typus & inscriptio similis est præcedenti. Utrumque vulgavit Goltzius in Cæsare p. 37.

Scribitur in hoc nummo M. Antonius imperator Reipublicæ constituendæ, qui triumvir vocatur in præcedente nummo, in quo & barbatus occurrit, ut post cædem Cæsaris cuso. Hic vero ante cædem Cæsaris signatus est, in quo quare imperator reipublicæ constituendæ dicatur, vide supra pag. 205. ubi num. V. cum Cæsare dictatore conjungitur M. Antonius.

NAVTIA.

XVI.

Caput Romæ galeatum cum denarii nota. Ab altera parte est cerva stans, cum inscriptione *Caius* NAVTIVS RVT*ilus*.

Nummus fictus est, ut sunt omnes qui adpositam notam C. P. habent. Nautia gens fuit consularis, in qua plures Gaji prænomen habuerunt.

NONIA.

XVII.

SALVS. Caput Salutis laurea ornatum : ex aversa *Quintus* NONI*us* SEXT*i Filius* ASPRENAS. in imo TI*berius* CLAVD*ius* TI*berii Filius* NERO. Ara, supra quam serpens in gyros circumvolutus se erigit, a dextris est caduceus, & a sinistris spica.

Habuimus hunc nummum inter Goltzianos supra p. 539. in gente Claudia tab. decima tertia num. VI. Vulgavit illum Goltzius in Fastis p. 217. & 219.

XVIII.

CAESAR AVGVST*us* PONT*ifex* MAX*imus* TRIBVNIC*ia* POT*estate*. Caput Augusti, ex aversa parte SEX*tus* NONIVS QVINTILIAN*us* IIIVIR *Auro Argento Aeri Flando Feriundo*. circa ambitum. *Senatus Consulto* in area.

Cusum fuisse nummum a quodam ex gente Quintilia, qui in Noniam adoptione transierit, docet vetus nomen productum Quintilianus.

XIX.

Nummus hic, conjunctis ab utraque parte inscriptionibus, ita legi debet. NONIVS. TVLLVS. CESTIVS IIIVIR*i Auro Argento Aeri Flando Feriundo*. ab altera nummi parte incus, ab altera nota senatusconsulti est.

Tria distincta triumvirorum monetalium videntur esse nomina; nam Nonius Catulli cognomen videtur habere infra num. XXI. Nummus hic cum duobus sequentibus, editus est a Goltzio in Augusto p. 66.

XX.

ANNIVS. LAMIA. SILIVS. Lituus & capeduncula. Ab altera parte nota senatusconsulti est, & nomina triumvirorum monetalium NONIVS. TVLLVS. CESTIVS.

Praecedentis nummi pars aversa perperam in hoc nummo a monetariis fuit juncta parti priori nummi alterius anni triumvirorum monetalium.

XXI.

CESTIVS TVLLVS IIIVIR*i*. Incudis figura cum malleo. Ab altera parte nota senatusconsulti est, & inscriptio NONIVS CATVLLVS *Auro Argento Aeri Flando Feriundo.*

Videtur, ut dixi, Catullus cognomen fuisse Nonii. Notari vero debet malleus ut symbolum triumviratus monetalis. Unde forsan, ut idem symbolum, subjicitur puteali Libonis, in notissimo nummo Scriboniae gentis supra pag. 378. in Fam. Scribonia num. & IIII.

NORBANA.

XXII.

Caius NORBANVS CO*nSul.* Caput Apollinis, laurea ornatum: ex aversa parte, *Publius* RVTILIVS LVPVS AED*ilis* CVR*ulis* EX *Senatus Consulto.* Sella Curulis supra quam corona est inter duas spicas.

Existimat Vaillantius signatum hunc nummum fuisse a P. Rutilio Lupo aedili curuli eo anno quo C. Norbanus, Marianarum partium dux, consul fuit: & copiam annonae, quam procuraverit Rutilius, exprimi a parte altera, ab altera ludos Apollinares a consule A. V. C. DCLXX. celebratos.

Protulit hunc nummum Goltzius in Fastis p. 165. ad A. V. DCLXX. sed mihi, ut plures ejusdem farinae, ex cerebro Goltzii natus fuisse videtur.

XXIII.

FLACCVS PRO CO*nSule.* Caput Norbani Flacci: ex aversa parte *Caius* NORBAN*us Cai Filius* EX *Senatus Consulto.* Norbanus, sedens ante tropaeum, dextra lauri ramum gerit, & coronatur a Victoria pone eum stante.

Ad hujus nummi illustrationem haec inveniuntur apud Ericium p. 229. „ Signatus fuit hic „ nummus A. V. C. DCCXIX. quo C. Nor- „ banus Flaccus proconsule ex Hispania trium- „ phavit. Triumphi ejus testes sunt Marmora „ Capitolina, licet apud scriptores de illius tri- „ umpho & rebus gestis nihil legatur. Fuerat „ ante consul cum Appio Claudio. Triumphum „ vero Norbani confirmat hic denarius, in quo „ ab altera parte sedens ipse ante tropaeum exhi- „ betur Norbanus, laurum, triumphi testem, „ manu gerens; coronatur vero ab adstante Vi- „ ctoria. Caput illud a parte priore, praecal- „ vum & rasum, Norbani ipsius potius quam dei „ alicujus esse videtur. "

Ratione temporis hic Norbanus filius esse potuit Norbani, ducis Mariani, qui Rhodi in medio fore sese transfixerat. Nummum ipsum demus fidei Goltzianae in Fastis p. 196. ad A. V. C. DCCXIX.

TAB. XXVII.

OCTAVIA.

I.

Caput Romae galeatum, ante quod est ancora inversa, & pone ROMA. ex aversa parte CN*eus* OCTAVI*us* PRO PR*aetore.* Navis praetoria cum remis in laurea.

Vulgavit hunc Cn. Octavii denarium Goltzius in Fastis p. 133. ad A. V. C. DLXXXVI. quo Cn. Octavius Cn. F. C. N. propraetore de Macedonia & rege Perse navalem egit triumphum. Atque in eo conveniunt antiquarii; unde & Ericius p. 94. hanc hujus typi illustrationem dedit. „ Ro- „ mae, inquit, signatus est hic nummus, eodem, „ ut puto, tempore, atque eadem occasione, „ quibus L. Aemilii Paulli de Macedonia devi- „ cta cusi nummi sunt, eo scilicet tempore, quo „ Cneus Octavius, classi Romanae praefectus, vi- „ ctoriam nactus est de Perseo Macedoniae rege. „ Tunc enim Aemilius Paullus, congestis in na- „ vem spoliis regiis, Romam navigavit, nec lon- „ ge post secutus eundem est Octavius. Utri- „ que triumphus a senatu concessus est. Ductus „ ante triumphalem Paulli currum rex Perseus „ est, una cum filiis, Philippo & Alexandro. „ Per tres integros dies duravit triumphus, ut te- „ stantur Orosius, Florus, & Vellejus, auri at- „ que argenti pondus usque ad ducenta HS. mil- „ lia in aerarium relata fuisse addit Livius, id est „ nostrae monetae, quinque milliones auri. Plu- „ tarchus quoque adfirmat, tantum auri atque „ argenti ex praeda repositum fuisse in aerarium „ a Paullo, ut nullum amplius a civibus Romanis „ tributum exactum fuerit usque ad Hirtii & „ Pansae consulatum. Verum Cneus Octavius „ Kal. Decemb. triumphum suum navalem de „ rege Perseo egit, sed sine captivis & sine spo- „ liis. Inter alios de hoc triumpho mentionem „ fecit Plinius lib. XXXIV. *Invenio a Cn. O-* „ *ctavio, qui de Perseo Rege navalem triumphum* „ *egit, factam porticum duplicem, quae Corinthia sit* „ *adpellata a capitulis aereis columnarum.* Item Fe- „ stus lib. XIII. *Octaviae porticus duae adpellantur,* „ *quarum alteram theatro Marcelli propiorem O-* „ *ctavia soror Augusti fecit, alteram theatro Pom-* „ *peji proximam Cn. Octavius Cn. F. qui fuit aedilis* „ *curulis, praetor, consul,* X. VIR *sacris faciun-* „ *dis, triumphavitque de rege Perse navali trium-* „ *pho; quam combustam reficiendam curavit Caesar* „ *Augustus.* Quibus adstipulatur hic nummus, in „ quo navalis ille triumphus Cnei Octavii proprae- „ toris exprimitur per navem atque ancoram. "

II.

Caput Jani cum modio inter duo capita: ex aversa parte, CN*eus* OCTAVI*us* CN*ei Filius.* Navis, desuper ROMA.

Pertinet hic nummus, judice Goltzio, qui eum vulgavit in Fastis p. 163. ad A. V. C. DCLXVI. ad consulem ejus anni Cn. Octavium Cn. F. Cn. N. qui temporibus Cinnanis in magistratu occisus est. Antiquiorem facit Vaillantius, & refert

refert ad Cn. Octavium, qui quæstor fuit A. V. C. DXIII. primo anno post pacem finito bello Punico primo, ducto argumento ex pondere sextantario, quum sexto anno belli Punici secundi asses sextantarii unciales facti fuerint.

III.

Tutelares Genii Populi Romani. Capita Jovis Capitolini & Genii, ante quem cornucopiæ, jugata: ex aversa parte, CN*eus* OCTAV*Ius Marci Filius.* Fulmen per transversum in laurea.

De hoc denario ita scripsit Ericius p. 176. „ Nummus argenteus Cn. Octavii a parte priore „ habet capita duo barbata & jugata, ante quæ „ cornucopiæ cernitur; adest inscriptio GEN. „ P. R. id est *Genius Populi Romani*, post capi- „ ta litera T. cernitur. A parte nummi altera „ Jovis fulmen est, cum inscriptione CN*eus* „ OCTAV*Ius Marci Filius.* Cusus fuit hic num- „ mus Romæ A. V. C. DCLXXVII. consuli- „ bus Cn. Octavio & C. Scribonio Curione. „ Primum caput Jovis est, alterum, quod illi „ supponitur, Genii, cujus etiam caput cerni- „ tur in altero nummo argenteo, in quo ab alte- „ ra parte est caput barbatum & capillatum pe- „ ctore tenus, supra quod literæ hæ initiales cer- „ nuntur G. P. R. id est *Genius Populi Romani*, „ post idem caput sceptrum cernitur. Ab altera „ ejus nummi parte simile priori sceptrum est, „ imposita corona, adsunt præterea globus & „ temo navis, atque hæc inscriptio EX S. C. „ CN. LENT. Q. Symbola illa dominium or- „ bis designant. Ex hisce nummis patet, quo „ pacto soliti fuerint Romani depingere Genium." Hæc Ericius, qui non addit, qua occasione signatus ab Octavio hic typus fuerit, quam non incommode videtur indigitare Vaillantius p. 185. his verbis: „ Qua vero occasione Tutelares dei „ populi Romani in denario expressi sunt, si con- „ jicere liceat, propter prodigia, quæ Julius Ob- „ sequens scribit, anno quo quæstor fuit Cn. O- „ ctavius: ideo Romæ supplicationes factæ sunt, „ & Tutelares deos invocarunt; in cujus memo- „ riam Jupiter & Genius, qui populum tuere- „ tur, expressi sunt. Fulmen Jovis symbolum „ est, laurea, qua deus coronatur." Litera T. similiter *tutelarem* significat in nummo gentis Cæciliæ tab. tertia num. 1. ubi scribitur G. T. A. & intelligitur *Genius Tutelaris Africæ.* ne quis credat deum Triumphum cum Jove conjungi, nam, etsi litera solitaria T. illum deum nonnunquam significet, semper tamen is inberbis & longis capillis decoratus pingitur. Cn. Octavius hic, Marci filius, creditur fuisse is, qui cum L. Scribonio Curione consul fuit, & in quæstura hunc denarium signavit.

Editus est a Goltzio ad A. V. C. DCLXXVII. sive in Fastis p. 167.

O G V L N I A.

IV.

Caput Romæ galeatum, pone quod ROMA. Ex aversa parte, *Quintus* OGVLNI*us Lucii Filius* GAL*lus.* Castor & Pollux astris ornati decurrunt cum hastis.

Vetustatem hujus denarii arguit typi simplicitas, tanta autem non est, quanta illi adtribuitur ab antiquariis. Quum enim Goltzius eundem vulgasset in Fastis p. 88. ad A. V. C. CCCCLXXXXVI. quo dictator fuit Q. Ogulnius Gallus L. F. cum magistro equitum M. Lætorio, Vaillantius credidit signatum hunc nummum fuisse in ejusdem consulatu A. V. C. CCCCLXXXIV. quo anno, consulibus Q. Ogulnio Gallo & C. Fabio Pictore, primi argentei nummi apud Romanos signati fuisse creduntur. Verum, si consulum nomina in denariis tum signati fuerunt, negligi alterius nomen non debuit, qui æquali erat potestate, sed utriusque nomen poni. Quæstores itaque, vel triumviri monetales, passim in illis nummis nomina sua posuerunt. Unde patet non posse referri ad illum antiquum Q. Ogulnium, Fabii in consulatu collegam, qui quæstor fuerat diu ante signatum apud Romanos argentum, sed ad posteriora aliquantum tempora revocari debere.

Inter Ogulnios posteriores occurrit M. Ogulnius Gallus, tribunus plebis A. V. C. DXXXVII. & alter M. Ogulnus Gallus, tribunus item plebis A. V. C. DLXVII. qui & inter prætores jurisdictionem urbanam sortitus A. V. C. DLXXI. Alterius horum frater esse potuit hic Q. Ogulnius L. F. Gallus.

O P I M I A.

V.

Caput Romæ galeatum: ex aversa parte *Quintus* OPEIMIVS, in imo ROMA. Castor & Pollux astris insigniti, decurrunt cum equis & hastis.

Vulgavit hunc denarium Goltzius in Fastis p. 137. ad A. V. C. DLXXXXIX. quo consul cum L. Postumio Albino fuit Q. Opimius Q. F. Q. N. ad quem, utpote in quæstura ejusdem cusum, quoque retulit Vaillantius.

Ericius p. 99. simpliciter, ut passim, sequitur Goltzii annum, quo exhibetur apud eundem Opimii nummus. Verba ejus hæc sunt: „ Signatus „ fuit hic nummus A. V. C. DLXXXXIX. sub „ consulatu Q. Opimii. Equites in parte aversa „ Castorem & Pollucem designant, qui passim „ pileati & stellis ornati, ut sæpius est dictum, „ occurrunt. Ex Epitoma Livii XLVII. cre- „ dimus hunc Opimium consulem triumphasse de „ Liguribus. Leguntur enim ibi hæc verba: *Q. „ Opimius consul transalpinos Ligures, qui Massi- „ liensium oppida, Antipolim & Nicæam, vasta- „ bant, subegit.* Unde colligimus eundem de Li- „ guribus triumphasse, nam & multi de Liguri- „ bus triumphi ducti fuerunt, & verbum *subegit* „ triumphum subindicare videtur. Ligures certe „ tunc domiti deinceps quieverunt."

VI. *vacat.*

P A P I A.

VII.

Caput Herculis, pelle leonina tectum, barba insigne, cum clava supra humerum lævum. EX *Senatus Consulto.* Ex aversa parte elephas est & inscriptio *Lucius* APRONI*us* IMP*erator*, in vertice. *Marcus* MVTIL*us* PR*o* PR*ætore*, in imo.

Pluribus hujus nummi typum illustravimus supra in gente Apronia; vide quæ ibi adtulimus pag. 511.

Exstat hic denarius apud Goltzium in Fastis p. 229. ad A. V. C. DCCLXI.

PAPIRIA.

VIII.

Caput Junonis Sospitæ caprina pelle tectum, adscribitur, CAUDINUS. ex aversa parte est sella curulis, supra quam corona, *Lucius* LENTVLVS *Lucii Filius Caius* PAPIRI*us Cai Filius* MASO AED*iles* CVR*ules*.

Confer itidem quæ supra de hoc denario diximus in gente Cornelia pag. 540.

Vulgavit hunc denarium Goltzius in Fastis p. 100. ad A. V. C. DXXII.

IX.

Caput Romæ galeatum, pone quod vox ROMA: ex aversa parte, *Caius* PAPIRI*us* MASO. Mars in bigis, dextra hastam vibraturus, sinistra tenens clypeum.

Invenitur hic denarius apud Goltzium in Fastis p. 100. ad A. V. C. DXXII. quo C. Papirius C. F. L. N. Maso consul de Corsis primus in monte Albano triumphavit. Postquam idem adnotavit Ericius, addit p. 33. „ Præter Tabulas Capitolinas testes ejus triumphi quoque „ sunt Plinius, Valerius, & Festus. Verba Plinii libro XV. ita sese habent: *L. Piso tradit „ Papirium Masonem, qui primus in monte Albano „ triumphavit de Corsis, myrto coronatum ludos Circenses spectare solitum.* Valerius lib. III. ita scribit. *Papirius Maso, cum bene gesta republica triumphum a senatu non impetrasset, in Albano monte triumphandi & ipse initium fecit, & cæteris „ postea exemplum præbuit; proque aurea corona, cum „ alicui spectaculo interesset, myrtea usus est.* Myrteæ vero coronæ rationem hisce reddidit Festus: *Papirius myrtea corona usus est, quod Corsos in campis Myrteis superasset.* Exemplum Papirii alii mox secuti sunt; nam & Marcellus, „ victis Syracusanis, triumphavit in monte Albano. Erat is non procul ab Urbe.

„ Biga itaque triumphalis in denario testis est „ triumphi Papirii Masonis, figura vero armata „ insistens, Martis esse videtur."

X.

Marcus PERPERNA CO*n*S*ul*. Caput Herculis pectore tenus corona populea ornatum, in humero lævo clava est: ex averso latere *Caius* PAPIRI*us* CARBO. cum tripode & stella desuper, in corona ex lauro contexta.

Refertur hic denarius ad C. Carbonem C. F. qui post præturam provincialem gestam A. V. C. DCLXX. a Crasso accusatus, cantharidas sumsisse dicitur. Vaillantius existimat cusum in Hispania citeriore fuisse hunc denarium a C. Papirio Carbone, quæstore consulis Perpernæ A. V. C. DCLXII. In Hispania enim inprimis cultus Herculis vigebat, cujus celeberrimum Gadibus olim templum exstitit.

Invenitur denarius apud Goltzium in Fastis p. 149. ad A. V. C. DCXXXIII. quo scilicet pater hujus Carbonis consul fuit; unde patet eundem Goltzium credidisse denarium hunc spectare ad patrem non ad filium.

XI.

Caput Apollinis cincinnatis capillis, pone quod est litera N. Legitur ex aversa parte, CN*eus* CARBO *Cai Filius Marcus* SILAN*us Lucii Filius.* Duo Ædiles dextras extendunt, inter duos modios spicis plenos sedentes, in vertice EX S*enatus* C*onsulto*.

Vide quæ de hoc nummo diximus supra pag. 579. in Fam. Junia.

Producitur a Goltzio pag. 152. ad A. V. C. DCXL.

XII.

Caput Romæ galeatum, ante quod vox ROMA: ex averso latere CN*eus* CARBO, in imo EX S*enatus* C*onsulto*. Statua equestris, hastam tenet dextra, clypeum in læva.

Retulit hunc denarium Goltzius ad illum Cn. Papirium Carbonem, qui Marianarum partium dux primarius fuit, & consul creatus est per vim cum L. Cornelio Cinna III. A. V. C. DCLXVIII. quo retulit hunc denarium in Fastis p. 164. Statuam vero illam equestrem non male Vaillantius explicat de statua equestri C. Mario ex Senatusconsulto erecta, quam scilicet nummo suo inpressit Carbo, ut favorabilis esset apud exercitum Marianæ gloriæ commendatione. Ipse sæpius a Sulla acie fusus, tandem in Sicilia, ut notum est, a Cneo Pompejo occisus, periit.

PASSIENA.

XIII.

Caput Jani bifrontis barbatum & laureatum, cum cippo inter tempora, assis nota. Ab altera parte prora navis itidem cum cippo est, atque inscriptio *Lucius* PASSIEN*us* CRISPIN*us Quinti Filius* RVFVS.

Invenitur hujus nominis consul cum C. Calvisio Sabino A. V. C. DCCXLIX. unde ad hunc annum in Fastis p. 220. a Goltzio vulgatur hic nummus. Quem, ut semper, secutus Ericius p. 257. de ipso quidem nummo nihil habet, sed de Jano protrita multa dicit, quibus facile carere possumus.

At vero nequaquam illis temporibus talis nummus signari potuit, qui assis habet typum, & sextantarii videtur esse ponderis. Siquidem igitur vere talem nummum vidit Goltzius, cujus fuit ante tempora belli Punici secundi, licet Passieni nomen apud scriptores ejus temporis non inveniatur.

Vaillantius, qui diligenter collectos Goltzii nummos in opere suo disposuit, hunc quidem præteriit.

PEDIA.

XIV.

PR*o* CO*n*S*ule*. Caput Romæ galeatum: ex averso latere *Quintus* PEDI*us Marci Filius.* in imo ROMA. Victoria in bigis, dextra palmam, sinistra tenens habenas equorum.

Vulgatur hic denarius a Goltzio in Fastis pag. 182. ad A. V. C. DCCVIII. quo concessum a Julio Cæsare ex Hispania triumphum egit. Fuerat enim ibi contra Pompeji liberos ejusdem legatus. Ad hunc triumphum ejusdem Pedii hic denarius spectare videtur.

XV.

XV.

Quintus PEDIVS *Marci Filius.* CONCORDIA. Caput Concordiæ velatum: ex aversa parte est corona ex lauro, in qua legitur SALVS GENERIS HVMANI. EX *Senatus Consulto.*

Q. Pedii pater Marcus Pedius uxorem duxerat Octaviam, Cæsaris Octaviani matrem; per illam adfinitatem, inter hæredes quoque Julii Cæsaris scriptus, coaluit amicitia ejus cum Cæsare Juniore, unde is collegam eundem in consulatu adsumsit A. V. C. DCCX. ad quem in Fastis p. 184. hunc nummum vulgavit Goltzius.

Sebastianus Ericius, ad ejus explicationem p. 226. & 227. ita scripsit. „ Signatus est aureus „ hic nummus Romæ A. V. C. DCCX. post „ cædem C. Cæsaris, de qua fusius egerunt Suetonius, Dio, Appianus, Plutarchus, aliique. „ Breviter dixisse sufficiat, nimios & inusitatos „ honores in Cæsarem a senatu ingestos magnam „ illi apud cives invidiam excitasse. Quum enim „ sivisset diadema capiti suo inponi a collega consulatus Antonio, invidiam factum hoc illi fecit, quasi ad regnum adspiraret. Et quum in „ fatalibus libris scriptum diceretur, Parthos „ non nisi a rege vinci posse, de regio quoque „ nomine Cæsari conferendo agebatur. Facta „ in Cæsarem fuit conspiratio, cujus capita fuerunt M. Brutus & C. Cassius, nec non intimi „ Cæsaris Decimus Brutus & C. Trebonius. Cæso itaque idibus Martiis Cæsare in ipso senatu „ in Pompeji curia, Capitolium a percussoribus „ occupatum fuit. Quum vero hæres a Cæsare „ scriptus esset Cæsar Octavianus, post bella iterum civilia Romam exercitum idem duxit, „ quemque negabat ætas, consulatum vi patribus „ extorsit. Novus itaque viginti annorum consul collegam sibi in isto honore Q. Pedium adsumsit, ut Dio & Appianus testantur. Suetonii verba hæc sunt. *Cæsar consulatum vigesimo ætatis anno invasit, admotis hostiliter ad urbem legionibus, missisque qui sibi exercitus nomine deposcerent. cum quidem, cunctante Senatu, Cornelius centurio, princeps legationis, rejecto sagulo, ostendens gladii capulum, non dubitasset in curia dicere: hic faciet, si vos non feceritis.* Facta „ deinde coitio & nata concordia est inter Antonium & Cæsarem, quæ affinitate dein confirmata fuit; atque ita vigesimo ætatis anno consulatum invasit Cæsar, collega adsumto Q. Pedio. Pedius vero in moneta sua expressit a „ parte quidem altera Concordiæ deæ caput, „ propter mutuam inter Cæsarem & Antonium „ concordiam. Quæ quidem ratio est, cur in „ hoc nummo legatur inclusa coronæ civicæ hæc „ inscriptio SALVS GENERIS HVMANI. „ EX *Senatus Consulto.* quasi concordia illa inter „ viros Romanæ reipublicæ principes salus foret „ generis humani, quæ quoque salus per coronam civicam exprimitur, quoniam propter „ civem servatum donari in bello solebat.

„ Eandem ex concordia natam humano generi „ salutem pulcherrimus aureus itidem Augusti „ nummus demonstrat, cum hac inscriptione, „ *Caius* CAESAR DIVI *Filius* IMP*erator* CO*nSul* IIIVIR *Rei Publicæ Constituendæ.* A cujus „ parte altera sunt dextræ tres junctæ tenentes „ caduceum, adsuntque præterea ad latera fasces consulares, globus, & securis, cum inscriptione SALVS GENERIS HVMANI. Ternarius ibi manuum numerus triumviros, Lepidum, Antonium, & Cæsarem respicit, ex quorum mutua concordia salus humani generis „ nasceretur. Et caduceus quidem est symbolum pacis ex tali concordia orituræ, securis, „ summæ potestatis, globus terrarum dominium „ significat. Cæsari itaque Augusto adplauditur „ isto nummo, tanquam qui per concordiam illam orbi terrarum pacis & salutis exstaret auctor. Non dissimilis nummi Lepidi inveniuntur &c.” Et hæc quidem ex Ericio. Pedii vero mortem describit Appianus lib. IV. Bell. Civ. Inscio enim illo, cui curam Urbis demandaverat, cum Lepido & Antonio societatem inierat Cæsar Octavianus, & mox cædem bonorum & interitum reipublicæ spirans cum iisdem in Urbem venit; ex quorum adventu quum tumultus in urbe excitatus esset, Pedius consul, hac illac cursitans, bene sperare omnes jussit, & diem expectare, ut rem melius cognoscerent. Prima vero luce non expectans triumvirorum sententiam, proscripsit XVII quasi solos autores intestinorum malorum, solosque damnatos, aliis securitatem promisit, interposita fide publica, ignarus decreti triumviralis. Et is quidem, sequenti nocte, morbo ex nimia defatigatione contracto, extinctus est. Historia legi potest apud Appianum dicto libro IV.

PERPERNA.

XVI.

Caput Solis, sive Apollinis, radiatum: ex aversa parte, *Marcus* PERPERNA. Victoria in bigis, dextra tenens flagrum.

Goltzius in Fastis p. 145. ad A. V. C. DCXXI. hunc nummum protulit, atque adsignavit M. Perpernæ, ut qui isto anno de fugitivis ex Sicilia ovaverit. Sequitur eundem Ericius, qui p. 121. hunc nummum de eadem victoria Sicula explicat, scribens: „ Signatus hic nummus est Romæ „ A. V. C. DCXXI. quo M. Perperna prætor „ ovationem meruit de servis fugitivis in Sicilia, „ victis ibidem atque punitis. Quum etenim „ ut alibi dictum est, a prioribus ducibus finiri „ nequisset grave illud & periculosum bellum, „ debitis suppliciis a Perperna victore fugitivi isti „ adfecti sunt. Victi enim prælio sunt ab eo „ prætore, atque apud Ennam obsidione clausi „ fame atque peste sunt domiti, capti deinde, „ crucibus atque servilibus suppliciis adfecti sunt. „ Quum vero turpe foret de servis triumphare, „ ovatione contentus fuit. Triumphum quidem „ Perpernæ adscribit Valerius, verum videtur „ is intelligi debere de consule Perperna ex Asia, „ non prætore ex Sicilia. Perperna itaque bello „ servili per debita fugitivorum supplicia finito, „ ovans Urbem ingressus est. Victoriæ ejus testimonium servat hic nummus, Victoriam deam „ in bigis exhibens.” Hæc Ericius Goltzium secutus; verum a Floro deceptus fuit Goltzius, apud quem, sive librariorum seu descriptorum errore, sive ipsius potius Flori lib. III. cap. 19. perperam Pepernæ nomen pro P. Rutilii nomine ponitur, a quo consule iis temporibus servi in Sicilia subacti sunt. Credit itaque Vaillantius cusum hunc nummum fuisse a M. Perperna, filio M. Perpernæ tribuni plebis A. V. C. DLXXXI. in prætura urbana A. V. C. DCXVIII. atque Apollinares ludos ab eodem edi-

editos, expressos in hujus nummi typo fuisse, eodem scilicet Perperna, qui Aristonicum postea vicit. Verum, quoniam prætores non signabant pecuniam, videtur potius in Oriente signatus fuisse a quæstoribus Perpernæ contra Aristonicum bellum gerentis. Victoria enim in bigis vulgaris est typus absque victoriæ alicujus significatione, & caput Orientis locum, ubi signatus fuit denarius, exprimere videtur.

XVII.

Marcus PERPERNA CO*n*S*ul*. Caput Herculis pectore tenus, lævo humero gerentis clavam, corona populea ornatum: ex averso latere, *Caius* PAPIRI*us* CARBO. Tripus, cui supereminet stella, in corona ex lauro.

Vidimus hunc nummum supra in eadem hac tabula num. X. p. 604. in gente Papiria. Creditur vero signatus fuisse a Carbone, quæstore M. Perpernæ consulis in Hispania citeriore, qui typo hujus nummi indicare voluerit sacra Herculi Gadibus facta a consule votaque ibidem suscepta.

Hic est ille M. Perperna, præcedentis filius, qui, duobus annis demtis, ad centesimum pervenit annum, unde inter memorabilis senectutis exempla ponitur a Valerio Maximo lib. VIII. cap. XIII. ex. 4. *Jam de M. Perperna quid loquar? qui omnibus, quos in senatu consul rogaverat, superstes fuit: septem quoque tantummodo, quos censor collega L. Philippi legerat, e patribus conscriptis reliquos vidit: toto ordine amplissimo diuturnior.* Mortuum fuisse scribit Dio Cassius lib. XLI. anno quo Cæsar bellum civile movit; sive A. V. C. DCCIV.

Vulgavit hunc nummum Goltzius in Fastis p. 145. ad A. V. C. DCXXIII.

XVIII.

Caput Libertatis laureatum: ex averso latere, *Marcus* PERPERNA *Marci Filius*. Caduceus, globus, cornucopiæ & temo.

Vaillantius nummum hunc tribuit M. Perpernæ, qui Aristonicum in Asia vicit, Goltzius vero in Fastis p. 161. ad M. Perpernam filium, consulem A. V. C. DCLXI. ad quem antiquarii præcedentem nummum pertinere judicant. Et Vaillantius quidem judicat M. Perpernam Attalo, Pergami rege, mortuo, & victo Aristonico, aureum hunc nummum in Asia signasse, cum Libertatis Romanæ imagine, ut denotaret Attali ditionis populos esse liberos, per caduceum pacem, & per cornucopiæ abundantiam in imperio Romano & in mari esse, quorum sint symbola globus & temo.

At, quum hic typus in multis nummis inveniatur sub triumviris reipublicæ constituendæ cusis, mihi potius ad illa tempora referendus videtur, quibus aliquis ex gente Perperna facile superesse potuit.

PETILLIA.

XIX.

Caput Libertatis, EX *Senatus Consulto*. in aversa parte, *Quintus* PETILLI*us Cai Filius Quinti Nepos* SPVRINVS. Romanus togatus sedens, dextra hastam tenens, coronatur a Victoria pone eum stante.

Constat ex inscriptione hunc denarium esse referendum ad Q. Petillium C. F. Q. N. Spurinum, consulem A. V. C. DLXXVII. quo eundem vulgavit Goltzius in Fastis p. 129. eum, qui olim in tribunatu P. Scipioni Africano diem ad populum dixerat, quique in magistratu, contra Ligures incautius pugnans occisus est. Miram vero typi interpretationem dat Vaill. p. 220. dum ita scribit: „ Petillius postea præturam urbanam „ sortitus obtinuit an. 572/3. in qua quum nuntius „ esset allatus, L. Æmilium procos. a Liguribus „ in castris esse obsessum, jussus est a senatu, a„ pud Livium, duas legiones civium Romano„ rum tumultuarias scribere, & omnes minores „ 50. annis sacramento rogare. Quare denarium „ cudit ex senatusconsulto, in quo sedens in sel„ la curuli, prætorum insigni, hastam gerens, „ & a Victoriá coronatus, quasi jam de hostibus „ relata, exhibetur. Sed altero de Liguribus „ fusis ac cæsis per proconsulem nuntio, jussus „ est Petilius urbanas dimittere legiones." Nunquam Romani, præsertim reipublicæ tempore, tam stulti fuerunt, ut pæana ante victoriam canerent, in publica præsertim moneta, unde apud ipsos cives ridiculi fieri postea possent. Typus nummi nobilis est, & videtur exprimi honor consuli pro republica occisi post fata ex senatus decreto habitus. De morte consulis adversoque omine ita scripsit Valerius Maximus I. V. 9. *Adnotatu dignum illud quoque omen, sub quo Petillius consul in Liguria bellum gerens occidit. Nam cum montem, cui Leto cognomen erat, oppugnaret: interque adhortationem militum dixisset; Hodie ego Letum utique capiam: inconsideratius præliando, fortuitum jactum vocis leto suo confirmavit.* Operosius rem gestam describit Livius lib. XLI. cap. 18. *Petilius adversus Balistæ & Leti jugum, quod eos montes perpetuo dorso inter se jungit, castra habuit. Ibi adhortantem eum pro concione milites, immemorem ambiguitatis verbi, ominatum ferunt: se eo die Letum capturum esse. Duabus simul partibus subire in adversos montes cœpit. Ea pars, in qua ipse erat, impigre succedebat. Alteram hostes quum propulissent, ut restitueret rem inclinatam, consul equo advectus, suos quidem a fuga revocavit, ipse, dum incautius ante signa obversatur, missili trajectus cecidit. Nec hostes ducem occisum senserunt: & suorum pauci, qui viderant, haud negligenter, ut qui in eo victoriam verti scirent, corpus occultavere. Alia multitudo peditum equitumque, deturbatis hostibus, montes sine duce cepere. Ad quinque millia Ligurum occisa: ex Romano exercitu duo & quinquaginta ceciderunt.* Addit hisce Frontinus lib. Stratag. IV. cap. 1. ex. 46. decretum senatus, respectu disciplinæ militaris, propter male defensum consulem factum, scilicet decrevisse, *Uti ea legio, in cujus acie consul erat occisus, tota infrequens referretur, stipendium ei annuum non daretur, æraque rescinderentur.* Itaque, quum juga illa, cæso licet consule, auspiciis tamen ejus capta fuerint, & tam severe nudatum milite suo ad ictus hostium consulem vindicaverit senatus, ut decretum satis severum contra illam consulis legionem fecerit, alterum quoque decretum fecisse videtur, ut victoria hæc consulis, & inpensa pro republica vita, publico argento inscriberetur; hinc nota senatusconsulti in priore nummi parte, & in posteriori ipse consul togatus sedens, & tanquam vivus pro defensa patriæ libertate (cujus deæ caput in parte nummi priore est) a Victoria coronatus depingitur.

XX.

Lucius CORNELIVS LENTVLVS. Caput Apollinis sine laurea. Ab altera parte aquila

la testudinem unguibus tenet, subtus legitur *Caius* PETILLIUS.

Fictum hunc esse nummum docet adposita nota C. P.

XXI.

ROMA. Caput Romæ galeatum, post quod lunæ crescentis nota est. Ab altera parte legitur *Lucius* PETILIUS. & depingitur cervus stans atque caput inclinans ad canistrum frugibus plenum, quod ante pedes ejus visitur.

Nota C. P. & hunc nummum, & omnes similes ejusdem farinæ esse docet, neque curam nostram mereri.

PLAUTIA.

XXII.

Caput Junonis Sospitæ pelle caprina amictum: ex aversa parte *Marcus* PLAUTI*us Lucii Filius* HYPSAEUS AED*ilis* CUR*ulis*. Sella curulis, supra quam corona est, hinc & inde spica.

Signatum fuisse hunc nummum opinatur Vaillantius a M. Hypsæo ædili curuli A. V. C. DCXXI. Pervenit is Hypsæus postea ad consulatum cum M. Fulvio Flacco A. V. C. DCXXVIII. ad quem annum vulgatur a Goltzio in Fastis p. 147. Ericius autem a consule cusum existimat p. 128. in memoriam scilicet ædilitatis quam gesserat. Atque illa occasione de ædilibus multa vulgo nota profert, indigna quæ hic legantur. Mihi inter suspectos referri debere videtur.

XXIII.

SILVANUS PRO PR*ætore*. Caput Romæ galeatum: ex aversa parte, *Marcus* PLAUT*ius Marci Filius*. in vertice XXXVII. EX *Senatus Consulto*. Colonus agit boves.

Existimo hunc denarium pertinere ad M. Plautium, qui in tribunatu plebis A. V. C. DCLXIV. multas bonas leges atque concordiæ mutuæ utiles tulisse legitur. De ejus quidem honoribus post tribunatum plebis apud scriptores non legitur. Nummus tamen docere videtur proprætore alicubi ex senatusconsulto procurasse ut colonia deduceretur. Typus nummi id videtur indicare, in quo numerus ille XXXVII. nota matricis est, neque aliud quid curiosius investigandum relinquit. Vaillantius Aulum Plautium legatum bello Marsico, qui Brutios deficientes vicisse illi dicitur ex Epitome Liviana, cum M. Plautio permutat, nec placent, quæ deinceps scribit p. 248. & 249. Goltzius nimis intempestive revocat ad ejus nominis consulem, collegam Augusti XIII. ejus consulatu A. V. C. DCCLI. ut cerni potest in Fastis ejusdem Goltzii p. 221. Non enim tunc ejusmodi generis typi cum capite Romæ signari solebant.

POBLICIA.

XXIV.

Caput Genii populi Romani capillis cincinnatis: ex averso latere, *Marcus* POBLICIUS MALLEOLUS. Ovis, sive aries.

Pighius in Annalibus tom. II. p. 72. & 73. hunc denarium refert ad M. Poblicium Malleolum, qui, ædilis plebis factus A. V. C. DXIII. una cum fratre Lucio, plurimos locupletes qui agrum populi Romani publicum occupaverant, utque suum usurpaverant, reos ad populum pertraxit, & peculatus damnavit. Ex qua pecunia multatitia ædes Floræ & clivus Publicius ædificata sunt, uti pluribus ibidem adstruit Pighius, quem nominare saltem debuerat (quod passim negligit) Vaillantius, dum labores ejusdem depeculatur. Hinc Genium populi Romani, ut vindicem, in nummo exprimi censet Pighius, arietem vero, vel ovem, ratione agri publici vindicati. Nolim ego credere cum Vaillantio cusum ab ædili Poblicio in ædilitate hunc nummum, sed potius hanc ejus ædilitatem, ut plebi gratam, a filio vel nepote quæstore aut triumviro monetali, celebratam fuisse.

Goltzius vulgavit hunc nummum in Fastis p. 99. occasione consulatus M. Poblicii, pervenit enim post ædilitatem ad summum illum honorem A. V. C. DXXI.

TAB. XXVIII.

PINARIA.

I.

Marcus ANTONIUS IMP*erator* CO*n*S*ul* DESIG*natus* ITER*um* ET TERT*ium* IIIVIR *Rei Publicæ Constituendæ*. Capita jugata M. Antonii & Cleopatræ. Ab altera nummi parte triremis est, cum inscriptione *Lucius* PINAR*ius* SCARPUS IMP*erator* *Argento Flando*.

Nota C. P. fictum a falsariis nummum esse ostendit.

POMPEIA.

II.

Quintus POMPEIUS *Auli Filius*. Caput Herculis pelle leonina amictum; ex aversa parte pharetra, arcus, & clava inversa cernuntur.

Pompejis nomen & originem dedit Campaniæ urbs Pompeji dicta; ferebatur illa condita olim ab Hercule ex Hispania reverso. Inde credunt antiquarii dei istius vultum & arma depingi in hoc nummo Quinti Pompeji Auli filii, quem nulla majorum commendatione sua virtute & prudentia ad amplissimos honores, consulatum quoque & censuram, pervenisse scribunt veteres.

Potuit itaque hic nummus signari in quæstura ejusdem vel triumviratu monetali. Goltzius hunc quidem in Fastis p. 142. protulit A. V. C. DCXII. consulatus ejus occasione, sicuti sequentem in censura ejusdem ad A. V. C. DCXXIII. in Fastis p. 145.

III.

Caput Jovis Capitolini in laurea: ex averso latere *Quintus* POMPEI*us*. Templum sex columnarum, ad latera EX *Senatus Consulto*.

Malim credere, eo anno, quo quæsturam urbanam gessit Q. Pompejus ex senatusconsulto cusam fuisse pecuniam ad aliquem Capitolii orna-

tum ejusve refectionem, quam ut censeam cum Vaillantio Q. Pompejum, ædilem plebis A. V. C. DCVI. signasse hunc denarium, quod scilicet ludos magnos, qui Jovi Capitolino dicati erant, sortitus, eos ex senatusconsulto celebraverit.

IV.

STRABO. Caput velatum Pietatis: ex aversa parte, CN*eus* POMPEIVS SEX*ti Filius* CN*ei Nepos*. Tripus, supra quem duæ aves.

Propter tripodem & corvos, Apollini sacros, illi insidentes existimat Vaillantius cusum fuisse hunc denarium a Cn. Pompejo Strabone in prætura sua urbana, & typum ejus ludos Apollinares respicere. Sed quum prætores jus monetæ signandæ non habuerint, videtur potius extra Romam signatus fuisse nummus a Pompejo Strabone, sive eo tempore, quo quæstor fuit in Sardinia prætoris T. Albucii, quem reversus in Urbem repetundarum accusare voluit, & fecisset, nisi prohibuisset rem mali exempli senatus, qui noluit illam, quæ necessario esse debebat, necessitudinem inter prætorem atque quæstorem violari; sive ab eo signatus fuisse in Sicilia, quum eam proprætore regeret. Ibi certe Apollinis cultum viguisse nummi Siculi ostendunt.

Editus est hic nummus Cnei Pompeji Strabonis, qui Magni pater fuit, & fulmine postea periit, a Goltzio in Fastis p. 162. ad A. V. C. DCLXIV.

V.

STRABO. Caput Romæ galeatum: ex averso latere, CN*eus* POMPEI*us*. in imo ROMA. Victoria in bigis, dextra coronam prætendens.

Vulgavit & hunc denarium in Fastis pag. 162. Goltzius & ad eundem annum, quo scilicet, ut Marmora Capitolina testantur, de Asculanis & Picentibus triumphavit Cn. Pompejus Strabo. Et huic & præcedenti denario curam suam inpendit Ericius apud quem p. 163. illa leguntur: „Signatus fuit hic denarius Romæ A. V. C. DCLXIV. consulibus Cn. Pompejo Strabone & L. Porcio Catone, eo tempore, uti existimo, quo triumphavit Pompejus victis Picentibus & Asculanis. Quum enim a quatuor consulibus per vices bellum illud gestum fuerit, solus tamen Pompejus de iis triumphasse legitur. Bellum istud Pompejique victoriam inter cæteros commemorat Orosius, *Pompejus Cos. diu obsedit Asculum, neque tamen expugnavisset, nisi populum in campum prorumpentem vicisset, decem & octo millia Marsorum in ea pugna cæsa sunt, capta tria millia. Asculum ingressus, præfectos, & centuriones, cunctosque principes eorum virgis cecidit, securique percussit, servos, prædamque omnem sub hasta vendidit; reliquos liberos quidem, sed nudos & egentes abire præcepit; ac nihil tamen in ærarium ille contulit.* Triumphi vero ejusdem testes sunt Marmora Capitolina & Asconius Pedianus.

„Invenitur & alius nummus argenteus ejusdem Pompeji Strabonis, cum capite velato deæ Vestæ, atque inscriptione STRABO. Ab altera parte tripus est Apollinis Pythii, & hæc inscriptio, CN*eus* POMPEIVS SEX*ti Filius* CN*ei Nepos*.

„Invenitur & collegæ ejus in isto bello, L. Porcii Catonis nummus, qui ab altera parte habet radiis coronatum solis caput, & ab altera lunam crescentem cum quinque stellis, atque inscriptionem L*ucius* CATO M*arci Filius*. Is L. Porcius Cato consul, pugnans contra Marsos, quos prælio fuderat, victor cecidit."

VI.

Caput Romæ galeatum, pone quod ROMA. ex aversa parte, CN*eus* MAG*nus* IMP*erator*. Pompejus M. in quadrigis triumphalibus, a Victoria, pone eum stante, coronatur.

Ad insignem hunc & triumphalem Pompeji M. nummum hæc inveniuntur in Sebastiani Ericii Commentariis p. 199. „Signatus fuit Romæ hic denarius A. V. C. DCLXXXXII. consulibus M. Pupio Pisone & M. Valerio Messalla Nigro, quo Cn. Pompejus Magnus proconsule tertium triumphavit ex Asia, Ponto, Creta, Cilicia, Paphlagonia, Cappadocia, Syria, Judea, Albania, Iberia, Armenia, de piratis præterea atque regibus Mithridate & Tigrane, per biduum traducta triumphi pompa. Ille enim annus fuit, quo colophonem rebus suis contra populi Romani hostes inposuit Pompejus, quoque de iis omnibus triumphavit; triumphum illum per duos dies durasse scribunt historici. Iidem summopere in Pompejo laudant, quod reducto ex provinciis maximo exercitu, atque Brundusium advecto, dimiserit universum, unoque contentus fuerit triumpho, quum tantas res gessisset; neque ex victis gentibus novos sibi titulos quæsiverit Magni nomine contentum. Triumphus itaque ejus, si vere loqui velimus, de universo orbe terrarum fuit, quem quum singulatim provincias populosque enumerans, luculenter admodum describat Plinius, verba ejus sumus addituri. Exstant lib. VII. Hist. Nat. cap. 26. *Verum ad decus Imperii Romani non solum ad viri unius pertinet victoriam, Pompeji Magni titulos omnes, triumphosque hoc in loco nuncupari, æquato non modo Alexandri Magni rerum fulgore, sed etiam Herculis prope, ac Liberi patris. Igitur Sicilia recuperata, unde primum Syllanus in Reipub. caussa exoriens auspicatus est. Africa vero tota subacta, & in deditionem redacta, Magnique nomine spolio inde capto, eques Romanus (id quod antea nemo) curru triumphali revectus est, & statim ad Solis occasum transgressus, excitatis in Pyrenæo tropæis, oppida* DCCCLXXXVI. *ab Alpibus ad fines Hispaniæ ulterioris in deditionem redacta victoriæ suæ adscripsit, & majore animo Sertorium tacuit, belloque civili (quod omnia externa conciebat) exstincto, iterum triumphales currus eques Romanus induxit, toties Imperator, antequam miles. Postea ad tota maria, & deinde Solis ortus missus, hos retulit patriæ titulos, more sacris certaminibus vincentium. Neque enim ipsi coronantur, sed patrias suas coronant. Hos ergo honores urbi tribuit in delubro Minervæ, quod ex manubiis dicabat Cn. Pompejus Magnus Imperator bello* XXX. *annorum confecto, fusis, fugatis, occisis, in deditionem acceptis hominum vicies semel centenis* LXXXIII. *M. depressis aut captis navibus* D. CCCXLVI. *oppidis, castellis* M. D. XXXVIII. *in fidem receptis: terris a Mæotis lacu ad rubrum mare subactis, votum merito Minervæ. Hoc est breviarium ejus ab oriente. Triumphi vero, quem duxit ad tertium Calendas Octobris M. Messalla M. Pisone Consulibus, præfatio hæc fuit: Cum oram maritimam a prædonibus liberasset, & imperium maris populo Romano restituisset, ex Asia, Ponto, Armenia, Paphlagonia, Cappadocia, Cilicia, Syria, Scythis, Judæis, Albanis, Iberia, insula Creta, Basternis, & super hæc de*

„ re-

„ *regibus Mithridate atque Tigrane triumphavit.* „ *Summa summarum in illo gloria fuit (ut ipse in concione dexit, cum de rebus suis dissereret) Asiam* „ *ultimam provinciarum accepisse, eandemque mediam patriæ reddidisse.* Meminit & ejusdem „ triumphi idem Plinius lib. XXXVII. In Epitoma vero Livii CIII. ita scriptum invenitur: „ *Cn. Pompejus de Iberis, Mithridate, Tigrane, &* „ *Tigranis filio triumphavit, Magnusque a tota concione consalutatus est.* Consentit iisdem Valerius „ Maximus lib. V. *Pompejus de Mithridate, &* „ *Tigrane, præterea regibus, & gentibus, plurimisque* „ *civitatibus, & prædonibus unum duxit triumphum.* „ Unde vere dixit Cicero pro Cornelio: *Pompejus tot habet triumphos, quot sunt oræ, partesque* „ *terrarum.*

„ De ætate Pompeji Magni dissentiunt scri- „ ptores; alii enim illum tunc annos habuisse „ XXXIII. ajunt, alii XL. quidam XLV. Il- „ lustris vero ejus triumphi insignem testem ha- „ bemus hunc ipsum nummum, in quo ab altera „ parte ipse victor Pompejus, quadrigis insistens „ triumphalibus, & sceptrum dextra tenens ab „ adstante Victoria coronatur." Hæc Ericius, & certe illustriorem triumphum vix unquam Roma vidit; nam, quem per plures dies Cæsar postea duxit, civili sanguine inquinatus fuit. Marmora Capitolina titulos triumphi hodieque servant. Sunt vero hi,

CN. POMPEIVS CN. F. SEX. N.
MAGNVS III. PROCOS. A. DCXCII / DCXCIII. *Varr.*
EX ASIA. PONTO. CRETA. CILICIA.
PHLAGONIA. CAPPADOCIA.
SYRIA. IBEREIS. IVDAEIS. ALBANEIS.
PIRATEIS.
ET REGIBVVS. MITHRIDATE. ET
TIGRANE III. ET. PRID. OCTOB.

Nummum ipsum debemus Goltzio in Fastis pag. 173.

VII.

CN*eus* POMPEIVS *Quinti Filius.* Caput Junonis Sospitæ pelle caprina amictum. *Quinti Nepos* RVFVS. Serpens in gyros erectus, in corona.

In Fastis p. 200. hunc denarium protulit Goltzius ad A. V. C. DCCXXII. quo consul suffectus legitur fuisse Cn. Pompejus Q. F. Q. N. Rufus. Is itaque ex filio Quinto, tribuno plebis, potuit (ut quoque credidit Vaillantius) nepos esse Pompeji Rufi, Cornelii Sullæ in consulatu collegæ. Cur is Junonem Lanuvinam & serpentem ejus sacrum in denario suo expresserit, ratio obscura est. Potuit tamen, ut T. Annio Miloni, sic & Pompejo Rufo quoddam anniversarium Lanuvii fuisse sacrificium, vel aliud quid quod Rufi familiam cum Lanuvio conjunxerit. Neque enim tempore suffecti consulatus a Pompejo Rufo cusus fuisse nummus videtur, sed antea in aliquo magistratu minore.

VIII.

AVGVSTVS. Caput Augusti: ex averso latere, SEX*to* POMPEIO *Lucio* COR*nelio* MES*sinio Tito* CEL*so* vel CEL*ere* II VIR*is.* Bos.

Vulgavit hunc nummum Goltzius in Fastis p. 233. & Sextum Pompejum quidem credidit esse illum, qui consulatum gessit cum Sexto Apulejo, A. V. C. DCCLXVI. quo ex vivis excessit Augustus.

IX. *vacat.*

X.

MATHO. Caput Romæ galeatum: ex aversa parte, MAN*ius* POMPO*nius* MAN*ii Filius.* Consul in quadrigis triumphalibus, dextra tenens lauream, sinistra habenas. Victoria, per aëra volitans, illi porrigit coronam.

Invenitur hic nummus apud Goltzium in Fastis p. 99. ad A. V. C. DXX. quo consulatum gessit atque triumphum meruit Pomponius Matho. De hoc nummo ita scripsit Ericius p. 32. „ Signa- „ tus fuit Romæ, A. V. C. DXX. consulibus „ Manio Pomponio Mathone & Quinto Fabio „ Maximo, cui Mathoni bellum contra Sardos „ evenit. Sed ut bellum gereret investigandi fue- „ runt hostes, qui silvis, rupibus, & speluncis se- „ se abdiderant, unde scribit Zonaras canes „ odorisequos ex Urbe accitos fuisse, atque ita, „ tanquam ferarum, detectis hostium cubilibus, „ multos eorum inventos atque occisos fuisse. „ Huc spectat illud ex Epitoma XX. *Sardi &* „ *Corsi, quum rebellassent, subacti sunt.* Confirmat „ id evidenter denarii hujus typus, in quo qua- „ drigæ sunt triumphales, quibus insistit ipse „ consul, altera manu triumphalem tenens lau- „ rum, advolante, qui triumphantem coronat, „ Victoria."

XI.

IMP*erator* CAESAR DIVI F*ilius* AVGVSTVS CO*n*S*ul* XII. *Pater Patriæ.* Caput Cæsaris Augusti laureatum. Ab altera parte bos est, coloniæ symbolum, atque hæc leguntur nomina, *Lucius* POMPON*ius Quintus* HATERI*us Caius* CAESIN*us* IIVIR*i.*

Dixi plus semel, omnes hos nummos mihi valde suspectos esse, neque inter tot millia, quos manibus tractaverim, ullum invenisse, qui cum duumviri titulo tria diversa adscripta habeat nomina.

Goltzius nummum hunc vulgavit in Fastis p. 219. ad A. V. C. DCCXLVIII. quo duodecimum consulatum ex parte anni gessit Augustus.

PONTINIA.

XII.

PROPR*ætore.* ROMA. *Senatus Consulto.* Caput Romæ galeatum, ex aversa parte, *Caius* PONTINI*us Auli Filius.* Tropæum, ad cujus imum femina mœsta sedet, juxta quam rex stans manibus post terga revinctis, & Proprætore paludatus, dextra hastam.

Pulcherrimum hunc nummum, in Fastis pag. 176. a Goltzio vulgatum, hisce illustravit Ericius p. 203. „ Signatus fuit Romæ hic denarius, „ consulibus L. Domitio Ahenobarbo & Appio „ Claudio Pulchro, A. V. C. DCLXXXXIX. „ quo C. Pontinius proprætore ex Gallia de Al- „ lobrogibus triumphavit. Præturam enim, jux- „ ta Sallustium, cum Q. Metello Celere gessit „ Pontinius; atque post præturam adeptus est „ provinciam Galliam ulteriorem, sicuti Metellus „ citeriorem, ubi per duos annos remansit; quod „ patet

„ patet ex Dione, qui res ejusdem ibi gestas com-
„ memorat. Unde Cicero quoque, in Oratione
„ De provinciis consularibus, refert illum bellum
„ gessisse Allobrogicum ex Catilinaria conjuratio-
„ ne conflatum, hisce verbis: *C. Pontinius, fortissi-*
„ *mus vir, ortum repente bellum Allobrogum, at-*
„ *que scelerata conjuratione Catilinæ excitatum præ-*
„ *liis fregit, eosque domuit, qui lacessiverunt; &*
„ *ea victoria contentus, republica metu liberata, quie-*
„ *vit.* In epitoma item Livii CIII. ita scriptum
„ reperitur, *C. Pontinius prætor Allobroges, qui*
„ *rebellaverant, ad Solonem domuit.* Dio Cassius
„ autem, qui bellum illud accuratius persequitur,
„ triumphi ejus insuper mentionem facit. Verba
„ Dionis hæc sunt: *Eodem anno triumphavit de*
„ *Gallis C. Pontinius, qui ad id usque tempus ne-*
„ *mine triumphum permittente extra pomœrium*
„ *manserat. Neque vero tum impetrasset, nisi Ser-*
„ *vilius Galba Prætor, qui sub eo stipendia fece-*
„ *rat, clam ante lucem quosdam in suffragium mi-*
„ *sisset, cum tamen ante primam horam nihil agi*
„ *cum populo posset. Propterea Tribuni quidam,*
„ *qui non adfuerant, ei triumphanti negotium, ita*
„ *ut quidam etiam vulnerarentur, præbuerunt.*
„ Pluribus quoque locis in Epistolis suis Cicero
„ triumphi ejusdem meminit, atque molestia-
„ rum, quas illi in eodem adipiscendo creaverunt
„ tribuni præ cæteris plebis. Post Pompejum vero
„ ultimus in libera republica triumphasse vide-
„ tur hic Pontinius. In Fragmentis Capitolinis
„ enim sequitur mox Pompeji triumphum, trium-
„ phique ipsius annum numerus DCLXXXXIX.
„ ut proximi triumphi annus, qui ad hunc Pon-
„ tinium spectat. Nomen vero C. Pontinii,
„ quod ibi deest, hic supplet denarius, in cujus
„ altera parte tropæum, victoriæ ejus signum,
„ exstat, ad cujus imum Gallia provincia expri-
„ mitur, atque captivi Allobrogis figura stans
„ ex adverso, ut & ab altera tropæi parte dux
„ ipse Pontinius armatus."

Hæc Ericius, quem vero ille captivum Allobrogem interpretatur, Vaillantius de Rege Allobrogum Cotugnato explicat, quem quidem narrat Dio, capto universo ejus exercitu, effugisse, sed qui tamen postea capi potuerit.

POPILLIA.

XIII.

ROMA. Caput Herculis cum pelle leonina in collum defluente, & clava supra humerum lævum: ex aversa parte, *Marcus* POPILL*Ius* LAENAS. Hercules pelle leonis supra dorsum, dextra sagittam e pharetra dorso appensa depromens, sinistra arcum tensum tenet.

Denarium hunc in Fastis p. 130. a Goltzio relatum, hisce illustravit Ericius p. 89. „ Signa-
„ tus fuit hic nummus A. V. C. DLXXX. con-
„ sule M. Popilio Lænate, Herculem vero, id
„ est caput ejus & ipsius dei effigiem armatam
„ ab altera parte, nullam aliam ob caussam de-
„ pinxisse in nummo videtur Popillius, nisi ex
„ peculiari religione, quod in pluribus aliis hu-
„ jus generis nummis observare est. Popillius hic
„ collega L. Postumii Albini in consulatu fuit.
„ Iis consulibus instituti fuerunt ludi Florales, ut
„ notat Ovidius libro V. Fast. his versibus,
„ *Annuimus votis, consul cum consule ludos*
„ *Postumio Lænas persoluere mihi.*
„ Ex hisce Postumius prætor fuerat A. V. C.
„ DLXXIII. & Popillius A. V. C. DLXXVII.
„ Uterque consulum ex provincia, quam sorti-
„ tus est, victoriam retulit, & de Popillio qui-
„ dem digna sunt auditi, quæ scribit Livius.
„ Verba ejus exstant libro XLII. cap. 7. & 8. *Et in*
„ *Liguribus in agro Statellari pugnatum ad oppidum*
„ *Carystum. Eo se magnus exercitus Ligurum con-*
„ *tulerat. Primo sub adventum M. Popillii con-*
„ *sulis mœnibus sese continebant: deinde, postquam*
„ *oppidum oppugnaturum Romanum cernebant, pro-*
„ *gressi ante portas, aciem struxerunt: nec consul,*
„ *(ut qui id ipsum oppugnatione comminanda quæsis-*
„ *set) moram certamini fecit. Pugnatum est am-*
„ *plius tres horas, ita ut neutro inclinaret spes.*
„ *Quod ubi consul vidit, nulla parte moveri Ligu-*
„ *rum signa; imperat equitibus ut equos conscendant,*
„ *ac tribus simul partibus in hostes quanto maxi-*
„ *me possent tumultu incurrant. Pars magna equi-*
„ *tum, mediam trajecit aciem, & ad terga pugnan-*
„ *tium pervasit. Inde terror injectus Liguribus, di-*
„ *versi in omnes partes fugerunt. perpauci retro in*
„ *oppidum, quia inde se maxime objecerat eques.*
„ *& pugna tam pervicax multos absumpserat Li-*
„ *gurum, & in fuga passim cæsi sunt. Decem mil-*
„ *lia hominum cæsa traduntur: amplius septingen-*
„ *ti passim capti: signa militaria relata octoginta*
„ *duo. Nec incruenta victoria fuit. amplius tria*
„ *millia militum amissa; quum cedentibus neutris ex*
„ *parte utraque primores caderent. Post hanc pu-*
„ *gnam ex diversa fuga in unum collecti Ligures,*
„ *quum majorem multo partem civium amissam quam*
„ *superesse cernerent (nec enim plus decem millia*
„ *hominum erant) dediderunt sese, nihil quidem illi*
„ *pacti. speraverant tamen non atrocius quam su-*
„ *periores imperatores, consulem in se sæviturum.*
„ *At ille arma omnibus ademit, oppidum diruit,*
„ *ipsos bonaque eorum vendidit: literasque senatui*
„ *de rebus a se gestis misit. Quas quum A. Atti-*
„ *lius prætor in curia recitasset (nam consul alter*
„ *Postumius agris recognoscendis in Campania occu-*
„ *patus aberat) atrox res visa senatui: Statellates,*
„ *quæ uni ex Ligurum gente non tulissent arma ad-*
„ *versus Romanos, tum quoque oppugnatos, non ul-*
„ *tro inferentes bellum, deditos in fidem populi Ro-*
„ *mani, omni ultimæ crudelitatis exemplo laceratos*
„ *ac deletos esse: tot millia capitum innoxiorum, fi-*
„ *dem implorantia populi Romani, ne quis unquam*
„ *se postea dedere auderet, pessimo exemplo venisse:*
„ *& distractos, passim, justis quondam hostibus po-*
„ *puli Romani pacatis servire. Quas ob res Sena-*
„ *tusconsultum factum est, Placere senatui, M.*
„ *Popillium consulem Ligures, pretio emptoribus red-*
„ *dito, ipsos restituere in libertatem: bonaque ut iis,*
„ *quicquid ejus recuperari possit, reddantur curare.*
„ *Arma primo quoque tempore fieri in ea gente. con-*
„ *sulem de provincia decedere, quum deditos*
„ *in sedem suam Ligures restituisset. Claram vi-*
„ *ctoriam vincendo oppugnantes, non sæviendo in*
„ *afflictos fieri. Consul qua ferocia animi usus erat*
„ *in Liguribus, eandem ad non parendum senatui*
„ *habuit. Legionibus extemplo Pisas in hibernacula*
„ *missis, iratus Patribus, infestus prætori, Romam*
„ *rediit:* Et hanc quidem victoriam Popillii,
„ ipsius Livii verbis referri placuit, nam in num-
„ mo nulla victoriæ ejus mentio occurrit."

Hæc Ericius. At Vaillantius suspicatur cusum fuisse hunc nummum A. V. C. DLXXXVI. quum consularis ille M. Popillius privatus Q. Marcium Philippum consulem in Macedoniam contra regem Philippum secutus, Heracleam urbem cepit. Et vel tunc, vel postea ab eodem censore A. V. C. DLXXXXIV. cusum fuisse.

Sed,

Sed, quod ad priorem conjecturam adtinet, non animadvertit adscriptam vocem Romam docere, non in castris, sed in urbe signatum esse nummum; quod ad posteriorem de censore Popilio, quantumvis adfirmet Vaillantius jus cudendæ monetæ penes censores fuisse, credulum me nequaquam habiturus est. Hæc autem Heracleæ expugnatio a filio Popillii, & quidem in quæstura ejus urbana vel triumviratu monetali, potius in honorem patris signata fuisse videtur.

XIV.

LAENAS CO*n*S*ul*. Caput Concordiæ: ex averso latere, *Caius* POPILL*ius* P*ublii* F*ilius* N*epos*. Pegasus alatus, pedibus posterioribus terræ adfixis, prioribus in aërem elatis.

Videtur hic nummus cusus fuisse Vaill. ad concordiam cum fratre Marco designandam, a Cajo consule quum loco prætoris ludos Apollinares ederet, quorum scilicet pegasus sit symbolum. Mihi, siquidem genuinus sit, & revera unquam exstiterit, extra Romam, & in aliqua Græciæ urbe cusus esse videtur.

Hic est ille C. Popillius Lænas, qui consularis & princeps legationis, ad Antiochum Syriæ regem profectus, aspero mandato, inclusum regem circulo, quem virga fecerat, deponere arma jussit, & Alexandriæ urbis obsidionem solvere. Quod accidit A. V. C. DCLXXXV.

Vulgavit hunc nummum Goltzius in Fastis p. 131. ad primum C. Popillii consulatum A. V. C. DLXXXI.

XV.

LAENAS. Caput Junonis pelle caprina amictum; in postica parte, *Marcus* POPILL*ius* M*arci* F*ilius*. Juno Sospita pelle caprina ornata stans, hastam vibratura, sinistra tenet scutam, ante illam est serpens in gyros circumvolutus.

Hic est M. Popillius Lænas M. F. a quo diximus nos credere signatum quoque fuisse in honorem patris denarium num. XIII. Utrumque vero, & hunc & illum, in quæstura vel triumviratu monetali signasse videtur, & hunc forte imagine & typo Junonis Lanuvinæ exornavit, quod origo gentis Popilliæ ex Lanuvio fuerit, aut alia de caussa nobis ignota.

Protulit nummum Goltzius in Fastis p. 142. ad ad A. V. C. DCXIV. quo Popillius consul contra Numantinos bellum gessit, atque, prorogato insequenti anno imperio, rem non satis feliciter gessit.

POPPAEA.

XVI.

AVGVSTVS CAESAR. Caput Augusti corona quernea ornatum, ex aversa parte, *Caius* POPPAEVS SABINVS AED*ilis* CVR*ulis*. Sella curulis, supra quam reponitur corona, a sinistra est fulmen.

Aureum hunc nummum vulgavit Goltzius in Fastis p. 229. ad A. V. C. DCCLXI. quo consulatum cum Q. Sulpicio Camerino obtinuit C. Poppæus Sabinus, vir fortis, qui in Thracia sub Tiberio, postquam diutissime illam provinciam cum laude administraverat, est mortuus. Hic ædilis curulis vocatur in nummo, quod mihi illum suspectum reddit, neque enim ædilium curulium erat monetam curare.

XVII.

AVGVSTVS. *Colonia* V*ictrix* I*ulia* CELSA. Caput Augusti nudum in corona laurea. Ab altera parte bos est, coloniæ symbolum, cum hac inscriptione, *Quinto* POP*pæo* SECVNDINO SEX*to* CETHEGO IIVIR*is*. Ita enim hic nummus est legendus, non CELSO. Pertinet enim ad notam Hispaniæ coloniam Victricem Juliam Celsam.

Goltzius hunc nummum in Fastis p. 229. protulit, quasi spectaret ad consulem suffectum ejus nominis A. V. C. DCCLXI. ex Kal. Juliis, in quo illum falli jam docuit Vaillantius.

PORCIA.

XVIII.

Caput Romæ galeatum: ex aversa parte M*arcus* CATO M*arci* F*ilius*. Victoria in bigis, dextra tenet palmæ ramum oblongum; in imo ROMA.

Creditur hic denarius pertinere ad M. Porcium Catonem M. F. qui A. V. C. DLIX. ex Hispania Citeriore triumphavit, prorogata provincia, anno enim ante consul fuerat cum L. Valerio Flacco. Difficile illud bellum fuisse & prudentia Catonis non minus quam armis confectum fuisse docet Livius lib. XXXIV. cap. 18. *Eo majorem habebat difficultatem in subigendis hostibus, quam qui primi venerant in Hispaniam; quod ad illos tædio imperii Carthaginiensium Hispani deficiebant; huic ex usurpata libertate in servitutem velut afferendi erant: & ita mota omnia accepit, ut alii in armis essent, alii obsidione ad defectionem cogerentur: nec, nisi in tempore subventum foret, ultra sustentaturi fuerint. Sed in consule ea vis animi atque ingenii fuit, ut omnia maxima minimaque per se adiret atque ageret: nec cogitaret modo imperaretque quæ in rem essent, sed pleraque ipse per se transigeret; nec in quemquam omnium gravius severiusque, quam in semetipsum imperium exerceret, parsimonia & vigiliis & labore cum ultimis militum certaret; nec quicquam in exercitu suo præcipui, præter honorem atque imperium haberet.* Triumphum ejusdem describit Livius lib. XXXIV. eod. cap. 45. *Per eos dies collega ejus M. Porcius Cato ex Hispania triumphavit. tulit in eo triumpho argenti infecti viginti quinque millia pondo, bigati centum viginti tria millia, Oscensis quingenta quadraginta: auri pondus mille quadringenta. Militibus ex præda divisit, in singulos ducenos septuagenos æris, triplex equiti.* Victoria itaque, quæ bigis hic insistens cernitur palmam dextra gerens, ad Victoriam Virginem referre potest, cui in eo bello votum fecerat Cato, uti narrat idem Livius lib. XXXV. cap. 9. *Iisdem diebus ædiculam Victoriæ Virginis prope ædem Victoriæ M. Porcius Cato dedicavit, biennio post, quam vovit.*

Vulgavit denarium hunc Goltzius ad dictum annum in Fastis p. 120.

XIX.

CO*n*S*ul*. Caput Junonis Sospitæ pelle caprina amictum, pone quod ROMA: in averso latere *Lucius* PORCIVS L*ucii* F*ilius* LICINVS. Capra ad altare ignitum, juxta quod serpens: post capram est, patera & secespita.

Exstat hic nummus apud Goltzium in Fastis p. 124. ad A. V. C. DCLXIX. quo consul fuit L.

Porcius L. F. M. N. Licinus cum P. Claudio Pulchro. Typus respicit sacra Junoni Lanuvinæ facta, de qua quædam omnibus cognita collegit ad hunc nummum Ericius p. 74. quæ libenter prætermittimus.

XX.

Caput Apollinis corona radiata insigne: ex altera parte, *Lucius* CATO *Marci Filius*. Luna bicornis, inter quinque triones.

Pertinere videtur denarius ad L. Catonem M. filium, consulem cum Cn. Pompejo Strabone A. V. C. DCLXIV. quo illum exhibet Goltzius in Fastis p. 162. Cusus tamen ante in quæstura ejusdem videtur, & exprimi in eodem prætura patris M. Porcii Catonis Salloniani, a quo altera propago Catonum in gente Porcia defluxit. Pater præturam non excessit; filius vero qui nummum hunc signavit, in magistratu occisus est, consul contra Marsos pugnans, captis illorum castris, & quidem fraude (ut credebatur) Marii junioris cecidit.

POSTVMIA.

XXI.

MEGELLVS. Caput dei Triumphi, ut vero Vaill. & Pighius minus recte putant, Jovis Anxuris, lanugine decori & fascia: ex aversa parte L. POSTVMI*us Lucii Filius*. Jupiter barbatus in bigis, dextra tenet fulmen, sinistra sceptrum.

Nummus hic spectare videtur ad L. Postumium L. F. L. N. Megellum, qui in eo quidem, ut mihi videtur celebrare voluit memoriam avi ter consulis, annis scilicet V. C. CCCCXLVIII. CCCCLIX. & CCCCLXII. & præsertim nobilem ejus triumphum de Samnitibus & Etruscis in secundo consulatu partum.

Exhibuit hunc denarium Goltzius in Fastis p. 86. ad A. V. C. CCCCLXXXXI. quo Postumius filius consul fuit cum Q. Mamilio Vitulo.

XXII.

ALBINVS. Caput Neptuni, barba prolixa & corona ornatum: ex aversa parte, *Aulus* POSTumius *Auli Filius Lucii Nepos*. Delphin in vertice, & tridens in infima parte.

Non incommode Vaillantius hunc denarium refert ad quæsturam provincialem A. Postumii Albini in Sicilia, quum Cottæ & Servilio Gemino consulibus A. V. C. DI. classis LX. navium addita esset, oræ maritimæ tuendæ caussa; unde maris deus & maris symbola in nummo sunt.

Exstat apud Goltzium in Fastis p. 98. ad A. V. C. DXIX. quo censuram obiit Postumius.

XXIII.

Caput Apollinis seu Solis radiatum: ex altera parte, *Lucius* ALBINVS *Auli Filius Auli Nepos*. Luna bicornis, cum sex trionibus.

Puto hunc denarium pertinere ad L. Postumium A. F. A. N. Albinum, qui ipse ad consulatum pervenit, & duos fratres Aulum & Spurium consulares habuit. Filius ipse consularis viri & censorii fuit. Hujus quæsturam provincialem Pighius ponit A. V. C. DLXIV. Quum vero non longe ante A. V. C. DXLI. scilicet primum instituti fuerint ludi Apollinares, tempore quæsturæ ejusdem Postumii aliquid accidere potuit circa illorum celebrationem, quod huic typo originem dederit.

Vulgavit nummum Goltzius in Fastis p. 101. ad A. V. C. DXXIV. quo alius L. Postumius Albinus cum Cn. Fulvio Centumalo consulatum gessit.

XXIV.

Caput Jani geminum, barbatum & laureatum; ab altera parte prora navis est cum inscriptione SP*urius* POST*umius Lucii Filius* ALBINVS. ROMA.

Pondus hujus assis unciale movet Vaillantium, ut nummum adsignet Spurio Postumio Albino, qui ad consulatum pervenit cum Q. Marcio Philippo A. V. C. DLXVII. Verum adscripta vox ROMA docet minus recte a Vaillantio dici cusum hunc assem fuisse in quæstura Spurii Postumii provinciali A. V. C. DLVII. quum potius in urbana ejusdem cusus esse videatur.

Vulgavit assem hunc Goltzius ad consulatum Postumii dicto anno, in Fastis p. 124. Sed, ut ipse monet in Præfatione, non locavit semper nummos eo, quo cusi sunt, anno, sed quo magistratus gesserint ii quorum in nummis nomina leguntur.

TAB. XXIX.

I.

Caput Libertatis. Ab altera nummi parte Victoria est gradiens cum corona & palma, atque inscriptio *Aulus* ALBIN*us Auli Filius Auli Nepos*.

Refertur hic denarius a Goltzio in Fastis p. 126. ad A. Postumium A. F. A. N. Albinum, consulem A. V. C. DLXXIII. cum C. Calpurnio Pisone. Quum vero consulibus Ligures evenissent, & alter consulum peste fuisset exstinctus, alter, videlicet Postumius, hostes domuisset, ab ejusdem quæstore, ut vult Vaillantius, in victoriæ testimonium signari hic denarius potuit.

II.

Caput Jovis Capitolini in laurea; ab altera parte est Victoria coronans tropæum, cum inscriptione SP*urius* ALBIN*us* PAVLVLVS.

Hunc Sp. Albinum, Paullulum a corporis exiguitate dictum, Vaillantius quæstorem existimat fuisse consulis M. Acilii Glabrionis, qui A. V. C. DCLXII. ad Thermopylas Antiochum Magnum devicit, atque ad ejus victoriæ memoriam signasse hos denarios. Fratres habuit Aulum & Lucium consulares; ipse quoque ad consulatum pervenit cum Q. Mucio Scævola A. V. C. DLXXIX. ad quem hunc nummum vulgavit Goltzius in Fastis pag. 130.

III.

Caput Apollinis vitta redimitum, pone quod sceptrum: ex averso latere, *Lucius* POST*umius Spurii Filius Lucii Nepos* ALBIN*us*. Neptunus stans, pede proræ imposito, dextra acrostolium, sinistra tridentem.

Inscriptio nummi docet illum pertinere ad L. Postumium Sp. F. L. N. Albinum, quem uxor veneno sustulit in ipso consulatu, quem gerebat cum Q. Opimio A. V. C. DLXXXXIX. ad quem adtulit hunc denarium Goltzius in Fastis pag. 137. Videtur cusus esse a Postumio in quæ-

stura

ſtura ejuſdem provinciali, quam ex conjectura quidem ponit Pighius A. V. C. DLXXVIII. ſed, quum nihil tum temporis hoc tam memorabili typo hujus nummi dignum fuerit geſtum, aliquanto poſt vel ante videtur quæſturam provincialem vel urbanam geſſiſſe. Flamen Martialis fuit creatus A. V. C. DLXXXVI. ut docet Livius lib. XLIV. cap. 15. atque recte editur apud Vaillantium. *Flamen Martialis* (inquit Livius) *inauguratus eſt eo anno L. Poſtumius Albinus.* Non vero, ut vitioſe ſcribitur apud Pighium tom. II. p. 389. A. V. C. DLXXXIV. Videtur itaque nummi typus ſpectare ad A. V. C. DLXXXVI. eundem, quo flaminem Martialem creatum fuiſſe docet Livius, ut videlicet ſtatuatur eodem anno fuiſſe quæſtor urbanus vel provincialis, juſque habuerit ſignandæ hujus monetæ, in qua devictam Græciam in Macedonum rege Perſeo, atque ſpolia ditiſſima inde & ex Illyrico, quæ provincia poſterior ſola CCXX. lembos inplevit, populo Romano gratularetur. Hinc Apollinis & Neptuni numina in nummo ſignata videntur.

IV.

Caput Herculis barbatum in leonis exuviis. Ab altera parte prora navis eſt cum inſcriptione SP*urius* ALBIN*us* MAG*nus*. ROMA.

Æreus hic nummus (perperam enim argenti nota adponitur) ſpectat ad Sp. Poſtumium Albinum, qui Magnus videtur dictus fuiſſe a corporis habitu, ſicuti patruus ejuſdem, Spurius item, Paullulus a contrario corporis habitu adpellatus fuit. Ad conſulatum pervenit cum L. Calpurnio Piſone Cæſonino A. V. C. DCV. ſed nummum ipſum in quæſtura urbana ſignaſſe videtur.

V.

ALBINVS. Caput Romæ galeatum, pone quod corona: in averſa parte, SP*urius* POST*umius* SP*urii* F*ilius*. Caſtor & Pollux aſtris ornati decurrentes cum haſtis, in imo ROMA.

Creditur hic denarius pertinere ad Sp. Poſtumii Paululi ex filio Spurio nepotem, qui ad conſulatum pervenit A. V. C. DCXLIII. ad quem annum nummum hunc protulit Goltzius in Faſtis p. 154. Corona, quæ poſt Romæ caput eſt, videtur deſignare aliquam victoriam partam eo tempore, quo quæſtor urbanus fuit hic Poſtumius, nummumque ſignavit.

VI.

Q*uintus* MAMILIVS VITVLVS. Caput Victoriæ humeris alatis. Ab altera parte canis venaticus eſt currens ſupra venabulum, & epigraphe C*aius* POSTVMI*us*, ſub qua litera alphabetica eſt, quaſi matricis nota.

Fictus eſt nummus & falſus, ut docet adpoſita nota C. P.

P V P I A.

VII.

PISO FRVGI. Caput Neptuni barbatum & coronatum, ſub eo tridens: in averſa parte, M*arcus* PVPIVS M*arci* F*ilius*. Victoria in quadrigis decurrentibus, in imo prora navis.

Ad hujus denarii interpretationem ita ſcriptum reliquit Ericius p. 190. „ Cuſus fuit hic nummus Romæ A. V. C. DCLXXXIV. conſulibus Q. Cæcilio Metello & Q. Hortenſio, quo „ anno ex Hiſpania proconſule triumphavit M. „ Pupius Piſo. Hic eſt ille Piſo, qui duobus „ poſt Ciceronem annis ad conſulatum pervenit, „ quique juxta Ciceronem ejuſque commentato- „ rem Pedianum, ſub dictis conſulibus triumpha- „ vit. Scribit idem Cicero L. Flaccum quæſtor- „ em fuiſſe in Hiſpania temporibus M. Piſonis. „ Quod ſi ita eſt, non dubito, quin Pupius „ Piſo obtinuerit provinciam illam poſt præ- „ turam, conſulibus Craſſo & Pompejo, unde „ anno ante victores redierant Metellus & Pom- „ pejus. Triumphi vero Piſonis ex Hiſpania „ teſtis eſt hic nummus; in quo a parte priore „ eſt caput dei Neptuni, a parte autem poſteriore „ ſunt quadrigæ triumphales, inſiſtente Victo- „ ria, & ſub equis prora navis; quæ quidem una „ cum capite Neptuni docent hanc victoriam fuiſſe „ navalem. " Hæc Ericius, cujus ſententiam videtur quoque amplexus eſſe Vaillantius. Vulgavit vero nummum Goltzius in Faſtis pag. 170.

VIII. & IX. *vacant.*

Q V I N C T I A.

X.

AED*iles* CVR*ules*. Caput Cereris corona ſpicea ornatum: ex averſa parte T*itus* FLAMIN*ius* T*iti* F*ilius* L*ucius* FLAC*cus* P*ublii* F*ilius*. EX S*enatus* C*onſulto*. Duo Ædiles inter duas ſpicas ſedentes.

Livius lib. XXXI. cap. 4. celebrat hos ædiles, cujus locum jam adduxit Vaillantius. pag. 226. *Ludi Romani ſcenici eo anno magnifice apparateque facti ab ædilibus curulibus, L. Valerio Flacco & T. Quinctio Flaminio, biduum inſtaurati ſunt, frumentique vim ingentem, quod ex Africa proconſul Scipio miſerat, quaterni æris populo cum ſumma fide & gratia diviſerunt.* Typus hujus nummi mire cum Liviana deſcriptione convenit, & videtur ſenatuſconſultum fuiſſe factum, ut in publica moneta per quæſtorem ejus anni memoria ejus rei exſtaret. Ædiles curules autem hi fuerunt A. V. C. DLIII. T. Quinctius Flamininus ille eſt, qui bellum poſtea geſſit cum Philippo Macedoniæ rege. Nummus exſtat apud Goltzium in Faſtis p. 117.

XI.

Caput Romæ galeatum: ex averſo latere, T*itus* FLAMI*nius* T*iti* F*ilius* L*ucii* N*epos*. Victoria in bigis, dextra flagrum, ſiniſtra tenet habenas, in imo ROMA.

Pertinet ad eundem T. Quinctium Flaminium, cujus ædilitas in præcedenti nummo fuit commendata, ſed in quæſtura urbana ab eodem ſignatus fuiſſe videtur. Credidit vero ad triumphum ejus de rege Macedonum Philippo pertinere Ericius, dum, poſt bellum illud breviter enarratum, typo hujus nummi p. 64. hunc Flori locum applicat. *Enimvero Flaminio duce invios antea Chaonum montes, Pindumque amnem per abrupta vadentem, & ipſa Macedoniæ clauſtra penetravimus. Introiſſe, victoria fuit. Nam poſtea nunquam auſus congredi rex, ad tumulos, quos Cynocephales vocant, uno, ac ne hoc quidem juſto, prælio opprimitur. Et illi quidem conſul pacem dedit, regnumque conceſſit. Mox, ne quid eſſet hoſtile, Thebas, & Eubeam,*

beam, & grassantem sub Nabide suo Lacedemona compescuit. Græciæ vero veterem statum reddidit, ut legibus viveret suis, & avita libertate frueretur. Quæ gaudia, quæ vociferationes fuerunt? &c.

Editus est nummus a Goltzio in Fastis p. 120.

XII.

Senatus Consulto. Caput Dianæ Venatricis, in cujus fronte est Luna bicornis, super humerum arcus & pharetra: ex averso latere *Titus* FLAMININ*us*. Ipsa dea in bigis cervorum, dextra sagittam, sinistra tenet arcum tensum, in imo ROMA. & in area luna crescens.

Hunc denarium vulgavit Goltzius in Fastis p. 122. ad A. V. C. DLXIV. quo T. Quinctius T. F. L. N. Flamininus & M. Claudius M. F. M. N. Marcellus censores fuerunt. Goltzium sequitur Ericius p. 67. & 68. ubi multa habet de censoris munere, cunctis nota, nihilque ad nummi illustrationem adfert, nisi quod credat signatam fuisse Dianam ex privata T. Flaminini religione. Melius autem Vaillantius videtur referre ad filium censoris, qui tandem A. V. C. DCIII. ipse quoque ad consulatum pervenit, sed a quo, ut quæstore urbano, signatus fuerit hic nummus ex senatusconsulto ad inpensas sacrorum Dianæ.

XIII.

CRISPINVS. Caput Romæ galeatum, pone quod ROMA: ex aversa parte, *Lucius* QVINTI*us*. Victoria in bigis, dextra habenas equorum, sinistra palmam gerit.

Pertinere videtur hic nummus ad Crispini, qui collega Marcelli, una cum illo in magistratu, interceptus ab hostibus, periit, filium, qui A. V. C. DLXIX. prorogato imperio (anno enim ante prætor in provinciam profectus fuerat) proprætore ex Hispania triumphavit.

Edidit hunc nummum Goltzius in Fastis pag. 125. ad A. V. C. DLXIX.

XIV.

OB CIVIS SERVATOS. Corona inter duos lauri ramos: ex aversa parte, *Senatus Consulto* & in ambitu, *Titus* CRISPIN*us Titi Filius* SVLPICI*anus* III VIR *Auro Argento Aeri Flando Feriundo.*

Productum Sulpiciani cognomen docet ex familia Sulpicia in Quinctiam transiisse hunc triumvirum senatus monetalem. Producitur ejus nummus a Goltzio in Fastis pag. 216. ad A. V. C. DCCXLIII. quo consul fuit cum Nerone Claudio Druso iste T. Quinctius T. F. Crispinus Sulpicianus.

XV.

AVGVSTVS DIVI *Filius.* Caput Augusti nudum: ex aversa parte *Tito* CRISP*ino* VALERIANO *Lucio* CAESON*io Marco* SERVIL*io* II VIR*is.* Bos.

Et hunc nummum in Fastis p. 227. vulgavit Goltzius, quasi pertineret ad consulem suffectum ex Kal. Juliis A. V. C. DCCLIX.

QVINCTILIA.

XVI.

OB CIVIS SERVATOS. Corona quernea, inter duas lauros: in postico latere, *Publius* QVINCTIL*Ius* SEX*ti Filius* VARVS III VIR *Auro Argento Aeri Flando Feriundo*; circa ambitum. *Senatus Consulto* in area.

Occasione consulatus hujus P. Quinctilii Sexti F. Vari, quem gessit A. V. C. DCCXL. cum privigno Augusti Ti. Claudio Nerone, nummum hunc vulgavit Goltzius in Fastis p. 213. Pater Sextus creditur is fuisse, quem captum Corfinii demisit Cæsar, quique post cladem Philippensem, ne in inimicorum manus veniret, liberti manu se transfodi curavit. Triumvirum senatus fuisse P. Quinctilium Varum docet nummus.

XVII. *vacat.*

RVBRIA.

XVIII.

DOS*senus.* Minervæ caput cum ægide ad pectus. Ab altera parte sunt literæ M. N. ATH. M N. N. & figura paludata, pede proræ inposito, læva manu parazonium tenens, dextra palmam porrigens figuræ muliebri, quæ Hispaniam designare in nummis solet.

Nota C. P. docet nummum esse fictitium, & est revera ex priore parte nummi familiæ Rubriæ, atque posteriori familiæ Pompejæ conflatus, ut facile conferentibus patebit.

RVPILIA.

XIX.

Publius RVPILI*us Publii Filius.* EX *Senatus Consulto.* Caput Libertatis: ex aversa, *Quintus* METEL*lus Quinti Filius Quinti Nepos.* Figura togata dextram porrigit figuræ militari ornatæ chlamyde supra dorsum appensa, quæ sinistra tenet hastam, pone eam est prora navis cum ancora inversis.

Vide nostram hujus denarii interpretationem supra pag. 522. inter Goltzianos gentis Cæciliæ num. XII. nummos. Goltzius hunc protulit in Fastis p. 144. ad A. V. C. DCXXI.

XX.

Publius RVPILIVS. Caput Romæ galeatum: ex aversa parte sunt quadrigæ triumphales, in quibus Jupiter nudus cum strophio, dextra tenens habenas equorum, sinistra sceptrum. Victoria supervolitans ei coronam porrigit, in imo ROMA.

Denarium hunc vulgavit Goltzius in Fastis p. 145. ad A. V. C. DCXXII. quem hisce illustravit Ericius p. 121. „ Signatus fuit hic nummus „ Romæ A. V. C. DCXXII. quo P. Rupilius „ proconsule feliciter bellum servile confecit, „ atque ovationem de iisdem meruit. Anno e- „ nim V. C. DCXXI. P. Rupilius consul in Si- „ ciliam contra fugitivos est profectus, illosque „ debellavit, & provinciam ordinavit, prout hi- „ storici de illo testantur. Scribit enim Orosius „ hisce verbis de illa expeditione: *Pisoni cum* „ *Rupilius Cos. successisset, Taurominium, & En-* „ *nam, firmissima fugitivorum refugia, bello recepit,* „ *ubi amplius quam XX. millia servorum trucida-* „ *ta referuntur.* Valerius quoque lib. II. *Rupilius* „ *Cos.*

„ *Cos. eo bello, quod in Sicilia cum fugitivis gessit.* „ *Q. Fabium generum suum, quia negligentia Tauromินitanam arcem amiserat, provincia jussit decedere.* Cicero quoque in Verr. *Ennam tenuerunt* „ *P. Popillio P. Rupilio Coss. servi, fugitivi,* &c. Valerius iterum lib. IX. *P. Rupilius Cos. Ennam,* „ *quam prædones tenuerunt, in potestatem populi Romani redegit.* In Epitoma Liviana lib. LIX. „ ita scriptum invenitur: *P. Rupilius Cos. in Sicilia* „ *cum fugitivis debellavit.* Dedit deinde universis „ Siculis leges Rupilius, ab acerbissima fugitivorum tyrannide liberatis. Propter hanc igitur „ victoriam Siculam ovantem Urbem fuisse ingressum existimo Rupilium, prout postea quoque fecit Manius Aquillius, qui aliud simile ibidem bellum confecit. Non enim puto „ P. Rupilium triumphasse in consulatu suo A. „ V. C. DCXXI. sed anno post, quo proconsul „ fuit. Triumphi ejus memoriam servat hic denarius, in quo ab altera parte quadrigæ sunt „ triumphales, quibus insistit Rupilius triumphans, coronante eundem Victoria."

Hæc Ericius. Sed quum ovantes equo, non curru urbem ingrederentur, patet, non magnam fidem Goltziano huic nummo habendam esse, nisi statuamus cum Vaillantio, P. Rupilium ovatione contentum (noluit enim triumphum servili adpellatione inquinare) Jovem in quadrigis triumphalibus exhibuisse, quasi deus ipse triumphasset, cujus ope se victoriam retulisse fatebatur.

RVTILIA.

XXI.

Caius NORBANVS CO*nSul.* Caput Apollinis, laurea ornatum: ex aversa *Publius* RVTILIVS LVPVS AED*ilis* CVR*ulis.* Sella curulis inter duas spicas, in area EX *Senatus Consulto.*

Confer quæ diximus ad nummum hunc eundem in gente Norbana supra pag. 602. Vulgavit nummum Goltzius in Fastis p. 162.

SANQVINIA.

XXII.

AVGVSTVS DIVI *Filius.* Caput Augusti nudum; ab altera parte est caput laureatum Julii Cæsaris cum stella crinita supra verticem, & inscriptione hac; MARCVS SANQVINIVS P*ublii* F*ilius* IIIVIR.

Habuimus similem nummum inter Morellianos in gente Sanquinia num. II. verum discrepat in eo Goltzianus, quod patris Sanquinii nomen nos doceat.

Goltzius nummum vulgavit in Augusto pag. 22.

XXIII.

CAESAR AVGVSTVS TRIBVNIC*ia* POTEST*ate.* Caput Augusti laureatum. Ab altera parte in area nummi nota est senatusconsulti, & in ambitu ejusdem legitur *Marcus* SANQVINIVS *Marci Filius* IIIVIR *Auro Argento Aeri Flando Feriundo.*

Videntur hi Sanquinii fuisse patrueles, eorum alter Cæsaris, alter senatus triumvir monetalis extitit. Desumtus nummus est ex Augusto Goltzii p. 63.

XXIV. *vacat.*

TAB. XXX.

SEMPRONIA.

I.

SOPVS sine adspiratione ita scriptum. Caput Libertatis. Ab altera parte est Victoria in bigis; cum inscriptione P*ublius* SEMPRON*ius.* ROMA.

Hunc denarium vulgavit Goltzius in Fastis p. 82. & retulit ad P. Sempronium P. F. P. N. Sophum, consulem cum Appio Claudio Crasso, A. V. C. CCCCLXXXV. quique una cum collega eo anno de Picentibus triumphavit. Vaillantius quoque censet in consulatu ejusdem cusum nummum fuisse, nam, quum A. V. C. CCCCCXXXIV. demum argento signato uti inceperint Romani, non potuit ad quæsturam vel alium magistratum Sempronii Sophi nummum istum adplicare. Verum tutius referri potest ad ejusdem filium P. Sempronium Sophum, qui tribunus plebis fuisse legitur A. V. C. DIX. & a quo in quæstura urbana signari potuit. Sebastianus Ericius ita ad hunc nummum scriptum reliquit p. 7. „ Signatus fuit hic nummus Romæ A. V. C. „ CCCLXXXV. quo bellum cum Picentibus „ gesserunt Romani, cujus multi meminerunt „ Historici. Eutropius ita scribit, *Quinto Ogulnio, C. Fabio Pictore consulibus Picentes bellum* „ *commoverant, & ab insequentibus consulibus P.* „ *Sempronio, Ap. Claudio victi sunt. Et de his* „ *triumphatum est.* Picentes victos fuisse Florus „ quoque testatur: *Domiti sunt post Tarentinos Picentes, & caput gentis Asculum, Sempronio duce,* „ *qui tremente inter prælium campo Tellurem deam* „ *promissa æde placavit.* Orosius item: *Sempronius consul adversus Picentes duxit exercitum. Et* „ *cum directa intra jactum teli utraque acies constitisset, repente ita cum horrendo fragore terra tremuit, ut stupore miraculi utrumque pavefactum* „ *agmen hebesceret. Diu attoniti utrinque populi hæsitavere. Præjudicata incœpti conscientia, tandem procursu concito iniere certamen. Romani, qui admodum pauci eo prælio remanserant, vicerunt.* „ Frontini denique verba sunt lib. I. *Ti. Sempronius Gracchus consul acie adversus Picentes directa,* „ *cum subitus terremotus utrasque partes confudisset,* „ *exhortatione confirmavit suos, & impulit, ut consternatum superstitione hostem invaderent, adhortatusque devicit.* Ibi vero emendatione eget „ scriptor, legendumque est pro Ti. Graccho „ *Publius Sophus*, licet uterque ex gente Sempronia fuerit.

„ Sub hujus itaque Sophi consulatu signata „ fuit hæc moneta in signum victoriæ de Picentibus relatæ. Fuitque eodem tempore & alius „ nummus signatus, argenteus pariter, qui a parte altera Romæ caput habet cum denarii nota, „ ab altera bigas, insistente Victoria, quæ dextra coronam porrigit, estque Appii Claudii, „ collegæ P. Sempronii. Inscriptio nummi est „ AP*pius* CLAVDI*us* CRAS*sus.* ROMA. Et „ hic nummus victoriatus eodem quoque anno signatus est, atque victoriam de Picentibus denotat, de quibus uterque consul triumphavit."

II.

Caput Romæ galeatum, in vertice ROMA: ex aversa *Caius* SEMP*ronius* BLAESVS. Consul in quadrigis triumphalibus stat, dextra scipionem eburneum, sinistra habenas equorum tenet. Victoria per aera advolans ei coronam porrigit.

Refertur hic nummus a Goltzio in Fastis p. 91. ad A. V. C. D. quo consul de Pœnis triumphavit C. Sempronius TI. F. TI. N. Blæsus. Ericius p. 20. ad hujus nummi illustrationem ita scriptum reliquit. „ Signatus fuit Romæ hic „ nummus A. V. C. D. tempore consulatus C. „ Sempronii Blæsi, qui eo anno de Pœnis trium- „ phavit. Scribunt enim Polybius, Eutropius, „ Orosius & Zonaras, consules Romanos eo an- „ no cum classe CLX. navium venisse in Sici- „ liam, trajecisse inde in Africam, maritimam „ oram omnem depopulatos fuisse, sed quum vado- „ sa in littoribus loca haud cognoscerent delapsos „ in parvæ Syrtis vada, non sine jactura, pro- „ jecta multa ex navibus præda, vix incolumes „ evasisse. Reversi deinde in Siciliam & ex „ Sicilia in Italiam, tempestate oppressi, centum „ & quinquaginta naves magnas una cum præda „ amiserunt. Quæ caussa fuit, ut senatus decre- „ tum Romæ factum fuerit, non plures naves „ quam sexaginta ad præsidium Italiæ habendas „ esse. Triumphum tamen Romæ obtinuit Sem- „ pronius, quod maritima Pœnorum loca depræ- „ datus fuisset atque vastasset. Cujus triumphi „ testis quoque est hic denarius, cujus typus con- „ sulem triumphantem cum Victoria advolante, „ atque illum coronante, exhibet. "

Insignem hunc denarium testatur Vaillantius p. 370. sese observasse olim apud eminentissimum cardinalem de Maximis. De fide itaque denarii dubitari nequit; & utinam omnes quos vidit denarios Goltzianos adnotasset Vaillantius!

III.

Caput Jovis Capitolini barbatum & laureatum: ex aversa *Publius* SEMP*ronius* *Publii Filius* SOPHVS. Sella curulis, supra quam corona.

Adjudicatur hic denarius eidem P. Sempronio Sopho, cui nos num. 1. addiximus. Is Sempronius ultra ædilitatem non processit; quam ejus ædilitatem typo hujus nummi videtur in quæstura sua expressisse filius P. Sempronii Sophi, nepos Sophi, qui de Picentibus triumphavit; quamvis de nepote illo nihil apud scriptores legatur. Vulgavit denarium Goltzius in Fastis p. 91.

IV.

TVDITAN*us*. Caput Romæ galeatum: ex aversa parte, *Marcus* SEMPRON*ius* infra ROMA. Castor & Pollux decurrentes in equis, cum hastis.

Refertur a Goltzio in Fastis p. 96. hic denarius ad M. Sempronium C. F. M. N. Tuditanum, consulem cum C. Claudio Centhone, A. V. C. DXIII. Sed ad patruelem ejus adcommodat Vaillantius. Quum enim M. Sempronius, qui primus ex Semproniis Sophis Tuditanus fuit adpellatus, duos reliquisset filios, Marcum & Cajum, Marci filio & Marci nepoti hunc denarium adjudicat Vaillantius, & sequentem M. Sempronio C. F. M. N. qui, ut a patruele se distingueret, patris nomen adscripserit. In quæstura urbana circa annum V. C. D. cusus esse videtur, nam A. V. C. DIV. inter tribunos plebis numeratur.

V.

Caput Jovis barbatum & laureatum: ex averso latere *Marcus* SEMPRONI*us* *Cai Filius* TVDITAN*us*. Templum quatuor columnarum, in quo sella curulis, ad lævum latus fulmen.

Typus hujus nummi docet eo anno, quo curam rei monetariæ habuit M. Sempronius C. F. M. N. Tuditanus, Jovis Capitolini templum refectum vel ornatum fuisse. Vulgavit nummum Goltzius in Fastis p. 101. ad A. V. C. DXXIII. quo censuram gessit M. Sempronius Tuditanus cum Q. Fabio Maximo Verrucoso.

VI.

CONCORDIA. Caput Concordiæ velatum: in altero latere, TI*berius* SEMP*ronius* *Cai Filius* LONGVS. Tripus supra quem corona inter lituum & secespitam posita est.

Exstat hic denarius apud Goltzium in Fastis p. 106. ad A. V. C. DXXXV. quo consules fuerunt P. Cornelius Scipio & Ti. Sempronius Longus. Cusum vero in Lucania fuisse opinatur Vaillantius, quam provinciam extra ordinem proconsule obtinuerat Ti. Sempronius Longus, anno postquam dedicata fuerat Romæ ædes Concordiæ, quam L. Manlius Vulso ob seditionem militum in Gallia Citeriore voverat; & inde Concordiæ deæ imaginem in nummo signari credit; vasa vero sacra spectare judicat ad decemviratum ejusdem Sempronii, quem mortuum fuisse adnotat Livius A. V. C. DXLIII.

VII.

Caput Jovis Capitolini barbatum & laureatum, sub quo fulmen: in postico latere TI*berius* SEMP*ronius* TI*berii* *Filius* TI*berii* N*epos* GRACCHVS. ad latera EX *Senatus* *Consulto*. Proconsul sedens ante tropæum, dextra laurum, coronatur a Victoria, pone eam stante.

Vulgavit denarium hunc Goltzius in Fastis p. 108. ad A. V. C. DXXXVIII. quo consulatum obtinuit cum L. Postumio Albino Ti. Sempronius Gracchus. Is enim anno post proconsule egregie vicit Pœnos & ducem eorum Annonem, sic ut ægre duo millia hominum ex tanto exercitu, & ea major pars equitum, cum ipso duce effugerint, teste Livio lib. XXIV. cap. 16. alii omnes ad sexdecim millia capti aut cæsi fuerint, signa duodecim quadraginta capta fuerint. Magnopere volonum pro consequenda libertate, quam strenue pugnantibus promiserat Sempronius, alacritas profuit ad consequendam victoriam, prout operose ibidem narrat Livius; additque in fine capitis, quomodo a Beneventanis excepti fuerint volones, atque picturam Romæ rei gestæ ibidem dedicaverit Sempronius. Verba Livii hæc sunt: *Beneventani omnes turba effusa quum obviam ad portas exissent, complecti milites, gratulari, vocare in hospitium. Adparata convivia omnibus in propatulo ædium fuerant: ad ea invitabant, Gracchumque orabant, ut epulari permitteret militibus. Et Gracchus ita permisit, in publico epularentur omnes. Ante suas quibusque fores prolata omnia. pileati, aut lana alba velatis capitibus volones epulati sunt; alii accubantes, alii stantes: qui simul ministrabant, vescebanturque. Digna res visa, ut simulacrum celebrati ejus diei Gracchus, postquam Romam rediit, pingi juberet in æde Libertatis, quam pater ejus in Aventino ex multaticia pecunia faciendam curavit dedicavitque.*

Publicam illam & privatam lætitiam in argen-

to publico exstare voluisse patres, docet insignis hic denarius, in quo proconsul Sempronius sedens ante tropæum a Victoria coronatur, & Jovis caput exprimitur propter supplicationes gratiasque illi pro victoria hac habitas. Plura reipublicæ præstare potuisset insignis hic vir, nisi ab hospite Lucano proditus postea per Pœnorum insidias periisset.

VIII.

Caput Jani bifrontis barbatum & laureatum, ab altera parte nummi est prora navis cum inscriptione *Publius* SEMP*ronius Cai Filius* TVDITAN*us*. ROMA.

Pondus hujus assis, utpote sextantarii, nummum hunc revocat ad P. Sempronium Tuditanum, Caji, tribuni plebis A. V. C. DVII. filium. Fortitudinem ejus & utile consilium post cladem Cannensem A. V. C. DXXXVII. notavit Livius lib. XXII. cap. 50. tum enim tribunus militum militabat, ut docuit quoque Vaillantius. In quæstura urbana cusus fuisse nummus videtur circa A. V. C. DXXX. Goltzius nummum hunc vulgavit in Fastis p. 111. ad A. V. C. DXLIV. quo censor cum M. Cornelio Cethego fuit P. Sempronius C. F. C. N. Tuditanus.

IX.

Caput Fidei laureatum: in postica *Publius* SEMP*ronius Cai Filius* TVDITAN*us*. Duæ dextræ tenentes caduceum alatum.

Videtur ad eundem P. Sempronium Tuditanum hic denarius spectare. Cusum nummum censet Vaillantius in ædilitate, atque denotare Fidei ædem ab eodem in ædilitate refectam. Concordiam mihi inter patres plebemque significare videtur, quæ fides erat publica, & unde firma pax sperari poterat. In Fastis Goltzii p. 114. vulgatum hunc nummum cernas, occasione consulatus Sempronii, quem gessit A. V. C. DXLIX. cum M. Cornelio Cethego.

X.

Capita jugata deorum Penatium sine inscriptione, ab altera parte Victoria est in bigis cum inscriptione TI*berius* SEMP*ronius*.

Retulit hunc denarium Goltzius ad A. V. C. DLXXV. sive ad Ti. Sempronium P. F. Ti. N. Gracchum, qui proprætore eo anno de Celtiberis ex Hispania Citeriore triumphavit. Exstat in Fastis p. 128. Sed Vaillantius filio ejusdem adjudicat, tribunatu plebis, eloquentia, & violenta morte nobili; creditque cusum ab eodem fuisse A. V. C. DCXVI. quo quæstor in Hispaniis erat C. Mancini consulis, a Numantinis inclusi. Res nobis obscura esse videtur.

XI.

Iuno Sospita Magna Regina. Caput Junonis pelle caprina amictum: in aversa TI*berius* SEMP*ronius Publii Filius* GRAC*chus*. in vertice *Marcus* LEPID*us Marci Filius*. Sella curulis *Senatus Consulto*.

Vide quæ diximus supra p. 488. ad eundem hunc nummum in gente Æmilia, inter Goltzianos tab. prima num. XIX.

Vulgavit hunc Goltzius in Fastis p. 128.

XII.

GRACCH*us*. Caput Romæ galeatum: ex aversa parte TI*berius* SEMP*ronius Publii Filius*. in imo ROMA. Victoria in quadrigis decurrentibus, dextra extensa coronam, sinistra equorum habenas tenet.

Refertur hic nummus ab antiquariis ad victoriam & triumphum proconsulis Ti. Sempronii Gracchi de Sardis A. V. C. DLXXVIII. ad quem annum profertur a Goltzio in Fastis pag. 129.

XIII.

Caput Apollinis radiatum: in aversa parte TI*berius* SEMP*ronius Publii Filius* GRACC*hus*. Luna bicornis, inter septem triones.

Adjudicatur hic denarius ab antiquariis eidem Tiberio Sempronio Graccho, cui num. XI. adixerunt. In prætura signasse denarium propter typum ludorum Apollinarium existimat Vaillantius, quod non crediderim; sed quæstor urbanus vel triumvir monetalis signare potuit hos denarios ad sumtus ludorum Apollinarium, & ab iis hunc typum mutuari. Exstat apud Goltzium in Fastis p. 132.

XIV.

TVDITAN*us*. Caput Concordiæ velatum, pone quod corona: in aversa, *Caius* SEMPRONI*us Cai Filius Cai Nepos*. Jupiter in quadrigis triumphalibus, dextra fulmen tenet, sinistra sceptrum & habenas equorum.

Nummi hujus typum his verbis explicavit Ericius p. 122. „ Signatus fuit hic nummus Romæ, A. V. C. DCXXIV. consule C. Sempronio Tuditano, unde scribit Appianus lib. I. „ *Cum Tuditanus consul vereretur ne judex constitueretur litis, quæ plebi cum patribus de agrorum divisione erat, in Illyricum provinciam profectus est.* Idem in Illyricis: *Japydes, Alpes incolentes, Sempronius Tuditanus pugna superavit.* Legimus item in Epitoma Livii LIX. *C. Sempronius Cos. contra Iapydas primo male rem gessit, mox victoria cladem acceptam emendavit, virtute D. Junii Bruti, ejus, qui Lusitaniam subegerat.* De eodem Tuditano Plinium loqui existimo lib. III. quum scribit, *Tuditanus, qui domuit Istros, in statua sibi inscripsit, ab Aquileja ad Titium flumen stadia* CC. Tabulæ quoque Capitolinæ triumphi ejus de Iapydibus testes sunt, quod & typus hujus denarii declarat, non tantum respectu quadrigæ triumphalis, sed & coronæ quæ post deæ, Vestæ ut puto, caput cernitur."

XV.

ATRATIN*us*. Caput Libertatis: ex altera parte *Lucius* SEMPRONI*us Lucii Filius Numerius* VALERI*us Marci Filius* MESSALA. Sella curulis, supra quam corona.

Collegas in ædilitate curuli, hujus nummi aurei auctoritate, facit Vaillantius L. Sempronium L. F. Atratinum, post ab Antonio in consulatu sibi suffectum, atque Numerium Valerium M. F. Messallam, quem opinatur filium fuisse M. Valerii Messallæ consulis A. V. C. DCC. Pighius vero collegam Atratino in ædilitate dedit L. Æmilium Paullum A. V. C. DCLXXXXVIII. Ego vero hunc nummum inter multos illos habeo, de quorum fide dubito.

Goltzius in Fastis p. 195. vulgavit, ad A. V. C. DCCXIX. quo M. Antonio in consulatu fuit suffectus Atratinus.

XVI.

Caput Neptuni laureatum, sub quo tridens, ex aversa parte *Lucii* SEMP*ronius* ATRATIN*us*. Victoria in bigis decurrentibus, dextra coronam, sinistra habenas, in imo prora Navis.

Hic denarius (inquit) Ericius p. 249. „ Signatus fuit Romæ A. V. C. DCCXXXII. quo „ L. Sempronius Atratinus ex Africa triumphavit. Temporibus triumvirorum enim Africa „ nequaquam quieta fuit; quod crebri testantur „ triumphi inde relati sub auspiciis Cæsaris Augusti; & inprimis Statilii Tauri, dein L. Autronii Pæti, & denique hujus L. Sempronii „ Atratini, quorum triumphi exstant in Tabulis „ Capitolinis, licet scriptores illorum nihil meminerint. Triumphum vero & nummus hic confirmat Neptuno, maris deo, insignitus, quadrigis „ insuper triumphalibus, & rostro navis, quæ „ docent victoriam hanc ex Africa fuisse navalem. "

Protulit denarium Goltzius in Fastis p. 207. ad A. V. C. DCCXXXII. quo ex Africa proconsule triumphavit Atratinus, qui moriens hæredem scripsit Augustum, ad quem ab Antonio transierat.

XVII.

AVGVST*us* TR*ibunicia* POT*estate* XIIII. CO*nSul* XI. IMP*erator* XIII. *Pater Patriæ.* Caput Augusti laureatum: ex aversa parte TI*berius* SEMPRONI*us* TI*berii Filius* GRACCVS LEG*atus* PRO CO*nSule.* Strobilus, ceu nux pinea.

Strobilus, sive nux pinea, insigne est coloniæ Juliæ Augustæ Vindelicorum, ibi enim nummus hic aureus cusus est, ut docuerunt antiquarii; qui insuper notarunt, patere ex hoc nummo Tiberium Sempronium Gracchum ab Augusto factum fuisse legatum proconsule in Germania Superiore, & cusum hoc numisma fuisse A. V. C. DCCXLV. Edidit illud Goltzius in Fastis p. 216.

XVIII.

IMP*erator* CAESAR AVGVST*us* PONT*ifex* MAX*imus* TR*ibunicia* POT*estate* XVI. CO*nSul* XI. IMP*erator* XIIII. Caput Augusti laureatum. in postica TI*berius* SEMP*ronius* TI*berii Filius* GRACCVS. in imo COL*onia* IVL*ia* AVGVS*ta*. EX *Senatus Consulto.* desuper II. VIR. ITER*um*. Colonus velato capite, agens boves, dextra stivam, sinistra flagrum tenet.

Nummus hic aureus, quem profert Goltzius in Fastis p. 217. in eadem colonia Julia Augusta Vindelicorum cusus est duobus post præcedentem annis, ut ex inscriptione capitis patet. Et hinc patet per plures annos legati munus in Germania Superiore obiisse Ti. Sempronium Gracchum. Confer Vaillantium p. 378. 379. & M. Velserum lib. VI.

XIX.

Senatus Consulto. Caput Julii Cæsaris laureatum. Ab altera parte colonus agit boves, adest inscriptio TI*berius* SEMP*ronius* GRAC*cus Quæstor* DESIG*natus.*

Habuimus ejusdem Sempronii nummos in gente Sempronia inter Morellianos, ubi vide quæ diximus supra pag. 379. quæque in Addendis dicturi sumus.

XX.

Caput Julii Cæsaris laureatum, sine epigraphe. Ab altera parte itidem est colonus agens boves, & desuper legitur TI*berius* SEMP*ronius* GRAC*cus Quæstor* DES*ignatus* EX *Senatus Consulto.* Subtus vero est inscriptio ad partem nummi priorem pertinens C*aius* CAESAR IMP*erator.*

Hunc & præcedentem nummum vulgavit Goltzius in Cæsare p. 11.

XXI.

IMP*erator* CAESAR AVGVR PONT*ifex* IIIVIR ITER*um Rei Publicæ Constituendæ.* Caput Cæsaris Octaviani nudum cum lituo. Ab altera parte est vexillum, aquila, aratrum, & decempeda. De simili nummo vide, quæ diximus inter Morellianos supra p. 379.

XXII.

IMP*erator* CAESAR DIVI F*ilius* PONT*ifex* IIIVIR ITER*um Rei Publicæ Constituendæ.* Caput Cæsaris Octaviani nudum, sed ad alterum latus conversum, item cum lituo. Ab altera parte typus & inscriptio similis est nummo præcedenti.

Utrumque vulgavit Goltzius in Augusto p. 48.

XXIII.

IMP*erator* CAESAR DIVI F*ilius* IIIVIR ITER*um Rei Publicæ Constituendæ.* Caput Cæsaris Octaviani nudum cum lituo, ut num. XXI. Aversa pars respectu typi & inscriptionis similis est præcedentibus.

Et hunc & sequentem vulgavit Goltzius in Augusto p. 48.

XXIV.

AVGVST*us* TRIBVNICIA POTES*tate* XIIII. CO*nSul* XI. IMP*erator* XIII. *Pater Patriæ.* Ab altera parte typus præcedentibus est similis, sed hæc adest inscriptio. TI*berius* SEMPRON*ius* GRACCVS QVAEST*or* ITER*um* EX *Senatus Consulto.*

Siquidem genuinus & fide dignus hic est nummus, lumen præcedentibus aliisque inter Morellianos etiam, accendit. Scribitur hic Ti. Sempronius Graccus quæstor iterum, & quidem eo anno quo consul XI. Augustus tribunicia potestate XIIII. erat, id est A. V. C. DCCXLV. sive eodem, quo nummus ille aureus num. XVII. signatus est. Itaque Sempronius Graccus, qui in aliis nummis quæstor designatus fuerat adpellatus, secunda vice quæsturam gessit, diu post quatuorviratum monetalem, quem sub triumviris honorem gesserat. Imo, typus ille aquilæ, signi militaris, decempedæ, & aratri, non aliam coloniam respicere potest, quam Juliæ Augustæ Vindelicorum, quam satis aperte docent nummi supra num. XVII. & XVIII. positi.

TAB. XXXI.

I.

CAESAR DICT*ator* PERP*etuo.* Caput Veneris. Ab altera parte TI*berius* SEMPRON*ius* GRACCVS *Quæstor* DES*ignatus* ITER*um.* Murus rotundus cum duabus portis, inscribitur COL*onia* CASILIN*um.*

In gente Sempronia, inter nummos Morellianos, occurrit Tiberius Sempronius Graccus titulo quæstoris designati jam IIIIVIR monetalis sub triumviris R. P. C. In ultimo nummo Goltziano tabulæ præcedentis vocatur quæstor iterum, tribunicia potestate Augusti XIIII. sive A. V. C. DCCXLV. in hoc dicitur quæstor designatus iterum. Casilinum urbs Italiæ est, quæ Falernum agrum a Campano dividit. Sub dictatore Cæsare colonis frequentatam fuisse docet hic num-

nummus aureus, quem vulgavit Goltzius in Cæsare p. 11. & hinc Sempronius Gracchus, quamvis illum sub Augusto, qui etiam aliquod beneficium in illam coloniam videtur contulisse, signaret, Cæsaris tamen nomen adposuit.

S E N T I A.

II.

AVGVSTVS TRIBVNIC*ia* POTEST*ate*. Corona quernea, inter duos lauri ramos: ex aversa parte *Caius* SENTIVS *Cai Filius* SATVRNIN*us* III VIR *Auro Argento Aeri Flando Feriundo*. circa ambitum, *Senatus Consulto*. in area.

C. Sentius Saturninus cognoscitur ex historiis vir fuisse insignis, & multa cum laude ejus quoque meminit rerum Judaicarum scriptor Josephus. Pervenit ad consulatum cum Sex. Ælio Cato A. V. C. DCCLVI. Filium fuisse C. Sentii Saturnini, consulis cum Q. Lucretio Vespillone A. V. C. DCCXXXIV. adnotarunt antiquarii.

Utrumque nummum, & hunc & sequentem, in Fastis vulgavit Goltzius p. 208. & 224. sed hunc ad annum quo pater, sequentem, quo filius consul fuit, quum tamen ad filium uterque pertineat.

III.

OB CIVIS SERVATOS, in corona quernea, inter lauri ramos: ex aversa, *Caius* SENTIVS *Cai Filius* SATVRNIN*us* III VIR *Auro Argento Aeri Flando Feriundo*. circa ambitum, *Senatus Consulto*, in area.

Sicuti primum ad honores gradum solebant habere triumviratum monetalem Romani, ita in hoc & præcedenti nummo hic C. Sentius Saturninus triumvirum sese monetalem senatus fuisse ostendit.

S E P V L L I A.

IV.

Caput divi Cæsaris laureatum cum stellâ ejusdem in vertice. Ab altera parte stat dea Venus stolata, dextra gerens victoriolam, læva hastam cum clypeo ad imum hastæ. Adest inscriptio *Publius* SEPVLLIVS MACER.

P. Sepullius Macer IIIIVIR monetalis fuit temporibus primis triumvirorum Cæsaris, Antonii, & Lepidi, unde passim vel illorum capita vel divi Julii in denariis suis expressit. De eo jam actum fuit ad nummos Morellianos. Hi vero Goltziani omnes ex Cæsare ejus vel Triumviris, quorum (Lepidi scilicet & Antonii) nummos nummis Julii Cæsaris subjunxit, desumti sunt. Et hic quidem invenitur p. 7.

V.

DIVVS IVLIVS. Caput Cæsaris laureatum, ante frontem stella est. Inscriptio & typus aversæ partis similis est præcedenti.

Exstat ibidem apud Goltzium p. 7. ut & sequens.

VI.

Caput Cæsaris laureatum, sine inscriptione, hinc & inde caduceus est & lauri ramus. Aversa pars similis est præcedenti.

VII.

DIVO IVLIO. Caput Cæsaris laureatum cum stella crinita in vertice. Ab altera parte legitur item *Publius* SEPVLLIVS MACER, & eadem dea Venus cernitur, sed clypeus non est ad hastæ imam partem, sed aliquanto altius & figuram habet clypei votivi.

Et hunc nummum & quinque sequentes vulgavit in Cæsare p. 7. Goltzius.

VIII.

CAESAR DICT*ator* PERPETVO. Caput Cæsaris laureatum. Aversa pars similis est præcedenti.

IX.

CAESAR. Caput Cæsaris laureatum cum lituo. Aversa pars similis est præcedenti, sed additur in area litera alphabetica K.

X.

DIVI IVLI. Caput Cæsaris laureatum. Ab altera parte legitur iterum *Publius* SEPVLLIVS MACER. sed stans Venus & dextra tenens victoriolam, læva hastam habet transversam, atque clypeo nititur globo inposito.

XI.

CAESAR DICT*ator* PERPETVO. Caput Cæsaris laureatum. Aversa pars similis est præcedenti.

XII.

CAESAR DICT*ator* PERPETVO. Caput Cæsaris laureatum. Ab altera parte inscriptio similis est præcedenti; at Venus non stans depingitur, sed clypeo insidens, & globum habens sub pedibus.

XIII.

CONCORDIA. *Publius* SEPVLLIVS MACER. Caput deæ Concordiæ. Aversa pars dextras habet conjunctas caduceum alatum tenentes, cum inscriptione LEPID*us* IMPER*ator*.

Concordiam Cæsaris & senatus exprimit nummus. Videtur enim hic P. Sepullius Macer quatuorvir monetalis fuisse eo anno quo occisus fuit C. Cæsar; hinc quidam ejus nummi ante calendas Martias cusi sunt vivo Cæsare; reliqui occiso eodem, sub triumviris. Vulgavit Goltzius p. 23.

XIV.

Marcus LEPIDVS PONT*ifex* MAX*imus*. Caput Lepidi nudum cum lituo. Ab altera parte scribitur *Publius* SEPVLLIVS MACER. Stat togatus sacrificans super tripodem.

Exstat hic nummus una cum sequente apud Goltzium p. 27. In utroque Lepidus, occiso Cæsare, pontificatum maximum adeptus, patrio ritu sacrificat; & in hoc quidem novum Lepido honorem gratulatur Sepullius, inberbis enim Lepidi est facies.

XV.

Caput Lepidi velatum, ut pontificis summi, inter urceum & lituum, barbatum insuper, prouti Antonius & Cæsar Octavianus inter triumvirorum nummos sæpe quoque barbam præ sese ferunt. Altera pars similis est præcedenti.

Nummus hic post præcedentem a Sepullio signatus est. Barbam enim triumviri ob luctum Cæsaris occisi aluerunt, neque deposuerunt, nisi cum solenni pompa, punitis percussoribus & vindicata Cæsaris morte, ut alibi plus semel diximus.

SERGIA.

XVI.

EX *Senatus Consulto.* ROMA. Caput Romæ galeatum. Ab altera parte stat cervus, & inscriptio hæc legitur SERGIVS III. ROMA.

Nummus est fictus & spurius, ut docet adposita nota C. P.

SCRIBONIA.

XVII.

PROCO*nSule.* EX *Senatus Consulto.* Caput Jovis Capitolini laureatum. Ab altera parte Victoria coronat tropæum, & adscribitur *Caius* SCRIBONI*us* CVRIO.

Ad quem nummus hic pertineat, & cujus rei gratia sit cusus, nos docet Ericius p. 181. „Signatus est (inquit) hic nummus Romæ A. V. C. DCLXXXI. quo C. Curio proconsule triumphavit de Thracibus & Dardanis, ex Macedonia. Scribit enim Eutropius Appio Claudio, qui in Macedonia erat, mortuo successisse C. Curionem, eumque vicisse Dardanos, atque usque ad Danubium penetrasse, belloque post triennium finito triumphasse. Scribit de eodem Sallustius lib. II. Histor. *Eodem anno in Macedonia. C. Curio principio veris cum exercitu profectus in Dardaniam, quibus potuit, pecunias coegit.* Orosius quoque. *Claudii successor Scribonius attentatum superiore bello gentium vim declinans in Dardaniam arma convertit, eamque superavit.* Rufus denique. *Dardanos, & Mæsios Curio Procos. subegit, & primus Romanorum ducum ad Danubium usque pervenit.* Legitur & de illo in Epitoma Livii LXXXXII. *Res in Thracia adversus Dardanos a Curione proconsule gestæ.* Scribit vero Cicero Oratione in Pisonem C. Curionem triumphasse ex Macedonia ante M. Lucullum & post Dolabellam. Unde existimo dicto hoc anno triumphasse; primo, quia per tres annos in provincia bellum gessit, dein, quia hoc anno illi successit M. Lucullus, quum antea in consulatu provinciam Macedoniam sortitus fuisset Curio. Victoriæ autem & triumphi Curionis fidem quoque hic denarius facit, in cujus altera parte Victoria cernitur coronans tropæum, in cujus imo captivus sedens depingitur."
Vulgavit denarium Goltzius in Fastis p. 168. ad A. V. C. DCLXXXI.

SERVILIA.

XVIII.

Caput Romæ galeatum. Ab altera parte sunt Dioscuri in equis, cum hac inscriptione CN*eus* CAEPIO. ROMA.

Credidit Goltzius denarium hunc pertinere ad Cn. Servilium Cn. F. Cn. N. Cæpionem, qui consul fuit A. V. C. D. cum C. Sempronio Blæso; vulgavit enim illum in Fastis p. 90. Vaillantio autem a filio in quæstura cusus esse videtur. Pervenit filius ad consulatum A. V. C. DL.

XIX.

Marcus CLAVDI*us Marci Filius* MARCELLVS GEMINVS. Caput Veneris, myrto coronatum, ex aversa parte, CN*eus* SERVILI*us Publii Filius.* Navis prætoria, cum remis, in vertice corona.

Vide quæ de hoc nummo diximus supra tab. XII. num. 12. in gente Claudia.

XX.

Caput Triumphi cum laurea, & ala in capite, pone quod tridens & cornucopiæ: ex aversa *Quintus* CAEPIO *Quinti Filius.* Victoria in quadrigis, dextra extensa coronam tenet, sinistra habenas equorum.

Ad hujus denarii intellectum hæc scripta inveniuntur apud Ericium p. 146. „Signatus fuit hic nummus Romæ A. V. C. DCXLV. quo Servilius Cæpio proprætore triumphavit de Lusitanis ex Hispania ulteriore. Bellum enim Hispanicum eo tempore fuit redintegratum, quum ibidem antea res fuissent compositæ per D. Brutum. Ego illud bellum a latronibus provinciam depopulantibus, exortum fuisse existimo. Docere id videtur Plutarchus, qui scribit Cajum Marium prætorem, Hispaniam ulteriorem sortitum, illam provinciam a latrociniis purgasse, quibus erat exposita. Marius autem prætor fuit septimo anno ante consulatum, eumque cum Lusitanis bellum gessisse scribit Appianum. Verum inter reliquos scriptores, qui feliciter iis temporibus bellum in Hispania gesserunt, clara fuit fama Q. Cæpionis. Hic quum dicto anno in prætura sortitus fuisset Lusitaniam eodem anno de Lusitanis triumphavit. Indicat illud Eutropius, qui lib. IV. post victoriam M. Minucii de Scordiscis, scribit Lusitanos a Servilio Cæpione esse victos, hisce verbis: *A. M. Junio Syllano, collega Q. Metelli, Cimbri in Italia victi sunt. Et a M. Minutio Rufo in Macedonia Scordisci & Triballi; & a Servilio Cæpione in Hispania Lusitani subacti.* Hoc in prætura ejusdem factum fuisse docet Valerius, qui lib. VI. ita de illo scripsit. *Q. Cæpio præturæ splendore, triumphi claritate, consulatus decore, maximi pontificis sacerdotio, ut senatus patronus diceretur, assecutus, in publicis vinculis spiritum deposuit.* Triumphi quoque de Lusitanis, Hispaniæ populis, testimonium est hujus denarii typus, in cujus aversa parte Victoria citis quadrigis insistens, dextra manu coronam prætendit."
Exstat denarius apud Goltzium in Fastis pag. 155.

XXI.

Caput Romæ galeatum: ex aversa *Publius* SERVILI*us* VATIA. in imo ROMA. Victoria bigas agit, dextra flagrum tenens, sinistra equorum habenas.

Quum hunc denarium vulgasset Goltzius in Fastis p. 165. ad A. V. C. DCLXV. quod tum P. Servilius C. F. M. N. Vatia proprætore triumphasse legatur, credidit eo anno nummum signatum fuisse Ericius, quum sine dubio diu ante in quæstura ejusdem urbana vel triumviratu signatus fuerit. Verba Ericii hæc sunt p. 155. „Cusus fuit hic nummus Romæ A. V. C. DCLXV. in Tabulis enim Capitolinis triumpho Cn. Pompeji Strabonis hæc videmus subjici......

IVS.

FAMILIA SERVILIA, SESTIA.

„ IVS. C. F. M. N. VATIA. PRO. PR. AN. „ DCLXV. XII. K. NOVEMB. quibus indigitari existimo triumphum Servilii Vatiæ propraetoris, quam autem ob victoriam triumphaverit, mihi non liquet. Servilius Vatia Isaurici postea nomen adquisivisse legitur, sed utrum is ipse, an frater ejus fuerit mihi non liquet. Isauri Ciliciæ ejus populus, de quibus victis triumphasse Servilium docet Epitome Liviana LXXXXIII. *P. Servilius proconsul in Cilicia Isauros domuit, & aliquot urbes piratarum expugnavit.* Triumphus certe Servilii Vatiæ in hoc denario exprimitur per Victoriam bigas agentem." Hæc Ericius, verum bigati cum Victoria equos agitante, simpliciter Victoriati etiam dicti, nunquam triumphum denotare solent, nisi coronam vel palmam simul gerat Victoria. Ejusdem P. Servilii Vatiæ, ut Isaurici, de bello piratico triumphus in sequenti denario exprimitur.

XXII.

ISAVRICVS. Caput Romæ alatum, pone illud vox ROMA: e latere postico, *Publius* SERVIL*ius Cai Filius.* Proconsule in quadrigis triumphalibus, dextra scipionem eburneum; sinistra equorum habenas, Victoria per aera volitans, ei coronam porrigit.

Ad illustrem hujus denarii, a Goltzio in Fastis p. 168. vulgati, typum hæc notata invenio satis copiose in Commentariis Sebastiani Ericii p. 178. & seqq. „ Signatus fuit hic nummus Romæ „ A. V. C. DCLXXIX. quo de Isauris, Ciliciæ „ populo, victoriam reportavit Servilius, inde Isauricus dictus: Tria bella contra prædones istos gessit populus Romanus. Primum sub M. Antonio prætore, secundum sub P. Servilio hoc, Isaurico inde dicto; & tertium postea consummatum per Cn. Pompejum Magnum. Originem hujus belli hisce exposuit Florus *Interim dum populus Romanus per diversa terrarum districtus est, Cilices invaserant maria, sublatisque commerciis, rupto fœdere generis humani, sic maria bello, quasi tempestate, præcluserant. Audaciam perditis furiosisque latronibus dabat inquieta Mithridaticis præliis Asia. dum sub alieni belli tumultu, exterique regis invidia impune grassantur, ac primum duce Isidoro contenti proximo mari, Cretam inter atque Cyrenas, Piræum & Achaiam, sinum Maliacum, quem a spoliis aureum ipsi vocavere, latrocinabantur. Missusque in eos P. Servilius, quamvis leves & fugaces myoparones, gravi, & Martia classe turbaret, non incruenta victoria superarat. Sed nec mari submovisse contentus, validissimas urbes eorum & diutina præda abundantes, Phaselin, & Olympum evertit, Isauronque ipsam arcem Ciliciæ, unde conscius sibi magni laboris, Isaurici cognomen adamavit.* De rebus per Servilium isto bello gestis sic scripsit Orosius: *P. Servilius ex consulatu Ciliciam, & Pamphiliam crudelissime adortus, dum subdere studet, pæne delevit. Lyciam, & urbes ejus obsessas, oppressasque cepit. Præterea Olympum montem pervagatus Phaselin evertit, Corycum diruit, Tauri montis latera in Ciliciam vergentia perscrutatus Isauros bello fractos in deditionem redegit, primusque Romanorum per Taurum duxit exercitum, ac limitem itineris fecit. triennio emenso, quo bellum gestum est, Isaurici nomen assumpsit.* Scribit idem Eutropius, Livius in Epitoma, Strabo lib. XIV. & Cicero in Verrinis. Ammiani Marcellini lib. XIV. hæc sunt verba: *Cilicia & Isauria provinciæ, bello quondam piratico catervis mixtæ prædonum, a Servilio proconsule missæ sub jugum, factæ sunt vectigales.* Justinus insuper lib. XL. & Rufus ita scribunt: *Pamphiliam, Phrygiam P. Servilius, ad bellum piratarum missus obtinuit.* Et hæc de victoria Servilii satis dicta sint. De triumpho vero ejusdem Servilii hæc habemus testimonia. Scribit Rufus: *Cilices & Isauros, qui se piratis & prædonibus junxerant Servilius, proconsul, ad prædonum bellum missus, subegit, & viam per Taurum montem primus instituit, & de Cilicibus, & Isauris triumphavit, atque Isauricus cognominatus est.* Pedianus quoque in Verrinas Cic. Orationes: *P. Servilius bellum in Ciliciam gessit deque ea triumphavit, captis Coryco, Olympo, Phaselide, tribus magnis ejus terræ urbibus.* Ipse Cicero: *P. Servilius quæ signa, atque ornamenta ex urbe hostium, & virtute capta belli lege, atque imperatorio jure sustulit, ea populo Romano adportavit, per triumphum vexit.* Valerius Maximus lib. VIII. *P. Servilius consularis, censorius, triumphalis, majorum suorum titulis Isaurici cognomen adjecit.* Poeta denique Claudianus:

„ *Indomitos curru Servilius egit Isauros.*

„ Triumphi denique Servilii de Isauris testis est luculentus hic denarius, in quibus quadrigæ visuntur triumphales, quibus insistit triumphans Servilius, quem advolans coronat Victoria."

XXIII.

Publius ISAVRIC*us Publii Filius* CN*eus* DOMIT*ius Marci Filius* CALVIN*us.* Caput Jovis Capitolini laureatum: ex aversa parte, EX *Senatus Consulto.* Fulmen cum clypeo transverso, in corone quernea.

Pertinet hic nummus ad Publii Isaurici præcedentis filium Publium, bis consulem. Videtur denarium signasse triumvir monetalis una cum collega Cn. Domitio Calvino, & quidem ex senatusconsulto, quod forte illa pecunia inpenderetur ad templi Jovis Capitolini ornatum. Vulgavit denarium Goltzius in Fastis p. 178.

XXIV.

CAESAR AVGVSTVS TRIBVNICIA POTESTATE. Caput Augusti nudum: ex averso latere, *Marcus* SERVILIVS GEMINVS IIIVIR *Auro Argento Aeri Flando Feriundo.* circa ambitum, *Senatus Consulto.* in area.

Qui, ut triumvir senatus, hunc nummum signavit, M. Servilius Geminus, Goltzio creditur fuisse is qui A. V. C. DCCLV. cum L. Ælio Lamia ad consulatum pervenit. Filium M. Servilii, qui in bello civili Cassii legatus fuit, existimat fuisse Vaillantius. Vulgavit nummum Goltzius in Fastis p. 224.

Prætermisit hoc in loco Morellius nummum gentis Serviliæ, qui est C. Servilii P. F. sed quum illum vulgaverit supra tab. prima num. XII. occasione M. Æmilii Barbulæ, ibi inveniri poterit.

SESTIA.

PVBLIVS DOLABELLA. Caput virile nudum, quod ipsi Dolabellæ in Familiis Cornelia & Trebonia adjudicat Vaillantius. Ab altera parte

parte est tripus, inposita corona, in laurea, & inscriptio *Caius* TREBON*ius*. *Lucius* SEST*ius* *Publii Filius*.

Debuerat hic nummus ex Goltzianis poni hoc loco, sed neglexit illum Morellius, ut & Vaillantius, quamvis Morellius in Fam. Cornelia posuerit, & Vaillantius insuper in Trebonia. Et Vaillantius quidem (ut supra vidimus tab. XIV. num. 14.) Dolabellæ, quem senatus post cædem Cæsaris in Syriam miserat, exprimi faciem existimat, & a L. Sestio, ut quæstore ejusdem, fuisse cusum. Verum L. Sestius P. F. pro quæstore Bruti fuit, ut scriptores testantur, & an Dolabellæ sit facies valde dubito, neque enim XXV. annos expleverat, quum consulem sibi sufficere Cæsar eum volebat, at apud Goltzium macilenta & quodammodo senilis facies hæc exprimitur. Sculptores vero Vaillantii & Morellii picturam Goltzianam in hoc nummo non satis exacte sunt secuti. Unde suspicor faciem in nummo aliquantum fuisse detritam, ipsius vero Julii Cæsaris olim fuisse; sub quo (antequam quatuorviros monetales instituerit) triumviri monetales simul exstiterint P. Dolabella, C. Trebonius & L. Sestius P. F. ex quibus Trebonius postea in Asia vi & insidiis Dolabellæ fuit interfectus, Dolabella vicissim a Cassio ad mortem adactus, Sestius vero supervixit, & non tantum pro quæstore Bruti exstitit, inque ejus honorem nummos signavit, verum postea ab Augusto ipsi quoque in consulatu A. V. C. DCCXXX. fuit suffectus. Examinent ipsum nummum quibus contigerit illum in Galliis forsitan videre, nam præter literam G. alteram V. pro nota adposuit Vaillantius, qua innuere solet a se quoque illum nummum observatum fuisse. Exstat vero inter Goltzianos supra tab. decimaquarta num. XIV.

Tripus & corona atque laurea quibus includuntur, videntur respicere ad Cæsaris pontificatum, honores, & victorias.

TAB. XXXII.

SEXTIA.

I.

Caput Romæ galeatum: ex aversa parte *Caius* SEX*tius* CALVIN*us*. in imo ROMA. Castor & Pollux equites, decurrunt, astris insigniti, cum hastis.

Vulgavit hunc denarium Goltzius in Fastis p. 148. ad A. V. C. DCXXIX. quo consul fuit cum C. Cassio Longino C. Sextius C. F. Calvinus, ad quem sequentem denarium itidem spectare judicavit; verum Vaillantius ob simplicitatem typi & scripturæ patri Sexto adjudicat. In quæstura patris filiive cusus fuisse videtur.

II.

CALVINVS PRO CO*n*S*ule*. EX *Senatus* *Consulto*. Caput Jovis Capitolini laureatum: ex averso latere *Caius* SEXTIVS. in imo ROMA. Proconsul in quadrigis triumphalibus, dextra scipionem eburneum tenet, sinistra ducit equos, Victoria per aera volitans coronam ei porrigit.

Exstat hic denarius itidem in Fastis Goltzii p. 149. ad A. V. C. DCXXXI. quo de Liguribus, Vocontiis, Salluviisque triumphavit proconsule C. Sextius C. F.

Illustravit denarii hujus typum Ericius p. 128. ita scribens: „ Signatus hic nummus Romæ fuit „ A. V. C. DCXXXI. quo C. Sextius Calvinus „ domuit Ligures, Vocontios, & Salluvios, deque „ iisdem triumphavit. Consul enim successerat „ M. Fulvio, qui consul provinciam illam fuerat sortitus, & prorogato imperio Salluvios, „ ut omnes scribunt historici, perdomuit. Hinc „ scribitur in Epitoma LXI. *C. Sextius proconsul,* „ *victa Salviorum gente, coloniam Aquas Sextias* „ *condidit, ob aquarum copiam, & a calidis & frigidis fontibus, atque a nomine suo ita adpellatas.* „ Scribit etiam Vellejus victos a Sexto Calvino „ fuisse Salvios ad Aquas Sextias, qui locus deinceps nomen ab illo accepit. Apud Strabonem quoque legimus lib. IV. Sextium, postquam Salvios vicisset, non longe a Massilia „ oppidum sui nominis condidisse, quod ab aquis „ calidis & suo nomine Aquas Sextias adpellavit. „ Hinc quoque Solinus cap. VIII. *Aquæ Sextiæ* „ *quondam hiberna Consulis, postea excultæ mœnibus.* Docet & Ammianus Marcellinus Gallos „ per Fulvium fuisse tentatos, a Sexto autem „ victos & subactos. Sextium vero Calvinum „ de Gallis victoriam obtinuisse, atque deinceps „ triumphasse, testimonium clarum reddit hujus „ denarii typus, in quo cernitur quadrigis triumphalibus insistens, quem Victoria advolans „ coronat. "

SOSIA.

III.

Caius SOSIVS *Cai Filius*. Caput Victoriæ medio corpore, cum alis supra dorsum: ex aversa parte, ROMA. Sosius in quadrigis triumphalibus, dextra tenet scipionem eburneum, sinistra habenas equorum.

De C. Sosio, M. Antonii duce, qui Judæos sub rege Antigono devicit, illumque captivum ad Antonium deduxit, plura diximus ad illius nummos supra p. 397. & 398. Antigonum ad Herodis preces securi percussit Antiochiæ Antonius, Sosius autem triumphavit A. V. C. DCCXIX. Exstat hic nummus apud Goltzium p. 195. ad dictum annum, in Fastis Consularibus.

SILIA.

IV.

NERVA. Caput Libertatis: ex aversa, *Publius* SILIVS *Publii Filius Cai Nepos* PRo-CO*n*S*ule*. Silius in quadrigis triumphalibus, pone Victoria illi coronam imponit, ipse dextra scipionem eburneum tenet, sinistra habenas equorum.

Vulgavit hunc denarium Goltzius in Fastis p. 212. ad A. V. C. DCCXXXVIII. quo judicat P. Silium P. F. C. N. Nervam proconsule ex Alpibus & Pannoniis triumphasse. Sententiam ejus amplexus est Vaillantius. Patrem ejus existimat fuisse P. Silium Nervam, qui proprætore rexit Pontum & Bithyniam annis V. C. DCCII. & DCCIII. Consulatum obtinuit Silius filius una cum M. Apulejo A. V. C. DCCXXXIII.

V.

V.

AVGVSTVS TRIBVNIC*ia* POTEST*ate.* in corona quernea: ex aversa, *Caius* SILIVS *Publii Filius* IIIVIR *Auro Argento Aeri Flando Feriundo.* circa ambitum: *Senatus Consulto.* in area.

Filius præcedentis Silii judicatur fuisse hic Silius, triumvir monetalis senatus, ut ex nummo liquet. Et ipse ad consulatum pervenit A. V. C. DCCLXV. ad quem in Fastis p. 232. vulgavit nummum Goltzius.

STATILIA.

VI.

Caius MEMMIVS. TAVRVS PR*o*CO*n*-*Sul.* Caput Neptuni, cum tridente: ex aversa *Titus* STATILI*us.* Victoria coronam imponens tropæo proræ proximo, in cujus ima parte sunt temo & ancora decussatim posita.

Quum denarium hunc vulgasset Goltzius in Fastis p. 195. ad A. V. C. DCCXIX. quo T. Statilius Taurus proconsule ex Africa triumphum duxit, censuit Ericius eo anno cusum fuisse hoc numisma, & ad victoriam Africanam esse referendam. Scribit enim ita p. 228. „ Signatus „ fuit hic nummus Romæ A. V. C. DCCXIX. „ quo de Africa proconsule triumphavit T. Sta- „ tilius Taurus. Eo enim anno eundem ex illa „ provincia triumphasse nos docent Tabulæ Ca- „ pitolinæ. Misit vero hunc Taurum in Afri- „ cam Cæsar, postquam vicisset in Sicilia Lepi- „ dum, cujus provincia erat Africa. Scribit „ enim Dio Cassius lib. XLIX. consulibus Coc- „ cejo & Gellio Cæsarem obtinuisse Africam si- „ ne certamine, idque virtute Statilii Tauri. „ Ignobilitatem novitatemque familiæ ejus notat „ Vellejus, quam tamen ait non obstitisse, quo „ minus virtute sua ad plures consulatus & tri- „ umphos perveniret. Triumphi autem & vi- „ ctoriæ Tauri testis est hic nummus, qui a par- „ te altera caput habet Neptuni, ab altera ve- „ ro Victoriam coronantem tropæum, quod ro- „ stro navis, temone, & anchora instructum est; „ unde patet victoriam fuisse navalem. C. Mem- „ mii nomen, quod ad Neptuni caput legitur, „ innuere videtur triumvirum monetalem eo tem- „ pore fuisse Memmium. " Hæc Ericius; sed magis rationi consentanea videtur esse Vaillantii explicatio, qui p. 434. C. Memmium existimat quæstorem fuisse T. Statilii Tauri, & cusum fuisse nummum in memoriam victoriæ Siculæ atque navalis de Sexto Pompejo. Vide plura de hoc Tauro apud eundem Vaillantium.

VII.

OB CIVIS SERVATOS. Corona civica, seu quernea, inter duos lauri ramos: *Titus* STATILIVS T*iti Filius* TAVRVS IIIVIR *Auro Argento Aeri Flando Feriundo.* circa ambitum. *Senatus Consulto.* in area.

Signatus hic nummus est a filio præcedentis T. Statilii Tauri, triumviro senatus monetali. Notat Vaillantius filium hunc Taurum patris Titi nomen adponere, utpote per illum nobilitatum, Titum vero patrem, quamvis & ipse Titi filius esset, id non fecisse, quoniam familia ejus obscura & ingloria erat. Opponi potest, M. Agrippam, æque obscurum, tamen Lucii patris prænomen in nummis suis adnotasse.

Vulgavit hunc nummum Goltzius in Fastis p. 205. ad consulatum Tauri, sed patris, non filii A. V. C. DCCXXVII.

VIII.

CAESAR AVGVSTVS TRIBVN*icia* POTEST*ate.* Caput Cæsaris laureatum. Ab altera parte in area nota est senatus consulti, & eadem T. Statilii Tauri, sed omisso patris nomine, inscriptio.

Exstat nummus apud Goltzium in Fastis pag. 230. ad A. V. C. DCCLXIII. sive consulatum Tauri filii.

IX.

CAESAR AVGVSTVS TR*ibunicia* PO-T*estate.* Caput Augusti laureatum. Ab altera parte in area nummi nota est senatus consulti, & in ambitu T*itus* STATILIVS SISENNA IIIVIR *Auro Argento Aeri Flando Feriundo.*

Legitur hic T. Statilius, cognomine Sisenna, triumviratum monetalem gessisse. Nam in aliis nummis T. Statilio Tauro conjunguntur, ut collegæ, Regulus & Pulcher, ex familiis Livineja & Cornelia. Hinc videntur duo T. Statilii fuisse, alter filius T. Statilii Tauri consularis, alter ex eadem familia, sed cognomine Sisenna. Hic nummus invenitur in Goltzii Augusto p. 64.

SVLPICIA.

X.

Caput Romæ galeatum, pone quod ROMA: ex averso latere, *Caius* SVLP*icius* PATERCV-L*us.* Jupiter in quadrigis triumphalibus, dextra fulmen tenet, sinistra habenas equorum. Litera Q. alphabetica, & nota matricis additur.

Ad hujus denarii typum ita commentatus est Ericius p. 15. „ Signatus fuit hic nummus Ro- „ mæ A. V. C. CCCCLXXXXV. consule C. „ Sulpicio Paterculo, quo is de Afris & Sardis „ triumphavit, ut Tabulæ Capitolinæ testantur. „ Polybius de eadem re sic scriptum reliquit: *Consu-* „ *les in Siciliam profecti Panormum, ubi Romanorum* „ *tum copiæ hiemabant, totum belli impetum conver-* „ *tunt, eo vero oppido relicto Hippanam, & Myti-* „ *stratum capiunt, Camarinam, quæ a se defecerat,* „ *recipiunt; Ennam, & alia Pœnorum oppida, oc-* „ *cupant, Liparas obsident.* Florus item: *Calati-* „ *no dictatore omnia fere præsidia Pœnorum Agri-* „ *gento, Drepano, Panormo, Eryce, Lilybæo detra-* „ *cta, trepidatum semel circa Camarinensium saltum.* „ *sed eximia virtute Calpurnii Flammæ tribuni militum* „ *evaserunt.* Idem in Epitoma XVII. *Atilius Ca-* „ *latinus, consul, cum in locum iniquum, a Pœnis* „ *circumsessum, temere duxisset exercitum, M. Cal-* „ *purnii, tribuni militum, virtute & opera evasit, qui* „ *cum trecentis militibus eruptione facta, hostes in se* „ *convertit.* Ex quibus testimoniis patet A. V. „ C. CCCCLXXXXV. consulibus A. Atilio „ Calatino & C. Sulpicio Paterculo victoriam de „ Afris & Sardis relatam fuisse, quam in hoc de- „ nario fuisse signatam nemo negare poterit. " Eadem fere habet Vaillantius, sed ex Zonara addit peculiaria quædam ad victoriam navalem C. Sulpicii Paterculi de Annibale & Pœnis spectantia.

Vulgavit nummum Goltzius in Fastis, ad dictum annum p. 88.

XI.

Caput Romæ galeatum: ex altera parte *Publius* GALB*a*, in imo ROMA. Senator in bigis decurrentibus, dextra habenas tenet, Victoria per aerem volitans illi coronam porrigit.

Hunc P. Sulpicium Galbam retulit Goltzius in Fastis p. 110. ad A. V. C. DXLII. quo consules fuerunt P. Sulpicius Ser. F. P. N. Galba, & Cn. Fulvius Centumalus. Sed magis commode videtur Vaillantius tribuere P. Galbæ Ser. F. Ser. N. qui temporibus Ciceronis vixit, & ejus ad consulatum competitor fuit. Typum nummi idem explicavit de Sulla, cujus imaginem in bigis expresserit Galba, ab eodem inter viginti quæstores, quos primus creaverat, relatus. Unde ad A. V. C. DCLXXIII. referendus esse videtur.

XII.

MAXIM*us*. Caput Romæ galeatum, pone quod ROMA. Ex postico latere, *Publius* SVLP*icius* GALBA. Castor & Pollux equites, astris insignes, cum hastis decurrunt, in imo est canis venaticus.

Refertur ad P. Sulpicium Ser. F. Galbam, quo consule ad portas urbis Romæ accessit Annibal, sed imbribus, tanquam prodigio, territus, recessit. Consulatum cum Cn. Fulvio Centumalo gessit A. V. C. DXLII. sed nummum in quæstura urbanam signasse videtur. Canem Galbarum fuisse sigillum scribit Vaillantius. Publicavit nummum Goltzius in Fastis p. 115. ad A. V. C. DL. quo dictator fuit Galba comitiorum habendorum caussa.

XIII.

Caput Victoriæ pectore tenus, cum alis in dorso: ex aversa parte *Caius* SVLPICI*us Cai Filius Cai Nepos* GALVS. Consul in quadrigis triumphalibus, dextra tenet lauri ramum, sinistra habenas equorum.

Ligures subegit C. Sulpicius C. F. C. N. Gallus, consul A. V. C. DLXXXVII. cujus laudes vide apud Vaillantium. Nummum hunc, triumphi de Liguribus memoriam servantem, vulgavit Goltzius in Fastis p. 133.

XIV.

Lucius HOSTIL*ius* MANCIN*us* TVLL*us*. Tulli Hostilii Regis caput, diademate ornatum: in postica, SER*vius* SVLPIC*ius* GALBA. Navis prætoria, cum remis.

Egimus de nummo hoc supra p. 569. in gente Hostilia, ubi profertur tabulâ inter Goltzianas decimaoctava num. XV. Vulgatur hic a Goltzio in Fastis p. 141.

XV.

EX *Senatus Consulto*. Caput Libertatis velatum: ex altera parte, SER*vius* SVLPICIVS IIIIVIR. in imo *Marcus* BIBVL*us* IMP*erator*. Sella curulis, supra quam urceus, inter simpulum & pateram.

Quum aureum hunc nummum vulgasset Goltzius in Fastis p. 176. ad A. V. C. DCCII. quo consul cum M. Claudio Marcello fuit Servius Sulpicius Rufus, ad quem denarium hunc retulit Vaillantius, non bene lecta epigraphe, pro IIII viro IIIvirum legit, uti patet ex hac ejus explicatione, quam profert p. 453. „ Alter, e plebeja Sulpiciorum gente, Ser. Sulpicius Rufus, „ & etiam triumvir monetalis prodit, qui denarium, ex senatusconsulto, in M. Calpurnii Bibuli honorem, dum imperatoris titulum prætor meruit, ob Marcellos patrem & filium, „ novos motus ex Catalinaria conjuratione suscitatos, compressit; ut in Calpurnia gente diximus, num. XXVII. Ideo caput Libertatis, „ tanquam ab eo vindicatæ, in antica parte expressit; & sellam curulem, ut prætoris insigne, cum instrumentis pontificalibus, Bibuli „ sacerdotii symbolis, in aversa exhibuit."

At vero quum IIIIvir dicatur Ser. Sulpicius Rufus, non potuit signari nummus ab illo ut IIIviro monetali. Neque tamen IIIIvir monetalis existere potuit, quum illi a Cæsare fuerint instituti post mortem Bibuli, tum consularis. Itaque existimo M. Bibuli prætoris legatum in illa expeditione fuisse Ser. Sulpicium Rufum, qui A. V. C. DCCII. ad consulatum pervenit, & simul quatuorvirum alicujus collegii. Refero itaque nummum ad A. V. C. DCLXXXXI.

XVI.

AVGVSTVS *Pater Patriæ* CO*n*S*ul* X. Caput Augusti nudum. Ab altera parte coloniæ symbolum bos est, hæc nomina inscribuntur, *Caio* SVLPICI*o Caio* PONTIO *Publio* OREST*e* II VIR*is*.

Potest hic innui C. Sulpicius Serv. F. Ser. N. Galba, qui ad consulatum pervenit cum D. Haterio Agrippa A. V. C. DCCLXXIV. Vulgavit hunc nummum Goltzius in Fastis p. 205.

XVII.

Publius SVLPICIVS *Publii Filius* QVIRINVS IIIVIR. Sic enim conjunctim inscriptio utriusque partis legi debet. A parte priore cernitur caput Veneris myrto coronatum, capillo sic comto & ornato, ut in quibusdam Julii Cæsaris nummis cernimus. Pars posterior lupam cum gemellis ad Tiberis ripam sub septem Romæ collibus depingit.

Referri potest elegans hic denarius ad P. Sulpicium Quirinum, patrem Quirini, quo proconsule Syriam curante natus est Servator hominum Christus. Quirinus pater consul fuit A. V. C. DCCXVII. Ab illo autem cusum existimat Vaillantius sub Cæsare Julio, antequam is numerum triumvirorum monetalium augeret. Potest, & majori forsan jure, referri ad filium Quirinum, triumvirum monetalem Augusti Cæsaris, qui ad magnos postea honores & divitias pervenit. Consul is fuit A. V. C. DCCXLI. atque in Syriam deinde proconsule missus est. Ad hujus consulatum in Fastis p. 214. denarium hunc vulgavit Goltzius, atque sic in eundem commentatus est Ericius p. 255. „ Cusus fuit hic nummus in urbe „ Roma A. V. C. DCCXLI. consulibus P. Sulpicio Quirino & M. Valerio Messalla Barbato, „ de quorum altero ita scribit Suetonius in Claudio: *Claudius Valeriam Messalinam, Barbati* „ *Messallæ consobrini sui filiam, in matrimonium* „ *duxit*. De altero Tacitus lib. III. *Nihil ad veterem & patriciam Sulpiciorum familiam Quirinus pertinuit, ortus apud municipium Lanuvium*. Ex Tacito vero cognoscimus Sulpiciam „ gentem antiquissimam & valde nobilem Romæ „ fuisse habitam, a qua originem suam repetebat „ hic Quirinus, qui ad Romulum quoque videtur genus suum retulisse, atque ideo ad nobilita-

„ litatem suam indicandam lupam cum gemellis „ signasse ad fluvii Tiberis ripas sub septem collibus urbi vicinis. Sed inscriptio ad caput nummi ostendere videtur cusum fuisse numisma, „ non quum consul, sed quum triumvir monetalis esset hic Quirinus, scribitur enim QVIRINVS IIIVIR. Anno consulatus hujus „ Quirini Dio scribit mortuum fuisse Agrippam." Hæc Ericius, & certum est P. Sulpicium Quirinum ignobilitatem familiæ suæ hoc typo voluisse occultare, quasi gentis suæ auctor, & veterum Sulpiciorum pater tempore Romuli Romam migrasset, atque inter primos ejus urbis auctores habendus esset.

XVIII.

CAESAR AVGVST*us* PONT*ifex* MAX*imus* TRIBVNIC*ia* POTEST*ate*. Caput Cæsaris Augusti nudum. Ab altera parte in area nummi nota senatusconsulti est, & in ambitu ejusdem SER*vius* SVLPICIVS GALBA III VIR *Auro Argento Aeri Flando Feriundo.*

Exstat hic nummus apud Goltzium in Augusto p. 64. & spectare videtur ad avum imperatoris Servii Sulpicii Galbæ.

Omisit Morellius in Fam. Sulpicia recensere nummum Goltzianum aureum P. Sulpicii Galbæ, in cujus parte priore legitur P*ublius* SVLP*icius*. ROMA. & navis est, supra quam graditur Victoria cum palma & corona. Ab altera parte est malus pro tropæo, proræ navis affixus; in cujus vertice velum exiguum, sine vinculis volitans: antenna transversa est in summo malo, ex qua pendet à dextris temo a sinistris ancora, in imo hinc & inde acrostolium, ut & captivi stantes, alter in veste curta, alter nudus, ambo manibus post terga revinctis sunt.

Vide insignis hujus denarii, quem inter veros adnumerandum puto, explicationem supra p. 505. inter Morellianos gentis Sulpiciæ nummos; & hunc quidem ex parte emendandum puto ex nummo Morelliano, alteram videlicet figuram, quæ curta veste induta videtur, togatam debere exprimi, & refingi ad togatam illam & pileatam figuram, per quam ibidem Græciæ libertatem exprimi diximus. Victoria, rati insistens, spolia inde Romam avecta & felix iter maritimum designare videtur. Et quidem in illo nummo Morelliano Servii Sulpicii nomen inscribitur, decus illud familiæ suæ adferenti; in hoc Goltziano autem Publii Sulpicii Galbæ; quod is scilicet æquo jure clarum & gloriosum illum typum denario suo inprimere poterat, utpote ex eadem gente Sulpicia & Galbæ familia.

Vulgavit hunc nummum Goltzius in Fastis p. 155. ad A. V. C. DCXLV.

TARIA.

XIX.

Lucius TARI*us* RVFVS. Caput juvenile Tarantis, (ut vult Vaillantius) laureatum & capillis cincinnatis ornatum: in aversa parte, *Marcus* MESSALLA *Marci Filius* BARBAT*us*. Taras (ut vult idem) nudus inequitans delphinum, sub quo tridens per transversum.

Ad hujus nummi illustrationem ita scripsit Vaillantius p. 457. „ L. Tarius Rufus, qui de„ narium hunc percussit, cum M. Valerio Mes„ sala Barbato, de quo in gente Valeria, ille vi„ detur esse, quem scribit Plinius lib. XVIII. „ cap. 6. infima natalium humilitate, militari in„ dustria, consulatum sub divo Augusto meruisse, „ ut mox dicturi sumus. Is in quæstura urbana „ cum Valerio Messala signavit denarium, in quo, „ ut originem nominis denotaret, nempe Tarii „ a voce Græca Τάρας, unius ex posteris Taran„ tis, quæ Tarentum urbem significat, ut nobis „ indicat Dionysius, de Situ Orbis.

Τάρας δ' ἁλὸς ἐγγύθι κεῖται.

„ Tarantis ejus conditoris caput ex una parte, &; „ ut erat Neptuni filius, ipsum delphino insiden„ tem expressit in altera, cum tridente in imo, „ patris imperii maris dei insigni, cujusmodi „ depingitur variis modis, in frequentibus Ta„ rentinorum, apud Goltzium, Magnæ Græ„ ciæ nummis."

Hæc Vaillantius; sed heroum & conditorum urbis capita apud Græcos in nummis passim diademate, non laurea, ornari solent; est itaque in parte priori caput Apollinis, in posteriori Palæmon, sive Melicerta, delphino insidens; quem plurimi nummi coloniæ Corinthi solent exprimere. Nam pertinet gloriosus rari hujus denarii typus ad Corinthi, ocelli quondam veteris Græciæ, sub Julio Cæsare instaurationem; quam, quum, repentina ejus cæde, nondum satis corroboratam videret Augustus, ad patris Julii gloriam, splendorem ejus multum auxisse videtur, & hoc facto occasionem dedisse, ut triumviri monetales ejus anni L. Tarius & M. Messalla Barbatus rem nobilem & illustrem posteritati in nummis suis relinquerent.

L. Tarius quis fuerit, docet Vaillantius d. l. „ Tarius, post magistratus ordinarios, ad consulatum evectus est in locum P. Cornelii Scipio„ nis suffectus an. 737. ut Fragmentum Collatia„ num nos edocet, & Valerius Messala; illius „ in quæstura collega, eum adeptus est, quatuor „ annis serius, nempe 741. ut in Dione legimus. „ De Tacito scribit Seneca, lib. 1. de Clementia „ cap. XV. filium, deprehensum in parricidio, „ caussa cognita, quum etiam Augustum advo„ casset, Massiliam relegasse, & annua illi præ„ stitisse, quanta præstare integro solebat." Nummum vero vulgavit Goltzius in Fastis p. 211. ad A. V. C. DCCXXXVII. quo ex calendis Juliis consul suffectus fuit.

TERENTIA.

XX.

Caput Fidei coronatum, pone quod litera ꟻ scilicet antiqua F. ex altera parte, *Lucius* AIMIL*ius Marci Filius* PAVLLVS. *Caius* TERENTI*us Auli Filius* VARRO. Sella curulis, supra quam corona, in vertice EX *Senatus Consulto.*

Confer quæ diximus ad hunc nummum supra p. 486. 487. tab. prima num. XV. gentis Æmiliæ. Notari meretur, quod de antiqua scriptura literas F. apud Latinos docet Vaillantius p. 465. „ Litera „ ꟻ est F. antiqua, ejus (*sic*) nomen *Fides* indicans, „ eam sic exaratam, supra omnes totius Furiorum „ familiæ tumulos observavimus; qui, nostra „ ætate, dum morabamur, Tusculi, in via pu„ blica, excelsa & antiqua arbore vento ex ter„ ræ

„ ræ visceribus avulsa eorum sepulchralem arcam „ detegente, reperti sunt." Sed & insuper notandum venit literam illam Græcam Π. quæ per ΓΙ a Vaillantio exprimitur, in ipsius nummi pictura incurvare alterum illud crus brevius ita Γ quasi ad Φ Græcorum magis accedens.

Prodiit denarius hic apud Goltzium in Fastis p. 207. ad A. V. C. DXXXVII. quo alter ex consulibus turpi fugæ honestam mortem prætulit, alter Cannensis cladis, sua temeritate acceptæ, nuncius, Romam reversus, quod de republica non desperasset, gratias sibi agere populum Romanum vidit.

XXI.

Caput Romæ galeatum, pone quod ROMA. & ante VARRO: ex altera parte, *Aulus* TERENTI*us*. Jupiter in quadrigis triumphalibus, dextra fulmen tenens, sinistra sceptrum & habenas equorum.

Ad hunc denarium, editum a Goltzio in Fastis p. 125. ad A. V. C. DLXX. quo A. Terentius C.F. A. N. Varro proprætore ovans de Celtiberis ex Hispania citeriore Urbem est ingressus, ita scripsit Ericius p. 77. „ Signatus fuit hic nummus in urbe Roma, quum A. V. C. DLXX. A. „ Terentius Varro proprætore victoriam de Celtiberis in Hispania citeriore, multis eorum castellis „ expugnatis, nactus, ovans Urbem est ingressus. Unde quietæ tum res in Hispania fuerunt, „ Lusitanis in Hispania ulteriore jam ante bello „ subactis. Et in citeriore quidem Hispania vi „ & machinis Corbionem urbem expugnaverat „ Varro, venditisque captivis quietem postea in „ hibernis egerat. In ejus ovationis itaque memoriam nummus hic cusus fuit cum quadrigis „ triumphalibus. Et quidem, quum alia occasione de triumphi solennitate egerimus, de ovatione pauca nunc dicturi sumus, qui honor „ triumpho minor erat. Ovatio itaque sic dicta „ fuit a voce *ohe*, quæ dici & ingeminari in publica ejusmodi lætitia solebat. Festus scribit tractam esse ab ingeminatione literæ *ò ò ò*, quum „ post relatam victoriam cum plausu redirent. De „ ovatione sic scriptum reliquit Gellius lib. V. „ *Ovalis verò corona myrtea est. Ea utebantur imperatores, qui ovantes introibant urbem. Ovandi autem, ac non triumphandi, caussa est, cum aut bella non rite indicta, neque cum justo hoste gesta sunt, aut hostium nomen humile, & non idoneum est, ut servorum piratarumque, aut deditione repente facta, in pulvere, ut dici solet, incruentaque victoria obvenit. Cui facilitati aptam esse Veneris frondem crediderunt, quod non Martius, sed quasi Venerius quidam triumphus foret.* Scribit Livius, „ M. Marcellum, die ante quam Urbem intraret (negatus enim illi fuerat triumphus) triumphasse in monte Albano, atque deinceps ovantem Romam fuisse ingressum cum multa præda, & simulacro Syracusanæ urbis captæ, bellicisque machinis ibi captis, aliisque quamplurimis ornamentis ibi inventis, vasis argenteis, „ æreisque miræ artis, vestibus pretiosis, atque „ regia suppellectile, & plurimis statuis magnorum artificum, quarum ingens copia Syracusis fuerat, octo præterea elephantis, in signum victoriæ a Pœnis relatæ, gratissimoque „ Romanis spectaculo Sosio Syracusano & Merico Hispano, qui ovantem præcedebant aureis „ coronis capita ornati. Horum alter portus Syracusarum Marcello aperuerat, alter arcem tradiderat. Augustus vero, ut scribit Suetonius, „ bis ovans urbem est ingressus, primum post victoriam de patris percussoribus, secundum post „ victoriam Siculam. Tiberius quoque, rebus „ in Germania egregie gestis, ovans, sed curru „ vectus, Urbem est ingressus, & primus exstitit, „ qui (ut ajunt) triumphalibus ornamentis fuit „ decoratus. Scribit Livius, Q. Capitolinum, „ victis Æquicolis, negato triumpho, Romam „ ovantem ingressum fuisse. Similiter consul P. „ Valerius, Carmentano recepto, ovans Urbem „ intravit. Manlius Capitolinus idem fecit. Æliorum quoque, ut & Fulviorum similes ovationes leguntur, quas collegit Blondus lib. X. „ Romæ Triumphantis. Alii equo alii pedibus „ ovantes intrasse Romam scripserunt, ut Gellius „ notat lib. V. his verbis: *Prætereundum non est, quod ovationes attinet, super quo dissensisse veteres scriptores scio. Partim enim scripserunt, qui ovaret, introire solitum equo vehente. Et Sabinus Massurius pedibus ingredi ovantes dicit, sequentibus eos, non militibus, sed universo senatu.* „ In ovationibus quoque tibicines præcedere solebant, instrumenta enim ad quæ saltabatur „ pacis tempore erant tibiæ; pecudibus quoque sacrificabatur, unde ovationem quidam volunt dictam fuisse. Ut itaque in triumpho tubarum erat strepitus, ita in ovatione tibiarum concentus, tanquam Martis alterum „ foret opus, alterum Veneris, nam & myrto, Veneri dicata arbore, coronabantur ovantes. Et „ hæc sufficiant de ovatione. Sed quum vel equites vel pedites Romam intraverint triumphantes, quæri potest, cur quadrigæ triumphales in hoc Varronis nummo sculpantur. Ad „ quæ respondeo, typum esse generalem triumphi quoque specialis."

XXII.

QVIRINVS. Caput Romuli barbatum & diademate ornatum: in averso latere, *Marcus* TERENTI*us* VARRO LVCVLLVS. Lupa, ubera Romulo & Remo præbens, in imo ROMA.

Edidit hunc denarium Goltzius in Fastis pag. 168. ad A. V. C. DCLXXX. quo consul fuit M. Terentius M. F. Varro Lucullus cum C. Cassio Varo. Hinc, quum a quæstore Sullæ M. Terentio Varrone Lucullo signatus sit nummus, cultum tamen consule eodem opinatur Ericius, ita scribens p. 180. „ Signatus fuit hic nummus Romæ A. V. C. DCLXXX. consulibus M. Terentio Varrone Lucullo & C. Cassio Varo. Caput, quod in anteriore nummi parte cernitur, „ Dei Quirini, sive Romuli, est, ad quem originem generis hic referre videtur voluisse. Cernimus idem fecisse alios quoque consules. Quum „ enim ut & alias diximus, bene de republica meriti essent cives, sive belli sive pacis „ egregiis facinoribus, vel ædificiis excitandis, aliisque ornamentis publicis, posteris eorum concessum erat a senatu, ut memoriam & vultum „ majorum suorum nummis insculperent, licet „ longo post tempore. Et hinc antiquorum regum & magnorum in republica virorum facies „ hodieque in nummis adcurate sculptas cernimus, ex eorum videlicet statuis & imaginibus „ desumtas, quæ & in publico Romæ visebantur, & in pompis funebribus præferri solebant. „ M. Terentius Lucullus itaque in hoc denario „ nobilitatem stirpis suæ ostentare voluit, quod „ a Romulo genus duceret, & ideo consul caput „ Romuli signari fecit. Quantum vero ex antiquis memoriis licet repetere, M. Licinius Lu-

„ cullus

„ cullus adoptatus fuit a M. Terentio Varrone, „ & hinc deinceps dictus fuit M. Terentius Varro Lucullus. Fratres adpellat Cicero Marcum „ & Lucium Lucullos, unde & Lucullo Macedoniam forte evenisse scribunt historici. "

Et hæc quidem Ericii de Romuli facie signata opinio est. Verum, sicuti supra n. XVII. P. Sulpicius Quirinus lupam cum gemellis signavit, ut antiquitatem familiæ suæ adsereret inde, quod majores sui inter quirites illos fuissent, qui temporibus Romuli Urbem inhabitaverant, ita Terentii quoque idem decus genti suæ adferuerunt, unde in nummo M. Terentii Varronis, qui Cnei Pompeji Magni proquæstore in bello piratico fuit (unde vulgari & in familia Pompeja & in Terentia solet) pariter Quirini caput sculpitur. Ex Licinia itaque gente in Terentiam transiens M. Lucullus præ se in nummis suis tulit nobilitatem & antiquitatem gentis ejus, ad quam adoptione perveneral. Fratres Luculli ex Plutarcho, historicis, & Ciceronis Oratione pro Archia, satis noti sunt.

XXIII.

Caput Dianæ, cum luna bicorni supra frontem, & pharetra cum arcu supra humeros : in aversa parte, *Aulus* TERENTIVS VARRO MVRENA. Cervus, quem duo canes insequuntur, spiculo ad cervicem volante.

Goltzius in Fastis p. 205. retulit hunc denarium ad A. Terentium A. F. Varronem Murenam, qui consul A. V. C. DCCXXX. in magistratu est mortuus; sed patri ejusdem adjudicavit Vaillantius, qui, itidem ut Lucullus, cujus præcedens fuit denarius, ex gente Licinia in Terentiam adoptatus, pro producto nomine familiæ, quod Licinianus erat futurum, cognomen Luculli retinuit. Vixit is temporibus Ciceronis, & in ædilitate hunc nummum cudit, ut putat Vaillantius, quod tum venationem ederet, cujus typum huic nummo inpressit. At majori jure filio tribui posse videtur, a quo signari potuit proquæstore Cæsaris Octaviani in memoriam ludorum Actiacorum, quam innumeri servant ipsius Cæsaris denarii, Dianæ quoque caput & deam venatricem cum arcu & cane venatico exhibentes.

T I T I A.

XXIV.

RVFVS. Caput Apollinis radiatum. Ab altera parte ejusdem nomen & prænomen legitur *Marcus* TITIVS, & cernitur luna crescens cum sex stellis.

Pertinere videtur denarius ad M. Titium Rufum Sex. F. qui ad præturam urbanam pervenit A. V. C. DCIX. non tamen in prætura hunc nummum signavit, sed in triumviratu monetali. At quum pater ejus Sextus bis prætura fuisset ornatus, illud decus familiæ suæ, per typum ludorum Apollinarium, quos prætores curabant, videtur voluisse exprimere. Ad alium M. Titium Rufum ex hujus (ut videtur) posteritate, retulit Goltzius in Fastis p. 200. videlicet ad consulem suffectum ex Calendis Majis A. V. C. DCCXXII.

TAB. XXXIII.

T R E B O N I A.

I.

ASPER. Jupiter pectore tenus, pone quem sceptrum: ex altero latere *Caius* TREBONI*us* *Cai Filius*. Ovis ante aram, ad cujus imum culter.

Creditur hic denarius pertinere ad C. Trebonium, qui primus ex percussoribus Cæsaris manibus interfecti pœnas dedit, Smyrnæ a Dolabella per dolum ex inproviso oppressus & cæsus. Fuerat is primus inter consules suffectos, qui mos initium sumsit A. V. C. DCCVIII. & quum Asiam proconsule regendam accepisset; post cædem Cæsaris in eam provinciam clanculum abierat, senatu clanculum consentiente. In prætura signatum fuisse nummum existimat Vaillantius, quod illi non concesserim. Forte in Asia signatus fuit. Exstat apud Goltzium in Fastis pag. 182.

Debuerat hic sequi alius hujus C. Trebonii nummus, in quo Dolabellæ item & Sestii nomina leguntur, sed quum is supra in gente Sestia pag. 621. 622. depictus & explicatus sit, eo lectorem mittimus, nam uterque eodem tempore cusus fuisse videtur.

T V L L I A.

II.

SERVI*us*. DECVLA. Caput Servii Tulli Regis diademate ornatum: ex altera parte, *Marcus* TVLLIVS *Marci Filius*. Figura nuda, dextra equum capistro tenet, sinistra strophium.

M. Tullius Decula, falsis imaginibus nobilitatem quærens, ut multi ejus temporis Romani, quamvis satis novi Quirites, Servii Tulli regis caput diadematum in denario suo hoc rarissimo expressit, quasi nominis similitudo natalium splendorem conciliare posset. Et, quoniam idem rex Romanorum censum primus invenit, atque equitum centurias, a Romulo institutas, a Tarquinio Prisco duplicatas, auxerat, hinc ab altera nummi parte equitem, manu equum ducentem, sive traductionem equitis, depinxit.

Post tribunatum plebis & præturam consulatum obtinuit cum Cn. Cornelio Dolabella M. Tullius M. F. Decula A. V. C. DCLXXII. Sed hunc denarium, ut passim fieri solebat, in triumviratu monetali, primo ad honores gradu, signasse videtur. Vulgavit nummum Goltzius in Fastis p. 7. & 165.

III.

Caput Romæ galeatum, pone quod ROMA, ex posteriore parte, *Marcus* TVLLI*us* *Marci Filius* CICERO. Castor & Pollux, equites, astris insignes, decurrunt.

Quum hunc nummum a Cicerone (ut videtur) in triumviratu monetali cusum, ad annum consulatus ejusdem, ut passim solet, illustriores captans magistratus, Goltzius in Fastis p. 172. vulgaverit, credidit Ericius (quæ Goltzio mens nunquam fuit) in consulatu Ciceronis cusum fuisse. Hinc ita scri-

ſcriptum reliquit p. 196. „ Cuſus fuit hic „ nummus Romæ A. V. C. DCLXXXX. con„ ſulibus M. Tullio Cicerone & C. Antonio. „ Ciceronis autem & patrem & avum Marci „ prænomen habuiſſe, diſcimus ex lib. V. Epi„ ſtol. lib. II. de Oratore, & lib. III. de Legi„ bus. Iſto anno tribuni plebis, non repugnante „ Cajo Antonio conſule, leges multas inſanas „ & reipublicæ noxias rogaverant; & primo qui„ dem, ut agri Pompeji victoria adquiſiti vende„ rentur a decemviris ad eam rem id a populo crea„ tos utque dein ex illa pecunia agri emerentur „ in quas plebs egena deduceretur; dein ut ager „ Campanus populo divideretur; ut proſcripto„ rum filii, quos honoribus privaverat dictator „ Sulla, revocarentur atque ad magiſtratus ca„ peſſendos admitterentur; ut condemnati am„ bitus P. Autronius & P. Sulla, honoribus & „ ſenatu arcerentur, aliaque ſeditionis plena. „ Quæ leges quo minus ferrentur, conſul Cicero „ prudentia ſua atque eloquentia, Dione quoque „ teſte, providit. Qua de re ipſe Cicero Oratio„ ne in Piſonem hisce gloriatus eſt: *Ego Kalen„ Januariis ſenatum, & bonos omnes legis agrariæ, „ maximarumque largitionum metu liberavi. Ego „ agrum Campanum, ſi dividi non oportuit, con„ ſervavi, ſi oportuit, melioribus auctoritatibus re„ ſervavi. Ego in C. Rabirio, perduellionis reo, qua„ draginta annis ante me conſulem interpoſitam ſe„ natus auctoritatem, ſuſtinui contra invidiam, atque „ defendi. Ego adoleſcentes bonos, & fortes, ſed „ uſos ea conditione fortunæ, ut, ſi eſſent magiſtratus „ adepti, reipublicæ ſtatum convulſuri viderentur, „ meis inimicitiis, nulla ſenatus mala gratia, comi„ tiorum ratione privavi.* Adparet ex iis, multa „ ſeditionis conſilia Cicerone & Antonio conſuli„ bus agitata Romæ fuiſſe; habebat enim novus „ conſul multos in Urbe inimicos, præſertim L. „ Sergium Catilinam, juvenem ſeditioſum, pa„ tricium, & nobilem, cujus conatibus obviam „ ivit Cicero, illamque teterrimam peſtem a „ republica avertit, atque conſilio & auctori„ tate ſua graviſſimam & perículoſiſſimam con„ jurationem oppreſſit.

„ Equites illi pileati cum ſtellis, Dioſcuri ſunt, „ & in innumeris nummis conſularibus adparent. „ Sed & collegæ Ciceronis Caji Antonii aureus „ nummus obſervatur, in quo a parte priore Her„ culis eſt caput in leonis exuviis, cum inſcriptio„ ne ROMA. A parte poſteriore ejusdem Her„ culis arma ſunt, clava, arcus, & plena telis „ pharetra, cum hac epigraphe *Caius* ANTO„ NIVS *Marci Filius*. Nummus iſte eodem „ quoque anno cuſus fuit."

IV.

AP*pius* CLAVDI*us Cai Filius* PVLCHER. Caput Veſtæ velatum, pone quod VESTA: ex altera parte, *Marcus* TVLLI*us Marci Filius* CICERO IIIVIR. Templum rotundum, in cujus aditu Veſtæ ſignum ſupra cippum.

Nummus hic videtur pertinere ad M. Tullii conſulis filium M. Tullium, quem Cæſar Auguſtus poſtea, ad eluendam proſcriptionis maculam, conſulem fecit A. V. C. DCCXXIII. Hic quatuorvir, monetalis ſcilicet, inſcribitur cum Appio Claudio Pulchro, qui conſulatum poſtea geſſit cum Norbano Flacco A. V. C. DCCXV. Veſtæ caput & ejus deæ templum videntur indicare eo anno templum illud fuiſſe reſtitutum vel ſingulari modo ornatum. Exſtat denarius apud Goltzium in Faſtis p. 201. ad annum quo conſulatum geſſiſſe diximus Ciceronem filium.

V.

CAESAR *Pontifex Maximus* DIC*tator* TER*tium*. Caput Julii Cæſaris velatum & laureatum, ante faciem eſt lituus. Ab altera parte in area nummi decuſſatim legitur *Quintus* TVLLIVS *Marci Filius* CICERO IIIVIR. & in ambitu *Auro Argento Aeri Flando Feriundo*. in laurea.

Adparet ex inſcriptione nummi, eundem pertinere ad fratrem Ciceronis Quintum, qui una cum fratre & filio in crudeliſſima illa proſcriptione periit. Pervenit ad præturam; & proprætore dein Aſiam obtinuit. Triumvirum monetalem ſub Cæſare tertium dictatore fuiſſe dicit nummus hic Goltzianus, quem ille vulgavit in Cæſare p. 12. Si itaque verus nummus eſt, triumvirorum monetalium numerus ante tertiam Cæſaris dictaturam non fuit auctus. Laurea Cæſaris victorias reſpicit.

VI.

ΓαΐΟ· ΚΑΙΣΑΡ ΑΥΤΟΚΡΑΤΩΡ ΑΡΧΙΕΡεὺς ΜΕΓας. *Caius Cæſar imperator pontifex maximus.* Caput Cæſaris laureatum. Ab altera parte aquila legionaria inter duo ſigna militaria cernitur, cum inſcriptione, ΚΟΙΝΤΟ· ΚΙΚΕΡΩΝ Γ. *Quintus Cicero. anno tertio.*

Æreus hic nummus a Goltzio profertur in Cæſare pag. 10. tanquam iſte ſcilicet ſub Cicerone proprætore in Aſia cuſus fuiſſet.

Quintus Cicero M. F. Marci Tullii oratoris frater, proprætore Aſiam obtinuit, eamque provinciam per triennium rexit; unde patet hunc nummum ſpectare ad A. V. C. DCLXXXXIV. Eo autem anno primum conſulatum obtinuit C. Julius Cæſar. Bellum vero civile inter Cæſarem & Pompejum geſtum fuit A. V. C. DCCIV. Non potuit itaque in hoc Ciceronis nummo caput Cæſaris ſignari; ſed potius & hic, & qui præceſſit, cum aliis ejusdem farinæ, ad fictos eſt relegandus & inprobos.

VII.

Caput Romæ galeatum cum denarii nota. Ab altera parte Caſtor & Pollux more ſolito equis inſidentes cernuntur, ſubtus ſcribitur *Marcus* TVLLI*us Marci Filius* CICERO.

Nota adpoſita C. P. docet nummum eſſe falſum atque fictum.

VIII. & IX. *abſunt.*

VALERIA.

X.

MESSALLA. Caput Romæ galeatum, pone quod ſpica: ex altera parte, *Manius* MAX*imus Marci Filius*. in imo ROMA. Quadrigæ decurrentes, in quibus Victoria, dextra tenens flagrum, ſiniſtra habenas equorum.

Vulgavit denarium hunc Goltzius in Faſtis p. 85. atque retulit ad Manium Valerium M. F. M. N. Maximum Meſſallam conſulem, qui A. V. C. CCCCLXXXX. de Pœnis & rege Siculorum Hierone triumphavit. Hinc Ericius p. 11. ad ejus illuſtrationem hæc ſcripta reliquit. „ Signa„ tus eſt hic denarius A. V. C. CCCCLXXXX.

„ quo

FAMILIA VALERIA.

„ quo consul Messalla de Carthaginiensibus & rege Siculorum Hierone triumphavit, ut Polybius atque Zonaras testantur. Polybii verba hæc sunt: *Consules inde M. Valerius, & M. Otacilius in Siciliam trajiciunt. quorum adventu non solum pleræque Carthaginiensium urbes ad Romanos defecerunt, sed ipse etiam Rex Hiero rebus suis diffidens pacem petiit, atque impetravit his conditionibus, ut captivos Romanorum sine pretio dimitteret, argenti talenta centum penderet, socius Populi R. esset. His rebus auditis Carthaginienses in Siciliam supplementum miserunt, Agrigentum tanquam arcem adversus Romanos tenuerunt. Consules fœdere cum Hierone icto ex Sicilia recesserunt.* Apud Zonaram hæc inveniuntur: *Consules Valerius Maximus & Otacilius Crassus tam seorsim quam una insulam pervagantes, multos in deditionem acceperunt, ac locis plerisque adjunctis Syracusas contenderunt. Hiero vero perterritus, redditis urbibus, quas ademerat, promissaque pecunia, & captivis dimissis, pacem petiit, atque impetravit. quod consules opibus ejus adjunctis facilius debellari Pœnos rebantur. Pactis firmatis, ad alias urbes, in quibus Punica præsidia erant, conversi, & cæteris repulsis, Segestam ultro se dedentem receperunt, atque ob hybernum tempus Rhegium reversi sunt, majore Punicarum copiarum parte in Sardiniam transportata.* Belli ejusdem atque victoriæ meminit Plinius lib. XXXV. his verbis *M'. Valerius Maximus Messala princeps tabulam picturæ prælii, quo Carthaginienses & Hieronem in Sicilia devicerat, proposuit in latere curiæ Hostiliæ anno ab* V. C. CDXC. Victoriam illam confirmat quoque Eutropius: *M'. Valerio & Otacilio consulibus in Sicilia a Romanis res magnæ gestæ sunt, Tauromenitani, Catanenses, & præterea quinquaginta civitates in fidem acceptæ sunt.* Macrobii itidem verba sunt lib. I. Saturn. *Valerius Maximus, postquam Messanam urbem Siciliæ nobilissimam cœpit, Messalla cognominatus est.* Ex hisce omnibus cernimus feliciter a consule Manio Valerio Messalla confectum in Sicilia fuisse bellum contra Pœnos & regem Syracusarum Hieronem, quod ipsum, teste Plinio, Romæ in pictura publicavit Messalla; imo ut Macrobius testatur, consul Valerius, ab urbe Siciliæ Messana capta, Messallæ deinceps cognomen tulit.

„ Signatus igitur eo anno Romæ victoriatus hic nummus sive quadrigatus fuit, victoriæ atque triumphi testimonium ferens. Spica, quæ in parte nummi anteriore cernitur, Siciliam insulam ejusque fertilitatem respicit, frugum copia & laude abundantem."

XI.

FALTO. Caput Romæ galeatum: ex aversa parte, *Quintus* VALER*ius Quinti Filius.* in imo ROMA. Victoria agit bigas, dextra flagrum tenet, sinistra habenas equorum.

Nummus hic victoriatus sive bigatus, spectans ad Q. F. Valerium Q. Faltonem, in ejusdem triumviratu vel quæstura urbana cusus videtur. Vulgavit illum Goltzius in Fastis p. *96.* & quidem occasione triumphi ejusdem Faltonis, ad illum annum, quo is prætor cum consule Catulo triumphavit. Hinc, Faltonis res gestas illustrans, ita scibit Ericius p. *27.* „ Nummus hic victoriatus signatus fuit Romæ A. V. C. DXII. quo triumphum navalem de Pœnis egerunt consul C. Lutatius Catulus & Q. Valerius Falto prætor; quum enim Sicilia consuli C. Lutatio Catulo sorte evenisset, prætori Q. Valerio Faltoni jussum a senatu fuit adjuvare conatus consulis, nam docet Epitoma XIX. eo primum anno duos prætores creatos fuisse: *Duo prætores tum primum creati sunt.* Horum alter jus in Urbe dicebat, alter in auxilium consulis Catuli mittebatur. Prætoris Q. Valerii mentionem quoque facit Zonaras. Utriusque triumphus confirmatur Valerii Maximi verbis cap. de Institutis. *C. Lutatius consul & Q. Valerius prætor circa Siciliam insignem Pœnorum classem delerant. eo nomine Lutatio consuli triumphum decrevit senatus. cum sibi decerni etiam Valerius cuperet, negavit id oportere fieri Lutatius, ne in honore triumphi minor potestas majori æquaretur. Valerius sponsione Lutatium provocavit, non se petiturum triumphum, nisi suo ductu Punica classis esset oppressa. Lutatius repignoratus est. Judex inter eos convenit Atilius Calatinus. Apud quem egit Valerius sic. Consulem ea pugna claudum in lectica jacuisse, se omnibus imperatoriis partibus functum. Calatinus adhuc tacente Lutatio secundum eum ipsum litem dedit, quoniam auspicio consulis esset bellum gestum.* Valerius tamen triumphasse videtur, quamvis contra illum pronuntiaverit Calatinus; unde dicitur primus fuisse prætorum qui triumpharunt. Erant prætores magistratus exercitibus præpositi. Unde & duces nonnunquam simpliciter prætores adpellantur. Mittebantur & in provincias populi Romani cum summa potestate. Prætorum nomen a *præesse* Livius, a *præire* Varro deducit, *quod præiret jure & exercitu.* Creabantur quoque Romæ prætores, qui in Urbe jus dicerent, quæ quoque potestas maximo jure prædita erat, sicut pro arbitrio suo novas ferre leges & veteres abrogare posset. Appianus Alexandrinus scribit nomen prætoris magnificum valde Romæ fuisse, qui exercitibus præpositi in bello gerendo juri consulum æquarentur. Primus Romæ prætor fuit Gabinius. Prætorum sæpissime nomen in denariis antiquis occurrit, ut & proprætorum. Erant proprætores, qui nonnunquam extra ordinem cum potestate & auctoritate prætoria in provincias vel ad exercitus mittebantur.

„ Signatus itaque hic nummus fuit eo anno, quo Valerius Falto prætor navalem egit triumphum de Pœnis prope Siciliam superatis, uti Victoriæ typus in nummi parte posteriore ostendit."

XII.

Caput Jani bifrontis barbatum & laureatum. Ab altera parte prora navis est & inscriptio *Publius* FALTO *Quinti Filius.* ROMA.

Protulit hunc assem sextantarium Goltzius in Fastis p. *97.* ad A. V. C. DXV. quo hic P. Valerius Falto, Quinti Faltonis, de quo modo locuti sumus, frater, consul fuit cum Cn. Cornelio Blasione. Orosius narrat Galliam provinciam illi obtigisse, quodque ibi quum primum infeliciter pugnasset, & repetita aliquanto post pugna egregie vicisset, tamen triumphum expetitum non fuerit adeptus, propter cladem priorem. Assem vero hunc in quæstura urbana signasse videtur.

XIII.

Caput Romæ galeatum: ex aversa parte *Marcus* MESAL*la* MAN*ii Filius.* infra ROMA. Castor & Pollux, astris insignes, decurrunt in equis, hastas gerentes.

Exhibet hunc denarium Goltzius in Fastis pag. 102. atque refert ad M. Valerium M'. F. M. N. Mes-

FAMILIA VALERIA.

Messallam, qui ad consulatum pervenit A. V. C. DXVII. cum L. Apustio Fullone. Typus vulgaris est, nummus in quæstura vel triumviratu Messallæ cusus.

XIV.

LAEVINVS. Caput Romæ galeatum, pone quod ROMA: ex averso latere, *Marcus* VALERI*us Publii Filius.* Castor & Pollux astris insignes, in equis decurrentes, cum hastis.

Goltzius in Fastis p. 110. hunc denarium retulit ad M. Valerium P. F. P. N. Lævinum, qui A. V. C. DXLIII. consul iterum fuit cum M. Claudio Marcello quartum, & cujus res prospere contra Pœnos gestas describit Livius.

XV.

AED*iles* CVR*ules.* Caput Cereris corona spicea ornatum, in aversa parte, T*itus* FLAMIN*inus* T*iti Filius Lucius* FLAC*cus Publii Filius.* EX *Senatus Consulto.* Duo Ædiles sedentes, hinc & inde spica, in aliis modius adest.

Vide quæ de hoc nummo diximus supra pag. 613. in Fam. Quinctia. Vulgavit illum Goltzius in Fastis p. 119.

XVI.

Caput Jovis Capitolini laureatum: ex altero latere, *Caius* VALER*ius Marci Filius Publii Nepos* LÆVINVS. Jupiter in quadrigis triumphalibus, dextra fulmen, sinistra sceptrum tenet & habenas equorum.

Invenitur hic nummus apud Goltzium in Fastis p. 129. ad A. V. C. DCCLXXVIII. quo, consuli mortuo suffectus anno ante C. Valerius Lævinus, proconsule de Liguribus triumphavit. Ad hunc nummum ita scriptum reliquit Ericius p. 87. „ Signatus fuit hic nummus Romæ A. „ V. C. DCCLXXVIII. quo C. Valerius Lævinus, victis Liguribus, de iisdem triumphavit. Quum enim istam provinciam jam diu „ ante desiderasset Valerius, forte eandem est „ adeptus, atque contra Ligures, quibus bellum „ a collega Q. Petilio illatum erat, est profectus. „ Divisis itaque exercitibus, nec uno in loco agentibus, Petilius in acie occisus fuit. Cujus „ temeritate prudentior factus Valerius, bellum „ feliciter confecit. Livius hujus belli mentionem fecit, licet, libris ejusdem deperditis, nesciamus quid illo bello gestum fuerit. Neque „ etiam triumphi ejus mentionem facit Livius, „ quem denarius hic per quadrigas triumphales „ gestum fuisse denotat, & de Liguribus devictis hoc anno actum. "

XVII.

Caput Nemeseos vel Libertatis potius: in postico latere *Aulus* TORQVAT*us Auli Filius* CO*nSul.* in imo *Marcus* MESSALLA *Marci Filius.* Sella curulis, per latera EX *Senatus Consulto.*

De hoc nummo, quem vulgavit Goltzius in Fastis pag. 135. vide quæ supra diximus pag. 591. in Fam. Manlia.

XVIII.

Caput Romæ galeatum, pone quod ROMA: ex altero latere, *Lucius* FLACC*us Lucii Filius.* Castor & Pollux astris ornati, equites, sed aversi cum hastis præ manibus.

Hunc denarium retulit Vaillantius ad L. Valerium Flaccum L. F. avo & proavo consularibus illustrem, quique & ipse ad consulatum pervenit A. V. C. DC. Sed Goltzius in Fastis p. 158. ad filium ejusdem refert consulem cum C. Mario VI. A. V. C. DCLIII. Simplicitas typi Vaillantio favere videtur.

XIX.

Victoria pectore tenus, cum alis in dorso: ex altera parte *Caius* VAL*erius* FLAC*cus* IMPERAT*or.* EX *Senatus Consulto.* Aquila legionaria inter duo signa militaria, in quorum dexteriore H. id est, *hastati*, & in sinisteriore P. id est, *Principes* legitur.

Similes omnino denarios habuimus inter Morellianos Familiæ Valeriæ, & quidem pluribus minoribus typis ante vel post caput Victoriæ insignitos, ut spica, tripode, &c. in hoc Goltziano hasta inversa sive lancea est.

Quis ille C. Valerius Flaccus imperator fuerit, & quæ ratio typi hujus signandi, vide supra ad Fam. Valeriam pag. 427. Exstat nummus apud Goltzium in Fastis p. 161.

XX.

Caput Jovis Capitolini laureatum: in postico latere, *Marcus* MESSALLA NIGER. Sella curulis, & per transversum, EX *Senatus Consulto.*

Hunc nummum aureum vulgavit Goltzius in Fastis p. 173. in quo videtur exstare memoria M. Valerii M. F. M. N. Messallæ Nigri, consulis A. V. C. DCLXXXXII. cum M. Pupio Pisone. Patrem Messallæ Corvini fuisse existimat Vaillantius, & nummum signasse in ædilitate curuli, & ideo depingi in nummo sellam curulem, quod in ædilitate illa ex senatusconsulto ludos magnos celebraverit. Verum ego existimo ædilibus vel prætoribus &c. non debere adscribi munus triumviris monetalibus proprium, & quod toties sellæ curules in eorum cernantur nummis, ideo fuisse factum, quod illi triumviri monetales sese commendare populo ad majores & curules honores voluerint, quos scilicet patres & avi ante gesserant. Nota vero EX *Senatus Consulto* docet, peculiari senatus jussu eo tempore certam monetæ summam cusam fuisse.

XXI.

Caput Apollinis cincinnatis capillis ornatum: in latere postico, *Marcus* VALERIVS *Cai Filius* MESSALLA. Sella curulis. EX *Senatus Consulto.* ad latera.

Spectat hic denarius ad M. Valerium C. F. M. N. Messallam, qui ad consulatum pervenit A. V. C. DCC. cum Cn. Domitio Calvino. Ratio typi eadem est, quæ fuit præcedentis, & quæ sequentis quoque videtur fuisse. Exstat nummus apud Goltzium in Fastis p. 176.

XXII.

ATRATINVS. Caput Libertatis: in postico latere *Lucius* SEMPRONI*us Lucii Filius Numerius* VALERI*us Marci Filius* MESSALLA. Sella curulis, supra quam corona.

De aureo hoc nummo, quem produxit Goltzius in Fastis p. 199. vide quæ dicta sunt supra pag. 615. ad Fam. Semproniam.

XXIII.

Marcus MESSALLA CO*nSul.* Caput M. Messalæ Corvini Consulis. Ex averso latere, *Marcus* VALER*ius Marci Filius Marci Nepos* CORVIN*us.* Simpulum, aspergillum, secespita & apex.

Pul-

Pulcherrimum hunc rarissimumque denarium, & cujus (quum genuinum putem) conspectum aliquot denariis libenter emerem, vulgavit Goltzius in Fastis p. 200. ad A. V. C. DCCXXII. quo ille Messalla Corvinus, quem tantis ob virtutem laudibus omnes scriptores Romani celebrant, consul fuit cum imperatore Cæsare Octaviano III. Discimus ex hoc nummo prænomina patris & avi, quorum uterque Marcus dictus fuit. Marcus Valerius Messalla Corvinus nepos, Bruto adhæsit, ut notum est, licet cædis Julii Cæsaris plane insons fuerit, quod etiam qui proscripserant eum triumviri confessi sunt; a quibus, quod prudentiam ejus & magnanimitatem metuerent, exemtus fuit ex numero proscriptorum, ut illum ad suas partes pertraherent; sed frustra, Cæsari enim demum post Bruti mortem accessit. Dum itaque partes reipublicæ sub Bruto fovet, ab illo sive quæsturæ sive legati munere auctus fuisse videtur, atque ita hunc signasse denarium; in quo quidem a parte priore caput & vultum expressit auctoris generis sui, nobilis illius consulis M. Valerii, qui a capta urbe Siciliæ Messana, A. V. C. CCCCLXXXX. primum Messana dein Messalla dictus fuit, illudque cognomen ad Valerios ex sua posteritate propagavit. Pars altera mihi non videtur cum Vaillantio pertinere ad ipsum Messallam, tanquam augurem, quod beneficium, ut ipse notat, postea a Cæsare Octaviano in illum collatum fuit; sed ad M. Junium Brutum, cujus in bello civili quæstorem vel legatum fuisse suspicor Messallam Corvinum. Bruti enim sacerdotium, quod in Fam. Junia inter nummos Morellianos plus semel per securim, capedunculam, & tripodem exprimitur, hic designatur per capedunculam, securim, adspergillum, & apicem.

XXIV.

Hercules pectore tenus, laureato capite cum clava in lævo humero, & ante illum malum granatum: ex altero latere, POTITVS VALERIVS MESSALLA. Templum sex columnarum, in cujus aditu Herculis stantis signum.

Ad hunc denarium a Goltzio in Fastis p. 202. editum, ita scripsit Ericius p. 242. „ Signatus „ fuit hic nummus Romæ A. V. C. DCCXXIV. „ sub consulatu Potiti Valerii, a C. Cæsare sibi „ ex Kalendis Juliis suffecti, patris L. Valerii Po- „ titi consulis A. V. C. DCCLVII. Ratio, cur „ in hoc denario ab altera parte cernatur caput „ Herculis, ab altera vero ejusdem dei templum, „ non aliunde videtur debere arcessi, nisi ex pe- „ culiari domus ejus erga Herculem religione. „ Pomi genus, quod ante caput Herculis cerni- „ tur, malum cotoneum esse videtur, quod vulgo „ Hesperidum a provincia Hispania, sive Hespe- „ ria, nomen habet, estque coloris aurei, unde „ ejusmodi poma aurea dicta sunt. Et hinc pul- „ cherrima ejus dei statua ærea Romæ cernitur „ hodieque in Capitolio, cum pelle leonina & „ clava, dextra manu tenentis tria poma, quæ „ materiam ingeniosis conjectatoribus præbue- „ runt allegoricos inde virtutis sensus exscul- „ pendi. " Hæc Ericius. Vaillantius quoque censet gentem Valeriam ex Hetruria, ubi Hercules peculiari in honore erat, oriundam fuisse, & hinc Potitum Messallam patrii seu aviti dei imaginem & templum in nummo suo signasse. Malum Punicum sive cotoneum ad concordiam mutuam ejus gentis refert. Ego malo de pomo Hesperidum capere, quod recte Herculi convenit.

TAB. XXXIV.

VALERIA *adhuc.*

I.

CORVINVS. Caput Jovis Capitolini laureatum, in imo ROMA: ex averso latere, *Marcus* MESSALLA. Quadrigæ triumphales in quibus Jupiter, dextra fulmen tenens, sinistra sceptrum & habenas equorum.

Ad hunc denarium, quem in Fastis pag. 204. protulit Goltzius, hic exstat Ericii commentarius p. 245. „ Signatus fuit hic nummus Ro- „ mæ A. V. C. DCCXXVI. coss. C. Cæsare „ VII. & M. Agrippa III. quo anno M. Valerius „ Messalla Corvinus proconsule ex Gallia trium- „ phavit. Legitur hic ejus triumphus in Fastis „ Capitolinis. Scribit quoque Dio Cassius Salassos „ aliosque populos, novos motus quærentes, domi- „ tos ab illo fuisse coss. Antonio & Libone, quum „ Cæsar imperator Dalmatis bellum inferret. Te- „ staturque Appianus Alexandrinus triumphum „ de Gallis propter victoriam Corvino concessam „ ab Augusto fuisse. Hic est ille triumphus cu- „ jus meminit Tibullus, cujus hi sunt versus ex „ lib. I. elegia VII.

„ *Hunc cecinere diem Parcæ, fatalia nentes*
„ *Stamina, non ulli dissoluenda deo.*
„ *Hunc fore Aquitanas posset qui fundere gentes,*
„ *Quem tremeret forti milite victus Atax.*
„ *Evenere: novos pubes Romana triumphos*
„ *Vidit, & evinctos brachia capta duces.*
„ *At te victrices lauros, Messalla, gerentem*
„ *Portabat niveis currus eburnus equis.*
„ *Non sine me est tibi partus honos, tua bella,*
„ *Pyrene*
„ *Testis, & Oceani littora Santonici,*
„ *Testis Arar, Rhodanusque celer, magnusque*
„ *Garumna,*
„ *Carnuti & flavi cærula lympha Liger.*

„ Confirmat hunc Messallæ triumphum dena- „ rius hic ipse, in cujus altera parte quadrigis „ triumphalibus insistens Jupiter cernitur. Con- „ sulatus autem VII. Cæsaris Augusti, sub quo „ hic nummus cusus fuit, fidem facit pulcherri- „ mus nummus aureus, qui est ipsius Augusti, in „ quo a parte priore caput ejus est cum hac inscri- „ ptione, AVGVSTVS DIVI *Filius* CO*n*S*ul* „ VII. CIVIBVS SERVATEIS. Ab altera „ parte aquila est, Romanorum propria, coro- „ nam civicam unguibus tenens, cui includitur „ nota senatusconsulti, positis hinc & inde lauri „ ramis. Corona civica ponitur in imperatorum „ nummis tanquam civium conservatorum, un- „ de passim additur OB CIVIS SERVATOS, „ vel CIVIBVS SERVATEIS. Laurus vero vi- „ ctoriæ & triumphi symbolum est. "

II.

Lucius TARI*us* RVFVS. Caput laureatum Apollinis: ex aversa parte, *Marcus* MESSALLA *Marci Filius* BARBATVS. Figura insidens delphino, sub quo tridens per transversum.

Vide quæ de hoc nummo diximus supra pag. 825. ad Fam. Tariam. Exstat apud Goltzium in Fastis p. 214.

III.

Marcus MESSALLA. *Marci Filius* III VIR. Capita Honoris & Virtutis jugata; COSSVS LENTVLVS CN*ei Filius.* Pons, supra quem ENSVBRIA. cum duobus fornicibus, in aqua subtus cymba cernitur.

L. Cornelius L. F. Lentulus & M. Valerius M. F. M. N. Messalla Cotta simul consulatum gesserunt A. V. C. DCCL. unde ad hunc annum in Fastis p. 221. denarium hunc publicavit Goltzius. Alius autem a consulis Messallæ collega est, qui ipsi in hoc nummo ut IIIvir sociatur, atque dicitur Lentulus Cossus Cnei filius, videlicet qui biennio post consul fuit cum L. Calpurnio Pisone, Cossus Cornelius Cn. F. Lentulus. Horum itaque consulatus, quum duobus annis tantum discrepet, videntur minores magistratus ab iisdem simul fuisse gesti, præsertim triumviratus monetalis, qui titulus nominibus illorum in hoc denario adscribitur. Vixerunt hi temporibus Augusti, qui multis præclaris operibus non modo Urbem, sed universam Italiam ornavit. Inter ornamenta Italiæ sub eodem principe exstructa videtur fuisse pulcherrimus iste pons, qui in posteriore hujus denarii parte depingitur, & quidem in Insubria, sive (ut in nummo scribitur) Ensubria. Addua fluvius ibidem notus est, supra quem hunc pontem constructum fuisse Vaillantius quoque existimat. Et quoniam ad Italiæ ornatum spectabat hoc ædificium, atque commodior ad Mediolanum via esset, neque Urbem modo sed & Italiam magnificis ædificiis exornabat Cæsar Augustus, hinc Honoris & Virtutis capita Italiæ & Romæ symbola esse videntur, jam ab eo scilicet tempore, quo coaluit, post bellum Sociale, sive Marsicum, fœdus indissolubile inter virtutem victricem Urbis Romæ atque Italæ terræ honorem; quod clarissime docere videtur denarius gentis Fufiæ inter Morellianos, ad quem vide quæ dicta sunt a nobis supra pag. 185. Hunc itaque nummum inter præclaros atque genuinos esse collocandum censeo.

IV.

Lucius VOLVSVS IIIVIR. Concordiæ velatæ caput, per transversum EX *Senatus Consulto.* Ex aversa parte, *Kæso* FABI*us* AMBVST*us Caius* VALER*ius* POTIT*itus* CO*nSules.* Duo senatores armorum spoliis insidentes, uterque lauri tenet ramum, Victoria stante, & supra amborum capitibus coronam tenente.

Occurrit in hoc denario triumvir monetalis Lucius Volusus, & quidem sub Cæsare Augusto, consulatum enim gessit cum Cn. Cornelio Cinna Magno A. V. C. DCCLVII. In hoc nummo videtur Liviæ Augusti honorem per caput deæ Concordiæ adumbrasse a parte priore, a parte posteriore generis sui antiquitatem Vaillantio expressisse videtur, & depinxisse Kæsonem Fabium Ambustum & C. Valerium tribunos militares consulari potestate A. V. C. CCCXLIX. & victoriam ab iisdem de Volscis relatam. Sed merito dubitari potest, utrum permutatio illa adpellationis hic locum habere possit. Nam alii erant consules, alii tribuni militares consulari potestate. Neque credibile est tribunos illos in publica præsertim moneta consules adpellatos fuisse. Hinc forsitan in ipso nummo detrita fuit litera P. ut lectum olim fuerit CO*nSulari Potestate* scilicet tribuni.

V.

ANT*onius* IMP*erator* CO*nSul* DESIG*natus* ITER*um* ET TER*tium* IIIVIR R*ei Publicæ Constituendæ.* Capita jugata M. Antonii & Cleopatræ. Ab altera parte sunt duæ triremes cum velis & remis, & inscriptio *Marco* BARBATO PROPR*ætore* PR*ovinciali.* Subtus est litera A. quæ videtur Africam designare.

Videtur hic innui M. Valerius M. F. M. N. Messalla Barbatus, qui sub Augusto deinde ad consulatum pervenit A. V. C. DCCXLI.

VI.

ANTON*ius* IMP*erator* CO*nSul* DESIG*natus* ITER*um* ET TER*tium* IIIVIR R*ei Publicæ Constituendæ.* Capita adversa M. Antonii & reginæ Cleopatræ. Aversæ partis typus & inscriptio similis est præcedenti.

Vulgavit utrumque nummum Goltzius in Cæsare p. 44.

VII.

CAESAR AVGVSTVS TRIBVNIC*ia* POTEST*ate.* Caput Augusti laureatum. Ab altera parte in area nummi nota senatusconsulti est, & in ambitu *Numerius* VALERIVS MESSALLA IIIVIR *Auro Argento Aeri Flando Feriundo.*

Valerius Messalla prænomine Numerii tantum innotescit ex hoc nummo, quem vulgavit Goltzius in Aug. p. 64.

VIII.

CAESAR AVGVSTVS TRIBVNIC*ia* POTEST*ate.* Caput Augusti laureatum. Ab altera parte nota senatusconsulti in area nummi est, & in ejusdem ambitu *Lucius* VALERIVS CATVLLVS IIIVIR *Auro Argento Aeri Flando Feriundo.*

Habuimus hunc L. Valerium Catullum, triumvirum monetalem senatus in Fam. Valeria, inter nummos Morellianos tab. secunda, num. III. pag. 626. Vulgavit hunc Goltzius, in Augusto p. 65.

IX.

AVGVSTVS TR*ibunicia* POT*estate* VII. Caput Augusti nudum. Ab altera parte Hercules nudus clavæ lapidi inpositæ cum leonis exuviis innititur. Inscriptio est, *Marcus* MESSALINVS *Marci Filius* IIIVIR.

X.

AVGVSTVS TR*ibunicia* POT*estate* VII. Caput Augusti nudum. Ab altera parte typus idem Herculis quiescentis, sed inscriptio hæc est, *Marcus* MESSALLINVS PR*o Quæstore.*

Ex duobus hisce nummis, quos protulit Goltzius in Augusto p. 74. discimus, Messallæ Corvini oratoris filium Messallinum, in quo paternæ quoque facundiæ imaginem agnovit Tacitus, triumvirum monetalem Augusti fuisse sub tribunicia potestate ejusdem VII. adeoque A. V. C. DCCXXXVI. & quidem postquam expleverat ipse annum triumviratus sui, nondum vero VIII. tribunitiæ potestatis inchoasset Augustus, proquæsturæ honore a Cæsare auctum fuisse.

Herculis imago ad originem Valeriorum Messallarum ex Hetruria respicere videtur, unde & num. XXIV. tabulæ præcedentis præter caput Her-

Herculis statuam ejusdem dei in templo hexastylo observare licet. Pervenit ad consulatum A. V. C. DCCL.

XI.

Nummi inscriptio ex utraque parte collecta hæc est, *Lucius* VALERIVS CATVLLVS III VIR *Auro Argento Aeri Flando Feriundo.* Nota senatusconsulti & incudis figura in area cernuntur.

Exhibetur nummus a Goltzio in Augusto p. 66. est vero idem Catullus, cujus nummum habuimus supra num. VIII.

XII.

ROMA. EX *Senatus Consulto.* Caput Romæ galeatum; ab altera parte capra est, cum inscriptione *Marcus* VALER*ius* COR. CLAVD. GR.

Nota C. P. docet nummum esse falsum.

XIII.

Lucius OCTACILIVS CRASSVS. Caput Victoriæ humeris alatis. Ab altera parte inscriptio est *Lucii* VALERI*i* FLACC*i*. & solitus Morellianorum nummorum L. Valerii Flacci typus, de quo egimus supra p. 428. 429.

Nota C. P. docet fictum esse nummum, cui falsarii manus L. Otacilii (sive, ut scribit, Octacilii) nomen addiderit.

XIV. *vacat.*

VALGIA.

XV.

SATVRNIN*us* RVFVS. Caput Junonis Lanuvinæ, pelle caprina amictum: ex aversa parte, *Caius* VALGI*us Cai Filius Quinti Nepos.* Figura togata escam porrigit ingenti serpenti, in gyros circumvoluto, ara intermedia, supra quam crater amplus.

Spectat hic denarius ad illum Valgium, quem a poëtices laude celebrant scriptores. Inter consules suffectos numeratur A. V. C. DCCXLI. ad quem vulgavit hunc nummum Goltzius in Fastis pag. 214. Crediderim ego Valgiam gentem aliquod sacerdotium Lanuvii habuisse, & propterea pro puella virum Romanum, togatum, velato capite, depingi quasi escam draconi porrigentem. Nummum triumvir monetarius signasse videtur.

VATINIA.

XVI.

Publius VATINI*us Publii Filius* CO*nSul.* Caput Veneris: ex aversa parte, *Quintus* MAX*imus Quinti Filius.* in imo *Senatus Consulto.* Sella curulis, hinc caduceus alatus, inde lauri ramus.

Habuimus hunc nummum supra p. 555. in gente Fabia num. XV. Vulgatus est a Goltzio in Fastis p. 178.

XVII.

Caius CAESAR IMP*erator* IIIVIR *Rei Publicæ Constituendæ.* Caput Augusti lanugine ornatum: ex aversa parte, *Publius* VATINIVS *Publii Filius* PRO CO*nSul.* Victoria in bigis currentibus, dextra tenens palmam, sinistra habenas equorum.

Videtur hic denarius servare memoriam triumphi P. Vatinii ex Illyrico. Post consulatum provinciam illam a Cæsare Julio acceperat, &, Cassio & Bruto cæsis, in eadem a triumviris fuerat confirmatus, unde Cæsaris Octaviani barbatum caput in nummo.

Fragmenta Capitolina testantur triumphum illum accidisse A. V. C. DCCXI. Vulgavit denarium hunc Goltzius in Fastis p. 187.

VENTIDIA.

XVIII.

IMP*erator* ANT*onius* AVGVR. IIIVIR *Rei Publicæ Constituendæ.* Caput Marci Antonii triumviri: ex altera parte, *Publii* VENTIDI*us Publii Filius* PR*o* CO*nSule.* Victoria in bigis decurrentibus, dextra palmæ tenens ramum, sinistra equorum habenas.

De rebus gestis P. Ventidii, legati M. Antonii, contra Parthos, hominis novi, sed generis sordes claritate factorum vincentis, vide supra ad nummos Morellianos p. 433. Victoria ejus Parthica in hoc denario exprimitur, propter quam merito triumphus illi fuit concessus A. V. C. DCCV. Edidit elegantem hunc denarium Goltzius in Fastis p. 193.

VETVRIA.

XIX.

CN*eus* SCIPIO CALV*inus* CO*nSul.* Caput deæ Monetæ: ex averso latere, *Lucius* VETVRI*us Lucii Filius* PHILO AED*ilis* CVR*ulis.* Templum octo columnarum.

Vide quæ notavimus ad hunc nummum supra p. 541. ad num. XVII. tabulæ decimæ tertiæ in gente Cornelia. Exstat apud Goltzium in Fastis p. 105.

XX.

Caput Romæ galeatum: ex altera parte, *Lucius* VETVR*ius* PHILO. in imo ROMA. Castor & Pollux, astris insignes, in equis decurrunt.

Retulit Goltzius in Fastis p. 107. hunc denarium ad L. Veturium Philonem, A. V. C. DXXXVI. dictatorem, & censorem A. V. C. DXLIII. in quo magistratu est mortuus. Sed Vaillantius ad filium retulit.

XXI.

Caput Jovis laureatum & barbatum: ex aversa *Lucius* VETVR*ius* PHILO. in imo ROMA. Navis.

Ex argumento temporis, quo asses sextantarii percutiebantur, semissem hunc, & denarium præcedentem, ad filium potius quam ad patrem retulit Vaillantius. Vulgavit hunc nummum Goltzius in Fastis p. 110.

XXII.

Lucius LVCRETIVS. Caput Romæ galeatum cum denarii nota. Ab altera parte est puer duplici cauda in piscem definens, olorem sinu fovens, & adscribitur *Titus* VETVRIVS. ROMA.

Fictus est nummus, ut ostendit addita nota C. P.

V I B I A.

XXIII.

Caput Jovis Capitolini barbatum, & laureatum: in altera parte, *Aulus* VIBI*us* HABITVS AED*ilis* CVR*ulis*. Aquila, alis expansis fulmini insistens, ante eam urceolus.

Goltzius in Fastis p. 228. ut & Vaillantius, hunc denarium referunt ad A. Vibium Habitum C. F. C. N. suffectum consulem ex Kal. Juliis A. V. C. DCCLX. eundem filium C. Vibii Vari, nepotem C. Vibii Pansæ, suspicatur fuisse Vaillantius. Ædilem curulem docet fuisse nummus. Sed ipse nummus mihi suspectus est; nam illis Augusti temporibus vix puto ejus generis denarios cum capite Jovis Capitolini signatos fuisse.

XXIV.

LEPIDVS *Pontifex Maximus* IMP*erator* ITER*um* IIIVIR ITER*um Rei Publicæ Constituendæ*. Caput Herculis barbatum in leonis exuviis cum clava ad collum. Ab altera parte inscriptio est *Lucius* VIBIVS VARVS IIIIVIR. Stat Pallas galeata & tunicata, dextra hastæ innixa, læva victoriolam tenens, ad pedes est clypeus cum angue.

L. Vibius Varus, qui huic nummo inscribitur, videtur fuisse frater C. Vibii Vari, cujus similes habuimus nummos in Fam. Vibia apud Morellium, supra pag. 630. Fuit enim & is temporibus triumvirorum reipublicæ constituendæ triumvir monetalis, & Herculis quoque caput signavit tab. Fam. Vibiæ prima num. IV. & lit. A. Herculis imaginem num. III. Minervam simili modo, ut in hoc nummo, stantem, num. IV. & V. & lit. A. caput quoque deæ Minervæ galeatum cum ægide ad pectus, num. III. Omnes illi nummi C. Vibii Vari respiciunt ad M. Antonium, vel Cæsarem Octavianum, quorum capita quoque in illis nummis observantur. Lucius vero Lepidi adscripsit nomen; nisi forte & hic nummus non ad Lucium sed Cajum Vibium Varum sit referendus. Facillime enim oculus falli potest, dum in nummis literam L. pro C. sese videre putat, & vice versa, præsertim si nummus ibi sit detritior. Suspicionem hanc mihi movet Vari cognomen. Si enim C. Vibii Pansæ, qui consul fuit cum Hirtio, filius fuit C. Vibius Varus, & nepos C. Vibius Habitus, frater ejusdem C. Vibii Vari Lucius, non videtur potuisse habere cognomen Vari, quod ne quidem ad filium C. Vibii Vari, Habitum dictum, transiit. Is enim a bono corporis habitu cognomen id nactus fuisse videtur, sicuti suum pater a cruribus varis & distortis.

Denarius hic aureus invenitur apud Goltzium in Cæsare, sive Triumviris, tab. XXVII.

T A B. XXXV.

V I B I A *adhuc.*

I.

Caput Lepidi triumviri barbatum, ab altera parte est inscriptio *Caius* VIBIVS VARVS. & stat figura muliebris dextra victoriolam læva cornucopiæ gerens.

Typus designat rerum omnium per victorias triumvirorum abundantiam. De C. Vibio Varo vide quæ dicta sunt a nobis supra pag. 441.

II.

Marcus LEPIDVS IIIVIR *Rei Publicæ Constituendæ*. Lepidi caput. Typus alterius partis similis est præcedenti, sed inscriptio hæc est. *Caius* VIBIVS VARVS IIIIVIR *Argento Publice Feriundo*.

Et hunc & præcedentem nummum vulgavit in Triumviris, sive Lepido, Goltzius tab. XXII.

III. *vacat.*

V I L L I A.

IV.

Caput deæ Fidei vel Libertatis. EX *Senatus Consulto.* ex altera parte, *Publius* VILLIVS T*Iberii Filius* T*Iberii Nepos* TAPPVLVS. in imo *Lucius* MERVLA *Lucii Filius*. Sella curulis, supra quam corona.

P. Villius Tappulus & L. Cornelius Merula, qui simul in triumviratu monetali hos denarios signasse videntur, per sellam curulem, in denario expressam, commendare sese voluisse videntur ab honoribus curulibus per majores suos gestis. Ad consulatum pervenit P. Villius Tappulus A. V. C. DLIV. ad quem annum edidit hunc nummum Goltzius in Fastis p. 117.

V I N I C I A.

V.

Marcus VINICI*us Publii Filius Lucii Nepos*. Caput Romæ galeatum: ex altera parte vexillum, aquila legionaria, aratrum, & decempeda. EX *Senatus Consulto.* per transversum.

Vaillantius, & Goltzius in Fastis pag. 208. hunc denarium referunt ad M. Vinicium P. F. L. N. qui ad consulatum ex Kal. Jul. pervenit A. V. C. DCCXXXIV. quique Augusti legatus proprætore Galliam Celticam obtinuit A. V. C. DCCXXVIII. Typum idem Vaillantius refert ad coloniam deductam, in qua deducenda primus e duumviris illi videtur fuisse hic L. Vinicius. Sed, quo minus nummum hunc genuinum putem, obstat caput Romæ, quod Augusti temporibus non amplius in denariis signabatur.

VI.

VI.

OB CIVIS SERVATOS. Corona quernea inter duos lauri ramos: ex averso latere: P. VINICIVS *Marci Filius* III VIR *Auro Argento Aeri Flando Feriundo.* circa ambitum. *Senatus Consulto.* in area.

Cusus fuit hic nummus a triumviro monetali senatus P. Vinicio Marci praecedentis filio. Is consulatum postea gessit cum P. Alfinio Varo A. V. C. DCCLIV. Exstat nummus apud Goltzium in Fastis p. 223.

VIPSANIA.

Marcus AGRIPPA *Lucii Filius* PRAEF*ectus* ORAE MARIT*imae* ET CLASS*is*. Caput M. Vipsanii Agrippae corona rostrata insigne. Ab altera parte Neptunus, dextra tridentem laeva delphinum tenens, laevum pedem prorae ratis inponit, subscribitur EX *Senatus Consulto.*

Parem fere Cneo Pompejo Magno potestatem habuisse M. Vipsanium Agrippam nummus indicat. Edidit eundem Goltzius in Fastis pag. 193.

VIII.

Marcus AGRIPPA *Lucii Filius* CO*nSul* ITER*um* DES*ignatus* TER*tium.* Caput M. Agrippae corona rostrata insigne. Subtus est Siciliae signum, tria crura. Ab altera parte, adversa Caesaris & Augusti sunt capita, & inscriptio DIVOS IVLIVS DIVI *Filius.*

Exstat apud Goltzium in Fastis p. 204.

IX.

Marcus AGRIPP*a* TRIB*unicia* POT*estate* CO*nSul* TER*tium.* Caput M. Agrippae nudum. Ab altera parte Caesaris Augusti caput est laureatum, cum inscriptione CAESAR AVGVSTVS.

Exstat apud Goltzium in Fastis p. 209. & docet communicatam a Caesare cum Agrippa fuisse potestatem tribuniciam.

X.

Marcus AGRIPPA *Lucii Filius* CO*nSul* III. IMP*erator* IIII. Caput M. Agrippae corona rostrata insigne. Ab altera parte Caesaris Augusti est caput, & inscriptio IMP*erator* CAESAR AVGVSTVS.

Vulgavit hunc nummum Goltzius in Fastis p. 210.

XI.

Μάρκος ΑΓΡΙΠΠΑ ΥΠΑΤΟΣ ΤΡΙΤΟΝ. *Marcus Agrippa consul tertium.* Caput M. Agrippae corona rostrata insigne. Ab altera parte Caesaris Augusti nudum caput est, & inscriptio ΚΑΙΣΑΡ ΣΕΒΑΣΤΟΣ ΠΑΤΗΡ ΠΑΤΡΙΔΟΣ. *Caesar Augustus Pater Patriae.*

XII.

Μάρκος ΑΓΡΙΠΠΑ ΥΠΑΤΟΣ. *Marcus Agrippa Consul.* Caput M. Agrippae corona rostrata insigne. Ab altera parte prora est triremis, cui insistunt tres viri armati, cum signo militari, adscribitur, ΑΥΤοκράτωρ ΚΑΙΣΑΡ ΤΡΙΩΝ ΑΝΔΡΩΝ. *Imperator Caesar triumvir.*

Hunc & praecedentem nummum invenies apud Goltzium in Augusto p. 28. & 31.

XIII.

Caius CAESAR AVGVSTI *Filius* PON*tifex* CO*nSul* DES*ignatus* PRINC*eps* IVVEN*Tutis.* Clypeus votivus cum duabus hastis decussatim positis inter secespitam & capedunculam. Ab altera parte tripus est cum stella inter lituum & pateram cum hac inscriptione, *Lucius* CAESAR AVGVSTI *Filius* AVGVR CO*nSul* DES*ignatus* PRINC*eps* IVVENT*utis.*

Insignem hunc nummum aureum vulgavit Goltzius in Fastis p. 218.

XIV.

CAESAR AVGVSTVS DIVI *Filius* PATER PATRIAE. Caput Augusti laureatum. Ab altera parte sunt capita duo adversa Cai & Lucii Caesarum, cum hac inscriptione. *Caius* ET *Lucius* CAESARES AVGVSTI *Filii* CO*nSules* DES*ignati* PRINC*ipes* IVVENT*utis.*

Invenitur aureus hic nummus insignis in Augusto Goltzii p. 81.

VIRGINIA.

XV.

ROMA. Caput Romae galeatum. Ab altera parte cernitur anser cum inscriptione, AV*lus* VIRGINIVS T*itus* NVMITIVS.

Nummus falsus & fictus est, cui additur nota C. P.

VISELLIA.

XVI.

VARRO IIIVIR. Caput Cybeles turribus ornatum, & velatum: ex aversa parte, *Caius* VISELLI*us.* Duo homines gladiis decertant, clypeo armati.

Duo fuerunt Caji Visellii Varrones, pater & filius, ut incertum videatur, quis in hoc nummo IIIvir monetalis dicatur. Pater consobrinus fuit M. Tullii Ciceronis, qui illum dicit cum Scinio aetate conjunctum fuisse, & aedilem curulem exstitisse. Filius tempore Augusti vixit, & ex Kal. Juliis creditur fuisse consul suffectus A. V. C. DCCLXIV. a Tacito senecta dicitur invalidus, quum legatus proconsule inferioris Germaniae novos motus apud Treviros & Æduos oppromeret A. V. C. DCCLXXIII. Is itaque si A. V. C. DC. circiter natus fuit, potuit sub Augusto triumvir monetalis Caesaris esse, & Tacito senecta invalidus dici jam septuagenarius.

Typus aversae partis videtur aliquod decus gentis Viselliae, armis partum, nobisque ignotum, indicare. Caput Cybeles recte, secundum Vaillantium, innuit aedilitatem curulem patris.


VOLCATIA.

XVII. *& ultimus.*

Caput Herculis, cum ſpolio leonis circa collum, & clava ſuper humerum : ex averſa parte, *Lucius* VOLCATI*us* *Quinti Filius* TVLLVS. Navis, in imo ROMA.

Spectat hic nummus æreus ad L. Volcatium Tullum, patrem L. Volcatii Tulli, collegæ in conſulatu Cæſaris Auguſti A. V. C. DCCXX. Signaſſe creditur hunc nummum conſtitutus a dictatore Sulla inter viginti quæſtores lege Cornel. A. V. C. DCLXXIII. Hercules & prora navis ſæpe in æreis Romanorum nummis inveniuntur. Hunc nummum protulit Goltzius in Faſtis p. 171.

FINIS.



AD-

ADDENDA ET EMENDANDA.

Pag. 1. in gente ABVRIA num. I. II. & III. occurrunt duo nummi M. Aburii, & C. Aburii unus. Antiquarii priorem Marcum fratrem judicant fuisse Caji, posteriorem Marcum filium prioris, quoniam adscribitur patris nomen, & ipse *Marci Filius* dicitur. Verum non semper patris nomen adponebant. Iidemque homines in nummis suis, modo adponebant patris nomen, modo non; sic ut nihil impediat, quo minus dicamus Marcum patrem & C. Aburium in triumviratu monetali hos omnes nummos signasse, ut qui iisdem temporibus vixerint, & simul illum magistratum gerere potuerint.

Pag. 2. in gente eadem num. IV. & V. duo nummi occurrunt, quorum alter, qui denarius est, exhibet Martem tropæophorum in bigis, alter Mercurii caput, cum caduceo. Caduceus quidem solenne Mercurii est symbolum, sed tamen suadere utriusque nummi typus videtur, victoriam aliquam insignem relatam fuisse a Romanis eo anno, quo triumvir monetalis exstitit C. Aburius Geminus, atque pacem Romanis ea victoria partam fuisse; vel simile factum Aburii cujusdam ex majoribus Cai hujus celebrari.

De gente vero Aburia & fratribus Aburiis, quum conscripsisset olim quædam Jacobus Perizonius in libello cui titulus Trias Dissert. Morellius in Epist. ad Perizonium data eorum his verbis mentionem fecit p. 130. & 152. „Capite II. jucundum „ mihi fuit legere observata de Serviliorum cognomine GEMINVS: quibus etiam conjecturæ Pighianæ de M. & C. ABVRIIS, quod „ fratres fuerint, indeque etiam GEMINI appellati, veritas adstrui potest, etiamsi tres literæ initiales GEM. alia cognomina admittant, „ & apud Gruterum occurrat ABURIA GENESIS; sed cum mulier non sit gentis, sed geneseos „ organum, in eam incidi opinionem, forsan ibi „ genuinum hujus gentis cognomen notatum, „ ac postea male descriptum fuisse, sed in literis „ tuis humanissimis contrarium probasti. Stephanus Vinandus Pighius, excellens Annalium Romanorum collector, gentis hujus nomen deducere conatur ab ABURendo, voce „ vetusta, sed hæc derivatio grammaticalis placere nequit. Optima etiam sunt, quæ de Patino monuisti; nam circa M. & C. Aburios „ in eundem errorem incidit, in quem Sigonius „ circa M. & C. Servilios, & ratio ejus de duplici gente ABVRIA nullo nititur fundamento: „ differentia autem inter patricios & plebejos „ non erat nobilitas, sed magistratus: imo prima „ linea libri Antonii Augustini de Familiis Romanorum (quem ipse Patinus Ursino adjecit) „ potuisset ipsi indicare, ACILIAM gentem „ plebejam, nobilem, & paulo post LVTATIAM, nobilissimam fuisse: quod & de pluribus aliis ibidem perhibetur. Verum quidem „ est, quod Livius ait, patricios præturam, & „ curulem ædilitatem quæsivisse, tanquam solatium pro amisso consulatu, sed ante M. & C. „ Aburiorum tempora prætura jam ad plebejos „ transierat, & primus de plebe prætor factus „ est Q. Publilius Philo A. V. C. CDXVI. postea que numero prætorum aucto, promiscue „ patricii & plebeji prætores creati fuerunt." Perizonii, quam innuit Morellius, epistola postea, quum ederetur, ab illo reformata & aucta, exstat p. 217. „ *Aburiorum* gentem non ab aburendo dictam, ut voluit Pighius, verum ab antiquo vocabulo vel nomine, unde & *Gens Abidia* est „ formata, persuasum habeo. Sic ejusdem est „ originis gens *Tituria* & *Titidia* a *Titio*. Ad alterutram quoque, vel *Aburiam*, vel *Abidiam*, „ retulerim *Abudium Rusonem*, apud Tacitum „ Ann. VI. 30. si leviter in eo nomine corruptum „ statuamus.

„ Sed crediderim nunc potius, promiscue dixisse veteres *Abidius* & *Abudius*, ut solent I & „ V. in his permutari. Certe & *Q. Abudium* „ *Theodotum* reperimus apud Raph. Fabrettum. De „ cognomine mulieris, quod erat *Genesis*, monui „ Cl. Morellium, cognomina viliorum inprimis „ hominum, quæ reperiuntur in inscriptionibus, „ post Augusti ætatem factis, ad antiquas & nobiles familias neutiquam esse referenda, partim quia jam primis Cæsaribus omnis fere vetus nobilitas penitus fuit exstincta, partim quia „ post Augustea tempora cognomina in familiis „ majorem in modum variare cœperunt, & singulorum maxime hominum evaserunt propria, „ adeo ut etiam germani fratres diversis ideo „ cognominibus plerumque fuerint distincti. Diversam ergo fuisse rationem cognominum, & „ aliam in libera republica quando fuerunt in „ singulis familiis pauca, eaque constantia ferme „ & hereditaria, dum transibant a patre ad omnes „ plerumque filios & nepotes; aliam in tempore „ Cæsarum. quando in iisdem familiis reperiuntur quamplurima & diversissima, ac singulis „ infantibus imponebantur, magis tunc propria „ iis, quam prænomina, quæ ceteroquin olim „ natura sua fuerant vel maxime singulorum „ hominum propria. Sed & frequens fuit secundo, ac deinceps, Cæsarum sæculo, dare etiam „ feminis cognomina undiquaque sumpta, & „ quidvis significantia. Nam ut hæc *Aburia*, „ *Genesis* græco vocabulo apud Gruterum cognominatur, sic apud eundem inter cognomina feminarum reperimus *Homonoea*, *Eutychia*, *Tyche*, *Zoe*, *Hedone*, *Hygia*, &c. Similiter apud Sulpicium Severum lib. II. Hist. Sacræ inter eos, *a quibus institutus fuerit Priscillianus*, memoratur etiam *Agape quædam*, *nobilis mulier*. Sed innumera ejus generis cognomina, Latina æque ac Græca, non modo in „ lapidibus, sed & scriptoribus, qui Cæsarum „ tempore vixerunt, occurrunt. Ut adeo ex „ his omnibus liqueat, nihil hoc cognomen *Genesis* pertinere ad antiquæ Aburiorum familiæ „ cognomen *Geminus*. Sed & turpem notavi in „ priore mea ad Morellium epistola errorem Patini, qui ex eo, quod apud Livium memoratur *M. Aburius Tribunus pl.* & dein anno XI. „ post *Prætor*, facit duas Aburiorum familias, „ patriciam & plebejam, quasi prætores nulli „ unquam exstitissent nisi patricii, quum jam „ apud Livium VIII. 15. præturam reperiamus,

„ mus, æque ac consulatum, cum plebejis communicatam. Nec tamen propterea affirmare velim cum Morellio, *differentiam inter patricios & plebejos non fuisse in nobilitate* sitam, sed tantum *in jure gerendi quosdam magistratus.* Nam re vera nobilitate ipsa distinguebantur vel maxime. Fuerunt quidem etiam inter plebejos nobilissimi, ut *Metelli*, *Marcelli*, *Crassi*, &c. sed eorum nobilitas non exsurgebat supra id tempus, quo primum in senatum & ad consulatum admissi sunt plebeji: at patricii erant, qui ex antiquissimis familiis, ex quibus solis olim legebantur senatores, & creabantur consules, originem trahebant." Denuo Morellius reposuit, quæ nostra scire interest p. 291. „ Gentem hanc ab aburendo dictam fuisse, docuit Pighius tom. II. pag. 278. falso nixus fundamento, nam errore calami nummum citat, qui nunquam in rerum natura fuit, eoque opinionem suam probare conatus est: ex cujus verbis tamen dehinc auctor quidam ejusmodi effinxit nummum, & æri incidi curavit, prout illum propediem videbimus. Ista derivatio eo minus locum habere potest, si Thomæ Reinesio credimus, qui etiam Æburium & Eburium protulit. Conjectura mea, quod corrigendus sit Tacitus, non equidem approbationem petit, sed illam saltem proposui ob cognomen RVSO, cum & Abudii fuerint. Q. Abudius Theodotus occurrit apud Sponium in Misc. Erud. Antiq. pag. 105. & Abutius Tertius in Antiquitatibus Italicis, pro quo tamen Gruterus pag. 833. Æbutium Tertium reposuit."

Ibidem ad num. I. gentis Aciliæ oblitus sum ponere disquisitionem inter Morellium atque Perizonium de eodem nummo, quam hic inserere lubet. Morellii verba hæc sunt p. 177. „ Primus gentis ACILIAE nummus in Goltzii Fastis ære magno exstat, Patinus vero eundem æris minimi nota signavit, quia Ursinus nummis suis magnitudinem non adjecit. Ego unicum vidi Versaliæ in Thesauro regio ex ære magno, sed artificis manu noviter ita restitutum, ut in testimonium adduci nequeat. Reperiuntur vero multi adhuc nummi apud Coios conflati cum capite Æsculapii & serpente; hinc suspicari quis posset, nummum hunc ipsum Ursini ad hanc familiam non spectare. Novi interim, Eruditis non probari Romanorum IIIVIROS VALETVDINARIOS, quos Patinus ex primo & tertio nummo elicuit. Ad laudes potius rei Medicæ facere istos, Plinius confirmat, tradens, primum e medicis venisse Romam e Peloponneso Archagathum, Lysaniæ filium, eique jus Quiritium datum fuisse, & tabernam in compito Acilio emptam ob id publice, ut jam observavit Pighius. Subsumere exinde nobis licet, Acilios hujus rei memoria gloriari voluisse, si non Auctores exstiterunt Collegii Æsculapii & Hygeæ, de quo insignem nobis communicat inscriptionem Jacobus Sponius in Misc. Erud. Antiq. Sect. II. Art. XI. Quæ si pluribus corroborari queant testimoniis, eo certius nostrum redderetur assertum." Reposuit illi hæc non vulgaria vir doctissimus pag. 255. „ Ab eodem prænomine *Accus*, non ab ἀκέομαι, ut volebat Ursinus, & qui eum sequuntur, Begerus & Vaillantius, neque ab *aqua*, ut Pighius Ann. tom. 2. p. 76. denominata est gens *Acilia*. Scilicet geminatarum literarum altera semper eliditur, quando per diminutionem proxima syllaba evadit longa. Sic a *Metto Metellus*, & gens *Mettia* & *Metilia*, ab *Icco* gens *Iccia* & *Icilia*, a *Pacco Pacilus*, pro quo postea dixerunt *Pacillus*, cognomen Furiorum & gens *Paccia* & *Pacilia*: ab *Atto* vel *Atta* gens *Attia*, sed pro quo nonnulli scripsere *Atia*, tanquam ab *Atys* formato nomine, & *Atilia*. Similia observare licet in gentibus *Arria* & *Arellia*, *Eppia*, *Eppuleia*, & *Epilia*, *Oppia* & *Opilia*. Sed & in appellativis nominibus: Ita enim a *mamma* descendit *mamilla*, a *bucca*, *bucella*, ab *annulo anellus*, a *socco socellus* apud Isidorum, ab *offa ofella*, de quo videndus Servius ad Virgil. Æn. II. 420. *Ofella* autem cognomen fuit Lucretiorum, & videtur inde formata gens *Ofilia*. Sic ergo & ab *Acco* gens *Accia*, *Acceia*, & nomen *Accina* in lapidibus, & diminutum *Acculus* & *Acillus*, vel, ut primitus dixere, *Acilus*, & inde gens *Acilia*. In ejus autem gentis nummis conspiciuntur dii, *Æsculapius*, *Salus*, & *Valetudo*, cujus rei variæ potuerunt fuisse caussæ. Solebant enim in nummis exprimere deos potissimum illos, qui colebantur maxime in regionibus, unde ipsi volebant videri per majores suos orti, quod abunde probavit illustriss. Spanhemius de Usu & Præstantia Numism. pag. 534. 535. Sic forte & Acilii, cum repeterent originem suam ab Troja, vel ab Ænea, ut tradit Herodianus II. 3. & Æsculapius maxime coletur Pergami, ea de caussa Æsculapium, & deas illi jungi solitas, in nummis suis expresserunt. Originem illam respicit etiam Ausonius in Professoribus Burdegal. Carm. 25. de Acilio Glabrione:

„ *Stemmate nobilium deductum nomen avorum*
„ *Glabrio Aquilini, Dardana progenies.*

„ Vides Acilios *Dardanam*, h. e. Trojanam, dici *progeniem*. Sed istic legendum crediderim *Acilini*, a nomine gentis Aciliæ, cujus erant Glabriones. Solebant enim istis temporibus aliter atque aliter formare sua & liberorum suorum nomina propria, sed maxime in hanc formam, ut & in alteram, IANUS. Sic *Maximianus* & *Maximinus*, *Constantinus*, *Constantius*, *Constans*. Sic apud Gruterum *Septimia Septimina* XVII. 9. *M'. Aquilius Aquilinus* DCCCLVIII. 5. Ita ergo & ille dictus forsan *Acilius Glabrio Acilinus* vel *Aquilinus*, Q pro C posita. Ceterum Pergamenorum præcipuus fuit Deus Æsculapius, ut vel ex Tacito liquet Ann. III. 63. Sed & hinc in nummis eorum, & maxime illis, quibus ὁμόνοια cum aliis urbibus declaratur, ille potissimum Pergamum, ut alii Dii alias urbes, notat, ut videri potest apud Sponium Itiner. tom. I. pag. 438. 439. Immo pag. 442. Pergameno in nummo *Æsculapius* cum baculo, circa quem serpens volvitur, & simul *Hygiea*, sive *Salus*, duos serpentes manu tenens, ferme ut hic, expressi reperiuntur. Adde Harduinum in nummis populorum & urbium, ubi plura habes ejus rei exempla. Sed tamen potuit etiam iste *Manius Acilius*, qui hos deos suis in nummis excudit, ex gravi morbo fuisse liberatus, & ideo eos ita honorasse. Qua certe de caussa in nummis variorum imperatorum Caligulæ, Adriani, Ælii Cæsaris, tum Antonini Pii, & Marci Antonini, *Salus*, vel *Æsculapius*, & *Hygiea* conspiciuntur. Sed & ita valetudinis publicæ caussa voventur a Romanis *dona Apollini*, *Æsculapio*, & *Saluti*, apud Livium XL. 37. denique & *tabella marmorea cum signo Æscu-*

„ lapii pro salute filiæ a patre posita habetur apud Gruterum p. 1014.
„ Ex corruptis nescio quibus editionibus Vaillantius ad gentem Aciliam refert *Legem Aciliam de Aventino*, memoratam Livii libro III. atque inde colligit & affirmat, *gentem* Aciliam *fuisse vetustissimam*. At apud Livium (vide eum III. 32.) constanter legitur *Icilium*, qui celeberrimus fuit eo tempore homo, sponsus quippe istius puellæ, quam stupro suo destinabat & addicebat Appius Xvir, sed & Dionysius rem confirmat lib. X. *Acilia* autem gens vix assurgit ultra tempus belli Punici II. licet deinde ad Trojanos, Æneam & Anchisen, originem suam retulerit, ut ostendimus ex Herodiano & Ausonio." Hæc ubi legit, probavit Morellius, & utraque manu adplaudisset, si per alteram, eamque dextram, licuisset, scribens p. 298. „ Doctissima sane sunt, quæ attulisti de hujus gentis aliarumque origine, ut & de Æsculapio & Hygiea: interim optarem videre etiam Telesphorum, qui morbo meo paralytico finem afferre posset." Votum boni viri fuit irritum, nobisque susceptam a se provinciam, sane laboriosam satis, reliquit ornandam.

Pag. 3. ad num. III. Multæ de hujus nummi inscriptione inter Antiquarios fuere disceptationes, nam quum vox VALETV. parte sui, pro more veterum decurtata, multas lectiones & interpretationes admittat, plurimæ de eadem sententiæ latæ fuerunt. Nobis quidem suspicio nunc oritur, absoluto hoc Opere, & multorum nummorum tractatione aliquam ejus suppellectilis notitiam nactis, revocandum esse hunc nummum, adeoque ipsum illum, cujus nomine inscribitur, Manium Acilium, ad Cæsaris Augusti tempora, quod & artificiosa fabricæ ratio, & convenientia cum aliorum ejus principis ætatis fabrica me docere, & decurtata inscriptio pati posse videtur. VALETV*do* enim legi debere puto, & deam Valetudinem sive Hygieam exprimi occasione recuperatæ a principe Augusto valetudinis, quum graviter, dubium majore suo an reipublicæ periculo, paullo ante ægrotasset. Itaque Manium Acilium triumvirum monetalem Cæsaris Augusti fuisse existimo A. V. C. DCCXXIX. & frustra omnes reliquas esse interpretationes, quum solis triumviris monetalibus eo tempore jus esset pecuniam signandi.

Pag. 5. Aciliæ genti tab. I. litt. D. & E. duo nummi a Morellio inseruntur, qui ad Coloniarum nummos pertinent, unde alterum illorum vulgavit Vaillantius in Coloniis tom. I. pag. 45. & prioris quidem hæc est inscriptio, COR*inthi*. *Marco* BARBATIO MAN*io* ACILIO IIVI-R*is*. Caput Augusti nudum. Ab altera parte colonus agit boves, atque hæc adest inscriptio. *Publio* VIBIO *Marco* BARBA*tio* PRAEF*ecto* (ut legit Vaillantius) IIVIR*is*. COR*inthi*. Posterior vero nummus (Vaillantio non memoratus) caput itidem Augusti nudum exhibet & ab altera parte colonum agentem boves, sed hanc inscriptionem. *Marco* ACILIO *Lucio* NOVIO *Marco* BARBATIO. sequente dein ab altera parte hac inscriptione parte sui mutila, *Publio* VIBIO CAE. . . . . A PRAEF. IIVIR.

In utroque nummo agnoscuntur M. Barbatius & P. Vibius, in priore vero insuper leguntur Manius Acilius & Marcus Barbatius, in posteriore Marcus Acilius atque Lucius Novius; quæ in antecessum notari volo, ne quis Manium Acilium, cujus nomen in nummo priore exstat, confundat cum Marco Acilio, qui a priore Acilio prænomine dignoscitur. Licet vero M. Barbatius cujus nomen in postica parte nummi primi scribitur, videatur esse idem M. Barbatius, cujus nomen in antica parte secundi nummi cernitur, alius tamen est iste M. Barbatius, qui Manio Acilio in parte antica nummi prioris jungitur, quod itidem notari debet.

Vaillantius, qui priorem solummodo nummum vidit & illustravit (utrumque vero Corinthi cusum fuisse vix est quod dubitemus) censet quatuor illos nummo inscriptos simul duumviratum Corinthi gessisse, sic forte, ut in difficili rerum statu ad tempus quoddam duo novi prioribus adjecti fuerint, & ex parte nobiliori, capitis scilicet, ordinarii coloniæ, & ex altera duumviri recens creati adscribantur. Censet idem M. Barbatium præfectum dici vel respectu annonæ, vel ærarii, cohortis, classis, aut urbis. Nihil horum placet, titulus enim præfecti ad solum M. Barbatium non pertinere secundus nummus ostendit, & illa Vaillantii conjectura de temporariis duumviris adjunctis illis qui vere duumviri erant, mera est conjectura. Ego prioris nummi hanc puto esse epigraphen. COR*inthus*. *Marco* BARBATIO MAN*io* ACILIO IIVIR*is* *Publio* VIBIO *Marco* BARBA*tio* PRAEF*ectis* IIVIR*alibus* COR*inthi*. Alterius vero nummi epigraphen sic legi & suppleri debere judico. *Marco* ACILIO *Lucio* NOVIO (scil. *duumviris*) *Marco* BARBATIO *Publio* VIBIO CAES*aris* *Augusti* PRAEF*ectis* IIVIR*alibus*.

Pluribus docui in hisce Commentariis Cæsari Augusto, Tiberio, Germanico, Druso &c. a coloniis honorem illum fuisse habitum, ut titulo tenus magistratu coloniæ alicujus ornarentur, substituerentur vero alii, qui vicem illorum fungerentur. Hi dicebantur præfecti duumvirales vel duumviratus, decurionatus, vel quinquennalitatis, &c. Cæsaris; de quo titulo & more consuli possunt quæ scripsimus pag. 11. 235. 452. Est tamen aliquid quod contra utrumque nummum, sive utriusque explicationem objici potest. Firmare enim opinionem suam conatur Vaillantius altero nummo Corinthi pariter cuso, cujus inscriptio non est dissimilis primo nummo, nisi quod nomina discrepent & præfecti titulus absit. Inscriptio utriusque partis conjuncta hæc est. COR. P. ALVSIT. C. IVLIO IIVIR ITER. L. POMP. C. IVLI. IIVIR COR. Verum ego puto ibi literas PRAEF. in ipso nummo fuisse detritas, vel debere subintelligi, prouti in altero hoc nummo Aciliæ gentis literæ IIVIR. a parte antica pariter subintelligi debent. Deinde contra secundum nummum objici potest, non fuisse cusum Corinthi, sed in alia urbe, videlicet Cæsareæ Augustæ, cujus scilicet literæ in erosa inscriptione CAE. . . . . . A. adhuc supersint, de quo pugnare nolim, manente & sic sententia mea de præfectis IIviratus Cæsaris; sed jure mireris in utraque urbe M. Barbatium & P. Vibium præfectos inveniri; præterea inspectis Augustæ Cæsareæ nummis, patebit nunquam eo situ in area nummi inter nomina IIvirorum istius urbis nomen collocari.

Pag. 7. num. II. Morellius in scedulis suis, Germanice scriptis, notat, pro L. legi debere P. Æbutio, quod illud prænomen in reliquis quoque nummis inveniatur.

Pag. 8. ad num. VI. gentis Æliæ, qui nomine C. Ailii inscribitur, & in quo cognomen BALA invenitur, adnotavit quædam clariss. Liebeus in

in Thesauro Saxo-Gothano, qui liber prodiit in lucem interea dum hi Commentarii nostri prelum exercuerunt. Recte idem reprehendit quoque Vaillantium, & nummos aliquot cum diversis ab editis hisce monetariorum notis, ut bufone, grypho, arcu & coryto, atque cicada, depinxit ex eodem Thesauro. Tentavit insuper cognomen BALA. de quo viri ejus docti hæc est conjectura pag. 215. sicut a vitio loquelæ Balbi quidam & Blæsi dicti sint, sic a balando, ovium proprio, quosdam Balas fuisse dictos. Nos quidem conjecturæ nostræ nondum pœnitet, sed quod, secuti Vaillantium a C. Ælio, ut ædili, qui Dianæ sacra curaverat, signatos hosce denarios fuisse credidimus, in eo aliam nunc sequimur sententiam, neque enim unquam penes ædiles aliosve magistratus curules in urbe jus signandæ monetæ fuit, sed apud magistratus minores, quæstorem vel triumviros monetales; quod si ædilitiæ dignitatis nonnunquam adponatur adpellatio, spectat ea vel ad parentes vel majores eorum, qui monetæ cudendæ præfuerunt, adposita vero nota S. C. docet, peculiari senatusconsulto nomina ædilium denariis inscribi, quod curam annonæ similemve publicam a senatu eo anno acceperint. Videtur itaque hic C. Ælius Bala vel Balatro triumvir monetalis fuisse, & Dianam Luciferam, quæcunque ejus rei caussa fuerit, signasse ab una parte, ab altera Junonis Monetæ caput, ut quæ præerat monetæ.

Eadem ratio, quæ C. Ælio, ut ædili, abjudicat denarios, de quibus modo locuti sumus, quum cura signandæ pecuniæ in urbe ad quæstorem vel triumviros monetales pertinuerit, nos compellit, ut alio potius tempore, quam in ædilitate M. Æmilii Scauri credamus signatos fuisse denarios, qui pag. eadem in gente Æmilia num. I. ejus nomine inscribuntur, quamvis titulus ædilis curulis ibi Scauro atque collegæ ejusdem Hypsæo adscribatur. Et quidem super his denariis tres sententias in hoc Opere nostro proposuimus, quas nunc ipsi ad examen revocabimus, ut ex iis eam seligamus, quæ verosimillima videtur. Prima quidem hæc est, qua M. Æmilio Scauro & P. Plautio Hypsæo adjudicantur denarii, tanquam ab iis in ædilitate eorum cusi. Sententiam illam non probamus, neque enim ædilium fuit signare pecuniam, & quamvis senatusconsulti nota hisce passim adponatur, alio tamen eandem respicere arbitramur. Alteram sententiam proposuimus in Familia Nonia pag. 295. ubi ab altera parte C. Hypsæi nomen est, sine nota ædilitatis, sed typo eodem qui hic observatur, ab altera parte Plutonis caput, & Sufenatis adscriptum nomen. Potuit talis quidem nummus signari A. V. C. DCLXXXXII. quo quæstores Pompeji Magni fuerunt P. Hypsæus & Sex. Nonius Sufenas; quoque anno M. Æmilius Scaurus, legatus proquæstore Cn. Pompeji Magni procos. Syriam obtinuit cum duabus legionibus, usque ad Ægyptum & Euphratem fluvium. Verum ipse Æmilius Scaurus tum scribi non potuit ædilis curulis, ut nec P. Hypsæus, quoniam istam dignitatem tribus annis post A. V. C. DCLXXXXV. demum fuerunt consecuti, sic ut nummi, qui titulum ædilitatis eorum adscriptum habeant, ante annum DCLXXXXV. signari non potuerint. Superest tertia sententia, quam proposuimus in gente Plautia pag. 330. quamque nunc unice amplectimur, signatos videlicet fuisse ex senatusconsulto (quod omnibus adscribitur) hos denarios tempore belli civilis inter Brutum & Cassium atque Cæsarem & Antonium; a partibus enim percussorum & reipublicæ steterunt filii M. Æmilii Scauri & P. Plautii Hypsæi, qui paterna quoque prænomina gesserunt, & quæstorum munere sub Bruto vel Cassio functi fuisse videntur. Hi majorum suorum (quod solenne triumviris monetalibus & quæstoribus erat) decora in denariis suis expresserunt. Et M. Æmilius Scaurus quidem M. Æmilii Scauri, qui tam splendidum munus ædilitium ediderat, filius fuit ex Mutia Cn. Pompeji Magni quondam uxore, sed ob suspicionem adulterii cum C. Cæsare dimissa, adeoque frater uterinus Pompejorum juniorum, unde post bellum Philippense, profligatis partibus, ad Sex. Pompejum refugit, ejusque rebus perditis ad Antonium transiit, post cujus necem ægre morti & pœnæ ereptus fuit matris Mutiæ apud Cæsarem Octavianum precibus. P. Plautium Hypsæum paterna cum Pompejo Magno amicitia percussoribus junxisse videtur, ipsum vero periisse in bello civili existimo. Quin & Sexti Nonii Suffenatis denarios ad hæc tempora relegandos esse existimo, & filium Sexti Nonii Suffenatis, quæstoris Cn. Pompeji Magni fuisse istum Nonium, qui dignum a Cicerone stultitia sua responsum tulit. Quum enim ex Pharsalica pugna fugisset Pompejus, socios ad bene sperandum hortabatur Nonius, dicens, septem adhuc aquilas superesse. Cui Cicero: *Recte*, inquit, *si quidem nobis cum graculis bellum esset.*

In his itaque denariis tituli & typi satis magnifici ad parentes & majores Scauri & Hypsæi spectant, quorum dignitatibus commendare sese populo solebant qui signabant monetam, ut gratiosi apud eundem essent, atque per gradus solitos paternos æquarent honores.

Pag. 10. Ante finem Commentarii in Tab. I. nummorum gentis Æmiliæ desunt explicationes sex nummorum consularium, quos post Ursinum & Patinum in prima illa tabella collocaverat Morellius. Eram, quum hæ pagellæ excuderentur, gravi morbo oppressus, isque ipse quum avocaret me ab omnibus studiis, in causa fuit, ut non animadverterem istum defectum, nisi quum impressis jam iisdem convalescerem. Itaque in hunc locum interpretatio eorundem rejicienda fuit.

V.

CONCORDIA. Caput deæ Concordiæ velatum. Post illud cernitur inscriptio PAVLLVS. LEPIDVS.

LIBO. Ara, sive puteal, cum duabus lyris & lemnisco sive corolla, in inferiore ejus parte est malleus. In summa ora scribitur PVTEAL SCRIBON*ii*.

Idem hic nummus occurrit in gente Scribonia, ubi videri possunt, quæ dicuntur pag. 378. Et malleus quidem videtur referri debere ad symbolum triumviratus monetalis, prouti in æreo nummulo, qui inter Goltzianos occurrit pag. 602. num. XXI. Videntur enim non aliam ob rationem nomina illustria hæc tria Libonis, Paulli, & Lepidi in denario hoc & sequenti scribi, nisi ut indicent hos tres simul fuisse triumviros monetales eo tempore, quo, divisis inter se & senatum provinciis, Cæsar Augustus palam faciebat quanta concordia cum senatu populoque Romano administrationem orbis terrarum susciperet. Hinc enim deæ Concordiæ caput in hoc & sequenti denario signari existimo. Scio me aliam ex parte dedisse interpretationem in Fam. Scribonia pag. 377. & retulisse ad concordiam temporibus Sexti Pom-

Pompeji speratam magis quam reductam; sed non puto eo jam tempore numerum hujus magistratus, quem auxerat Julius Cæsar, ad ternarium & veterem fuisse reductum, quod demum videtur contigisse post debellatum Antonium, quum solus rerum potiretur Cæsar Octavianus atque Augusti nomen adsumeret. Paullus & Lepidus fratres fuerunt, de quibus dicto loco plura scripsi; cognatione iisdem junctus fuit Scribonius Libo, qui, ratione temporis, videtur pater fuisse Libonum, quorum alter sub Tiberio ad consulatum pervenit, alter, fratre suo patruele consule, quum ipse prætor exsisteret, crudelitate Tiberii periit. Dicebatur is L. Scribonius Libo Drusus. Refero itaque hos nummos ad A. V. C. DCCXXVII. Quod de corona radiata in Begero notavimus; id quoque miratum fuisse Morellium animadverto in Epist. ejus ad Perizon. pag. 133. „ Nondum interim mittere hanc „ possum familiam Æmiliam, sed nonnulla ad„ huc de eadem movere hic libet problemata. Et „ quidem quod ejus primum concernit num„ mum, in eo plures regem Aretam exhiberi „ supplicem autumant, sed mihi videtur, figu„ ram esse Arabiæ genu flexam, qualis in Tra„ jani alias nummis comparet. Hoc Æmiliæ „ gentis monumentum cum alio diverso nuper „ admodum in lucem produxit vir de re anti„ quaria meritissimus, Laurentius Begerus, & „ quidem cum corona radiata dorso cameli im„ posita, quam nunquam hactenus observare mi„ hi licuit, etiamsi ultra centum hujusmodi „ nummorum viderim, sed saltim tegumentum „ quoddam ad vehenda onera aptum. Optarem „ ergo scire, an re vera talis nummus reperia„ tur? Nullam interim perspicere possum ratio„ nem, cur hæc corona radiata possit adesse. „ Nam rex Aretas eadem plane non usus fuit, „ & apud Romanos, ut notum, illa mortis exsti„ tit signum, quippe qua divorum saltim capita „ radiabant. Et cum in nummo gentis Rustiæ „ eadem corona quoque ab ipso fuerit exhibita, „ ab aliis pariter nondum visa, exinde forte Ro„ mani in suspicionem venire possent, vota pro „ reditu Augusti ea mente solvisse, ut mox di„ vus fieret, sive ad plures abiret. "

VI.

CONCORDIA. Caput deæ Concordiæ, post illud cernitur eadem inscriptio, quæ est in nummo præcedenti, PAVLLVS. LEPIDVS.

TER PAVLLVS. Æmiliæ gentis decus, L. Æmilius Paullus, consul tropæum dedicat de Perse rege Macedoniæ, qui illi ex adverso adstat devinctis post tergum manibus. Adstant itidem duo regis Macedonum filioli, qui una cum patre in triumphum ducti fuerunt.

Quæ ad hujus denarii interpretationem spectant, quæque inter se de ejusdem sensu disputarunt atque differuerunt Morellius atque Perizonius, cerni possunt in Commentario nostro ad Nummos Goltzianos p. 494. ubi eorundem virorum doctorum verba inserta invenies.

VII.

Caput Vestæ velatum pone quod corolla est, & a parte anteriore simpulum.

Marcus LEPIDVS. AEMILIA REF*ecta Senatus Consulto*. Basilica L. Æmilii Paulli refecta.

Libertatis caput credidit Vaillantius quod mihi Vestæ esse videtur. Nummum vero signatum fuisse credidit Perizonius temporibus Tiberii, a M. Lepido, Paulli Lepidi filio, nepote L. Paulli, qui Basilicam exstruxit. Verba ejus, scripta ad Morellium cerni possunt inserta Commentario nostro pag. 376. Non video tamen cur Augusti temporibus denegari possit hic denarius & ad Tiberii tempora referri. Sub Tiberio enim nulli adparent denarii triumvirorum monetalium nomine inscripti, multo minus M. Lepidi, qui Basilicam sub eo refecerit, nomen inscriptum fuisse statui potest; Augusti vero temporibus omnia, quæ in hoc denario inveniuntur, conveniunt; mos, nomina triumvirorum in denariis ponendi, ipsum nomen triumviri M. Æmilius (dignitatis monetalis enim titulus modo adponi, modo omitti in nummis solet) basilica Æmilia Augusti præcipue sumtibus refecta, Vestæ caput, quoniam a basilica Æmilia usque ad Vestæ ædes, quæ simul ab Augusto refectæ fuerunt, ignis grassatus fuerat, simpulum denique & corolla quernea ad caput deæ, quorum utrumque ad Augustum, ut Cæsarem & pontificem maximum, pertinebat.

Litera E.

Vestæ caput velatum, sed sine simpuvio, pontificatus summi symbolo, ut & sine corolla quernea, quæ duo manifeste in præcedente nummo ad Augustum spectabant. Pars aversa nihil discrepat.

Quamvis instrumentum pontificale & Cæsaris Augusti, civium servatoris, symbolum in denario absint, sensus tamen idem, typique ab utraque parte interpretatio eadem est. Docemur enim ex Vestæ capite, non modo basilicam Æmiliam, suppeditante sumtus liberaliter Cæsare Augusto, quum privatæ opes Æmiliæ gentis non sufficerent, anno quo cusi sunt hi denarii, fuisse refectam, sed & restitutas Vestæ ædes, quæ una cum basilica Lepidi arserant. Contigerat hæc labes M. Licinio Crasso & Cn. Cornelio Lentulo coss. A. V. C. DCCXL. Et Vestæ quidem sacra, ardente templo, in tanto fuerant periculo, ut maximæ sacerdoti excæcati inde fuerint oculi. Hinc luculenter ad denariorum horum interpretationem scribit Dio Cassius dicto anno lib. LIV. pag. 538. Ἥτε στοὰ ἡ Παύλειος ἐκαύθη, καὶ τὸ πῦρ ἀπ' αὐτῆς πρὸς τὸ Ἑστιαῖον ἀφίκετο, ὥστε καὶ τὰ ἱερὰ ἔς τε τὸ παλάτιον ὑπὸ τῶν ἄλλων ἀειπαρθένων (ἡ γὰρ πρεσβεύουσα αὐτῶν ἐτετύφλωτο) ἀνακομισθῆναι, καὶ ἐς τὴν τοῦ ἱερέως τοῦ Διὸς οἰκίαν τεθῆναι. ἡ μὲν οὖν στοὰ μετὰ τοῦτο ὀνόματι μὲν, ὑπὸ Αἰμιλίου, ἐς ὃν τὸ τοῦ ποιήσαντος ποτὲ αὐτὴν γένος ἐληλύθει, τῷ δὲ ἔργῳ, ὑπ' Αὐγούστου καὶ ὑπὸ τῶν τοῦ Παύλου φίλων ᾠκοδομήθη. *Pauli porticus incendio absumta est, ignisque ab ea ad Vestæ usque grassatus, ita ut sacra à Vestalibus (nam earum summa sacerdos excæcata fuerat) reliquis in palatium sint translata, & in domo flaminis Dialis posita. Hæc postea porticus verbo quidem ab Æmilio, qui ab eo qui primus hanc fecerat genus suum trahebat, re autem ab Augusto & Pauli amicis refecta est.*

Restat inquirendum, quis ille triumvir Cæsaris monetalis M. Æmilius fuerit, a quo signati sunt hi denarii. Nequaquam posse referri ad Æmilios, qui signarunt eos qui præcesserunt denarios, præter prænominum Manii & Lucii (hic enim Marcus vocatur) diversitatem, ratio temporis docet. Illi enim signati fuisse videntur A. V. C. DCCXXVII. hi longe post. Nam quum ædes

Vestæ & basilica Paulli arserint A. V. C. DCCXL. & aliquanto post restitutæ fuerint, plurimum tempora discrepant. Extremis Augusti circiter temporibus inter Lepidos, qui Marci prænomen habuerunt, atque ad honores curules pervenerunt, duo inveniuntur; M. Æmilius Q. F. M. N. Lepidus, cos. A. V. C. DCCLXIV. cum T. Statilio Tauro, & M. Æmilius Lucii (qui basilicam exstruxit) filius M. N. cos. cum L. Arruntio A. V. C. DCCLIX. Alteruter ex his denarios hos in triumviratu monetali signavit. Videtur autem fuisse M. Æmilius L. Paulli filius, quem a sapientia & moderatione animi commendant scriptores, quique imperio dignus ab Augusto judicatus, quum adspernaretur illud fastigium, tranquille sub Tiberio consenuit. Is, consul A. V. C. DCCLIX. paullo post deflagrationem templi Vestæ & basilicæ Æmiliæ, sive porticus Æmiliæ, statui potest fuisse IIIvir monetalis. Deflagrarunt enim hæc ædificia A. V. DCCXL. Haud diu post fuere restituta; ab incendio autem eorundem usque ad consulatum M. Lepidi intersunt anni XIX. Itaque si intra quadriennium restituta fuerint, quatuordecim M. Lepido, tum triumviro Cæsaris monetali, superfuerunt anni ad reliquos honores adipiscendos, antequam ad consulatum eveheretur. Perperam pro Marco *Manius* in quibusdam Taciti editionibus reponitur, præsertim Annal. lib. VI. cap. 27. ubi de morte ejus agitur. Et probe distingui (qui aliquoties apud Tacitum occurrunt) duo hi consulares Lepidi, quorum uterque Marci prænomine passim insignitur, debent. Nam M. Æmilius L. Æmilii Paulli triumviri fratris, & censoris filius, is qui hos denarios, ut triumvir monetalis Cæsaris, signasse nobis videtur, consul cum L. Arruntio, dignus imperio ab Augusto existimatus, ex Cornelia Scipionis, Pompeji soceri, genitus fuit, & aviam habuit Scriboniam, Augusto Cæsari quoque nuptam & ex eo Juliæ matrem. At vero M. Æmilius Q. F. M. N. qui verius apud Tacitum Manius scribitur, & Manii videtur fuisse nepos, atque consulatum cum T. Statilio Tauro gessit, is est, qui frustra conatus fuit defendere a crudelitate Tiberii sororem Æmiliam Lepidam, cui docet Tacitus lib. III. Annal. cap. 22. super Æmiliorum decus proavos fuisse L. Sullam, & Cn. Pompejum. Pater hujus Lepidæ, & viri consularis Manii Æmilii Lepidi, fuerat Quintus Æmilius Lepidus, cos. A. V. C. DCCXXXII. qui uxorem duxerat Corneliam Fausti Sullæ & Pompejæ filiam. Vide Rupertum ad Taciti Annal. lib. I. cap. 13. pag. edit. Gronovianæ 27.

Quin ipse M. Æmilius Lepidus, cujus hisce denariis inscribitur nomen, avitum decus recoluisse legitur apud Tacitum lib. III. Annal. cap. 72. *Iisdem diebus Lepidus ab senatu petivit, ut basilicam Paulli, Æmilia monumenta, propria pecunia firmaret ornaretque.* Videtur ex his aliquam labem passa fuisse patris Paulli basilica, de illa enim agit Tacitus, nam quod *avitum decus* vocat, id respicit publicam Æmiliorum munificentiam, ex quibus avus veterem, pater novam basilicam exstruxerat, ipse nepos paternam exornandam nunc firmandam susciperet. De veteri Basilica, sive Æmilia, loquitur Plinius lib. XXXV. cap. 3. ubi de ornatu clypeorum in ædificiis publicis agit. *Post eum M. Æmilius, collega in consulatu Quinti Lutatii, non in basilica modo Æmilia, verum & domi suæ posuit.* De nova vero, quæ passim Paulli dicta fuit, loquitur idem Plinius lib. XXXVI. cap. 15. *Nonne inter magnifica basilicam Paulli columnis e Phrygibus mirabilem?* Hanc in regione Urbis octava, ubi & forum fuit Romanum, ponit Victor in Descript. Romæ. *Basilica Paulli cum Phrygiis columnis.* At altera vetus in quarta Urbis regione fuit. Novam vero juxta forum Romanum, sive Vetus, exstructam a Paullo fuisse, præter alios scriptores, & Plutarchum in Vita Cæsaris p. 722. notabili testimonio nos docet Cicero lib. IV. Epist. ad Atticum epist. 16. *Paullus in medio foro basilicam jam pæne texuit iisdem antiquis columnis: illam autem quam locavit, facit magnificentissimam.* Sed, quod jure miratus fui, nemo ex interpretibus non sanum esse (ut nunc legitur) hunc Ciceronis locum suspicatus est. Paullus Manutius & Corradus (cæteri enim silent) existimant basilicam Æmiliam veterem refectam fuisse a Paullo, atque insuper novam exstructam. Verum prius illud demonstrandum iisdem ex idoneo auctore aliquo erat, nam Ciceronis locus, ex quo illud male exsculpunt, etiam mendosus relictus, contra illos facit, nisi Oratorem illum Urbem suam ignorasse fateantur, & ipsum forum nescivisse. Quum enim clare & aperte P. Victor forum Romanum sive Vetus collocet in Urbis regione octava, atque ibidem quoque basilicam Paulli ex Phrygiis columnis agnoscat, diserte vero in quarta regione Urbis ponat basilicam Æmiliam sive Veterem, quomodo Ciceroni in mentem (ut illi volunt) venire potuit in medio foro basilicam veterem iisdem, quas ante habuerat, columnis ad tectum adcommodatis, refectam fuisse? Antiquarios vero quantopere torserit hic Ciceronis locus ex Donati & Nardini scriptis de urbe Roma cerni potest, quorum sententias nudas adduxit Pitiscus in Lexico Antiq. p. 265. Ex quibus Donatus quidem de Opimia vel Porcia basilica a Paullo refecta somniavit; Nardinus vero, explosa illa opinione, quod Opimia quidem in Comitio, Porcia vero ad Curiam sub Palatino fuerit, existimat Æmilium antiquis collapsæ regiæ columnis fecisse novam basilicam, & restituisse regiam in via Sacra, nova & augustiore forma. Verum facile cernens incertam valde hanc & infirmam esse conjecturam, addit, sese in re tam incerta nihil certi audere adfirmare. Verum omnia recte sese habitura sunt, si, exterminata imaginaria illa veteris basilicæ a Paullo refectione, luxata loco Ciceronis verba in ordinem redigamus, atque exigua adhibita immutatione corrigamus. Existimo scilicet ita olim scriptum & distinctum a Cicerone fuisse: *Paullus in medio foro basilicam, quam locavit, jam pæne texuit Phrygiis antiquis columnis, illam autem facit magnificentissimam.* Loquitur scilicet ibi Cicero de processu tam magnifici operis, quod a pretio marmoris & amplitudine & splendore ædificii commendat. Locaverat videlicet novam hanc basilicam (de qua una tantum agit Cicero) in foro faciendam Paullus. Illud opus tam alacriter urgeri scribit, ut pæne sit absolutum, & quidem Phrygiis columnis exornatam opere magnificentissimo. Hasce columnas Phrygias, quas Plinius tantopere commendat, neque P. Victor in libello, in quo nomina tantum & adpellationes locorum & ædificiorum Urbis continentur, silere potuit, haud intellexerunt librarii, & quum semel forsitan una literula a vera lectione aberrassent, *iisdem*, quæ vox hoc in loco nihili est, reposuerunt.

Novi aliter sentientem Ezechielem Spanhemium in editione auctiore operis de Usu & Præst. Numism. pag. 187. locum Ciceronis ex P. Victore & Rufo illustrantem, tanquam duæ Paulli Æmilii basilicæ Romæ fuissent, atque insuper una Æmilia. Vix ego ut id credere possim,

ad-

adducar, nisi majora rerum testimonia adsint. Libellos itaque Victoris & Rufi eorumque verba lustremus. In enumeratione ædificiorum & monumentorum regionis IV. urbis Romæ ita exstat apud P. Victorem tom. III. Antiq. Græcar. Gron. IV. p. 39. BASILICA VETVS PAVLLI ÆMILII. Apud Rufum pag. 29. in eadem regione, *Basilica Paulli.* Dein apud Victorem in regione VIII. quæ a Foro Romano nomen habuit, *Basilica Paulli cum Phrygiis columnis.* Apud Rufum ibidem, pag. 33. *Basilica Paulli.* Denique in extremo libelli P. Victoris, ubi fit enumeratio operum præstantiorum, quæ vix ab ipso Victore videtur profecta fuisse, XIX. enumerantur pag. 50. Basilicæ, & inter illas *L. Paulli in foro. L. Paulli vetus.* denique *Æmilia.* Ego quidem quovis pignore contendere ausim Victoris locum primum, ut & Rufi, esse corruptum, neque ab illo scriptum fuisse atque collocatum in quarta urbis regione basilicam veterem Paulli Æmilii, sed M. Æmilii Lepidi. Scripserat videlicet Victor. *Basilica vetus Æmilii.* vel *M. Æmilii:* pro quo primum *P. Æmilii* dein *Paulli Æmilii* fuit repositum. At nusquam nunc apud Victorem basilicæ veteris Æmiliæ mentionem factam videmus, cujus non modo insuper mentio fieri debuerat, sed quæ in Foro Romano, sive regione Urbis VIII. debuerat collocari, si Ciceronis locus de Æmilia vetere esset intelligendus, quam scilicet in medio foro iisdem columnis texuisset Paullus, quum insuper novam faciendam curaret. Deinde Varronis, quem adducit Spanhemius, locus, nihil juvat. Verba Varronis sunt lib. V. de L. L. pag. 44. *Medidies ab eo quod est medius dies. D. antiqui non R. in hoc loco dicebant, ut Præneste incisum in solario vidi, quod Cornelius in basilica Æmilia & Fulvia inumbravit.* An ideo basilicæ Æmilia & Fulvia juxta se in Foro Romano fuerunt, quia utramque ejusmodi literis Cornelius inscripsit? Non magis quam solarium Prænestinum & hæ basilicæ, quæ similibus literis fuerunt inscriptæ. At is, qui in compendium redegit auxitque ædificia & monumenta, quæ sigillatim a Victore in suis regionibus enumerabantur, quum sciret, utique Æmiliam Romæ fuisse basilicam, corruptum Victoris codicem in basilica Vetere Paulli Æmilii secutus, insuper Paulli veram basilicam, & quam sciebat exstitisse Æmiliam basilicam adjecit. Denique dicant mihi vulgatæ Ciceronianæ lectionis Victorisque defensores, a quo Paullo Æmilio vetus basilica exstructa fuerit, quum ante Lepidi triumviri fratrem nemo Paullus Æmilius fuerit dictus, sed omnes dicti fuerint Æmilii Paulli. Primus enim Paullus Æmilius Lepidus dictus fuit filius hujus Lucii Æmilii Paulli, qui basilicam novam exstruxit. Ut autem a veteri Æmilia distingueretur nova, basilica Paulli (subintellecto Æmilia) dicta fuit. Si vero præter Æmiliam veterem alia quoque vetus exstitisset in regione IV. illa vocari debuerat *basilica vetus Æmilii Paulli*, non *Paulli Æmilii.* Cognomen Paulli enim sub Augusto demum prænomen est factum.

In hisce itaque denariis duobus statuo exprimi basilicam, sive, ut Dio vocare mavult *στοὰν*, *porticum* Paulli, exstructam ab illo L. Æmilio Paullo, cujus Cicero, Plutarchus, & Plinius, atque P. Victor mentionem fecerunt. Sed tamen reticere nequeo duo argumenta, quæ videntur contra hanc sententiam posse objici, ipsam videlicet basilicæ in nummo inscriptionem, & deinde structuræ ornatum. Et primo quidem inscriptio hæc est. AEMILIA REF*ecta Senatus Consulto*. deinde clypeoli, ex descriptione Plinii referentes imagines vultusque illustrium ex Æmilia gente virorum, clarissime inter columnarum consignationes in denariis hisce collocati cernuntur, quæ utraque pro basilica Æmilia, sive Vetere, non pro nova, sive Paulli, militare videntur. Sed, ut posterius argumentum primo refellam, quis jure dubitare poterit, exemplum patris secutum Paullum? atque sicut ille ambitiosius post Appium Claudium ejusmodi ornatum adfixerat structuræ suæ antiquæ, sic ipsum quoque novæ pari jure gentis & familiæ suæ nobilitatem ejusmodi clypeolis & imaginibus expressam addidisse? Dein (quæ major est difficultas) quod Æmilia, non vero Paulli, inscribatur depicta in denariis basilica, me tamen a sententia non dimovet; constat enim ex Dionis loco porticum sive basilicam Paulli (non veterem illam Æmilii patris) quæ in octava Urbis regione erat, arsisse, & incendium usque ad Vestæ ædes, quæ in eadem Urbis regione erant, penetrasse; constat itidem cura & inpensis præcipue Augusti refectam fuisse. Dein, si Perizonio largiamur (id quod nequaquam concesserim) sub Tiberio cusos hos nummos fuisse, eadem restat difficultas, non enim basilicam Æmiliam, sive veterem, sed *basilicam Paulli*, adeoque novam, firmandam atque ornandam sua pecunia concedi sibi ab imperatore poposcit M. Æmilius Lepidus Paulli filius. At vero licet usu obtinuisset, ut prior, sive vetus, Æmilia, posterior, sive nova, Paulli basilica vulgo vocaretur, & a scriptoribus ad distinguendas invicem has basilicas, diceretur; nihilominus utraque basilica cum erat opus gentis Æmiliæ, utraque vocari debebat Æmilia, sed quoniam nova, ut a veteri distingueretur, dicebatur basilica Æmilia Paulli, non vero basilica Paullina, hinc quotidianus usus qui amat decurtare ejusmodi adpellationes, abjecit gentis nomen, quod primo casu erat prolatum, & retinuit solum cognomen, quod secundo casu erat additum. Jam vero, quum nulla alia basilica, quam Æmilia Paulli arserit sub Augusto, illaque simul cum æde Veste refecta esset, sumtibus partim M. Æmilii hujus, triumviri monetalis, ejusque gentilium, præsertim vero liberalitate Augusti, sufficiebat in nummo, ubi brevitas locum habere debet, & ipsa basilica non verbis sed pictura exprimitur, scribi Æmiliam senatusconsulto fuisse refectam. Denique, non aliam quam Paulli basilicam Æmiliam depingi, docet insignis columnarum ordo & superstructio, quam Plinius, ille naturæ interpres, *columnis e Phrygibus mirabilem* vocavit. P. Victor *cum Phrygiis columnis* esse dixit, Cicero denique, nitori suo restitutus & a mendacio liberatus, texuisse dicit *Phrygiis antiquis columnis.* Neque illud *antiquis* ab aliquo sollicitari debet aut temere dictum credi. Columnis enim non modo a colore, quem referebant, a loco & vena unde excisæ erant, sed & a locis & templis ubi steterant, auctoritas, gratia, & admiratio quærebatur. En testem Plinium; apud quem lib. XXXVI. cap. 6. *Inchoatum Athenis templum Jovis Olympii, ex quo Sylla Capitolinis ædibus advexerat columnas.* Romanis vero gratum spectaculum sine dubio credidit fore Paullus columnas ex Phrygia & Ilio advectas, quas & forte credi voluit ex antiqua Romanorum patria & Trojæ ruderibus effossas.

VIII.

ALEXANDREA. Caput muliebre turritum & diademate cinctum, quod est urbis Alexandreæ sive Alexandriæ.

Marcus LEPIDVS PONT*ifex* MAX*imus* TVTOR REG*ius* *Senatus* *Consulto.*

Nota ex historiis Romanis est existimatio M. Æmilii M. F. M. N. Lepidi, bis consulis, censoris, senatus principis, & pontificis maximi, cujus memoria a posteritate ejus in præstantissimo hoc denario celebratur. Notarunt jam abunde antiquarii typum ejusdem respicere ad historiam Ptolemæi Epiphanis, cui quum pater Ptolemæus Philopator Ægypti regnum adhuc puero relinqueret, provide ad rempublicam Romanam curam adplicuerat, filiumque suum minorennem sub tutela populi Romani reliquerat. Inter legatos itaque, turbidis ibidem rebus, & auxilium populi Romani contra Philippum & Antiochum, Macedoniæ & Syriæ reges, implorantibus Alexandrinis, missus in Ægyptum fuit M. Æmilius Lepidus, & tutor regis, populi Romani nomine, constitutus. Hac ratione imago ejus ut robustioris jam viri & justa magnitudine, togata, in nummo depingitur, dextra autem diadema regium tenet (tanquam regiam Ptolomæo Epiphani dignitatem conservaturus & adserturus) quod inponit capiti icunculæ minoris, regi videlicet puero, qui togatus quoque in nummo exprimitur, & hastam, in cujus summitate aquila est, dextra tenens. Togatum exprimi reor puerum regem, quod jus civitatis a populo Romano acceperit, atque ita ut civis suus & pupillus fidei suæ creditus, ab illo, defenderetur. Hastam, cui aquila inponitur, dextra tenet, quod fidem & virtutem, adeoque militarem potentiam Romanorum invocaverit contra hostes, qui regno suo imminebant, idque divisa animo præda spe jam devorarant.

Sed duo insuper consideranda veniunt, videlicet pontificis maximi in Lepido titulus, & a quo Lepido denarius signatus fuerit. Constat clarissime nondum pontificem maximum fuisse M. Lepidum, quum Alexandriam proficisceretur, atque tutor regis ibidem constitueretur, adeoque gravissime errare Valerium Maximum lib. VI. cap. VI. ex. 1. hanc illi dignitatem tribuentem, quem satis diu post demum, mortuo C. Servilio Gemino, adquisivit. Verum puto hoc respectu observandum esse, non respici in denarii hujus typo & inscriptione rationem temporis, quasi uno eodemque tempore pontifex maximus & tutor regis fuerit, sed dignitatis; quod idem ille M. Æmilius Lepidus, maximus suo tempore vir in republica Romana; & tutor aliquando regis Ptolemæi Epiphanis & pontifex maximus deinceps exstitisset. Hæc enim duo decora gentis Æmiliæ in uno eodemque Lepido celebrare voluit quisquis fuerit ex posteritate ejusdem, qui hunc denarium signavit, quique nobilem typum merito firmavit publica auctoritate, sive senatusconsulto, quod tutela illius regis illi potissimum, ut viro integerrimo, ex S.C. fuisset commissa. Si itaque constiterit, a quo fuerit signatus, de tempore quoque signati nummi constabit. Prænomen Marci fere universa posteritas hujus Lepidi tulit, verum gloriosi maxime & superbi nummorum typi ad extrema fere reipublicæ tempora sunt relegandi; crescente enim luxu ambitiosa quoque denariorum crevit inscriptio & typorum mira superbia. Itaque existimo & hunc denarium, & plures hujus tabellæ, præcipue illos, qui signantur num. III. lit. C. num. IV. lit. D. & G. ab uno eodemque viro ex hujus M. Lepidi posteritate signatos fuisse. Omnes autem pertinere judico vel ad M. Æmilium Lepidum triumvirum reipublicæ constituendæ, vel ad M. Æmilium Lepidum, qui sub Augusto consul fuit cum L. Arruntio. Si statuamus signatum fuisse a M. Æmilio Lepido priore, nequaquam referri debent ad illud tempus quo IIIvir R. P. C. exstitit, titulus enim foret adscriptus, qui in nullis exstat. Neque (ut vult Vaillantius) titulus pontificis maximi ad triumvirum Lepidum simul & vetustiorem Lepidum pertinere potest, quum, rapto pontificatu, mox conspiratione facta, tres illi pestes reipublicæ triumviratum erexerint, & in omnibus nummis, in quibus dicitur pontifex maximus, simul quoque IIIvir R. P. C. vocetur. Potuerunt itaque antea signari a Lepido in præfectura urbis, quam illi commisit Cæsar, proficiscens contra Pompeji liberos in Hispaniam, relictis Romæ octo, qui Lepido subessent, præfectis Urbi. Quibus omnibus quum jus monetæ competeret, multo magis id quoque ad Lepidum ipsum pertinebat. Verum & hæc dignitas addi debuisse videtur, ut fit in nummo Goltziano tab. II. num. IV. pag. 492. Vel itaque ab illo Lepido cusi sunt in aliqua minore dignitate & honorum incremento, puta in quæstura vel triumviratu monetali; vel sub Augusto, a triumviro monetali M. Æmilio Lepido, triumviri ex fratre Paullo nepote. Augustus enim, ut splendorem urbis Romæ ædificiis mire auxit, illamque reliquit marmoream quam lateritiam invenerat, sic ad similia urbis ornamenta impulit principes in republica viros, atque voluit, ut in omnibus splendorem Romani nominis, atque majorum illustria facta ostentarent. Hinc magnam copiam illustrissimorum typorum nummorumque nobis relictam puto, quos triumviri Cæsaris, ex familiis nobilissimis, præsertim primis & mediis ejus temporibus signarunt; in quibus non modo ipsius Cæsaris res, eo maxime anno magnifice & splendide gestas, expresserunt, sed & majorum suorum decora, permittente non modo sed & adhortante principe, signarunt, prout in nummis Fam. Aquiliæ aliisque cerni potest.

Litera F.

CONCORDIA. Caput deæ Concordiæ. Post illud scribitur PAVLLVS. LEPIDVS.

CLEMENTIAE. Clypeus insignis, in cujus medio est caput deæ, cujus nomen denario adscribitur, Clementiæ, ad latera ejusdem nota est senatusconsulti.

Inscripta nomina Paulli & Lepidi, & deæ Concordiæ caput in parte nummi anteriore, liquido docent signatum hunc denarium fuisse ab iisdem triumviris monetalibus, qui nummos V. & VI. signarunt, ubi vide quæ diximus; frustra enim ad triumviri Lepidi fratrem revocat Vaillantius, cujus explicatio de clypeo Macedonico & clementia Paulli antiqui hic locum tueri nequit. Alia enim clypei Macedonici figura in nummis esse & semper clypeolis sive orbiculis minoribus in ora cingi solet, prout cuivis, consulenti nummos regum Macedoniæ & ipsorum Macedonum patebit. Clypeus vero est ex eo genere, quales in locis sacris & publicis dedicari solebant & suspendi, habentes exsculptas imagines deorum dearumve, vel illustrium virorum, prout cuivis, mediocriter notitia antiquitatis imbuto, notum est. Inter æreos vero Tiberii imperatoris nummos mediæ formæ occurrunt simillimi duo clypei, quorum alter adscriptum Moderationis habet nomen, alter, pariter ut hic, Clementiæ. Neque tamen

ideo ad Tiberii tempora relegandos hosce denarios exiſtimo, nequaquam, propter rationes videlicet ſupra adlatas, ſed ad tempora Auguſti. Nam & Auguſti temporibus id moris fuit, & diu ante fuiſſe docet Plinius in loco ad nummum lit. E. ſignatum adlatus. Imo inter Fam. Meſciniæ nummos occurrit denarius a triumviro Cæſaris monetali L. Meſcinio Rufo ſignatus, qui ipſius Auguſti caput in ejusmodi clypeo expreſſum exhibet, in Commentario noſtro pag. 280. Quum itaque ſtatuamus, omnes hosce nummos cuſos fuiſſe poſtquam, victo Antonio, in meliorem ordinem ſtatum reipublicæ redegerat Cæſar, Auguſti adſumſerat nomen, & diviſis cum populo provinciis imperii Romani concordiam ſtabilem firmaverat, inde Concordiæ deæ caput in anteriore parte hujus denarii illorumque, qui num. V. & VI. occurrunt, ſignatum fuit. At vero quum præterea ita mutatum ſe oſtenderet Cæſar a priore proſcriptionis acerbitate, ut & proſcriptorum liberos (ſicut Ciceronis filius inter alios exemplo eſſe poteſt) & ipſos proſcriptos ad honores admitteret, quis dubitare poteſt, ex ſenatusconſulto (uti docet nummus) huic Cæſari, quem liberatorem ſuum vocabant & agnoſcebant, eum fuiſſe habitum honorem, ut clypeus ejus Clementiæ inſcriptus, cum deæ imagine dedicaretur? quod poſtea, ut pleraque alia, in Tiberio idem Senatus Romanus imitatus fuit.

Sicuti vero Cl. Perizonio adſentiri non poſſum, qui Tiberii temporibus cuſos hujus generis denarios credidit, ut adducta ejus verba innuunt in Commentario noſtro ad Goltzii nummos pag. 376. Morellium quoque haud audiendum eſſe exiſtimo, ad tempora liberæ reipublicæ & quæ ante Cæſares fuerunt, nummos V. & VI. & per conſequens hunc quoque revocantem. Verbis tamen ejus fraudare Lectorem nolo; ſcripſit itaque ſic ad Perizonium p. 130. „Major difficultas, ut mihi videtur, in explicandis gentis Æmiliæ nummis reſidet, qui in Urſino per Patinum aucto Tab. I. n. 5. 6. exſtant. Siquidem firmiſſime credo, illos ſtante adhuc Republica & ante Imperium Monarchicum fuiſſe conflatos, quoniam ratio fabricæ oculis in re nummaria verſatis nullo modo poteſt concedere, ut usque in Tiberii Cæſaris tempora rejiciantur, etiamſi caput Concordiæ illud perſuadere poſſet: nam hæc ratio facile evaneſcit, ex conſideratione nummorum gentis Muſſidiæ & aliorum, in quibus eadem Concordia apparet, poſt necem tamen Cæſaris ſtatim iis impreſſa. Hinc non vana ſequi videtur concluſio, tales nummos ad Concordiam IIIVirorum vel aliam novam, de qua Dio Lib. 44., potius ſpectare, non vero ad templum, quod huic deæ Tiberius conſecraſſe ſcribitur. Si proinde prædicti nummi ad Lepidi IIIviri fratrem referendi non ſunt, alius Paulus Lepidus erit quærendus, qui etiamſi non reperiatur, nihilominus tamen exiſtere illo tempore potuit, cum nummi multos hodienum adhuc detegant, de quibus apud Scriptores altum alioquin eſt ſilentium. Accedit inſuper, quod ultimis Auguſti temporibus nulli alii fuerint cuſi nummi, quam effigie ipſius, aut certa minimum nota illum deſignante. Hinc rectius ſtatui mihi poſſe videtur, illa ætate nullos amplius officinam exiviſſe monetariam nummos, qui reipublicæ veteris formam ſaperent." Quæ reſpondit Perizonius cerni poſſunt loco quem modo innuimus, ſed utrumque opinione ſua falſum fuiſſe, aliosque qui idem ſenſerint, nobis perſuademus.

Pag. 10. ad num. IV. Æmiliæ adhuc gentis dixi multos me vidiſſe nummos æreos ejus generis; qualis eſt qui ibidem deſcribitur & delineatur. Quin & ipſum illum haud bonæ notæ eſſe docere videtur Morellius in Epiſt. ad Perizon. p. 134. „In ſecunda dehinc hujus gentis tabula adjecit Patinus quartum nummum, quem etſi unde illum habeat, reticeat, conſtat tamen deſumſiſſe ex Triſtano, qui eundem cum nomine ΜΑΡΚΟΣ ΛΕΠΙΔΟΣ nobis exhibuit. Verum ΝΙΚΙΑΣ ΚΩ.ΩΝ legi debere, docet nummus ipſe in LUDOVICI MAGNI theſauro incomparabili. An vero hic ipſe Nicias Cous ſit, cujus meminit Cicero Epiſt. lib. VII. ad Atticum, & an placeant illa, quæ in Specimine meo in tertium nummum Tab. III. hujus gentis commentatus ſum, de iis doctorum exſpectabo ſententias." Reſpondit Perizonius, verum reſponſi ejus exemplum ab illo ſervatum non fuit, ut patere poteſt ex verbis ejus pag. 140. „Reſpondi mox huic epiſtolæ & ſpecimini, ſed ita, ut breviter tantum in eam animi ſententiam de quæſitis, ipſi exponerem. Quæ & cauſa, quare reſponſi mei exemplum non ſervaverim, neque nunc poſt elapſos jam tot annos meminerim, quid ad ſingula tunc repoſuerim. Hoc tamen probe etiam nunc ſcio, me duos celeberrimi viri errores plane manifeſtos ipſi declaraſſe, alterum de *Nicia* Coo, quem oſtendi non fuiſſe Niciam a Cicerone nominatum, quippe qui fuerit Grammaticus, ab ipſo Suetonio in Illuſtribus Grammaticis memoratus; ſed fuiſſe Coorum Tyrannum, de quo jam egerim ad Æliani Var. Hiſtoriam l. 29. Alterum, de *Antonio Muſa*, cujus cognomen docui neutiquam eſſe ſollicitandum, aut in *Muſus* mutandum, quum ex Horatii metro, genuinum eſſe *Muſa*, ſatis conſtet." Retexuit deinde telam pag. 232. „De nummo *Niciæ*, quem perperam retulit ad gentem *Æmiliam* Patinus, ut ex te didici, vellem diſertius paulo meæ ad te epiſtolæ verba aut ſenſum expreſſiſſes. Ita enim concepta & ordinata ſunt tua, ut videar, certe videri poſſim, ego locum Ciceronis ad Atticum, in quo *Nicias* quidam *Cous* memoretur, protuliſſe, & ad illum iſtius nummi *Niciam* retuliſſe, ſed quibus tu jam reponas, fuiſſe illum hominem Grammaticum, & ad hos nummos non pertinere; cum prorſus contrario modo ſe res habeat, & tyrannum hunc ex Strabone, Goltzii nummis, ac meis ad Ælianum notis in medium protraxerim." Hæc Perizonius; ſed quod in Notis ad Ælianum exiſtimat ipſius Niciæ vultum in nummis exhiberi, plurimum fallitur, quum potius ad Herculem debere referri docuerimus. De grammatico Nicia (homine diſertiſſimo) victas manus dedit ipſe Morellius pag. 161. „In ſecunda dehinc hujus gentis tabula adjecit Patinus quartum nummum, quem, etſi, unde illum habeat, reticeat, conſtat tamen deſumpſiſſe ex Triſtano, qui eundem cum nomine ΜΑΡΚΟΣ ΛΕΠΙΔΟΣ nobis obtulit: nummus ipſe ſervatur in LVDOVICI MAGNI theſauro incomparabili, in quo legitur ΝΙΚΙΑΣ, & exhibetur caput nudum Niciæ, qui, ut ait Strabo, Coorum tyrannus fuit, & teſte Julio Polluce, purpura auroque mixtis decoravit ſcutum: duos ejus nummos jam edidit Goltzius tab. XXI. Inſularum Græciæ, ſed in nummis caput Niciæ barba & laurea non ornatur, pluresque alios vidi cum diverſis ab averſa parte nominibus. Nicias vero Cous, quem memorat Ci-

„ cero

„ cero Epist. Lib. VII. ad Atticum, uti mones, „ homo grammaticus fuit, & ad hosce nummos non pertinet." ut & pag. 292. „ Nicias Cous tibi gratias agere deberet, si viveret. Nam si in tempore id non monuisses, „ idem mansisset cum homine grammatico, prout id publice etiam profiteor in Epistola literis hisce adjecta contra Gallandum, quam „ ut tibi mittere possem, non minima causa est, quod serius hisce literis calamum adde- „ re jusserim." Sed quæ de Niciæ scuto dicit Morellius, pertinent ad alium Niciam, videlicet Atheniensem ducem, qui in expeditione Syracusana periit, ut ex Plutarcho & aliis notum est.

Pag. 13. num. III. Æmiliæ etiamnum gentis, L. Bucæ occurrit nummus, quem ibi, Vaillantium & Morellium secuti, de Sullæ insomnio interpretati sumus. Egerat Morellius de typo ejus nummi in Specimine suo nobilissimo, atque Perizonii exquirens sententiam, hæc ad illum scripserat pag. 135. „ An placeant illa, quæ in Specimine meo „ in tertium nummum Tabulæ III. hujus gentis commentatus sum, de iis virorum doctorum expectabo sententias. Siquidem ad me „ relatum fuit, virum quendam doctissimum, & „ quidem maximi moduli, ut termino artis jocari liceat, tres illas figuras interpretari de „ somniis Endymionis. Quamvis vero palmam „ de somniis nemini invideam, huic tamen opinioni me accedere non posse, eademque so- „ mniare, palam profiteor." Hæc sententia non placuit Perizonio, visusque illi est nummus magis accommodatior temporibus Julii Cæsaris. Quæ vero de hujus nummi typo senserit Perizonius, & rescripserit Morellius, quibusque argumentis firmaverit sententiam suam Perizonius, adduximus in Comment. nostro pag. 126. 127. ubi similis nummus occurrit, sed sine aliqua inscriptione, atque discedentes a Morellii sententia illam Perizonii amplexi sumus, atque utrumque nummum ad Julium Cæsarem pertinere, post virum illum doctissimum, uberius demonstravimus.

Pag. 14. In gente Afrania tres priores nummi Spurii Afranii nomine inscripti, vix videntur ad unum eundemque Afranium referri posse, quum tertius prioribus duobus videatur esse antiquior. Sed de illis melius judicium ferent, quibus continget nummos ipsos videre & pondera illorum examinare. Ad num. I. pro anno DCLX. male a typis expressus fuit annus DCCLX.

Pag. 17. lit. C. in nummo C. Antestii notavit in schedulis Morellius, ipsam literam C. legi posse, & canem ibidem magis villosum inveniri, quam in nummo depingitur.

Pag. 18. & 19. C. Antistii Rhegini & C. Antistii Veteris aliquot occurrunt denarii in eorumdem triumviratu sub Cæsare Augusto cusi. Dubitavi ibidem, num uno eodemque omnes tempore cusi fuerint, quum unus & alter ex illis nullam notam tribuniciæ potestatis ipsius Augusti adscriptam habeant, sed consulatum ejus XI. qui per plures annos continuos in nummis Augusti solet exprimi, vel nudum Augusti nomen; duo vero denarii C. Antistii Veteris inscripti sint octava potestate tribunicia Cæsaris Augusti, unde clare liquet annus, quo quidem illi duo cusi fuerint, videlicet A. V. C. DCCXXXVIII. vel DCCXXXIX. Priores vero duo, quoniam instrumenta pontificialia insculpta habent, videbantur referendi ad A. V. C. DCCXLI. quo demum, mortuo Lepido, pontificatum maximum suscepit Augustus, anno trib. pot. X. Nunc aliter sentimus, & utrumque Antistium, Rheginum & Veterem, uno eodemque anno non modo triumviros fuisse monetales, sed una quoque non alio anno, quam in quem incidebat Augusti tribunitia potestas VIII. omnes suos denarios signasse. Sic ut omnes signati fuerint A. V. C. DCCXXXVIII. vel DCCXXXIX. & signa pontificalia in duobus prioribus nummis non respiciant ad pontificatum summum Cæsaris Augusti, qui illud eo anno nondum erat adeptus, sed ad sacerdotium aliquod, quod vel hi triumviri simul gesserint, vel a majoribus suis ante gestum, ad familiæ suæ dignitatem in denariis expresserint. C. Antistius Vetus plura insuper in denariis suis celebravit, antiquitatem scilicet gentis Gabiis oriundæ, & victoriam Actiacam, quæ contigerat Cæsari Octaviano jam quidem ante quindecim annos, die 2. Septembr. A. V. C. DCCXXIII. Fuerat vero pater ejus anno victoriæ Actiacæ proximo (quæ vox posterior interseri verbis nostris debet pag. 19. col. A. linea 19.) consulatu functus, suffectus ex K. Juliis, unde ipse filius in triumviratu monetali publicum illud gaudium, & Apollinem Actiacum (cujus typus primum adparuerat in nummis A. V. C. DCCXXIII. & DCCXXIV. cusis) in denario suo ad paterni consulatus honorem expressisse videtur.

Pag. 20. num. V. inter Antoniæ gentis nummos occurrit insignis denarius a C. Antonio M. F. cusus, quem pontificem fuisse adscripta docent in aversa nummi parte inscriptio & instrumenta pontificalia.

Duplex super hoc nummo inter antiquarios est quæstio, altera supra caput, quod est in nummi parte anteriore, altera quis fuerit ille C. Antonius M. F. cujus nomen nummo inscribitur. Camilli caput (ita puer sacris ministrans dicebatur) exprimi credidit Vaillantius. Opinionem illam refutavimus ibidem in Commentario nostro, demonstrantes muliebre esse caput, quodnam vero caput sit cujusve recte adsequi tum quidem non potuimus. Nunc vero adfirmamus non aliud esse, quam provinciæ Macedoniæ, quam pileus Macedonicus in capite muliebri indicat, is dicebatur proprie *causia*, nobisque multos nummos Macedonicos contrectare licuit, in quibus Macedonum reges, quum in expeditione equites depinguntur, ejusmodi causiam gestant. Servamus & ipsi complures, & præsertim unum antiquissimum, fere tetradrachmalem, Alexandri Divitis sive Philellenis, qui itidem cum ejusmodi causia in equo depingitur, & a nobis cum duobus ejusdem regis similibus, aliorumque pluribus, in Thesauro Numismatum Regio in lucem protrahetur. Neque minorem huic denario, respectu capitis muliebris & causiæ Macedonicæ, lucem adfundit nummus primus gentis Planciæ, in quo itidem Macedoniæ provinciæ est caput causia itidem ornatum, de quo vide quæ observavimus pag. 328. post Morellium, nam & in eadem sententia ante nos fuit Morellius, provinciæ Macedoniæ caput in utroque nummo exprimi.

Difficilior de C. Antonio M. F. quæstio est, utrum intelligendus sit triumviri frater an patruus, pro fratre Morellius sentit, pro patruo Perizonius. Morellii verba inspici possunt pag. 328. ibidem a nobis inserta. Ad quæ respondit Perizonius in literis suis ad Morellium datis pag. 260. „ Nummum 5. tab. 1. *Antoniorum* recte, „ ut auguror, explicas, & ad *C. Antonium*, non „ IIIViri fratrem, ut ex professo facit Vaillantius, sed IIIViri patruum & Ciceronis in consulatu collegam, refers, qui *proconsul* Macedoniæ præfuit, ut notum est, & *C. Antonius*

„ M.

„ M. F. appellatur a Cicerone Ep. Familiar. V. 5. „ Sed cum eo confundis, quod & facit Patinus, „ C. Antonium triumviri fratrem, de quo, non „ de collega suo, ait Cicero in Philippica III. „ 101. *Semper in ore habuit Macedoniam*, & X. „ 5. *Duorum fratrum (Marci triumviri & Lucii) ætatibus medius interjectus vitiis cum utroque certabat.*" Perizonii verbis monitus errorem in confundendis duobus Antoniis agnovit, sententia sua de fratre triumviri non discessit Morellius, cujus verba sunt pag. 298. „ Optime mones, „ me binos C. Antonios confudisse: hæreo interim, cuinam nummus Ursini attribui debeat, quia uterque de Macedonia gloriari potuit. C. Antonius Ciceronis in consulatu collega, proconsul Macedoniæ præfuit, ideoque nummus ad illum pertinere potest. C. Antonius vero triumviri frater Macedoniam obtinuit sortitionis titulo pro fratre triumviro, cum ille bello Galliam invasisset, & quia C. Antonius hic junior semper in ore habuit Macedoniam, fieri potuit, quod etiam in nummis de illa gloriari voluerit: imo a Bruto captus in illa periit." Ad quæ verba suam epicrisin hanc adjecit Perizonius „ C. Antonium „ Ciceronis collegam censeo potius designari hoc nummo, quam IIIViri fratrem. Ille tenuit Macedoniam proconsule: at alter post necem Cæsaris in mediis turbis civilibus eam arripuit contra Brutum, sed statim ab eo victus & captus, ac dein occisus est." Ego tamen fateor argumenta pro utroque Antonio superesse. Triumviri enim frater sine pecunia in expeditione sua non fuit, qua sicuti nunc, sic tunc quoque omnia conficiebantur. Neque absurdum est e vestigio pecuniam ejus jussu signatam fuisse, qua uteretur, & jus suum in provinciam Macedoniam publice ostentaret. Patruo tamen annorum trium, quibus in Macedonia moratus fuit, spatium, non minore jure nummum adserere videtur, nam triumviri frater tam præcipitanter omnia egit, ut vix signandæ novæ pecuniæ tempus illi suppetiisse videatur, & ipsius conatus mox oppressus, ipse captus, & aliquanto post interfectus fuit.

Pag. 23. num. VIII. in Pinarii Scarpi nummo imperator IV. dicitur M. Antonius IIIvir, quum tamen titulum Imp. IIII. (male ibi editur III.) non meruisse videatur. Pluribus vero, non ibi tantum sed & alibi in hoc Opere, inquisivimus, qua ratione illum titulum aucupatus fuerit, de quo vide quæ insuper diximus pag. 501. 502. 508. 509.

Pag. 27. num. VI. notavit Morellius in Epist. pag. 171. (æque ut pag. 26. num. III. factum est,) pro gallo gallinaceo corvum debere reponi. In Tabula V. (inquit) gentis Antoniæ num. 3. & 6. „ pro gallo gallinaceo in nummis corvus visitur, „ quamvis & Goltzius aliique eodem modo erraverint." Et quamvis in quadam epistola pullorum auspicium objecisse videatur Perizonius, in sententia sua tamen permansit, ut cerni potest ex verbis ejusdem pag. 295. „ Etiamsi pulli gallinacei ab auspiciis non sint alieni, ut recte „ mones, attamen in nummis hujus familiæ semper corvus exprimitur, cujus loco Goltzius & „ alii gallum perperam expresserunt."

Pag. 29. num. I. Errorem Patini aliorumque, quem reprehendimus, taxavit hisce verbis Morellius pag. 171. „ In undecima ejusdem gentis „ Tabula nummus militem galeatum offert, ac „ seminudum, cum Antonii statuam nudo capite sistere debuisset."

Pag. 33. num. II. M'. Aquillii nummum cum capite solis radiato judicavimus alio tempore cusum fuisse quam sequentes, quod & etiamnum videtur, nam triumviri monetales sub Augusto vocem Romam non adponebant, sed ab M'. Aquillio in prætura urbana A. V. C. DCXIX. (ut Vaillantio videtur) signari non potuit; prætores enim urbani pecuniam non signabant. Videtur itaque a quodam Manio Aquillio liberæ reipublicæ tempore triumviro monetali, signatus fuisse ad inpensas ludorum Apollinarium vel forsitan sæcularium.

Pag. 34. num. I. Fam. Arriæ & pag. 36. num. V. ejusdem gentis, duo occurrunt nummi valde notabiles, & de quibus ibidem pro virili, quæ tum maxime verosimilia videbantur, protulimus. Sæpe tamen postea recordatio eorundem animum subiit, cujusnam vultus in priori exprimatur, & quo potissimum tempore, & a quo cusi hi nummi fuerint. Et quidem nunc duplicem proferemus interpretationem, quarum prior hæc est: forsitan M. Arrium Secundum, cujus nomen hisce denariis inscribitur, triumvirum monetalem Cæsaris exstitisse temporibus primis Augusti, quum adhuc C. Cæsar Octavianus diceretur, neque Augusti nomen adsumserat. Sic potuit habere collegas in triumviratu monetali Q. Sicinium & C. Coponium Primum; de quibus eorumque denariis conferri debent quæ diximus pag. 394. 395. 396. Hi igitur simul triumviri ea in denariis suis expresserunt, quæ vel ad publicam Romanæ reipublicæ dignitatem pertinebant & eo maxime anno acciderant, vel ad decus & antiquitatem familiæ & gentis suæ spectabant. Sic C. Coponius originem Tiburtinam, & domesticam ibi gentis suæ nobilitatem jactavit. M. Arrius, ut ostenderet sese genus ducere ab illis Arriis, quorum primarium decus exstiterat Q. Arrius, qui ante centum fere annos Crixum & servos fugitivos in Sicilia oppresserat, vultum illius Q. Arrii, cujus ipse forsan erat pronepos, in denario priore expressit. Neque moveor, quod non adscriptum sit Q. Arrii, cujus exprimitur vultus, sed M. Arrii Secundi, qui nummum signavit, nomen; nam imagines illustrium Romanorum tam notæ erant, ut sæpissime in nummis capita illorum sine adscripto nomine adpareant. Sic in promtu sunt nummi cum capitibus regum Numæ & Anci Marcii, & inter viros illustres Livineji Reguli, quibus tamen nomen eorundem haud additur; nam licet in aliis denariis adscripta legantur nomina, sufficit si inveniantur, qui nomina non exhibeant, sed sola & nuda capita. Quin proximum huic nummo exemplum dabo notissimum quinquies consulis Marcelli nummum. In gente Cornelia tab. quarta num. I. caput istius Marcelli, sicut hic Q. Arrii (ut existimare licet) exprimitur, neque tamen ipsius Marcelli, cujus vultus depingitur, adscribitur nomen, sed ejus qui nummum signavit, videlicet Marcellini, sicuti in hoc gentis Arriæ nomen triumviri monetalis M. Arrii Secundi. Fateor, in altera area nummi ejusdem Marcelli quinquies consulis adscribi nomen, verum ibi quoque ipse Marcellus spolia opima in ædem Jovis Feretrii inferens depingitur, adeoque interpretationem typi aversæ partis, & cujus sit illa imago tropæophora, ibidem absolvit inscriptio; ipsum vero caput in parte priore manet sine nomine vero, adscriptum habens alterius viri nomen, qui videlicet nummum signavit, Marcellini. Nemo tamen antiquariorum Marcellini illam dixit effigiem, sed omnes Marcellum agnoverunt. Adeoque Q. Arrii, fortissimi ducis, caput exprimi in hoc denario gentis Arriæ potest,

poteſt, quamvis aliud nomen, videlicet ejus qui ſignavit, M. Arrii Secundi, adſcribatur.

Uterque vero triumvir monetalis, & Arrius & Sicinius Fortunam populi Romani in nummis ſuis ſignarunt (ſic enim debere legi pluribus adſtruxiſſe deprehendimus clariſſ. Perizonium in Diſſertationum Triade pag. 233. & ſeqq.) atque inſcriptionem ejus deæ indicem addiderunt. Unde videri poſſunt eodem tempore ſignati & Arrii & Sicinii fuiſſe nummi, &, quum in aliis nummis Sicinio jungatur Coponius, ſimul magiſtratum monetalem geſſiſſe, atque depinxiſſe felicem reipublicæ ſtatum victo Antonio & victore Cæſare.

Unum tamen eſt in hac interpretatione, quod me offendit, quod celare lectorem nolo. In omnibus hujus Arrii denariis, quos depinxerunt antiquarii, quosque ipſe vidi, barbatum modice mentum eſt illi quod exprimitur, capiti. At vero temporibus belli ſervilis in Sicilia omnes Romani raſo mento fuerunt, quod conſtat ex innumeris nummis, qui vultus virorum illuſtrium & ejus temporis, & quod proxime præceſſit & ſecutum eſt, protulerunt. Unde difficultas haud parva oritur, quo pacto barba Q. Arrii defendi poſſit. Ut taceam IIIviri titulum (quamvis illud levius per ſe ſolum ſit) abeſſe a M. Arrii nummo, qui in nummis Coponii & Sicinii exſtat.

Itaque & alteram conjecturam meam in medium proferam. Notum eſt triumviros R. P. C. barbam aluiſſe poſt cædem Cæſaris, donec illam ulti fuerunt. Exiſtimo igitur hunc M. Arrium unum ex quæſtoribus vel legatis C. Cæſaris Octaviani fuiſſe, & poſt victoriam Philippenſem de Bruto & Caſſio hunc nummum in ipſius gratiam ſignaſſe; quaſi ſcilicet, ſicuti triumviratus in aliis nummis *ſalus generis humani* dictus fuit, ſic quoque hæc de parricidis & percuſſoribus C. Cæſaris victoria, videri poſſet non humanum opus, ſed Fortunæ populi Romani munus eſſe, qua victoria, per corollam ab altera parte celebrata, dignitas ſua (per haſtam puram ſeu ſceptrum deſignata) reipublicæ redderetur, & thura diis adolere fas eſſet. Typum Fortunæ populi Romani ſuum quoque poſtea fecerunt Sicinius & Coponius, in ſimili cauſſa, victo ſcilicet ultimo reipublicæ Romanæ hoſte M. Antonio. At vero, quod & huic ſententiæ unice repugnat eſt vultus Cæſaris Octaviani, qui in hoc nummo vix aliquid habet, quod ad veram ejus formam & oris lineamenta accedat. Verum ſi omnes denarios, eosque, qui paſſim præ manibus ſunt, C. Cæſaris triumviri conſtituendæ reipublicæ ad tale examen velimus revocare, inventuri ſumus magnam inter quosdam differentiam, qui (ut pro arte & cura ſculptoris fieri ſolet) plus vel minus abeunt a vero vultu ejus, quem in nummis ſuis exhibere voluerunt.

Pag 42. num. VI. in gente Aurelia occurrit nummus inſcriptus AV. RVF. Ad gentem Aureliam retulit Patinus, quem ſequitur Morellius; ad gentem Anniam referunt Vaillantius & Perizonius, cujus poſterioris verba de hoc denario exſtant in Epiſt. ad Morell. p. 253. „ Nummum vero, quem Patinus ad gentem *Aureliam* „ retulerat, & ego ad *Anniam*, vidi poſtea ad „ hanc etiam a Vaillantio transferri, licet ne„ minem *Annium Rufum* repererit, niſi illum ex „ Joſepho. Sed præter conſulem in libera rep. „ *T. Annium Rufum* jam a me memoratum, ha„ bemus & *Anniam Rufillam* apud Tacitum Ann. „ III. 36. immo & in nummis Caracallæ An„ nium Rufum archontem Sardianorum. Nam „ errat ſine dubio Sponius, qui ex AN facit, „ non *Annium*, ſed *Antonium*, Itin. To. 1. p. „ 445." Utroque modo legi poteſt, nam literæ A. & V. ſive N. inter ſe connexæ ſunt, non ſolutæ & liberæ. Conjectura pro Annio nititur jure cognominis, quod illa gens Rufi habuerit cognomen, unde quoque Goltzius inter triumviros monetales ſenatus, tempore Auguſti, protulit quendam P. Annium Rufum, cujus nummum vide in Comm. noſtro pag. 499. Rufi tamen cognomen in Aurelia quoque gente exſtitiſſe, lapides, quos adduximus docent. Sed aliud quid nunc occurrit, quod utrique forſan genti nummum abjudicat. Nunquam familiæ vel Anniæ vel Aureliæ nummi initiales duas hasce literas AN. vel AV. exhibent, ſed plures ſemper ANNI. & ANNIVS vel AVR. verum gentis Antoniæ nummi complures per tres literas in unam connexas Antonii nomen exprimunt, ſic ut ANT. unum efficiant monogramma, in quo alterum ſive prius crus literæ N. poſteriori cruri literæ A. ſimul inſerviat, & parva lineola, in vertice cruris poſterioris literæ N. per transverſum ducta literam T. ſiſtat, prout in ipſis nummis cerni poteſt. Atque ita triumviri monetales, qui hunc denarium ſignaverint, emergunt Antonius & Rufus, homines diverſi, quorum alter nomine familiæ proprio, alter (ut ſæpiſſime in nummis) cognomine deſignatur. Tranverſa vero illa liter ula facillime in nummo temporis injuria evaneſcere vel Patini oculum fallere & effugere potuit.

Pag. 43. in nummo primo Fam. Bæbiæ hæc leguntur; „ M. Bæbius Tampilus filius fuit Cnei, „ nepos Quinti." Sed transpoſita ibi patris & avi ſunt nomina, & legi debet *filius fuit Quinti, nepos Cnei.* Et illa de tempore ſignati hujus ſententia ex Vaillantio eſt ſumta. Utrum vero loco triumphi ipſius conſulis, propter peſtem, Apollo in quadrigis ſit expreſſus, ut vult idem Vaillantius, non facile dixerim. InſcriptioRomæ docet in Urbe ſignatum fuiſſe nummum, quod etiam docere videtur a quæſtore Urbano vel triumviro monetali ſignatum fuiſſe denarium. Diverſus enim a conſule exiſtere potuit ex eadem familia M. Bæbius Q. F.

Pag. 46. & ſeqq. recenſuimus atque explicavimus nummos gentis Cæciliæ atque Metellorum plurimos & inſignes. Horum quosdam quum Harduinus quoque nova luce perfundere fuerit conatus, operæ pretium eſt, ut diſcutiamus illa, quæ ad illuſtrationem eorundem protulit, atque ad examen revocemus. Harduini verba exſtant in Hiſtoria Auguſta ex Nummis Antiquis pag. 686. ubi præmiſſo juxta ſuam mentem Metellorum ſtemmate, recte genuinos Cæciliæ gentis nummos a Goltzianis & ſuſpectis diſcernit.

„ Stem-

„ Stemma Metellorum, ex Plinio & Nummis antiquis.

„ L. METELLVS, pontifex, COS. II. dictator, magister equitum, XVVIR agris dandis: qui primus ELEPHANTOS ex primo bello Punico duxit in triumpho. Orbam luminibus egit senectam, amissis incendio, cum Palladium raperet ex æde Vestæ. Multos liberos reliquit. Plin. libro VII. sect. XLIX. Victoria L. Metelli pontificis in Sicilia de Pœnis captis, contigit anno V. C. DIV. Plin. libro VIII. sect. VI.

„ 2 Q. METELLVS. Plinius libro. VII sect. XLV.

„ 3 Q. METELLVS Macedonicus censor. Quatuor filios habuit. Inimicum habuit Africanum sequentem. Plinius, ibidem. A Macedonia subacta cognomen ei datum. Plin. libro XXIV. pag. 117.

„ 4 Q. METELLVS Balearicus consularis & triumphalis & censorius. Plinius libro VII. sect. XLV.	N. Metellus Diadematus, consularis, & triumphalis. Plin. ibidem.	N. prætorius.	N. consularis.	N. Metella. ex Plinio, libro VII. sect. XI.	N. Metella.

„ 5 Q. METELLVS. — N.

„ 6 Q. METELLVS PIVS, SCIPIO IMP. Uxor Cornelia, proneptis Scipionis Africani sequentis, & heres unica Scipionum: unde huic Metello cognomen Scipionis fuit.

7 M. METELLVS. Q. F.

8 C. METELLVS

9 Q. METELLVS. CELER.

„ Cornelia Metella Pia: heres unica Metelli Pii Scipionis Africani. Pompejo jam Magno nupsit: unde & ipse altero cognomento PIVS.

L. METELLVS IIIVIR monetalis. — Q. METELLVS IIIVIR monetalis.

„ Adjunge his sequentes adnotationes.

„ 1. L. Metelli iterum mentio apud Plinium est, libro XVIII. pag. 438. Linguæ admodum inexplanatæ fuisse eundem docet, libro XI. sect. LXV.

„ De utroque Metello, Balearico scilicet ac Diademato, ac de patre ipsorum Macedonico, Plinius libro VII. sect. XLV. *Equidem & Africani sequentis inimicum fuisse* Macedonicum, *inter calamitates duxerim, ipso teste Macedonico. Siquidem liberis dixit: Ite, filii, celebrate exsequias: nunquam civis majoris funus videbitis. Et hoc dicebat jam Balearicis, & Diadematis, jam Macedonicus ipse.* Pro *Diadematis*, (quam vocem exhibent exemplaria omnia manu exarata, & Parmensis, aliæque vetustæ editiones:) libri quidam posterius editi habent, *Dalmaticis*: sic Beroaldo corrigente, vel depravante potius: unde confictus est *Metellus Dalmaticus*. At præter Plutarchum, qui *Diadematum* legit, ut ibi monuimus, etiam Fasti Idatiani *Metellum Diadematum* consulem ponunt anno Urbis conditæ DCXXXVII. Et *Metellum Dalmaticum* tamen facit Epitome Livii, libro LXII.

„ 6. De Q. Metello Scipione Plinius loquitur: libro VIII. pag. 231. *Metellus Scipio tricliniaria Babylonica posuit in Catonis criminibus.* Libro X. pag. 409. *Scipio Metellus vir consularis. Metellus* de paterno ac suo vocatur; de uxoris nomine, *Scipio.* Et quoniam illustrius Scipionum Africanorum nomen, quam Metellorum, fuit; interdum Scipionis nomen loco priore ponitur. Erat Scipio e gente Cornelia. Et mos quidem fuit apud Romanos, ut ab uxore, siquidem unica heres & ex asse foret familiæ suæ, nomen maritus acciperet, ut a Domitia *Domitianus*, aliique. Et hic mos in nostra quoque Gallia perseverat. Non potuit autem dici Metellus Cornelianus, siquidem non totius Corneliæ gentis heredem duxit uxorem, sed tantum familiæ Scipionum. Itaque *Scipio* tantum est appellatus, ab uxore Cornelia gentis Scipionum. Sic a Metelli Pii filia, quæ fuit Pompeji Magni conjux, non potuit iste Metellianus dici, sed tantum PIVS.

„ 7. M. Metellus circa eadem tempora gessisse consulatum videtur. In Fastis certe Idatianis, anno V. C. DCLXXXV. & DCLXXXVI. Metellus consul geminus ponitur.

„ 8. C. Metellus is esse videtur, de quo Plinius, libro VII. sect. X. *Collegio Lentuli & Metelli coss.* In Fastis ponuntur hi Consules anno V. C. DCXCVII.

„ Q. Metellus is esse videtur, de quo Plinius libro II. sect. LXVII. *Quinto Metello Celeri, L. Afranii in consulatu collegæ.* Anno, ut quidem Fasti ponunt, DCXCIV.

§. 2.

„ *Numismata Metellorum.*

„ Numismata, Metellorum inscripta nominibus, in duas classes distribuenda sunt. Alia sunt enim sincera ac genuina, quæ Patinus edidit, post Fulvium Ursinum, in Familiis Romanis, exstantque in Cimeliis: alia falsa, adulterina, recentia, quæ Hubertus Goltzius commentus in otio est, & D. Vaillant in editione sua Familiarum Romanarum, nullo delectu aut discrimine habito, cum genuinis ac sinceris permiscuit: tametsi nusquam nisi depicta in libris exstant; in Cimeliis omnino nullis visuntur: Quæ causa est quamobrem vir eruditus Fulvius Ursinus, & ipse post eum Patinus, Goltziana ea numismata neglexerint, noluerintque penitus ea vel describere, vel commemorare. A prioribus igitur, hoc est, a genuinis ac sinceris, ordiamur.

„ Cum in tota serie Nummorum veterum, quos Romanarum Familiarum vulgo cognominant, nullum animadverterimus, quem probabili aliquo documento suaderi possit cusum fuisse ante Sullana tempora; nullius etiam Metellorum honori cusum fuisse numisma arbitramur, ante Q. Metellum Scipionem, qui fuit Sullæ æqualis. Et pleraque sane nomen ipsius exhibent. Cetera ad fratres ipsius, Marcum & Caium, vel ad patruelem ipsius Q. Metellum Celerem pertinent.

I.

„ *Nummi Q. Metelli Pii Scipionis Imp.*

„ 1. Caput Jovis laureatum: retro, litera S quæ semissem significat: .)(. Q. MET. PIVS. Prora navis. Infra, ROMA. Est ex ære mediocri, apud Patinum, pag. 50. num. 3. & in Cimelio D. FOVCAVLT. *Q. Metellus* de patris nomine appellatur, *Pii* cognomen peculiare istius ac proprium fuit. Prora navis præfecturam classis ei commissam fuisse docet, ut frumentum ex Africa conveheret, uti postea dicturus sum, ad cives Romanos alendos; id quod subjectum nomen, ROMA, declarat.

„ 2. Caput Jovis laureatum, cum litera S ut proxime .)(. Dimidiatæ navis effigies, cum littera S. Infra, ROMA, ut prius; supra, caput elephantinum: quod est idcirco appositum, ut vel ex hoc uno symbolo intelligas ad Metellum pertinere hoc numisma, qui genus traxerit ex L. Metello pontifice; qui *primus elephantos ex primo bello Punico duxit in triumpho*, teste Plinio, libro VII. sect. XLV. Littera S in illo inscripta, ut in priore nummo, ejusdem Metelli hunc esse etiam subindicat.

„ 3. Caput Pietatis, adjecta ciconia, quæ symbolum pietatis est .)(. Elephas insigne (ut diximus) Metellorum, ex quo L. Metellus pontifex primus elephantos in triumpho duxit. In imo nummi margine, Q M P I *Quintus Metellus Pius Imperator.* Sunt enim hæ tantum quatuor litteræ in nummo argenteo hujus nostri Collegii Parisiensis. Sed in alio perpulcro apud D. DE BOZE, perspicue scriptum est, ut apud Ursinum & Patinum, Q. C. M. P. I. hoc est, *Quintus Cæcilius Metellus Pius Imperator.* Unicum arbitror hunc esse nummum Metellorum, in quo Cæcilii nomen appareat. Hunc ipsum nummum Patinus habuit, editque in Thesauro Numismatum pag. 37. cum hac adjecta epigraphe: IMP. CAES. TRAIAN. AVG. GER. DAC. P. P. REST. qua significatur, Trajanum Cæsarem, tametsi ex gente Piorum non esset, tamen pietatem hujus Metelli erga patriam, excitatis publicis ædificiis restituisse ac repræsentasse, quæ quasi extincta ex illo tempore videbatur; ob quam iste Metellus omnium primus *Pii* cognomen adeptus est, transmisitque ad posteros. Nam ob ædificia excitata in usum & ad oblectationem populi Romani datum illud huic Metello cognomen fuisse, suadet nummus ille, quem proferemus num. 10.

„ 4. Q. METEL. PIVS. Caput Jovis laureatum; ob victoriam ab imp. Metello Pio relatam. .)(. Elephas, ut supra. SCIPIO IMP. Inscriptio integra est, *Q. Metellus Pius Scipio Imp. Metellus* de patris nomine dicitur; de suo deinde *Pius*: de uxoris denique nomine *Scipio.* Est hic nummus argenteus apud D. FOVCAVLT, & in Museo P. CHAMILLART.

„ 5. Caput Pietatis, cum ciconia: insigne Q. Metellii Pii adeo peculiare ac proprium, ut illius esse nummus intelligatur, etiam nomine prætermisso: quemadmodum in hac civitate Parisiensi, ad quem e nobilibus viris pertineat currus aliquis vicos circumiens, ex gentilitii scuti insignibus, absque domini nomine intelligimus. .)(. In corona laurea, urceus, qui pontificatum; lituus, qui auguratum denotet: denique IMPER. *Imperator.* Est hic argenteus in Museo nostro, & apud P. CHAMILLART.

„ 6. Q. METEL. SCIPIO IMP. Caput Africæ tectum elephantina pelle; & ex adverso spica frumenti: denique capiti subjecta est prora navis. .)(. EPPIVS LEG. F. C. Hoc est, *Eppius Legatus frumento convehendo*: non autem, *fieri curavit*, ut exponit D. Vaillant. Hercules in ea nummi parte pingitur, cum clava & leonis exuviis. Frumentum ex Africa mari convehendum significat caput Africæ cum spica & prora navis. Huic muneri præpositum fuisse Metellum Pium Scipionem imperatorem, idque officii ab ipso expletum fuisse Herculea virtute, auxiliante legato C. Eppio, nummus postea ob id percussus docet. Est ex argento in Cimelio D. FOVCAVLT, & in Museo P. CHAMILLART.

„ 7. Q. METELLVS PIVS SCIPIO IMP. G. T. A. Stat Genius Africæ, nudo usque ad umbilicum corpore; dextra modium tenet, sinistram pectori admovet. .)(. P. CRASSVS IVNI. LEG. PROPR. Victoria stans, dextra caduceum ostentat, pacis symbolum; læva clypeum rotundum tenet. Metellum Scipionem jure summo administrasse Africam, ac sub ipso P. Crassum Junianum proprætore egisse; pacemque ac tranquillitatem utriusque opera in eo tractu summam fuisse, hic nummus docet. Nam his literis G T A non *Genius Tutelaris Aegypti* significatur, ut vult Patinus; neque *Genius Tutelaris Africæ*, ut vult D. Vaillant: (nam neque *tutelaris* vocabulum Latinitas prisca hoc sensu poneret; neque, si probum esset, omnino adhiberet, ubi Genium scribi satis est; ut cum dicitur, *Genio populi Romani*:) sed partem hæ litteræ ipsæ efficiunt titulorum Metellii Pii. Dicitur enim hic, fortassis *Q. Metellus Pius Scipio Imperator, Ge-*

„ *mina*

„ *minæ Tutator Africæ.* Sic Jupiter *Tutator*
„ *Narbonis*, & Apollo *Tutator Imperii*, in num-
„ mis, quos alibi explicuimus, appellantur:
„ nempe in eo, qui INT. URB. & in eo qui
„ GENIO ANTIOCHENI inſcribitur. *Afri-*
„ *cæ* nomine ea tantum regio intelligitur, in qua
„ Carthago & Byzacium eſt, ſive quam deſcri-
„ bit Plinius, libro V. ſect. III. De ea ibidem
„ ille pag. 536. *Ea pars quam Africam appellavi-*
„ *mus, dividitur in DUAS PROVINCIAS, ve-*
„ *terem & novam, diſcretas foſſa, inter Africanum*
„ *ſequentem, & reges, Thenas usque perducta.* Ge-
„ minam iſtam Africam adminiſtrabat & tutaba-
„ tur Q. Metellus Pius, quaſi hereditario jure,
„ cum eſſet & ipſe Scipio Africanus, ob affinita-
„ tem. Eſt hic nummus etiam in Muſeo noſtro
„ argenteus. Malim ego tamen in eo legi, *Genio*
„ *Tutatori Africæ.*

„ 8. METEL. PIVS SCIPIO IMP. Caput
Jovis, ſed peregrino more ſculptum, ſubjicitur
„ ciconiæ caput, ſymbolum pietatis: quoniam
„ ciconiæ, inquit Plinius, libro X. ſect. XXII.
„ *genetricum ſenectam invicem educant.* Id quod
„ Metellus Scipio eſt imitatus; dum ad a-
„ limenta patriæ ſuppeditanda, frumentum cu-
„ ravit ex Africa comportandum. Inde eſt illi
„ cognomen Pii datum, ut nummi docent: non
„ unde commenti ſunt fabulatores. .)(. P. CRAS-
„ SVS JVNI. LEG. PROPR. Sella curulis,
„ quæ Metelli conſulatum: ſpica, quæ Afri-
„ cam jure prætorio a P. Craſſo Juniano admi-
„ niſtratam: cornucopiæ, quod ubertatem in
„ Africa, & eandem in Urbem ex Africa adve-
„ ctam: denique ſuperpoſitæ lances, quæ pon-
„ dera reſtituta deſignant. Eſt hic nummus ar-
„ genteus in Cimelio D. FOVCAVLT.

„ 9. . . . . SCIPIO IMP. prioribus craſis
„ litteris, in quibus erat METEL. PIVS. Tro-
„ pæum, quod victoriam imperatoris deſi-
„ gnat; deinde urceus cum lituo, ut in num-
„ mo 5. .)(. CRASSVS JVNI. LEG. PROP.
„ Caput Africæ turritum: retro, ſpica: ex ad-
„ verſo, caduceus: infra, prora navis. Pacem
„ ac tranquillitatem Africæ, & frumentum in-
„ de Romam advectum, hæc ſymbola ſignifi-
„ cant.

„ 10. Q. METELLVS. Caput Metelli nu-
„ dum ſenile. .)(. PIVS. Porticus, eximio opere.
„ Hinc C. inde S. *Civium Spectaculo.* Quinarius
„ eſt ex argento perrarus, in Cimelio Sereniſſ. Du-
„ cis Cenoman. & in Muſeo P. CHAMIL-
„ LART. Hæc eſt *Metelli publica porticus*, cu-
„ jus Plinius meminit, libro XXIV. ſect. XIV.
„ pag. 101. in qua ſtatuæ multæ erant exquiſiti
„ artificii. In hocce nummo animadvertendum
„ eſt, litteram Q ſic ſcribi, ut littera P eſſe vi-
„ deatur: pro lineola curva nimirum recta ap-
„ poſita: id quod & in nummis aliis M. ME-
„ TELLI. Q. F. Antiquarii obſervarunt. Non
„ fuit Publii prænomen unquam in gente Me-
„ tella.

II.

„ *Nummi Marci & Caii Metellorum.*

„ 11. ROMA. Caput muliebre, diadema-
„ tum, cum pendentibus cincinnis, ac nota de-
„ narii. .)(. In corona clypeus, cujus in medio
„ umbilico caput elephantis eſt, quod M. Me-
„ telli genus ex L. Metello pontifice denotat,
„ ut diximus. In ambitu clypei ſcriptum eſt,
„ M. METELLVS Q. F. Eſt argenteus in
„ Muſeo noſtro.

„ 12. Roma. Caput Victoriæ cum nota de-
„ narii. .)(. Clypeus, & M. Metelli nomen, ut
„ in ſuperiore. Eſt argenteus ibidem.

„ 13. Caput Herculis tectum leonina pelle.
„ .)(. Prora navis, in qua ſcriptum eſt, M. ME-
„ TELLVS. Supra, corona; inſigne victo-
„ riæ de piratis. Infra, ROMA. Eſt ex æ-
„ re.

„ 14. ROMA. Caput Victoriæ, cum nota
„ denarii. .)(. L. Metellus pontifex in curru bi-
„ juges elephantos regit: Victoria ſupervolitan-
„ te, & coronam porrigente. Infra C. ME-
„ TELLVS: qui genus ex L. Metello pontifi-
„ ce trahere ſe hac pictura ſignificat. Eſt ar-
„ genteus in Muſeo P. CHAMILLART.

„ 15. Caput Victoriæ, cum nota denarii. .)(.
„ Victoria in curru bijugo. Infra, caput ele-
„ phantis. Nummus hic ad eundem C. Me-
„ tellum videtur pertinere, qui ſe & viri tri-
„ umphalis nepotem, & L. Metelli pontificis ad-
„ nepotem eſſe his inſignibus indicat.

III.

„ *Nummi Q. Metelli Celeris, & aliorum*
„ *Metellorum duorum.*

„ 16. Q. METEL. Caput Victoriæ cum no-
„ ta denarii. .)(. Conſul quadrigis vectus. Infra,
„ ROMA. Eſt argenteus in Muſeo noſtro.
„ Nepotem ſe eſſe viri conſularis ac triumpha-
„ lis his inſignibus admonet.

„ 17. Caput Jovis laureatum. .)(. Q. ME-
„ TEL. Prora navis. Infra, ROMA. Ex
„ ære mediocri.

„ 18. Caput Herculis tectum pelle leonina.
„ .)(. Q. METEL. Prora navis. Infra, RO-
„ MA. Ex ære magno. Conſulem hunc Q.
„ Metellum Celerem fuiſſe, ac prius Galliæ
„ Narbonenſis proconſulem, Plinius docet, li-
„ bro II. ſect. LXVII.

„ 19. & 20. Caput Victoriæ, cum nota de-
„ narii. ROMA. .)(. Victoria bigis vecta co-
„ ronam oſtentat. Infra: CN. FOVL. M.
„ CAL. Q. MET. *Cn. Fulvius, M. Calidius,*
„ *Q. Metellus.* Nomina ſunt triumvirorum mo-
„ netæ præfectorum. Unde in nummo altero
„ ſunt eadem hoc ordine poſita: M. CALID.
„ Q. METEL. CN. FOVL.

„ 21. Caput laureatum Apollinis. Latere
„ dextro nummi, L. METEL. Latere ſiniſtro,
„ A. ALB. S. F. .)(. C. MALL. Victoria ſtans
„ pone conſulem, coronat ſedentem ſuper ar-
„ morum congerie. *L. Metellus, Aulus Albinus*
„ *Sexti filius, C. Malleolus:* nomina ſunt trium-
„ virorum monetæ præfectorum.

IV.

„ *Nummi Cæciliorum.*

„ Cæcilii ſunt in nummis alii, præter Metel-
„ los, ſed pauci.

„ 22. CORINT. Dei imago. .)(. Pegaſus Q.
„ CAECIL. NIGRO. C. HEIO POLL.
„ IIVIR. *Quinto Cæcilio Nigro, C. Heio Pol-*
„ *lione, Duumviris.* Eadem illa duumvirum no-
„ mina leguntur & in Auguſti nummo Corin-
„ thi pariter percuſſo.

„ Tiberii nummus apud D. Vaillant, in aver-
„ ſa parte habet hanc epigraphen, T. CAECI-
„ LIO LEPIDO. C. AVFIDIO GEMEL-

„ LO IIVIR. C. C. A. hoc est, *Coloniæ Cæsar-augustæ.*

V.

„ *Nummi Metellorum adulterini.*

„ Nummos plurimos Metellorum nominibus „ Goltzius exhibet, quos ipse confinxit, nec „ quisquam vidit, nisi in pictura apud ipsum: „ tametsi hos, ut diximus, D. Vaillant cum sinceris ac genuinis nullo delectu permiscet. Id „ quod ab ipso factitari eo magis miramur, quod „ ipsemet in libro de Nummis Græcis, pag. 262. „ recte admonuit, *parvam aut nullam fidem huic* „ *scriptori*, nimirum Goltzio, *adhibendam.* Hi „ sunt igitur nummi Goltziani."

Sequuntur dein nudæ nummorum lectiones & descriptiones sine explicatione, unde non necesse fuit illas adjungere. At vera in hisce Harduinianis observari volo, perperam statui ab uxoribus cognomina sive agnomina transiisse ad maritos, quod in historia Romana novum est & inauditum, aliaque ratio unde cognomina illa adepti fuerint Metelli & Pompeji a vetustis & fide dignis scriptoribus traduntur; præterea Cneo Pompejo Magno, Corneliæ marito, Pii agnomen haud fuit, verum illud cognomen filius Cnei, Sextus Pompejus sibi adsumsit. Stemma vero Metellorum juxta probatos auctores apud Glandorpium in Onomastico, p. 944. ita potius sese habet.

Q. Cæcilius Trib. pl. CCCXVI.

C. Cæcilius Metellus.
L. Metellus Cos. CCCCLXIX.
L. CÆCILIVS Metellus M. P. Dictator, bis Cos.

Q. Cæcilius Metellus Cos. DXLVIII. — L. Cæcilius Quæstorius — M. Cæcilius Prætor Urb. DXLVIII.

Q. METELLVS Macedonicus Cos. DCXI. — L. Metellus Calvus. Cos. DCXII.

Q. Metellus Balearicus Cos. DCXXXI. — Cæcilia Servilii. — Cæcilia Scipionis. — L. Metellus Diadematus, qui & Dalmaticus Cos. DCXXXVII. — M. Metellus Cos. DCXXXIX. — C. Metellus Caprarius Cos. DCXLI.

Q. METELLVS NEPOS, Cos. DCLVI. — Q. Metellus Celer. — C. Cæcilius Metellus.

Q. Metellus. Nepos, Cos. DCXCVII. — L. Metellus Nepos. — Q. METELLVS CELER, Cos. DCXCIIII. — L. Metellus Celer.

Cæcilia, L. Luculli mater. — L. Metellus, Cos. DCXXXV. — Q. Metellus Numidicus Cos. DCXLV.

Q. Metellus Pius Cos. DCLXXVI.

Q. Metellus Pius Scipio filius naturalis P. Cornelii Scipionis Nasicæ, sed testamento adoptatus a Q. Metello Pio. Cos. D.CCII. — Cæcilia Syllæ nupta.

Q. Metellus.
L. Metellus.

Q. Metellus Creticus Cos. DCLXXXV. — L. Metellus Cos. DCLXXXVI. — M. Metellus, Prætor Urb. DCLXXXV.

Cæcilia Crassi.

Errat

Errat præterea Harduinus dum nullos Metellorum nummos ante Sullæ tempora cusos exstare existimat, prout ex iis, quæ ad ipsos nummos notavimus, facile patere poterit. Sed ad ipsas nummorum ejus explicationes transeamus.

Num. 1. Harduinus semissem recenset, quem existimat cusum fuisse a Scipione, Pompeji Magni socero. Verum Pii cognomen solum hoc non evincit; imo quum ille passim Scipio insuper vel imperator vocetur in nummis, potius ad patrem retulerim, cui Pii cognomen primo a scriptoribus dari solet. Vide Comm. pag. 49. columna pr.

Num. 2. Harduinus nummum gentis Cæciliæ, nullo addito nomine, ad eundem Quintum revocat. Majori jure videtur pertinere ad Marcum Cæcilium Metellum. Vide Comm. pag. 49. col. pr.

Num. 3. Nummos ibidem ab Harduino commemoratos illustravimus pag. 50. col. pr. Nugatur autem, dum Pii cognomen traxisse vult ob ædificia excitata in usum & ad oblectationem populi Romani; quum tamen Æmilii, Fulvii, Opimii, &c. quorum basilicis aliisque sumtuosissimis ædificiis exornata fuit Roma, nusquam isto Pii cognomine decorati legantur. Hic vero Metellus natura fuit filius Scipionis Nasicæ, dictusque ante adoptionem P. Cornelius Scipio Nasica, adoptatus vero ex testamento a Q. Cæcilio Metello Pio, omnia adoptivi patris nomina, & sic Pii quoque agnomen adsumsit. Noluit tamen producto naturalis gentis nomine Cornelianus dici, sed cognomen ejusdem illustre Scipionis retinuit.

Num. 4. Vide Comment. p. 50. col. secunda.

Num. 5. Vide quæ diximus pag. 51. col. sec.

Num. 6. Vide meliora, ut existimo pag. 51. col. sec. Literæ F. C. si *frumento convehendo* significent, cur non in denariis gentis Calpurniæ, Critoniæ, Fanniæ, aliisque adparent, ubi ædilium cura in frumento advehendo, sive, ut vult Harduinus, convehendo, ex professo describitur & depingitur?

Num. 7. Displicet Harduino vox *tutelaris*, & reponit *Genio Tutatori Africæ*. Potest etiam legi *Genio Tutori Africæ*. i. e. defensori. Opinionem de gemina Africa hic designata non tango, quia ipse damnat.

Num. 8. Harduinus, qui ciconiæ avis caput putat esse, quod aquilæ omnino esse cognoscitur, vel ipsum nummum minus adtente consideravit, vel ciconiam nunquam vidit. Tu vide quæ diximus ad hunc nummum pag. 52. & 53.

Num. 9. Vide quæ diximus pag. 53. col. pr. & sec.

Num. 10. Utinam nummulum hunc ære sculptum nobis exhibuisset Harduinus, ut certius aliquid judicari posset. Nam & caput illud simile Jovis esse potest, ut in præcedente denario, & spectaculo nostro quoque porticum illam exposuisset. Ut verum fatear, aliquid sinistri de hoc quinario suspicor, & falsarii manum S. C. voluisse scribere, dum literas male transposuit.

Num. 11. 12. 13. Vide explicationem nostram pag. 46. col. pr. pag. 47. col. sec.

Num. 14. & 15. Vide quæ diximus pag. 47. col. pr.

Num. 16. 17. 18. Consule Comm. pag. 47. col. sec.

Num. 19. & 20. Quo tempore hi triumviri monetales vixerint, inquirimus pag. 48. col. sec.

Num. 21. Recte & hic & num. præcedente triumviros monetales inscribi agnovit Harduinus. Typum hujus denarii illustravimus pag. 48. col. sec. 49. col. pr.

Num. 22. Illustravimus hunc pag. 53. col. sec. & 54. col. pr.

Num. 23. Inter Cæciliæ gentis nummos non reposuit Morellius, sed in gente Aufidia, ubi vide pag. 40. col. pr.

In nummo Morelliano gentis Cæciliæ pag. 54. num. XII. nominatur quidam duumvir temporibus Tiberii L. Cæcilius Pius. De eo sic scribit Harduinus. „ Fuit hic duumvir *Cæcilius* ex pa„ tre; ex matre, Sexti Magni nepte, *Pius.* " Unde hoc illi constitit? Imo libertini generis fuisse credo, cujus majores in antiquioris L. Metelli domo servierint.

Pag. 57. num. 1. ubi agimus de nummo Cæsennii Pæti, post medium columnæ primæ scripsimus, neminem, nisi qui consul ante fuisset, cum proconsulari imperio in provincias missum fuisse, quod verum quoque est respectu Asiæ, adeoque hujus Pæti, cujus nummum Smyrnæi & Ephesii signarunt. Nemo vero id extendere debet ad alias itidem provincias, nam & prætorii quoque cum proconsulari potestate & nomine in illas mittebantur post divisionem ab Augusto cum senatu factam, ut pluribus docuit & illustravit Ezechiel Spanhemius De Usu & Præst. Numism. tom. II. pag. 587. & seqq.

Pag. 64. num. II. & 65. num. III. occurrunt denarii gentis Calpurniæ, in quorum altero cernitur dei Termini statua cum corolla & capeduncula, in altero caput dei Termini. Cusus uterque est a M. Pisone Frugi. Hunc M. Pisonem Frugi existimo fuisse filium M. Pisonis, qui prætor exstitit tempore Julii Cæsaris; & filium quidem exstitisse triumvirum monetalem Cæsaris Augusti, atque in his denariis celebrasse curam optimi principis in restituendis limitibus agrorum, in quibus tempore bellorum civilium magna confusio fuerat facta. Id me docere visus est elegantissimus nummulus, quem & ipse servo, & præstantissimus noster Morellius delineavit inter Incerta Tab. V. num. 6. ubi vide interpretationem nostram pag. 468. qui nummulus ab altera parte exhibet corollam querneam, principi Augusto dicatam, cum inscriptione *Agri Publici Promoti Fines.* vel *Agri Publici Privati Fines.* sic enim quoque legi potest. Ab altera parte est caput quasi humanum, sive dei Termini, in summo cippi vel pali terminalis.

Pag. 79. num. VI. Q. Cassii occurrit nummus, quem Q. Cassium notavimus eundem esse, qui nummos I. II. & III. quoque signavit, atque in III. cognomine suo Longinus, & titulo magistratus, triumvir videlicet monetalis agnoscitur. Itaque non signavit hunc nummum VI. quum prætor exsisteret, ut vult Vaillantius, nam prætores jus signandi pecuniam non habebant, sed & hunc & præcedentem in triumviratu monetali; & in hoc quidem denario typum usurpavit, qui ad majorum suorum honores respiceret, per eos enim commendare sese populo in primo isto honorum gradu solebant triumviri monetales.

Par ratio fuit L. Cassii Q. F. in nummo sequente sive VII. in quo ipse triumvir monetalis existens ædilitios majorum honores celebrasse videtur.

Ad nummum mox VIII. typi dedimus descriptionem, qualis in ipsis nummis invenitur, & Patini atque Vaillantii errorem notavimus. Video eundem animadversum fuisse a Morellio, cujus

jus verba sunt pag. 171. „ Pro viro nudo campanulam tenente Tab. I. num. 8. gentis CASSIAE Goltzius jam, & quidem rectissime, Libertatem triumphantem sculpserat pileumque tenentem."

Pag. 86. Fam. Cestiæ duo occurrunt nummi a L. Cestio & C. Norbano cusi, quorum dignitas per literas PR. in ipsis nummis adscribitur. Literas illas de prætoribus sumus interpretati, sed nunc mutamus sententiam, & adfirmamus L. Sestium & C. Norbanum fuisse inter octo præfectos Urbis, quos constituit C. Julius Cæsar, quum in Hispania contra Pompeji liberos proficisceretur. Videri possunt, quæ de iis in gente Norbana & passim in hoc Opere diximus, atque in Indice, sub titulo Præfectorum Urbis suis locis designantur. Africæ itaque caput non modo in Norbani nummo exprimitur propter rationem a Vaillantio adlatam, sed & propter Cæsaris in Africa victorias, quæ paullo ante præcesserant. Sella vero curulis, cura ludorum, jus signandæ pecuniæ, aliaque plura hisce præfectis a Cæsare concessa erant, de quibus plura suis locis.

Pag. 89. col. 1. linea 6. legitur, *Cajum Marcellum.* Repone, *Marcum Marcellum.*

Pag. 93. num. III. occurrit C. Clodii C. F. nummus, qui caput deæ Floræ exhibet. Is vero C. Clodius, qui Floralia hæc adeoque ædilitatis honorem celebravit, statui debet id non fecisse, quum ipse ædilis esset, quoniam ædilium non erat signare pecuniam, sed IIIvir monetalis, & majorum suorum celebrasse honores, quod solenne fuit IIIviris monetalibus. Statuo igitur a C. Clodio juniore, triumviro monetali, id fuisse factum, qui per hanc ludorum patris commendationem favorem apud populum quæsivit.

Pag. 97. ad nummum gentis Cloviæ notavit ista Morell. p. 207. „ CLOVIORUM Pallas forsan Venus est, quam Cæsar annulo insculptam gestavit, eaque tessera in rebus summis usus est." Respondit Perizon. pag. 285. „ In capitibus distinguendis, inprimis quando ipsos nummos inspiciendi nulla est copia, non multum me jacto, & idcirco judicium de nummo *Cloviorum* aliis permitto."

Pag. 106. num. VI. occurrit P. Caldi denarius, quem suspicabamur in prætura ejusdem signatum fuisse. Nunc aliter sentimus; nunquam enim concedemus, apud prætores & ædiles in Urbe jus signandæ monetæ fuisse. Credimus itaque hunc L. Caldum inter quæstores fuisse quorum numerum Sulla dictator auxit, & ipsum nummi typum ad Sullæ victorias esse referendum.

Quæ eâdem pag. ad num. VII. a nobis dicta sunt de provinciis, in quas consulares viri mittebantur cum potestate proconsulari, conferri debent cum illis, quæ diximus pag. 165. atque insuper ex Spanhemio adduximus in Addendis ad pag. 57. num. I.

Pag. 112. ad Manii Cordii nummos & quæsita Morellii hæc adnotavit Perizon. p. 284. „ Multa alia in hoc articulo quærit Cl. Morellius, sed quæ valde sunt incerta. Nam quid de *Man. Cordii*, & *C. Egnatii* nummis certi vel minimum adferemus, quum ipsi homines, eorumque res gestæ, ex Historiis Romanis penitus sint nobis ignotæ. Cordius videtur res Græcas & Græcorum fabulas suis in nummis de industria expressisse, forsan, quod iis delectaretur.

Pag. 113. ad num. II. gentis Corneliæ hæc notavit Morellius pag. 171. „ Gentis CORNELIAE nummus Tab. I. n. 2. ab illa parte, quæ capite insignis est, & vocem ROMA; & ab aversa Victoriam malleum, quo tropeum erigit, tenentem ostendere debuisset."

Pag. 115. num. I. & II. occurrunt duo denarii iisdem typis insigniti, & ab eodem quæstore Cn. Lentulo cusi. Sed in nummo secundo scribitur LENT*ulus* CVR*ator* X. i. e. *denariorum* FL*andorum* EX *Senatus Consulto.* Videri hoc posset novum munus; revera non est, nam legi debet nummus, ut nobis quidem nunc videtur, ita, LENT*ulus* (is ipse scilicet, qui quæstor in præcedente denario adpellatur) CVR*avit* X. i. e. *denarios* FL*ari* EX *Senatus Consulto.*

Pag. 117. num. VI. & Lit. A. inveniuntur duo nummi Oscæ in Hispania cusi, quibus inscribitur nomen P. Lentuli P. F. L. N. Spintheris, sub quo in Hispania commorante cusi hi nummi sunt, ut ibidem pluribus ostendimus. In horum altero sunt literæ Q. S. C. quæ notant a quæstore ex senatusconsulto signatam hanc pecuniam fuisse. Neque tamen quæstoris ille titulus capi debet, quasi ad ipsum P. Lentulum pertineret, nam is cum majore ibidem erat imperio. Ut enim patet ex Cæsaris loco prolixiore pag. 116. adducto, *provinciam Hispaniam ex prætura* (verba Cæsaris sunt) habuit Lentulus. Itaque simpliciter nudus quæstoris, qui pecuniam signavit ex S. C. titulus sine ejusdem nomine ponitur, vel ipsi prætorio viro P. Lentulo cognominis & adfinis fuit ille quæstor, prout facile fieri potuit. Lentuli enim prætorii avus fuit L. Cornelius Lentulus, ut ex adscripto avi prænomine adparet. Hujus vero prænominis duo simul Lentuli floruerunt, quorum alter consul fuit A. V. C. DLXXXXVIII. alter A. V. C. DCVIII. Horum alter exstitit avus prætorii P. Lentuli, qui cum summo magistratu in Hispania fuit, atque ex S. C. hanc pecuniam signari fecit; alter P. Lentuli quæstoris, qui nummos ex jussu viri prætorii cudit.

Pag. 118. num. VII. insignem explicavimus nummum L. Lentuli, flaminis Martialis, quo continetur dedicatio imaginis Julii Cæsaris per flaminem Martialem L. Lentulum, nomine ipsius Augusti. Templum, in quo dedicata divi Julii imago fuit, votum fuit A. V. C. DCCCXXXII. perfectum A. V. C. DCCLII. quod dubitationem videtur inferre, quo anno signatus fuerit hic nummus. Credo tamen perfecto templo & dedicata imagine cusum fuisse A. V. C. DCCXXXII. a filio L. Lentuli flaminis dialis, eo anno triumviro Cæsaris monetali, qui in eo & publicam Cæsaris pietatem & privatum decus patris sui Lentuli expresserit.

Pag. 120. num. III. in illis „ Nos vero cum Vaillantio referendos denarios putamus ad Cn. Marcellinum &c." calami festinantis est vitium, & pro *Cn.* reponi debet *P. Marcellinum* &c. Hic enim P. Lentulus Marcellinus, antea M. Claudius Marcellus dictus, fratrem habuit naturalem C. Claudium Marcellum, filius autem Publii fuit Cn. Cornelius Lentulus Marcellinus. Vide quæ diximus pag. 89.

Pag. 136. col. secunda linea 5. a fine pro verbis, „ ut avus consul cum Lentulo Marcellino, filius consul cum M. Asinio Agrippa, ut nepos denique &c." reponi hæc debent. „ ut Cn. Cornelii Lentuli, consulis cum Lentulo Marcellino, filius, consul A. V. C. DCCLIII. (postea enim Getulici nomen accepit) nepos, consul cum M. Asinio Agrippa, pronepos denique, qui consul cum Nerone &c." Horum

enim

enim Lentulorum hoc est stemma, quod ad historiam hanc illustrandum concinnavi, atque hic ponendum judicavi.

Cn. Corn. Lentulus cos. cum Lentulo Marcellino A. V. C. DCCXXXVI.

Cossus Corn. Lentulus Cn. F. cos. A. V. C. DCCLIII. postea Getulicus dictus. Hic, quum triumvir monetalis exsisteret, videtur hos denarios signasse.

Cossus Corn. Lentulus Cossi F. Cn. N. cos. A. V. C. DCCLXXVIII.

Cn. Corn. Lentulus Cossi F. Cn. N. Getulicus, cos. A. V. C. DCCLXXIX.

Cossus Corn. Lentulus Cossi F. Cossi N. Cn. Pron. cos. A. V. C. DCCCXIII.

Pag. 155. num. VII. & VIII. diximus ducem M. Antonii Cn. Domitium Ahenobarbum eo tempore, quo pro libera stabat republica, cujus partes nondum plane adflictæ erant, exemplo Bruti aliorumque, suam in denario signasse imaginem, inque eo sententiam Vaillantii amplexi eramus. Nunc aliter sentimus; barbata enim est effigies, quod manifesto docet non ad illum qui signari fecit, sed ad generis auctorem pertinere, qui primus (quod barba ejus divino tactu irrufata (ut ait Tertull. in Apolog. cap. XXII.) fuerat, Ahenobarbi cognomen posteris reliquit.

Pag. 160. occurrit is gentis Egnatiæ nummus, quem innuere videtur Perizonius his verbis ad Morell. p. 285. „ *C. Egnatium Maximum* ex „ Cicerone eruit Ursinus. Habemus & *Egnatiam Maximillam magnis opibus* feminam, uxo„ rem Glicii Galli senatoris, tempore Neronis „ apud Tacitum Ann. XV. 71. Sed nihil inde „ subsidii assequimur ad victoriam, ut videtur, „ navalem in nummis Egnatii declarandam."

Pag. 162. col. secunda, non longe post medium, dixi in Sicilia cusos fuisse aliquot denarios, propter Corinthiacam originem significantem literam Q. Verum properantur nimis illud scriptum fuit, addita enim vox ROMA docet Romæ, non extra urbem, signatam fuisse hanc monetam a Quæstore (ut videtur Urbano) quisquis ille fuerit, C. Egnatulejo C. F. nam videtur esse antiquior temporibus Cæsarum, quibus vox Roma non amplius adponebatur denariis vel quinariis. Præterea Acilius eo tempore triumvir monetalis esse non potuit, quo victoriam de Sexto Pompejo consummavit Cæsar Octavianus, nam quatuorviri monetales ex instituto Julii tunc adhuc & aliquanto post perseverarunt. Unde & de tempore Acilii triumviri monetalis aliam suo loco dedi explicationem. Videntur itaque potius signati fuisse hi denarii a patre vel avo illius L. Egnatuleji, quem *quæstorem*, *civem optimum*, & *ducem fortissimum* vocat Cicero in testimonio ibidem adlato.

Pag. 169. in fine columnæ primæ laudavi Vaillantii sententiam de sacerdotio flaminis Quirinalis, quasi proprium id & hæreditarium jam Romuli temporibus Fabiæ genti fuerit. Quod tamen prudenter est capiendum, ut scil. non dicantur successive soli Fabii flamines fuisse Quirinales, sed complures ex illa gente, sic ut non proprie & vere, sed per auxesin hæreditarium genti Fabiæ dicatur fuisse. Begerum enim, gentile fuisse flaminium Quirinale Fabiis adserentem, falli docuit clariss. Dukerus ad Flori lib. I. cap. p. 126. XIII. quum Livius lib. XXIV. cap. 8. flaminem Quirinalem commemoret M. Æmilium Regillum, & Cicero de Arusp. Resp. cap. VI. Sextum Julium.

Pag. 174. num. IX. gentis Fabiæ, dixi assem uncialem non potuisse signari a Q. Fabio Maximo post annum cladis Romanæ ad lacum Trasimenum, utpote tunc majori dignitate ornato, quam ut monetæ curam gerere posset. Quoniam tamen MAX*imus* scribitur in denario, filius Fabii, eo anno triumvir monetalis, vel quæstor urbanus, eundem cudere potuit.

Pag. 184. quæ dicta sunt ad num. VII. gentis Fontejæ confirmantur Morellii verbis ad Perizon. p. 194. „ Nummus septimus gentis „ FONTEIAE, prout credo, sub Claudio Im„ peratore demum apparuit, quia iidem II. Viri „ reperiuntur in nummis Messalinæ. Tres dif„ ferentes exhibiturus sum, sed nullum adhuc „ vidi, ex quo Colonia vel Urbs, quæ illos cu„ sos dederit, colligi queat."

Pag. 190. in gente Furia lit. A. occurrit nummulus æneus Corinthi cusus. Ad hujus nummuli similiumque illustrationem, in schedulis Morellii ipsius manu Germanice conscriptis, hæc inveni. „ Accepi a principe Ligniaci (*de Ligne*) „ duos nummulos, Liviæ utrumque. Alter ex „ illis caput Liviæ habet a parte priore cum „ hac epigraphe, *Lucio* ARRIO PEREGRI„ NO. ab altera parte templum cernitur hexa„ stilum cum hac inscriptione in ora nummi su„ periore, *Lucio* FVRIO LABEONE IIVIR*o*. „ Infra in nummo legitur COR*inthus*. In ipsius „ vero templi frontispicio clarissime hæ literæ „ adparent, LENTVL. sed ita, ut de litera priori „ non constet plane, num L. sit an vero G. & legi „ quoque possit GEN. IVL." Hæc Morellius; neque cuiquam dubium esse potest, quin litera G. in ipso nummo expressa sit, vel exprimi debuerit, & integra inscriptio sit, GEN*ti* IVL*iæ*. Templum hoc igitur a Corinthiis fuit erectum in honorem gentis Juliæ, quum Liviæ quoque caput, ut testamento Augusti in Juliam gentem adoptatæ, in ipso hoc nummo depinxerint. „ In „ altero nummo (pergit deinde Morellius) iti„ dem Liviæ, sed alio more, est caput, cum „ hac epigraphe *Lucio* FVRIO LABEONE „ IIV*iro*. Ab altera parte templum habetur i„ dem, quod commemoravimus, atque hac iti„ dem inscriptione in nummi circuitu, *Lucio* AR„ RIO PEREGRINO IIVIR*o* &c. ut in „ præcedente nummo."

Pag. 193. ad Herenniæ familiæ typum hæc no-

notavit Perizon. pag. 286. „ Nummum gentis Herenniæ neque ego de Ænea interpreter, sed potius de Catanensi juvene patrem auferente ex periculo incendii Ætnæi, quo etiam modo eum exposuit Vaillantius."

Pag. 201. in nummo primo gentis Juliæ diximus exhiberi Romam in bigis. Sed dea Moneta quoque sic in bigis depingi potuit; & statui idem Sextus Julius IIIvir monetalis fuisse, quum hunc denarium signaret. Junonem Monetam in bigis depictam vide pag. 146. 258. 278. 402. 467. &c.

Pag. 218. num. IV. occurrit divi Cæsaris nummus insignis a Trajano restitutus. In eo serpens, prudentiæ & sapientiæ symbolum, ad pedes Victoriæ Paciferæ gradientis cernitur. Ad quæ notari volo, hujusmodi nummorum typos, qui temporibus Claudii valde fuere familiares, primum a Clovio præfecto Urbis, ut in nummo ejus cerni potest, ex parte fuisse excogitatos, qui unius deæ symbolo simul & prudentiam & felicitatem Cæsaris, pacemque inde natam expressit. Felicitatis typus desumtus est ex nummis Flaminii quatuorviri Cæsaris monetalis.

Pag. 252. Adscribi hic debent ipsius Morellii verba, quibus hunc nummum a falsariis cusum notavit pag. 210. & 211. „ Quoad nummos (inquit) „ subæratos, hi omnes a falsariis cusi sunt, „ & interdum eodem errore monetali, de quo „ jamjam mentio facta est; in plurimis vero falsitatem ipsorum produnt variatæ in iis figuræ, „ omissæ literæ, & hujus generis signa alia: multi tamen tanta arte effecti sunt, ut a peritis „ genuini æstimarentur, si pondere leviores non „ essent, & cuprum, detrita lamina argentea, hinc „ & inde conspicuum, fraudem non detegeret. „ Hujus generis elegantem nummum subæratum, & quidem primum gentis Lolliæ, possidet Clarissimus Thomasius Norimbergæ, in „ quo pro PALIKANVS distincte PALIANUS, & a parte capitis LIBERTATS „ tantum legitur, quæ testantur, nummum confictum esse a falsario barbaro, & linguæ Latinæ imperito, hujusque sortis fuit quintus „ nummus gentis TERENTIÆ in Ursino."

Pag. 256. ad nummos gentis Mæciliæ hæc notavit Morellius pag. 300. „ Nummos Mæciliæ „ gentis, de quibus dubitavi, eidem reliqui, „ prout & eidem adscripsit Ursinus. Interim „ non incommodum erit rationes dubitationis „ referre, ut peritiores certiora exinde eliciant."

Pag. 279. & seqq. L. Mescinii Rufi nummi occurrunt. Horum respectu scribitur apud Morell. p. 300. In Epistola contra Gallandum vi„ debis, quantum periculum subierit L. Minu„ cius (*voluit* Mescinius) Rufus, Ciceronis quæ„ stor, ut autem liberari exinde possit, alia quæ„ dam in subsidium misi."

Pag. 298. Emendationem, quam in Numitorii nummis ex Cl. Liebeo protulimus, confirmat in schedulis suis Morellius, notatque vidisse se literam C. non vero L. scribi in pulcherrimo denario primo, qui exstabat apud principem Ligniacum.

Pag. 331. in nummo IV. familiæ Plotiæ, multa mutari debere notavit Morellius in Schedulis suis; videlicet sub capite Augusti poni debere has literas C. I. N. C. NOR. Ab altera vero parte aliter quoque Romæ caput & pedes debere constitui, literas MA. proximiores debere esse icunculæ, & post P. PLOTIO addi PLEB. IIVIR.

Pag. 333. ad lit. I. notavit Morell. nummum principis Ligniaci supra manum exhibere literas. . . . . ONDVS. Ab altera vero parte clarissime legi IIVIR. QVINQ. bovem vero torto collo respicere, pedesque ejus in nummo densiores esse.

Pag. 343. Ad gentis Pompejæ nummos observandum est, in eosdem ab Harduino quoque aliquid scriptum esse, sed pro more suo, sic ut in ipso stemmate Cneum, majorem ex fratribus, Cnei Magni filium, expunxerit, tanquam unus modo Sextus Pompejo Magno filius exstitisset. Dein Pii cognomen, quod Sextus sibi sumsit, patri Cneo adplicet, quasi adoptatum per nuptias cum Metella Pia Scipionis filia. Quæ quidem, ut pleraque ejus viri, contra consensum veterum scriptorum, quorum plerosque ab avorum nostrorum temporibus vel paullo ante confictos, obtrudere nobis voluit. En hic stemma Pompejorum juxta Harduinum in Hist. Augusta ex Numm. Antiq. p. 690.

„ Stem-

„ Stemma Pompeïorum, ex Plinio & Nummis antiquis.

„ [1] Cn. Pompeïus

„ Q. Pompeïus Rufus. — Sex. Pompeïus

„ [2] Q. Pompeïus Q. F. Rufus. — [3] Cn. Pompeïus Strabo.

„ [4] Q. Pompeïus Rufus. — [5] CN. Pompeïus MAGNVS PIUS. Conjux Metella Pia Scipio Africana.

„ [7] Sex. Pompeïus. — [6] SEX. MAGNUS PIUS.

„ [8] Sex. Pompeïus Fostlus.

„ His adnotationes istas, adjunge.

„ 1. Avum & patruum Cn. Pompeji Strabonis tantum ex conjectura ponimus; quoniam ex posteris utriusque Familiæ Pompejorum intelligimus hæc tantum prænomina fuisse in ipsis insignia, Q. CN. & SEX.


„ 2. Gemina in primis familia nobilis Pompejorum fuit, a Q. Pompejo patre Q. Pompeji Rufi, & Cn. Pompeji Strabonis orta. Pompeji vero nomen in titulis familiæ primogenitæ Ruforum Cn. Pompejus Magnus reliquit: solum sibi retinuit, transmisitque ad posteros MAGNI & PII cognomina: Præter istam autem utramque familiam, memorantur a Plinio ante Pompeji Rufi tempora, *Aulus Pompeius*, libro VII. pag. 48. & *Pompeïus Paulinus Arelatensis Eques Romanus*, libro XXXVII. pag. 69. & *Pompeïus Flaccus, eques Romanus*, libro XV. pag. 250. denique ex plebeja familia, *Pompeïus Lenæus*, *Magni libertus*, libro XXV. pag. 375.

„ 3. *Cn. Pompeïus Strabo* triumphum egit de Asculanis, ut auctor est Plinius, libro VII. pag. 64. Idem ab oculorum vitio Strabonis accepisse cognomen dicitur, libro eodem, pag. 25. & 26. Ex quo conjicimus fuisse eum secundo genitum ex liberis Q. Pompeji Rufi, siquidem proprium aliud cognomen non haberet: quoniam primogenito, opinor, cognomen paternum Rufi reservaretur.

„ 5. Cn. Pompeïus *Africa tota subacta, & in ditionem redacta, MAGNI nomen in spolium inde cepit*, inquit Plinius, libro VII, sect. XXVI: Dum *Cn. Magnus Pius* appellatur, *Cneïus* a patre, *Magnus* de suo, *Pius* de conjugis nomine nuncupatur: quemadmodum Aurelius Cæsar a conjuge Faustina Pia & socero Antonino Pio dictus est *Marcus Antoninus Pius*. Eam ob rem prius in nummis *Magnus* quam *Pius* vocatur: quemadmodum *Metellus Pius Scipio*, ante *Pius* quam *Scipio* dictus est. Et quoniam non ex rebus gestis, sed a conjuge, *Pii* cognomen Pompeïus haberet; idcirco ne semel quidem istud a Plinio commemoratum est; nec habet in nummis suis aliquod symbolum Pietatis. At in nummis Sex. Pompeji, quoniam is ex matre *Pia* natus est, eam ob rem & ipse etiam PIUS cognominatur; & in aversa nummorum superficie PIETAS scribitur, cum ipsius effigie Pietatis, ad hereditarium cognomen monetario alludente. Habuit, ut dixi, Cn. Pompeïus uxorem Metelli Pii Scipionis filiam; unde ipse *Pii* cognomen accepit, transmisitque ad posteros per longissima tempora. Nam inde Antoninus Imperator Pii cognomen habuit & plerique eorum qui sunt eum consecuti; fortassis usque ad ipsos Reges Imperatoresque nostros, qui inscribuntur in nummis veteribus, LVDOVICVS IMP. PIVS, HLOTARIUS IMP. PIUS, & D. N. KAROLUS IMP. P. F. AUG. Gordianus etiam pater, ut se Pium doceret esse, non ex Antonino Pio, ut priores, sed ex fratre ipsius, ac proinde ex Pompejo Magno Pio tantum; qui PIUS dictus est ob affinitatem cum Metello Pio Scipione Africano, addidit ipse cognomen AFR. ante cognomen istud, PIUS.

„ 6. Unicum fuisse Cn. Pompeji Magni filium, videtur Plinius significare, cum ait, libro III. pag. 295. *Munda* in Hispania cum Pompeji filio capta."

Hisce oppone aliud stemma, prout vulgo a viris doctis concipitur, atque editur apud Glandorpium in Onomastico pag. 962. quod tale est.


Stemma Familiæ Pompeji Magni, & aliud Pompeiorum Ruforum.
Cn. Pompeius.
Sex. Pompeius.
Q. Pompeius A. F. Nepos Cos. DCXIII. Censor.
Cn. Pompeius Strabo, Consularis & triumphalis
Licinia.
Sex. Pompeius vir doctus.
Sex. Pompeius.
CN. POMPEIVS MAGNVS tribus Consulatibus & totidem triumphis clarus.
Mutia.
Pompeia.
Memmius, Quæstor Pompeji.
L. Cornelius Sylla, Dictator, collega Q. Pompeji Rufi in consulatu.
Q. POMPEIUS RVFVS Cos. DCLXVI.
Sex. Pompeius Cos. DCCXIX.
Sex. Pompeius Cos. DCCLXVI.
Cn. Pompeius.
Claudia Censoris F.
Sex. Pompeius.
Scribonia L. F.
Pompeia.
Cornelia.
Faustus Sylla.
Fausta Cornelia.
Q. Pompeius Rufus.
Pompeia, desponsata M. Marcello.
Æmilius
Marcus Lepidus.
Æmilia Lepida.
Q. Pompeius Rufus Trib. pl.
POMPEIA
C. Julius Cæsar, post Dictator.

Præ-

Præmisso Pompejorum novo stemmate & notulis suis, ad ipsam nummorum explicationem progreditur Harduinus, postquam Vaillantii, non sine ratione, notavit Collectionem. Verba ejusdem hæc sunt.

„ Ut in Metellorum nummis fecimus, sic „ sunt Pompeïorum nummi in duas distribuendi „ classes: quarum prior genuinos ac sinceros „ complectatur; quales sunt apud Patinum in „ Familiis Romanis, aut in Cimeliis asservantur: „ posterior, adulterinos & fictos, quales & Goltzius commentus est, & D. Vaillant in suam „ Collectionem nullo delectu cum probis permiscuit; cum hos tamen Fulvius Ursinus & Patinus antea dudum sprevissent; nec usquam appareant, nisi in picturis.

I.

Nummi Pompeïorum Ruforum, & Sex. Fostli.

„ RUFUS COS. Caput nudum Rufi Consulis. Q. POM. RUF. P. *Q. Pompeius Rufi F.* .)(. SULLA COS. Caput nudum Sullæ „ Consulis. Est argenteus etiam ex Museo nostro.

„ 2. Q. POMPEI Q. F. RUFUS COS. „ Sellæ curules duæ .)(. SULLA COS. Duæ „ rursum sellæ curules: & hinc lituus, symbolum „ Auguratus: & inde corona, victoriæ argumento. In imo Q. POMPEI RUF. Est „ hic etiam argenteus ibidem. Apparet hunc „ utrumque nummum a Q. Pompeïo Rufi filio, „ post patris obitum, ad ipsius & Sullæ memoriam, fuisse percussum, sub Cæsare Dictatore.

„ 3. Caput Jovis laureatum. .)(. SEX. POM. „ Prora navis. Ex ære minimo. Nomen istud „ esse Consulis nobis videtur, ut in Metellorum „ nummis, supra allatis, nomen Metelli, nomen est Consulis.

„ 4. Caput Herculis leonina pelle tectum, ut in „ Metellianis. .)(. POMP. Prora navis. ROMA. „ Ex ære mediocri.

„ 5. Caput Victoriæ: retro urceus. .)(. SEX. „ POMP. FOSTLVS. Sic enim scribitur in „ nummo argenteo, apud P. CHAMILLART; „ & in Arschotano: non ut Patinus & alii ediderunt, FOSTVLVS. Est in eo nummo „ lupa cum Remo ac Romulo ad ficum, adstante rustico. Originem suam ad Romulum „ refert hoc symbolo Sex. Pompeïus Fostlus, „ scriptoribus rerum Romanarum ceteroqui ignotus.

„ Præter hos nummus est Augusti COS. XII. „ in Cimelio Mediceo, & apud D. FOVCAVLT, Coloniæ Juliæ Celsæ in Hispania, „ CN. DOMITIO C. POMPEIO IIVIR.

II.

„ *Numismata Cn. Pompeji Magni.*

„ 6. MAGN. PROCOS. *Magnus Proconsul.* „ Prora navis, ob præfecturam classis adversus „ piratas ei commissam. .)(. Caput cinctum diademate, in quo scriptum est, NVMA. In „ ambitu, CN. PISO PROQ. *Cneius Piso Proquæstor.* Genus suum referebat ad Numam „ Pompilium regem Pompeïa gens, æque ac „ Pomponia. Non Piso Calpurnius, a Calpo „ Numæ filio, ut Plutarchus ex hoc numismate prave intellecto comminiscitur. Neque enim nummus honori Proconsulis Magni dicatus, Proquæstoris originem exhiberet. Numæ Pompilio regi, ut ex nummis antiquis „ haud temere colligimus, fuere duo filii: quorum alter Pompeïus, alter Pomponius est appellatus; deflexo parumper in utroque patris „ nomine. Hinc Numam regem gens utraque „ suæ stirpis auctorem jactabat. Nam & in nummo „ argenteo Pomponiæ gentis, apud Patin. pag. „ 223. & in Museo nostro legitur NVMA „ POMPIL. Sed in solis Pompeji nummis Numæ vultus exhibetur.

„ 7. Delphin dextrorsum, Aquila sinistrorsum: in medio signum cohortis, ut videtur. „ Infra MAGN. PROCOS. Bellum piraticum Magno commissum, pro Imperii Romani tranquillitate, docet hic etiam nummus. „ .)(. VARRO PROQ. *Varro Proquæstor.* Caput diadematum regis Numæ Pompilii, a „ quo se genus ducere, non proquæstor Varro, „ ut nec Piso proxime, sed Pompeïus, gloriabatur. Nunc, amabo, nummum hunc utrumque, non modo cum Sex. Pompeji Fostli „ nummo, de quo dixi proxime, sed & cum „ illo Probi Aug. nummo, qui inscriptus est, ORIGINI AVG. cum lupa & Remo ac Romulo; cujus nummi sententia est, ex Romulo esse Augustos Pios Felices, cujusmodi Probus fuit: & cum altero qui inscriptus est, „ PERPETVA SOBOLES, cum lupa similiter ac gemellis, de quo nuper ad te scripsi, „ si contulerimus, intelliges profecto primum, „ credidisse Romanos Pompeji originem esse a „ Numa Pompilio: deinde iisdem persuasissimum fuisse (sic leg.) *Pios* a Pompeïo Pio esse „ appellatos: denique Numam regem Romuli regis generum fuisse; ut à Romulo perpetuam sobolem in Augustis Piis vigere, & Augustorum „ *Piorum* originem inde esse, vere prædicarent. „ Itaque paternum genus suum Pompejus a Numa Pompilio repetebat: ad Romulum ipsum „ retulere Romani maternum ejusdem genus, qui „ scirent Romuli generum Numam fuisse, non „ Tatii, ut fabulatores prodiderunt. Hinc ORIGO PROBI AVG. Pii Felicis: Hinc PERPETVA SOBOLES Augustorum *Piorum* in „ nummis celebratur. Cum sint Julii Cæsaris & „ Augusti numismata plurima, nullum tamen in „ his simile priscæ nobilitatis vestigium est. Apud historicos e contrario.

„ 8. CN. MAGNVS IMP. Victoria stans palmam offert Pompejo Magno stanti, qui pede „ dextro proram navis premit. .)(. Caput Palladis galeatum. M. POBLICI. LEG. PROPR. *M. Poblicius Legatus Proprætore.* Est etiam „ argenteus in Museo nostro.

„ 9. CN. MAGNVS IMP. Caput Pompeji „ Magni nudum. .)(. Pompeïus paludatus, „ cum baculo Imperatorio, *le bâton de commandement*, e navi descendens, obviam sibi venientem Hispaniam, junctis dextris in fidem „ recipit. Infra M. MINAT. SABIN PRQ. „ *M. Minatius Proquæstore.* Scriptoribus rerum „ Romanarum Quæstor hic est prorsus ignotus. „ Est hic nummus argenteus etiam in Cimelio „ P. CHAMILLART.

„ 10. MAGN. Jani bifrontis imago. .)(. „ PIVS IMP. *Magnus Pius Imperator.* Prora „ navis. Nunc dici PIVS incipit, ex quo duxit uxorem Metellam Piam, ut diximus. Janus bifrons, ipse est Juppiter, sive Sol; *Janus geminus*, apud Plinium, libro XXXIII. „ pag. 28. *qui pacis bellique argumento colitur:* „ qui totius diei & anni Deus: quoniam luce sua

 „ dat

,, dat initium laboribus seu belli seu pacis. Horatius, libro 2. Satyra VI.

,, *Matutine pater, seu Jane libentius audis,*
,, *Unde homines operum primos vitæque labores*
,, *Instituunt.*

,, Et libro I. epist. XVI. versu 59.

,, *Jane pater clare, clare, cum dixit, Apollo.*

,, 11. In corona laurea, vultus Cn. Pompeji Magni, nudo capite, MAG. PIVS IMP. ITER. Qualis a Plinio describitur, libro XXXVII. sect. VI. pag. 360. *Imago Cn. Pompeji, illa REGIO HONORE grata, illius probi oris venerandique per cunctas gentes.* Et ille quidem eo dicto, *Regio honore grata*, occulte sane, at non obscure tamen indicat, opinor, Pompeji originem a rege Numa. .)(. PRÆF. CLAS. ET ORÆ MARIT. EX SC. Cum *ad tota maria & deinde Solis ortus missus* a senatu est, ut Plinius ait, libro VII. pag. 45. Capita duo adversa, & nuda sine laurea, nummi area exhibet, Cneji patris dextro latere; lævo, Sexti filii: pone caput Cneji patris lituus appictus est, insigne Auguratus. Ex quo manifestum est, vivo ipso patre nummum hunc esse percussum; & vultum ipsius, titulosque *Magni Pii Imp. iterum* ceterosque, repræsentari: nullos vero Sexti F. per se titulos, nec ipsum nomen. Nam si mortuo Cneio patre percussus hic nummus esset, cum esset Sextus Augur, ut volunt, quoniam qui PIVS & IMP. ITER. in aliis nummis appellatur, hunc fuisse quoque Augurem adjecta in illis Auguratus insignia clamant; in isto quoque nummo non solus Cn. pater, sed & Sextus etiam ipse insigne Auguratus haberet sibi adpositum. Atqui tripodem habet solummodo appositum retro, quod est insigne dumtaxat sacerdotii. Ergo tunc cusus est nummus iste, cum esset pater quidem Cneius Magnus Augur; Sextus vero filius, tantum sacerdos. Neque enim ambo simul aut fuerunt Augures, aut esse tunc potuerunt. Ergo vivo Cneio Magno percussus hic nummus est, & nomina ejus titulosque repræsentat. Adjectus est autem etiam Sexti vultus sub eodem titulo *Præfecti classis & oræ maritimæ*; quod is haberet designatam successionem in locum ac munus defuncti patris, si quid ei humanitus accideret. Sed isto sublato extinctoque, ut summam Reipublicæ Cæsar capessiverat, desiit tunc Sextus frui fungique hac præfectura. Risum ipsi etiam plebi movent Antiquarii quidam, qui vultum quidem hic patris esse, sed soli tamen filio titulos superscriptos convenire pertendunt. Huc eos adigunt scriptæ fabulæ. Quid nummi aperte doceant, id vero nos unice quærimus. Est hic nummus ex auro in Cimelio etiam Sereniss. Ducis Parmensis.

,, 12. MAG. PIVS IMP. ITER. Caput nudum Cn. Pompeji: hinc urceus, Pontificatus; inde, Auguratus insigne, lituus. *Imperator iterum* Cn. Pompeius fuit; æque ac Cæsar, qui IIT hoc est *Imperator iterum*, immo & in nummo argenteo e Museo P. Chamillart, I. V. hoc est, *Imperator quintum* inscribitur. .)(. PRÆF. CLAS. ET ORÆ MARIT. EX SC. Symbolum Præfecti classi in hoc nummo est, & simul *Imperatoris, missi ad tota maria & Solis ortus*, ut Plinius loquitur, Sol est, nudo corpore, capite radiato; quod est Symbolum Orientis; lauri ramum, quem dextra tenet, veluti volens proræ navis infigere, cui pedem dextrum imponit. Symbolum vero Præfecti oræ maritimæ, tum orientalis tum occidentalis, sunt duo viri nudi, gestantes humeris suum quisque hominem, quem ex aquis, ubi natasset, semivestitum extulerat; alio dextrorsum, hoc est, versus Solis ortum ad litus orientale: alio sinistrorsum procedente, hoc est, versus Solis occasum, sive ad oram occiduam. Nullus hic fabulis locus, quas ad interpretationem hujus numismatis vulgo otiosi protulerunt. Est hic argenteus etiam in Museo nostro.

,, 13. NEPTVNI. Caput Cn. Pompeji nudum: juxta apposito tridente, & infra delphino, quæ sunt Neptuni insignia. .)(. Navis inflatis velis versus Solis ortum progrediens: nam idcirco dextrorsum sidus Solis appositum est. Q. NASIDIVS, classi præfectus a Pompeio Magno. Est hic argenteus etiam in Cimelio P. CHAMILLART. Hic NEPTVNI *Neptunius* est; ut supra POBLICI *Poblicius* est, num. 8. & POMPEI num. 2. *Pompeius* est, & CLOVI *Clovius* est; & sexcenta similia. *Neptunius* autem Cn. Pompejus appellatur, quemadmodum longe postea Diocletianus *Jovius* dictus est; & Maximianus *Herculius*: hoc est, ut Diocletianus consilio Jovem, Maximianus Herculem virtute; ita Pompeius Magnus peritia rei nauticæ & navalibus victoriis Neptunum repræsentare, aut Neptunum auctorem habere consiliorum omnium, hoc titulo dicebatur. Ridendi sunt, qui hos nummos NEPTVNI inscriptos ad Sextum Pompeji Magni filium referunt, ajuntque hunc adeo insaniisse, ut Neptuni se filium diceret. In his sunt Appianus, & Dio.

,, 14. MAG. PIVS IMP. ITER. Columna, cui Pompeji Magni statua imposita est, dextra tenentis hastam, dum pede sinistro proræ navis insistit: infra navis est, cujus in puppi Aquila legionaria est. .)(. PRÆF. CLAS. ET ORÆ MARIT. EX SC. Neptunus cum duobus delphinis capita draconum remone contundit. Compressos a Pompeio Magno piratas hic nummus significat. DCCCXLVI. *naves piratis ademisse* Pompeium Magnum, Plinius refert, libro VII, sect. XXVI. Nullus hic fabulæ de Scylla locus, quam vulgo hic describunt Antiquarii. Est hic nummus argenteus etiam in Museo nostro.

,, 15. MAG. PIVS. IMP. ITER. Caput Neptuni, tridente retro apposito: ut præter Magni & Pii cognomina etiam Neptunius dici intelligatur. .)(. PRÆF. CLAS. ET ORÆ MARIT. EX SC. Sirene cum ancora inferne apposita, tridente superne. Maris & oræ maritimæ hæc symbola sunt. Est & hic argenteus in Cimelio P. CHAMILLART.

,, 16. CN. POMPEIVS M. Caput nudum: retro, lituus Auguralis. .)(. COS.III. Triremis. Infra, NEP. De nummo isto quid sentiam, aperiam ubi, Vir Amice, in calce hujus epistolæ.

,, 17. Γ. ΠΟΜΠΗΙΟΣ. Caput Cnei Pompeji nudum. .)(. ΠΟΜΠΗΙΟΠΟΛΕΙΤΩΝ. Dea turrito capite sedet, pede sinistro proræ navis imposito: id quod oppidum Pompeiopolitarum Ciliciæ situm ad mare indicat. Est hic nummus ex ære mediocri, in Cimelio Card.

,, Maximi.

„ Maximi. Forma litteræ Græcæ C pro Σ percussum numisma non fuisse admonet, nisi post „ tempora Domitiani. *Pompeji* nomen Pompeïopolitæ scripserunt, quoniam ostendi oportuit, „ unde ipsi *Pompeïopolitæ* dicerentur.

III.

„ *Numismata Sex. Pompeji Magni F.*

„ SEX. MAGN. PIUS IMP. Caput Sexti „ nudum: sub quo SAL. .)(. PIETAS. Dea „ Pietas stans, dextra tenet hyssopi ramum, læva hastam puram transversam. Allusio est ad „ Pii cognomen; ut intelligatur non esse in Sexto titulum illum sine re. Nummus argenteus „ Antonii Triumviri, apud Patin. pag. 20. PIETAS COS. *Pietas Consulis*; docet aperte „ quid sit Pietas, ex parte aliqua. Est enim „ Dea tenens dextra temonem, sinistra cornucopiæ; ad pedes, ciconia. Hæc symbola docent, Pietatem consulis in eo positam fuisse, „ quod parenti suæ, hoc est, patriæ sive reipublicæ, uberem procuraret annonam. Est „ alius ibidem, in quo Dea tenet dextra aram „ cum igne, sinistra cornucopiæ. Pars hæc altera Pietatis est, nimirum erga superos. Apud „ Patinum in Famil. pag. 120. & apud D. FOVCAVLT, nummus argenteus: PIETAS: „ Caput Pietatis. .)(. M. HERENNI. Vir „ nudus alterum fere nudum humero gestat. Pars „ hæc tertia Pietatis est, erga egenos & ægros.

„ Ad Sextum pertinent nummi illi duntaxat, „ qui vel Sexti prænomen habent, vel infra vultum syllabam SAL. Torquet mirifice Antiquarios hæc syllaba; aliis ad Deam Salutem, aliis „ alio referentibus. Frustra. SAL. *Salduba* est; „ Hispaniæ civitas, in qua percussus hic nummus fuit: quæ civitas postea a Cæsare Augusto „ *Colonia Cæsaraugusta* appellata est; & in nummis tunc cœpta scribi, C. C. A. Plinius, libro III. pag. 302. *Cæsaraugusta colonia immunis, amne Ibero affusa, ubi oppidum antea vocabatur Salduba.* Cn. Pompeïus Magnus universam Hispaniam in deditionem redegerat, teste „ Plinio, libro III. sect. IV. & libro VII. sect. „ XXVII. Stabat propterea Hispania tota a „ partibus Sex. Pompeji: & citerior quidem sive Tarraconensis, ut ex nummis Sexti Pompeji „ Saldubæ percussis certum est; & ex eo quod „ ipsa Tarraco Scipionum opus fuit, teste Plinio libro III. pag. 300. Scipionum autem heres Sex. Pompejus fuit. Ulteriorem vero Hispaniam, sive Bæticam, earumdem fuisse partium, testis est *Munda* ibi posita, cum Pompeji filio capta, ut ait Plinius, libro III. pag. „ 295.

„ MAGNVS IMP. Caput Sexti nudum, „ sub quo SAL. Cetera sunt eadem atque in superiore nummo.

„ Vidimus apud D. Abbatem FAUVEL, „ nummum ex ære minimo sane egregium, sic „ inscriptum ex una parte, SPOMP. cum effigie bovis cornupetæ. In altera superficie, „ caput nudum, juvenile, annorum viginti. Epigraphe: SEX. F. *Sextus Pompejus Sexti Filius.* Ab illo prognati videntur, qui longe „ postea Pii sunt ob paternum genus, & ob maternum Cæsares appellati."

Ad hæc omnia Lectorem monitum volo de 1. & 2. nummo nos egisse in Fam. Pompeja pag. 342. num. ibid. III. & IV. de 3. vide pag. 339. num. I.

Num. 4. qui ab Harduino ad gentem Pompejam refertur, spectat ad Pomponiam, non ad Pompejam, prouti fusius docuimus in Comm. pag. 340. 341. 350. rationem scribendi utrumque nomen in nummis, & POM. quidem semper spectare gentem Pompejam, POMP. vero referri debere ad Pomponiam.

Num. 5. Quæ de scriptione FOSTLVS non FOSTVLVS scribit Harduinus, vera sunt, ita exstat quoque in meis, ita vidit Morellius, imo ita emendavit ipse Ursinus, quod mihi patet ex exemplari meo, in quo litera media V. in litura est, ut pateat jussum ab editore chalcographum fuisse ut eandem deleret. Male autem Victoriam in antica nummi parte agnoscit Harduinus, quæ perspicue Roma est.

Num. 6. Harduinus contendit Numæ regis vultum nequaquam spectare posse ad significandam nobilitatem Pisonis, proquæstoris Pompeji Magni, tanquam qui ex Calpo filio Numæ esset oriundus, sed docere Pompejam gentem æque ut Pompiliam ad Numam ortum suum referre. Os durum! Plutarchus igitur & veteres omnes desipiunt, solus sapit Harduinus: Toto nostro Commentario docuimus non quæstores modo & proquæstores, sed & ipsos triumviros monetales, superbissimis proavorum titulis nummos suos exornasse.

Num. 7. Quæ hic dicit Harduinus partim jam refutata sunt, partim deliriis ejus digna refutatione non indigent. Illustravimus hunc nummum pag. 334. num. II. Possideo autem nummum æreum primæ magnitudinis, arte insignem, qui ad argentei hujus denarii typum a recentiore artifice, ad fallendos minus peritorum oculos, affabre factus est, quemque, ut ab omnibus noscatur, paullo infra cum duobus aliis similis farinæ ære exprimi curavi.

Num. 8. & 9. Vide quæ scripsimus pag. 334. num. III. & IV.

Num. 10. Hic nummus cusus est non a Cn. Pompejo Magno patre, sed a filio Sexto, qui Pius cognominatus fuit. Frustra itaque Pii cognomen Magnum sumsisse vult Harduinus ex quo Metellam uxorem duxit tempore. Vide quæ nos in Comm. pag. 334. num. V. diximus.

Num. 11. Plura de insigni hoc & rarissimo nummo diximus in Comm. pag. 335. 336. quæ si conferantur cum Harduinianis, plebis risum nil veremur, sed ipsum Harduinum etiam τοῖς ἀγελάστοις deridendum propinamus.

Num. 12. Catanenses fratres qui non agnoscat, veteribus fabulis haud credat, verum is novis Harduini præbeat adsensum, in quibus nisi risum mereantur novi illi urinatores, nescio quid Catonis cachinno dignum sit. Egimus de hoc denario pag. 337. num. I. Quæ idem Harduinus ex literis IIT. & IV. exsculpsit, nihili sunt, nam sunt meræ notæ monetariorum, ut docuimus pag. 208. num. IV. & alibi.

Num. 13. Dioni & Appiano libentur in Comm. pag. 337. accedimus, ut risum Harduini, (quem ille mire amare videtur) experiamur. Verum ipsius commenta nemo legere potuit, quin protinus fiat

—— —— *ridenti splene cachinno.*

Conjectura ejusdem, qua Neptunii cognomen novum Cneo Pompejo Magno tribuit, ut postea Herculii & Jovii cognomina gesserunt Maximianus

nus & Diocletianus, minime ex illa re sequitur. Quis enim nescit deorum dearumque nomina in nummis æque secundo casu ac primo scribi? Exemplo sit nummus secundus familiæ Aciliæ, in quo legitur SALVTIS, & deæ ipsius caput exprimitur, prouti in hoc nummo NEPTVNI, expresso quidem capite Pompeji Magni, sed velut ipsius Dei Neptuni, prout ex symbolo adjecto, quod maris imperium denotat, agnoscitur.

Num. 14. Harduinus canes marinos transformat in dracones. Veneno, quo olim infectæ aquæ natante Scylla fuerunt, tactus sit oportet, qui id adfirmanti Harduino credat. Sed sic supra aquilæ rostrum in ciconiæ caput commutavit, ut mirum non sit novam illum metamorphosin in aquis quoque quærere. Si nummum, quem jactat, consuluisset, canes agnovisset, qui tam clare in meo aliisque cunctis, bene servatis, exprimuntur, ut κυνὸς ὄμμα habeat, qui id neget. Disseruimus de hoc numismate pag. 337.

Num. 15. Vide explicationem nostram pag. 338. num. IV. ego hic nihil quod ad Sirenen accedat agnosco.

Num. 16. Quæ ad hunc nummum pertinent ad finem Dissertatiunculæ suæ rejicit Harduinus. Ibi itaque & nos dicenda dicturi sumus.

Num. 17. Quæ de scriptura literæ C pro Σ monet neminem in fraudem inducere debent; falsa sunt, & innumeri primorum imperatorum nummi contrarium docent. Nostras notas vide pag. 339. lit. A.

Sexti Pompeji nummum, quem nos explicavimus pag. 338. num. V. & 339. Saldubæ in Hispania cusum opinatur Harduinus propter adscriptas literas SAL. ego non putem, neque a sententia mea, nisi probabiliore argumento persuasus, recesserim. Id tamen antiquarios monere volo, rarum hunc nummum esse, & in meo quidem Pompeji caput sic depingi, ut magis ferociæ & rusticitati filii Sexti accedat, quam verendæ fronti patris Cnei. Unde crediderim in meo Sexti caput exprimi, in quo confirmat me descriptio alterius nummi ab Harduino descripti cum inscriptione MAGNVS IMP. sed meus præcedenti inscriptione similis est.

Rarissimi, cujus deinde meminit ut apud D. Abbatem Fauvel exstantis, nummuli æneï, explicationem dedimus pag. 341. lit. F. ubi vide quæ diximus. Elegantem hunc nummulum ipsi quoque possidemus.

Denique Harduinus (post nudas adulterinorum, sive Goltzianorum descriptiones) sententiam suam aperit de nummo, cujus mentionem fecit num. 16. his verbis.

„ CN. POMPEIUS. M. Caput nudum: „ retro, lituus auguralis. .)(. COS. III. in summa nummi area: in ima, NEP. In medio, „ triremis. Nummum ipse manibus & oculis „ exploravi in otio. Quamvis a D. Vaillant impense laudetur, adulterinum esse scito ac recentem. Nummus est Hadriani Aug. ut vultus manifeste prodit. In eo relictus est titulus „ COS. III. qui in nummis Hadriani frequens „ est cum triremi: cetera sunt erasa, vel reconcinnata & interpolata, ut in eo CN. POMPEIVS M. & NEP. legeretur. At primum „ quidem in nummis Cneji, aut Sexti ejus filii, „ nunquam est Pompeji nomen inscriptum; sed „ solummodo Magni & Pii cognomina. Deinde „ scribi NEP. pro NEPTVNI aut *Neptunium* „ dici Pompeium nullo adjecto Neptuni symbolo, aut cum titulo COS. III. jungi Neptuni titulum, prorsus est imperitum & absonum. Denique ea ætate non scriberetur COS. „ II. vel COS. III. sed COS. ITER. & COS. „ TERT. Sed dictum esto hactenus satis de „ Pompeio Magno Pio. "

Hunc nummum inpense laudari a Vaillantio adserit Harduinus, sese tamen adhibita cura acriore detexisse ejus falsitatem. In quibus duo observari volo, primo, Harduinum nullam facere mentionem, in quo museo nummum illum a se exploratum conspexerit. Vaillantium vero adfirmare eundem exstare in museo Foucaultiano. Deinde & depingi & citari a Vaillantio, quasi non NEP. ut apud Harduinum, sed NEPT. legatur. En ipsa Vaillantii verba.

„ CN. POMPEIVS. Caput Pompeji M. pone quod lituus: in aversa parte COS. III. in „ imo NEPT. Navis prætoria.

„ En iterum Cn. Pompeji Magni caput, ut „ epigraphe CN. POMPEIVS, & post illius „ caput lituus, auguratus symbolum, denotant, „ sed a Sexto filio percussum, ut eadem NEP. id „ est Neptuni filium vocaret. Voces COS. III. „ ad patrem spectant, nam ille ter consulatum „ gessit, primum nempe an. [illegible] secundum an. „ [illegible] tertium vero sine collega an. [illegible] Navis „ prætoria ad Sextum pertinet, quùm esset classis & oræ maritimæ præfectus. Didrachmalis „ est ille nummus argenteus, in Cim. *D. Foucault*, asservatus, ut rarissimus. "

Licet vero hæc inter utriusque verba sit discrepantia, utrumque tamen de eodem nummo loqui existimo. Foucaultii enim museum Harduino quotidie patuit, ut cerni potest ex plurimis, qui præcesserunt, nummis, in quibus sæpissime D. Foucaultius, qui magnum rei antiquariæ decus fuit, citatur, neque litera T. quæ apud Vaillantium abundat, vel apud Harduinum deficit, tanti est momenti; Vaillantius enim, quem certum est præcipitem nimis in Consularium Nummorum editione fuisse, ut videlicet Morellio palmam præriperet, videtur non satis attente nummum illum inspexisse, quem alias sagax & veteranus ille antiquarius facillime agnovisset esse adulterinum, & NEP. non NEPT. inscriptum habere. Dum enim festinamus, quod est sæpe non videmus, quod non est videre nos putamus. Et sane illa de Hadriani nummis conjectura non levis est; exstant enim aliquot nummi argentei ejus imperatoris ea magnitudine, ut æreos secundæ magnitudinis æquent, itaque facile fraudulenta manus nummum vere antiquum, sed non Pompejani temporis, adulterare potuit, prouti quotidie oculis antiquariorum ejusmodi fraudes, & quidem multiplicis versutiæ, subjiciuntur, aliquando tantæ subtilitatis ut acutissimos quoque, sed nimium festinantes, fallant, quod Vaillantio quoque accidisse existimo.

Verum non una hæc fraus in Pompejanis nummis; tres insuper alios dabo, quorum primus quidem, his ipsis diebus ex Regio quodam Museo mihi transmissus, tantam cum Vaillantiano seu Harduiniano in plurimis habet similitudinem, ut vix dubitem, quin ille, qui Foucaultianum illum Hadriani imperatoris nummum adulteravit, atque ad Pompejum retrahere conatus fuit, de integro matricem fecerit, ex quo nummum hunc elegantis sane fabricæ, undique nitidum, sic ut reparatum mutatumve in illo sit nihil, procuderit. Sed ecce ipsos, quorum mentionem feci, nummos:

Pri-



Primus quidem nummus is eſt, quem edidit Vaillantius.

In ſecundo nummo itidem argenteo; ejusdem magnitudinis; legitur CN. POMPEIVS. M. id eſt, *Cneus Pompeius* (literæ M. & P. connectuntur) *Magnus*. Caput nudum ſed barbatum, poſt illud cernitur lituus. Ab altera parte triremis eſt prætoria eleganter ornata, deſuper ſcribitur COS. III. infra Nep. extenſo ſupra literas eaſdem tridente.

Qui hunc nummum fabricavit Neptuni vultum in parte priore exprimere voluit, ſed quum Hadriani facies non congrueret, Clodii Albini (cujus imperatoris in quibusdam nummis non abſimilis effigiei huic eſt facies) delineavit caput, altera pars tota ex Hadriani nummis æreis, ſecundæ præſertim magnitudinis, eſt deſumta. Additur Neptuni nomen ejusque dei ſymbolum tridens, qui ad caput in antica parte ſpectat, ſicut lituus, qui poſt Neptuni caput cernitur, ad ipſum Pompejum.

Tertius meus eſt, elegans, cujus artificem ex genere æris & ratione ſculpendi deprehendi quoque multos Alexandri Magni nummos procudiſſe. Æreus eſt primæ magnitudinis, in cæteris plane ſimilis Pompeji & Varronis denariis, qui Jovis terminalis, vel forte Quirini caput exhibent; depictos & deſcriptos vide in Comm. noſtris pag. 334. & 413.

Quartus nummus videtur mihi ab eodem vel ejusdem ætatis artifice profectus eſſe, ingens eſt ex ære, medallionis forma, a parte priori inſcribitur POMPEVS MAGNVS. Caput laureatum & barbatum. Ab altera parte Victoria coronat tropæum, ſubtus legitur ROMA. in circuitu INVISI PATRIS NOMEN MIHI DVLCE EST PIGNVS. Inſulſa inſcriptio & barbaro artifice digna, quaſi ad patris Strabonis (quem valde oderant Romani) memoriam adluderet Cn. Pompejus Magnus. Hunc nummum vidi apud cl. collegam meum Herm. Boerhaave.

Pag. 343. ad num. V. gentis Pompejæ dixi hunc denarium ab eruditis referri paſſim ad Sex. Pompejum cos. A. V. C. DCCXVIII. Quam ſententiam etiam nunc amplector præ illa quam in medium protuli pag. 341. nam conſul eo anno, quo mortem obiit Auguſtus, non Titi ſed Sexti filius inſcribitur in inſcriptionibus librorum Dionis Caſſii.

Pag. 354. lit. D. inſcriptio nummi eſt C. BALBO L. PORCIO PR. IIVIR. C. V. I. L. Ibi literas PR. interpretati ſumus de cognomine unius vel utriusque duumviri. Sed & ad ipſam Leptin referri poteſt, fuere enim duæ ejus nominis urbes, quarum altera Leptis PR*ima* dicta fuit, uti fuſius demonſtravimus pag. 119. 120. 354.

Ibidem lit. F. occurrit nummus, in quo ſcribitur S. CATO PR. Legi literæ poſteriores poſſunt PR*ætor*. ſed legi etiam poſſunt PR*æfectus*. Multos vero nummos in coloniis cuſos detexi, quales & ipſe quosdam poſſideo, qui præfecti dignitatem adſignant illi cujus nomen nummo inſcribitur. De quibus vide quæ notavimus pag. 296. & 400. Fuere ejusmodi præfecti quoque nonnunquam decorati magiſtratu & duumviratu alicujus coloniæ, uti docuimus in hoc O-

pere pag. 234. 235. 400. & 354. De præfectis quinquennalitatis Cæsarum &c. vide quæ notavimus pag. 452.

Pag. 363. num III. in Agrippæ capite oculum mutari debere notavit Morellius in schedulis, ut magis vultum ejus referat. Inscriptionem vero sic debere concipi *Publii* QVINCTILI*i* VARI. ante frontem vero capitis debere poni AGRIPPA. quæ omnia clare sese notat animadvertisse in nummo principis Ligniaci ad se transmisso.

Pag. 379. Adducitur Vaillantii sententia de inscriptione C. Cæsaris Octaviani in nummis, quem ille putat non dici in denariis Divi Filium nisi post victum & occisum Antonium atque triumphum de Ægypto; quum solus imperium teneret. Quod aperte falsum esse inprimis inter alios ille nummus ostendit, de quo ibi agitur; in quo DIVI IVLI*i* *Filius* inscribitur, & tamen caput Cæsaris Octaviani cum lanugine sive barba cernitur. Notum vero est, triumviros, ob luctum Cæsaris interfecti, barbam aluisse, usque dum de parricidis pœna sumta fuit. Cusus itaque fuit nummus durante bello civili.

Pag. 435. ad nummos Ventidii Frontonis notavit in schedulis suis Morellius animadvertisse se in nummo principis Ligniaci, prænomen hujus Ventidii non fuisse Titum sed Publium, atque ita in nummo literam P. pro T. reponi debere.

Pag. 438. & 439. exstant disquisitiones gentis Vettiæ & Veturiæ inter Morellium & Perizonium. Illas hisce verbis conclusit Morellius pag. 292. „ Quia tibi non placet, nummos gentis Veturiæ ad hanc familiam referre, „ mihi quoque displicebit plura de hac re in „ medium adferre."

Pag. 457. ad num. VI. gentis Voltejæ volo Lectorem conferre similem typum in nummo gentis Valeriæ. Forsitan una magistratum monetalem gesserunt iste L. Voltejus L. F. Strabo & Valerius Acisculus A. V. C. DCCXXVI. Adde quæ infra dicturi sumus ad pag. 469.

Pag. 464. Nummos, quorum mentio fit ad lit. T. spectare judico ad coloniam Romanam, quæ Philippi dicebatur.

Pag. 465. Nummus primus & secundus tabulæ III. cum Jani capite gemino, quorum primus pondere insignis est, videtur cusus fuisse eo tempore quo mutuis cladibus cum sociis Latini nominis bellum gesserunt Romani.

Pag. 468. num. VII. Etruscus occurrit nummus, ab altera parte typum Jovis Victoris eundem habens, quem modo memoratus denarius, pondere insignis, Romæ cusus. Hinc suspicio mihi nata est, utrumque nummum tempore belli Socialis fuisse cusum, & utrumque populum hoc typo suas victorias jactavisse.

Pag. eadem num. IX. occurrit nummus ex Cl. Liebei interpretatione lectus, quem ita legi debere in schedulis suis quoque adnotaverat Morellius, literas præterea majorem habere formam, coronæ ab alia parte, ut & cornucopiæ figuram quoque differre.

Pag. 469. num. XIV. occurrit nummus ad coloniam Syracusas spectans, ad quem mentionem fecimus alterius nummi ejusdem coloniæ, qui pag. 468. num. VIII. occurrit, atque Europæ raptum exhibet. Europæ idem raptus cernitur in num. VI. p. 457. gentis Voltejæ. Hinc forsan colligere licet L. Voltejum L. F. Strabonem, magistratum monetalem gessisse eo tempore, quo Syracusæ colonia Romana factæ fuerunt.



INDEX

INDEX
COGNOMINUM, AGNOMINUM, ET ADOPTIVORUM.

ACHAICVS	Mummia
ACIDINVS	Manlia
ACISCVLVS	Valeria
ÆMILIANVS	Cornelia
AFRICANVS	Cornelia
AGRIPPA	Luria, Vipſania
AHALA	Servilia
AHENOBARBVS	Domitia
AISERNINVS	Claudia
ALBINVS	Junia, Poſtumia
AMBVSTVS	Fabia
ANTIATICVS	Mænia
ASIAGENES	Cornelia
ASINA	Cornelia
ASPER	Trebonia
ASPRENAS	Nonia
ATRATINVS	Sempronia
ATTICVS	Manlia
AVGVRINVS	Minucia
BALA	Ælia
BALBVS	Acilia, Atia, Antonia, Cornelia, Nævia, Thoria
BALEARICVS	Cæcilia
BARBATVS	Antonia
BARBVLA	Æmilia
BASSVS	Betiliena, Ventidia
BESTIA	Calpurnia
BIBVLVS	Calpurnia
BLÆSVS	Sempronia
BLANDVS	Rubellia
BLASIO	Cornelia, Helvia
BROCCHVS	Furia
BRVTVS	Junia
BVCA	Æmilia
BVLBVS	Atilia
BVRSIO	Julia
BVTEO	Fabia
CÆPIO	Servilia
CÆSAR	Julia
CÆSONIVS	Calpurnia
CALATINVS	Atilia
CALDVS	Coelia
CALENVS	Fufia
CALLAICVS	Junia
CALVINVS	Domitia, Seſtia
CALVVS	Cæcilia, Cornelia
CAMILLVS	Furia
CAPELLA	Nævia
CAPITO	Atteia, Fonteia, Maria, Oppia
CAPITOLINVS	Petilia
CAPRARIVS	Cæcilia
CARBO	Papiria
CARINAS	Albia
CASCA	Servilia
CATO	Porcia
CATVLVS	Lutatia, Valeria
CATVS	Ælia
CAVDINVS	Cornelia
CELER	Cæcilia, Caſſia
CENTHO	Claudia
CELSVS	Papia
CENSORINVS	Marcia
CENTVMALVS	Fulvia
CERCO	Lutatia
CESTIANVS	Plætoria
CETHEGVS	Cornelia
CICERO	Tullia
CILO	Flaminia
CINA	Cornelia
CLASSICVS	Lollia
CLAVDIANVS	Livia
CLODIANVS	Cornelia
COCLES	Horatia
CORDVS	Mucia
CORNVTVS	Cæcilia
CORVINVS	Valeria.
COSTA	Pedania
COTTA	Aurelia
CRASSIPES	Furia
CRASSVS	Cæcilia, Canidia, Claudia, Licinia
CRETICVS	Cæcilia
CRISPINVS	Quinctia
CVLEO	Terentia
CVRIO	Scribonia
DECVLA	Tullia
DELMATICVS	Cæcilia
DOLABELLA	Cornelia
DOSSENVS	Rubria
DRVSVS	Claudia, Livia
EBVRNVS	Fabia
FABATVS	Roſcia
FALTO	Valeria
FIGVLVS	Marcia
FIMBRIA	Flavia
FLACCVS	Fulvia, Norbana, Pomponia, Valeria
FLAMININVS	Quinctia
FLORVS	Aquilia
FRVGI	Calpurnia
GALBA	Sulpicia
GALLVS	Anicia, Aſinia, Caninia, Sulpicia
GEMINVS	Aburia, Servilia
GETA	Hoſidia, Licinia
GLABRIO	Acilia
GLYCIA	Claudia
HABITVS	Vibia
HEMICYCLVS	Flavia
HISPALVS	Cornelia
HISPANIENSIS	Fabia
HYPSÆVS	Plautia
ISAVRICVS	Servilia
IVDEX	Vettia
IVNIANVS	Licinia
LABEO	Fabia
LABIENVS	Atia
LÆCA	Porcia
LÆNAS	Popilia
LÆVINVS	Valeria
LAMIA	Ælia
LARISCOLVS	Accoleia
LENTVLVS	Cornelia
LEPIDVS	Æmilia
LIBO	Julia, Livia, Marcia, Scribonia
LICINVS	Fabia, Porcia
LIMITANVS	Mamilia
LIVIANVS	Æmilia, Terentia
LONGINVS	Caſſia
LONGVS	Manlia, Muſſidia, Sempronia

INDEX COGNOMINUM.

LVCVLLVS	Licinia, Terentia
LVPERCVS	Gallia
LVPVS	Rutilia
LVSCVS	Anicia
MACEDONICVS	Cæcilia
MACER	Licinia, Sepullia
MAGNVS	Cornelia, Pompeia, Poſtumia
MALLEOLVS	Poblicia
MALVGINENSIS	Cornelia
MAMILIANVS	Livia
MANCINVS	Hoſtilia
MARCELLVS	Claudia
MARIDIANVS	Coſſutia
MATHO	Pomponia, Papiria
MAXIMVS	Carvilia, Egnatia, Fabia, Manlia, Sulpicia, Valeria
MEGELLVS	Poſtumia
MERVLA	Cornelia
MESSALA	Valeria
METELLVS	Cæcilia
MOLO	Pomponia
MVCIANVS	Licinia
MVRCVS	Statia
MVRENA	Licinia, Terentia
MYTILVS	Papia
NASICA	Cornelia
NASO	Axia
NATTA	Pinaria
NERO	Claudia
NERVA	Cocceia, Licinia
NERVLINVS	Suillia
NIGER	Cæcilia, Valeria
NOBILIOR	Fulvia
NONIANVS	Conſidia
NVMIDICVS	Cæcilia
ORESTES	Aufidia, Aurelia
OTHO	Salvia
PÆTINVS	Fulvia
PÆTVS	Ælia, Antonia, Conſidia, Fulvia
PALIKANVS	Lollia
PANSA	Vibia
PAPPVS	Æmilia
PATERCVLVS	Sulpicia
PATERNVS	Fabricia
PAVLVLVS	Poſtumia
PAVLLVS	Æmilia
PERA	Junia
PEREGRINVS	Arria
PHILIPPVS	Marcia
PHILO	Veturia
PHILVS	Furia
PICTOR	Fabia
PIETAS	Antonia
PISO	Calpurnia
PITIO	Sempronia
PIVS	Cæcilia, Pompeia
PLANCIANVS	Lætoria
PLANCVS	Munatia, Plautia
POLLIO	Aſinia, Bæbia
POTITVS	Valeria
PRISCVS	Muſſidia
PVLCHER	Claudia
PVLEX	Servilia
PVBLICOLA	Gellia
PVRPVREO	Furia
QVINCTILIANVS	Nonia
QVIRINVS	Sulpicia
REBILVS	Caninia
REGILLVS	Æmilia
REGINVS	Antiſtia
REGVLVS	Atilia, Livineia
RESTIO	Antia
ROCVS	Crepereia
RVFVS	Aurelia, Cordia, Egnatia, Lucilia, Meſcinia, Minutia, Plautia, Pompeia, Pomponia, Salvia, Sulpicia, Taria Titia, Valgia, Varia.
RVLLVS	Servilia
RVSTICVS	Aufidia
RVTILVS	Verginia
SABINVS	Calviſia, Minatia, Poppæa, Tituria
SABVLA	Coſſutia
SACERDOS	Licinia
SÆVINVS	Flavia
SALINATOR	Livia
SAPIENS	Lælia
SASERNA	Hoſtilia
SATVRNINVS	Sentia, Valgia, Voluſia.
SCARPVS	Pinaria
SCAVRVS	Æmilia, Aurelia
SCÆVVLA	Mucia
SCIPIO	Cornelia
SECVNDVS	Arria
SEIANVS	Ælia
SERANVS	Atilia
SERAPIO	Cornelia
SERRATVS	Manlia
SERVILIANVS	Fabia
SILANVS	Cæcilia, Junia
SILIANVS	Licinia
SILVANVS	Plautia
SILVS	Sergia
SISENNA	Cornelia
SOPHVS	Sempronia
SPINTHER	Cornelia
SPVRINVS	Petilia
STOLO	Licinia
STRABO	Pompeia, Volteia
SVFFENAS	Nonia
SVLPICIANVS	Quinctia
SVLLA	Cornelia
SVRA	Cornelia
SVRDINVS	Nævia
TAMPILVS	Bæbia
TAPPVLVS	Villia
TAVRVS	Statilia
THERMVS	Minucia
TORQVATVS	Manlia
TRIGEMINVS	Curiatia
TRIO	Lucretia
TROGVS	Maria
TVBERO	Ælia
TVDITANVS	Sempronia
TVLLVS	Mœcilia, Volcatia
TVRDVS	Papiria
TVRPILIANVS	Petronia
TVRRINVS	Mamilia
VAALA	Numonia
VALERIANVS	Quinctia
VARRO	Terentia, Viſellia
VARVS	Licinia, Quinctilia, Vibia
VATIA	Servilia
VERRVCOSVS	Fabia
VESPILLO	Lucretia
VETVS	Antiſtia
VITVLVS	Voconia
VVLSO	Manlia

INDEX AUCTORUM

Qui in his Commentariis illuſtrantur, explicantur, aut emendantur.

ÆLianus in Var. Hiſtor. 347. a
Ælianus de Animal. 364. b. 474. b
Ammianus Marcellinus. 299. b
Anthologia. 192. b. 345. b. 346. b. 347. a. b. 348. a. b. 349. a. b
Apollonius Rhodius. 316. b. 425. a
Appianus. 25. b. 43. a. 66. a. 81. a. 90. b. 100. a. b. 107. b. 111. b. 119. a. 125. b. 127. a. 128. b. 143. a. 145. a. 147. b. 154. b. 155. a. 170. a. 179. b. 180. b. 185. b. 186. a. 191. a. 203. b. 227. b. 228. a. 232. a. 237. a. b. 242. a. b. 253. a 303. a. b. 336. b. 337. a. b. 338. a. b. 342. a. b. 356. b. 371. a. 357. a. b. 393. b. 399. b. 414. a. 426. b. 431. a. b. 432. a. 442. a. b. 446. a. 458. b. 459. a. b. 592. a. 617. b
—— emendatur. 405. a
—— vetus lectio defenſa. 339. a
Apulejus. 159. b. 196. a
Ariſtophanes. 62. a. 92. b. 262. a
Ariſtoteles. 87. b
Arnobius 83. b
Aſconius Pedianus. 54. a. 65. a. 76. b. 79. b. 172. a. 248. b. 264. b. 490. a 519. b. 592. b. 596. a. 621. b
—— emendat. 309. a
Auguſtinus. 199. a. 240. a. 338. b
Antonius. 11. a
—— emendat. 638. b
Cæſar. 4. a. 5. a. 44. b. 90. a. 107. b. 108. a. b. 116. a. 119. b. 202. b. 238. b. 302. a. 366. b. 404. a. 421. a. 427. a. 429. a
Callimachus. 92. b
Catalecta Poëtarum. 227. b
Catullus. 423. b
Cenſorinus 150. b. 359. a
Cicero. 5. a. 15. b. 20. a. 24. a. 35. b. 36. a. 41. a. 45. a. 49. b. 53. b. 60. b. 64. a. b. 65. a. 76. b. 77. a. 78. a. 87. b. 89. a. 90. a. b. 91. a. 93. b. 94. a. b. 98. a. b. 101. b. 102. b. 103. a. 104. a. b. 108. a. 111. b. 115. a. 118. a 119. a. 129. a. 137. b. 149. b. 151. a. 153. a. 157. b. 159. a. 162. a. 170. a. 172. a. 177. a. 189. a 200. a. 202. a. 203. a. b. 216. a. 220. b. 221. a. b. 222. b. 223. a. 230. a. 233. a. 234. a. b. 237. b. 241. a. 242. a. 264. b. 276. b. 278. b. 279. a. 294. b. 307. b. 309. a. 311. a. b. 314. a. 324. a. 325. b. 326. b. 332. b. 336. a. b. 340. a. 351. b. 352. a 358. b. 360. b. 361. a. 365. a. 381. a. 383. a. 386. a. 390. a. 391. a. 396. a. 402. b. 403. a. b. 403. a. b. 305. a. 410. a. 414. a. 416. a. 417. b. 421. a. 422. a. b. 423. a. b. 426. b. 429. a. b. 430. a. b. 432. a. 436. b. 440. b. 445. a. b. 457. a 490. a. 513. a. 515. b. 519. b. 523. b. 527. a. 546. a. 551. a. 561. b. 565. b. 582. a. 523. a. 599. a. 610. a. 615. a. 621. b. 628. a. 647. a
—— emendat. 416. a 432. a. 440. b. 642. b. 643. a. b.
Claudianus. 52. a. 355. a. 456. a. 456. a. 621. b
Columella 112, a 200. a.
Dio Caſſius. 32. a. 33. b. 34. b. 45. b. 46. b. 57. b. 66. 67. a. 70. a. b. 73. a. b. 74. a. 75. a. b. 81. a. 82. a. 98. a. b. 102. b. 119. b. 121. b. 128. a. b. 176. a. 203. a. 210. b. 211. a. 212. b. 213. a. 218. a. 219. a. 226. a. 228. a. b. 231. a. 233. a. 235. b. 236. a. 242. a. b. 245. b. 246. b. 270. b. 271. b. 272. a. b. 273. a. 276. a. 279. b. 280. a. 289. b. 290. a. 293. a. b. 297. b. 298. a. 304. a. b. 305. a. 307. b. 313. a. 317. a. 318. a. 319. a. b. 320. a. 322. b. 223. a. 335. b. 336. b. 337. a. 338. a. 339. a. b. 341. b. 343. a. 362. b. 366. b. 367. a. 369. b. 371. a. 376. a. 377. b. 379. a. 384. b. 385. a. 391. a. 393. b. 398. a. b. 399. b. 425. b. 434. a. b. 435. a. 436. b. 437. a. 441. b. 445. b. 446. a. 451. a. b. 456. a. 562. b. 463. b. 484. a. b. 491. b. 492. b. 494. b. 498. a. 500. b. 502. a. b. 505. a. 508. b. 510. a. 530. a. b. 549. a. 552. b. 568. a. 584. a. 587. a. 610. a. 641. b
—— emendat. 437. a.
Diodorus Siculus. 110. a. b. 121. a. 131. b. 128. a. 503. a
Dionyſius Halicarnaſſ. 53. a. 59. b. 200. b. 224. a. b. 231. b. 276. b. 306. a. b. 308. a. b. 316. a. 318. b. 358. a. 407. b. 419. b. 437. b. 438. a. 532. b
Eumenius. 345. b
Euripides. 425. a
Euſebius. 584. a. 587. a
Eutropius. 129. a. 130. b. 131. b. 185. a. 512. b. 521. b. 523. b. 524. a. 525. b. 534. b. 544. b. 550. b. 560. b. 573. a. 589. b. 590. a. 598. b. 615. b. 620. b
Faſti Coſſ. emendati. 57. a. 58. a
Feſtus Pompejus. 8. a. 88. b. 368. b. 378. a. 404. b. 602. b
Firmicus. 304. b
Florus. 36. a. 64. a. 73. b. 99. b. 152. b. 191. b. 197. a. 224. b. 266. a. 283. b. 332. a. 357. b. 405. b. 457. a. 458. b. 485. b. 486. a. 487. b. 488. b. 498. b. 512. b. 515. b. 521. a. 534. b. 544. a. 550. b. 553. b. 655. b. 558. a. 574. b. 471. b. 590. b. 591. b. 591. a. 599. a. 613. b. 615 b. 621. a
Frontinus. 107. a. 211. a. 410. b. 417. b. 487. b. 490. a. 534. b. 598. a. 606. b. 615. b.
Gellius. 60. a. 103. a. 104. a. 153. b. 182. b. 191. b. 259. b. 260. b. 293. a. 294. a. 307. b. 433. b. 513. a. 553. b. 582. b. 626. a. b.
Herodianus. 94. a. 355. a
Herodotus.
Heſiodus.
Hirtius. 50. b. 51. a. 52. a. b. 53. b. 54. a. 108. a. b. 119. b. 121. b. 143. a. 187. a. 199. b. 203. a. 260. a
Homerus. 115. b. 131. b. 302. a
Horatius. 148. a. 184. a. 204. a. 260. b. 264. b. 315. a 321. b. 346. a. b. 34 . b. 366. b. 369. b. 378. a. 417. a. 440. b. 444. a. 455. b. 660.
Hyginus. 157. b
Inſcriptiones Antiquæ. 42. a. 45. b. 46. b. 56. a. b. 57. b. 65. a. 78. b. 83. a b. 85. a. b. 96. b.

97. a. 98. b. 106. b. 112. a. 125. a. 136. b. 163. a. b. 175. b. 176. a. 211. a. b. 233. 235. a. b. 251. b. 268. a. 272. a. 278. a. 282. a 283. a. 287. b. 288. b. 289. a. 292. a. 297. a. 315. a 320. a. 322. a 369. a. 370. b. 395. b. 396. a. 405. a. 410. b. 418. b. 452. a. 463. a. b. 459. a. 494 b. 515. a. b. 525. b. 528. a. 535. a. 536. a. 549. b. 552. a. 554. b. 560. b. 594. a. 609. a
Josephus. 57. b. 58. a. 85. b. 88. a. 341. b. 395. b. 396. a. b. 397. a. b. 414. b. 415. a. b. 452. b
Isidorus. 186. b
Justinus. 152. b. 264. a. 621. b
Juvenalis. 252. a. 265. a. 322. a. 356. a. 435. b. 595. a
Lactantius. 199. a
Libanius. 474. a
Livius. 17. a. 41. a. 44. a. 61. a. b. 63. a 77. b. 83. b. 89. b. 91. a. 92. a. 110. a. 113. b. 114. a. 117. a. b. 131. b. 136. a. 147. a. 153. a. 160. b. 165. b. 166. a. 169. a. 170. a. b. 171. b. 174. a. b. 181. b. 182. a. 195. b. 196. b. 197. a. 222. b. 224. a. 252. b. 261. a. 263. a. b. 265. a. 266. a. b. 267. a. 276. a. 277. b. 278. a. 284. b. 285. a. 289. b. 302. b. 340. a. b. 342. b. 353. a. 359. a. b. 368. a. 387. a. 388. b. 389. a. 392. a. 404. b. 405. b. 506. a. 411. a. 412. a. b. 413. a. b. 414. a. 428. b. 468. b. 481. b. 482. a. b. 483. b. 485. a. 486. a. 587. a. b. 488. a. 489. b. 500. a. 515. a. 519. a. b. 522. a. 523. b. 536. b. 537. a. b. 555. a. 558. a. 563. b. 564. b. 565. a. 566. b. 567. a. 569. a. 478. b. 585. b. 588. a. 590. b. 591. b. 592. b. 595. a. 596. a. 597. b. 598. a. b. 599. a. 603. b. 606. b. 609. a. b. 610. b. 611. b. 613. a. b. 615. a. 616. b. 617. b. 620. a. 621. a. 622. b. 623. b
Lucanus. 3. b. 13. b. 28. a. b. 69. a. 75. b. 127. a. 339. b. 353. a. 509. a. 526 b. 572. b
Lucretius 145. b. 209. a. 591. b
Maccabæorum Libri. 50. b
Macrobius. 63. a. 83. b. 122. a. 212. a. 380. a. 420. b. 442. a. 629. a
Martialis. 40. a. 125. b. 369. a. 372. a
Memnon apud Photium. 40. b
Nepos. 135. b
Nonius. 190. a.
Nonnus. 348. b.
Orosius. 61. a. 73. b. 79. a. 94. b. 104. b. 171. b. 188. a. 189. b. 242. b. 251. b. 322. b. 458. b. 515. b. 518. b. 521. b. 526. a. b. 551. b. 558. a. 560. b. 562. b. 563. b. 571. b. 588. a. 594. b. 595. a. 602. b. 608. a. 614. b. 620. a. 621. a
Orpheus. 426. b
Ovidius. 7. a. b. 42. b. 43. a. 60. b. 69. a. 82. a. 83. b. 109. a. 128. b. 153. b. 168. b. 183. a. 204. a. 223. b. 272. a. b. 298. a. 343. a. 347. a. b. 348. a. 360. a. 368 b. 417. a. 432. b. 442. b. 456. a. 463. b. 478. a. 487. b. 566 a
Pacatus in Panegyrico. 153. a.
Pausanias. 58. b. 59. a. 63. a. 132. b. 214. a. 425. a
Persius. 322. a. 571. b
Petronius. 132. b
Pindarus. 90. b
Plinius. 13. b. 39. a. 43. b. 60. b. 83. b. 93. b. 115. a. 124. a. 125. b. 128. b. 129. a. b. 130. b. 137. a. 164. a. 167. b. 171. a. b. 174. b. 186. b. 195. b. 196. a. 197. a. 200. a. 207. b. 213. a. b. 215. a. 223. a. b. 236. b. 246. a. 261. a. 265. a. b. 269. a. 281. a 285. a. 316. b. 323. b. 383. a. 385. b. 389. b. 402. a. b. 411. a. 444. a. 464. a. 473. b. 486. a 515. b. 521. a. b. 526. b. 547. b. 551. b. 561. b. 569. a. 574. b. 582. b. 602. b. 604. a. 608. b. 629. a. 942. a. 643. b. 649. a. b. 650. a 651. a. 657. a. b. 661. a
Plinius Junior. 350. b. 609. a
Plutarchus 9. a 30. b. 73. a. 81. a. 87. a. 108. b. 121. a. 122. b. 123. b. 124. a. b. 125. a. b. 126. a. b. 127. b. 128. b. 129. a. b. 130. a. b. 155. a. 159. a. 173. b. 176. a. 180. a. 211. a. 220. b. 223. a. 226. a. b. 227. a. b. 228. b. 229. a. b. 222. b. 238. b. 240. a. b. 241. a. b. 242. b. 243. b. 247. b. 259. b. 282. b. 283. a. 285. b. 295. a. 304. a. 323. a. 332. a. 334. a. 344. a. 348. b. 352. b. 353. a. 356. b. 386. a. 387. a. 388. a. b. 414. a. 430. b. 436. b. 437. b. 438. a. 440. a. 441. b. 535. a. 553. b. 554. 557. b. 592. a
Pollux. 214. a. 345. a
Polybius. 75. b. 110. a. b. 515. a. 518. b. 623. b. 629. a
Pomponius JCtus. 85. a
Pomponius Mela. 186. b. 307. b. 339. b. 572. b
Porphyrius. 275. b
Propertius. 345. a. 364. b. 375. b
Prudentius. 60. b. 196. a
Ptolemeus. 12. a. 424. a
Quintilianus. 164. b. 167. b. 556. a.
Rufus 550. b. 620. a. 621. b
Rutilius 224. a. 229. a
Sallustius. 153. b. 181. a. 340. b. 410. b. 429. b. 440. a. 518. a. b. 620. a
Seneca Philosophus. 46. b. 139. b. 432. b.
Servius. 61. b. 173. b. 181. b. 259. a. 276. b. 417. a.
Sidonius Apollinaris. 299. b
Silius Italicus. 87. b. 309. a
Solinus. 10. b. 547. b. 558. a. 622. b
Sophocles. 92. b
Spartianus. 294. a
Statius. 3. b. 169. b
Stephanus de Urbib. 72. b. 214. b.
Strabo. 11. b. 38. a. 80. b. 109. b. 316. b. 328. b. 339. b. 474. b. 478. b. 490. a
—— emend. 80. b
Suetonius 5. b. 11. a. 37. b. 52. a. 69. a. 70. a. 72. b. 73. a. 86. a. 94. a. 103. a. 109. b. 118. b. 122. a. 131. b. 238. b. 142. b. 153. b. 154. b. 157. a. 178. b. 183. a. 191. a. 205. a. 208. a. 209. a. 212. b. 213. b. 216. a. 217. b. a. 218. a. 220. b. 229. a. 336. a. b. 255. b. 260. b. 273. b. 279. b. 287. b. 290. a. 297. b. 304. a. b. 307. b. 331. a. 336. b. 350. a. 355. a. 360. a. 366. b. 367. b. 377. a. 394. b. 413. a. 424. a. 425. b. 432. b. 449. b. 455. a. 457. b. 463. b. 467. a. 538. a. 539. a. 572. a. 573. a. 574. b. 599. b. 605. a. 624. b
Tacitus. 5. b. 32. a. b. 36. a. b. 39. b. 40. a. 48. a. b. 56. a. 57. a. b. 58. a. 84. b. 85. b. 86. a. 109. b. 136. b. 139. b. 164. b. 165. a. b. 231. a. 233. b. 245. b. 273. b. 280. a. 307. b. 317. b. 328. b. 350. a. 355. a. 360. a 363. b. 366. a. 369. a. 275. b. 376. a. b. 377. a. 379. b. 395. b. 400. a. 404. a. 405. a. 411. a. 430. b. 431. a. 430. b. 431. a. b. 449. a. 453. a 472. a. 474. b. 510. a. 511. a. 512. a. 513. a. 514. a. 517. b. 518. b. 548. b. 551. b. 624. b. 642. a
—— emend. 58. b

Ter-

Tertullianus. 69. b. 94. a. 128. b. 143. b. 172. b. 240. a. 278. a. 289. b. 383. b. 420. b. 446. a
Theocritus. 347. b. 418. a
Theophrastus. 236. a
Tibullus 631. b
Valerius Flaccus 153. a. 204. a
Valerius Maximus. 5. b. 9. b. 24. a. 63. b. 93. b. 94. a. 95. a. 96. a. 124. b. 138. a. 154. a. 166. a. 167. b. 169. a. 171. a. b. 190. a. 191. a. 222. b. 223. b. 240. a. 241. 249. a. 292. a. 311. b. 325. b. 329. b. 342. a. 357. b. 394. b. 414. a. 418. b. 433. b. 482. a. 492. b. 515. b. 591. b. 519. a. 522. a. 532. b. 538. a. 586. a. 591. b. 606. a. b. 609. a. 620. b. 621. b. 629. b.
Varro. 59. b. 104. a. b. 112. a. 200. a. 299. b. 407. b. 629. b. 643. a
Vellejus Paterculus. 49. b. 70. b. 81. a. 111. b 133. a. 136. a. b. 153. b. 155. a. 242. b. 248. b. 312. a. 362. b. 363. a. 398. a. 431. b. 459. b. 483. b. 522. a. 525. b. 526. b.
Victor. 353. a. 498. b. 522. a. 525. b. 552. b. 598. a
—— emend. 643. a. b
Virgilius 9. a. 21. a. 34. a. 37. b. 60. b. 99. b. 110. a. 140. a. 160. a. 164. a. 168. b. 199. b. 223. b. 265. a. 276. b. 355. b. 417. a. 442. b. 444. a. 455. b. 459. a. 534. b. 573. a. 587. a 599. a
Vitruvius. 161. a. 288. a
Volusius Mæcianus. 39. a. 202. a
Xiphilinus 328. b. 402. a. 406. b
Zonaras. 171. a. 412. b

INDEX

RERUM ET NOMINUM PROPRIORUM.

Primam columnam litera a. *ſecundam deſignat* b.

A.

A. in tabella quæ eſt in nummo gentis Caſſiæ, ſignificat abſolvo. 77, a. b
A. P.F. literæ quid ſignificent. 248. a
A PV. quid denotet. 419, a. 420. a
M, Aburius Geminus cur Solis typum in denariis expreſſerit. 1. a
M. Aburius M. F. Geminus. 1. b. 637. a
C. Aburius M.F. legatus Carthaginem miſſus. 1. b. 2. a. 637. a
M. Aburius M. F. ejuſque nummus Emporii cuſus 468. b
Accenſus ante conſulem procedens in nummo Bruti 221. a
P. Accolejus Lariſcolus, in denario ad cognomen ſuum alludit 2. b
Acilia gens. 638. a. b. 639. a. b
Acilius Aviola procos. in Aſiam ſub Caligula miſſus, Aviolæ, qui in rogo revixit, filius, pater ejus, quo conſule mortuus eſt Claudius, in nummo Smyrnenſi. 5. a. b
Acilius Aviola, ſub Nerone procos. in Aſiam miſſus, & ejus nummi. 5 b. 6. a,
M'. Acilius in bello contra Ætolos & Antiochum ædem Pietati vovet, quam filius dedicavit. 482. a
—— prima ſtatua equeſtris inaurata illi a filio ponitur. 482.
M' Acilius in nummis ad cognomen ſuum alludit. 2. b
M' Acilius L. F. legatus ad Ægypti regem Ptolemæum Philopatorem. 4. b
M'. Acilius IIvir caput Salutis & Valetudinis imaginem in denario ſignavit. 3. a
M' Acilius Balbus videtur triumphum Macedonicum in denario ſignaſſe. 3. b
M'. Acilius Glabrio quæſtor poſt cladem Cannenſem. 2. b.
M'. Acilius M'. F. Glabrio, victoriam de rege Antiocho in denario ſignavit. 3. b. 4. a
—— de rege Antiocho & Ætolis triumphat. 481. a. b. 482 a
M' Acilius Glabrio Antiochum Magnum, Syriæ regem vincit, ejuſque rei teſtis nummus a quæſtore ejus Albino Paululo cuſus. 612 a
M' Acilius IIvir Corinthi, ejuſque nummus. 639. b
M'. Acilius Glabrio IIIvir monet. ſenatus ſub Aug. 482. b
M' Acilius Glabrio, IIvir quinquennalis. 4. b
M' Acilius Glabrio proconſule, gratulatur in nummo Cæſ. Auguſto victorias de Salaſſis, Cantabris & Germanis. 4. a.
Aciſculi (cognomen gentis Valeriæ) unde ſic dicti. 424. b
Acmonenſium nummus in honorem Neronis. 471. a
Acroſtolium in denariis gentis Caſſiæ Rhodiorum potentiam navalem indicat. 81. b. 82. a. 390. b
Actiacæ victoriæ monumentum. 218. a. b. 219. a
Adoptatorum nomen priſtinum ſolebat produci, ut Æmilius in Æmilianus &c. 78. b. 89. b. 109. a. 120. a. 144. b
Adrumeti ſymbolum in Metelli Scipionis nummo. 53. a. b
Adventus Auguſti in nummo Neronis Corinthiaco. 215. a
L. Æbutius IIvir Corinthi, ſub M. Antonio. 6. b
P. Æbutius IIvir quinquennalis Corinthi ſub Antonio & Auguſto. 6. a. b
Sex. Æbutius IIvir Col. Cæſareæ Aug. ſub Tiberio. 7. a
Æchmocles, nomen magiſtratus Smyrnæorum. 5. b. 6. a
Ædiles an jus cudendæ monetæ habuerint. 73. a
Ædiles Cereales quando a Cæſare creati. 67. a
Ædiles curules primo ſoli patricii, dein alternis annis ex plebe, poſtea promiſcui. 325. b
—— non habuerunt jus monetæ. 325. b. 327. b
—— —— niſi ex S. C. 443. a
Ædilis curulis nomen qua ratione in denariis legatur adſcriptum. 403. a
Ædiles plebis in denariis gentis Fanniæ & Critoniæ. 146. b. 147. a
—— in denariis gentis Furiæ. 189. b
Ædiles plebis quando primum inſtituti. 276. b
Ædilium nomina in coloniarum nummis quandoque inſcribuntur. 427. b
Ægeatarum in Macedonia nummus. 414. b
Ægyptii membra hominum & animalium cur in deorum picturis permutaverint invicem. 52. b
C. Ælius Balatro. 8. a 639. b. 640. a
Sex. Ælius vel Allius Catus tempp. Aug. cos. cum C. Sentio Saturnino. 483. a
—— ejus nummus cum titulo ædilis curulis. 483. a
—— IIIvir monet. ſenatus tempp. Aug. 484. b
Sex. Ælius ſive Allius Q. F. Catus cos. cum T. Quinctio Flaminino 483. a
L. Ælius L. F. Lamia cos. cum M. Servilio. 484. a
L. Ælius Lamia prætorius in rogo revixit, & vivus exuſtus eſt. 484. a.
L. Ælius L. F. L. N. Lamia IIIvir monetalis Cæſaris Auguſti 484. a. b.
L. Ælius Lamia a Domitiano, poſt ereptam uxorem Domitiam Longinam, occiſus. 484. a
Q. Ælius Lamia L. F. triumvir monetalis ſenatus ſub Aug. 7 a. b
Q. Ælius L. F. L. N. Lamia. 484. a
C. Ælius vel Allius Pætus 7. b
P. Ælius Pætus cos. A. V. C. DLII. 7. b
L. Ælius Sejanus cos. cum Tib. V. utriusque nomina in nummo Bilbilitano exprimuntur. 8. b. 356. a
—— poſt necem Sejani nomen ejus ſcalpro ex nummis eraſum fuit. 8. b. 355. b
Q. Ælius Tubero, L. Æmilii Paulli gener, captivi regis Perſei curam habuit. 483. b
Æmiliæ gentis nummi quidam an ſub Tiberio cuſi 645. a. b
M. Æmilius L. F. Barbula conſul. 485. b
L. Æmilius Baſſus IIvir Corinthi. 12. b
L. Æmilius Buca, quæſtor ſub Sulla. 13. a
L. Æmilius Buca L. F. IIIIvir monetalis ſub Julio Cæſare. 13. a. b
L. Æmilius Q. F. Buca IIIIvir monetalis Cæſaris, ejusque nummi 492. a. 495. b. 496. a
M. Æmilius Labeo, IIvir coloniæ Corinthi. 10. b. 11. a
Mam. Æmilius Lepidus Livianus ejusque nummi. 491. a. b
—— filius videtur fuiſſe M. Livii Druſi, adoptatus a Mamerco Æmilio Lepido. 491. b
M' Æmilius M' F. M'. N. Lepidus, pontem Æmilium ex ſublicio ſeu ligneo lapideum fecit. 9. a
M Æmilius Lepidus L. F. L. N. L. Æmilii Paulli frater, una cum illo & Scribonio Libone IIIvir monetalis fuit. 377. a
—— hunc imperii capacem, ſed adſpernantem dixit Auguſtus. 377. a
—— ſenex ſub Tiberio moritur. 377. a
M'. Æmilius M'. F. Lepidus ædilis curulis. 488. a
M Æmilius Lepidus, IIIviri proavus, ejus ſtatua equeſtris & res geſtæ 9. b. 10. a
M. Æmilius M. F. M. N. Lepidus, tutor Regis Ptolemæi, ejuſque nummus. 644. a. b
M. Æmilius M. F. M N. Lepidus cos. ejuſque de Liguribus triumphus. 487. b
M. Æmilius M. F. M. N. Lepidus propr. ex Hiſpania ſub Julio Cæſare triumphavit ejuſque nummus. 491.
—— nummus ejuſdem ut imp. ſub dictatore Julio Cæſare. 491. b. 492 a
—— nummus ejuſdem, ut præfecti Urbis. 492. a
—— —— ut IIIviri R. P. C. 10. a. & ſeqq.
—— —— ut P. M. & IIIviri R. P. C. 492. a. b. 493. a. b. & ſeqq.
M. Æmilius Lepidus M.F. IIvir deducendæ coloniæ, ejuſque nummus. 495. b
Q. Æmilius M. F. Lepidus ejuſque & M. Lollii ſub Auguſto nummus. 495. a
M. Æmilius Lepidus, Paulli filius, IIIvir monet. Cæſ. Aug. ejuſque denarii. 641. a. b. 642. a. b. 644. b
—— diſtingui debet ab alio M. Æmilio ejuſdem temporis. 642. a.
C. Æmilius Metoecus IVvir Cluniæ in Hiſpania. 13. b. 14. a
L. Æmilius Q. F. Papus cos. ejuſque de Gallis victoria & triumphus. 486. a
L. Æmilius L. F. M. N. Paullus cos. ejuſque de rege Perſe triumphus. 488. b. 489. a. b. 493. b
—— filios duos adoptandos dedit in gentem Corneliam & Fabiam 489. a. b.
—— victoria ejus & triumphas de Liguribus Ingaunis 487. b. 489. b
L. Æmilius M. F. M. N. Paullus cos. ejuſque victoria & triumphus de Illyriis. 486. b
—— cos. cum Terentio Varrone, cadit in pugna Cannenſi. 486. b.
L. Æmilius Paullus IIIviri Lepidi frater, alius a Paullo Lepido filio ſive juniore. 376. b
L. Æmilius Paullus L. F. L. N, ducta Julia minore, progener Auguſti dicitur. 377. a
—— ejus, ut IIIviri monetalis cum fratre Lepido & Scribonio Libone, denarius. 377. a
—— conſpirat in Auguſtum. 377. a
—— filia ejus Æmilia Lepida a Claudio Germanici fratre virgo repudiata. 377. a
M. Æmilius M. F. L. N. Paullus, ejuſque victoria Africana. 485. a

—— tri-

——— triumphus ejusdem & victoria navalis. 485. a
——— ——— in ejusdem monumentum columna roſtrata in Capitolio poſita fulmine poſtea disjecta. 485. b
Æmilius Proclus in Domitiani nummis legitur. 470. b
L. *Æmilius* M. F. Regillus, ejus, ut prætoris, triumphus navalis de rege Antiocho. 487. a. b
M. *Æmilius* M. F. Scaurus cos. & princeps ſenatus, proſtratam tribus ætatibus domum erexit. 490. a
——— diſciplina militari inſignis 490 a
——— triumphat de Liguribus & Gallis Carnis. 490, a. b, 491. a
M. *Æmilius* Scaurus ædilis curulis regem Aretam ſupplicem in nummis expreſſit 8. b. 9. a. 640, a
——— legatus proquæſtore Cn. Pompeji Magni in Syria. 295 b
M *Æmilius* M. F. Scaurus, Sullæ privignus. 490 a
M. *Æmilius* Scaurus M. F. M. N. ejusque ut IIIviri monetalis denarii. 331. b
M *Æmilius* Severus IIvir col. Illicis in Hiſpania. 14. a
M. *Æmilius* IIvir Col. Carthaginis Novæ. 10. b
Q *Æmilius* IIvir Calagurritanus. 13, b
Æppius (L. Certus) duumvir Corinthi tempore Julii Cæſaris. 214. a
Æſculapii Romæ cultus. 164. a
Æſernia, urbs Italiæ ejusque nummus. 95. b
Æternitatis Auguſtæ templum Corinthi. 350. a
Sp. *Afranius*. 14. b. 15. a. 646. a
Africa provincia proconſularis. 512. a
Africæ caput in nummis 52. a. 86. b
——— in Norbani nummo victoriam Julii Cæſaris Africanam deſignat. 296 b. 297. b
Africæ rectores Furius Camillus, L. Apronius, C. Junius Blæſus. 512. a
Agri publice promoti fines, inſcriptio elegantiſſimi nummuli ſub Aug. cuſi. 468. a
——— legi ibidem poteſt *Agri publici privati fines*. 655. b
Agrippa cur in nummis a Cajo Caligula ſignatus non fuerit. 138. b
——— in Cæſareæ Auguſtæ nummis ſignatus, & ita inde Caji in Hiſpaniæ colonias. 138. b
——— ejus uxores & liberi. 138. b
——— ejus nummi ſingulares Gadibus ſub Auguſto cuſi. 138. b
——— cur præter coronam roſtratam, inſuper muralem quoque habeat. 135. a Vide M. *Vipſanius* &c.
Agrippæ caput in nummo gentis Mitrejæ. 287. a, b
Agrippæ & Auguſti imagines in denario Marii Trogi quid deſignent. 270. a. b. 271. a
Agrippæ & filiorum capita in nummo Quinctilii Vari. 363 b
Agrippæ vel Lucii, Agrippæ F. Aug. N. caput in nummo gentis Sextiliæ 394. b
Agrippæ Poſtumi juvenis, Cæſaris Auguſti nepotis; rariſſimus nummus. 291. a. 451. a
Agrippina Claudii ſub ſpecie Veneris marinæ in Corinthiorum nummo expreſſa 17. a
Agrippinæ, Octaviæ & Liviæ capita tres Gallias repræſentant. 408. b
L *Aimilius* quidam in nummo Hiſpanico Obulcenſi. 14. a
Ala claritudinis ſignum; 460. b
——— ad galeam additur in capite M. Junii Bruti 232. b
——— cur capiti Meduſæ addatur 144. b. 145. a
——— cur deo Termino adfingatur. 65. b
Alæ Bacchi, ut tragædiæ præſidis, capiti adduntur. 418. a
Albinus Bruti filius in denariis dicitur D. Junius Silanus, a Poſtumio Albino adoptatus. 231, b
Albinus Decimi Bruti recens nomen. 356. b
C. *Albius* Carrinas, dux Carbonianus, ejusque interitus. 145. a
C. *Albius* Carrinas C. F. prætor Iberiæ ſub Cæſare dictatore. 145. a
C. *Albinus* Carrinas pecuniam cum C. Coſſutio in Caſſii uſum ſignavit. 145. a
C. *Albius* Carrinas ejusque nummus. 497. b
C. *Albius* Carrinas C. F. procos. ejusque nummus Cæſaris victoriæ Actiacæ teſtis. 497. b. 498. a
——— ejus triumphus. 498. a
Alexander, filius Antonii & Cleopatræ, Ἥλιος dictus, & ſub ſolis imagine clypeus illius dedicatus. 19. b
Alexandri Magni in leonis exuviis caput. 394. b
Alexandri Magni caput in denariis Romanis. 129. a
Alexander & Ptolemæus, M. Antonii ex Cleopatra filii, a Cæſare Octaviano Jubæ, Jubæ F. donantur. 235. b
Alexandria Ægypti in M. Antonii nummo. 507. a
Alexandriæ caput in denariis Romanis. 171. a. 643. b
Alexandrinorum nummus in honorem Julii Cæſaris. 576. a
P. *Alfinius* P. F. Varus IIIvir monetalis Cæſaris Auguſti. 498. a. b
P. *Alitius*, IIvir Corinthi. 15. a
C. *Allarius* IIvir col. Cæſ. Aug. ſub Aug. 436. a
A. *Allienus* procos. Siciliam obtinuit. 15. a b
Allius ſcribitur in nummis pro Aillius. 7. b
Alphabetum integrum aliquando in notis denariorum invenitur. 416. b
Amazon feſtinans in nummo Patrenſium. 283. b
Amphitrite in denariis gentis Valeriæ. 426. a
T. *Ancharius* IIIIvir quinquennalis. 36. a
Anci Marcii regis caput in denariis gentis Marciæ. 261. b. 262. a
Anci & Numæ jugata capita in denariis & nummis gentis Marciæ. 266. a
Ancora cum luna creſcente, cur in Jani capite. 244. b. 245. a
Ancoræ, erectæ in nummis, ſtationem & quietem navium ſignificant, 234 a
L. *Anicius* L. F. Gallus propr. de Gentio Illyriorum rege triumpavit. 498. b
Annius IIIvir monetalis ſenatus ſub Aug. 16. a
C. *Annius* T. F. T. N. procos. a Sulla contra Sertorium in Hiſp. miſſus 15. b
C. *Annius* duumvir Corinthi. 16. b
L. *Annius* IIvir Corinthi 16 b. 17. a
T. *Annius* Luſcus ejusque denarius. 498. b. 499. a
T. *Annius* Milo ante adoptionem dictus fuit C. Papius. 308. b. 309. a
P. *Annius* Rufus IIIvir ſenatus ſub Aug. 409. a
Annulus Pompeji, in quo gemma cum leone enſem tenente. 29. b.
Anteon, Herculis filius, Antoniæ gentis pater, unde in denario M. Antonii depingitur. 248. a
Anteonem, Herculis filium, ſtirpis ſuæ auctorem agnoſcebant Antonii. 500. a
Anteſtius an una cum Vinicio Cæſaris Auguſti IIIvir monetalis fuerit. 450. a
C. *Anteſtius*. 17. a. b. 646. a
L. *Anteſtius* Gracchus IIIvir monetalis. 17. a
P. *Anteſtius* IIvir Calaguris Juliæ. 17 b
Antigonus, ultimus Judæorum ex Aſſamoneorum ſtirpe rex, ejus interitus, & tropæum de eodem in C. Soſii nummis. 396. b. 397. a. b
Antiochena æra quando inceperit. 233. a
——— variæ ejus epochæ. 233. a
Antiocheni Epocham ſuam a Faſtorum Cæſaris correctione inchoarunt. 205. a. b
Antiochiæ nummi. 452. b. 453. a
Antiochus, nomen magiſtratus, in nummo Hierapolitano. 401. b
Antiſtiæ, cognomine Veteris, familiæ decora. 18. b. 19. a
C. *Antiſtius* C. F. cos. ejusque nummus. 499. b
C. *Antiſtius* Reginus triumvir monetalis ſub Auguſto. 18. a. 646. a. b
C. *Antiſtius* Vetus, triumvir monetalis ſub Auguſto. 18. b. 646. a. b
C. *Antii* Reſtionis tr. pl. caput. 17 b
C. *Antius* C. F. Reſtio, triumvir monetalis ſub Aug. 17. b
C. *Antius* C. F. Reſtio, ejusque nummus. 499. a
Antonias, triremis Antonii & Cleopatræ Regia. 29. b
Antonii ad Herculem & Anteonem originem ſuam referebant. 248. a. 500. a
Antonius, M. Fr. in Macedoniam properat, ejusque denarius. 328. a. 646. b
C. *Antonius* M. F. ejusque nummus. 500. a 646. b
Jul. Antonius M. F. M. N ejusque nummus. 509. b
——— illi puero parcit Cæſar, laus ejusdem & interitus. 510. a
L. *Antonius* M F. C. N. Pietas ejusque nummi. 501. a. b
L. *Antonius* conſul, M. Fr. ejusque nummi 19. b
L *Antonius* Jul. F. M N. adoleſcens moritur. 510. a
L. *Antonius* Naſo Bithyniæ proconſule præfuit ſub Veſpaſiano & Domitiano; ejus nummi. 255. b. 470. b
M. *Antonius* C. F. prætor de piratis ex Cilicia triumphavit. 499 a
M. *Antonius* M. F. C. N. IIIvir R. P. C. & ejus nummi. 19. a. b. & ſeqq.
——— quare Imp. IV. dictus. 24. a
——— ejusdem nummi Goltziani. 500. a. b. & ſeqq.
——— dicitur in quibusdam nummis imp. III. & cur. 501. b. 508. b
——— quando imp. IV. dictus 501. b. 502. a. 508. a. 509. a. 646. a
——— victoria ejus Parthica. 507. b. 508. a
——— caput ejus cur velatum in quibusdam nummis. 384. b
——— nuptiæ cum Octavia. 385. a
——— habitu Herculis depictus. 30. b. 248. a. 385. a. 393. a
——— Herculi in nummis comparatur. 442. a
——— videri voluit originem ab Hercule ducere. 442. a
——— ejus imagine & capite cur nummi quidam ſub Cæſare & paullo poſt fuerint ſignati. 212. a
Antonius & Cleopatra in nummo forſitan Heroes ſemidei dicti. 305. b
Antonii minoris, ſive Antylli, caput in nummo M. Antonii. 22. a. 30. a
Antonius Hipparchus IIvir Corinthi ſub Julio Cæſare. 298. a

I N D E X.

M. Antonius Hipparchus IIvir Corinthi sub Aug. 393. a
Antonius Musa non Musus medicus Augusti. 345. b. 346. a
M. Antonius Musus; IIvir municipii Turiasonis. 274. a
T. Antonius IIIIvir Cluniacensis. 343. b
Antonius & Metellus IIIviri monetales cum P. Mænio. 256, b. 257. a
Q. Antonius Balbus pr. 28. b. 29. a
Anxuris vel Axuris Jovis, apud Campanos culti, nomen unde ortum. 444. a
Apamensium nummus sub Nerone. 471. a
Aper, symbolum cultus Herculis. 416. b
— venationis symbolum. 455. b
Aper, & aliquando perticæ impositus, Hispaniæ symbolum. 101. a. 102. a
Apex sacerdotalis flaminem Martialem designat in denario gentis Postumiæ. 358. b
Apicula in nummo Titii eloquentiæ & poëseos symbolum. 418. a
Apii corona in nummis Corinthiacis. 291. a
Apollinares ludi quando in perpetuum in statum diem voti sunt. 277. b. 278. a
Apollini deditus fuit Brutus. 228. b
Apollinis cultus Hierapoli. 401. b
Apollinis, seu Solis, caput in nummis Hispanicis. 105. a
Apollinis templum ab Augusto in Palatio conditum & multi nummi illa occasione cusi. 425. b
Apollo cum lauri ramo arcu & sagittis in quadrigis. 43. b
Apollo stans cum lyra in Junii Silani nummo. 579. b
—— symbolum Cæsaris Octaviani victoriæ Actiacæ. 579. b
—— tela jaculans pestilentiæ signum. 302. a
—— Vejovis nomine cultus. 182. b
—— Actius in nummis Augusti. 18. b. 19. a
Apollonius Damocrati F. Zosimus, magistratus Laodicææ. 95. b. 96. a
Apollonius Molo, rhetor celeberrimus. 345. a
Aponius Saturninus, vir prætorius, qui malo suo dormitavit in auctione Caligulæ. 512. b
L. Appius decurio quinquennalis Ursonis. 468. b
L. Appuleius. 31. a. b
M. Appulejus Sex. F. IIIvir senatus sub Aug. 511, a
Sex. Appulejus procos. ejusque nummus. 510. b
Sex. Apulejus Sex. F. IIIvir monetalis Cæsaris Aug. 510. a
—— itidem senatus sub eodem Aug. 511. a
Apronia a marito Plautio Sylvano in præceps data. 511. b
L. Apronius Cæsianus. 32. a
L. Apronius procos. res in Africa memorabiles gessit. 32. b
L. Apronius L. F. C. N. ejus nummus, res gestæ in Africa & in Germania. 511. a. b. 512. a
L. Apronius L. F. L. N. Cæsianus, ejus laus & periculum. 511. b. 512. a
L. Apronius L. F. L. N. Cæsianus IIIvir monetalis senatus sub Aug. 512. a
—— mater ejus fuit Cæsii Cordi filia, unde ipse Cæsianus dictus. 512. a
Apronius Galus IIIvir monetalis senat. sub Aug. 31. b. 32 a
Apronius Sisenna IIIvir monetalis senatus sub Aug. 512. a. b
L. Apuleius Madaurensis Philosophus, in nummo Contorniato. 31. b
Aquæ Marciæ typus in denariis gentis Marciæ. 261. b. 262. a
Aquila in nummis picta cum hastis, seu signis inscriptis H. P. legionarios, hastatos, & principes significat. 426. b. 427. a
—— cum Junone Sospita in Cornuficii denariis. 144. a
—— legionaria, inter signa militaria. 544. b
Aquilæ & lupæ contentio in condenda urbe Lavinio. 306. b
Aquilæ cur binæ in nummis æreis posterioris ævi. 475 b
Aquilæ nota, nummis inpressa, signum est existisse quondam in Museo Ducum Mantuæ. 82. a. 86. b. 247. b. 297. b. 380. a. 404. b. 451. a
Aquilas & signa castrensis religio venerabatur. 464. a
C. Aquillius IIIIvir quinquennalis. 36. a
C. Aquillius Florus procos. de Pœnis triumphavit. 513. a
L. Aquillius Florus IIIvir monetalis Aug. 33. a. b
M' Aquillius M'. Fil. collega in V. cos. bellum servile in Sicilia confecit, & inde ovationem meruit. 32. b. 33. a. 513. a
M' Aquillius M'. F. M'. N. IIIvir monetalis Imp. Augusti. 32. a. 647. a, b
P. Aquinius IIvir Corinthi sub Augusto. 214. b
Aquinus, quarum gentium cognomen. 84. b
C. Aquinus Mela IIvir quinquennalis. 44. a. 469. b
Ara, ut diis, posita in nummis, Antonio & Cleopatræ. 305. b
Ara maxima, in honorem Herculis, sub Aventino, in nummo gentis Antiæ. 18. a
Aratrum cur Fauni capiti subjiciatur. 222. b
Archytas, philosophus Tarentinus, & nummus falso illum referre creditus. 361. b
Aretas, rex Arabiæ supplex Romanis, in nummo gentis Æmiliæ & Plautiæ. 8. b. 330. a
Arethusa Syriæ urbs, an olim Gammarus dicta fuerit. 80. a. b. 82. a
Arcus Augusto propter vias refectas &c. erectus. in denario Vinicii. 450. a
Arcus triumphalis a Cajo Cæsare Augusto avo dedicatus. 210. b
Argento signato quando uti ceperint Romani 170. b
Argento publico qua occasione signati denarii. 383. a.
Argæus mons Cappadociæ in Galatiæ nummis. 294. a
—— in Cæsareæ nummis. 350. b. 351. a
Aries, Jovis Ammonis symbolum. 362. a. b
Armenia devicta in M. Antonii nummis. 22. a. b
Armenia Romanis cedit Parthorum rex Phrantes. 317. a
Arrii cujusdam vultus in nummo. 34. b. 647. b. 648. a
C. Arrius IIIIvir quinquennalis. 36. a
P. Arrius IIvir munic. Calag. Juliæ. 382. b
L. Arrius Peregrinus IIvir Corinthi 35. b
L. Arrius Peregrinus IIvir Corinthi. 190. b
M. Arrius Secundus 34. b. 35. a. b
Q. Arrius Secundus. 35. b
L. Arruntius L. F. IIvir coloniæ deducendæ ejusque nummus. 509. b
L. Arruntius L. F.
—— singulare de illo Cæsaris Augusti testimonium. 513. a. b
—— virtus ejusdem tyrannis suspecta, & mors voluntaria. 513. b
Asiagenes & Asiaticus unde dictus Scipio 130. b. 131. a. b
Asini caput in denariis gentis Juniæ ad cognomen Bruti respicit. 221. b
C. Asinius C. F. Cn. N. Gallus, trium consularium, Asinii Salonini, C. Asinii Pollionis, & M. Asinii Agrippæ pater. 514. a
—— ejus nummus, ingenuum judicium Augusti de illo, & vitæ exitus. 514. a
C. Asinius Gallus IIIvir senat. sub Aug. 36. b
C. Asinius Pollio C. Asinii Galli F. procos. 37. a
C. Asinius Cn. F. Pollio ejus laus & nummus. 513. b
Asses semiunciales lege Papirii facti. 301. a. 413. a
—— leviores, quando cusi, & eorum ex museo editoris exemplar. 418. a
Asses sextantarii; quamdiu in usu fuerint, unciales deinde & semiunciales. 340. b
Asses unciales quot annis & quibus in usu fuerint. 269. a. 298. b. 302. a. b
Assium & reliquæ monetæ in pondere variæ immutationes. 14. b. 15. a. 31. a. 38. b. 47. b. 48. a. 56. a. 76. a. 149. b. 184. b. 185. a. 189. a. 202. a. 257. a. b. 269. a. 285. b. 298. b. 314. b. 321. b. 340. b. 373. b. 374. b. 411. b. 418. a. b. 421. a. 446. 447. a
Assium &c. nummorum pondera minus recte passim a Vaillantio designantur. 368. a. 2374. a. b
Assium pondus verum, quo primum tempore imminui cœptum. 382. a
Astrum Solis symbolum Syracusarum 90. b. 262. b. 293. a
Astrum Solis & Solis effigies in Julii &c. nummis, emendationem anni denotat. 290. a. b
Astrum sive stella in Cæsaris nummis, nisi crinita sit, Fastos ab illo correctos innuit. 118. a. 205. a. 206. b. 209. b. 219. b. 372. b. 384. a
Astrum Julii cur in M. Antonii nummo pingatur. 505. a
Atellii varii in Inscriptionibus antiquis. 235. a. b
Cn. Atellius Flaccus IIvir quinquennalis col. Jul. Novæ Carthag. 343. b
C. Atilius A. F. A. N. Balbus bis consul & censor, ejusque nummus. 516. a
A. Atilius A. F. C. N. Calatinus, ejus nummi, & de Pœnis ex Sicilia triumphus. 514. b. 515. a. 516. a
A. Atilius Regulus IIIvir monetalis senatus sub Aug. 517. b
C. Atilius Regulus Serranus ejus nummus & navalis de Pœnis triumphus 515. b
C. Atilius M. F. Regulus, ejusque nummus. 516. a, b
L. Atilius L. F. L. N. Regulus. 38. b
M. Atilius Regulus. 38. a. b
M. Atilius M. F. Regulus, ejusque de Sallentinis, Italiæ populis, triumphus. 514. b
M. Atilius M. F. M. N. Regulus, cecidit in pugna Cannensi, ejus nummus. 516. b
M. Atilius M. F. Regulus in Sicilia de Pœnis victoriam est consecutus, ejusque nummus. 516. b. 517. a
C. Atilius Saranus. 38. b
C. Atilius M. F. Serranus, ejusque ædilitas curulis in nummis. 517. a
C. Atilii nummus a C. P. fictus. 569. b
M. Atilius Saranus. 38. a. 40. a
Sex. Atilius M. F. Serranus, ædilis curulis cum C. Mancino in nummis. 517. a
Atius Balbus prætor Sardiniæ in nummo. 37. a. b
—— avus Augusti Cæsaris, 37. a. b
Q. Atius Labienus Parthicus imp. 37. b
C. Atteius Capito IIIvir coloniæ deducendæ in nummis. 517. b
—— insignis JCtus, ejusdem elogium & mors. 517. b. 518. a
Attius Laco, proconsul Bythiniæ sub Nerone. 39. a. b
L. Axsius Naso. 42. a. b

C. Au-

C. *Aufidius* Gemellus IIvir C. C. A. 40. a
Cn. *Aufidius* IIIvir col. Victricis Cellæ sub Augusto. 518. a
Cn. *Aufidius* Orestes vir prætorius ejusque nummus. 518. a. b
M *Aufidius* Rufo. 39. a. b. 40. a
Aventinus mons in denario gentis Postumiæ. 359. a
Augurium Romæ. 468. b
Augusta Vindelicorum strobilum insigne antiquitus habuit. 616. a
Augustales in coloniis quot numero, & qualis magistratus. 56. b
Augusti Cæsaris & filiorum statuæ in nummo Cæsareæ Augustæ. 157. a.
Augusti ex Syria reditus in Urbem, in nummo P. Licinii Stolonis. 240. b
—— nummi primæ magnitudinis rari. 253. b. 256. a
—— ut pontificis maximi habitus in denario Marii Trogi. 270. a
—— cum M. Agrippa stantis imago ibidem. 270. a. b. 272. b. 273. a
—— adoptio nepotum ejus. ibid.
—— IV. victoriæ ejusdem, dea tenente quatuor corollas, in denario Vinicii celebrantur. 449. b
—— triumviri monetales non semper caput Augusti in nummis signabant. 425. b
—— statua equestris & arcus triumphalis in denario Vinicii. 450. a
—— victoria de Cantabris & Asturibus. 452. a
Augusto honores habiti a senatu. in denariis Mescinii Rufi. 279. b. 280. a
Augustus, quando primum inierit consulatum, & nummus aureus ista occasione cusus. 216. a
—— cur Divi sese filium vocet. 216. b
—— astrum in ejus nummis ad Apollinem refertur. 216. b
—— ejus ut triumviri R. P. C. nummi. 216. a b. 217. a. b
—— Marti Ultori templum vovit & exstruxit, ejus symbolum in nummis. 217. b
—— palmæ ramus Julio Cæsari in Hisp. enatus, nepoti C. Cæsari Octaviano felicitatem prætendit, unde in nummis cernitur. 218. a
—— Apollinis similitudinem maxime adfectavit. 218. b
—— Carthaginis coloniam instaurat. 218. b
—— pontifex max. factus; Sibyllinorum librorum delectum habuit. 260. b
—— vovit ludos I. O. M. si Resp. in meliorem statum vertisset. 279 b
—— quando in nummis Cæsar Divi F. vocari inceperit 379. a
—— provincias cum senatu divisit, ejusque rei testis nummus M. Cocceji Nervæ. 540. a. b
M. *Avonius* IIIIvir Cluniacensis. 343. b
Aura, equa Phidolæ, vicit Olympia. 63. a
—— an nomen ejus in nummo Græco inveniatur. 63. a. b
Aurelia gens unde ortum duxerit. 40. a
C. *Aurelii* denarius. 467. b
T *Aurelius* Celer col. deducendæ in nummis 250. a
T. *Aurelius* Cotta, ejus nummus, ejusque nominis viri clari complures. 519. a
C. *Aurelius* M. F. Cotta ædilis curulis in nummo scribitur. 519. b
L. *Aurelius* Cotta ejus nummus; ejusque nominis complures. 519. a
L. *Aurelius* Cotta, tribunus militum legionis III. in exercitu L. Æmilii Paulli. 519. a
L. *Aurelius* Cotta IIIvir monetalis. 40. b
L. *Aurelius* Cotta Messalinus, filius Valerii Corvini Messalæ, ejus laus & mors. 431. b
M *Aurelio* Cottæ, repetundarum damnato, in administratione Bithyniæ successit C. Papirius Carbo 312. a. 313. b
L. *Aurelius* Orestes, vir consularis, ejusque nummus. 519. a
L. *Aurelius* L. F. Orestes procos. ex Sardinia triumphavit. Ejus nummi. 519. b
Aurelius Pollio in nummo Cæsareënsium. 471. a
Aurelius Rufus. 42. a b
M. *Aurelius* Scaurus IIIvir monetalis. 42. a
Autroniæ gentis denarius. 380. a
L. *Autronius* P. F. L. N. Pætus, ex Africa triumphavit. 520. 521 a
—— ædilitas ejusdem in nummis. 520. b
P. *Autronius* L. F. Pætus, quæstorius, adhæsit Catilinariæ conjurationi. 520. b
P. *Autronius* P. F. L. N. Pætus cos. suffectus sub Augusto. 520. b
P. *Autronius* P. F. P. N. Pætus IIvir coloniæ deducendæ sub Aug. 520. a. b

B.

BAcchanalia, eorumque fœda conjuratio, Romæ exstirpata. 264. a. b. 265. a. 297. b
Bacchi in tutela est tragœdia. 417. a
Bacchi scenica persona in Vibii Pansæ denariis. 446. b
Bacchius Judæus supplex in denario gentis Plautiæ. 330. b
Bæbii Rusticelii in Hispania, aliique. 44. b
Q. *Bæbius* Flavus IIvir Calaguritanus. 44. a. 282 b
L. *Bæbius* Pollio IIvir quinquennalis. 44. a. 469. b
L. *Bæbius* Priscus IIvir Calaguritanus. 44. a
P. *Bæbius* Priscus IIvir Calaguritanus. 44. b
Cn. *Bæbius* Tampilus cos. ejusque de Liguribus Ingaunis triumphus. 487. b
Cn. *Bæbius* Q. F. Tampilus vir consularis, victoria ejus de Liguribus, statua, & nummus. 521. a
M. *Bæbius* Q. F. Tampilus 43. b
Baggius Fronto IIvir. col. Jul. Victr. Celsæ. 343. b
Bala, gentis Aureliæ cognomen in nummis, quid significet. 640. a
Balaustium, sive flos rosæ, Rhodi symbolum. 145. a
C *Balbus* IIvir col. Leptis primæ in Africa. 354. a
Balatrones quos antiqui vocarint. 8. a
Barbam diis suis quando adposuerint Romani & quando eosdem sine barba effinxerint. 516. a
M. *Barbatius* IIvir Corinthi ejusque nummus. 639. a
M. *Barbatius*, cur in nummo Corinthiaco præfectus scribatur. 639. a. b
Barce, urbs Cyrenaica per literam B. designata. 251. b
Bargylæ, urbi Cariæ, unde illud nomen. 214. b
Bargyllus, socius Bellerophontis, a Pegaso equo calce ictus, periit. 214. b. 215. a
Bary (Jacobi de) musæum & nummi Punici. 235. a. 236. a
Basilica Æmilia sub Augusto deflagravit & refecta est. 641. b
Basilicæ Æmiliæ & Paulli quot Romæ fuerint. 642. a
Basilica Paulli in Foro, & singularia quædam ejusdem. 642. b. 643. a. b
Belgæ covinnis cum axibus falcatis in bello usi. 572. b
Bellerophon Corinthi symbolum. 54. a. 97. b. 144. b. 214. a. b. 410. a. 546. b
Belli Socialis sive Italici monumenta, nummi ista occasione cusi. 458. b. 459. a. 460. b. 528. a
Belliæ gentis monumenta. 45. b. 46. a
M. *Bellius* Proculus IIvir Corinthi. 45. a. b
Benignus & Hiberus præfecti in nummo in Hispania cuso. 452. b
Berytus colonia in L. Mussidii nummo. 601. a
P. *Betilienus* Bassus IIIvir monet. senatus sub Aug. 46. a
Biate vel Biatia, urbs Hispaniæ, ejus nummus, incolæ Viatenses. 473. a. b. 474. a
Bipennis in nummo Corcyrensium Amazonicam originem denotat. 361. b
Bithyniæ æra & epocha in eorundem nummis. 312. b. 313. a. 447. b. 448. a
—— rectores Cotta, Carbo, Nero. 312. b. 313. a
Bithyniam qui rexererint proconsules. 192. b
Bitis, Cotyis, Thraciæ regis filius, vinctus, in nummo gentis Æmiliæ. 493. b
Bituitus, rex Arvernorum Romam in triumpho ductus, & Albæ in custodiam datus, 555. a. b
Bocchi caput, ejusque proditionis historia in nummis Fausti Sullæ. 152. a. b. 126. a. b
Boni Eventus capita differunt in nummis Impp. Augusti & Galbæ 460. a
Bonus Eventus & Felicitas. 461. b
Bos Italiæ symbolum. 459. b
Bovis caput in coloniarum nummis sacrificia pro salute Cæsaris innuere videtur. 427. b
Βοτρύδιον genus ornatus muliebris circa gemmas. 345. a
Brocchi a dentibus eminulis sic dicti. 190. a
Bruti omnes reip. studiosi, eoremque laus. 220. b. 221. a
Brutus & Cassius graciles & macilenti, quos magis metuebat Cæsar, quam pingues & comatos. 232. b
Buccula in quibus Cæsaris Augusti nummis. 341. b
Buthrotum, Epiri urbs, Augusti colonia, ejusque nummus. 292. b
—— —— nummi ejus & pons elegantissimus. 215. a
Byzantinorum beneficia in Romanos. 317. b

C.

C. in tabella nummi gentis Cassiæ significat, Condemno. 77. a. b
Cabe, Colonia Hispaniæ, ut videtur. 12. a. b
C. P. literæ subscriptæ nummis quibusdam quid significent. 499. b
Cabillonum in Gallia. 12. a. b
Q. *Cædicius* Q. F. vir consularis, Picentes vicit. 527. b
Q. *Cædicius* Q. F. tempp. Sullæ quæstor urbanus, ejusque nummus. 528. a
Cæciliæ gentis & præcipue Metellorum Stemma Harduinianum confutatur. 649. a. b
—— —— stemma verum. 652. a. b
—— —— nummi aliquot a paradoxa Harduini interpretatione vindicati. 649. a. b. 650. a. b. 651. a. b. 652. a. b. 653. a. b
L. *Cæcilius* Aquinus IIvir municipii Turiasonis. 54. b
M. *Cæcilius* Aquinus, legatus Cassii 84. a
C. *Cæcilius* Cornutus post præturam Pontum administravit, ejusque nummus. 48. a

Cæciliorum Metellorum ſtemma & proſapia. 523. b. 524. a, b. 525. a
C. Cæcilius Q. F. Metellus, ejusque nummus. 49. b. 526. a
—— Caprarius, ob ingenii tarditatem dictus; & Scipionis dictum de Metellis, 49. b
Cn. Cæcilius Metellus Q. F. Caprarius, ejusque nummus. 523. b.
L. Cæcilius L. F. C. N. Metellus procos. egregiam de Pœnis in Sicilia victoriam adeptus eſt. 521. a, b
—— nummi ejus victoriæ & triumphi teſtes. 47. a. 521. a. b
L. Cæcilius L. F. Metellus Dalmaticus, & nummi triumphi ejus teſtes. 523 a
L. Cæcilius Q. F. Q. N. Metellus Calvus ejusque nummus. 522. b.
L. Cæcilius Metellus conſularis, & colonia ejus tempp. deducta. 525. b
L. Cæcilius Metellus IIIvir monetalis 49. a
M. Cæcilius Q. F. Metellus Sardis devictis imperator in nummis dictus. 49. a. b
M. Cæcilius Q. F. Metellus, ejusque nummus & ex Sardinia triumphus. 225. a. b
M. Cæcilius Metellus Q. F. ejusque nummi. 47. a. 49. a. b
Q. Cæcilius Q. F. Q. N. Balearicus, ejusque triumphi teſtes nummi. 523. a. b
Q. Cæcilius Metellus Celer, ab uxore veneno ſublatus. 526. b. 527. a
Q. Cæcilius Q. F. Metellus Celer, ejusque nummus. 526. b. 527. a
Q. Cæcilius Q. F. Q. N. Metellus Celer IIIIvir monetalis ſub IIIIviris. 527. a
Q. Cæcilius Metellus Creticus Silanus, plures ejus nominis, & nummus unius ex iisdem. 572. a. b
Q. Cæcilius Metellus Creticus Silanus Syriæ diu præfuit, ejusque nummi 225. a. b. 233. a. b
Q. Cæcilius Metellus Macedonicus, ejusque de Andriſco Pſeudo Philippo triumphus. 48. a. b. 522. a
Q. Cæcilius L. F. Metellus Numidicus procos. ejusque nummus. 525. b
Q. Cæcilius Metellus Pius Scipio imperator in denariis dictus ejusque nummi. 50. a, b
—— ex Scipionis Naſicæ poſteritate, a Metelli Numidici filio adoptatus, & ſocer Pompeji Magni. 50. a
—— cur imperator ſit dictus 51. b. 52. a
Q. Cæcilius Q. F. Metellus Pius, ejus elogium, res geſtæ & nummus. 526. a. b
Q. Cæcilius Q. F Q N. Metellus, ejusque nummus tempp. Sullæ cuſus. 522. b. 523 a
Q. Cæcilius Metellus IIIvir monetalis. 48. b
Q. Cæcilius Metellus IIIvir monetalis, cum Cn. Fulvio & Livio Salinatore. 52. b
Cæcilius Metellus IIIvir monetalis cum Antonio & P. Mænio 256. b. 257. a
Q. Cæcilius Niger IIvir Corinthi. 53. b. 54. a
L. Cæcilius Pius IIvir municipii Julii Uticenſis. 54. b
T. Cæcilius Rufus IIvir ſtatuam Liviæ Uticæ fieri curavit ſub Vibio Marſo procos. 448. b
C. Cæcilius Serenus IIvir in municipio Turiaſone. 54. b
M. Cæcilius Severus IIvir in municipio Turiaſone. 54. b
Cæcina, fluvii nomen in Etruria. 55. a
Cæcinæ antiqui. 55. b. 56. a
Cæcina, cujus gentis cognomen fuerit. 55. b. 56. a
A. Cæcina ejusque nummus. 55. a. b. 56. a
Cæcinas Volaterræ jactarunt. 55. a
Cæcius & Cæſius an idem ſit nomen. 78. b
Cæleſtis dea apud Afros culta, in nummo gentis Fabiæ. 172. b
Cæſarea Auguſta colonia Rom. quosnam milites & ex quibus legionibus colonos acceperit. 356. a
Cæſareæ Auguſtæ nummus in honorem Julii Cæſaris. 576. b
Cæſareæ Metropoleos nummi. 503. b. 504. a
Cæſareënſium nummus in honorem Auguſti. 471. a
Cæſaris de Pharnace victoriæ monumentum. 447. b
C. Cæſaris Octaviani nuptiæ cum Clodia M. Antonii privigna. 505. a
Cæſaris Octaviani caput, velut Genii P. R. depingitur. 463. a
C. Cæſaris Aug. nummulus. 341. a. b
Cæſario Cæſaris ex Cleopatra filius, rex regum adpellatus. 502. b
Cæſarionis, Julii Cæſaris ex Cleopatra filii, caput forte in nummo Antonii 22. a
C. Cæſennius Pœtus, proconſul Aſiæ in Domitiani nummo. 57. a. b
Cæſennii Pæti varii, eorumque honores & res geſtæ. 57. a. b. 58. a
L. Cæſius, ejusque denarius. 59. b
Q. Cæſius Cordus repetundarum damnatus. 139. b. 140. b
Cæſonia, ſoror & uxor Caji Caligulæ Salus Auguſta dicitur, & caput ejus exprimitur in nummo coloniarum. 343. b
L. Cæſtius prætor ejusque memoria in nummis. 86. b
—— fuit potius unus ex VIII. præfectis Urbi, quos ſub Lepido reliquit Julius Cæſar in Hiſp. proficiſcens, 654. a
Caiſar antique pro Cæſar ſcriptum. 201. b
Caji Cæſaris, Auguſti nepotis IIviri Corinthi, caput in nummo ejus coloniæ. 10. b
Caji Cæſaris, Auguſti nepotis, caput in nummo gentis Liciniæ. 240. b
Caji Cæſaris Auguſti N. in Orientem expeditio. 317. a. b. 318. a
Cajus Cæſar avo Auguſto poſt victoriam Tiberii Cantabricam arcum triumphalem dedicat. 210. b. 211. a
—— una cum cos. Piſone ludos votivos pro reditu Cæſaris facit. 211. a
Cajus Cæſar Caligula IIvir Carthaginis novæ in nummo inedito inſcribitur. 237. a
Caleni, a Calibus Campaniæ Felicis ſic dicti, complures in Hiſtoria Romana. 185. a
Caldus quaſi calidus, cognomen gentis Cœliæ, 104. b
M. Calidius Q. F. orator inſignis, ejusque, ut IIIviri monetali, denarius. 61. a
Caligula cur Hiſpaniæ coloniis jus monetæ ademerit. 449. a
Calliopes Muſæ in nummis ornatus. 345. a. b
L. Calpurnius Beſtia ejusque nummus. 530. a
L. Calpurnius Bibulus proprætore Siciliæ ſub M. Antonio. 25. a
L. Calpurnius Bibulus M. F. præfectus claſſis M. Antonii. 65. a
M. Calpurnius L. F. Bibulus, collega Cæſaris, ejusque nummus. 530. a
C. Calpurnius L. F. Ouf. Fabatus, Plinii junioris ſocer 531. b
C. Calpurnius Piſo Frugi; eo prætore ludi Apollinares annui facti ſunt. 51. a b
C. Calpurnius Piſo quæſtor cum Cæpione ad fruges em. ex S. C. 66. b. 67. a
C. Calpurnius C. F. C. N. Piſo, ejus nummus & de Luſitanis & Celtiberis triumphus. 528. b
C. Galpurnius Piſo L. F. L. N. Frugi. 64. b
—— gener Ciceronis, ejusque laus. 64. b.
Cn. Calpurnius Piſo primus conſulatum in familiam ſuam intulit. 529. b
—— ejusdem ſtatua togata. 529. b
Cn. Calpurnius Cn. F. Cn. N. Piſo ejusque nummi. 529. b. 530. b. 531. a
Cn. Calpurnius Cn. F. Piſo IIIvir ſenatus ſub Auguſto. 66. a
—— Germanicum veneno ſuſtulit. 66. b
Cn. Calpurnius L. F. L. N. Piſo. 65. b
Cn. Calpurnius Piſo proq. Pompeji Magni. 65. a
L. Calpurnius Cn. F. Piſo IIvir col. deducendæ. 531. a
L. Calpurnius L. F. Piſo Cæſoninus, ſocer Julii Cæſaris, ejusque ſeu patris ejus nummi. 530. b. 531. a
—— varii viri illuſtres ejus nominis. 530. b
L. Calpurnius Piſo L. F. C. N Frugi IIIvir monetalis. 61. a, b. 62. a. b. 63. a. 67. b. 68 a. b
L. Calpurnius Piſo L. F. L. N. Frugi. 63. b
M. Calpurnius Piſo M. F. Frugi. 64. b. 65. a
M. Calpurnius Pupius Piſo. 64 b. 65. a
Q. Calpurnius C. F. Piſo vir conſularis, ejusque nummus, 530. a
C. Calviſius C. F. Sabinus ejusque antiquus denarius. 528. b
C. Calviſius C. F. Sabinus IIIvir monetalis ſenatus ſub Aug. 528 b
—— filius ejus Calviſius ſub Caligula Pannoniam adminiſtravit, ejusque exitus. 528. b
C. Calviſii nummus fictus. 593. a
Campani equites nobiles in Crepuſiæ gentis denariis celebrantur. 147. a
Campidoctores Lat. magiſtri juventutis. 288. a
Canes, cuſtodes templi Minervæ Iliadis, ſive Dauliæ, in nummo Romano. 464. b
M. Canidius Craſſus quæſtor Catonis in Cypro, ejusque ibidem cuſus nummus. 243. a. b.
P. Canidius P. F. Craſſus procos. legatus M. Antonii, ejusque nummus. 242. a
—— ejus res geſtæ & interitus. 242. a. b. 243. a
P. Canidius Craſſus, dux partium Antonii Cæſaris Octaviani juſſu occiſus. 327. a. 531. b
P. Canidius P. F. Craſſus IIIIvir monet. ſub IIIviris. 527. a, 531. b
L. Caninius Agrippa IIvir Corinthi. 71. a. b
C. Caninius L. F. Gallus IIIvir monetalis Cæſaris Auguſti. 532. a
L. Caninius Gallus IIIvir Cæſaris Auguſti. 69. a. 70. a. b. 71. a
C. Caninius Rebilus IIIIvir monetalis ſub Cæſare Julio ejusque nummus. 531. b
C. Caninius C. F. Rebilus IIIvir monetalis Cæſaris Auguſti. 532. a
M. Caninius iterum IIvir coloniæ Cæſareæ Aug. 71. a
Canis, cur in Anteſtiæ gentis nummis. 17. a
—— cur Laribus adpingatur. 60. b
—— venaticus, cujus rei ſymbolum in nummis. 358. b
Cantabri ab Auguſto & Agrippa devicti & prope deleti. 319. a. b
Caper Baccho ſacra victima. 183. a
—— in nummis Bacchi ſymbolum. 134. b
Capito & Cytheron, IIviri Corinthi. 184. b

Capitolium fub Domitiano reftitutum, & ejus rei teftes nummi. 474. b. 475. a
Capricornus cur in nummo Oppii. 304. a. b. 305. a
Caput Æfculapii in nummis. 2. b. 4. a. b. 11. a

CAPITA DEORUM ET DEARUM IN NUMMIS MORELLIANIS.

Caput Apollinis five Solis radiatum. 20. b. 33. b. &c.
—— Apollinis laureatum. 61. a. b. &c.
—— Apollinis Regis cum diademate vel fceptro. 79. a. 111. b. 247 b. 344. a. 394. b. 424. b. 425. b
—— Aventini, Herculis filii. 455. b
—— Bacchi feu Liberi Patris. 79. a. 319. a, 353. b
—— —— barbatum. 312. b. 417. a. b
—— —— habitu Jani bifrontis, fed alati & diademati. 418. a
—— Boni Eventus 374. b. 459. b. 460. a. 462. b. 463. a. 464. a
—— Cereris 87. a. 146. b. 147. a. 190. a. 206. a. 269. b. 274. a. b 277. a. 289. a
—— Cereris Africanæ. 143. b. 144. a
—— Cœleftis deæ. 172. b
—— Concordiæ. 153. a. 184. a. 210. b. 289. b. 290. a. 375. a. 449. b
—— Cybeles. 189. a. b. 325. a
—— Clymenes. 2. b
—— Cupidinis. 159. a
—— Dianæ. 7. b. 73. a. 92. a. 121. b. 124. a. 251. a. b
—— Diofcurorum. 112. a
—— Ditis five Plutonis. 89. b. 118. b. 294. a. b
—— Deorum Penatium. 18. a. 181. a. 182. b. 407. b
—— Fauni. 73. a. 222. a
—— Feroniæ. 318. a. b
—— Fidei. 239. b
—— Floræ. 39. a. 391. a
—— Fortunæ P. R. 36. a. 393. a
—— Genii populi Romani. 115. a. b. 409. a. 458. a
—— Herculis inberbe 1. a. b. &c.
—— —— barbatum 11. a. b. &c.
—— Herculis & Mercurii conjunctum. 368. b
—— Hifpaniæ. 117. b
—— Honoris. 158. a. 248. b. 249. a. 277. b. 288. a. 405. a. 406. a. 473. b
—— Jani bifrontis barbatum. 2. b. &c.
—— —— bifrontis cum prima lanugine. 180. b
—— —— bifrontis inberbe. 335. a
—— —— bifrontis ad Cn. Pompeji Magni faciem delineatum. 334. a. b
—— —— bifrontis cum alis & diademate, ut Bacchi. 418. a
—— Jovis Ammonis 23. b. 142. b. 218. b. 251. a 322. b. 361. b
—— Jovis Cafii. 361. b
—— Jovis Eleutherii. 120. b. 121. a. b
—— Jovis Hellanii. 90. a. 118. b
—— Jovis Philii. 363. a
—— Jovis Terminalis. 52. a. 241 b
—— Junonis Monetæ. 8. a. 15. b. 72. a. 146. a. 173. b. 258. b. 327. a. 410. b
—— Junonis Reginæ. 327. a. 367. a
—— Junonis Sofpitæ feu Lanuvinæ. 281. b. 307. a. b. 308. a. 309. a. b. 310. a. b. 311. a. 361. a. 364. b. 365. a. b. 415. b. 416. a. b
—— Liberæ 79. a. 313. a. 317. b. 318. a 323. b. 324. a. 328. b. 418. a. 442. b. 444. b. 455. b. 456. a
—— Libertatis 77. a. 80. a. 82. a. b. 84. a. 107. a. b. 108. a. b. 115. b. 178. a. 221. a. 228. b. 229. b. 234. a. 248. a. 315. a. 352. b. 353. a. 388. a. 390. b. 393. b. 443. b. 444. b. 461. a. 463. b. 466. b
—— Martis. 114. b. 231. b. 373. b
—— Martis Tropæophori. 184. a
—— Martis Ultoris. 217. b. 463. b
—— Mercurii. 2. a. &c.
—— Minervæ. 12. b. 31. a. 43. b. 48. a. 107. a. 129. b. 177. a. 283. b. 284. b. &c.
—— —— Iliadis 474. b
—— —— Victricis 441. b. 442. a. b. 456. a. b
—— Monetæ Salutaris. 72. a
—— Mufarum. 345. a. b. & feqq.
—— Neptuni, 50. b. 51. a. 82. a. 226. b. 252. b. 253. a. 330. a. 361. a. b. 366. a. 391. a. 398. b. 413. a. 426. a. 470. b
—— Palloris. 200. a. b
—— Pavoris. 199. a
—— Pietatis. 50. a. 51. b. 193. b. 231. b. 232. a
—— Romæ. 1. a. 2. a. &c.
—— Salutis. 2. b. 223. a
—— Saturni 66. b. 278. a. b. 392. b. 466. b
—— Senatus Romani. 140. a. 164. b. 320. b
—— Sibyllæ 72. a. 260. a. 324. a. b. 424. b
—— Sortis 323. b
—— Termini. 65. b
—— Triumphi. 46. b. 215. b. 219. b. 306. a. 307. a
—— Vejovis five Jovis Anxuris. 59. b. 76. a. 146. b. 182. b. 248. b. 300. b. 436. a. 465. a
—— Veneris. 12. b. 13. a. 14. a 18. b. 54. a. 86. b. 88. a. 112. a. &c.
—— Veneris Anadyomenæ. 145. b. 146. a
—— Veneris Erycinæ. 109. a. 179. a
—— Veneris Genetricis 107. a. b
—— Veneris Reginæ. 107. a. b. 330. a
—— Veneris Victricis. 9. a. b. 97. b. 128. a. 238. a. 441. a
—— Veftæ. 76. b. 77. b. 78. b. 208. a. 403. b. 458. a
—— Victoriæ 72. a. &c.
—— Virtutis galeatum. 32. b. 33. b. 34. a. b. 185. a. 288. a. 407. a. 438. b. 473. b
—— Vulcani. 40. b. 84. a. 95. b. 399. a

CAPITA DEORUM IN NUMMIS GOLTZIANIS.

Caput Africæ. 565. b
—— Apollinis. 485. b. &c.
—— Apollinis Regis. 583. b
—— Bacchi. 549. b
—— Cereris. 517. a. 523. b. 549. b. 569. b. 571. a. 591. a. 613. b. 630. a.
—— Clementiæ. 573. b
—— Concordiæ. 491. b. 493. b. 538. a. 566. b. 600. a. 605. a. 611. a. 616. a. b. 617. b. 632. a
—— Cybeles. 539. b. 530. b. 572. a. 581. b. 591. b. 635. b
—— Dianæ. 516. b. 538. a. 543. a. 570. a. 581. b. 588. a. 614. a. 627. a
—— Diofcurorum. 528. b. 558. a. 578. a
—— Fauni. 534. a
—— Fidei. 486. b. 523. a. 541. a. 545. a. 559. b. 582. b. 617. a. 625. b. 634. b
—— Genii P. R. 603. a. 607. a
—— Herculis. 498. a. 500. a. 511. a. 556. b. 581. a. 588. b. 596. a. 603. b. 604. a. 606. a. 607. b. 613. a. 631. a. 634. a. 636. a
—— Honoris. 578. b. 632. a
—— Jani bifrontis. 514. a. 526. a. 533. a. 541. a. 541. b. 551. b. 555. b. 570. a. 589. a. 602. b. 604. b. 612. b. 617. a. 629. b
—— Jovis Ammonis. 508. b
—— Jovis Anxuris. 483. a. 555. a
—— Jovis Capitolini. 510. & feqq.
—— Junonis. 541. b. 580. b
—— Junonis Monetæ. 593. a. 633. b
—— Junonis Sofpitæ. 487. a. 488. a. 500. a. 519. b. 555. a. 581. a. 586. a. 587. a. 597. a. 604. a. 609. a. 611. a. b. 617. a. 633. a
—— Juftitiæ. 588. b
—— Libertatis. 522. b. 545. b. 552. b. 559. a. 588. a. 606. a. 607. a. 612. b. 615. b. 617. b. 622. b. 624. b. 630. b. 634. b
—— Mercurii. 490. a
—— Minervæ. 519. a. 614. b
—— Nemefeos. 544. b. 591. a. 630. a
—— Neptuni. 483. b. 489. b. 525. a. b. 526. a. 530. a. 542. a. 559. b. 591. b. 593. a. b. 596. a. b. 612. a. 617. b. 623. a
—— Pavoris. 569. b
—— Penatium. 499. a. 516. a. 518. b. 558. a. 617. a
—— Pietatis. 482. a. b. 501. a. 563. a. 567. b. 608. a. 630. a
—— Plutonis five Ditis. 544. b. 555. a. 571. a
—— Salutis. 539. b. 601. b
—— Triumphi. 485. b. 553. b. 564. a. 587. b. 589. a. 590. a. 612. a. 612. b
—— Veneris. 532. a. 535. a. b. 555. b. 561. a. 572. a. 575. a. b. 578. b. 585. b. 633. a
—— Veneris Victricis. 498. a. 531. b. 552. a. 559. a. 579. b. 620. b
—— Veftæ. 494. b. 520. a. 521. a. 538. b. 551. b. 592. b
—— Victoriæ. 485. b. &c.
—— Virtutis. 632. a
Caput bovis facrificia denotat. 44. a
P. Carifius T. F. legatus Augufti & legatus poftea propr. in Hifpania, ejus nummi, tropæum & res geftæ. 73. b. 74. a. b. 75. a. b
T. Carifius legatus propr. Cæfaris Augufti in Hifpania ejusque nummi. 532. a
T. Carifius IIIIvir monetalis fub Cæfare. 72. a. b. 73. b
T. Carifius T. F. IIIvir monetalis Augufti. 72. a. b
Carteiæ nummus. 470. b
Carthagine devicta, magnus denariorum numerus cufus. 120. a
Carthago Antiqua dicitur in quibusdam nummis, ut a Nova diftinguatur. 141. b. 142. a
Carthagine Antiqua feu Veteri IIviri cum magiftratibus Romanis videntur fuiffe rex Juba junior & filius ejus Ptolemæus. 235. a. b. 236. a. b
Carthago, colonia Julii Cæfaris, civibus fpoliatur a Lepido, reftituitur ab Augufto. 218. b. 219. a
Carthago, quando inftaurata fub C. Cæfare Octaviano. 370. a

I N D E X

Carthagine Nova fuerunt itidem IIviri Nero & Drusus Cæsares. 337. a
—— fuit itidem ita dictus in nummo adhuc inedito C. Cæsar Caligula. 237. a
Carvilius primus uxorem sterilitatis caussa dimisit, & ex alia uxore videtur procreasse Sp. & L. Carvilios Maximos. 532. b
Carvilius triumvir monetalis cum Ogulnio & Vergilio. 301. a
—— asses ejus semiunciales. 301. a
C. *Carvilius* Aquilinus IIvir col. Cæs. Aug. 225. a
Sp. *Carvilius* Sp. F. Maximus, ejusque nummus. 532. b
Sp. *Carvilius* Sp. F. C. N. ejusque nummi. 76. a
Cascæ cujusdam, qui Caji prænomen idem, quod Cæsaris percussor, habebat, memorabile factum. 228. a. b
Cascæ cur Servilii dicti fuerint. 392. a
Casseius in nummis pro Cassius. 80. a
Cassius & Cassius Serveilius & Servilius scribebant. 392. a
Cassii Longini dicti fuerunt, non Longi. 227. a
Cassii Longini complures in Hist. Rom. 227. a
L. *Cassius* Cæcianus forte IIvir deducendæ coloniæ in agrum Campanum. 78. b
C. *Cassius* C. F. Celer IIIvir monetalis senatus sub Aug. 82. b. 84. a
C. *Cassius* Felix IIvir Uticensis. 85. a
C. *Cassius* propr frumentum P. R. ex Sicilia & Sardinia procuravit, ejusque nummi. 244. b. 245. a. b
C. *Cassius*, percussor Cæsaris, quando imperator dictus, ejusque nummi & res gestæ. 80. a. b. 81. a. b. 82. a. b. 84. a
—— ut cujus opem supplex Asia implorat, depictus in denario Statii Murci. 398. b
—— ejus tropæum de Phœnicia, Syria, Judea, ibidem. 398 b
Cassius & Brutus pallidi & graciles, quos magis metuebat Cæsar, quam pingues & comatos. 232. b
C. *Cassius* IIIvir monetalis. 83. a. b
L. *Cassius* Longinus L. F. patris in violento tribunatu plebis æmulus, ejusque denarius. 79. a. b
L. *Cassius* Longinus & as ab eodem cusus. 532. a
L. *Cassius* L. F. Q. N. Cassius Longinus ejusque nummus. 532. a
L. *Cassius* Longinus Q. F. L. N. scopulus reorum dictus. 77. b
L. *Cassius* IIvir col Cæsareæ Augustæ. 84. b. 85. a
Q. *Cassius* Longinus IIIvir monetalis. 76. b. 77. a. b
—— ejus genus. 78. a
Castor & Pollux vulgaris denariorum typus & unde. 7. b
—— dictatoris Postumii Albini latera stipant in pugna Regillensi. 357. b
—— equos suos aquatum ducunt in denario gentis Postumiæ. 358. a
Castoris struppus, id est pulvinar, Tusculi. 404. b
—— & Pollucis ædes Tusculi. 404. b
Catanenses fratres. 337. a
Cauponii & Coponii an iidem. 112. a
Causia, tegmen capitis Macedonicum. 328. a. 646. b
Cecropii capitis nota in denariis. 62. b. 67. b
Celia gens nulla fuit. 370. a
M. *Celius* Paludatus IIvir municipii Turiasonis. 54. b
Celsa Julia, colonia in Hisp. nummum cudit cum capite Augusti & plurimis literis singularibus. 468. b
Censorum nomen qua occasione in denariis inveniatur. 237. a. b. 344. a
Censura Crassorum in denariis expressa. 237. b
Censura rixosa Crassi & Ahenobarbi. 144. a
Cereales ludi post cladem Cannensem quamdiu intermissi. 275. b
Cereris ædiles a Julio Cæsare instituti. 275. b. 276. a
Cereales ludos quis Memmius primus instituerit. 275. b. 276. a. b.
Cerealia & Cerialia, ut & Cæsarea & Cæsaria dicta veteribus. 276. b
Cerealia an a Romulo instituta. 276. b
Ceres filiam quærens in denariis gentis Vibiæ, & cur. 443. a. b. 444. b
Ceres in draconum bigis. 578. a
—— —— in nummis gentis Voltejæ. 455. b. 456. a
—— sedens, Cerealium typus in denario gentis Memmiæ. 275. b
—— stans, utraque manu facem tenens, in Metelli nummo. 523. b
Cestii & Sestii differunt. 231. a
Cestii, Sestii, & Sextii, an diversi fuerint. 86. b. 87. a
C. *Cestius* Camerinus IIIvir monetalis senatus sub Aug. 533. b
C. *Cestius* C. F. Gallus Camerinus Cos. sub Tiberio 533. b
C. *Cestius* C. F. C. N. Gallus Camerinus Syriam procos. sub Nerone rexit. 533. b
L. *Cestius* præfectus Urbi a Cæsare in Hispaniam proficiscente, relictus. 296. a. b. 297. b
M. *Cestius* IIvir municipii Hemensis. 87. b. 88. a
Cestius Gallus, Syriæ sub Nerone præses, ejusque nummi. 88. a. b
Chii, multique alii, natales Homeri, in nummis suis sibi vindicant. 364. a
—— magna Chiorum nummorum vis apud auctorem. 364. a
Cianensium nummus sub Domitiano. 471. a
C. *Cicereius* T. F. T. N. ejusque triumphus in monte Albano. 533. b
Ciceronis acta in senatu post prælium ad Mutinam. 232. a
Ciconia, pietatis symbolum. 19. b. 50. a. b
Cilices prædones a Dolabella, Servilio Isaurico, & Pompejo victi. 332. a
Cilones & Chilones quinam dicti fuerint. 178. a
Cina pro Cinna 133. b
M. *Cipius* M. F. ejusque denarii. 88. b
F. *Cipius* IIvir & IIvir iterum Corinthi. 97. a
Cippus terminalis. 468. a
Circenses Ludi in Cæsaris honorem editi, in denario gentis Sepulliæ. 212. a
Cispius quidam jugo Esquilini montis Cispio nomen dedit. 88. b
Cistophori, quales olim nummi. 21. a. b. 35. b. 96. a. 137. b. 422. b
Civica corona Augusto decreta. 279. b
Civis servati decus in denario Q. Minucii Thermi. 286. b
Claudiæ gentis origo & decora. 88. b
Claudiæ duæ virgines Vestales nobiles. 94. a
Claudiopolitarum in Bithynia nummus. 328. b
Claudius imp. nummos antiquos inpressa nota signari fecit. 390. a
Claudii imperatoris & liberorum ex conjuge Messalina nummus. 22. a
Claudius Bias, summus pontifex Cianensium, in nummis. 471. a
Ap. *Claudius* IIIvir monetalis cum T. Manlio & Q. Marcio. 259. a.
C. *Claudius* sive Clodius P. F. AP. N. ædilitas splendissima ejusdem, & nummi ædilitatis ejus testes. 93. b. 94. a. 654. a
Ti. *Claudii* Ti. F. Ap. N. denarii numero magno belli Socialis forsitan tempp. cusi. 461. a
C. *Claudius* Ap. F. Centho, ejusque nummi. 534. b. 536. a.
Ap. *Claudius* C. F. Centho ejusque de Celtiberis victoria & & triumphus. 536. b
Ap. *Claudius* Crassus ejusque nummus. 533. b. 534. a
M. *Claudius* Glicia, scriba P. Claudii Pulchri, dictator ab ipso per ludibrium dictus, ejusque nummus. 534. a
—— fœdus vitæ ejusdem exitus. 534. a
P. *Claudius* Lentulus Marcellinus. 89. a. b
Ti. *Claudius* Sosander strategus Smyrnæorum 469. b
T. *Claudius* Hieronymus magistratus Smyrnæorum. 469. b
C. *Claudius* Marcellus cos. tempore belli civilis, ejusque nummi. 89. b. 90. a. b.
M. *Claudius* Marcellus cos. cum Sergio Sulpicio Rufo, ejusque nummus. 538. a
M. *Claudius* M. F. M. N. Marcellus, nummus ejus & triumphus de Liguribus. 537. a
—— III proconsule de Celtiberis ex Hisp. citeriore triumphus & nummus. 537. b
—— insignis ejus triumphus denario ejusdem inscriptus. 534. b. 535. a. b
—— plures ejusdem res gestæ & nummi. 91. a. 535. a. b. 620. b
—— quinquies consulis caput, & opima de rege Viridomaro spolia. 88 b. 89. a
M. *Claudius* Marcellus, ejusque denarius. 536. a. b. 537. a
M. *Claudius* M. F. M. N. Marcellus Æserninus, vir consularis, ejusque nummus. 538. b
Claudii alii Marcelli, alii Marcellini dicti sunt. 89. b
Claudius Nero, ejus nummus & de Asdrubale victoria. 526. a
Ti. *Claudius* Ti. F. P. N. prætor Pisas legionem & auxilia ex S. C. deduxit. 539. a
Ti. *Claudius* Ti. F. Ti. N. Nero procos. ejusque tropæum de Illyriis, Dalmatis & Pannoniis in nummo. 539 b
Ti. *Claudius* Ti. F. Ti. N. IIIvir monetalis, ejusque nummus. 538 b. 539. a
Ti. *Claudius* Ti. F. Nero, pater imperatoris, ejusque nummus. 539. b
Ti. *Claudius* Optatus IIvir Corinthi sub Nerone. 95. a. b
Ap. *Claudius* Ap. F. Ap. N. Pulcher, ejus nummis & triumphus privata auctoritate & sumtu de Salassis. 537. b. 538. a. b
Ap. *Claudius* Ap. F. Ap. N. Pulcher, P. Clodii frater, ejusque nummus. 538. b.
Ap. *Claudius* C. F. Pulcher. IIIvir monetalis cum M. Tullio Cicerone filio, ejusque nummus. 538. b.
Ap. *Claudius* Ap. F. Pulcher IIIvir senatus sub Augusto. 540.
Ap. *Claudius* Ap. F. C. N. IIIvir monetalis. 91. b. 92. a
C. *Claudius* AP. F. P. N. Pulcher, ejus censura aspera, triumphus, & denarius. 94. b. 95. a
P. *Claudius* Ap. F. C. N. Pulcher. cos. cum L. Junio Pullo. 534. a
P. *Claudius* P. F. Ap. N. Pulcher, ejusque nummus. 534. a
Ti. *Claudius* TI. F. AP. N. ejusque denarii. 92. a
Claudius Pulcher IIIvir monetalis senatus sub Aug. 95. a

Cla

Clementiæ clypeus in Lepidi nummo. 644. b
Clementiæ Cæfaris templum in Sepullii denario. 211. a. 212. b
Cleopatra in nummo habitu Veneris Genetricis. 207. b
Cleopatræ caput in nummis M. Antonii. 21. a, b. 22. a
—— *Dea nova* in nummis dicta. 21. b. 22. b. 503. b
—— Regina Regum &c. 22. a
Cleopatræ & Antonii juncta in nummis capita. 30. a
Clio Mufa, ejusque ornatus in nummis. 349. a
Cloacina Venus. 289. b
L. Clodii Macri, proprætoris Africæ, caput in nummis ejusdem nummi & res geftæ. 471. b. 472. a. b
—— nummulus ejus adulterinus. 471. b
P. Clodius M. F. propr. ejusque nummus. 539. b. 540. a
—— fuit idem IIIIvir monetalis fub IIIviris, & creditur fuiffe Clodius Bithynicus, a Cæfare interfectus. 92. b. a
Clæliæ virginis caput an in denario gentis Horatiæ. 196. b.
T. Cloulius, feu Clælius, quæftor urbanus, ejusque nummi. 99. a. b
C. Clouvius, five Cluvius, Puteolanus, prædives, præfectus urbi cum VII. aliis conftituitur a Cæfare in Hifpaniam proficifcente, ejus nummus &c. 97. b. 98. a. b. 654. a
C. Cluvius eques Romanus. 98. b
Clymene, Phaëthontis mater in nummo gentis Accolejæ. 2. b
Clypeus cum Augufti imagine. 280. a
Clypeus cur poft Pavoris dei caput. 199. b
Clypeus & fcutum, arma peditum & equitum in nummis. 231. b
Clypeus Clementiæ in nummo Æmilii Lepidi. 644. b
Clypeus, Macedoniæ fymbolum in nummis. 3. b. 47. a. 49. a
Clypeus votivus in denario C. Cæfaris Octaviani. 218. a
Cocceji Nervæ plures, & viri infignes. 200. a
L. Coccejus Nerva M. Fr. 200. b
M. Coccejus Nerva proquæftore M. Antonii IIIviri, ejusque denarius. 200 a
M. Coccejus Nerva IIIIvir monetalis fub IIIviris R. P. C. 540. a
M. Coccejus M. F. Nerva IIIvir monetalis Cæfaris Augufti. 540. a. b
Cocles Horatiæ gentis cognomen. 195. b. 196. a
Cælia gens & Cælia diverfæ. 103. b
Cælius mons Romæ unde dictus. 103. b. 104. b
C. Cælius Balbus fub Claudio proconfule in Bithyniam miffus, ejusque nummus. 106. a
P. Cælius Caldus, ejusque denarius. 106. a. 652. a
C. Cælius Caldus C. F. L. N. conful, imp augur &c. ejus nummi & res geftæ. 101. a b. 102. a. b. 103. a
C. Cælius Caldus L. F. C. N. IIIvir monetalis. 103. a
—— quo tempore vixerit, ejusque honores. 103 a. b
C. Cælius Caldus L. F. L. N. quæftor, ejusque denarii. 105. b
L. Cælius Caldus L. F. avus C. Cælii Caldi confulis ejusque denarii. 106. a
L. Cælius Caldus C. F. VIIvir Epulonum, in denariis gentis Cæliæ. 101. a. 102. a. b
M. Cælius Rufus ejusque mors. 61. a
C. Cælius Taxillus in nummo Uticenfi. 56. a
Cognomina Familiarum fub Cæfaribus & in plerisque Infcriptionibus non ad familias veteres fub Rep. referenda funt, in quo plurimi peccant. 370. a.
Cohortes Prætorianæ. 28. a
—— Speculatorum. 28. a. b
Coilius, antique fcriptum pro Cælius. 105. a. b
Coloniæ Romanæ in Afia fub Augufto a vi hoftili defenfæ, in denario gentis Petroniæ. 320. a
Columna Mænia, ejusque, in domo Mæniana venditæ, fingularis hiftoria. 264. b
—— ad illam malefici puniebantur. 264. b
Columna cum victoriæ ftatua Anci Marcii. 264. b. 266. a. b. 268 b
Columna, victoriæ teftis, Neptuno pofita a Sexto Pompejo. 337. b
Columnarii, quinam dicti. 264. b
Colus cur Cereri addatur. 275. b
Cominius Proclus fub Tiberio, proconfule in Cyprum miffus, ejusque nummus. 106. b
L. Cominius curator Aquæductus. 107. a
Commagenes res ab Augufto ordinatæ, in nummo Scorpionis fymbolo exprimuntur. 34. b
Comitia a Julio Cæfare inter fe & populum divifa, ejusque rei memoria in denariis. 289. b 290. a
Comitium cum feptis, gradibus &c. in denario gentis Muffidiæ 289. b. 290 a
Concordia, cognomen Imp. Vitellii. 19. b
Concordiæ typus in denario gentis Claudiæ. 93. a
Concordiæ Victricis typus in denario gentis Vibiæ. 451. a
Congios olei nonnunquam diftribuebant. 231. a
Congius feu modius ædilitatis fymbolum. 394. a
Congius & modius quid differant. 231. a
Q. Confidius quæftor de parricidio. 107. a
—— libera ejus, jam fenis, oratio. 108. b
C. Confidius Nonianus, unus ex duobus quæftoribus in Sicilia fuiffe videtur. 179. a
C. Confidius Nonianus Erucinus ejusque denarius. 109. a. b
M. Confidius Nonianus, cui provinciam Galliam abftulit Cæfar, alius a C. Confidio Noniano. 109. a
C. Confidius Pætus, qui aliis Longus dicitur, dux partium in Africa, ejus res geftæ, mors & nummi. 107. a. b. 108. a. b
C. Confidius Pætus C. F. vita a Cæfare donatus. 108. b
T. Confidius IIvir Cluniæ. 111. a. b
Cof. fuffecti quando primum creati. 399. a
Confulis proceffus inter duos lictores in denariis gentis Juniæ. 221. a. b. 223. b
Conftantinopoleos, fub Conftantino M. nummi. 475. a. b. 476. a
Conftantinus Magnus, cur fiverit gentilia numina in nummis fuis exprimi. 475. a
—— virtus ejus & victoriæ in nummis. 475. b
—— providentia in condenda urbe nova. 476. a
Coponia gens Tibure oriunda, ejusque ibidem memoria. 111. b. 112. a. 395. b
Coponii an Cauponii quoque dicti. 112. a
C. Coponius prætor, ejus denarius & res geftæ. 111. b
Cn. Coponius Epagathus in Infcript. antiqua. 395. b
C. Coponius Primus IIIvir monetalis Cæf. Aug. 395. b
—— ad majores poftea honores pervenit. 395. b
T. Coponius Tiburtinus, vir eloquens. 111. b
Corcyræ monogramma in denariis gentis Proculejæ. 361. a. b
M'. Cordius Rufus, IIIvir monetalis fub Julio Cæfare. 112. a. b. 654. a
Cordum dicebatur, quod ferius proveniebat, ut fænum cordum pro autumnali. 112. a
Cordus, multarum familiarum cognomen. 370. a
Corinthi urbis nummus. 409. b
Corinthum in nummo. 409. b
Corinthus cur a Rom. deleta. 598. b
—— per Mummium Achaicum everfa. 546. b
—— a Julio Cæfare inftaurata, ejusque rei teftes nummi & denarii. 145. a. b. 146. a. 213. b. 597. a. b. 625. b
—— colonia J. Cæfaris & Augufti. 414. b
—— quo anno colonis aucta & inftaurata fuerit a Cæfare Augufto. 317. b. 318. a
—— Laus Julia dicta. 213. b
Corneliæ gentis Lentulorum ftemma. 655. a. b
L. Cornelius Balbus L. Fil. pro prætore in Hifpania, ejusque denarius, honores, & laudes. 137. a
L. Cornelius Balbus L. F. L. N. ejusque honores. 137. a
L. Cornelius Balbus procos. Garamantas fubegit & ex Africa triumphavit, ejusque nummus. 547. a. b
L. Cornelius Balbus IIvir coloniæ deducendæ. 548. a
C. Cornelius Blafio Cn. F. L. N. 114. a
Cn. Cornelius Cn. F. L. N. Blafio, ejusque de Saffinatibus victoria 113. a
Cn. Cornelius Blafio Cn. F. C. N. L. PRON. ejusque denarii. 113. a. b
P. Cornelius Blafio L. F. L. N. ejusque nummus. 114. a
Cornelius Caldus IIvir municip. Auguftæ Bilbilis. 138. a
P. Cornelius Celfus IIvir colon. deducendæ fub Aug. 550. a
C. Cornelius Cethegus ejusque quinarius. 543. a
C. Cornelius Cethegus L. F. & as ab illo cufus. 543. b
M. Cornelius Cethegus prætor ejusque nummus. 541. b
M. Cornelius C. F. C. N. Cethegus cos. ejusque nummus. 544. b
P. Cornelius Cethegus, ejusque denarius. 134. b
P. Cornelius L. F. P. N. Cethegus ejusque victoria de Liguribus & nummus. 544. a
Sex. Cornelius Cethegus IIvir coloniæ V. I. Celfæ. 138. b
Cn. Cornelius Cinna Magnus L. Cinnæ & Cn. Pompeji Magni filius, unde prænomen Cnei & cognomen Magni acceperit. 549. a
—— IIIvir monetalis Cæfaris Augufti. 549. a
—— confpirat in Auguftum, qui vitam illi concedit eumque confulem creat. 549. a
L. Cornelius Cinna, quater conful, ejus nummus, res geftæ & mors. 545. b. 546. a
L. Cornelius Cinna, quum Lepidi adhæfiffet partibus, ad Sertorium in Hifpaniam profugit. 549. a
A. Cornelius Coffus ejusque opima fpolia de rege Vejentum Tolumnio in denariis gentis Corneliæ. 135. b
Cn. Cornelius Dolabella Cilicas piratas vicit, ejusque nummus. 332 a
Cn. Cornelius L. F. L. N. Dolabella procos. ejusque nummus. 546. a. b
L. Cornelius Dolabella procos. de Lufitanis triumphavit, ejusque denarius. 545. b. 546. b
P. Cornelius Dolabella, videtur IIIvir monetalis fuiffe fub Julio Cæfare, ejusque Cæfaris faciem in nummis fignaffe. 622. a
—— an ipfius Dolabellæ facies in nummo exftet. 547. a. 622. a
P. Cornelius P. F. Dolabella IIIvir monetalis fenatus fub Aug. 549. b

P. Cornelius Dolabella proconſul Africæ ſub Tiberio, ejusque nummi. 139. b. 140. a. b. 141. a. b
C. Cornelius Florus IIvir municipii Ergavicæ. 140. b
L. Cornelius Fronto II.vir col. Jul. Victr. Celſæ. 343. a
L. Cornelius Hiſpalus, Cn. F. Cn. N. a ſenatu punitus. 138. a
Coſſus Cornelius Coſſi F. Cn. N. Getulici minoris frater, Lentulus cos. cum M. Aſinio Agrippa. 136. b
Coſſus Cornelius Cn. F. L. N. Lentulus, ejusque denarii. 135. b. 136. a. 632. a
Coſſus Cornelius Cn. F. L. N. Lentulus Getulicus, male in Taciti libris Cneus dicitur, ejus mors & elogium. 136. b
Coſſus Cornelius Coſſi F. Coſſi N. Cn. Pron. Lentulus conſul cum Nerone IV. 136. a. b
Cn. Cornelius Lentulus, vir conſularis, actione plurimum excelluit. 116. b
Cn. Cornelius Lentulus proconſule ex Hiſpania triumphavit, ejusque denarius & quinarius. 114. b
——— ejus nummus aureus. 134. a
Cn. Cornelius Lentulus quæſtor militaris ſub Ti. Sempronio Graccho, ejusque aſſes. 114. b
Cn. Cornelius Lentulus antiquior, ut videtur, ejusque nummi. 114. b
Cn Cornelius Lentulus Clodianus, quæſtor, ejusque denarius. 115. a. b
——— curator idem denariorum flandorum in alio denario dicitur. 115. b
Cn. Cornelius Lentulus Clodianus, a Cneo Lentulo cos. adoptatus. 546. b
——— filius patri cognominis, ejusque nummus. 546. b.
Cn. Cornelius Lentulus Coſſus, victoria ejus, tropæum de Getulis, unde Getulicus cognominatus eſt. 548. a. b
Cn. Cornelius Cn. F. Lentulus Getulicus, ejusque nummus. 548. b
——— quæſita illi adfinitas Sejani inpune manſit ſub Tiberio. 548. b
——— Caligulæ ſuſpectus, a tyranno occiditur. 548. b
Cn. Cornelius Coſſi F. Cn. N. Coſſi Fr. Lentulus Getulicus, Germaniæ conſularis præfuit, ejus mors & elogium. 136 b
Cn. Cornelius Lentulus P. F. Marcellinus, ejusque denarii. 120. b. 121. a
L. Cornelius Lentulus L. F. flamen Martialis, ejusque denarius. 118. a. 654. b
L. Cornelius Lentulus P. F. Cos. cum M. Marcello ejusque denarii, res geſtæ, & interitus. 118. b. 119. a. b
L. Cornelius Lentulus cos. de Liguribus triumphavit. Ejus nummus. 540. b
L. Cornelius L. F. L. N. Lentulus ovationem ex Hiſpania citeriore meruit. 541. a
——— ejus nummus Goltzianus, quaſi in quadrigis triumphaſſet. 543. a
P. Cornelius L. F. Lentulus Caudinus, duo ejus nominis extiterunt. 541. a
Ser. Cornelius Cn. F. Lentulus Maluginenſis, flamen Dialis ejusque nummus. 549. b
P. Cornelius P. F. Lentulus Marcellinus ædil. curul. ejusque nummus. 549. b. 550. a
P. Cornelius P. F. Cn. N. Lentulus Marcellinus IIIvir monet. Cæſaris Aug. poſtea vir conſularis. 547. b
P. Cornelius Lentulus Cn. F. Scipio IIIvir ſenatus ſub Aug. 549. a
——— inter coſſ. ſuffectos cum Quintio Criſpino. 549. b
P. Cornelius Lentulus P. F. L. N. Spinther, ſacerdotio a Cæſare & poſt vita donatus, Caſſianis partibus ſe adjungit, ejusque nummi. 115. b. 116. a. b. 117. a. b
P. Cornelius Lentulus Spinther quidam, temporibus Marianis periit. 116. a. b
P. Cornelius P. F. P. N. Lentulus Sura, unde illud agnomen traxerit. 116. b
P. Cornelius Lentulus Spinther, pater, ejus nummus ciſtophorus, cum imperatoris titulo, Apameæ cuſus. 137. b
P. Cornelius Lentulus Spinther P. F. triumvir monetalis Cæſaris Auguſti. 137. b. 652. b
P. Cornelius Lentulus Sura, filius P. Suræ ſub Cicerone ſtrangulati, ejusque nummus. 546. b. 547. a
Cornelius Lupus, proconſule Cretæ, Cordo ſucceſſit, ejus nummi & interitus 139. b. 140. a
L. Cornelius L. F. Merula ejusque nummus. 543. b. 540. a
C. Cornelius Refectus IIvir municipii Auguſtæ Bilbilis. 142. b
L. Cornelius Scipio Aſiagenes, ejusque denarii. 130. b. 131. a. b
Cn. Cornelius Scipio Aſina procos. de Pœnis triumphavit; ejus nummus. 540. b
Cn. Cornelius Scipio Calvus conſul, ejusque denarius. 541. b.
Cn. Cornelius L. P. Scipio Hiſpalus cos. ejusque nummus. 544. b
Cn. Cornelius Scipio Hiſpalus, unde illud agnomen traxerit. 138. a
Cn. Cornelius Cn. F. Scipio Hiſpalus, ſub Scipione Africano militavit. 138. a
P. Cornelius P. F. Scipio procos. pacem concedit Carthaginenſibus, ejusque nummus. 542. a. b
P. Cornelius Scipio L. F. Africani pater, ejusque nummus. 541. b
P. Cornelius P. F. L. N. Scipio procos. Ejus nummus & de Pœnis, Annibale & Syphace triumphus. 543. a
P. Cornelius P. F. Scipio Æmilianus Africanus Carthaginem diruit, ejusque nummus cum tropæo. 544. b. 545. a
P. Cornelius Scipio Aſina ejusque nummus. 541. b
P. Cornelius Scipio Cn. F. Naſica ejusque nummus. 544. a
P. Cornelius P. F. Scipio IIIvir monet. ſenatus ſub Aug. 548. a
Cn. Cornelius L. F. Siſenna, ejusque denarii. 131. b. 132. a
L. Cornelius Sulla dictator poſtea, ejus denarii, felicitas, victoriæ, tropæa. 122. a. b. 123. a. b. 124. a. b. 125. a. b, 126. a. b. 127. a. b. 128. a. b 129. b
——— velut libertatis reſtitutor, bigis inſiſtens, exhibetur in denariis gentis Egnatiæ 160. b
——— ejus adventus ex Aſia & Græcia in Italiam in nummo Goltziano quæſtorum Metelli & Rupilii 522. a
——— ejusdem Sullæ triumphus a P. Galba in denario expreſſus. 624. a
L. Cornelius L. F. P. N. Sulla triumvir monetalis ſenat. ſub Aug. 548. b. 549. a. 550. a
P. Cornelius Sulla Fauſtus, dictatoris filius, ejus denarii & interitus. 121. b. 122. a. —— 129. a. b
P. Cornelius Sulla, ſive Sula, Siciliæ prætor. 130. a
L. Cornelius Terracina IIvir coloniæ J. V. Celſæ. 138. a
Cornua hircina galeæ Philippi regis Macedoniæ adfixa. 263. a
Q. Cornuficius, augur, imperator, res ejus in Africa geſtæ, interitus & denarii. 142. b. 143. a. b
Cornutæ Macedonum galeæ. 387. a, 406. a
Corona ex apio in Corinthiorum nummis. 97. a
——— quernea & rami laurei in honorem Auguſti. 7. a. b
——— roſtrata & muralis Agrippæ caput in nummis ambit. 451. b
——— ſpicea cur in D. Bruti denariis. 356. b. 357. a
Coſa, urbs Italiæ, ejus antiquitas, ſitus, opes, & nummi aurei. 223. b. 224. a. b
Coſconiæ gentis viri clari. 144. a
L. Coſconius M. F. IIIvir monetalis in cenſura Cn. Domitii & Licinii Craſſi. 144. a
Coſſus, prænomen Corneliorum Lentulorum. 135. a. 136. a. b
C. Coſſutius pecuniam ſignaſſe videtur in Caſſii uſum. 145. a
C. Coſſutius Maridianus IIIIvir monetalis ſub Cæſare. 144. b. 550. b
L. Coſſutius C. F. Sabula, ſub Julio Cæſare Corinthum inſtauravit, ejusque rei teſtes ſunt denarii ejusdem. 144. b. 145. a
Cotugnatus, Allobrogum rex, vinctus ad tropæum in nummo C. Pontinii 610. b
Cotienſium nummus in Agrippinæ honorem. 470. b
Covinni Gallorum currus fuerunt cum axibus falcatis. 572. b
Craſus pro Craſſus. 243. b
Craſſipes Furiorum cognomen. 189. a. b
L. Crepereius M. F. Rocus, inſtaurator Corinthi ſub Julio Cæſare, ejusque denarii. 146. a
M. Creperius, gravis judex Ciceroni dictus. 146. a
P. Crepuſius IIIvir monetalis. 146. a. b. 147. a
Creta & Cyrenæ iisdem proconſulibus & quæſtoribus paruerunt. 139. b
L. Critonius, ædilis plebis, ejusque denarius. 147. a. b
Crocodilus, Ægypti ſymbolum, in nummo Canidii Craſſi. 242. a
Crus, Cruſcellio, & Cruſcellus, Lentulorum quorundam conomen. 119. a
Cumæ colonia a Cæſ. Aug. frequentata. 316. b
Cupido delphino inſidens in denario gentis Cordiæ 112. b
——— ——— in denariis Lucretii Trionis. 252. b. 253. a
Cupido in Sullæ gratiam in pluribus denariis ſignatus. 183. a
——— ludibundus in ſeſtertio gentis Cordiæ. 112. b
Cupidinis ſignum in Cornelii Sullæ & gentis Egnatiæ nummis. 159. b. 160. a. b. 161. a
Cupidinum bigæ, aurigante Venere. 204. a
C. Cupiennius Libo. 148. a
L Cupiennius. 148. a
Curatores denariorum flandorum in nummis. 115. b
C. Curiatius P. F. Sex. N. Trigeminus. 148. b
C. Curiatius C. F. Trigeminus, ejusque denarii. 149. a
Curio nimius geſticulator inter orandum, falſumque Cn. Sicinii in illum dicterium. 394. a.
C. Curius Filius Trigeminus, ejusque denarius. 149. a. b. 150. a
Currum (in) ſecum recipere veteres ſolebant, quos volebant honore adficere. 178. a. 192. a
Currus triumphalis cum flore in gentis Aquilliæ & Durmiæ denariis. 158. a
C. Curtius Poſtumus Q. F. a Cicerone commendatur. 151. a
Q. Curtius, triumvir monetalis, ejusque nummi. 151. a
Cyanus flos in L. Aquillii Flori nummo. 33. b
Cybele in leonum bigis. 86. b. 591. b
Cybele ſedens more ſolito in nummo Scipionis Hiſpali. 544. b
Cytheron & Capito IIviri Corinthi. 184. b
Cydonia, Cretæ urbs. 140. a
Cyrenæ & Creta iisdem proconſulibus & quæſtoribus paruerunt. 139. b

D.

D pro T. in nummo Latinorum. 469. b
D. Δ. Δ. i. e. decreto decurionum. 11. a
D D. literæ in coloniarum nummis sæpe per impressionem signantur. 382. b
D. D. P. P literæ quid significent. 250. a. 448. b. 449. a
D. L. Damno Libero. 104. a. b
D. P. Dii Penates. 558. a.
D. P. P. Dii Penates Patrii in nummis. 407. b
D. S. S. literæ an Deo Semoni sancto significent. 83. a. b. 244. b. 245. a
D S. S. Dedit suis sumtibus. 460. a
Decem (sic X.) nota denariorum solita, quamvis non jam decem, sed sexdecim asses valerent. 202. a
L. Decidius Saxa explorator Cæsaris in bello Civili. 374. a
L. Decidius Saxa legatus in Syriam missus. 374. a
Decimus Junius Brutus Pansæ, vivo adhuc sed deplorato, collega & successor datur. 446. a
Decuriones quinam fuerint in municipiis & coloniis. 11. a
Dei Magni de Penatibus. 181. b
Deidius antique scribitur pro Didius. 151. a
T. Deidius T. F. S. N. imperator. Ejus de Celtiberis & Thracibus Scordiscis victoriæ & denarii. 151. b. 152. a. b. 153. a
Dejotari regis caput an in nummo Romani præsidis. 250. a
Dellius, Antonii primum partes, dein Octaviani secutus. 45. a. b
Delphinus Cartejæ symbolum. 470. b
Denarii ex argento publico quando signari incepti. 383. a
—— post Cannensem cladem, ob argenti penuriam, adulterari cœpti. 412. b
—— pretium bello Punico II. ad sedecim asses auctum, ejusque exemplum. 202. a
—— mansit pretium novum, nomen vetus. 202. a
—— quales pro X. notam XVI. habeant 38. b. 39. a. 419. a
—— valoris eorundem permutatio 39. a
—— quando cusi. 429. a
—— quinam primi ex argento Romæ signati sint. 171. b
—— quo typus eorum simplicior est, eo vetustiores, quo operosior, recentiores. 406. a
—— quot e libra argenti signarentur. 265. b
Denarius quidam duplo major & ponderosior vulgaribus. 465. a
Desultores in equis in gentis Liciniæ, Marciæ, &c. nummo. 62. a. b. 63. a. b. 64. a 239. b. 267. a. 384 b. 460. a
—— lampada nonnunquam ferentes. 62. a
Dextræ junctæ concordiæ typus. 205. b
—— fidem significant 458. a
Diana in citis bigis, 398. a
—— Polymastos, in denario Romano, cuso in Sicilia 120. b. 121. a
—— Venatrix in nummis. 42. b
Dianæ adsimilatur Julia Augusti filia in denario Marii Trogi. 272. b
Dianæ figura, peculiari ritu, in denario gentis Hostiliæ. 203. a
—— Luciferæ typus in nummis 92. b. 93. a
—— Venatricis & Luciferæ imago in nummo Nicomediensium. 313. a
T. Didius T. F. ejus de Thracibus Scordiscis victoria & nummus. 550. b
—— perit in bello sociali. 183. b
—— eques in denario gentis Fontejæ expressus. 184. a
Diophantus, nomen magistratus Coorum. 11. a
Dioscuri alia ratione Penates Patrii dicebantur. 60. a. 404. b
—— barbati in nummo A. Atilii Calatini 516. a
—— cur passim in nummis exhibeantur aversi & in diversa discedentes 387. b. 567. b
—— ludorum Apollinarium typus in denario L. Memmii 278. a
—— palmas tenentes in denario inedito. 412. b
—— cur sæpe in denariis Rom. 196. a. b
Diota Chia in nummis Chiorum. 364. a
Ditis sive Plutonis caput, cur quæstores urbani in nummo signaverint. 90. a
Dometii olim dicti, qui postea Domitii. 156. b
Domitianus Cæsar Agrippæ nummum restituit. 451. a
Domitiæ nomen gratum in Oriente ob famam & virtutem patris Corbulonis. 59. b
Domitiæ gentis felicitas. 153. b
Domitii Ahenobarbi varii, eorumque res gestæ. 154. a
Cn. Domitii Ahenobarbi, gentis seu familiæ auctoris, caput in denario gentis Domitiæ. 155. a. 655. a
Cn. Domitius Cn. F. Ahenobarbus, ejusque nummi. 551. b
Cn. Domitius Cn. F. Cn. N. ejus denarius & de Arvernis & rege Bituito triumphus. 155. b
Cn. Domitius Cn. F. Cn. N. Ahenobarbus ejusque censura cum Licinio Crasso, & denarii. 153. b. 154. b
Cn. Domitius Cn. F. L. N. Ahenobarbus, ejusque venationes in nummis. 154. a. b
Cn. Domitius L. F. L. N. Ahenobarbus, ejusque denarius. 156. b
Cn. Domitius L. F. Cn. N. Ahenobarbus Imp. ejusque nummi. 155. a
Cn. Domitius L. F. Cn. N. Ahenobarbus, Neronis imp. pater, ejusque nummus. 155. b
Cn. Domitius, tempore Marii pontifex maximus creatus, ex Ahenobarbis fuit, non ex Calvinis. 156. b
L. Domitius Cn. F. Cn. N. Ahenobarbus, ejusque nummus. 551. b
L. Domitius Ahenobarbus, Neronis imp. avus, IIIvir monetalis senatus sub Aug. 552. b
Cn. Domitius Imp. duumvir coloniæ Cesareæ Augustæ. 127. a
Cn. Domitius M. F. M. N. Calvinus, bis cos. nummi ejus, victoria de Cerritanis, Hispaniæ populis, & triumphus. 156. a. b. 552. a
Cn. Domitius Corbulo Vestiliæ F. P. Suillii Rufi frater uterinus. 402. a. b
M. Domitius & C. Lollius IIviri & IIviri iterum in nummis. 249. a. b
Dossenus IIvir Corinthi 95. b
Dossum & Dorsum dicebant veteres. 366. a
Drusilla, in nummo Smyrnæo, sub imagine Cereris. 5. b
Drusus quæstor provincialis sub Vibio Marso in Africa. 448. b
Drusus & Germanicus IIviri honorarii in coloniis. 470. b
—— —— vocantur in nummo ΝΕΟΙ ΘΕΟΙ ΦΙΛΑΔΕΛΦΟΙ. 37. a
Duilii vel Duellii postea Bellii dicti 45. a. b. 46. a
C. Duillius M. F. ejusque triumphus navalis de Pœnis. 551. a b
Duumviratum, honoris caussa, aliis sibi suffectis, interdum gerebant Cæsares. 11. a
Duumviri coloniæ deducendæ dicebantur, licet ipsi numero tres essent. 517. b. 520. a
Duumviri in coloniis Romanis. 6. b
Duumviri frumento quotannis distribuendo, quando Romæ creati. 66. b
—— in nummis. 67. a
Duumviri in coloniis, honoris caussa creabantur quoque Imperatores, Cæsares, eorumque filii, & reges socii. 235. b. 237. a. 452. a. 639. b
IIviri in Coloniis Romanis honoris caussa creabantur quoque proconsules &c. 414. b
IIviri honorarii fuerunt simul Germanicus & Drusus 470. b
Duumviri iterum raro in coloniis occurrunt. 71. a
Duumviri quinquennales & quinquennales iterum, in coloniis Romanis. 6. b
—— qui magistratu exissent, dicebantur quinquennalitii. 6. b
M. Durmius IIIvir monetalis Cæsaris Augusti. 158. a. b. 552. b.

E.

Egnatii varii in rep. Rom. 158. b
Egnatii Maximi nummus a C. P. fictus. 552. b. 553. a
C. Egnatius Cn. F. C. N. Maxsumus. 159. a
M. Egnatius IIvir Corinthi. 161. b
M. Egnatius Rufus conspirat in Augustum. 161. b
Egnatulejus Honoratus, a Severo imp. occisus 162. a
C. Egnatulejus C. F. ejusque quinarii. 162. a
L. Egnatulejus C. F. C. N. quæstor & dux quartæ legionis. 162. a.
Elephanti, symbolum victoriæ de Pœnis. 47. a
Elephanti duo duplicem denotant Africam. 209. b
Elephantorum bigæ quid in Augusti denario significent. 318. a
Elephas, Africæ symbolum. 50. a. 511. b
—— insigne legionis quintæ, sive Quinctanorum, & qua de caussa. 511. b
—— loricatus in nummo, ejusque in bello usus. 50. a. b
Elephas & draco in Cæsaris nummis Africæ subactæ symbola. 209. a. b
Eleutherna, Cretæ urbs. 139 b
Emerita Augusta in Lusitania Cæs. Aug. colonia, ejus conditæ typus in nummis 74. a.
Emporiæ varii nummi. 281. a. 468. b. 469. a
—— nomen complures urbes gesserunt. 468. b
—— Syracusas coloniam Romam designare videntur. 469. a
Enna Siciliæ, famosa raptu Proserpinæ. 87. b. 88. a
Epaphroditi agnomen quare Sulla adsumserit. 125. b
Ephesiorum nummus. 503. b
Eporediam in Gallia colonia a C. Mario. cos. VI. deducta. 269. b
Eppii aliquot ex inscriptionibus antiquis. 163. a
M. Eppius legatus Scipionis in Africa, ejusque denarii. 52. a 163. a. b
—— laudatur a Cicerone. 164. a
—— ei ignovit Cæsar. 52. a

Eprius Marcellus Lyciam provinciam rexit. 165. a. b
——— proconsule in Cyprum missus, ejusque nummus. 164. a. 165. a. b
Epulones & VIIviri Epulones in denariis gentis Cœliæ. 102. a. b
——— numerus eorum varie auctus. 102. b
Equus Africæ symbolum. 495. a
Erato Musæ ornatus in nummis. 347. a. b
Erycis in Sicilia urbis, ejusque templi Veneri dicati, munitiones validæ, & bellorum historia, 110. a. b. 111, a
——— rudera 111. a
Etrusci nummi. 459. b
Europæ raptus in denario gentis Valeriæ. 425. b
——— in nummo Volteji. 457. a. b
——— cur in nummo Syracusano. 468. a. 469. a
Euterpes Musæ ornatus in nummis. 347. b. 349. a
Euthycrates γραμματεὺς in nummo Ephesino. 29. a
Εὐθηνία in Claudii Imp. nummo. 470. b
EX A. P. i. e. ex auct. pub. vel arg. pub. 215. b
EX A. PU. significat ex auctoritate publica, non ex argento publico. 170. b. 172. b
Exspectate veni, in Carausii nummo. 339. a

F.

F. litera in antiquis Furiæ familiæ monumentis veluti r scribitur. 625. b
F. C. i. e. fieri curavit. 52. a. 163. a
F. P. R. Fortuna populi Romani. 35. b
L. Fabatus, libertus Cæsaris Augusti. 531. b
Fabii plures fuerunt flamines Quirinales, sic ut illud sacerdotium tantum non hæreditarium in illa gente fuisse videatur. 169. a
——— non tamen perpetuum. 655. a. b
Fabii Buteones. 171. a
Fabii Dorsones, postea Pictores dicti. 169. b
Q. Fabii Maximi complures in rep. Rom. 174. a
C. Fabius Adrianus dux Cinnanus proprætore Africæ, ejus exitus & denarii. 171. b. 172. a. b
K. Fabius Ambustus ejusque in denario memoria. 556. b. 557. a
N. Fabius M. F. Buteo ejusque nummi. 553. a
L. Fabius IIvir Calaguritanus. 175. a. b
L. Fabius L. F. Hispaniensis quæstor C. Annii, ejusque denarius. 173. b. 174. a
C. Fabius Dorso, abavus Fabii Pictoris, ejusque audax & sacrum facinus, obsessa Urbe a Gallis. 169. b
C. Fabius Dorso, avus Fabii Pictoris. 169. b
M. Fabius Dorso C. F. pater Fabii Pictoris. 169. b
Q. Fabius Labeo, classi Romanæ præfectus, Antiochi potentiam navalem fregit. 165. b. 166. a
——— ejus denarii. 165. b. 166. a
——— fit pontifex, sed non pontifex maximus. 166. b
M. Fabius C. F. Licinus, ejusque nummus. 553. b
Paul. Fabius C. F. Licinus, ejusque nummus. 556. b
Q. Fabius Q. F. Maximus Æmilianus, L. Paulli Æmilii F. a Q. Fabio Maximo adoptatur, ejusque nummus. 555. a
Q. Fabius Q. Æmiliani F. Maximus precos. ejus nummus & de Bituito & Gallis Arvernis victoria & triumphus. 555. a. b
Q. Fabius Q. F. Maximus Gurges, ejusque nummus 553. a
Q. Fabius Q. F. Maximus Servilianus, filius Servilii Cæpionis, a Q. Fabio Maximo adoptatur, pacem facit cum Viriatho, ejusque nummus. 555. a
Q. Fabius Maximus Verrucosus, ejusque legatio Carthaginensis in nummo. 174. a. b
——— ——— nummi ejus, victoria & triumphus de Liguribus, Tarentinis, & Pœnis. 553. b. 554. a. b
——— ——— amisso filio consulari adoptat filios L. Æmilii Paulli & Servilii Cæpionis. 555. a
Q. Fabii Maximi nummus a C. P. fictus. 556. b
Q. Fabius Maximus Q. F. Q. N. & as ab illo cusus. 555. b
Q. Fabius Maximus, ejusque denarii. 166. b. 167. a
Q. Fabius Q. F. Q. N. Maximus, legatus Julii Cæsaris in Hispania, triumphus, & denarius ejus rei testis. 556. a
——— moritur ultimo die consulatus, eique in paucas horas sufficitur Rebilus. 556. a
Q. Fabius Maximus, sub Augusto coloniam militarem, Panormum deduxisse videtur. 167. a. b
Q. Fabius Maximus Q. F. IIIvir monet. vel quæstor tempp. P. Vatinii. 555. b
Fabii Pictores varii, eorumque recensio. 167. b. 168. a. b
C. Fabius M. F. qui ædem Salutis gratuito pinxit, primus Pictor dictus. 167. b
——— ante Dorso dictus. 169. a
C. Fabius C. F. M. N. Pictor, vir consularis. 167. b. 169. b
N. Fabius C. F. C. Fr. M. N. Pictor, ejusque honores & continentia 167. b. 170. a
N. Fabius C. F. Pictor ejusque nummus. 553. a
N. Fabius N. F. C. N. Pictor, scriptor annalium Græcorum. 170 a
N. Fabius Pictor Quirinalis scil. flamen in denariis suis dictus. 167. b. 168. b. 170. a
Q. Fabius C. F. C. N. Pictor nobilis historicus 170. a
Q. Fabius Pictor Q. F. Q. N. flamen Quirinalis. 170. a
Servius Fabius Pictor Q. F. Q. N. 270. a. b
Fabricii pontis Romæ inscriptio. 175. b
L. Fabricius C. F. C. N. Luscinus, pontem Fabricium extruxit. 176. b
L. Fabricius Paternus ejusque nummus. 176. a
M. Fabricius, ejusque nummi. 176. b
Fadii complures in historia Romana. 176. b
Cn. Fadius IIvir col. Cæs. Aug. sub Augusto. 354. b
L. Fadius IIIIvir monetalis Julii Cæsaris, ut videtur. 177. a
L. Fadius quæstor temp. Sullæ videtur fuisse. 373. b
Falcati currus Gallorum & Britannorum in nummo Cæsaris. 572. b
Faleriæ nummus æreus. 468. a
Faleriæ urbis denarius. 459. b
Falx messoria Saturno plerumque additur. 466. b
C. Fannius, tribunus plebis L. Scipionem Asiagenem ad carcerem rapi permittit. 177. a. b
C. Fannius C. F. Strabo consularis. 177. b
C. Fannius M. F. vir eloquens. 177. b
C. Fannius IIIvir monetalis cum Rutilio & Marcio. 268. b
C. Fannius M. F. tribunus plebis. 177. a
M. Fannius, tribunus plebis. 177. a
M. Fannius ædilis plebis cum L. Critonio, ejusque denarius. 177. a b
M. Fannius C. F. C. Fannii Strabonis frater. 177. a. b
M. Fannius C. F. C. N. prætor tempore Ciceronis 177. b
L. Farsulejus Mensor, IIIvir monetalis, vel quæstor urbanus, tempore Sullæ. 178. a
——— videtur triumvir monetalis fuisse cum Caleno & Cordo. 185. b
——— ——— vel quæstor urbanus cum Gellio. 192. a
L. Farsulejus Rufus ex colonia Julia Sutrina Romam venit. 178. a
Fasces, symbolum summæ potestatis in VIII. Urbi a Cæsare præfectis. 296. b
——— cur duo, cur sex, in nummis ad prætoriam dignitatem indicandam. 246. b
——— cur laureati nonnunquam dicti. 529. b
Fauni caput cur in nummis Junii Silani. 222. b
Fausti cognomen quot & quæ familiæ habuerint. 125. a
Faustuli sive Fostli cognomen quidam Pompeji habuerunt. 343. a
Faustulus pastor in denariis gentis Pompejæ. 343. a
Fœlix in denario pro Felix. 124. a. 125. a
Felicis cognomen a Sulla receptum. 125. a. b
Felicitatis deæ typus in denario Julii Cæsaris. 213. a
Felicitatis templum Romæ absolvit Lepidus. 213. a
Felicitatis typus in denario gentis Flaminiæ. 179. a
C. Fenius IIvir municipii Calaguris Juliæ sub Aug. 428. a.
Feronia dea, i. e. Juno, & Jupiter Anxur vel Axur apud Campanos culti 444 a
——— apud Sabinos eadem quæ Proserpina & Libera 317. b
Feroniæ, Sabinorum deæ, caput in denario gentis Petroniæ. 318. a. b
Ficus ruminalis in nummis æreis posterioris ævi. 475. b
——— cum pico ave in denario gentis Pompejæ. 343. a
Ficus Africanæ laudatissimæ, a Catone Majore Romæ in senatum adlatæ & ostensæ, & cur. 241. b. 242. a
Fidei caput unde in denario Æmilii Paulli & Terentii Varronis. 487. a
Fides dea stans in nummo Metelli Baleatici. 522. a. b
——— quare a conjuratis, seu percussoribus Cæsaris, signata fuerit. 239. b
Fidex exercituum. 458. a
Flaminis Martialis typus in denario. 117. a
C. Flaminius C. F. L. N. ejus nummi & de Gallis victoria & triumphus. 557. b. 558. a. b
L. Flaminius T. F. L. N. IIIIvir monet. sub J. Cæsare. 558. b.
L. Flaminius Cilo vel Chilo, quæstor urbanus & provincialis, ejusque denarii. 178. a. b. 179. a. b
L. Flaminius L. F. Chilo, IIIIvir primus monetalis sub Julio Cæsare, ejusque denarii. 178. a
C. Flavius T. F. Fimbria vir consularis ejusque nummus. 558. b
C. Flavius Hemic. legatus Bruti proprætore, ejusque denarius. 179 b. 180. a
Flavius, præfectus fabrorum Bruti, cadit in acie Philippensi. 180. a
Flavius, alius a præcedente, post victoriam Cæsaris Octaviani de Antonio, ab eodem interfectus. 180. b
L. Flavius C. F. Sævinus ejusque nummus. 558. b
Ti. Flavus, præfectus Germanorum IIvir col. Cæs. Aug. 234. b. 235. a
Floræ caput unde in denariis gentis Serviliæ. 391. b
Floralia sacra Servilius edidit, quum renovarentur, & stato tempore primum ederentur. 392. a
Fœderis faciendi ritus, adhibita porca, varie depingitur in denariis Romanis. 439. b. 440. a

Fœdus pop. Rom. cum Gabinis in denario gentis Antistiæ. 19. a
Fœdus Tulli Hostilii & Metii Fuffetii in denario gentis Sulpiciæ. 408. a. b
M'. Fonteji plures in Rep. Rom. 181. b
C. *Fontejus*, quæstor urbanus tempore belli Punici primi. 184. b
C. *Fontejus* M' F. quæstor tempore belli Jugurthini, ejusque denarii. 181. a
C. *Fontejus* Capito proprætore sub Antonio, ejusque nummus. 184. a
C. *Fontejus* Capito. C. F. consularis. 184. b
C. *Fontejus* C. F. C. N. Capito IIIvir Cæsaris Aug. monetalis. 559. a
L. *Fontejus* C. F. C. N. Capito consularis, Germaniæ præses, occiditur. 184. b
T. *Fontejus*, legatus in Hispania P. Cornelii Scipionis. 184. b
M' *Fontejus*, tribunus militum, ejusque bellica fortitudo in denario depicta. 184. a
M' *Fontejus* C. F. M' N. prætorius, Sullæ quæstor, ejusque denarii. 182. a. b
P. *Fontejus* P. F. P. N. Capito, IIIvir monetalis 183 b.
P. *Fontejus* Capito, prætor Sardiniam obtinet. 183. b
C. *Fontejus* Crassus, ejusque in Hispania facinus. 184. b
Fonto, Jani filius, a quo Fonteji genus suum repetebant. 180. b
Fortuna fortunata, in nummo plumbeo. 461. a
Fortuna P. R. sub Augusto a IIIviris monetalibus ejus Coponio & Sicinio celebrata. 395, a. b
Fortuna Prætoria in Inscript. antiq. 395. b
Fortunæ Antiatis in Q. Rustii nummo. 368. b. 369. a
——— earum tria nomina & figuræ in nummo: Fortis, Felix, Equestris. 369. a
——— inscriptiones antiquæ. 369. a
Fortunæ Reducis ara in denario Q. Rustii. 369. a
Fortunæ stantis cum attributis typus in denario gentis Semproniæ. 380. a
Fouvii & Fourii in nummis dicuntur nonnunquam qui passim Fulvii & Furii, 186. a. 189. a. b
Frugi agnomen, quis primus inter Pisones tulerit. 63. b
Fufii Caleni complures in Historia Romana. 184. a. 185; b
L. *Fufius* Calenus IIIvir monetalis, ejusque denarius. 185, b. 186. a
Q. *Fufius* Calenus, consularis, dux partium Antonii. 186. a
Q. *Fufius* Q. F. Q. N. Calenus ejusque nummus. 559. a
T. *Fufius* IIvir col. Novæ Carthaginis. 10. b
Fundanii complures in historia Romana. 188. a
C. *Fundanius*, quæstor Scipionis in bello Numantino, ejusque nummi. 188. a. b
Fulvia, Antonii uxor, mulier ambitiosissima, 462. b. 463. a
——— ejus forsan vultus in nummo. 462. b. 463. a.
C. *Fulvius* Rutulus IIvir Calaguritanus. 187. b
Cn. *Fulvius* Cn. F. Cn. N. Maximus Centumalus ejusque nummus. 559. b. 560. a
Cn. *Fulvius* Cn. F. Cn. N. Centumalus ejusque nummus. 561. a
Cn. *Fulvius* in nummo Hispaniensi. 187. b
Cn. *Fulvius* ejusque nummus. 564. a
Cn. *Fulvius* IIIvir monetalis, ejusque denarius. 186. a. b
L. *Fulvius* Sparsus IIvir Calaguritanus. 187. b
M. *Fulvius* Flaccus ejusque nummus. 563. b
M. *Fulvius* Flaccus ejusque quinarius. 560. b
M. *Fulvius* M. F. M. N. Nobilior ejus nummus & de Eleatibus, & Liguribus triumphi. 563. a
M. *Fulvius* M. F. Ser. N. Nobilior ejusque nummus. 563. a
M. *Fulvius* M. F. Ser. N. Nobilior, ejus nummus & nobilis de Ætolis victoria & tropæum. 561. a b
Fulvii Nobilioris studium erga Musas. 345. b
M. *Fulvius* Q. F. M. N. ejusque nummus. 559. a. b
M. *Fulvius* IIvir Leptitanus. 186. b
Q. *Fulvius* Flaccus ejusque nummus. 561. a
Q. *Fulvius* M. F. Q. N. Flaccus ejusque nummus. 561. a
Q. *Fulvius* Q. F. M. N. Flaccus propr. ejus nummi & ex Hispania citeriore triumphus. 561. b. 562. a. b
Q. *Fulvius* Q. F. M. N. ejusque propr. ex Hispania citeriore triumphus. 559. b
Q. *Fulvius* Flaccus IIvir Corinthi. 188. a
Ser. *Fulvius* Flaccus, ejus denarius & victoriæ. 563. a. b
Ser. *Fulvius* M. F. Pætinus Nobilior, nummus ejus & triumphus navalis de Pœnis. 560. a. b
Fundaniæ gentis quinarius, non adscripto nomine. 466. a
Furiorum familiæ monumenta Tusculi nuper detecta. 625. b. 626. a
Cn. *Furius* Cn. F. Cn. N. Brocchus, tribunus plebis. 190. a
L. *Furius* Cn. F. Brocchus, IIIvir monetalis. 190. a
M *Furius* P. F. Camillus IIIvir monetalis senatus sub Augusto. 565 a
——— postea ad consulatum pervenit, atque sub Tiberio Africam obtinuit. 565. a
M. *Furius* Crassipes Galliam & deinde Siciliam rexit. 189. a
P. *Furius* Crassipes, ædilis curulis; ejusque denarius. 189. a. b
Furius Crassipes, gener Ciceronis. 189. a
L. *Furius* Labeo IIvir Corinthi. 35. b. 190. b
Cn. *Furius* P. F. Philus. 189. b
L. *Furius* P. F. Philus, prætorius. 189. b
M. *Furius* L. F. P. N. Philus ejusque denarius. 189. b
P. *Furius* Philus ejusque de Gallis Liguribus victoria. 189. b
P. *Furius* Cn. F. Philus ejusque nummus. 565. a
P. *Furius* Sp. F. M. N. Philus, ejus nummus & de Gallis atque Liguribus triumphus. 564. a
L. *Furius* Purpureo ejus res gestæ & denarii nummique. 189. a
L. *Furius* Sp. F. Sp. N. Purpureo ejus nummus & triumphus de Gallis. 564. a. b. 565. a
C. *Furnius* Publii frater, legatus propr. sub M. Licinio Crasso 583. b
C. *Furnius* P. F. Africæ sub M. Antonio præfuit; tempp. Augusti inter suffectos coss. fuit, & orator clarus. 565. b. 583. b
C *Furnius* C. F. P. N. consularis & orator clarus, ante patrem obiit. 565. b. 583. b

G.

G. *T. A.* de Iside, ut genio tutelari Africæ. 52. a. b
A. Gabinius A. F. ejusque nummus. 565. b
——— non magna integritatis fama Syriam rexit. 566. a
——— Ptolemæum Auletem in regnum reduxit. 566. a
Gadibus cusi multi nummi Hispanici in Augusti familiæ honorem. 96. b
Gæsa Hispanica in Clovii nummo. 98. b
Galba imp. ut Genius P. R. depictus. 409. a
Galbæ magna in imperio exspectatio. 461. b
Galea cur sellæ curuli imponatur in nummo gentis Cestiæ. 86. b
Galea singularis cum cornubus hircinis &c. Philippi, regis Macedonum. 263. a
Galeæ palmatæ seu cristatæ in Romæ capite. 43. a
Galeæ Maced. cornutæ. 387. a
Gallia & Germania devicta in Cæsaris nummis. 207. a. b
Gallia Togata, Braccata & Comata. 408. b
Galliæ in denariis imp. Galbæ typus. 407. a. 408. b
Galliæ tres in denario Galbæ imp. 408. b
C. *Gallius* Lupercus quæstor provincialis. 191. a
C. *Gallius* C. F. Lupercus, IIIvir monetalis senatus sub Augusto. 190. b. 191. a
Q. & *M. Gallii* fratres, Q. FF. eorumque exitus. 191. a
Q. *Gallius* a Calidio ambitus accusatus, a Cicerone defensus. 191. a
Gameliæ Junonis cultus, & mensis inde Gamelion dictus Athenis. 159. b
Gallus gallinaceus Caleni urbis symbolum. 262. b
C. L. *Gaviones*, suffetes Carthagine sub Tiberio. 142. b
L. *Gavius* & Gavii aliquot. 142 b
A. *Gellius* IIvir sub Augusto coloniæ deducendæ. 567. a
Cn. *Gellius*, qui temporibus M. Catonis Censorii vixit. 191. b
Cn. *Gellius* historicus. 191. b. 192 a
Cn. *Gellius* cum Farsulejo quæstor urbanus tempore Sullæ, 192. a
L *Gellius* Poplicola, consularis & censorius. 192. a
L. *Gellius* L. F. Poplicola cos. ejusque nummus. 566. a. b
——— nummus ejusdem ut ædilis curulis. 566. b
L. *Gellius* quæstor provin. M. Antonii, homo inconstantis fidei, ejusque nummus. 192. a
——— a M. Antonio præfectus classi. 566. b
Gellius Rufus proconsule Bithyniam rexit. 192. b
——— ejus nummus. 192. a. b
Gemini & Trigemini, cognomina gesserunt, quorum patres ita a sorte nascendi dicti fuerant. 149 a
Geminus Serviliorum cognomen. 388. a
Genii P. R. effigies in nummo provinciam coronantis. 120. b
——— ut victoris orbis terrarum, pictura in denariis. 117 b
Genius P. R. quomodo in nummis expressus. 247. a
Genius coloniæ Corinthi vocatur Nero imperator. 188. a
Gentius, Illyriorum rex, ab Anicio cum familia in triumpho ductus. 498. b
Germania Industria. 470. a
Germania provincia proprætoria. 512. a
Germaniæ typus in nummo. 495. b
Germanicus & Drusus IIviri honorarii. 470. b
——— ——— in nummo vocantur ΝΕΟΙ ΘΕΟΙ ΦΙΛΑΔΕΛΦΟΙ. 37. a
Germanus col. Cæs. Aug. IIvir. 243. b. 244. a
Germanus Indut. IIII. quid significet in nummo antiquo. 470. a. b
A. *Gessius* Philopatris in nummo Smyrnæo; 192. b. 193. a
Gladius Hispanicus in Fulvii nummo. 559. b
Glaucon Ἀρχιερεὺς in nummo Ephesino. 29. a
Goltziani nummi, velut apocryphi, a Morellio ad calcem libri rejecti. 117. a

—— quidam tamen sunt notæ melioris. 117. a
Goltzianorum numismatum fides. 134. a
Goltzii fides in denario quodam Bruti aliisque stabilita. 218. a. 232. b. 301. a. 616. a. 618. a. 622. a. 632. a.
Gortyna Cretæ urbs. 139. b
Graccus pro Gracchus. 379. a
Græciæ libertas a Flaminio restituta, expressa in denario gentis Sulpiciæ. 406. a
Granii complures in rep. Rom. 193. a
C. *Granius* Brocchus IIvir municipii Calag. 193. a
L. *Granius* IIvir municipii Calag. 193. b
Gryphus, Apollinis symbolum. 579. a. b
—— monetæ & rei monetalis symbolum. 307. b
—— vini & Bacchi symbolum. 467. a

H.

H. P in denariis hastatos & principes, aquila legionarios significat. 426. b. 427. a
H. S. literæ quid in nummo M. Antonii & Cleopatræ significent. 305. b
H. S. nota sestertii in nummulis argenteis. 385. a. 466. a
Hasta, dignitatis & imperii symbolum. 458. b
Hasta & mensa quæstoris in denario gentis Caniniæ. 69. b
Hasta & mensa prætoris seu quæstoris in nummo gentis Pupiæ, &c. 362. b. 394. a
Hasta prætoris & sella curulis, in quinario Bruti. 231. a
Hasta quæstoris & jus hastæ. 231. a
Hastati & Principes literis H. & P. in nummo exprimuntur. 89. b
C. *Heius* Pollio, Mamertinus (ut videtur) dictus, IIvir Corinthi. 53. b. 54. a
C. *Heius* Pollio IIvir iterum Corinthi sub Aug. 291. a. b
M. *Helvius* P. F. Blasio, ejus nummus & victoria ex Hisp. citeriori. 567. a
Heracleæ urbis a Popillio expugnatio in nummo gentis Popillia. 610. b. 611. a
Henna municipium Rom. in Sicilia. 87. a
Hercules Gadibus cultus. 137. a
—— in Centaurorum bigis. 40. b
—— leonem suffocans in Poblicii denariis. 333. a
—— Musarum, in denario Q. Pomponii Musæ. 344. b. 345. a. b
—— puer elidens serpentem. 315. a
—— Stymphalidas aves quomodo abegerit. 425. a
—— tropæophorus in Antiæ gentis nummo. 17. b
Herculi Antonius in nummis comparatur. 442. a
Herculis cultus Tibure insignis. 112. a
—— Gaditani ritu in nummis depictus Agrippa. 142. b
—— imago quare in M. Messalinæ nummis. 632. b
—— Victoris ædes Romæ ab Octavio Herennio conditæ. 441. b. 442. a
C. *Herennius* trib. pl. inter Sertorianos a Pompejo occisus. 195. b
C. *Herennius* Sex. F. tr. pl. homo nequam. 193. b
M. *Herennius* consularis, ejusque denarii in Sicilia cusi. 193. b
M. *Herennius* M. F. consularis. 193. b
M. *Herennius* C. F. vir consularis, ejusque nummus. 567. b
Herennius Pollio, vir consularis tempore Plinii Junioris. 193. b
Sp. *Herminii* Sp. F. nummus a C. P. fictus. 567. b
Hiberus & Benignus præfecti in nummo in Hispania cuso. 452. b
Hierapolitarum nummi 401. b
A. *Hirtius* A. F. unus ex sex vel octo præfectis Urbi sub Lepido a Cæsare constitutis, ejus denarii. 194. b. 195. a
—— singularis ejus nummus aureus. 567. b. 568. a. b
Hispali & Hispani, ut Messalæ & Messanæ dicti. 138. a. b
—— agnomen videtur fuisse P. & Cn. Scipionum qui in Hispania perierunt. 138. a
Hispania recepta in nummo Cæsaris Augusti. 531. a
Hispaniæ caput in denario gentis Postumiæ. 359. b.
Hispaniæ caput & typus in denariis Galbæ imp. 406. b. 407. a. b
Hispaniæ coloniis & municipiis cur jus monetæ abstulerit Caligula. 138. b. 449. a
Hispanorum arma in nummis gentis Carisiæ. 73. b. 74. b
Homerus Smyrnæ in nummis symbolum. 193. a
Honoris & Virtutis ædes quando a Marcello exstructæ sint. 160. b. 277. b
—— —— ad Marianas a summo architecto C. Mutio factæ. 288. a
—— ex Cimbricis & Teutonicis manubiis a Mario exstructæ. 161. a. 288. a. b
Honoris & Virtutis imagines in denariis gentis Egnatiæ, 160. b
Horatii, poëtæ lyrici, caput in nummo contorniato. 198. b
Horatius Cocles, ejusque denarius a Trajano restitutus. 194. a. b. 195. a. b. 196. a. b. 197. a
L. *Hortensius* L. F. pater Hortensii oratoris, ejusque denarius. 568. b
Q. *Hortensius* cos. 547. a
Q. *Hortensius* L. F. cos. 547. a
—— eloquentiæ laude celeberrimus. 547. a
Q. *Hortensius* Q. F. C. Antonium occidit, & ipse jussu M. Antonii occiditur. 547. a
Q. *Hortensius* Q. Filius ejusque denarius. 568. b
P. *Horatii* M. F. nummus a C. P. fictus. 568. b
C. *Hosidius* C. F. Geta IIIvir Cæsaris Augusti. 198. b
Hostiliæ gentis decora. 199. a
A. *Hostilius* L. F. Mancinus cos. ejusque nummus. 569. a
C. *Hostilius* Mancinus A. F. ædilis curulis cum Sex. Atilio Serrano, eorumque nummus. 569. b
L. *Hostilius* Mancinus ejus nummus & profectio Carthaginem. 569. a. b
—— memorabili ratione ad consulatum pervenit postquam primus irrupisset Carthaginem. 569. a. b
L. *Hostilii* Sasernæ nummus fictus a. C. P. 569. b
L. *Hostilius* Saserna, Cæsaris partes secutus, Lepti præfuit, ejusque denarii. 199. a. b. 200. a. b
P. *Hostilius* Saserna L. Fr. dux Cæsaris in bello Africano. 199. b
L. *Hostilius* Tubulus ejusque quinarius. 199. b. 200. a
Hygeiæ simulacrum in nummo Drusi. 586. a
C. *Hypsæus* cos. Privernum cepit, ejusque facti monumentum in nummis. 295. b

I.

I. litera longior & densior ad latus navis antiquiorum assium solet esse symbolum. 48. a. 55. a
I. S. M. R. 415. b. 416. a
Jani bifrontis caput veteres Romani ad Bacchi quoque caput barbatum & Cn. Pompeji Magni inberbe adcommodarunt in nummis. 335. a. 418. a
Jani caput remis vel vallis ornatur nonnunquam in nummis. 225. b
Jani facies ad similitudinem Cn. Pompeji Magni figurata. 335. a. 418. a
Janus aliquando inberbis pingitur, & cur. 182. a
Idus Martiæ in denario M. Junii Bruti. 225. b
Iliensium nummus in honorem Julii Cæsaris. 576. b
Imperator cur dictus sit Q. Metellus Pius Scipio. 51. b. 52. a
Imperatoris titulus ex imitatione M. Antonii C. Cæsari in nummis datur. 505. b
Indorum ad Augustum legatio in nummis. 33. b. 34. a. 158. b
Induciomarus Trevir an in nummo antiquo legatur. 470. a
—— a Labineo occisus. 470. a
Indus orator Romam sub Augusto venit. 318. a. b
Indut. IIIvir monetalis, ut videtur, sub Julio Cæsare. 495. b
Inscriptionis pars nonnunquam in ipsis figuris ponitur, quum reliqua in ora nummi sit. 71. a
—— partes varie in nummis, respectu loci, positæ. 168. b 169. a
Inscriptiones partim in ambitu nummi, partim in alio loco ponebantur. 215. b. 216. a. 245. a. 332. b
—— in nummis utriusque partis sæpe in legendo conjungi debent. 32. a. 33. a. 123. b. 352. b. 391. b
—— —— quomodo nonnunquam nomina propria disjungant. 133. a
Jovis Agoræi ara. 411. a
—— Anxuris caput vel effigies in nummis Campanam gentis originem docet. 76. a
—— Capitolini templum. 315. b
—— a Tarquinio constructum deflagravit post quadringintos amplius annos, atque restituitur. 315. b
—— —— structura ejus magnifica. 316. a
—— Casii cultus apud Corcyrenses, ejusque caput in eorum nummis. 361. b
—— cultus Syracusis. 119. a. 121. a
—— Eleutherii imago in denario Romano. 119. a
—— Hellanii apud Syracusanos cultus. 90. b. 118. b
—— Olympii apud Syracusanos statua in denario Romano. 99. b
—— Statoris effigies in P. Ventidii denario. 435. b
—— templum cur in nummo novæ Romæ. 475. a
Intercalandi qualis ritus a J. Cæsare observatus. 368. b
Invicta Roma, felix Senatus, inscriptio nummi Contorniati. 475. a
Iris cærulea, flos, in L. Aquillii Flori nummo. 33. b. 34. a
Isidis figura in nummo Scipionis Metelli. 52. a. b
Q. *Ispalus* Q. F. quinquennalis coloniæ metropoleos Syracusarum. 468. a. 469. a
Isthmia, nummis Neronis, Corinthi cusis, inscripta. 214. b
Itii, postea forsan Iccii dicti. 200. a
L. *Itius* ejusque denarius. 200. a
Itali contra Romam conjurant, unde bellum Sociale, & denarii eo tempore cusi. 458. b. 459. a. 460. b
Italia jus togæ accipit in denario gentis Farsulejæ. 178. a
—— —— in denario gentis Gelliæ. 192. a

Italiæ, matronali habitu pictura in denario gentis Fusiæ. 185. ■
Juba, Jubæ F. Rex Mauritaniæ præstantissimus & eruditissimus, ejusque historia. 236. b
—— nummi ejus inediti. 236. b
—— IIvir cum Atellio pontifice inscribitur in quodam nummo. 236. b
Judea devicta in Antigono rege in M. Antonii & C. Sosii nummis. 396. b. 397. a. b
Judex cognomen gentis Vettiæ. 436. a
Jugurthæ traditio & captivitas in denario Fausti Sullæ. 125. a. b
Julia Augusti filia in denario Marii Trogi Dianæ adsimilata. 272. b
—— caput ejus filiorumque in denario Marii Trogi 272. b
—— Veneri ibidem adsimilatur. 273. a
Juliæ Augusti F. nummulus. 341. a. 342. a
Juliæ sive Liviæ caput in nummo gentis Minæiæ. 284. b
Julia Cæsarea, Iol quoque dicta, regia Jubæ Junioris. 235. b. 236. a
C. *Julius* Antonius IIvir coloniæ Norbanæ Cæsareæ. 320. b
C. *Julius* Aquinus IIvir municipii Turiasonis. 54. b
L. *Julius* Bursio, quæstor Siciliæ, vel Scipionis Africani, ejusque denarii. 215. b. 220. a
C. *Julius* C. F. Cæsar & insignis denarius Gallicas ejus victorias respiciens. 572. a. b
Julii Cæsaris caput cur sæpius sub IIIviris const. reip. in nummis expressum sit. 93. a
—— cur astro sæpius ornetur. 118. a
—— fortuna & felicitas in nummo celebrata. 127. a
—— statuæ ejus dedicatio in templo Martis Ultoris ab Augusto facta. 118. a. b
—— facies juvenilis an in denario gentis Juliæ, ut Begerus putat, signetur. 204. a
—— denarii in Gallia cusi. 204. a. b
—— Victoria illi dormienti in sinum labitur in denario L. Bucæ. 204. b
—— ejus, ut dictatoris &c. denarii & nummi. 205. a. b. 206. a. b. 207. a. b. & seq. 571. b. 572. b. 573. a. b. 574. a. b. 576. a. b. 577. a. b
—— denarii ejus victoriæ Hispaniensis testes. 206. b. 208. a
—— ejus caput aliquando nudum & sine corona laurea pingitur in denariis & nummis. 208. b. 209. a
—— plures colonias ex S. C. deduxit, cujus rei typus in denariis gentis Semproniæ. 213. b
—— Corinthum & Carthaginem instauravit, & coloniam Romanam fecit. 213. b. 214. a. 218. b. 219. a
—— sella curulis & corona illi posita, in nummis depingitur. 215. b
—— statua & templum in nummis. 217. a. b
—— nummus Contorniatus. 219. a
—— militiæ rudimenta posuit in contubernio Minucii Thermi. 286. b
—— annum correxit, ejusque symbola in nummis. 368. b. 372. b. 384. a. b
—— ædilitas curulis in denariis gentis Voltejæ celebrata. 455. a. b
—— sub Lepido præfectos Urbi VIII. constituit. 492. a
—— ejusdem facies primum signata in nummis fuisse videtur a IIIviris monet. Dolabella, Trebonio, & Sestio. 622. a
C. *Julio Cæsari* ex S. C. in quinquennium prorogatum imperium in Galliis fuit; nummi eo tempore cusi. 237. b. 238. a
Julium Sidus in nummis Augusti. 217. a. b
C. *Julii* Cæsaris Octaviani, consulis, nummus aureus, quando cusus. 216. a
C. *Jul.* Cæsar Octavianus Aventino, Herculis filio, comparatur in denario gentis Voltejæ. 455. b. 456. a. b
C. *Julius* Cæsar Divi F. ejusque ut IIIviri R. P. C. nummi. 577. a. b
L. *Julii* Cæsares complures in Rep. Rom. 202. b
L. *Julius* Cæsar, qui prænomen Lucii primus gessit, ejusque denarius 202. a
—— pro illo orationem habuit Cato. 202. a
L. *Julius* Cæsar consul cum C. Rutilio Lupo. 202. a
L. *Julius* L. F. Sex. N. Cæsar cos. belli Marsici tempore ejusque victoriæ. 571. a. b
—— nummus æreus ejus tempp. ab alio L. Julio Cæsare in summa fisci inopia cusus. 571. a. b
L. *Julius* L. F. L. N. Sp. Pronepos Cæsar, legatus Caji Julii Cæsaris in Gallis, ejusque laus, denarii, & historia. 202. b. 203. a. b. 204. a & seq.
L. *Julius* Cæsar, Lucii præcedentis filius, hostis Caji Cæsaris, ejusque interitus. 202. b. 203. a. b
L. *Julius* L. F. Sex. N. Cæsar IIIvir monetalis, pater forte ejus L. Cæsaris cujus patrem & avum ignorant Annalium conditores. 571. b
Sex. *Julius* Cæsar, ejusque nummus. 201. b
Sex. *Julius* Cæsar & denarius ejusdem insignis. 570. b. 571. a
Sex. *Julius* C. F. Sex. N. Cæsar ejusque nummus. 571. a
Julius Heraclides duumvir quinquennalis Corinthi sub Antonio & Augusto. 6. b
L. *Julius* Libo, & as ab eodem cusus. 570. a. b
Julius Montanus poëta tolerabilis sub Tiberio. 322. a
C. *Julius* Niceratus Corinthi IIvir. 409. b
Julius Nigerius vel Nigerinus, IIvir col. Buthroti sub Aug. 292. b
C. *Julius* Polyænus IIvir Corinthi quinquennalis temp. Neronis. 214. b. 215. a
Julius Seranus IVvir Cluniacensis. 343. b
M. *Julius* Settalus IIIvir col. imm. Illicis Aug. sub Tiberio. 394. a
C. *Julius* IIvir Buthroti in Epiro. 215. b
C. *Julius* IIvir Corinthi tempore Julii Cæsaris. 214. a
C. *Julius* C. F. IIIvir Corinthi sub Augusto. 214. a
C. *Julius* IIvir sub Augusto col. Cæsareæ Augustæ. 349 b
C. *Julius* IIIIvir quinquennalis. 36. a
Junctio, quid in Hispaniensis coloniæ nummo significet. 415. b
Junia C. Silani F. C. N. Torquata, virgo Vestalis maxima, ejus imago & inscriptio vetus. 233. b
Junianus Lupus præfectus cohortis Cæsareanæ IIvir col. Cæsareæ Aug. 349. b. 350. a
Junii Bruti, omnes reip. studiosi, eorumque laus. 221. a
Junii Bruti quidam facie repræsentarunt statuam antiqui L. Bruti. 229. a
D. *Junius* D. Callaici F. M. N. Brutus, vir consularis, ejusque denarius. 579. a
D. *Junius* M. F. Brutus Callaicus procos. ejusque ex Hispania triumphus & denarius. 578. b
—— vir & imperator summus, proavus D. Bruti, percussoris C. Julii Cæsaris. 579. a
D. *Junius* Brutus D. F. ab A. Postumio Albino adoptatus, & D. Brutus & Albinus Bruti filius dictus fuit; ejus historia & nummi. 231. a. b. 232. a
—— non M. filius sed D. F. & D. N. fuisse videtur. 356. b
L. *Junius* Brutus primus consul in denario aureo vocatur. 229. a
—— ejus caput in denariis. 220. b. 229. a
M. *Junius* Brutus consularis 221. b
M. *Junius* Brutus tribunus plebis. 221. b
M. *Junius* L. F. Brutus ejusque denarius. 578. b
M. *Junius* M. F. L. N. Brutus vir consularis, ejusque denarius. 578 b
M. *Junius* Brutus reliquique Bruti originem a L. Junio Bruto repetebant. 220. b. 221. a. 229. a
—— ejus res gestæ & denarii. 220. b. & seqq.
—— post adoptionem ab avunculo factam, dictus Q. Cæpio Brutus in quibusdam denariis. 229. b. 230. a. b
—— ludos Apollinares, quamvis absens, splendidissime edidit. 230. b. 231. b
—— —— ejus caput in denario gentis Juniæ. 225. b. 229. a. 232. a. b
C. *Junius* Bubulcus dictator ædem Salutis vovit, quam postea dedicavit, quamque pinxit Fabius Pictor. 223. a. b
L. *Junii* Bubulci nummus a C. P. fictus. 580. a
C. *Junius* C. F. Libo. 222. a
M. *Junius* Hispanus vel Hispalus IIvir Juliæ Celsæ. 138. a
Junius Marullus, vir consularis. 224. a
L. *Junius* Patietus IIvir quinquennalis. 4. b. 5. a
D. *Junius* Pera cos. ejus de Sassinatibus triumphus & nummi. 578. a
D. *Junius* D. F. Pera ædilis plebis, ejusque denarius. 578. a
M. *Junius* D. F. Pera, dictator creatus post cladem Cannensem, ejusque nummus. 578. a
Junii Silani, per Junios Bubulcos a Juniis Brutis originem traxerunt. 223. a
Junii Silani Torquati a Nerone occisi. 234. a
C. *Junius* C. F. C. N. Silanus vir consularis, ejusque denarius. 579. b. 580. a
C. *Junius* Silanus C. F. C. N. cui origo a Manliis Torquatis, alius a Cretico Silano. 233. b
—— sub Tiberio in insulam Cytheram exsulatum mittitur. 233. b
D. *Junius* Silanus L. F. Manlianus, quæstor provincialis. 222. a. b
—— Magonis libros de R. R. Latine, multa cum laude, vertit. 223. a
D. *Junii* L. F. Silani nummus a. C. P. fictus. 580. a. b
D. *Junius* Silanus a patre Manlio abdicatus, vitam suspendio finiit. 222. b
D. *Junius* Silanus L. F. M. N. ejusque denarii. 234. b
D. *Junius* M. F. L. Silanus, M. Bruti vitricus, vir consularis, ejusque denarius. 579. a. b
D. *Junius* D. F. Silanus IIIvir monetalis senatus sub Aug. 580. a
L. *Junius* Silanus, tribunus plebis. 222. a. b
M. *Junius* Silanus, princeps ejus familiæ in gente Junia, ejusque caput in denario M. Silani. 579. b
M. *Junius* L. F. Silanus ædilis curulis ejusque denarius. 579. a. b

M. Junius Silanus IIIvir vel quæſtor urbanus cum Q. Curtio. 225. b
M. Junius Silanus, D. F. M. N. augur quæſtor proconſule, Antonii partes ſecutus, ejus nummus & hiſtoria. 232. b. 233. a
M. Junius D. F. M. N. Silanus cos. tempp. Auguſti, ejusque denarius. 579. b
L. Junius Vetus IIvir col. Cæſ. Aug. 225. a
Junonis Lanuvinæ cultus. 360. b. 365. b. 366. a
—— ſignum in bigis. 210. a. 361. a
—— ejus flamines Romæ. 361. a
Juno Moneta in bigis depicta. 146. b. 258. b. 278. a. b. 467. b. 593. a
Juno Moneta in renorum bigis. 364. a
Juno Moneta vel Roma in bigis. 402. b
—— —— in bigis a Victoria coronatur. 201. b
Juno, cognomine Monetæ & Salutaris, in nummo gentis Cariſiæ. 72. a
Juno Soſpita dicta & magna regina. 415. b
—— originem Lanuvinam indicat. 416. b
Junonis Soſpitæ typus in nummis gentis Mettiæ. 280. a
—— effigies in Q. Cornuficii denariis. 143. b. 144. a
Jupiter in quadrigis triumphalibus. 562. b 582, a. 585. a.
—— in quadrigis dextra ramum tenens. 155. b
—— cum lauri ramo & fulmine in quadrigis 47. b. 433. a
Jupiter Ammon Κτίστης adpellatur in nummo Nicæenſi. 362. a. b
—— Anxur, Campanæ originis teſtis in denariis Vibii Panſæ. 444. a. b
—— Capitolinus in nummo Contorniato Julii Cæſaris. 219. a
—— Cuſtos in Neronis imp. nummis. 474. a
—— Gamelius, & Juno Zygia in Egnatiæ gentis denariis. 159. a. b
—— Liberator in nummis imp. Neronis. 474 b
—— Philalethes in nummo Æzanitarum Phrygiæ. 252. a
—— Terminalis cur in Scipionis Metelli ſignetur nummis. 52. b. 53. a
—— Ultor in quadrigis decurrentibus. 17. a
Jusjurandum militare per manum digito erecto exprimitur in denario gentis Liciniæ. 242. b
Juventia gens Tuſculo oriunda. 234. b
L. Juventius Lupercus, IIvir col. Cæſ. Aug. 234. b
M'. Juventius T. F. T. N, Thalna ejusque denarius. 580. b

K.

K. litera antiquitus per fig. literæ Q. ſcribebatur 119. a
Κτίστης Jovis Ammonis titulus in Nicæenſi nummo. 362. a. b

L.

L. D. Libero, Damno. 104. a. b
Labas, Pyrrhi F. Laodicenſium magiſtratus. 422. b
Labieni caput in nummo. 37. b
Labyrinthus in nummo Novæ Carthaginis. 10. b
C. Lælius C. F. C. N. P. Africani majoris amicus, ejusque nummus. 580. b
C. Lælius C. F. C. N. Sapiens, amicus Scipionis Æmiliani, ſive minoris, ejusque nummus. 580. b
D. Lælius Balbus IIvir coloniæ deducendæ ſub Aug. 580. b
D. Lælii Balbi nummus fictus. 499. a
C. Lætilius Apalus IIvir quinquennalis Carthaginis una cum regibus Juba juniore & filio ejus Ptolemæo. 236. a. b
Lætoria & Plætoria gens eadem. 323. b
M. Lætorius M. F. M. N. Plancianus ejusque nummus. 581. a
Lancea, Hiſpaniæ typus. 102. a. 103. b
Lanuvina virgo draconem paſcens in denariis gentis Roſciæ. 364. b. 365. a. b
Lanuvinæ virginis draconem paſcentis typus in quinario gentis Mettiæ. 280. b
Lanuvinus ſerpens in nummi Valgii Saturnini Rufi. 633. a
Lanuvium Junonis cultu ſingulari inſigne. 365. b. 366. a
Lanuvium & Lavinium differunt. 306. b
Laodicenorum ſub M. Cicerone nummus. 422. b
Lares in nummo L. Cæſii. 59. a
Lares compitales, domeſtici &c. 59. b. 60. a
—— cur canis illis adponatur. 60. b
Latinorum nummus æreus. 469. b
Lavinia ſacra. 308. b
Lavinium & Lanuvium differunt. 306. b
Laurei rami uſus in luſtrationibus. 360. a
Lecepades γεγραμματεὺς in nummo Epheſino. 29. a
Legati Romanorum indigne ab Illyriis excepti. 485. b
—— honor cæſis legatis propterea habitus. 485. b. 486. a
Legati proprætore in nummis antiquis. 333. b
Legatio nonnunquam per plures navium proras exprimitur. 447. a
Legio III. in nummis Clodii Macri. 472. a. b
Legiones C. Cæſaris in nummis. 30. a
Legiones M. Antonii in nummis. 28. b
Legis Thoriæ de pecore agros alienos depaſcente typus in denariis gentis Thoriæ. 416. a
Leibertas pro Libertas. 82. a. b. 115. b
Leo Africæ ſymbolum. 285. b
—— Lugduni ſymbolum. 30. a
Leonis caput, Africæ ſymbolum. 472. b
Leptis, colonia victrix Julia dicta. 186. b. 187. a
—— eadem colonia Tyriorum, & prima dicta, reſpectu alterius, ejusque coloniæ nummi. 186. b. 187. a
Leptis Prima Victrix Julia, colonia Cæſaris in Africa ejusque nummi. 119. b. 120. a. 354. a
Leptitani Mercurium ſignabant. 32. b
Lex Papia de Veſtalibus. 307. b
—— de peregrinis urbe pellendis. 307. b
Lex Popillia de Veſtalibus. 307. b
—— Porcia de provocatione, in denario gentis Porciæ, 351. b. 352. a
—— ſumtuaria Antii Reſtionis. 17. b. 18. a
—— tabellaria L. Caſſii in denariis gentis Caſſiæ. 77. a. b
—— —— gratiſſima plebi, ſed Ciceronis de ea judicium. 77. a. b
—— quarta Tabellaria a C. Cælio Caldo lata, ejusque in nummis monumentum. 104. a. b
Liberalia differunt a Bacchanalibus. 264. b. 265. a
Liberalia Romæ Julius Cæſar inſtituit, ejus rei teſtes nummi. 456. a. b
Liberi Patris expeditiones in denario Blaſionis. 113. b
Liberi ſacra primus Romam tranſtulit Julius Cæſar & primus edidit ædilis curulis C. Vibius Panſa. 442. b
Libertas in lentis quadrigis, in denario Dolabellæ. 545. b
Libertas L. *Clodii Macri* in ejusdem nummis. 471. b. 472. a. b
Libertas P. R. reſtituta, in denario Bruti. 234. a
Libertas Publica in quinariis Caſſii & Bruti. 461. a
Libertas reſtituta in Auguſti denariis. 466. b
Libertas reſtituta in denario IIIvirorum R. P. C. 463. a. b
Libertatem in quadrigis cur expreſſerit L. Caſſius Longinus. 79. a
Libertatis caput cur in Sullanis nummis pingatur. 522. a
—— typus in quadrigis in denario gentis Porciæ. 352. a
Libones tempp. M. Aurelii adhuc ſuperfuerunt. 471. b
Libonis cognomen quidam ex Juniis videntur geſſiſſe, niſi Libo ibidem in nummo ad alterum ex triumviris monetalibus potius ſpectet. 222. a
Licinianus col. Cæſ. Aug. IIvir 243. b. 244. a
A. Licinius IIvir iter. municip. Ergavicæ. 415. b
P. Licinius P. F. P. N. Calvus, primus Stolo dictus, cum collega L. Sextio Laterano per decem annos continuos tribunus plebis fuit. 240. a. b
L. Licinius L. F. P. N. Craſſus ejusque quinarius & denarius. 581. b
M. Licinius Craſſus filius natu minor ex tribus fratribus Craſſi Sapientis filiis. 240. b
M. Licinius P. F. M. N. Craſſus, ejus nummus & de ſervis, gladiatoribus &c. victoria. 582. b. 583. a. 583. b
—— myrtea corona in ovatione uti noluit, ſed lauream ſumſit. 582. b. 583. a
—— Ἀγέλαστος dictus. 584. a
M. Licinius M. F. P. N. Craſſus vir conſularis, ejusque nummus. 584. a
M. Licinius M. F. M. N. Craſſus IIIvir monetalis ſenat. ſub Aug. 584. b
M. Licinius Craſſus Mucianus, Syriæ præſes ſub Galba, ejusque nummus. 244. a
—— Veſpaſiano plurimum ad imperium profuit 244. b
P. Licinius P. F. P. N. Craſſus Mucianus vir conſularis, ab Ariſtonico victus, quomodo captivitatis dedecus effugerit. 244. a
P. Licinius Craſſus ICtus Sapiens dictus, una cum filio Publio in Cinnanis motibus periit. 240. a
P. Licinius M. F. P. N. Craſſus ejusque nummus elegans ſed ſuſpectus. 581. b
P. Licinius M. F. P. N. Craſſus, qui cum patre apud Perſas cecidit, quæſtor C. Cæſaris in Galliis, ejusque denarii. 238. b
P. Licinius Craſſus Junianus, ſive Juniani filius, legatus proprætore Scipionis Metelli in Africa. 240. a. b
M. Licinius M. F. M. N. Craſſus coſ. cum Cæſ. Octav. IV. ejusque nummus. 584 a
—— procos. de Thracibus & Getis triumphat. 584. a
C. Licinius P. F. Geta ejusque denarius 581. a. b
M. Licinius L. F. L. N. Lucullus, nummus ejus cum triumpho ex Ponto Cappadocia & Armenia. 583. a. b
L. Licinius L. F. L. N. Lucullus, ejus nummus & bellum piraticum. 581. b
L. Licinius Lucullus quæſtor Sullæ, quos denarios ſignaverit. 127. b
C. Licinius Malleolus, IIIvir monetalis, ejusque denarius. 238. a

C. Li-

C. Licinius L. F. Macer prætorius repetundarum reus, ejus denarius & interitus. 239. b. 240. a
C. Licinius Macer C. F. Calvus, orator & poëta inſignis. 240. a
L. Licinius L. F. P. N. Murena, ejusque nummi. 238. a
—— —— a Sulla in Aſia relinquitur, bellum gerit cum Mithridate, ejus victoria, tropæum & nummus. 237. a. b
—— —— ejus nummus cum triumpho de rege Mithridate. 582. a
A. Licinius Nerva, quæſtor, ut videtur, Decimi Bruti, ejusque denarii. 239. a. b
A. Licinius Nerva IIIvir Cæſaris Auguſti. 239. b
A. Licinius Nerva Silianus IIIvir ſenatus ſub Auguſto. 240. a
P. Licinius Stolo IIIvir ſenatus ſub Auguſto 240. a. b
C. Licinius Varus ejusque denarius. 581. a
L. Licinius Varus IIvir mun. Aug. Bilbilis. 382. b
P. Licinius Varus prætor primus ludos Apollinares in perpetuum ſtato die vovit fecitque. 239. b
Lilybætanorum nummi. 381. b. 382. a
Litui militares in nummis. 231. b
Lituus militaris in denariis. 154. a
—— cur poſt poſt Pavoris dei caput. 199. b
Lituus, auguratus indicium. 19. b
—— cur in Serviliæ gentis denariis capiti dearum adponatur. 392. a
Livia Auguſti habitu Concordiæ in nummo Theſſalonicenſium. 31. a
—— titulo Pietatis Auguſtæ & Salutis Auguſtæ in nummis celebrata. 343. b. 350. a
—— caput habitu Boni Eventus. 460. a
—— ſub ſpecie Concordiæ in Voluſi nummo. 632. a
—— facies in nummo, titulo Pietatis Auguſtæ. 370. b
—— ſtatua in nummis Uticæ ſignatis. 54. b. 249. b. 448. a. b
—— ſtatua habitu Cereris in Dolabellæ nummo in Africa cuſo. 140. b
—— Octaviæ, & Agrippinæ capita tres Gallias repræſentant. 408. b
L. Livinejus Regulus, pater Reguli præfecti urbis, ejusque caput in denariis. 245. b. 246. a. b
L. Livinejus Regulus L. F. præfectus Urbi ſub Lepido a Cæſare conſtitutus, ejusque denarii. 245. b. 246. a. b. 247. a
L. Livinejus C. F. Regulus IIIvir monet. ſub Julio Cæſare. 585. a
L. Livinejus Regulus IIIIvir monetalis ſub IIIviris R. P. C. 584. b. 585. a
—— —— ſenatu ab Auguſto motus. 245. b. 247. b. 248. a. b
L. Livinejus Regulus L. F. L. N. L. Pron. IIIvir monetalis ſenatus ſub Auguſto. 247. a. b
L. Livinejus Regulus L. F. &c. ſub Nerone ſenatu motus & in exſilium miſſus. 245. b
L. Livinejus Tryphon, Reguli libertus. 246. a
Liviæ gentis nummi an exſtent. 244. b
L. Livius vir prætorius. 245. a
L. Livius tribunus plebis Caudinæ ſponſionis reus. 245. a
C. Livius Mamiliani F. Druſus ejusque nummus. 586. a
M. Livius C. F Druſus ejusque nummus. 586. b
M. Livius L. F. Druſus Libo, & ſingularis ejusdem nummus. 586. b
—— filius naturalis L. Scribonii Libonis exſtitit, qui ſocer fuit Sex. Pompeji. 586. b
M. Livius M. F. M. N. Salinator, ejus nummus & de Illyriis triumphus. 585. b
—— ejusdem iter. cos. de Pœnis & Asdrubale in nummo triumphus. 585. b
M. Livius Salinator IIIvir monet. cum Fulvio & Metello. 586. a
Lollii complures in Hiſt. Rom. 251. b
C. Lollius & M. Domitius IIviri & IIviri iterum in nummis. 249. a. b
Lollius Claſſicus Phrygiæ præfuit ſub Caligula. 252. a
L. Lollii rectoris Africæ vel Cyrenes nummulus. 469. b
M. Lollius diu ſub Auguſto præfuit Cyrenaicæ. 250. b. 251. a. b
M. Lollius Palicanus perfecit, ut tribunicia poteſtas populo redderetur, ejusque tribuniciæ poteſtatis ſymbolum in denariis Lollii Palicani 248. b
—— quæſturæ ejusdem ſymbolum in iisdem. 248. b
—— ædilitatis ejusdem ſymbolum in iisdem. 248. b. 249. a
M. Lollius Palicanus M. F. tribunus plebis &c. ejusque nummi. 248. a. b. 249. a
M. Lollius M. F. Paullinus IIIvir monetalis Cæſaris Aug. 587. a
—— magiſter additus Cajo Cæſari Orientem petituro. 587. a
M. Lollius Galatiam primus proprætore rexit. 250. a. b
Longus, agnomen familiæ Caſcæ ex gente Servilia. 227. a
Lotus in nummo gentis Atelliæ & regis Jubæ. 235. a
—— Libyca nobilis admodum. 236. a
C. Lucienus quinquennalis. 468. a
Lucii Aug. N. Agrippæ F. vel ipſius Agrippæ caput in nummo gentis Sextiliæ. 394. b
Lucilii pecus cur liberum dicatur apud Ciceronem. 416. a
Lucretius IIvir Col. Cæſ. Aug. 253. a
C. Lucretius IIvir navalis cum C. Matieno. 252. b
Cn. Lucretius Trio ejusque denarius. 252. a. b
L. Lucretius Trio IIIvir monetalis cum Cordio Rufo ſub Julio Cæſare, ejusque denarii. 252. b. 253. a
L. Lucretius IIvir col. Cæſ. Aug. ſub Tiberio. 7. a
Q. Lucretius Q. F. Veſpillo ejusque denarius 587. a. b
Sp. Lucretius Flavus IIIvir ſenatus ſub Aug. 587. b
Sp. Lucretius IIIvir monetalis cum Varrone & Libone. 411. b. 412. a. b
Lucullea pecunia & Lucullei denarii quinam dicti. 127. b
Luculleum pecus. 416. a
Ludi ab Aug. editi perfecta æde Veneris Genetricis. 441. b
Ludi Actiaci quinquennales quando initium ceperint. 320. a
Ludi Actiaci quinquennales, eorumque typus in denario gentis Valeriæ. 426. a
Ludi Apollinares, primum votivi & incerti, quando ſtato tempore annui in perpetuum facti ſint. 61. a. 266. b. 267. a
Ludi deſultorii inter Apollinares 460 a. b
Ludi in honorem divi Auguſti in col. Victr. Jul. Carth. Nova inſtituti. 360. b
Ludi Megalenſes quo tempore anni Romæ celebrati. 298. b
—— typus eorum cur in denariis præfectorum Urbis Norbani & Ceſtii. 297. b. 298. a
Ludi ſæculares ab Auguſto exhibiti, in denario Meſcinii Rufi. 280. a
Ludi ſæculares ſub Aug. celebrati, in nummo gentis Sanquiniæ. 372. b
Ludi Victoriæ Cæſaris apud Sueton. quales fuerint. 294. b
Ludi Votivi publici & privati, diſcrimen eorum, & qua de cauſſa voverentur. 294. b
Ludi votivi & quadrijugi currus, in honorem Auguſti, in denario Marii Trogi. 272. a
Ludorum magnificentia & nimia profuſio ſumtuum cohibita ſenatusconſulto. 488. a
Lugdunum quando Municipium Romanum factum fuit. 26. b
—— a Claudio Imp. jure civitatis Rom. donatum. 26. b
Luna in Jani aſſibus ad annum a Numa emendatum ſpectat. 373. b
—— in nummis gentis Marciæ denotat Numam annum per menſes diviſiſſe. 266. a
Luna creſcens cur capitibus Jani adpingatur. 83 b. 245. b
—— —— in nummis Cæſaris Julii, reſpicit annum ab illo emendatum. 13. a. 205. a. 290. a
Luni dei effigies in nummo apud Galatas cuſo. 350. b. 351. a
Lupa cum gemellis in P. Terentii nummo. 413. a
—— —— in Pompeji Fauſtuli nummo. 342. b
—— —— in nummis aliorum. 373. a. 460. b. 461. b. 475. b. 626. b
Lupæ & aquilæ contentio in condenda urbe Lavinio. 306. b
Lupercalia a Romulo recepta. 276. b
Luperci Juliani, eorumque in nummis monumentum. 73. a
Lupi, Italicæ libertatis raptores, Romani dicti a Pontio Teleſino. 373. a
Lurinus & Volumnius IIviri col. Corinthi ſub Nerone. 457. b
M. Lurius Agrippa Sardiniæ rector. 253. b
M. Lurius M. F. Agrippa IIIvir monetalis ſenatus ſub Auguſto. 253. b
P. Lurius Agrippa M. F. triumvir ſenatus ſub Auguſto. 253. b. 254. a
Luſcinus IIvir Corinthi ſub Claudio. 300. b
Luſtrationis ritus in nummo gentis Poſtumiæ. 360. a
C. Lutatius C. F. C. N. Catulus ejusque triumphus de Pœnis & Sicilia. 254. b
—— —— ejus nummi. 587. b
Q. Lutatius, C. Lutatii Catuli filius minor, quæſtor urbanus, ejusque denarius. 254. a. b
—— idem poſtea conſul de Faliſcis triumphavit. 254. b
Q. Lutatius Q. F. Q. N. Catulus ejusque nummus. 588. a
Q. Lutatius IIvir col. Cæſ. Aug. 255. a
Lyra, concordiæ ſignum. 202. b. 204. a

M.

Macedoniæ caput cauſia tectum in nummis gentis Antoniæ & Planciæ. 328. a. 646. b
Mæcia gens diverſa a Mettia. 255. a. b
M. Mæcilius Tullus IIIvir monetalis ſenatus ſub Auguſto. 256. a. 588. b
Mæcius Marullus & Mæcia Fauſtina, pater & ſoror imp. Gordiani. 255. b
M. Mæcius Rufus procos. Bithyniam rexit ſub Veſpaſ. & Domitiano ejusque nummi. 255. a. b. 256. a
Mænia columna, ad quam malefici puniebantur. 264. b
—— Mænius, qui domum vendiderat, columnam ſibi ad munus ſpectandum exemerat. 264. b
Mænii ab aliis adoptati, deinceps Mæniani dicti. 257. a

P. *Mænius* IIIvir monetalis cum Antonio & Metello. 256. b 257. a
Magister juventutis, titulus, cujus in nummis est mentio. 287. b. 394. b
Magister puerorum domus Augustæ in Inscriptionibus antiquis. 287. b
Magni cognomem Sextus Pompejus aliique Pompeji quidam postea gesserunt. 336. b. 342. a
Magonis Pœni libri de R. R. Romam translati & Latine versi. 223. a
Majania gens an exstiterit. 257. a
C. *Mainianus* nummos tempore belli Punici primi cudit. 257. b. 258. a
Mamilia gens, Tibure oriunda, originem suam ad Ulyssem referebat. 258. a
Mamilius, dictator Tusculanus, gentis Mamiliæ pater. 258. b
C. *Mamilii* Limetani tres in Hist. Rom. 258. a
C. *Mamilius* Limetanus C. F. C. N. vir eloquens IIIvir monetalis, vel quæstor, Ulyssem a cane agnitum signavit. 258. a. b
C. *Mamilius* Q. F. Turrinus ejusque nummus. 588. b
L. *Manilius* C. F. IIIvir monetalis, ejusque nummus. 598. ■
M'. *Manilius* P. F. ejusque nummus. 588. b. 589. a
Q. *Mamili* nummus a C. P. fictus. 589. a
L. *Manlius* L. F. Acidinus, ejusque nummus. 590. b
Cn. *Manlius* Cn F. Maximus ejusque nummus. 591. a
A. *Manlius* Q. F. Serranus. 259. a
Manlii Torquati statua equestris. 388. b
A. *Manlius* A. F. T. N. Torquatus ejusque nummus. 591. a
A. *Manlius* Torquatus quæstor L. Corn. Scipionis; ejusque nummus. 598. b. 590. a
L. *Manlius* Torquatus proquæstore Sullæ, ejusque denarius. 259. a
L. *Manlius* L. F. L. N. Torquatus, juvenis egregius, ejus, ut quæstoris urbani, denarii 259. b
—— ubi & quomodo peririt. 260. a
L. *Manlius* Torquatus IIIvir monetalis sub Augusto. 260. b. 261. a b
T. *Manlius* Torquatus, ejusque de provocatore Gallo victoria in denariis gentis Manliæ, 260. a. b
T. *Manlius* Torquatus Manlii Imperiosi filius, jussu patris necatur, ejusque monumentum in denario gentis Manliæ. 261. a
T. *Manlius* Torquatus IIvir monetalis. 92. a
T. *Manlius* A. F. T. N. Torquatus IIIvir monetalis cum Cn. Fulvio. 590. a
Cn. *Manlius* Vulso, ejus nummus & ex Asia devicta triumphus. 590. a. b
L. *Manlius* A. F. P. N. Vulso Longus, ejusque nummi. 589. a. b
C. *Manlius* IIvir col. Cæs. Illicis Aug. sub Augusto. 261. b
T. *Manlius* T. F. T. N. IIIvir monetalis cum Appio Claudio & Q. Marcio. 259. a
Manubiale argentum publicum dici videtur in nummis. 419. a. b. 420. a
Manus elato digito jurisjurandi militaris symbolum. 241. b
—— expansa in Pinarii Scarpi denariis quid sibi velit. 323. a
—— —— in Poblicii denario. 333. b
Marcelli Æsernini, unde dicti. 89. a. b
Marcellorum & Marcellinorum stemma & progenies. 89. a. b
Marcii non modo ad Ancum sed & ad Numam originem suam referebant. 266. a
C. *Marcii* Censorini quatuor inveniuntur in historia Romana. 266. b
C. *Marcius* Censorinus ejusque præclari nummi & denarii. 266. b. 267. a. b
C. *Marcius* Censorinus IIvir deducendæ coloniæ sub Aug. 593. a
C. *Marcius* L. F. L. N. Censorinus augur IIIvir monetalis senatus sub Aug. postea cos. ejus nummi & inscriptiones. 267. b. 268. a
L. *Marcii* Censorini nummus a C. P. fictus. 593. a
L. *Marcius* Censorinus vir cos. & censorius. 265. a. b
L. *Marcius* C. F. Censorinus IIIvir monetalis, ejusque denarii. 264. a. b. 265. a. b
L. *Marcius* Censorinus IIIvir monetalis, ejusque nummus. 592. a
—— —— IIIvir monetalis cum P. Crepusio. 593. a
C. *Marcius* C. F. C. N. Figulus, ædilis curulis, ejusque nummus. 593. a
C. *Marcius* C. F. Q. N. Figulus, ejusque nummi. 591. b
Q. *Marcius* Libo, ejusque denarius & nummi. 268. b. 269. ■
M. *Marcius* M. F. Ralla, ejusque denarius. 262. a. b
Q. *Marcius* Ralla IIIvir monetalis. 92. a
L. *Marcius* Q. F. Q. N. Philippus, originem suam ab Anco Marcio rege repetiit, ejusque nummus & denarii, 261. b. 262. a. b. 263. a. b. 592. b
—— expeditio ejus in Macedoniam. 263. a. b
—— filius ejus L. Marcius Philippus, vitricus fuit Augusti Cæsaris. 262. a
Q. *Marcius* L. vel Q. F. Q. N. Pilipus seu Philippus, ejusque denarius. 264. a
Q. *Marcius* L. F. Philippus bis consul & censorius, expeditio ejus Macedonica contra Perseum, & denarii rei ejusdem testes. 263. a. b. 264. a. 591. a
Q. *Marcius* Philippus, quo cos. Bacchanalia Romæ extirpata fuerunt. 264. a. b
Q. *Marcius* Q. F. Rex IIIvir monetalis. 268. b
Q. *Marcius* Q. F. Rex, ejusque nummus. 592. b
Q. *Marcius* IIIvir monetalis cum Appio Claudio & T. Manlio. 259. a
Marcius vates, ex cujus carminum monitu Ludi Apollinares, votivi antea, stati & annui facti postea sunt, eorumque in denariis gentis Marciæ memoria. 267. b
Marianæ cellæ Honoris & Virtutis. 161. a
Marii in Hispania ad magnas divitias pervenerunt. 273. b
C. *Marius* C. F. VII. cos. res ejus gestæ & varii ejus nummi. 593. a. b. 594. a. b. 595. a
C. *Marius* ædes Honoris & Virtutis exstruxit, ejusdemque Marii elogium. 288. a. b
C. *Marius* C. F. C. N. cos. cum Papirio Carbone, ejusque nummus. 595. b
C. *Marius* C. F. C. N. Capito. 269. b. 270. a
C. *Marius* Capito IIvir municipii Calaguris Juliæ. 273. b
Marius Cordus in nummo Apamensi sub Nerone. 471. a
C. *Marius* Gratidianus subdole, sine collegis, decretum promulgavit de constituenda re nummaria. 265. b
—— honos illi propterea a plebe habitus. 265. b. 383. a
C. *Marius* C. F. Trogus IIIvir monetalis sub Augusto. 270. a. 271. a. b. 272. a. b. 595. b
C. *Marius* IIvir col. ded. sub Aug. 596. a
L. *Marius* IIvir municipii Turiasonis sub Aug. 298. b
C. *Marius* Vegetus IIvir municipii Turiasonis. 274. a
Mars in bigis. 582 b
Mars Adsertor in Augusti nummo. 466. b
—— spectat ad signa a Parthis recepta. 466. b
Mars tropæophorus in nummo gentis Aciliæ. 2. a
—— —— in denario gentis Valeriæ. 428. b
—— —— in quadrigis. 358. b
—— Ultor in IIIvirorum denariis. 12. b. 13 a
—— qua ratione *bis ultor* dicatur tempp. Aug. 463. b
Marspiter in bigis. 153. b
Martis Tranquilli seu Quirini imago in nummis. 92. b
—— Ultoris templum a Cæsare Octaviano votum & dedicatum. 217. b
—— Ultoris in Mescinii aliorumque nummis simulacrum & typus. 279. b. 280. a. 291. a. 463. a. b
—— Ultoris in Galbæ imp. nummo typus. 409. a
—— Quirini effigies 27, b
Martius mensium primus tempore Romuli. 368. b
Medusæ caput in denariis gentis Cossutiæ. 144. b
—— Corinthi symbolum. 144. b
—— in nummis Siculis originem Corinthiacam designat. 121. a
Meles fluvius in Smyrnæorum nummo. 469. b
Melpomenes Musæ ornamentum in nummis. 346. b
Membrum virile in nummulo Saturnalitio. 466. b
Memmius ædilis Cerealia primus fecit. 275. b
C. *Memmii* oratoris amarum & acutum in Scaurum dictum. 278. b. 279. a
L. & C. *Memmii* fratres, C. FF. oratores acerbi. 278. b. 279 a
L. & C. *Memmii* L. FF. oratores tempore Ciceronis, illorumque denarii. 278. b. 279. a
C. *Memmius* L. F. Galbius vel Gallus, una cum fratre Lucio denarios signavit. 278 b. 279. a
A. *Memmius* Gemellus IIvir Uticæ statuam Liviæ fieri curavit, in nummo Vibii Marsi. 448. a. b
C. *Memmius* C. F. L. N. Gemellus, ejusque denarius. 275. b. 276. a
C. *Memmius* L. F. Gemellus, in filii denario inscribitur imperator, tropæo adpicto. 277. a
L. *Memmius* L. F. C. nepos ejusque semissis. 277. b
L. *Memmius* C. F. L. N. ejusque denarius. 277. b
L. *Memmius* L. F. an Galbius an Gallus dictus, ejusque denarii. 278. a. b
L. *Memmius* L. F. Palat. Galbius in inscript. antiqua. 278. a
Menander Parrhasii F. in nummo Cæsareënsium. 471. a
—— —— in nummo Cæsaris & Augusti. 577. b
L. *Menius* IIvir Corinthi. 15. a
Menophanes prætor Smyrnæus. 5. a. b
Mensa & hasta prætoris vel quæstoris. 394. a
—— —— in nummo gentis Papiæ. 362. b
Mensa quæstoris & hasta in denario gentis Caniniæ. 69. b
—— in denario Lollii Palicani. 248. b
Mentis ædes Romæ. 110. a
Mercurius apud veteres Gallos & Celtas cultus. 491. a
L. *Mescinius* Rufus Emporii in Hisp. quinquennalis. 281. a
L. *Mescinius* Rufus IIIvir monetalis Cæsaris Augusti. 279. a. b. 280. a. b. 596. b. 597. a

Messa-

Messalina Claudii Νέα Ἥρα dicta in Nicææ cuso nummo. 192. a. b
Messallæ omnes facundi, sed decrevit in singulis illa laus. 431. a
Metius Rufus male legitur apud Suetonium pro Mæcius. 255. b
Metius Pompofianus apud Sueton. itidem Mæcius fcribi debere videtur. 255. b
Mettii & Metii forsan iidem. 282. a
M. Mettius IIIvir monetalis Julii Cæfaris, ejusque nummi. 281. a. b. 182. b
—— ejus nomen pro M. Titio apud Julium Cæfarem reponendum. 282. b
M. Mettius Epaphroditus in Infcriptione antiqua. 282. a
Minæianus M. F. ejusque nummulus. 284. a. b
M. Minatius Sabinus proquæstore Sex. Pompeji Magni; ejusque denarii. 282. a. b. 283. a
M. Minatius M. L. Sab. Gallus in Infcript. antiqua. 282. a
Mindius Marcellus, amicus Cæfaris Augusti. 283. b
L. Mindius Balbus sub Claudio Patras & Bithyniam proconfule rexit, ejusque nummi. 283. b. 284. a
L. Mindius Pollio Achajam proconfule rexit sub Claudio, ejusque nummi. 283. b
M. Mindius tempore Ciceronis. 283. b
Minerva Amisi culta 48. a
—— galeata in quadrigis decurrentibus. 598 a
—— Ilias, feu Daulia, in nummis Rom. 474. b
—— tropæophora in quadrigis in denariis Vibii Panfæ. 443. b
Minervæ ægis & noctua in denario gentis Cordiæ. 112. b
—— Frænatricis, five Chalinitidis cultus apud Corinthios. 214. a
—— typus in nummis Cæfari Octaviano a Vibio adplicatur. 442. a
—— Victricis typus in Cloviæ nummo. 98. a. b
Minervam quare in Sullæ nummis fignaverint. 129. b. 130. a
Minius Q. F. IIIIvir tertium Carteiæ. 470. b
C. Minucii Augurini complures in rep. Rom. 285. b
C. Minucius Augurinus, C. F. Ti. pater, quæstor urb. vel IIIvir monetalis, ejusque denarius. 285. b
L. Minucius Augurinus, annonæ præfectus, Sp. Mælii confilia detexit, honos illi propterea habitus, & memoria in denariis gentis Minuciæ. 284. b. 285. a. b
Ti. Minucius Augurinus, cos. contra Samnites pugnans ex vulnere obit. 285. a
Ti. Minucius Augurinus, tribunus pl. legem Minuciam de III viris mensariis fert. 285. a
Ti. Minucius Augurinus C. F. Molliculus, ejusque denarius. 285. a. b
Minucius Augurinus quidam sub Caligula Cretam rexit. 287. a
M. Minucius Q. F. Rufus, ejusque nummus. 597. b
—— nummus ejus ut procos. & triumphus de Scordifcis & Triballis. 598. a
M. Minucius P. F. Q. N. Rufus ejusque nummus. 597. a
Q. Minucius Rufus ejusque denarius. 597. b
Q. Minucius C. F. C. N. ejusque denarius. 597. b
Q. Minucii Rufi complures in hift. Romana. 286. a
L. Minucius Q. F. Thermus, ejusque denarius. 286. a
M. Minucius Thermus, ejusque expeditio contra Mitylæneos, in qua rudimenta militiæ fuæ depofuit Cæfar. 286. b
Q. Minucius Q. F. Q. N. Thermus, ejusque denarius. 597. b
Q. Minucius M. F. Thermus, quæstor Cæfaris, ut videtur, in Galliis, ejusque denarius infignis. 286. b. 287. a
Minucius Thermus quidam inter Sejani amicos sub Tiberio adflictus. 287. a
C. Mitreius Magifter juventutis vocatur in nummis antiquis. 287. a. b
Mithridates, Rex Ponti, varia fortuna bellum gerit cum Murena. 237. a. b
Mithridatis, regis Bofporani, nummulus in honorem imp. Claudii. 471. a
Modius in Jani capite quid fignificet. 145. b
Modius frumenti cum fpicis curam annonæ denotat. 246. a
Modius feu congius ædilitatis fymbolum. 394. a
Molam falfam facrificans fpargit inter victimæ cornua in denario gentis Postumiæ. 359. a
Moneta a Romanis, post Cannenfem cladem, ob argenti inopiam adulterata fuit. 412. b
Monetæ æreæ cudendæ jus fenatui ab Augusto relictum. 65. b
Monetæ deæ in denariis gentis Cordiæ typus. 112. b
Monetarii falfi. 373. a
Monetariorum falforum nummus. 252. a
Monetariorum varii errores. 51. b. 122. 123. a. 124. a. 162. b. 183. a. 216. b. 256. b. 344. b. 383. b. 383. b. 413. a. 444. a. 461. a. 473. a
Monetariorum errores in duplicando typo, dum sub incude verfatur nummus. 267. b
Monetariorum notæ & literæ. 8. a. b. 9. a. 62. a. b. 63. a. b. 64. a. b. 67. b. 68. a. b. 92. a. 113. a. 115. a. 160. a. 178. a. 181. a. 219. b. 234. a. b. 269. b. 270. a. 175. a. b. 311. a. 325. a. 333. a. 344. b. 353. b. 365. a. 383. a. b. 387. b. 407. b. 416. b. 420. a. b. 427. a. 443. a. b. 455. b. 457. a. 459. a. 460. a. 465. a. b
—— variæ officinæ. 62. a. b. 64. b
Montanus & Titullus IIviri col. Cæf. Aug. 449. a
C. Mucius five Mutius Cordus IIIvir monetalis, ejusque denarius. 288. a. b
C. Mucius five Mutius, nobilis architectus, qui ædes Honoris & Virtutis ad Mariana fecit. 288. a. b
P. Mucius Q. F. P. N. Scævola, pater ejus, qui primus dictus fuit Craffus Mucianus. 244. a
P. Mucii Scævolæ triumphus navalis de Liguribus in denario Sex. Julii Cæfaris. 571. a. 596. a
P. Mucius P. F. Q. N. Scævola vir confularis, Craffi Muciani frater. 244. a
—— —— juris peritiffimus, ejusque nummus. 596. a. b
P. Mucius P. F. P. N. Scævola ejusque nummus. 596. b
L. Mummius L. F. ejus nummus & de Lufitanis ex Hifpania triumphus. 598. a. b
—— ejusdem nummi teftes triumphi & victoriæ Achaicæ & Corinthiacæ. 598. b
L. Munatius Plancus inter VI. vel VII. præfectos urbi a C. Cæfare sub Lepido relictus, ejusque nummi & denarii aurei. 289. a. 599. a. b. 600. a
—— nummus ejus ut proconfulis sub M. Antonio cufus, & honores ab eodem gesti. 289. a
—— vir fidei inconftantis. 23 b
—— coloniam post mortem J. Cæfaris S. C. Lugdunum deduxit, ejusque rei teftis nummus. 599. a
—— caput ejus in nummo Goltziano. 599. a. b
—— —— quod verius videtur esse Julii Cæfaris. 599. b
L. Munatius L. F. Plancus IIIvir monet. fenatus sub Aug. 599. b
M. Munatii Planci nummus a C. P. fictus. 600. a
L. Munatius IIvir Hennæ in Sicilia. 87. b. 88. a
Municipia Italica an nummos fignaverint. 177. a
C. Munius quinquennalis. 468. a
Mus Apollinis Sminthii fymbolum. 460. a. b
Musæ in denariis Q. Pomponii Mufæ. 344. a. b. 345. a. b. 346. a. b. 347. a. 348. a. b
Musas coluit rex Numa. 345. a
L. Mussidius Longus unus ex VIII. præfectis urbi sub Lepido a Cæfare relictis, ejusque denarii. 289 b. 290. a. b
L. Mussidius T. F. Longus IIIIvir A. P. F. sub triumviris R. P. C. 291. a. 600. a. b. 601. a. b
C. Mussidius Prifcus IIvir Corinthi sub Aug. 291. a. b
Mutinam occupat D. Brutus. 356. 357. a
Mutinam (pugna ad) quando acciderit. 232. a
Myrteam coronam in ovatione fprevit Craffus. 582. b. 583. a

N.

C. Nævius Balbus, unus ex XX. quæstoribus, ut videtur, tempore Sullæ, ejusque denarii. 291. b. 292. a
Sex. Nævius L. F. L. N. Balbus, tribunus plebis. 291. b
C. Nævius Capella IIIvir monetalis fenatus sub Aug. 292. a
Q. Nævius Sura Hippius IIvir coloniæ Buthroti sub Aug. 292. b
L. Nævius L. F. Surdinus IIIvir monetalis fenatus sub Augusto. 292. a. b
L. Nævius L. F. L. N. Surdinus, unus ex coss. suffectis. 292. a
L. Nasidius pater Quinti, dux Cn. Pompeji Magni. 293. a
Q. Nasidius L. F. dux Sexti Pompeji & deinde M. Antonii; ejusque denarii. 293. a. b
Nassica in nummis quid fignificet. 44. a. b
Nassica & Fibularenfis cognomina Calaguris duplicis Hifpaniæ citerioris ad difcrimen faciendum. 427. b
Nattæ nomen probrofum tempore Horatii. 321. b. 322. a
Naves plures in nummo classem, vel legationem navibus factam, fignificant. 44. a
C. Nautii Rutili nummus a C. P. fictus. 601. b
Νέα Ἥρα Meffalinæ cognomen in nummo Nicææ cufo. 192. a. b
Neapolis ab Augusto inftaurata. 316. b
Nemeses cur fæpe in Smyrnæorum & Ephefiorum nummis expreffæ. 58. b. 59. a. 192. b. 469. b
—— cur aliquando fint alatæ. 59. a
Neptuni filius videri voluit Sex. Pompejus. 537. a. b
Neptunus in M. Agrippæ nummis. 450. b
—— in bigis equorum marinorum, Corinthi fymbolum. 145. b. 146. a
—— in quadrigis decurrentibus. 444. a. 551. a. 554. a. 560. a
C. Neratius Marcellus conful sub Trajano. 294. a
P. Neratius Marcellus cof. fuffectus sub Hadriano. 294. a
M. Neratius Panfa legati titulo Galatiæ præfuit sub Vefp. & Tito, ejusque nummi. 293. b. 294. a
Neratius Prifcus ICtus infignis, in honore apud Trajanum & Hadrianum. 294. a
C. Nerius quæstor urbanus, ejusque denarius. 89. b. 90. a.

294. a. b
M. *Nerius*, ædilis eam C. Meſſio. 294. a. b
Nero Cæſar, Germanici F. quæſtor provincialis, in Africa, ſub Vibio Marſo procoſ. 448. a. b
Nero & Druſus Cæſares inſcribuntur in nummis IIviri Carthaginis novæ. 237. a
Neronis & Poppææ nuptiæ in nummo Epheſino. 6. a
Nicæenſes Herculem & Bacchum coluerunt. 39. a
Nicæenſium nummi. 411. a
Nicæenſium & Nicomedienſium nummi ſub C. Papirio Carbone. 313. a. b
Nicææ & Nicomediæ nummi. 284. a
—— —— nummi ſub Plancio Varo procos. tempp. Veſpaſiani cuſi. 328. b. 329. a
Nicias, nomen magiſtratus Coorum. 11. a
Nicopolitarum nummus. 503. b
Nicomedienſium nummi. 406. b. 416. a. 447. b. 448. a. 452. b
Noctua in denariis gentis Cordiæ. 112. b
Nomina Rom. non tantum, in primo, ſed & in ſecundo caſu ſcribuntur in denariis. 190. a
Q. *Nonius* Sex. F. Aſprenas ejusque nummus. 601. b
Sex. *Nonius* Quintilianus IIIvir monet. ſenat. ſub Aug. 601. b. 602. a
Sex. *Nonius* Sufenas Sex. F. quæſtor Cn. Pompeji ejusque denarius. 294. b. 295. a. 640. b
Sex. *Nonius* Sufenas, Sullæ dictatoris ſororis filius, prætor ludos votivos publicos feciſſe videtur, ejusque rei teſtis denarii typus 295. b. 296. a
Norbani gentis nomen amiſerunt, cognomine ſemper dicti. 296. a
C. *Norbanus* C. F. Flaccus, unus ex VIII. præfectis Urbi a Cæſare ſub Lepido relictis, ejusque nummus. 296. a. b. 297. a. b
—— procos. ex Hiſpania triumphat. 296. b
C. *Norbanus* C. F. cos. ejusque nummus. 602. a
—— nummus ejus & triumphus ut procos. 602. a
Norbanus cum L. Cæſtio pr. quod prætores explicant, vocatur in nummis. 86. b
—— videtur potius fuiſſe unus ex VIII. præfectis Urbi, ſub Lepido relictis a J. Cæſare, quum in Hiſpaniam contra liberos Pompeji proficiſceretur. 86. b
Notæ nummis Imperatorum per literas, ut TIB. AVG. IMP. AVG. &c. impreſſæ 254. a,
Nova Dea, epitheton Cleopatræ. vide *Cleopatra*.
Novi Dii, epitheton Druſi & Germanici in nummo Græco. 37. a.
L. *Novius* IIvir municipii Turiaſonis ſub Auguſto. 298. b
M. *Novius* Baſſus IIvir col. Corinthi ſub Julio Cæſare. 298. a
Q. *Novius* Atellanarum ſcriptor. 298. a
Numa annum in duodecim menſes deſcripſit, cujus rei typus luna creſcens in nummis gentis Marciæ. 266. a
Numa rex, habitu augurali, in gentis Pomponiæ nummis. 343. b. 344. a
Numæ regis caput in denariis gentis Calpurniæ. 66. a. b
Numæ & Anci regum juncta capita in nummis denariis gentis Marciæ. 266 a
Numerus XVI. in denariis notari debet, & quid ſignificet. 38. b 40. a
Numidia perperam ſcribitur gens, quæ Ummidia dici debet. 452. b
Numiſmaticum ſtudium id inprimis præ ceteris eſt, in quo dies diem docet. 279. b
T. *Numitii* nummus a C. P. fictus. 635. b
C. *Numitorius*, ejusque quadrantes & ſemiſſes aſſis uncialis. 298. b. 299. a
C. *Numitorius*, præcedentis nepos, cum Bæbio perit in motibus Cinnanis. 299. a
C. *Numitorius* C. F. quæſtor Urbanus a Sulla conſtitutus, ejusque denarii. 299. a
Nummi Contorniati. 31. b. 372. a
Nummi quidam, cum Salluſtii Criſpi effigie ſub Juliano Apoſtata cuſi. 372. a
—— plumbei. 315. a. 413. a. 475. a
Nummi multa ſuppeditant in hiſtoria, de quibus nihil ſcriptum invenitur. 165. b
Nummi majoris moduli impp. poſterioris ævi, excepto Juſtiniano, rari. 475. b
Nummi jam cuſi aliquando per errorem iterum incudi ſubjecti. 216. b. 217. a
Nummi nota quadam impreſſa ſignati, Græcorum præſertim Regum & urbium. 390. a
—— Romani ſimiliter notati a Claudio. 390. a
—— —— a Veſpaſiano 390. a. b
Nummi Rom. multi in Sicilia Syracuſis cuſi. 220. a
Nummo aureo & argenteo quando uti inceperint Romani. 482. a
Nummorum utraque pars conjuncta aliquando integram facit inſcriptionem. 326. a
Nummus æreus vice argentei Romæ cuſus tempp. belli Socialis ſive Italici. 571. a. b
—— argenteus purus, quando inceperit commixto ære in uſu eſſe. 516. b
—— Hetruſcus male & Vaill. & Morell. inter gentis Serviliæ nummos relatus. 392. b
C. *Numonius* Vaala ejusque caput in denario gentis Numoniæ. 299. a. b. 300. a
Numonius Vala deſerto in Germania cum equitibus ſuis Varo, in fuga perit. 300. a

O.

Obulco, Hiſpaniæ urbs. 14. a
Octavia Cæſaris, habitu Concordiæ, in M. Antonii nummo Corinthiaco. 214. b
—— habitu Libertatis in nummo Theſſalonicenſium. 30[illegible] b
—— caput in nummo & nuptiæ cum M. Antonio. 25. b. 385. a
—— ſpecie deæ Concordiæ in nummo M. Antonii. 27. b. 28. a
—— Liviæ & Agrippinæ capita tres Gallias repræſentant. 408. b
—— & M. Antonii in nummis jugata capita. 503. a
—— ineditus Corcyrenſium nummus. 503. a
Octaviæ Neronis caput in nummo Corinthii. 188. a
Octaviæ & Neronis capita adverſa ut ſolis & lunæ. 457. b
Cn. *Octavii* claſſis & triumphus navalis. 483. b
Cn. *Octavius* Cn. F. C. N. propr. nummus ejus & triumphus Maced. 602. b
Cn. *Octavius* Cn. F. Cn. N. cos. tempp. Sullanis occiſus, ejusque nummus. 602. b
Cn. *Octavius* M. F. ejusque nummus. 603. a
Q. *Octavius* IIvir Corinthi. 161. b
Octavius IIvir Corinthi ſub Claudio. 300. b
Octavius Herennius ædem & ſignum Herculis Victoris Romæ dedicavit. 442. a
Octo (*ſic* VIII.) nota denotat auctum quinarii pretium. 202. a
Q. *Ogulnii* Galli complures in hiſt. Rom. 300. b
Q. *Ogulnius* L. F Gallus, ejusque nummus. 603. a
L. *Opimii* duo a Samnitibus cæſi. 302. b
L. *Opimius* cos Gracchanam reprimit ſeditionem. 301. b
—— exſulat lege Manilia & Dyrrachii moritur. Ejus nummi. 301. b. 302. b
Opimii conſulatu nobile vinum natum. 592. a
—— ejus tempore Concordiæ ædes dicata, & famoſa ejusdem inſcriptio. 592. a. b
M. *Opimius* quæſtor urbanus, ejusque denarius diræ peſtis tempore cuſus. 302. b
Q. *Opimius* Q F. Q. N. ejusque nummus. 603. b
C. *Oppius* Cæſari carus & perfamiliaris. 204. a
M. *Oppius* Capito præfectus claſſis M. Antonii, ejusque hiſtoria & nummi. 305. a. b. 306. a
L. *Oppius* Salinator proprætore frumentarias P. R. provincias Siciliam & Sardiniam obtinuit, ejusque nummi. 244. b. 245. a. b
Q. *Oppius* inter VIII. præfectos Urbi ſub Lepido a Cæſare relictos, ejusque nummi. 302. a. b. 303. a
Q. *Oppius* cum procos. imperio in Aſiam miſſus contra Mithridatem, fuga & captivitate infamis fit. 203. b
Oriens Pompejum Magnum ad ſeſe vocat in denario gentis Minatiæ. 283. a. b
Orientis caput cur in M. Antonii nummis. 508. b. 509. a
—— crebro in nummis Trajani & Hadriani. 194. b
Osca ſcribitur in denariis quibusdam, & cur? 117. a
—— Hiſpaniæ nobilis urbs 117. a
—— colonia Hiſpaniæ, cur Victrix dicatur, ejusque nummi. 186. b
Osca & Oscenſe numen in denario gentis Domitiæ. 156. a. b
Oscenſce ſignatum, & argentum Oſcenſe. 117. a. b
—— a bigatis diſtinguitur. 117. b
T. *Otacilius* proprætore claſſem Punicam devincit. 412. a
Ovis in denario Lentuli Caudini. 541. a
—— in nummo Publicii, ſymbolum agri publici a locupletibus occupati, repetiti ab eodem in tribunatu plebis. 607. b
Ovum Æſculapiii ſymbolum. 368. a
—— cum duobus ſerpentibus in vetuſtis monumentis. 163. b. 164. a
—— vanitas magorum in Gallia circa ſerpentium ova. 164. a

P.

P. *P.* Penates vel Penates Patrios ſignificare ſolet. 182. b
P. E. S. C i. e. *Percuſſi ex Senatusconſulto.* 120. b
P. S. S. C. literæ quid ſignificent. 249. a
P. S. S. C. Publico ſumtu Senatusconſulto. 284. a.
P. S. C. quid ſignificent. 161. b
P. H. in denariis principes & haſtatos, aquila adpicta legionarios ſignificat. 426. b. 427. a

Pacis typus in nummo Cæsaris Augusti. 217. b
Pædagogus puerorum imp. Titi. Cæs. in Inscript. antiqu. 287. b
Pætini cognomen quomodo ad Fulviam gentem pervenerit. 560. a
Pastoris caput in nummis ejusque numinis cultus apud Romanos. 200. a
Palma, in M. Antonii nummo, Ægypti symbolum. 507. a
Palmæ arbor in Hispania ad Mundam inventa, immensumque aucta, Cæsari Octaviano spem imperii fecit. 218. a. 304. b. 305. a
Palmæ ramus cur in denario Marii Trogi. 272. a. b
Panormus sub Cæsare Augusto colonia Romana facta, ejusque nummi. 167. a. 354. a
Papia lex in denariis gentis Papiæ. 307. b
C. *Papii* lex de peregrinis Urbe pellendis. 307. b
C. *Papii* lex de iterum imminuendo monetæ pondere. 269. a
Papirii, ante Papisii dicti, distincti in varia cognomina. 311. a
Papirii Carbones plerosque sugillat Cicero, ut cives parum bonos. 311. b
C. Cn. & M. Papirii Carbones fratres. 311. b
Papiriorum Carbonum stemma. 311. b
C. *Papirius* C. F. Carbo a Marianis & Cinnanis interemtus. 311. b
—— hic Carbonum optimus fuit. 311. b
C. *Papirius* Carbo Arvina dictus, a L. Crasso Oratore damnatus. 311. b
C. *Papirius* Carbo, vir eloquens, Ti. Gracchi socius. 311. b
Cn. *Papirius* Carbo Cn. F. a Pompejo interfectus. 311. b
Cn. *Papirius* Carbo a M. Antonio accusatus, sutorio atramento periit. 311. b
C. *Papirius* Carbo M. F. Bithyniam rexit, & reversus repetundarum fuit damnatus; ejus nummi in Bithynia cusi. 311. a. b. 312. a. b. 313. a
Cn. *Papirius* Carbo dux partium Marianarum, in Sicilia occiditur, ejusque nummus. 604. b
Cn. *Papirius* C. F. Carbo ejusque nummus. 604. a
C. *Papirius* C. F. Carbo ejusque nummus. 604. a. 606. a
M. *Papirius* Carbo tribunicio Flacco accusante damnatur, ejus stemma & denarius 311. a. b 312. a
Q. *Papirius* Carbo IIvir coloniæ Illices Aug. sub Augusto. 314. a
C. *Papirius* C. F. Maso ædilis cur. ejusque nummus. 604. a
C. *Papirius* Turdus trib. Pl. 314. b
C. *Papirius* Turdus C. F. trib. Pl. 314. b
—— ejus nummus. 314. b
L. *Papirius* Turdus tr. plebis anno 464., legem tulit de triumviris capitalibus quotannis a prætore creandis. 314. b
L. alius Q. *Papirius* Turdus ædilis. 314. b
Q. *Papirius* Turdus tr. pleb. à. 449. legem tulit de consecrandis locis. 314. b
Q. *Papirius* Q. F. Q. N. Turdus tr. pl. a. 515. 314. b
—— ejus nummi. 314. b
Q. *Papirius* Q. F. Q. N. Turdus tr. pl. anno 575. 314. b
C. *Papius*, ab Annio adoptatus, dictus fuit T. Annius Milo. 308. b. 309. a
L. *Papius* Avitus IIvir col. imm. Illicis Aug. 415. b
L. *Papius* Celsus IIIvir monetalis, ejusque denarii. 306. a. b. 307. a. b. 308. a. b. 309. a. b. 310. a. b. 311. a
M. *Papius* Mutilus propr. ejusque nummus. 603. b
Parætonium, in Africa, Ammonia quoque dicta, & nummi ibidem cusi. 218. b
Parma, equitum Hispanorum. 105. a
Parthenope, una Sirenum, vetus Neapolis nomen. 316. b
Parthi signa & captivos Cæsari Augusto reddunt. 34. a. 69. a. 71. a. 318. a. b. 319. a. 463. b. 464. a
L. *Passienus* Crispinus Q. F. Rufus, ejusque nummus. 604. b
Patietus, antiquum Hispani cujusdam nomen, quod & Patiecus scribitur. 5. a
Patrensium nummi cum nomine proconsulis Mindii. 283. b. 284. a
Patriam gentis & familiæ suæ sæpissime in denariis exprimebant symbolo aliquo Romani. 444. a
Patronus coloniæ Juliæ Carthaginis antiquæ dicitur imp. Tiberius. 142. b
Patronus & Parens Gaditanorum in nummis adpellatur Agrippa. 139. a. 142. b
Paulinus, inscriptio nummuli plumbei. 473. a
Paullus Fabius Maximus ejusque sub Augusto nummus. 175. a
Pavoris caput in nummis, deique ejus cultus apud Romanos. 199. a. b. 200. a
Paxs, antique scriptum pro pax. 13. b
Pax P. R. 461. b
Pax, concordia & ubertas P. R. partim verbis, partim symbolis in nummo expressa. 461. b
—— harum rerum typi in nummis. 461. b
Pax Prudentia & Felicitas alata in restituto Julii Cæsaris nummo. 218. b
PE. in nummis Contorniatis forte significat. *Perennem*. 219. a
C. *Pedanius* in nummulo plumbeo. 315. a
Pedanius Costa legatus Bruti ejusque denarius. 315. a
Pede lævo premebant victos hostes & exanimes. 459. a. b
Pedis planta in Furii Crassipedis denarius. 189. a. b
M. *Pedius* Cæsaris Octaviani vitricus. 605. a
Q. *Pedius* Q. F. ejus nummus & triumphus. 604. b
Q. *Pedius* M. F. ejusque nummus. 605. a
—— cos. cum Cæsare Octaviano. 605. a
Pedum pastorale Fauni & Panos symbolum. 222. b. 223. a
Pegasus Africæ symbolum. 485. a
—— Apollinis symbolum. 490. a. 491. a
—— Africæ vel Siciliæ symbolum. 491. a
—— Corinthi symbolum. 53. b. 214. a. 300. b. 317. b. 318. a
—— Siciliæ symbolum. 513. a. 546. b
Pegasus & Bellerophon Corinthi symbolum. 410. a
Penates, sive Dii Penates Patrii, quomodo depingantur in denariis. 181. a. b
—— quinam fuerint & quomodo depicti. 181. b
Penates Patrii, alio respectu Dioscuri. 63. a. 404 b
Permissu proconsulis quidam nummi signati esse inscribuntur. 32. b
Permissu Cornelii Dolabellæ proconsulis (ut fert inscriptio) nummi Carthagine a Suffetibus cusi. 139. b. 142. a
M. *Perperna* M. F. qui Aristonicum vicit; ejusque nummus. 605. b. 606. a
M. *Perperna* M. F. M. N. duobus annis demtis, ad centesimum usque annum pervenit; ejusque nummus. 606. a
Perseæ fructus in capite Jovis Ammonis. 250. a
Perseus, rex Macedoniæ, vinctus, in nummo gentis Æmiliæ. 488. b. 489. a. b. 493. b
Persona scenica & thyrsus Bacchi in denario gentis Vibiæ. 442. b
Pestilentia dira a. v. c. 573. ejusque in nummis Opimiæ gentis memoria. 302. a. b
C. *Petillii* nummus a C P. fictus. 606. b
L. *Petillii* nummus a C. P. fictus. 607. a
L. *Petillius* Capitolinus S. F. ejusque denarii. 315. a. b
Q. *Petillius* C. F. Q. N. Spurinus, cos. contra Ligures pugnans occiditur; ejusque nummus. 606. b
P. *Petronii* complures in hist. Romana. 320. b
N. *Petronius* IIvir col. Norbanæ Cæsareæ. 320. b
P. *Petronius* P. F. Turpilianus, vir consularis, à Galba interficitur. 321. a
P. *Petronius* Asiæ proconsul, sub Tiberio, postea in Syriam missus fuit, ejusque nummi. 321. a
P. *Petronius* Turpilianus IIIvir monetalis sub Augusto. 316. a. b. 317. a. b. 318. a. b. 319. a. b. 320. a. b
Phaëtontis sorores in denario gentis Accoleiæ. 2. b
Phidolæ equa, delapso sessore, vincit in ludis Olympicis. 63. a
Philippi, colonia Cæsaris Augusti. 514. b
Philippus, nomen a cura equorum tractum. 262. a
Philippus, Persei pater, rex Macedonum, singulari modo depingitur in gentis Marciæ nummis. 262. b. 263. a. b. 264. a
—— nummus ejus Græcus insignis. 262. b
—— —— a Sulpicio Galba bello fractus. 405. b. 406. a
Picus Romuli & Remi cum ficu ruminali. 343. a
Pietas dea in Sex. Pompeji nummis. 399. a
Pietas Salutaris in Sexti Pompeji nummis. 339. a
Pietas fratrum Catanensium in denariis gentis Herenniæ. 193. b
Pietas, cognommen L. Antonii, fratris M. Antonii, 19. b
Pietati Augustæ i. e. Tiberii templum Cæsareæ Aug. erectum. 356. a
Pietatis ædes a M' Acilio vota & a filio in foro Olitorio dedicata. 482. a
—— symbolum ciconia. 19. b
Pietatis Augustæ titulo in nummis Livia celebratur. 350. a
—— —— in nummis Coloniarum. 370. b
Pileus libertatis symbolum. 229. a. 234. a
—— in manu deæ Libertatis, symbolum legis Porciæ de Provocatione. 352. a. b
—— in nummis Cornelii Sullæ & partium Sullanarum. 160. a. b
Pilipus pro Philippus in nummis. 264. a
M. *Pinarii* de Corsis & Sardis victoria, in nummis. 389. a
Pinarii Nattæ cujusdam tempp. belli Punici primi nummi. 321. b. 322. a. b
Pinarii Nattæ cujusdam sub Tiberio festivum dictum. 322. a
L. *Pinarius* Natta quæstor militaris, magister equitum, ædilis curulis & prætor. 321. b
L. *Pinarius* L. F. L. N. Natta, ædilis curulis. 321. b
L. *Pinarius* L. F. Gal. Natta in Inscript. antiqu. 322. a
Pinarius Scarpus, Cyrenaicæ præfectus sub Antonio ad Cæsarem Octavianum deficit. Ejus denarii 322. b. 323. a
—— confirmatus, ut videtur, fuit a Cæsare in regenda provincia Cyreniaca. 323. a
Pinarii Scarpi nummi in Antonii & dein Cæsaris honorem cusi. 218. b
L. *Pinarii* Scarpi nummus a C. P. fictus. 607. b
C. *Pinnius* IIvir Corinthi, sub M. Antonio. 6. b
Pius, cognomen gentis Pompejæ, quod post Sextum ab eadem

dem

dem gestum est. 342. a
Plætoria & Lætoria gens eadem. 323. b
L. *Plætorius* L. F. M. N. Cestianus quæstor M. Bruti. 325. b. 326. b. 327. a
L. *Plætorius* M. F. Cæstianus. 326. b
M. *Plætorius*, quod ad Manii Gratidiani supplicium exanimis concidisset, a Sulla necatur. 325. b
M. *Plætorius* M. F. in ædilitate sua videtur plurima deorum templa restituisse. 325 b
M. *Plætorius* M F. M. N Cestianus quæstor M. Bruti, ejusque denarii. 323. b. 324. a. b. 325. a. b. 326. a. 327. a. b
M. *Plætorius* Tranquillus IIvir Calaguritanus iterum. 327. a
Cn. *Plancius* trib militum in Macedonia, dein quæstor ibidem, Ciceronem comiter excepit. 328. b
Cn. *Plancius* Cn. F. quæstor M. Bruti ejusque denarius. 328. b
M. *Plancius* Varus proconsule Bithyniam rexit, ejusque nummi sub Vespasiano. 328 b. 329. a
A. *Plautii* Sylvani complures in rep. Rom. 330. b
A. *Plautius* ædilis curulis. 330. b
A. *Plautius* quæstor in Syria Æmilii Scauri. 330. b
C. *Plautius* trib. pl. seditiosus 331. a
C. *Plautius*, vel Plutius, Hypsæus, res contra Viriathum male gessit. Ejus denarius 331. a
M. *Plautius* L. F. Hypsæus, ædilis curulis, ejusque nummus. 607. a
M. *Plautius* M. F. Silvanus propr. ejusque nummus. 607. a
P. *Plautius* Hypsæus cos. Privernum cepit. 330. a
P. *Plautius* Hypsæus ædilis curulis 330. a
P. *Plautius* P F. Hypsæus quæstor sub M. Bruto, vel Pompejo Magno, ejusque denarii. 330. a. b. 640. b
P. *Plautius* Hypsæus quæstor provincialis cum Sex. Nonio Sufenate. 295. b 640. b
L. *Plautius*, sive Plotius, Plancus a triumviris proscriptus unguenti odore proditur. 329. b
L. *Plautius* Plancus L. F. inter quæstores Bruti, ut videtur, ejusque denarius. 329. b
C. *Plotius* Rufus IIIvir monetalis senatus sub Aug. 331. a
P. *Plotius* decurio iterum in aliqua colonia Rom. sub Aug. 331. b
Poma Hesperidum Victoria fert in nummo Oppii. 303. b
Poblicius Malleolus IIvir quinquennalis. 333 b. 334. a. b
Poblicius Malleolus IIIvir monetalis. 331. b. 333. b
C. *Poblicius* Malleolus quæstor Cn. Dolabellæ in Cilicia periit. 331 b
—— ejus denarii. 332. a
—— ejus cædes. 332. b
C. *Poblicius* Q. F. ejusque denarii. 333. a
M. *Poblicius* legatus propr. Cn. Pompeji Magni, ejusque denarii. 333. a. b
M. *Poblicius* Malleolus ejusque nummus testis agri publici, a locupletioribus occupati, in trib. pl. repetiti. 607. a. b
Q. *Poblicius*, vir prætorius. 333. a
Polybymnia Musa Tacita seu Siopele a Numa culta. 348. b. 349. a
—— ejus Musæ ornatus in nummo. 348. b
POM. gentem Pompejam significat, POMP. vero Pomponiam. 341. b. 350. a
Pompeja Q. F. Q. N. Cæsaris uxor ab illo dimissa. 342. b
Pompeja, Cn. Pompeji Magni filia, nupsit L. Cinnæ IV. cos. filio. 549. a
Pompeja, filia Sex. Pompeji Pii ex Scribonia Libonis, Marcello desponsata. 341. b
Pompejæ gentis stemma juxta Harduinum. 657. a. b
—— juxta Glandorpium & alios. 658. a. b
—— nummi a paradoxa Harduini explicatione vindicati. 657. a. b. & seqq.
—— nummi aliquot falsi & ficti. 662. b. 663. a. b
Pompejani assis pondus. 446 b
Pompejopolis, urbs ita a Cn. Pompejo Magna dicta, in quam piratas Cilicas transtulerat, ejusque nummi. 339. a
Sex. *Pompejus* Fostlus, ejusque denarius. 342. b
Cn. *Pompejus* Magnus Alexandro Magno in denariis adsimilatur. 129. a
—— senectute Alexandro infelicior. 129. b
Cn. *Pompeji* Magni victoriæ per tria tropæa expressæ. 128. a
—— ædes Veneri Victrici dedicata. 128. b
—— annulus cum tribus tropæis. 128. b
—— in Hispaniam adventus in nummis gentis Minutiæ. 282. b
—— res gestæ & periculum in Hispania. 283. a
—— in Orientem vocatus contra Mithridatem, in denariis gentis Minatiæ. 283. a. b
—— caput in denariis gentis Minatiæ. 282. a. b. 283. a
—— —— gentis Nasidiæ. 293. a. b
—— denarii vultus, & res gestæ. 333. b. 334. a. b. & seqq.
—— —— in nummo Pompeiopolitarum. 339. b
—— ejus in piratas Cilicas clementia. 339. b
—— illo in Campania ægro voto publice pro illo suscepta. 533. b
—— nummus triumphorum ejus testis magnificus. 608. b. 609. a
Cn. *Pompeji* Magni patris & Cn. Pompeji filii capita in nummis. 335. a. 336. a
Sex. *Pompejus* Magnus Pius, ejusque res gestæ & nummi. 334. b. 335. a. b. & seqq.
Sextus *Pompejus* qua occasione & quando imperator iterum & tertium dictus. 337. b. 338. a. b. 339. a
Sex. *Pompeji* Magni Pii caput in nummis. 335. a. 336. a
Q. *Pompejus* Rufus prætor Q. Fabii Allobrogici filio paternis bonis interdixit. 342. a
—— cos cum L. Corn. Sulla, ejusque caput in denariis gentis Pompejæ. 122. a. 342. a
—— perit Cn. Pompeji Strabonis perfidia, 122. b. 342. b
Q. *Pompejus* Q. F. Rufus, gener Sullæ, perit in seditione Sulpiciana. 122. b. 342. a. b
Q. *Pompejus* Q. F. Q. N. Rufus, coss. Rufi & Sullæ nepos, ejusque denarii. 122. a. b. 123. a. b. 342. a. b
Cn. *Pompejus* Sex. F. Cn. N. Strabo, pater Pompeji Magni, 340. a. 608. a
Sex. *Pompejus* Sex. F. Strabonis frater, vir eximius, & a studiis civilibus laudatus. 340. a
L. *Pompejus* quæstor provincialis, ejusque virtus. 340. a
P. *Pompejus* IIIvir monetalis senatus sub Aug. 341. b
Q. *Pompejus* A. F. nulla majorum commendatione, sua virtute ad cos. pervenit, ejusque nummi. 607. b
Sex. *Pompejus* cos. eo anno quo obiit Augustus. 341. b
Sex. *Pompejus* IIvir col. deducendæ sub Augusto. 609. a
T. *Pompejus* Sex. F. T. N, IIIvir monetalis senatus sub Aug. 341. a. b
T. *Pompejus* T. F. Flavio Josepho commemoratus. 341. b
T. *Pomponius* Atticus, an ejus nummi supersint. 341. b. 342. a
L. *Pomponius* Bassus Cappadociam legatus Cæsaris Domitiani rexit, ejus elogium & nummi. 350. b
—— post Domitiani mortem sub Nerva & Trajano mansit in provincia, atque Galatiam rexit. 350. b
Cn. *Pomponius*, vel Pompejus, Bucca IIvir col. Jul. Victr. Celsæ. 343. a. b
L. *Pomponius* vel Pompejus Baccus IIvir col. Jul. Victr. Celsæ. 343. a
C. *Pomponius* Capella IIvir municip. Aug. Bilbilis. 350. a
Cn. *Pomponius* Flaccus IIvir quinquennalis col. Victr. Jul. Novæ Carthaginis. 343. b
L. *Pomponius* Flaccus vir consularis. 340. a
L. *Pomponius* Flaccus proprætore Syriam rexit sub Tiberio, ejusque nummus. 350. a
M'. *Pomponius* M'. F. Matho, bellum contra Sardos gessit, ejus victoria & nummus. 609. b. 340. a. 344. a. b. 345. a. b
Q. *Pomponius* Musa, ejusque denarii. 344. a. b. 345. a. b. 346. a b 347. a. b. 348. a. b 449. a
C *Pomponius* Parra IIvir col. Cæs Augustæ 349. b. 350. a
Q. *Pomponius* Rufus ejusque nummi. 344 b. 345. a. b
Q *Pomponius* Rufus Q. F. Q. N 344 a
L. *Pomponius* Vejentanus a Pœnis captus. 340. a. b
Cn. *Pompejus* Cn. F Cn N. tribunus plebis. 344. b
L. *Pomponius* IIvir Corinthi sub Augusto. 349. b
Cn. *Pomponius*, vel Pompejus, IIIIvir Cluniæ. 343. b
L *Pomponius* IIvir col. deducendæ sub Aug. 609. b
L. *Pomponius* Cn. F IIIvir monetalis. 344. a
P. *Pomponius* IIvir Corinthi sub Augusto. 215. a
Sex. *Pomponius*, legatus Sempronii consulis. 340. b
Pons in Insubria, super Adduam fluvium, in nummo insigni Goltziano 632. a
Pons Lepidi in nummis. 9. a
Pontis Fabricii symbolum quod fit in nummo Romano. 176. a
—— quando exstructus. 176. a
C. *Pontinius* A. F propr. victoria ejus de Allobrogibus, & nummus tropæo insculptus. 609. b. 610. a
M. *Pontius* Marsus IIvir municipii Calaguris Juliæ. 274. a
C. *Popillius* iniquitatem judicii effugit, ultro in exilium profectus 104 b
M. *Popillius* Lænas cos. cum Postumio, ejusque nummus. 610. b. 611. a
M. *Popillius* M. F. Lænas, qui cos. bellum contra Numantinos infeliciter gessit; ejusque nummi. 611. a
Q. *Poppæus* Secundinus IIvir col. V. J. Celsæ sub Augusto. 611. b
Porca adhibebatur in fœderibus. 439. b. 440. a. 458. b
L. *Porcius* Capito IIvir quinquennalis col. Carth. Novæ 359. b
C. *Porcius* Cato tr. pl. conatur impedire Ptolemæi reductionem in regnum per Corn. Lentulum. 353 b
C. *Porcius* M. F. M. N. Cato, cos. male contra Scordiscos pugnavit. Ejus denarius. 353 b
L. *Porcius* M. F. Cato cos. cum Cn. Pompejo Strabone, ejusque nummus. 612. a
—— fraude & manu Marii junioris in prælio perit. 612. a
M. *Porcius* Cato Censorius Victoriæ Virginis ædem dedicavit. 353. a

M. Por-

M. Porcius Cato M. F. ex Hispania citeriore triumphavit, ejusque nummus. 611. b
M. Porcius Cato Uticensis, proprætore insignem vim denariorum in Africa ad usum belli civilis signavit. 352. b
—— denariorum ejusmodi typus & sensus. 352. b. 353. a. b. 354. a. b
M. Porcius Cato IIvir col. Cæsareæ Augustæ sub Aug 354. b
M. Porcius Cato IIIvir Col. Aug. Cæsareæ sub Tiberio. 354. b. 355. b. 356. a
Sex. Porcius Cato prætor vel præfectus legitur in C. Cæsaris nummo. 354. b
Porcius Cato IIIIvir col. deducendæ Panormum. 354. a
M. Porcius Læca trib. pl. ovationem L. Manlii Acidini impedit. 351. b. 352. a
M. Porcius Læca, male Lecca in libris, inter socios Catilinariæ conjurationis. 352. a
P. Porcius Læca trib. pl. legem fert de Provocatione, ejusque memoria in denario gentis Porciæ. 351. b
P. Porcius P. F. Læca, quæstor provincialis. 351. b
P. Porcius P. F. P. N Læca proquæstore. 352. a
L. Porcius L. F. M. N. Licinus cos. cum P. Claudio Pulchro, ejusque nummus. 611. b. 612. a
L. Porcius Licinus IIIvir monetalis. 351. a
L. Porcius IIvir col. Leptis primæ in Africa. 354. a
Portus Ostiensis quo typo in gentis Marciæ nummis expressus. 266. a. b. 268. a. b
Postumia gens, semper patricia mansit, nunquam plebeja facta. 356. a b
A. Postumius cos. & dictator, Postumiæ gentis decus. Ejus caput in Albini Bruti denariis. 356. a. b
—— victoria ejus nobilis ad lacum Regillensem, in denariis gentis Postumiæ. 357. b
—— stipatus latera Castore & Polluce in nummis. 357. b. 358. a
—— ejus dictatoris & consulis caput in nummis. 231. a
—— res gestæ. 231. b
A. Postumius Albinus cos. & flamen Martialis. 358. b
A. Postumius A. F. L. N. quæstor provinc. ejusque nummus. 612 a
A. Postumius Albinus Sp. F legatus fratris in bello Jugurthino 357 b
A. Postumius Albinus Sp. F. IIIvir monetalis, ejusque denarii nobiles. 357. b
A. Postumius Albinus XVvir sacrorum ludos sæculares quartos Apollini & Dianæ facit, unde horum deorum capita & symbola in denariis gentis Postumiæ. 358. a. 358. b. 359. a
A. Postumius Albinus A. F. Sp. N. prætor Siciliæ. 358. a. b
A. Postumius Albinus A. F. Sp. N. A. Pronep. ejusque denarii. 359. a q
C. Postumius Albinus Sp. F. L. N. 358. b. 359. a
C. Postumii nummus a C. P. fictus. 613. a
L. Postumius Albinus A. F. L. M. flamen Martialis, prætorius, bello Marsico periit 358, b
L. Postumius Albinus Sp. F. L. N. flamen Martialis. 358 b
L. Postumius Albinus prætor de Lusitanis & Vaccæis triumphat. 358. b
L. Postumius Sp. F. L. N. Albinus ejusque nummus victoriæ de Perseo testis 612 b
L. Postumius Albinus A. F. A. N. ejusque nummus. 612. a. b
M. Postumius Albinus IIvir & IIvir quinquennalis iterum col. Victr. Carth. Novæ. 359. b
M. Postumius Albinus censor cum Camillo. 360. a
Sp. Postumius L. F. A. N. Albinus & as uncialis ab eodem cusus 612. b
Sp. Postumius Albinus Sp F. L. N. flamen Martialis. 358. b
Sp. Postumius Albinus Paullulus quæst. M. Acilii Glabrionis ejus victoriam de Antiocho Magno in nummo celebravit. 612. b
Sp. Postumius Albinus Magnus ejusque nummus. 613. a
Sp. Postumius Sp. F. Sp. Paulluli N ejusque nummus. 613. a
L. Postumius L. F. L. N. Megellus, avi ter cos. triumphum de Samnitibus & Etruscis in nummo celebravit. 612. a
PR. non semper prætorem, sed præfectum nonnunquam significat. 296. a
Præfecti inter magistratus coloniarum quoque numerantur. 400. b
Præfecti & alii viri honorati, nonnunquam IIviri in coloniis fuerunt. 354. b
Præfecti titulus, scil. quinquennalitatis, honorarii quinquennalis M. Vipsanii Agrippæ in nummo quodam dicuntur Hiberus & Benignus 452. a
—— exemplum hoc inprimis notandum. 452. a
—— quinquennalitatis & decurionatus Cæsaris titulus in marmoribus & inscriptionibus occurrens. 452. a
Præfecti decurionatus vel quinquennalitatis Cæsaris. 11. a
—— duumviratus vel quinquennalitatis Cæsarum dicebantur qui vicem illorum supplebant. 235. b
—— IIvirales Cæsaris Augusti in nummis. 639. b
—— Germanorum occurrunt inter coloniarum duumviros. 234. b. 235. a
Præfectos urbi sex vel octo sub Lepido reliquit Cæsar in Hisp. proficiscens. 193. b. 194. a
—— eorum nomina. 194. a. 211. b. 246. a
—— sub Lepido tum VI. vel VIII. potius instituti fuerunt, eorumque prærogativæ & nummi. 246. a. b. 289. b. 296. a. b. 303. b. 304. a. 366. b. 367. a. 429. b. 492. a
Præfectus Urbi ante Cæsarem non erat magistratus in urbe, nisi exiguo tempore, quum coss. abessent propter ferias Latinas. 246. a
Prænomina duo in gente Sulpicia. 403. b
Præsides provinciarum cur non mutaverit imp. Tiberius. 414. b. 415. a
Prætores decem constituit Cæsar, pro octo, qui fuerant a temporibus Sullanis. 194. a
Prætores duo a Romanis in Siciliam mittebantur, quorum alter Syracusis, alter Lilybæi morabatur. 382. a
Prætores urbani non signabant pecuniam. 296. a. 357. b
Prætoria navis in denario gentis Lutatiæ. 254. b
Privernum captum, in nummis. 295. b. 330. a. b
Pro duumviris an in nummis inveniantur. 120. a
L. Procilius flamen Junonis Sospitæ ejusque denarii. 361. a
Procos. & proprætores bella apud Romanos sæpissime administrarunt. 513. a
C. Proculeius L. F. Augusti amicus, sub illo Corcyræ præfuisse videtur. 361. a. b
Proprætorum inscriptio in denario Romano. 352. b
Prora navis cujus rei symbolum in Norbani nummis. 297. a
Proræ plures in nummis quid designent. 446. b. 449. a
Proscriptorum sub IIIviris R. P. C. bona publicabantur. 393. b
Proserpinæ raptus in nummo Hennensi. 87. a
Provinciarum divisio inter Cæsarem Aug. & senatum. 74. b. 75. a
Pruna Africana in denario gentis Liciniæ. 240. b
Ptolemæus Apion, rex Cyrenarum, quam diu regnaverit. 251. b
Ptolemæus & Alexander, M. Antonii ex Cleopatra filii, Jubæ; Jubæ F. a Cæsare Octaviano donantur. 235. b
Ptolemæus, Jubæ F. ex Selene Antonii & Cleopatræ, a patre ad communionem regni adsciscitur. 236. b
—— ejus nummus, historia & interitus 236 a. b
—— IIvir quinquennalis in quodam nummo dicitur. 236. a. b
Publius Libonianus Strategus Sardianorum sub Trajano. 471. a
Pugiones in Bruti nummis. 229. a. 234. a
Pulcher IIvir I. II. III. Corinthi. 95. a. b
Pullus, nomen monetæ Corinthiacæ. 214. a
A. Pupius Rufus Bithyniæ præfuit, ejusque nummi. 361. b. 362. a. b
M. Pupius M. F Piso Frugi ejusque nummus. 613. a. b
Purpureo, Furiæ gentis cognomen. 189. a
Puteal Scribonii in denariis Scribonii Libonis. 378. a. 640. b
Puteal D. Julio erectum exstat in denario gentis Sepulliæ. 212. b

Q.

Q. litera antiquorum K. Corinthiacam originem denotans, in nummis Syracusanis, & Rom. ibidem cusis. 90. b. 119. a. 162. b. 204. b
Quadrigati. 28. b
Quæstores duo Roma in Siciliam mittebantur. 179. a
Quæstorum in gratiam pecunia ex S. C. signata. 67. a
Quæstorum numerus auctus ad viginti, sub dictatore Sulla. 373. b
Quatuorviri monetales. 31. b
Quatuorviri Cluniacenses. 344. b
Quatuorviri in coloniis quandoque leguntur. 470. b
—— monetales a Julio Cæsare instituti, & eorum nomina. 144. b. 178. b. 179. a
—— —— juxta annos suos dispositi. 211. b
Quinarii pretium bello Punico secundo ad octo asses auctum, ejusque exemplum 202. a
—— mansit & postea pretium novum nomen vetus. 202. a
T. Quinctilius Crispinus Sulpicianus IIIvir monetalis senatus sub Aug. 362. b. 363. a
—— vir consularis, perit inter adulteros Juliæ Aug. 362. b
P. Quinctilius S. F. Varus vir consularis per plures annos Syriam legatus proprætore administrat. 363. a
—— ejus nummi in Syria cusi. 363. a. b
—— perit in Germania cum legionibus ab Arminio cæsus. 363. b
P. Quinctilius Varus IIvir quinquennalis. 363. b
L. Quintius Crispinus ejusque nummus. 614. a
T. Quintius T. F. Crispinus Sulpicianus IIIvir monetal. sub Aug. 614. a
C. Quinctius Flamininus flamen Dialis. 363. a
T. Quinctius Flamininus, pater, filius, nepos, pronepos. 363. a
T. Quinctius T. F. L. N. Flamininus ædilis curulis, ejusque num-

nummi. 613. b
T. Quinctius T. F. T. N. L. pron. Flamininus ejusque nummus. 614. a
T. Quinctius Crispinus Valerianus IIvir col. deducendæ sub Aug. in nummis. 614. a
T. Quinctilius Sex. F. Varus IIIvir monetalis sub Aug. 614. a. b
Ti. Quinctius Mus, ejusque denarii notabiles. 460. a. b 467. b
L. Quinctius L. F. quinquennalis metropoleos coloniæ Syracusarum. 468. a. 469. a
Quindecimviri S. F. in denario Mescinii Rufi, curam habebant ludorum majorum & libris Sibyllinis erant præfecti. 260. a. b
Quinquennales honorarii nonnunquam Cæsares & Imp. erant, ut & Agrippa fuit. 452. b
—— Hadrianus Adriæ & in patria sua fuit. 452. a
Quintani cur elephantem pro insigni habuerint. 511. b
Quirinale sacerdotium tantum non hæreditarium in gente Fabia. 169. a
—— —— non tamen perpetuum. 655. a. b
Quirinales flamines a Numa instituti. 276. b
Quirini cognomen quænam gentes gesserint. 276. b
Quirinus, Romuli in cœlum recepti nomen, in nummis occurrit. 275. a. 276. a. b. 277. a
Quirini, sive Romuli caput in denario gentis Terentiæ. 412. b

R.

Rabirius in nummis Chiorum. 364. a
Raja piscis in Corcyrensium nummis. 361. b
Reni bigas trahunt in denario gentis Reniæ. 364. a
C. Renius ad nomen suum adlusit in denario. 364. a
Reparatio muneris feliciter inscriptio nummi contorniati. 475. a
Rhodiorum nummus. 504. a
Rhodus a Cassio, Cæsaris percussore, capta & spoliata, testibus denariis gentis Cassiæ. 81. a. b
Roci cognomen, & vocabula Belgica inde derivata. 145. b
Roma vox, non semper adscribitur denariis in Urbe cusis. 419. a
—— dea in bigis. 402. b
—— armata in bigis. 47. a
—— clypeis insidens in Poblicii denario. 331. b
Roma invicta, titulus tempp. Const. M. &c. 475. b
—— orbis domina, clypeis insidens. 49. a
—— renascens. 459. b. 460. a
—— renascens in imp. Galbæ nummis. 409. a
—— spoliis insidens in Nicomediensium nummis. 312. b
—— spoliis insidens a Victoria coronatur in denario C. Vibii Pansæ. 444. b
—— sive Juno Moneta in bigis a Victoria coronatur. 201. b
—— ut dea bellatrix in denariis pingitur. 178 a. 192. a
—— Victrix habitu Victoriæ sedens in denariis Porcii Catonis. 352. b. 353. a
Romæ epitheta. 195. b
Romæ deæ cultus in urbibus Græcis, Asiæ præsertim. 165. a
—— triumphalis typus in quadrigatis. 148. b
—— veteris variæ monetæ æreæ. 476. a. b. 477 a. b
—— ut reginæ mundi pictura in denario gentis Fusiæ. 185. a
—— ut restitutæ, nummi a Nerone post incendium urbis cusi, 474. a. b
Romæ summa ærarii inopia, & æreus nummus pro argenteo cusus tempp. belli Marsici sive Socialis. 571. a. b
Romani ab Etruscis insignia Magistratuum acceperunt. 224. a
Romani Italicæ libertatis raptores lupi dicti a Pontio Telesino. 373. a
Romani res turpes & Reip. labem & turpitudinem inferentes non signarunt. 264. a. b
Romuli, ut Quirini imago & facies, quomodo pingi in nummis soleat. 168. a. b
Romuli Quirini caput in denario gentis Memmiæ. 275. b
—— cur laurea coronetur. 276. b
—— in Varronis nummo. 626. b
Rosa Rhodi typus. 390. b
—— in denariis gentis Cassiæ, captam Rhodum respicit. 81. b. 82. a
L. Roscius Fabatus J. Cæsaris studiosissimus, ejusque quæstor in Galliis. 364. b. 365. a. b. 366. a. b
—— ejus denarii. ibid
Rostra nova, sive Julia, in denario gentis Sulpiciæ. 408. b
—— vetera erant ante curiam Hostiliam, eorum in denariis conspectus. 248. a. b
—— in denario C. Junii Silani. 580. a. 287. b
C. Rubellius Blandus IIIvir monetalis senatus sub Aug. 366. a
—— cos. suffectus Germanico. 366. a
—— progenies ejus Cæsarum domui adnexa. 366. a
C. Rubellius C. F. Blandus, progener Tiberii, ducta Neronis Germanici Julia. 366. a
C. Rubellius C. F. Plautus dictus, non Blandus, ob maternam nobilitatem jussu Neronis in Asia interficitur. 366. a
Rubrii inter celeberrimos medicos veteres recensentur. 367. b. 368. a
—— videtur eorum aliquis fuisse inter legatos, qui Æsculapium Epidauro arcessiverunt. 368. a
Rubrii Dosseni nummus a C. P. fictus. 614. b
L. Rubrius Dossenus inter VII. præfectos Urbi Cæsaris unus. 366. b
—— ejus nummi. 366. a. b. 367. a. b
P. Rupilius P. F. P. N. Lupus, quæstor denarium in Sullæ gratiam signavit. 522. a
P. Rupilius P. F. ejusque nummus. 614. b
P. Rupilius cos. bellum servile in Sicilia feliciter conficit, ovatio ejusdem & nummus victoriæ testis. 614. b. 615. a
Rufo, cognomen variarum familiarum. 40. a
Rusticelia gentis Bæbiæ cognomen. 369. b. 370. b
Rusticelii varii in Inscriptionibus antiquis. 370. b
C. Rusticellus, orator Bononiensis. 370. a
Rusticellus Hercules. 370. a
L. Rustius IIIvir monetalis temp. Julii Cæsaris. 368. b
Q. Rustius IIIvir monetalis Cæsaris Augusti. 368. b. 369. a
L. Rutilius Flaccus, ejusque denarius. 370. b
L. Rutilius IIIvir cum Q. Marcio. 268. b
L. Rutilius Lupus ædilis curulis, ejusque nummus. 615. a

S.

S. litera semissis nota. 4. b
S. in nummulis argenteis forte senarium significat. 465. b
S. C. cur in æreis non modo, sed argenteis sæpe nummis inveniatur. 247. b
S. C. cur in quibusdam nummis coss. nomine ædilium signatis, adscribatur. 403. a
S. C. in denariis sub Cæsaribus cusis adpositus, semper aliquid singulare denotat. 395. b
S. C. D. T. i. e. Senatusconsulto dedicato tripode. 457. a
S. H. vel H. S. nota Sestertii in nummulis argenteis. 385. a. 466. a
S. P. S. C. quid significent. 161. b
C. Sabinius IIvir col. Cæs. Aug. 96. b
Sacerdotium aliquando duplex, aliquando triplex habebant. 103. a
Sacerdotis cognomen pluribus familiis proprium. 400. b
Salacia, Neptuni sponsa, & an ejus sese filium dixerit Sex. Pompejus. 338. b. 339. a
Salii Pallorii & Pavorii a Tullo Hostilio instituti. 199. a
Salinator, cognomen & Liviæ & Oppiæ gentis. 245. a
C Sallustius Crispus historicus in nummo contorniato. 372. a
Salius sacerdos in nummo Sanquiniæ gentis. 372. b
C. Sallustius Justus IIvir Uticæ sub Tiberio. 448. b
P. Salpa IIvir Leptitanus. 186. b
Salve Sextus Pius Imperator in nummo Sex. Pompeji. 339. a
Salvidienus passim adpellatur a scriptoribus, qui in nummis dicitur Salvius. 371. a. b
Salvius, tribunus plebis, in magistratu prima triumvirorum victima occiditur. 371. b
L. Salvius M. F. Otho, pater imperatoris Othonis. 371. b
M. Salvius Otho, imperatoris avus, IIIvir monetalis senatus sub Augusto. 371. b. 372. a
Q. Salvius, aliis Salvidienus, imp. cos. design. ejus denarius, varia fortuna, & supplicium. 371. a. b
Salus Augusta ad caput Liviæ Augusti, & Cæsoniæ, Caji uxoris. 313. b. 550. a
Salus generis humani, in nummis Augusti vel Galbæ. 462. a. 464. a
Salus & Libertas ad typum Minervæ armatæ adscriptum. 463. a
Saluti Augustæ ara inscripta in col. Illice, tempp. detectæ conjurationis Sejani. 394. a
Salutis ædes a Junio Bubulco Bruto vota & dedicata. 223. a. b
M. Sanquinius IIIvir monet. in denario Goltziano M. F. vocatur. 615. a
M. Sanquinius IIIvir monetalis alter P. F. in denario Goltziano vocatur. 615. a. b
M. Sanquinius Q. F. IIIvir monetalis senatus cum L. Mescinio Rufo sub Augusto. 372. b
—— triumvir item monetalis senatus sub Augusto. 373. a
Sardi herois caput in nummis. 37. a
Sardianorum nummus in honorem Trajani. 471. a
Sardopatoris fanum in Sardinia. 37. b
Safernæ, pater & filius, nobiles scriptores rei rusticæ. 200. a
L. Satrius vel Satrienus, quæstor videtur fuisse temp. Sullæ. 373. b
L. Satrienus vel Saturninus IIIIvir monetalis Julii Cæsaris, ut videtur. 177. a
L. Satrieni nummus. 384. a
P. Satrienus inter quæstores Sullæ ejusque denarii. 373. a
Saturnalitii nummi & missiles. 466. 467. a. 287. b
Saturnus ærario præsidet, unde in nummis signari solet. 278. a. b

—— Janum urbes munire docuit, unde caput quoque Jani vallis cingitur. 420. b
—— in quadrigis dexrra falcem tenens. 383. a. b
—— ærarii præses. 383. b
C. Saufejus quæstor, perfide a Mario, contra datam fidem, necatur. 374. a
L. Saufejus in proscriptione triumvirali, Attici amicitia evasit. 373. b
L. Saufejus alius antiquior tempp. belli Punici primi, 373. b
Saxæ cognomen quænam gentes habuerint. 374. a
Sceptrum adponitur ad caput Neronis juvenis, in nummo Volumnii. 457. b
Scorpio, in nummis Africæ symbolum. 34. a. 495. a
—— in iisdem Commagenes symbolum. 34. b
Scribonia, Libonum soror, Augusto nupta & ab illo dimissa. 377. b
C. Scribonii Curiones complures tempp. Liberæ Reip. 374. b
C. Scribonius Curio creatur curio maximus, ejusque nummi. 374. b
C. Scribonius Libo aliquis; an triumvir monetalis cum Q. Marcio fuerit. 269. b
C. Scribonius Dardanos & Mæsios subigit, tropæum ejusdem, triumphus, & nummus. 620. a.
Scriboniorum Libonum stemma. 377. a. b
L. Scribonii Libonis, soceri Sex. Pompeji, caput in denario filii M. Livii Drusi Libonis. 586. b
L. Scribonius Libo cos. a. 720. 377. a
L. Scribonius Libo L. F. 377. a
L. Scribonius Libo L. F. L. N. cos. a. 769. 377. a
L. Scribonius Libo Drusus, ejusque nummus. 641. a
L. Scribonius Libo Drusus, Scribonii Libonis & Sexti Pompeji filiæ Pompejæ F. Cn. Pompeji N. sub Tiberio occiditur. 377. b. 378. a
L. Scribonius Libo IIIvir monetalis cum Varrone & Lucretio. 411. b. 412. a. b
S.r..um in nummo Marci Trogi. 271. a
S..fa fœta in denario gentis Sulpiciæ quid significet. 408. a
Scyllæ figura in denariis gentis Pompejæ. 337. b
Sebaste colonia sub Aug. deducta. 531. a
—— forte eadem, quæ in Hisp. dicitur Augusta Cæsarea. 531. b
Secures in fascibus aliquando caput equinum, aliquando arietinum pro ornamento habent. 243. a. 297. a
Sejanus cos. collega Tiberii inscribitur in nummis Bilbilitanis. 8. b. 356. a
—— ejus nomen publice in nummis erasum post mortem, & singularis ejusmodi nummus in musæo nostro. 8. b. 355. b
Semissium pondus quando imminutum fuerit. 4. b. 130. a. 131. b. 133. b
Semivocales literæ sæpius non geminabantur apud veteres. 243. b
Semo Sancus. 460. a
Semonis Sanci cultus Reate & Romæ. 83. a. b
Sempronii Atratini, prænomine A. & L. complures fuerunt sub libera Rep. 380. b. 382. a
A. Sempronius Atratinus, cos. sub Domitiano 381. a
L. Sempronius Atratinus L. F. L. pater, semel absolutus, iterum ambitus accusatur a M. Cœlio, patremque filius ulciscitur. 381. a
L. Sempronius L. F. Atratinus, ejusque nummus. 617. b
L. Sempronius Atratinus temp. Julii Cæsaris prætor Lilybætanus, idem forte, qui postea M. Antonii præfectus classi fuit 381. b. 382. a
L. Sempronius Atratinus, L. F. L. N. augur, præfectus Classi M Antonii, ejusque nummi 381. a b
—— quot annis præfectura illa functus fuerit, & quæ deinceps gesserit. 381. a
L. Sempronius Atratinus, augur, cos. design. in nummo M. Antonii 25. a
M. Sempronius Barbatus IIvir municipii Calaguris Juliæ. 382. b
C. Sempronius Ti F. Ti. N. Blæsus, triumphus ejus & nummus victoriæ Africanæ testis. 616. a
M. Sempronius Fronto IIvir municip. Turiasonis. 409. b
L. Sempronius Geminus IIvir Saguntinus. 382. b
Ti. Sempronius P. F. Ti. N. Gracchus, ejusque nummus. 617. a. b
Ti. Sempronius Ti. F. Ti. N. Gracchus procos. de Pœnis triumphavit; & nummus ejus victoriæ & tropæi testis. 616. b. 617 a
—— a Lucano hospite proditus perit. 617. a
Ti. Sempronius Ti. F. Gracchus legatus procos. ejusque nummus. 618. a
Ti. Sempronii Gracchi de Sardis triumphus navalis. 571. a
Ti. Sempronius Gracchus ædilis curulis ludos sumtuosissime edidit. 488. a. 618. a. b
Ti. Sempronius Graccus IIIIvir quæstor, designatus, ejusque denarii. 379. a. b. 618. b
—— IIIvir monetalis senatus. 380. a. b
—— inter adulteros Juliæ, ejusque interitus. 379. b
—— idem quæstor iterum inscribitur in denariis Goltzianis. 618. b
Ti. Sempronius C. F. Longus ejusque nummus. 616. b
A. Sempronius Musca C. Gallium deprehensum in adulterio flagellis cecidit. 191. a
L. Sempronius Pitio, videtur tempp. belli Punici primi vixisse, ejus nummi. 378. b. 379. a. 380. a. b
P. Sempronius Sopus vel Sophus trib. pl. a. DIX. & postea ædilis, ejusque nummus. 615. b. 616. a
P. Sempronius C. F. C. N. Tuditanus, ejusque nummi. 617. a
—— fortitudo ejus & utile consilium post cladem Cannensem. 617. a
C. Sempronius C. F. C. N. Tuditanus, victoriæ ejusdem & nummus. 617. b
—— quid sibi in statua inscripserit. 617. b.
M. Sempronius M. F. M. N. Tuditanus ejusque nummus. 616. a. b
C. Sempronius IIvir Municipii Calaguris Juliæ. 382. b
M. Sempronius IIvir municipii Aug. Bilbilis. 382. b
Senatus Romanus cur barbatus fingatur in Cretensium nummis 130. b
Sentiam feliciter. in nummulo plumbeo. 461. a
Sentii Saturnini sub primis Cæsaribus ingenti justitiæ & probitatis laude floruerunt. 383. a
C. Sentius Saturninus, qui Macedoniæ præfuit, primus sellæ curulis decus in familiam suam intulit. 383. a
C. Sentius C. F. Saturninus IIIvir monetalis senat. sub Augusto. 619. a
Cn. Sentius Saturninus C. F. ejusque progenies. 383. a
L. Sentius Saturninus IIIvir monetalis, primus videtur denarios ex argento publico, per legem Gratidianam signasse. 383. a
Septa, ponticulus, & suffragiorum ferendorum ratio in denario gentis Hostiliæ. 200. b
Septemviri Epulones in denariis gentis Cœliæ. 102. a. b
P. *Sepullius* Macer, quo anno IVvir monetalis extiterit, ejusque denarii. 211. b. 212. a
—— forte duo fuerunt diversi. 212. a
P. *Sepullius* Macer IIIIvir monetal. sub IIIviris. 383. b. 384. a. b. 385. a. 619. a. b
Sergii nummus a C. P. fictus. 620. a
L. Sergius pater Catilinæ. 386. a
L. Sergius Catilina perduellis proavum, vel potius tritavum habuit M. Sergium Silum, virum fortissimum. 386. b
Cn. Sergius Silus a Metello Celere sollicitati stupri damnatus. 386. a
M. Sergius Silus Catilinæ abavus vel tritavus, ejus mira fortitudo & statua equestris in denario gentis Sergiæ. 385. b. 388. b
M. Sergius M. F. Silus, qu. prov. & præfectus coh. socior. bello contra Persen. 386. a
M. Sergius M. F. M. N. Silus, avus Catilinæ. qu. prov. 386. a
M. Sergius M. F. M. N. M. Pronep. Silus, prætor prov. 386. a
M. Sergius Silus, quæstor urbanus, ejusque denarius. 386. b
Serotenius Capito in nummo Acmonensium sub Nerone. 471. a
Serpens renovationis symbolum. 467. a
Serpens Epidaurius cur in nummo gentis Fabriciæ. 176. a
Serpens, non modo Pergami, ob Æsculapium, sed & Smyrnæ & Ephesi symbolum. 59. a
Serpentes duo cum ovo in vetustis monumentis. 163. b. 164. a
Servii simpliciter sæpe dicuntur Servii Sulpicii. 404. a
Servilia Q. Cæpionis F. nupsit L. Lucullo. 303. a
Servilia, altera Q. Cæpionis F. Bruto per Pompejum interfecto, D. Silano nupsit 230. a. 393. a
—— mater M. Junii Bruti. 221. a
—— nuptiæ ejus & liberi. 230. a
Serveilius & Servilius, Cassius & Casseius scribebatur. 392. a
Servilii Ahalæ caput in nummis. 220. b
M. Servilius M. F. Ahala, legatus C. Cassii in bello civili, ejusque denarii. 390. b. 391. a
M. Servilius Ahala, a Q. Metello Celere repetundarum postulatus. 392. a
Servilius Cæpio quæstor ad fruges emundas in nummo. 393. a
Cn. Servilius Cn. F. Cæpio ejusque nummus. 620. a. b
Q. Servilius Q. F. Cæpio, victoria ejus de Lusitanis, triumphus, & denarius. 620. b
Q. Servilius Cæpio pater Q. Cæpionis & duarum Serviliarum. 393. a
Q. Servilius Cæpio Q. F. sororis Serviliæ filium M. Junium Brutum adoptat. 330. a. 393. a
—— frater uterinus M. Catonis Uticensis. 230. a
—— Æni in Thracia vita defunctus. 230. a
Q. (Servilius) Cæpio Brutus imp. propter adoptionem a Cæpione factam, in nummis quibusdam dicitur Brutus. 393. a

P. Servilius C. F. M. N. Vatia, proprætore triumphat ex Cilicia de Isauris, unde Isaurici nomen accepit; ejusque nummi. 620. b. 621. a. b
P. Servilius P. F. C. N. Isauricus, bis cos. ejusque nummus. 621. b
C. Servilius C. F. forte Casca dictus, ædilis a. 580. renovata Floræ sacra primus edidit. 392. a
C. & P. *Servilii* Cascæ Longi, fratres, percussores Cæsaris. 227. a. b. 228. a. b. 391. a. b
——— conjuratio eorum depingitur in denario gentis Serviliæ. 392. a
——— alter eorum agnomen insuper Primi alter Longi habuisse videtur. 392. a. b
——— patrem videntur habuisse C. Servilium Augurem. 392. a
——— epigramma vetus in utriusque mortem. 227. b. 391. a. b
M. Servilius Geminus, IIIvir monetalis senatus sub Aug. ejusque nummus. 621. b
C. Servilius Manlianus Augur, ejus a Luculli accusatione discrimen & denarii. 388. a. b
C. Servilius Primus C. Servilii Cascæ Primi, ut videtur, filius, IIvir Corinthi sub Aug. ejusque nummus. 393. a
C. Servilius C. F. P. N. Pulex Geminus, magister equitum dictatore Manlio. 387. b
C. Servilius M. F. C. N. P. Pronepos, Pulex Geminus, ejusque denarii & nummi. 387. b. 388. a. 389. a. b 393. a
C. Servilius C. F. Pulex Geminus prætor, a Gallis Bojis captus. 393. a
M. Servilius Pulex Geminus, ter & vicies singulari certamine vicit, ejus virtus in nummis celebrata. 387. a
M. Servilius M. F. Pulex Geminus, ejusque denarii. 387. a. b
Servius Rufus IIvir Corinthi. 97. a
P. Servilius M. F. Rullus, quæstor Sullæ in bello Mithrid. ejusque denarii. 389. b
P. Servilius P. F. M. N. Rullus, trib. pl. tempp. Ciceronis. 389. b
Sestertii nota HS. 385. a
Sestertius nummulus tenuis, dimidia pars quinarii, non est vulgaris 466. a
Sestertius ad quatuor asses bello Punico II. auctus. 202. a
Sestii, Sextii, & Cestii an diversi fuerint. 86. b. 87. a. 231. a. b
L. Sestius P. F. IIIvir (ut videtur) monetalis sub Julio Cæsare, ejusque nummus. 621. b. 622. a
L. Sestius proquæstore Bruti, ejus historia & nummi. 230. b
L. Sestius P. F. quæstor Bruti, ejus laus, fata & denarii atque quinarii. 393. b
L. Sestius Celer IIIvir col. imm. Illicis Aug. sub Tiberio. 394. a
P. Sestius tr. pleb. & prætor Ciliciæ. 393. b
Sexdecim nota (*sic* XVI.) denotat auctum denariorum pretium. 202. a. 419 a. 429. a
L. Sextilius L. F. magister juventutis in nummis antiquis. 287. b. 288. a. 394. b
L. Sextilius IIIvir damnatus, quod tardius venisset, incendio in Sacra Via orto. 394. b
C. Sextius C. F. Calvinus, procos. de Liguribus triumphavit; ejus denarii. 622. a. b
C. Sextius ædilis Nassicæ sub Augusto. 427. b
Sextius (Tidius) senex & claudus, ad Pompejum in Macedoniam venit. 87. a
Sibyllæ caput in nummo gentis Carisiæ. 72. a. b
——— in denario Manlii quid significet. 260. b
——— in denario gentis Valeriæ. 424. b
Sibyllinorum librorum ab Augusto delectus habitus. 260. b
Sicilia duos quæstores a Romanis accipiebat. 179. a
——— C. Cæsaris opera a tyrannide Sex. Pompeji liberata. 33. a
Siciliæ triquetræ typus in denario Romano ibi cuso 121. a
Sicinius, Q. Pompeji censorii sororis filius, probabilis orator. 396. a
Cn. Sicinius, homo impurus, sed valde facetus. 396. a
Q. Sicinius Dentatus, ejusque fortitudo. 394. b
Q. Sicinius IIIvir monetalis Cæsaris Augusti. 394. b. 395. a. b. 396. a
Signa venerabantur milites. 464. a
Silani aquarum. 222. b
Sileni persona scenica cur in denariis Vibii Pansæ. 442. a. 444. a. b. 445. b. 446. b
Sileni typus in nummo Norbani utrem ferentis humeris, vini & olei curam in præfecto Urbi denotat. 297. b
Silenus in Bostræ, Damasci, multisque aliis Rom. Colon. nummis. 264. b
Sili & Silones a naso repando ita dicti. 386. a
C. Silius P. F. IIIvir monetalis senatus sub Aug. ejusque nummi. 396. a. b
——— pervenit ad consulatum, ejus laus, res gestæ & interitus. 396. a. b
C. Silius C. F. Romanorum formosissimus, propter Messalinam sub Claudio adfligitur. 396. a. b
C. Silius P. F. IIIvir monetal. senat. sub Augusto. 623. a
P. Silius Nerva, ejusque semisses & quadrantes. 240. a
P. Silius P. F. C. N. Nerva procos. ejus victoria ex Alpibus & de Pannoniis, triumphus & nummus. 622. b
P. Silius Nerva C. Papirio Carboni in administranda Bithynia successit. 312. b
——— continentior prædecessoribus suis Carbone & Cotta. 313. a
P. Silius (pro quo alii Licinius) Nerva; ejusque denarius ad comitia & suffragia spectans. 239. a
Silvani imago in nummulo plumbeo. 461. a
Sindorum, Thracum servorum, contra dominos pugna & clades in denario gentis Didiæ. 152. b. 153. a
Sirenes imago in denario P. Petronii. 316. b
Sisena pro Sisenna. 131. b
Sisennæ unde dicti. 133. b
Sitella, pro ferendis suffragiis, in denario gentis Cassiæ. 79. b
Smyrnæi Claudio nuptias cum Agrippina gratulantur. 192. b
Smyrnæi Tiberio templum exstruunt. 320. a
Smyrnæorum nummi. 469. b
Solæ, urbs, postea Pompejopolis dicta. 339. b
Solis sive Apollinis caput in nummis Hispanicis. 105. a
Solis & Lunæ astra, quid in Augusti denario significent. 317. b. 318. a
Sortis deæ bustum in denario gentis Plætoriæ. 232. b
——— Prænestinæ ædes restitutæ. 324. a
——— ——— ejusdem templi figura. 324. a. b
——— cur numero plurali dicantur Sortes Prænestinæ. 324. b
Sosia Galla C. Sosii neptis, cum marito C. Silio adfligitur. 398. a
C. Sosius imp. dux M. Antonii, ejus res gestæ in Judæa &c. & nummi. 396. b. 397. a. b. 398. a
——— M. Antonio semper fidus veniam a Cæsare postea meruit. 398. a
——— nummus ejus cum quadrigis ejusdem triumphalibus. 622. b
Sosius alius a præced. apud Dion. Cass. perit cum Tarcondimoto. 398. a
Sphingis figura in nummo gentis Carisiæ. 72. a. b
——— in Chiorum nummis Homeri symbolum. 364. a
——— in multis nummis Augusti in Hispania cusis. 468. b
Spica frumenti, fertilitatis Africanæ symbolum. 241. b
——— annonæ curam denotat in Norbani nummis. 296. b. 297. a
——— Siciliæ vel Sardiniæ symbolum. 202. b
Spicæ frumenti duæ, Siciliæ symbolum. 262. b
Spinther, cognomen Lentulorum, & unde. 115. b. 116. a. b
A. Spurilius, vel Spurina, ejusque denarius. 398. a
Cn. Statilius vel Statius Libo præfectus, ejusque nummus. 400. a. b
L. Statilius Sisenna, procos. ejusque nummi. 133. a. b
T. Statilius Taurus, victoria ejus navalis de Sexto Pompejo, & denarius ejus rei testis. 623. a
T. Statilius T. F. Taurus IIIvir monet. senatus sub Augusto, ejusque nummi. 623. a. b
Statilius Taurus IIIvir senatus sub Augusto. 400. a
T. Statilii Tauri duo sub Augusto ad consulatum pervenerunt. 531. b
Statilii Tauri complures sub Cæsaribus primis. 400. a
L. Statius Murcus, denarius ejus, res gestæ sub J. Cæsare & post necem ejus, atque interitus. 398. b. 399. a. b
Statius Murcus quidam inter percussores Cæsaris numerari cupit, ejusque interitus. 399. b
Statua equestris M. Æmilii Lepidi. 9. b
——— ——— regis Anci Marcii in nummo gentis Æmiliæ, 9. b
Statuæ in rostris positæ, quid significent. 136. a
Stolonum cognomen unde Licinii, antea Calvi dicti, acceperint. 240. a
Strobilus in Tiberii nummis signum urbis Augustæ Vindelicorum. 533. b. 618. a
Struthiocamelus in gentis Fabiæ nummis Africæ symbolum. 170. b. 172. b
Stymphalis avis in denario gentis Valeriæ. 424. b. 425. a
Suffetes, summi magistratus Carthagine, 141. b. 249. b
——— a Sophetim i. e. judices, ita dicti. 241. b
——— in nummis quibusdam antiquis occurrunt. 141. b. 142. a
Suilii a scriptoribus vocantur, qui in nummis Suillii. 401. b
M. Suillius Nervilianus vir cos. sub Claudio Asiæ præfuit, ejusque nummi. 401. a. b
M. Suillius P. F. Nerulinus, sub Vespasiano præfuit Asiæ, ejusque nummus. 401, a. b. 402. a
P. Suillius Rufus famosus sub Claudio accusandis reis, ejusque sub Nerone exilium. 401. a. 402. b
Sula pro Sulla. 130. a
Sulla Dictator cur Epaphroditi & Felicis agnomina adsumserit. 125. b. 183. a
——— lentis bigis invehitur in denariis gentis Egnatiæ & Vel-

Vettiæ. 438. a
—— prodigiosum ejus epulum ex decimis bonorum Herculi votis. 438. a
—— quamvis ter tropæum erexerit, semel modo triumphavit. 494. a
Sullæ somnium in denario Bucæ. 13. a
—— caput in nummis. 122. a. b
—— conjuges & liberi. 122. a
—— annulus traditione Jugurthæ insculptus. 124. a
—— annulus tria tropæa insculpta habens. 126. a
—— triumphus Mithridaticus. 127. a. b. 128. a. 299. a
—— facies rubicunda, & jocus in colorem illum. 130. a. Vide L. Cornelius Sulla.
Sulpicia gens antiquissima. 408. a
C. *Sulpicii* complures in historia Romana. 408. a
Sulpicius, quasi Suispicius dictus. 408. a
C. *Sulpicius* Galba pontifex. 403. a
L. *Sulpicius* Galba pontifex. 403. a
P. *Sulpicius* Galba Maximus cos. factus nullo ante magistratu curuli gesto, ejusque in nummis victoria Macedonica. 403. a. b. 405. a. b. 406. a. 409. b
P. *Sulpicius* Ser. F. Galba Maximus cos. ejusque nummus. 624. a
P. *Sulpicius* Galba, ejus nummus in victoriæ Macedonicæ testimonium. 625. a
P. *Sulpicius* Ser. F. Ser. N. Galba, inter quæstores Sullæ, ejusque nummus. 624. a
P. *Sulpicius* Galba, Sergii Galbæ oratoris nepos, Ciceronis in petendo cos. competitor. Ejus ut quæstoris Sullæ denarius. 403. a
—— inter pontifices lectus, ejusque, ut ædilis curulis, denarius. 403. a
P. *Servius* Sulpicius Galba Rufus Ser. F. legatus Cæsaris bello Gallico. 404. a
—— lege Pedia damnatus. 405. a
Ser. *Sulpicius* Galba ejusque denarius. 624. a
Servius Sulpicius Galba, quæstor Q. Metelli in expedit. contra Baleares. 406. a
Ser. *Sulpicius* Galba IIIvir monetalis senatus sub Augusto. 625. a
Servius Sulpicius Galba imp. plurimos nummos cum typo Hispaniæ & Galliæ signavit. 406. b. 407. a. b. 408. a. b. 409. a
C. *Sulpicius* C. F. C. N. Galus, triumphus ejus de Liguribus, & nummus. 624. a
M' *Sulpicius* Lucanus IIvir munic. Turiasonis. 409. b
C. *Sulpicius* Paterculus de Pœnis triumphat, ejus nummus triumphi testis. 623. b
C. *Sulpicius* Platorinus IIIvir monetalis Cæs. Aug. 408. b. 409. a
M. *Sulpicius* Proclus, qui sub Tito Bithyniam proconsule rexit, videtur fuisse successor M. Plancii Vari. 406. b
—— ejus nummus. 406. b
P. *Sulpicius* P. F. Quirinus IIvir ejusque nummus. 624. b
—— pater Quirini sive Cyrenii, quo procos. Syriæ natus est Servator. 624. b
—— ignobiliter natus, ad Sulpicios, qui Romuli ætate floruerunt, originem retulit. 625. a
L. *Servius* Sulpicius Rufus Ser. F. ejusque nummi. 403. a. b. 404. a. b
Q. *Sulpicius* Rufus in inscript. antiqua. 405. a
Servius Sulpicius, Rufus cognomine primus dictus; tribun. mil. cos. pot. Tusculum obsidione liberavit & Latinos fugavit. Nummi cum capite Servii & ejus rei testes. 404. a. b. 405. a
Servius Sulpicius Q. F. Rufus ICtus, vir consularis, ejusque mors & honor post mortem habitus. 404. a
Ser. *Sulpicius* Rufus IIIIvir ejusque nummus. 624. a. b
Sulpicius Rufus, ludi procurator, inter Messalinæ mæchos periit. 405. a
C. *Sulpicius* C. F. ejusque denarii. 408. a. b
Sulpicius IIvir coloniæ deducendæ sub Augusto. 624. b
Sura, cognomen fuit non modo Corn. Lentulorum, sed & aliarum familiarum. 119. b. 120. a
Suræ agnomen unde quibusdam Lentulis accesserit. 116. b. 119. b
L. *Sura* IIvir coloniæ Leptitanæ in Africa. 119. b. 120. a
Sus, Cereri sacrata victima. 442. b. 443. a
Symbola in nummis sæpissime ad nomina familiarum alludunt. 467. b
Syracusæ captæ, ejusque rei symbolum. 262. b
Syracusæ, colonia facta Romanorum sub Augusto, colonia metropolis in nummis vocantur. 468. a. 469. a
Syriæ præsides Vibius Marsus, Cassius Longinus, Ummidius Quadratus, Domitius Corbulo. 454. a

T.

T. *G. P. R.* 602. a
Tadii & Tadiani in inscriptionibus antiquis. 410. a. b
P. *Tadius* IIvir Corinthi. 410. a
P. *Tadius*, legatus Verris. 410. a
Q. *Tadius*. 410. a
Sex. *Tadius* Faustus IIvir municip. J. Uticensis. 410. b
Tarenti situs per Neptuni quadrigas expressus. 554. b
L. *Tarius* Rufus, ejus nummus testis coloniæ Corinthum a Julio Cæsare deductæ. 625. a. b
Tarpeja virgo scutis obruta in gentium Petroniæ & Titurlæ nummis. 318. a. 419. a. 420. a
Tarquinius Priscus Tuscos subegit. 224. b
Tarquitius Priscus, dux partium Sertorianarum. 410. b
M. *Tarquitius* Priscus Bithyniæ rector procos. potest. præditus sub Nerone, ejusque nummus. 411. a
—— repetundarum damnatur. 411. a
P. *Tarquitius* tr. pl. cliens & adsecla M. Drusi. 410. b
Q. *Tarquitius* P. F. quæstor sub C. Annio ejusque denarius. 410. b
Tatii Sabini regis caput in denariis gentis Tituriæ. 419. a. b. 420. a
—— —— in denario gentis Vettiæ 436. a
Taurus frociens cur in Julii Cæsaris denariis, a Regulo cusis, cernatur. 213. a. b
—— cur in denariis gentis Thoriæ. 416. a. b
Temenothuritarum nummus in Ciceronis gratiam. 423. b. 424. a
Templum Apollinis Palatini a Cæsare Aug. dedicatum. 393. a
—— Augusti in urbe Corintho. 35. b
—— Augusti & Livii Corinthi. 350. a
—— Augusto Carthagine Nova positum. 360. a. b
—— Cereris Liberi Liberæque, a Postumio dictatore votum, consul Cassius dedicavit. 231. b
—— Clementiæ Cæsaris. 574. b
—— Jovis Capitolini. 455. a
—— Jovis Capitolini ejusque statua. 458. a. 530. b
—— Jovis Feretrii ab Augusto restitutum. 135. b
—— divi Julii Cæsaris. 527. b. 654. b
—— Julii Cæsaris sex columnarum ordines pro quatuor accipit. 549. b. 550 a
—— Romæ, & Imperii apud Corinthios. 71. b
—— Vestæ in gentis Cassiæ denariis. 76. b
Ter Paullus quid significet in nummo gentis Æmiliæ. 489. a. 494. a
Terentii Culleones varii in Rep. Rom. 414. a
Q. *Terentius* Culleo procos. IIvir ejusque nummi. 413. b. 414. a. b
—— Macedoniæ sub Aug. præfuit. 414. b
Q. *Terentius* Culleo, senator bello Punico captus & redditus. 413. b. 414. a
—— prætorius deinde, ut linguæ Punicæ gnarus, legatus in Africam missus. 414. a
P. *Terentius* Hispo. 413. a.
P. *Terentius* poëta comicus. 413. a. b
—— ejus nummus Contorniatus. 413. b
L. *Terentius* Longus IIvir col. imm. Ill. Aug. 415. b
P. *Terentius* Lucanus Terentii poëtæ patronus. 411. b. 412. a. b. 413. a
C. *Terentius* Lucanus pictor. 411. b
Q. *Terentius* Montanus IIvir coloniæ Illices sub Augusto. 314. a
C. *Terentius* Sura IIvir munic. Ergavicæ. 415. a. b
P. *Terentius* Tuscivicanus. 413. a
A. *Terentius* C. F. A. N. Varro de Celtiberis ex Hispania citeriore ovationem meruit, ejusque nummus. 626. a. b
C. *Terentius* A. F. Varro Cannensis cladis auctor, ejusque nummus. 625. b. 626. a
C. *Terentius* Varro obsides Arretinos Romam deducit, ejusque nummi. 411. b 412. a
M. *Terentius* M. F. Varro Lucullus, ejusque nummus. 626. b
—— ad tempora Romuli originem familiæ suæ retulit. 627. a
M. *Terentius* Varro quæstor & legatus Cn. Pompeji, ejusque nummi. 412. b. 413. a
Terminalis cippus. 468. a
Termini dei statua. 64. b
—— cur ejus statua & caput in gentis Calpurniæ nummis exprimatur. 65. a. b
Terpsichores Musæ ornatus in nummis. 348. b
Thensa Cæsaris. 366. b
Thensæ deorum dearumque in Rubriæ gentis nummis. 367. a. b
Thesaurus Numismatico-Geographicus ab auctore promissus. 459. b
Thesaurus Regius, omnia complectens regna vetera Græcorum, ab auctore hujus operis edendus. 236. b. 262. b. 398. a. 646. b
Thessalonicensium nummus in honorem Julii Cæsaris. 576. a
L. *Thorius* Balbus, quæstorum XX. tempp. Sullæ unus. 416. a
—— ejus nummi. 415. b. 416. a
—— ejus voluptates & laus apud Ciceronem. 416. a
Sp. Thorius Balbus tr. pl. legem agrariam tulit, & de pecore agros alienos depascente. 416. a
Thorius Balbus procos. Bithyniæ, ejusque nummus. 416. b

Tiara ſeu Cidaris, geſtamen regum Armeniæ. 27. a
Tiberii ſtatua Carthagine a Suffetibus ſpecie Mercurii poſita fuiſſe videtur. 142. a
—— ſtatua equeſtris in col. Cæſarea Auguſta erecta. 354. b. 355. a. b
—— templum Smyrnæ erectum, ejusque ſtatua ibidem. 320. a
—— templum & ſtatua ſedentis Cæſareæ Auguſtæ. 355. b. 356. a
Tiberius imp. non ſolitus fuit provinciarum præſides mutare, ejusque fabella ea de re. 414. b. 415. a
—— Tigranem in Armeniæ regnum deducit. 317. a
Tiberius Cæſar IIvir Corinthi in nummis. 10. b. 11. a
Tibure inſignis Herculis fuit cultus. 112. a
Thaliæ Muſæ ornatus in nummis. 348. a
Tigranes per Tiberium in Armeniæ regnum deductus. 317. a
Tigris, ad ſacra Liberi Patris ſpectans in denariis gentis Vibiæ. 442. b
Tintinnabulum a collo elephanti dependens. 47. b. 49. a. b
C. *Titinius* C. F. M. N. trib. pl. 419. a
C. *Titinius* C. F. C. N. tr. pl. ejus ut triumviri, vel quæſtoris, nummi. 419. a
M. *Titinius* IIIvir monetalis, ejusque nummus. 419. a
C. *Titius* eques Rom. orator & poëta vetus tragicus inſignis, ejus laus apud Ciceronem, & ſymbolum in denariis & nummis antiquis. 417. a. b. 418. a. b
—— ſtatua ejus equeſtris in nummis. 417. b
. . . . *Titius*, poëta tragicus & lyricus tempp. Horatii. 417. a
C. *Titius* tr. pleb. & prætorius. 418. b
C. *Titius* præfectus equitum, a fugitivis circumventus, arma tradit, atque a cos. novo ignominiæ genere punitur. 418. b
M. *Titius* procos. cos. deſignatus & præfectus claſſis in inſcriptione antiqua. 418. b
M. *Titius* Sex. F. Rufus, ejusque nummus. 627. a
P. *Titius* trib. pl. collegæ P. Servilio Caſcæ magiſtratum abrogat, & intra annum (quod ſemper in ejusmodi re obſervatum) moritur. 391. a
Q. *Titius* quæſtor, tempp. Sullæ ejusque nummi. 417. a. b. 418. a. b
Titullus & Montanus IIviri col. Cæſ. Aug. 449. a
L. *Titurius* Sabinus quæſtor provincialis ejusque denarii. 419. a. b. 420. a. b
L. *Titurius* Sabinus IIIvir monet. vel quæſtor urbanus, ejusque as ſemiuncialis. 421. a
L. *Titurius* L. F. Sabinus, ejusque as ſemiuncialis. 421. a
Titus Cæſar Agrippæ nummum reſtituit. 451. a
P. *Titurius* Sabinus, legatus Cæſaris, in Galliis perit. 421. a
—— ejus forte quinarii. 421. a. b
Togæ jus cauſa belli Socialis ſive Italici. 459. b
Toletana colonia ſub Cæſ. Aug. in Hiſp. 532. a
Torques, gentis Manliæ decus, cur in denario D. Junii Silani. 222. a
—— —— in nummo Manliano etiam ſine nomine viri vel familiæ. 259. b
Tragœdia, carmen robuſtum, æternum, Herculeum. 348. a
—— in tutela Bacchi. 417. a
—— deæ ejus ornatus in nummis. 347. b. 348. a. b
Trajanus imperator, nummorum veterum reſtitutor. 50. a. b
—— nummi veteres ab illo reſtituti, præſertim Familiarum Romanarum. 78. b. 120. a. 135. b. 137. a. 194. b. 204. b. 208. b. 209. b. 218. b. 221. b. 252. b 258. a. 262. a. 270. a. 277. a. 299. b. 367. a. b. 404. b. 417. b. 426. a. 451. b. 460. b. 461. a
L. *Trebanius*, quæſtor urbanus vel triumvir monetalis, ejusque nummi. 421. b
C. *Trebonius* IIIvir monetalis videtur fuiſſe ſub Julio Cæſare, ejusque faciem ſignaſſe in nummo. 622. a
C. *Trebonius*, ejus res geſtæ ſub J. Cæſare, poſt necem Cæſaris, & interitus. 399. a. b 400. a
C. *Trebonius* C. F. Aſper ejusque nummus. 627. b
—— videtur idem eſſe qui inter Cæſaris percuſſores primus parricidii pœnas dedit. 627. b
Tribuni militares cos. pot. in Voluſi nummo expreſſi. 632. a
Tribunitia poteſtas violentia Lollii Palicani populo reddita, ejusque rei typus in denariis gentis Lolliæ. 248. b. 291. b
Trigæ equorum in denariis. 259. a
Trigeminus æque Latinum eſt ac Tergeminus, Trigemina porta &c. 149. a
Triones ſeptem in denariis Lucretii Trionis. 252. b
Tripolitanorum nummi. 503. a
Triton, maris ſymbolum. 131. b
Tritonis figura in Plætorii nummo. 324. b
Triumpus pro Triumphus. 306. a
Triumviratus monetalis anni unius ſpatium durabat. 69. b
—— erat initium honorum. 69. b. 82. b
—— præclara ejus anni acta publica in denariis ſuis & nummis ſignabant triumviri monetales. 64. b. 82. b
IIIviri ædibus ſacris reficiendis an jus cudendæ monetæ habuerint. 162. b. 498. b
—— capitales non ſignarunt monetam. 265. b
—— menſarii an ſignarint pecuniam. 521. b
Triumviri monetales quando primum creati fuerint. 265. b. 383. a
—— quid muneri illorum acceſſerit tempp. Marii Gratidiani. 383. a
—— unius, duorum, vel trium nomina in nummis ponunt. 150. p. 331. b
—— —— utrum quartum ſupernumerarium collegam habuerint. 31. b
—— & quæſtores ſoli ſignabant pecuniam. 510. b
—— ſub Julio Cæſare, ante IVviros inſtitutos, quinam fuerint. 211. b. 212. a
—— qui Cæſaris fuerant, facti quoque aliquando ſenatus ſunt. 510. b
Triumviri monetales ſenatus quamdiu extiterint. 7. a
Triumviri ſacris conquirendis & donis perſequendis an jus monetæ habuerint. 484. a
Triumviri R. P. C. cur in quibusdam nummis armati adpareant. 500. b
—— barbam aluerunt ob luctum Cæſaris interfecti, & hinc ſæpe barbati in nummis. 35. a. 384. b
—— poſt occiſum Cæſarem quamdiu barbam aluerint. 619. b
—— —— quando depoſuerint. 384. b
Triumvirorum R. P. C. conjuncta capita. 29. a
Triumphus Romuli & Tatii Sabini. 437. b. 438. a
Tropæum terreſtre & navale. 9. b
Tuccia, virgo Veſtalis, aquam cribro hauriens in nummo gentis Liciniæ. 240. a
M. *Tullii* Ciceronis Imp. res geſtæ in Aſia, & nummus ciſtophorus in Aſia Laodiceæ cuſus. 422. b. 423. a
—— ejusdem nummulus æreus a Temenothuritis cuſus. 423. b. 424. a. b
—— nummus a C. P. fictus. 628. b
—— denarius ejus (ut videtur) in triumviratu monetali cuſus. 627. b
—— & pater & avus ejus Marci prænomen habuerunt. 628. a
M. *Tullius* M. F. M. N. Cicero IIIIvir monetalis Cæſ. Auguſti. 628. a. b
Q. *Tullius* M. F. Cicero IIIvir monetalis ſub Julio Cæſare, 628. b
—— Græcus ejusdem nummus, ſed a Goltzio (ut videtur) fictus. 628. b
M. *Tullius* M. F. Decula, vir conſularis. 422. a
M. *Tullius* M. F. Decula ejusque nummus. 422. a. b. 627. b
—— Servium Tullum regem inter proavos ſuos jactat, 627. b
Tullus Hoſtilius rex, an in denario gentis Hoſtiliæ depingatur. 199. b
—— Pavorem & Pallorem inter deos retulit, teſtibus denariis. 199. a. b. 200. a. b
—— ſuffragiis populi electus, cujus rei teſtis denarius gentis Hoſtiliæ. 200. b
—— regis caput in nummo gentis Hoſtiliæ. 569. a
—— —— in denario gentis Tulliæ Deculæ. 626. b
Turdus in denario ſymbolum cujusdam Turdi. 467. b
Turres navibus olim impoſitæ. 338. a
D. *Turulius* in partibus M. Antonii. 24. a
—— ejus nummus. 507. b
P. *Turullius*. 24. a
P. *Turullius* IIvir quinquennalis in col. Victr. Nova Carthagine. 360. a
Tuſculano municipio multæ gentes Romanæ nobiles & conſulares oriundæ. 234. b
Tuſculum a Serv. Sulp. Rufo obſidione liberatum, ejusque rei typus in nummis. 404. a. b. 405. a
Tutela navis caput Romæ in denario gentis Lutatiæ. 254. a
Tyria concha in denario Furii Purpureonis. 188. b

V.

V. in moneta Romana quinarium eſſe docet. 465. b. 466. a
—— in nummo gentis Caſſiæ, ſignificat Veto. 77. b
Vaala pro Vala. 299. a
Valentiæ nummus. 468. b
L. *Valerius* Aciſculus IIIvir monetalis, ut videtur, ſub Auguſto, ejusque denarii. 424. b. 425. a. b. 426. a. b
M. *Valerius* Barbatus propr. pr. M. Antonii IIIviri, ejusque nummi. 632. b
L. *Valerius* Catullus IIIvir monetalis ſenatus ſub Aug. 430. a. 632. b. 633. a
M. *Valerius* Meſſalla M. F. Barbatus, ejusque nummus, 631. b
L. *Valerius* Corvinus Meſſalla, Meſſallæ oratoris & conſularis filius, vir egregius, ejusque laus & res geſtæ. 430. a. b. 431. a. b
M. *Valerius* M. F. M. N. Corvinus, ejusque nummus. 630. b. 631. b
M. *Valerius* M. F. M. N. Meſſalla Cotta, ejusque nummus. 632. a
M. *Valerius* Meſſalinus proq. ejusque nummus. 632. b

—— fi-

—— filius fuit Meſſallæ Corvini. 632. b
N. Valerius Meſſalla IIIvir monetalis, ejusque nummus. 632. b
Valerius (Potitus) Meſſalla ejusque nummus. 631. a
P. Valerius Q. F. Falto, ejusque nummus. 629. b
Q. Valerius Q. F. Falto, ejusque nummus. 629. a. b
C. Valerius Flaccus cos. ejusque in Hiſpania res geſtæ. 426. b. 426. a
C. Valerius Flaccus prætor, imperator in nummis & a Cicerone dicitur, ejusque res in Gallia geſtæ. 426. b. 427. a 630. b
C. Valerius C. F. Flaccus, ejusque denarii & tempus, quo vixerit. 427. a. 428. a. b
C. Valerius Flaccus, P. F. flamen Dialis & ædilis curulis, pro quo frater Lucius juravit. 428. b
L. Valerius Flaccus ejusque nummus falſus. 633. a
L. Valerii Flacci complures in hiſtoria Romana. 428. b. 429. a. b
L. Valerius P. F. Flaccus ædilis curulis, ejusque nummus. 630. a
L. Valerius Flaccus P. F. prætor, pro fratre C. Valerio Diali, creato ædili curuli, juravit. 428. b
L. Valerius L. F. Flaccus, ejusque nummus. 630. a
L. Valerius Flaccus flamen Martialis. cos. cum pont. max. P. Licinio Craſſo. 429. a
L. Valerius Flaccus L. F. flamen Martialis, prætor Allobrogum comitatus & Catilinæ ſocios comprehendit. 427. b
—— videtur inter VIII. præfectos urbi a Cæſare conſtitutus fuiſſe, ejusque denarius. 429. a. b
L. Valerius Flaccus L. F. L. N. cadit in pugna ad Dyrrachium. 429. a. b
C. Valerius M. F. P. N. Lævinus, victoria eius de Liguribus, triumphus, & nummus. 630. a
C. Valerii Lævini de Liguribus triumphus navalis. 571. a
M. Valerius P. F. Lævinus, ejusque nummus. 630. a
M. Valerius L. F. L. N. Meſſalinus, imaginem paternæ facundiæ habuit. 431. a
L. Valerius L. F. Meſſalla; vir eloquens, ejusque denarius. 430. b. 431. a
M. Valerius M. F. Meſſalla Maximus, victoria ejus de Pœnis & rege Hierone, ejusque nummus. 628. b. 629. a
M. Valerii Meſſallæ cos. caput in denario Meſſallæ Corvini. 630. b
M. Valerius Manii F. Meſſalla, ejusque nummus. 629. b. 630. a
M. Valerius Meſſalla Barbatus M. Antonii quæſtor ejusque nummi. 431. a. b
M. Valerius Meſſalla M. F. M. N. Niger, ejusque nummus. 630. b
M. Valerius C. F. M. N. Meſſalla, ejusque nummus. 630. b
M. Valerius M. F. Meſſalla, ejusque nummus. 630. a
N. Valerius M. F. Meſſalla, ejusque nummus. 630. b
Vol. Valerius Meſſalla IIIvir ſenatus ſub Auguſto, ejusque nummi. 431. b. 432. b
—— ejus vituperium & damnatio. 432. b
T. Valerius Merula IIvir Calaguritanus. 137. b
L. Valerius Merula IIvir Calaguritanus. 137. b
C. Valerius Potitus, ejusque in denario memoria. 556. a
L. Voluſus IIIvir monetalis, homo ferox & vanus, ejusque nummus. 556. a. b
C. Valerius Valentinus IIvir municip. Calaguris Juliæ ſub Aug. 427. b. 428. a
M. Valerius Quadratus IIvir municipii Turiaſonis. 54. b
L. Valerius Sura IIvir Sagunti. 382. b
C. Valerius Tranquillus IIvir municipii Aug. Bilbilis. 350. a
C. Valerius Voluſus ejusque nummus. 632. a
C. Valerius ædilis Naſſicæ ejusque nummus. 427. b
Valentia, urbs Magnæ Græciæ, ejusque nummi. 213. b
Valentia, Colonia Cæſaris in Hiſpaniis, alia in Galliis. 213. b
Valetu. quid in denario gentis Aciliæ ſignificet. 639. a
Valetudinis ſive Hygeiæ imago in denario gentis Aciliæ. 3. a
Valetudinis tuendæ vel Valetudinarii triumviri expuncti. 3. a
M. Valgius C. F. Q. N. Saturninus Rufus, celebris laude poëtices, ejusque nummus. 633. a
—— videtur gentile ſacerdotium Lanuvii habuiſſe. 633. a
Valli caſtrorum deſcriptio & typus in denario gentis Numoniæ. 299. a. b
Vallis cur Jani caput geminum in aſſibus quandoque cingatur. 420. b
Varguntei complures apud veteres ſcriptores. 433. a
M. Varginteius M. F. ejusque nummi. 433. a
Varius Criſpinus. 363. b
Varius Geminus. 363. b
L. Varius, vir conſularis. 363. b
Q. Varius Hybrida. 363. b
C. Varus Rufus IIvir quinquennalis. 363. b
Varius Rufus Criſpinus præfectus prætorio ſub Claudio. 363. b
Varius Rufus Criſpinus, tribunus prætorianorum. 363. b
Varius IIvir Corinthi. 95. a. b
P. Varus IIvir col. Cæſ. Aug. 96. b
Vari filii nummus ſub Claudio. 470. b
P. Vatinius P. F. cos. ejusque nummus. 633. a
—— triumphus ejusdem ex Illyrico in denario ejusdem. 633. a. b
Ubertatis & uberis anni proventus ſymbolum cornucopiæ, & Apollinis caput atque fulmen &c. 166. b
Vectigalium locationes ſub haſta fiebant. 69. b
Venatio ferarum in Livineji Reguli nummo. 246. a
Veletræ vel Velitræ ejusque urbis nummus. 440. b
P. Ventidius, pontifex & imp. in nummis ſcriptus, luſus Fortunæ, ejus res geſtæ, honores, & denarius. 433. b. 434. a. b. 445. a. b. 633. b
T. Ventidius Fronto IIvir Corinthi ſub Nerone. 435. b
Vejovis nomine cultus Apollo. 182. b
Vejovis & Apollinis diſcrimen. 59. b
Venus in bigis coronatur a Cupidine in denario Sex. Julii. 570. b
—— in Amorum bigis, in denario L. Cæſaris. 202. b. 203. a
—— nuda in nummo Ennenſi. 88. a
Veneri Genetrici C. Julius Cæſar thoracem ex Britannicis margaritis dedicavit. 207. b
—— corollam ex unionibus capiti ejus adtextam videre licet in quibusdam Julii Cæſaris denariis. 207. b. 208. a
—— ejus deæ habitu Cleopatra in nummo Cyprio effingitur. 207. b
Veneris templum in Acrocorintho 300. b
Veneris Erycinæ Romæ quoque templum fuit. 109. a. b
—— —— templum in Sicilia in monte Eryce ſæpe refectum 109. b
—— —— ſacræ ibidem mulieres corpore quæſtum deæ facientes. 109. b
Veneris Genetricis typus in denario gentis Vibiæ. 441. b
Venus Anadyomene Corinthi in nummis ſymbolum. 145. b. 146. a
—— Cloacina. 289. b
—— Cypria, ut natura virili, Ἀφρόδιτος quoque dicebatur. 165. a
—— marina in curru Tritonum, Agrippinam Claudii adumbrat. 16. b. 17. a
—— Victrix in denariis Julii Cæſaris dictatoris. 13. a. 205. a b. 206. a. b. 208. b
—— —— in denariis gentis Sepulliæ. 384 a
—— —— in Coſſutii Maridiani denario. 144. b
—— —— ſtans in nummo Julii Cæſaris. 575. b
—— —— ejus typus in Coſſutii & Mettii nummo. 250. b. 280. a. b
—— —— cur quieſcat & arma deponat in Cæſaris nummo. 209. a
—— ædes deæ Pompejo Magno dedicata. 128. b
Vepris ſive fruticis figura in denario gentis Marciæ quid deſignet. 263. b
Verginii IIIviri monetalis nummi. 435. b. 436. a
L. Veratii hiſtoria apud Gellium. 293. b. 294. a
Vercingetorix Arvernus manibus poſt terga ligatis in denario C. Julii Cæſaris. 572. b
T. Verrius IIvir col. Cæſareæ Aug. ſub Aug. 436. a
Veſpaſianus imp. nummos antiquos impreſſa nota ſignari fecit. 300. a. b
Veſpaſiani Imp. in Floro & Flauro elegans jocus. 112. a
Veſpillonis cognomen unde in gentem Lucretiam tranſierit. 587. b
Veſtalis aquam cribro hauriens, in nummo gentis Liciniæ. 240. a
Veſtalis in nummo Lepidi ſummum ejus pontificatum innuit. 248. a
Veſtalis ſedens in denario gentis Claudiæ. 93. a. b
Veſtiliæ vario menſium ſpatio diverſi partus. 402. a
C. Vettius Long. IIvir col. Cæſar Aug. 157. a. b
L. Vettius Judex Catilinariæ conjurationis index. 436. a. 437. a
Sp. Vettius ex Sabinis oriundus, inter interreges fuit, ante Numæ regnum. 436. b
T. Vettius Judex, unus ex Sullæ dictatoris XX. quæſtoribus. 438. a
T. Vettius T. F. prætor Africam rexit. 436. a. b
L. Vettiacus IIvir col. Cæſ. Aug. ſub Tiberio. 354. b. 355. b. 356. a
Veturii vel Vetuſii, nomen a vetus productum. 439. b
Veturius Mamurius tempp. Numæ ancilia fabricavit. 440. a
L. Veturius Barrus Æmiliam Veſtalem ſtupro polluit. 440. a.
Ti. Veturius Barrus, IIIvir monet. vel quæſtor urb. tempp. Sullæ, ejusque denarius. 440. a. b
Ti. Veturius Graccus Sempronianus. 439. a
L. Veturius Philo. 439. a
L. Veturius L. F. Philo ſcribitur ædilis curulis in nummo. 633. b
—— ejusdem, ſive alterius, nummi. 633. b
T. Veturius Philo. 439. a
T. Veturii nummus a C. P. fictus. 634. a
Vexillum Hiſpanicum in denario gentis Cœliæ. 104. a
A. Vibius Habitus æd. cur. ejusque nummus. 634. a
—— nepos forte C. Vibii Panſæ. 634. a
C. Vibius Varus IIIIvir monetalis ſub IIIviris R. P. C. 441. a. b. 442. a. b. 634. b
—— filius C. Vibii Panſæ, & in honore apud Triumviros R. P. C. 442. b
—— frater forte C. Vibii Vari, ejusque nummus. 634. b

C. Vibius Marſus, vir inſignis, ejuſque merita. 54. b
—— procos. Africam rexit ſub Tiberio, ejuſque nummi. 410. b. 448. a. b. 449. a
—— vir illuſtris & inſignis, quomodo extremis Tiberii temporibus delatorum artes evaſerit. 449. a
C. Vibius Panſa C. F. C. N. ædilis curulis, primus Liberalia, a Cæſare introducta, edidit, cujus rei teſtes ſunt nummi. 442. b. 443. a. b. 444. a. b. 446. b
—— prætura ejus, in nummis celebrata. 443. a. b
—— magna denariorum vis eo coſ. ad militare ſtipendium cuſa. 443. a
—— benevolus ejus in C. Cæſarem Octavianum animus. 443. b
—— eloquentiæ fuit deditus. 443. b
—— victoria ejus de M. Antonio ad Mutinam, & denarii ejus rei teſtes. 443. b. 444. b. 445. a. b
—— quo die victoria ad Mutinam ejus & Hirtii auſpiciis relata fuerit. 445. a. b
—— cur Libertatis caput in nummis ſignaverit. 445. b
—— mors ejus admodum ſuſpecta fuit. 445. b
—— Cæſaris comes in Pharnace debellando, & præfectus Bithyniæ, nummusque ibi cuſus. 447. b
C. Vibius Panſa antiquior, ejuſque aſſes. 446. b. 447. a
P. Vibius præf. IIvir Corinthi, ejuſque nummus. 639. b
Victoria cur ſedens exhibeatur in denariis quinariisque M. Porcii Catonis. 353. a
Victoria Pacifera in denario Julii Cæſaris. 218. b
Victoriæ ſine alis apud Athenienſes ſignum. 65. b
Victoria Virginis ædicula Romæ fuit, quam vovit Cato cenſorius, & quo ſenſu. 353. a. 611. b
Villa publica in denariis gentis Didiæ. 153. a. 184. a
P. Villius Ti. F. Ti. N. Tappulus ejuſque nummus. 634. b
Vindicta; virga ſic dicta, in denario gentis Caſſiæ. 79. a
Vini proventu inſignis annus. 265. a
L. Vinicius pater, colluſor Auguſti. 449. b
L. Vinicius L. F. decorus adoleſcens, & in Julia ſuſpectus. 449. b
—— IIIvir monetalis Aug. ejuſque denarii. 449. b. 450. a
M. Vinicius P. F. L. N. ejuſque nummus. 634. b
P. Vinicius M. F. IIIvir monetalis, ejuſque nummus. 635. a
Vinum Opimianum nobile. 592. a
M. Vipſanius Agrippa Auguſti gener, ejuſque nummi. 450. a. b. 451. a. b. 635. a. b
—— tribuniciam poteſtatem cum illo communicat Auguſtus. 450. b. 451. a
—— cur roſtrata non modo, ſed & murali corona ornetur. 451. b
—— honoris cauſſa quinquennalis inſcribitur in quodam num col. Hiſpan. 452. a
Vipſanius Agrippa IIvir Corinthi ſub Caligula. 452. a. b
A. Virginii nummus a C. P. fictus. 635. b
Virtus ſtans in nummo M. Licinii Craſſi. 583. a
Virtutis & Honoris imagines in denariis gentis Egnatiæ. 168. a
C. Viſellius Varro IIIvir monetalis, ejuſque nummus. 635. a
—— *P. Vitellius*, cum Germanico in Aſiam miſſus, Bithyniam proconſule rexit. 452. b
—— ejus nummus. 452. b
—— vitam in cuſtodia animi ægritudine finit. 452. b
Vitta ab oleæ ramo dependens in nummis, ritus ſupplicis. 9. a
Vitulus in nummis Q. Voconii Vituli. 454. a
Ulyſſes redux a cane agnitus, in denariis gentis Mamiliæ. 257. a. b
Ummidia gens male Numidia ſcribitur. 452. b
Ummidii vel Umidii in Inſcriptionibus antiquis. 453. b
C. Voconius Saxa antiquior, ejuſque nummi. 374. a
Ummidius Quadratus, Syriæ præfuit proconſule per plures annos, cui ſucceſſit Domitius Corbulo. 452. b. 453. a. b
—— ejus nummi. 452. b. 453. a. b
—— inſcriptio antiqua, ejus honores continens. 453. a
—— nomen ejus C. Ummidius Durmius Quadratus. 453. a
—— honores ejuſdem, res geſtæ, mors. 453. a. b. 454. a
Q. Voconius Saxa trib. plebis. 374. a
Q. Voconius Vitulus adpellatur Quæſtor deſignatus in quodam inedito denario aureo Cæſaris Octaviani. 212. b
Q. Voconius Vitulus, quæſtor deſignatus, ejuſque nummi cum capite Julii Cæſaris & C. Cæſaris Octaviani. 454. a. b
L. Volcatius Q. F. Tullus, ejuſque nummus. 636. a
Volteji ſeu Vulteji, tributi militum, calamitoſa virtus. 457. a. b
M. Voltejus M. F. IIIvir monetalis cum C. Vibio Varo, plures denarios in honorem Julii Cæſaris & Octaviani cudit. 454. a. b. 455. a. b
M. Voltejus L. F. Strabo IIIIvir monetalis ſub IIIviris R. P. C. ejuſque nummus. 457. a
Volumnius legatus Cæſaris Auguſti. 457. b
Volumnius & Lurinus IIviri col. Corinthi ſub Nerone. 457. b.
Voluſus ſeu Voleſus, cognomen antiquum gentis Valeriæ; ſub Cæſaribus prænomen eſt factum. 431. b
Uranies Muſæ ornatus in nummis. 347. a
Urna recipiendis ſuffragiis in gentis Caſſiæ nummo. 77. a
Urſo, Hiſpaniæ urbs, multos nummos in Auguſti honorem ſignavit. 468. b
Urſus IIvir Calaguritanus. 326. b
Vulcani caput cur Laribus jungatur. 60. b

Z.

Z. pro Σ. ſæpe in Smyrnæorum nummis ponitur. 193. a.

ERRATA

E R R A T A.

Pag. 7. col. a. lin. 29. & 35. 31. l. 31. auro argento ære	*æri.* Et ſic paſſim lege pagg. aliquot ſeqq.
10. b. 3. Coios - - - - - - - - - - - - - - - -	*Coos.*
11. a. ante f. faceis. - - - - - - - - - - - - - -	*facies.*
1[illegible]. b. p. m. A. DCCLX. - - - - - - - - - - - -	A. DCLX.
18. ante med. anno V. C. DCXX. - - - - - - - - -	DCCXL.
19. A. 10. ambo. - - - - - - - - - - - - - - -	*ambos.*
20 A. l. ult. geſtare. - - - - - - - - - - - - - -	*geſtans.*
21. a. a. f. & 22. b. pr. Arthuaſde. - - - - - - - -	*Artuaſde.*
23. b. f. Imp. III. - - - - - - - - - - - - - -	Imp. IV.
24. a. l. 4. Marmoricæ.	*Marmaricæ.*
26. a. ante f. litera Δ. tertium annum indicat. - - - - -	litera Δ. *quartum* a. I.
58. a. l. 33. Cæſonius Pætus. - - - - - - - - - - -	*Cæſennius.*
64. a. a. f. ubet ponere. - - - - - - - - - - - -	*jubet.*
72. a. in med CARRISſus. - - - - - - - - - - -	CARISI*us.*
72. b. a. f. certiſſimum ſe vel. - - - - - - - - - -	*Certiſſimam, ſe* deleto *vel.*
78. a. l. 15. a fine. tribunus enim plebis A. V. C. DCVI.	repone A. V. C. DCXVI.
89. a. l. 6. Cajum Marcellum. - - - - - - - - - -	*Publium Marcellinum.*
99. a. p. m. T. Cœlium Siculum. - - - - - - - - -	*T. Cœlium Siculum*
Sic tabella in f. o N. H. XVII. - - - - - - - - - -	Sic tabella VIII. in f. o. N. *Hiſp. num.* XVII.
ibid. l. 54. ſucceſſores. - - - - - - - - - - - - -	*ſucceſſoris.*
111. b. p. m. quam laudat. - - - - - - - - - - - -	*quem.*
120. a. p. m. cum L. Marco Phil. - - - - - - - - - -	cum L. *Marcio* Phil.
122. b. l. 3. Ciceronis jocum locum dedit. - - - - - -	Ciceronis *joco* &c.
142. a. l. 16. a fine. eundem Mercurii typum. - - - - -	eundem Mercurii *habet* typum.
152. l. 14. bello fugitivorum vindicant. - - - - - -	bello fug. *vindicat.*
156 a poſt med. A. V. C. DCCVI. cum Aſinio Pollione.	A. V. C. DCCXIII. &c.
ibid. p. m. Diſoſcuri. - - - - - - - - - - - - - -	*Dioſcuri.*
162. b. a. m. hunc C. Egnatium. - - - - - - - - - -	hunc C. *Egnatulejum.* & ſeptem lineis poſt pro *Aciliam* lege *Acilium.*
165. a. a. m. Cypri. - - - - - - -	*Cyprii.*
169. b. a. f. Abavus C Fabius Dorſo. - - - -	*Avus* &c.
184. b. p. m. CYTHONTE. - - - - - - -	CYTHERONTE.
162. b. Μεμβιάδης. - - - - - - - -	Præſtat forſan in Græcis legere Μεμμιάδης, quod Romanum nomen eſt a Memmio productum.
200. b. lin. penult. TVB*ero.* - - - - -	TVB*ulus.*
22[illegible]. a. p. m. per ancoram. - - - - - -	per *tridentem.*
ibid. b. a. m. non hoc u. o. - - - - - -	non *hac* u. o.
228. a. p. m C. Caſſæ. - - - - - - -	C. *Caſcæ.*
230. b. p. m. infra num. IV. - - - - - - -	infra *tab. ſequ.* num. IV.
232. a. p. m. Gallico tumulto. - - - - - -	Gallico *tumultu.*
255 a. a m. atque reſponſum. - - - - - -	adde *tulit.*
257. a. l. 3. quem filium C. nepotem. - - - - -	quem P. filium C. nepotem.
259. b. a. f. atque P. Antonium Pætum. - - - - -	atque *P. Autronium* Pætum.
164. b. l. 2. nihil ad P. Marcium Ph f. h. Q. Marcius.	nihil ad Q. Marcium Ph. f. h. L. Marcius.
273. b. in m. MVNicipium CALenum IVLium. - - - -	MVNicipium CAL*aguris* IVL*ia.*
274. a. l. 10. Caleno Julio. - - - - - - -	*Calaguri Julia.*
280. a. p. m. DCCXXXVI. - - - - - - -	DCCXXXVII.
287. a l. ult. anno imp. ejuſdem XII. - - - - -	anno imp. ejusdem XI. *Harduinianum ſimilem anno* XII.
ibid. b. p. m. ad A. V. C. DCCXLII. - - - - -	ad A. C DCCXLI. *Harduinianus vero ad* A. V. C. DCCXLII.
288. b. p. m. ædem illam exſtructum fuiſſe. - - -	ædem illam *exſtructam* fuiſſe.
295. a. p. m. quo triumvir monetalis erat cum P. Plautio Hypſeo.	quo *quæſtor provincialis* erat cum P. Plautio Hypſeo.
296. b. a. m. in Cæſare pr. conceſſæ. - - - - - - - -	*a* Cæſare &c.
299. b. m. mutantis Goltzii fide. - - - - - - - - -	*mutanti* Goltzii fide.
ibid. p. m tam cognita eſſe. - - - - - - - - - - -	tam *cognitu* eſſe.
319. b. a. f. poſt quadraginta amplius annos. - - - -	Error ibi eſt in numero, nam ſcribere debuerat Vaill. poſt *quadringentos* amplius annos.
332. a. p. pr. ad res geſtas M. Dolabellæ Malleoli. - - -	Ad res geſtas M. *Poblicii* Malleoli.
340. a. l. 24. quum filius Cnei, nepos Sexti fuerit &c. nepoti tribuit Vaill.	quum filius *Sexti*, nepos *Cnei* fuerit &c. *filio* tribuit Vaill.
ibid. lin. 30. ad ejus vel avi quæſturam. - - - - - -	ad ejus vel *patris* quæſturam LICI*nus.*
351. a. l. penult. LICI*nius.* - - - - - - - - - - -	LICI*nus.*
354. a. a. m. *Caio* BALCO. - - - - - - - - - - -	*Caio* BALBO.
359. b. m. Triumphavit A. V. C. DLXXV. - - - -	Triumphavit A. V. C. DLXXIV.
363. a. l. 19. A. V. CLXXIX. - - - - - - - - - -	A. V. C. DLXXIX.
372. a. a. f. juxta virtus illud Martialis dictum. - - - -	juxta *vetus* illud &c.
380. a l. 13. qui triumviri Cæſaris. - - - - - - - -	adde [illegible] *quattuorvi*[illegible]
382. a. a. f. de Ære Grævi. - - - - - - - - - - -	de *Ære* [illegible]
418. b l. 8. in conſulatus petione. - - - - - - - - -	in conſulatus *petitione.*
419. a. l. 15. reverſum. - - - - - - - - - - - -	*reverſam.*
424. a. a. f. Timenothuritæ. - - - - - - - - - -	*Temenothuritæ.*
433. a. l. 20. & antiquior. - - - - - - - - - - -	& *antiquiores.*
453. a. l. 31. C. Ventidius Durmius Quadratus. - - - -	C. *Ummidius* &c.
468. a. a. f. trimque convenit. - - - - - - - - - -	*utrimque* convenit.
472. b. a. f. rem dejudicabit. - - - - - - - - -	rem *dijudicabit.*
488. a. l. 4. lævam gladio. - - - - - - - -	lævam *cum* gladio.
499 a. p. m. dextra clavem fert. - - - - - -	dextra *clavam* fert.
500. a. a. m. Marcus ANTONIus Cnei Filius. - - -	Marcus ANTONIus *Caii* Filius.
516. b. p. m. Vaillantius otioſe minus. - - - -	Vaillantius otioſe *nimis.*
517. b. a. f. C. Attius Capito. - - - - - - -	C. *Atteius* Capito.
533. b. l. ult. APuleius CLAVDius. - - - - -	AP[illegible] CLAVDius.
580. b. p. m. L. Lælius C. F. C. N. - - - - -	C. Lælius C. F. C. N.
582. a. a. m. L. F. Murena. - - - - - - -	P. F. Murena.
583. a. a. f. LICINVS. - - - - - - - -	Lucius *LICINIVS.*
654. a. p. m. L. Caldum. - - - - - - - -	*P.* Caldum.

